


D. de Latrociniis in Scriptores Publicos §. 85. p. 90.

Sigonius in ea, quam de Occidentali Imperio conscripsit, historia, ut non modo non confirmarit Constantinianae donationis Edictum, (fabulam prorsus, quae illum Occidentis Imperium Pontifici donasse fingit) sed etiam infirmarit. Illum Sirletus Cardinalis Romae usque admonuit, Balsamonem, Calecam, Gennadium, (esurientes Graeculos) tanquam Edicti testes esse. Miserum v. q" versos priscos Scriptores testimonium! Verum quicquid fuerit, Sigonius illa in Acta mittat, oportet, et honoriter tractet, quod etiam facit (Lib. 3.) Quamquam eius subvertat authoritatem: (Lib. sc. 4.) et hoc tamen timide mi(s)ellus, atque sui porro excusatione utens, se sc. officii sui esse putasse, ut, quod Eusebius et multi alii scripsissent, minime reticeret, licet ab Ecclesiae Romanae autoritate dissentirent. Rainold. in Colloq. cum Harto p. 27. [a] p. 47. seq. [o] p. 70. seq.

CAROLI SIGONII
HISTORIARVM
DE OCCIDENTALI
Imperio Libri XX.

AD ILLVSTRISS. ET EXCELL.
D. IACOBVM BONCOMPAGNVM
Vineolæ Marchionem, & Generalem S. R. E.
Gubernatorem.

Pertexitur autem in illis historia ab anno recuperatæ Salutis CCLXXXIIII, *vsq. ad annum* DLXV.

Et absoluitur INDICE rerum, & verborum copiosissimo.



FRANCOFVRTI
Apud heredes Andreæ Wecheli,
Claudium Marnium & Ioann. Aubrium.
MDXCIII.

CAROLI SIGONII HISTORIARVM DE OCCIDENTALI IMPERIO.

Ad illustriss. & excellentiss. D. Iacobum Boncompagnum, Vineolæ Marchionem, & Generalem S.R.E. Gubernatorem.

IMPERIVM Romanum longe omnium terra, mariq́ latißimum, illustrißime, atq; excellentißime Princeps, primus Augustus Cæsar non solum armis, opibusq́ firmauit, sed etiam legibus, ac magistratibus exornauit. Nam cum prouincias omnes descripsit, & certos singulis Rectores, Præsides, Procõsules, Præfectosq́ imposuit, tum limites Imperij terminauit, atq; ad eorũ custodiam firmißima castella, exercitusq; promptißimos collocauit. Inde Traianus, & successores eius subtiliorem aliam prouinciarum diuisionem introduxerunt, atq; alios earum etiam Gubernatores, Præsides, Consulares, & Correctores instituerunt, ac demum limites legionibus etiam aliis instruxerunt. Postremo Diocletianus superioribus ferme reliquis institutis retentis illud noui induxit, quod Imperium cum alieno ita communicauit, vt proxime sibi succedentibus occasionem eius diuidendi, Constantio inquam, Galerioq;, attulerit. Quod institutum excipiens Constantinus sic subinde adauxit, vt Roma sede Imperio Occidentali relicta alterum Orientali domiciliũ struxerit, ac proprios vtriq; magistratus adiunxerit. Qua diuisione inuecta res Romanæ ad id vsq; tẽporis validæ, atq; magnificæ, quasi infirmiores, ac deteriores effectæ primum occulte labi, deinde aperte præcipitari cœperunt. quousq; ad extremum ipsorũ siue ignauia principum, siue perfidia ducum, siue potentia hostium, corruerunt. Hostes vero fuere Persæ, Scythæ, atq; Germani. qui vltra ipsos Imperij limites, Eufratẽ, Istrum, Rhenumq́ flumina cõstituti, atq; in varias gentes, populosq; diuisi quotidianis agrorum incursionib. atq; aßiduis bellorum contentionibus vtrumq; Imperium primum misere lacerarunt, deinde funditus euerterunt. Has porro clades grauißimas, atq; omnium sine dubio atrocißimas vehemẽtius etiam tetra Christianæ ipsius tum primum orientis Ecclesiæ vulnera cumularunt; quæ illi continenter modo vetusta principum ex su-

ſcepta gentilitate perfidia, modo noua antiſtitum de fide Chriſtiana diſcordia inflixerunt. Quæ mala ſimul acerbitate ſua terras vſq; adeo late cõplexa ſunt, vt nulla prope earum tam remota regio fuerit, quæ non aut hominum ſanguine cruentata, aut vrbium incendio deformata, aut fortunarum expilatione exinanita, atrox in omnes pòſt annos ſui ſpectaculum exhibuerit. vt, ſi elementa omnia in huius vniuerſitatis exitium cõſpiraſſent, quod aliquando futurum viris olim doctiſſimis placuit, neque facilius, neque pernicioſius, neq; miſerabilius tantam, tamq; opibus firmã Imperii molem diſſipatura fuiſſe videantur, quàm, cum principibus temere ſæuientibus, ac barbaris atrociter irrumpentibus ipſæ prouinciæ clade etiam apud poſteros lacrymabili peruaſtatæ ſunt. donec vetere demum ſublato in Occidente Imperio nouas barbarorum dominationes, & noua regnorũ domicilia receperũt. Quæ hiſtoria, quanquã ad notitiam hominum præclariſſima, nõdum tamen ita litteris eſt, ac memoriæ cõmendata, vt diligens, atq; ordinatus contextus eius inquirentibus vniuerſus appareat. Neq; enim veteres excellenti ingenio homines hæc omnia ſibi colligẽda, & in tempora redigenda putarunt. & qui noſtra memoria ad hoc muneris acceſſerunt, ne id quidem prorſus in hoc genere videntur voluiſſe, quod potuerunt. Nos autem priſcis omnibus Græcorum, & Latinorum monumentis, quibus præcipuo Dei munere noſtra hæc affluit ætas, in vnum contractis, fieri poſſe iudicauimus, vt lucis aliquid rebus obſcuriſſimis afferremus, ſi notatis ſingularum actionum, caſuumq; temporibus in ſuos quæq; annos digereremus. Quo ſtudio nullũ ad acta ſuperioris ætatis aut oratione explicanda, aut memoria cõſeruanda eſſe accommodatius poteſt. Quamobrem quidquid ocii mihi ab iis laboribus eſt tributum, quos in Academia Bononienſi publicis muneribus occupatus ſuſcipio, id totum libẽter ad hanc vnam curam, atq; operam contuli, vt res omnes in Occidentali Imperio ſiue ad remp. ſiue ad Eccleſiam pertinentes, quæ comperiri diligentia poſſent, primum accurate colligerem, deinde quàm veriſſime in maxima rerum obſcuritate, temporũ vetuſtate, ſcriptorumq; diſſenſione poſſem, poſteritati mandarẽ. ac ſimul bella Imperatorum, diſſidia eccleſiarum, impreſſiones barbarorum, clades prouinciarum, excidia vrbium, ac demum noua Imperia regum, confectis quibuſdam quaſi publicarum ærumnarum annalibus, enarrarẽ. Hoc autem opus, licet multis impeditũ difficultatibus, vt alacriore quoq; animo perducere ad exitum maturarem, perpulit me in primis quædam haudquaquam obſcura ſignificatio præclaræ tuæ,
Excel-

Excellentiss. Princeps, erga hæc studia voluntatis. Neq; enim silendum, aut vlla ratione dissimulandum, sed aperte confitendum, ac prædicandum est, te aut vnum, aut certe inter paucissimos extitisse, qui honesta hac antiquitatis notitia captus industriam meam perpetuo aut oratione acueris, aut officio subleuaris. Quamobrẽ non dubito, si libri illi, quos de regno Italiæ scriptos tibi inscripsi, animo grati tuo acciderũt, quin hi quoq;, quos de Occidentali Imp. illis prætexui, futuri sint multo omniũ iucundissimi. Nam cum res complectuntur ad memoriam posteritatis illustriores, tum casus quo euentu magis ancipites, eò quoq; ad incutiendam admirationẽ legentib. aptiores. siquidem illa exprimunt tempora, quibus satis constat non alia ante mala aut ad sensum acerbiora, aut ad recordationẽ insigniora ipsam cum toto Occidente Italiã esse perpessam. Quæ narratio cum multiplici incidentiũ calamitatũ varietate, ac salutari rerum humanarum contemplatione plurimum in legendo poterit animũ retinere, tum vel maxime nos etiã diuini, ac præstantis huius beneficij admonere, quòd summa præsentiũ principum sapiẽtia, ac singulari moderatione Italiã videmus aliquãdo tandem diris illis cladibus, periculisq; defunctã, atq; ex maxima cõsternatione quodammodo recreatã, omnibus belli, pacisq; artib. efflorescere. Aderit etiam non mediocris altera oblectatio, nempe quidã Latinæ quoq;, ni fallor, orationis sensus illustrior. fit. n. nescio quo modo, vt quo res à memoria nostra remotiores, atq; omnino antiquiores tractemus, eò facilius orationem nostram ad antiquorum similitudinẽ conferamus. Quanquam enim in hoc genere scriptionis illud præcipue mihi præstãdum puto, vt diligentiã adhibeam in colligendo, fidem in referendo, atq; ordinem in narrando, multoq; plus de re facta, quàm de oratione faciẽda laboro, illud tamen negare nõ possum, vehementer me affici, si in actis barbarorũ etiam explicandis mihi liceat incorruptam illã Romanæ eloquentiæ speciem, atq; effigiem imitari. Quam tamẽ voluptatem, neq;. n. audeo dicere laudem, nunquam ita sum consectatus, vt rationem, fidemq; rerum gestarum propterea aut deterere, aut obscurare voluerim; satis certus, neq; res omnes nouas apte verbis posse veterib. explicari, &, si id fiat, multas, & quidẽ grauissimas, cum maximo disciplinæ publicæ detrimento non solum nõ ornari, sed plerunq; etiam turpissime deformari. Quamobrẽ, quoniam tu in me amando atq; adeo etiam fouendo veterem humanitatem retines tuam, rudis plane, ne dicam agrestis, essem, nisi & ipse meam consuetudinem in te colendo, atq; omni studio prosequendo seruarem. Hos igitur

quoq; annales ita Illustrissimæ Excellentiæ tuæ dedico, vt non solum perpetuum mei erga te obsequij monumentum posteris prodant, sed etiam vt clarissimo nomine tuo prælato acceptiores in manus hominum prodeant. Nam (quod sine suspicione assentationis dictum velim) tu in ista florente, atq; excelsa fortuna tua tantam hucusq; animi moderationem adhibuisti, atq; ita ad vnam ex virtute gloriam contulisti, vt non solum nemo tibi tantum fastigium amplitudinis, ac dignitatis inuideat, sed, si consequi posit, vltro te ad altiora quoq; suis manibus euehat. scilicet, vt, quando virtus tua aperte cum opibus adolescere cernitur, ipse præclaram istã bene agendi, & de hominibus promerendi cum summa potestate in dies augeas voluntatem. Quod etsi te in posterum tua sponte cumulate facturum non dubito, meus tamen præcipuus laudis tuæ amor cogit, vt adolescentem senex admoneam, te, si præstantem istam bonitatem, quam tibi natura indidit, perficere, aut si præclaram illam scientiam, quam ex doctissimis philosophorum cõmentariis summo studio hausisti, honesta præterea excellentium virorum imitatione cumulare volueris, non parum hos tibi quoque libros auxilij allaturos ad eximia, quæ persequaris, exempla in omni virtutis, laudisq; genere seligenda. Verum ad rem Deo bene iuuante aggrediamur, ad cuius gloriam omnes studiorum nostrorum conatus referimus, initio narrationis à Diocletiano Augusto, sicut proposuimus, instituto, anno, vt à Christi Dei ortu nunc nume-
Anno 284. *ramus, ducentesimo octogesimo quarto; vrbis millesimo tricesimo sexto, in quem secunda incurrit Indictio.*

DIOCLETIANVS, ET MAXIMIANVS AVGVSTI.

CARINO, & NVMERIANO Cæsaribus, ambobus secundum consulatum gerentibus, Numerianus Cæsar, Caro Augusto, patre in Perside prope Tigrim amisso, haudquaquam sibi dubitandum putauit, quin Persico omisso in præsens bello se se ex iis locis proriperet, atq; Antiochiam ad consilia capienda reciperet. Cum autem ex nimio fletu grauem oculorum ægritudinẽ contraxisset, ac propterea lectica inclusus incederet, occasionem Apro socero suo nefarij sceleris perpetrandi aperuit. Nam ille præfectura Prætorij non contentus, cum ad Imperij fastigium aspiraret, postquam peruenit in Syriam, ipsum occulte in itinere interemit, militibusq; Imperatorem videre poscentibus respondere pro concione non dubitauit, non esse, cur de aspiciendo principe laborarent. nam se illorum præsentiæ committere propter inualetudinẽ oculorum non posse. Neque enim mortem Imperatoris enunciari volebat, antequam parata omnia ad Imperium inuadendum haberet. Post aliquot inde dies milites, qui Numerianum proxime sequebantur, suborti odoris fœditate perculsi ad lecticam accesserunt, eaq; aperta, & cadauere Imperatoris inuẽto, rem vniuerso exercitui prodiderunt, atq; indignitate rei commoti statim Aprum, tanquam eius necis auctorem, ante signa, & principia protraxerunt. Tum vero XI Kal. Maij, qui dies erat

Romæ

Romæ natalis, concione exercitus aduocata, ac tribunali repente conſtructo de Imperatore in locum Numeriani ſublegēdo, ac nece illius vindicanda relatum eſt. Qua re audita continuo omnes Dioclem, qui erat domeſticorum Comes, illo honore digniſſimum acclamarunt, eumq; tribunal aſcendere iuſſum, magna animorum conſenſione Auguſtum appellauerunt. Ille vero, vbi ſolemnia in tanto honore accipiēdo peregit, Quoniam iubetis, inquit, vt de Numeriani interfectore quæratur, obſequar voluntati veſtræ, & parebo conſcientiæ meæ. atq; educto gladio Aprum ipſum præſentem confodit, inquiens: Hic eſt auctor necis Numeriani. gloriare Aper. magni Æneæ dextera cadis. Inde conuerſus ad milites ſubiecit: Tandem aprum fatalem occidi. Cuius vocis hæc ratio fuit; acceperat adoleſcēs à Druide in Gallia, ſe tum demum Imperio potiturum, cum aprum occidiſſet. Itaq; fidē vaticinio habita in venationibus ſemper, vbi data facultas fuerat, apros inuaſerat. Hic fuit natione Dalmata, ſcribæ filius, Anullini ſenatoris libertus, matre pariter, atq; patria Dioclea, non longe ab vrbe Salona, à qua, donec Imperiū ſumpſit, Dioclem ſe appellauit. vbi vero Auguſtus eſt declaratus, Romano more Diocletiani nomen aſciuit. His rebus in Syria geſtis inde in Illyricum adiit. Carinus autem Cæſar, quem Carus Auguſtus pater in Perſas proficiſcens Illyrico, Italiæ, Galliæq; præfecerat, vbi patrē, fratremq; extinctos, Diocletianum vero Auguſtum appellatum, in Dalmatia comperit, licet ſemet ipſo impurior, ac nequior factus, haud tamen ſibi cunctandum exiſtimauit, quin exercitū aduerſus Diocletianum, quem aduentare audiebat, adduceret. atq; ita motis caſtris in ipſis Pannoniæ, & Mœſiæ finibus ei occurrit. Ibi vero Diocletianus primum vario euentu prœliis eum aliquot fatigauit, ad extremū collatis ad Murgum ſignis inter Viminacium, & Aureum montem in Mœſia ſuperauit, ipſo nō ſolum ab exercitu ſuo deſerto, ſed etiam à tribuno, cuius vxori ſtuprum intulerat, interempto. Ita cum Occidētales quoq; prouinciæ in poteſtatem Diocletiani veniſſent, ipſe rebus Orientis ſatis pro præſenti neceſſitate compoſitis, iter in Italiam, ac Romam, quo ab omnibus magna alacritate animorum expectabatur, intendit. Ibi vero remp. conſtituere de more ingreſſus primum ſemetipſum vnà cum Ariſtobulo homine priuato conſulem in proximas Kalendas Ianuarias deſignauit. Quod factum, vt noui in Auguſto exempli, ſic inſignis etiam moderationis animi fuit. deinde præfecturam vrbis Ceionio Varo continuauit, prætorianas vero aliis commiſit, quorum virtutem præcipue cōmendauit. Inde omnibus gentibus aduocatis ludos circenſes, ac ſcenicos, ſed magna cum parſimonia edidit; quòd diceret, caſtiores eſſe oportere ludos, quos cenſor ſpectaret. Cum autem quidam largitionalis eius ludos à Caro proxime editos commendaret, atq; eum principem valde populo placuiſſe illa ludorum editione aſſereret, Ergo, inquit, bene riſus eſt in Imperio ſuo Carus. fuit enim princeps tā ſeueritatis eximiæ, quàm ſolertiæ ſingularis. Nuncio inde ex Gallia accepto, Amandum, & Ælianum ruſticos intolerandis Carini Cæſaris iniuriis exacerbatos ad arma ſolicitaſſe, ac Bacaudarum nomine eis impoſito effuſe prouinciam populari, collegam ſibi adiungere Imperij, tanquam publici laboris participem, ſtatuit, qui rem in Occidente adminiſtraret. Aſciuit autē Aurelium Maximianum, virum ſtrenuum, ac veterem ſibi militiæ ſocium, eoq; nomine præ ceteris ſibi probatum, apud Sirmium in Pannonia ortum. eumq; Cæſarem primum, deinde Auguſtum appellauit. Quo facto rem in primis memorabilem edidit. quippe Imperium cum eo, ſiue tanquam cum alieno communicauit, ſiue tanquam cum fratre conſorte diuiſit, ac Maximiano prouincias ad occidentem vergentes Italiam, Africam, Galliam, Hiſpaniam, & Britanniam tradidit, reliquis ad orientem pertinentibus ſibi retentis. ac Roma communi ſede relicta ipſe ſibi Nicomediam in Bithynia depopoſcit. Quibus rebus abſolutis ipſe Iouij, Maximianus Herculij cognomen aſſumpſit, ſiue à maiorib. traditum, ſiue pro arbitratu aſcitum ad officium vtriuſq; in Imperio gerendo ſignificandum. Extant orationes aliquot pòſt à Mamertino rhetore ad Maximianū in Gallia dictæ, quib. vtrumq; ſignificatur. Nam & Iouem & Herculem generis eorū auctores appellat, & Maximianum Herculium Herculis officiū Ioui Diocletiano præſtitiſſe, id eſt, in bello agreſtium, quaſi quorundā terrigenarum, auxilio fuiſſe contendit.

Verissimum est, inquit, *te, cum ad restituendam rempub. à cognato tibi Diocletiani numine fueris inuocatus, plus tribuisse beneficij, quàm acceperis. Neq; enim cum reip. nauim secundus à puppi vetus impelleret, salutarem manum gubernaculis admouisti, sed cum ad restituendam eam post priorum temporum labem diuinum modo, ac ne id quidem vnicum sufficeret auxilium, præcipitanti Romano nomini iuxta principem subiisti, ea scilicet auxilij opportunitate, qua tuus Hercules Iouem vestrum terrigenarum bello laborantem magnæ victoriæ pace iuuit, probauitq;, non magis accepisse cœlum, quàm ei reddidisse.* Ab his igitur Augustis maxima, memorabiliq; concordia, tanquam à duobus coniunctissimis fratribus respublica domi, forisq; administrata. & Imperium cum multis præclaris institutis, ac legibus temperatum, tum ab sæuis ingruentium vndique bellorum, ac seditionum tempestatibus industrie, fortiterq; defensum est. Itaque viginti anni, quibus ipsi summæ rerum pręfuerunt, ex omni parte non tam belli, quàm pacis artibus floruerunt. quorum auspicatum initium, quod insigne ad memoriam est visum, mira frugum vbertas, & alma cœli salubritas ex insigni, quæ præcesserat, inopia, ac pestilentia fecit, ex quo Mamertinus ad Maximianum pòst dixit: *Scimus omnes, antequam vos salutem reip. redderetis, quanta frugum inopia fuit, fame passim, morbisq; grassantibus. vt vero lucem gentibus extulistis, exinde salutares spiritus iugiter manant. nullus ager fallit agricolam.* Vnum vero illud clarissimis eorum laudibus aliquas quasi maculas nefariæ libidinis, & impiæ crudelitatis inussit, quòd iidem Christianos, homines innocentissimos, ac nullius flagitij, scelerisq; compertos cum semper, tum maxime in extremo Imperij, omnibus ad perpetuam gloriam iam honoribus aucti, infesta persequutione vexarunt. Erant autem iam inde à Tiberij principatu in Imperio Christiani. Hi, cum sanctissimam Christi filij Dei religionem, fidemq; ab eo Tiberio ipso Imperante traditam sequerentur, his præcipue moribus, auctore Tertulliano, probato in primis auctore, vitam, disciplinamq; suam astrinxerant. Coibant in cœtum, vt quasi manu facta ac Deum obsecrandum accederent, gratam eam vim esse Deo sibi persuadentes. orabant vero pro Imperatoribus etiam inimicis, vitam illis diuturnam precantes, Imperium incolume, domum sospitem, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum. quæ ferme ipsorum quoque vota assueuerant esse Imperatorum. quin etiam easdem preces pro ministris, & potestatibus eorum fundebant. conueniebant ad diuinarum litterarum commemorationem, si quid præsentium rerum ratio aut præmonere compelleret, aut recognoscere. fidem sanctis vocibus poscebant, spem excitabant. aderant etiam exhortationes, castigationes, & censura diuina. nam & iudicabatur magno cum pondere, vt apud certos, se à Deo animaduerti. summumq; futuri iudicij præiudicium erat, si quis ita deliquisset, vt à communicatione orationis, & conuentus, & omnis sancti commercij arceretur. præsidebant probati quiq; seniores, presbyteros appellabant, honorem istum non precio, sed testimonio consequuti. modicam vnusquisque stipem in singulos menses, si posset, sponte conferebat. quæ inde distribuebatur egenis alendis, humandisq;, & pueris, ac puellis re, ac parentibus destitutis, ætateq; confectis, item naufragis, &, si qui ad metalla, aut ad insulas ob Christi confessionem damnati fuissent. Omnia indiuisa inter se habebant, præter vxores. Non prius discumbebant, quàm ad Deum precationem effuderant. tantum cibi capiebant, quantum esurientibus satis esset, tantum potus, quantum pudicis expediret. ita saturabantur, vt memoria tenerent, etiam per noctem orandum sibi Deum esse. ita sermocinabantur, vt pro certo haberent, eundem audire. post aquam manibus datam vt quisque ex scripturis sanctis, vel ex proprio ingenio poterat, prouocabatur in medium Deo canere, atque inde probabatur, quo nam modo bibisset. æque precatio conuiuium dirimebat. Inde discedebatur ad eandem curam modestiæ, ac pudicitiæ, vt qui nõ tam cœnam cœnassent, quàm disciplinam. Ceterum foro, macello, balneis, tabernis, officinis, nundinis, ceterisq; commerciis vnà cum gentilibus vtebantur. militabant, nauigabant, rusticabantur, mercaturam, artesq; ceteras cum eis exercebant. Singulæ porro ciuitates singulis ferme obtemperabant episcopis. quorum Romanus auctoritatem in omnes supremam habebat. Huic enim ecclesiæ B. Petrus primum præfuit, quem

Christus

Christus in terris agens principem sibi apostolorum asciuerat, atq; in cœlum ascendens gregem suum pascere iterum, iterúmque præceperat. atque eam vnà cum B. Paulo item apostolo non præceptis solum salutiferis imbuit, sed etiam pòst Imperante Nerone sacrosancto suo sanguine consecrauit. Vnde scripsit Irenæus, qui fuit illorum memoriæ proximus: *Ecclesia Romana maxima, atq; antiquissima, & omnibus cognita, à gloriosissimis duobus apostolis Petro, & Paulo fundata, & constituta eam, quam habet ab apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem per successiones episcoporum traduxit vsq; ad nos. ad hanc ecclesiam propter potiorem principatum necesse est omnium conuenire ecclesiam, hoc est, omnes, qui sunt vbique, fideles. in qua semper ab iis, qui sunt vbique, conseruata est ea, quæ manauit ab apostolis, disciplina.* Romano vero pontifici proxime accessere Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus. Hi vero vnà cum ceteris summissioris fastigij episcopis cum eximio studio, ac singulari diligentia apostolicam, quæ & Catholica dicebatur, fidem propagare, & Christo templa collocare ad populum erudiendum, & sacra conficienda contenderent, in maximas sæpe calamitates vnà cum cleris suis, & populis inciderunt. Nam Imperatores veteri gentilium deorum superstitioni addicti, atque omnino à nouis Christi institutis auersi ipsos omnium ordinum, ætatum, & sexuum Christianos, vt qui mandata sua in cultu deis adhibendo negligerent, infestissime persequuti sunt. Ex horum autem numero præcipue fuit Caius, vrbis Romæ pontifex, post S. Petrum vigesimus nonus, biennio antè Eutychiano mortuo subrogatus. Is decessores suos viros sanctissimos imitatus omnia sua studia ad Ecclesiam præclaris virtutis, ac doctrinæ monumentis prouehendam conuersa habebat. Itaque, cum paucæ adhuc tantum in vrbe essent Ecclesiæ, eæq; exiguæ, quas illi parochias, ac Titulos appellabant, presbyteris ad diuinam rem faciendam à superioribus Pontificibus attributæ, ipse crescente Christianorum numero alias etiam diaconis assignauit, quæ Diaconiæ sunt nuncupatæ. In primis autem, ne Ecclesia Romana prauis inficeretur Orientis erroribus, laborauit. Nam proximis antè annis quattuor hæreses in Oriente emerserant, quibus fides de Deo patre, & filio Christo ab apostolis tradita tollebatur, vna Sabellij, altera Manetis, tertia Pauli, quarta Apollinaris. quarum suos quæque habuit sectatores. Ex quibus Sabellius vnam tantum patris, & filij vt essentiam, sic personam asseruit, Christum solum Deum esse constituens. Manes Christum non re vera fuisse, sed spectrum hominibus attulisse, nec vere perpessum esse contendit, atque eodem ferme, quo Sabellius, modo solam in eo diuinam naturam agnouit. Paulus autem Samosatenus Antiochiæ episcopus, & Apollinaris Laodiceæ, in contrariam prorsus sententiam inclinarunt: ille Christum purū fuisse hominem asserens, atq; in eo ita verbum Dei habitasse, vt in quouis alio prophetarum, duasq; in eo naturas ita hæsisse, vt aliud Christus, aliud verbum Dei existeret; hic vero Christum hominem fuisse ratione carentem, sed Verbum in eo rationis, ac mentis officium expleuisse. cum veritatis Catholicæ ratio doceat, patris, & filij vnam in duabus personis naturam, essentiamq; consistere, ac Christum vere Deum simul, atque hominem extitisse. Quam doctrinam ab apostolis acceptam Ecclesia Romana vsque ad hoc temporis sanctissime conseruauit. Verum eò redeamus, vnde digressi sumus. Imperio eo modo, quo dictum est, ordinato, Augusti ambo expeditionem in suas, quæ bello premebatur, prouincias adornarunt. Præcipue Maximianus sequenti anno, Diocletiano Augusto iterum, & Aristobulo consulibus, 285.
cum exercitu à se conscripto in Galliam cōtra Bacaudas decessit, ac Thebæa legione se subsequi iussa Pœnino saltu superato in campos ad oppidum Octodurum descendit. Ibi, vt erat veteri deorum cultui deditus, atq; in primis Herculi, auctori, vt præ se ferebat, generis sui, addictus, exercitū omnem lustrare ex gētilibus, Christianisq; constantem cupiens, singulos milites adesse ad dicendum sibi sacramentum præcepit, daturos se operam, vt iisdē animis Christianos deorum suorum inimicos, atq; Bacaudas Imperij hostes vlciscerentur. cuius mandatum cum reliqui exhausissent, sola Thebæa legio detrectauit. Hi erāt orientales milites Christiana disciplina ab episcopo Hierosolymitano, imbuti, &, postquam Romam venerant, à pontifice Romano in fide vsq; adeo cōfirmati, vt religionem bellicæ fortitudini, fidem armis

omnibus anteponerent. Itaque, ne tam impio ſe iureiurando aſtringerent, Octodurum prætergreſſi Agaunum prodierunt, inſignem ei loco Chriſtiani martyrij famam in omnem ſeculorum memoriam relicturi. Erant in ea legione Mauricius primicerius, & Exuperius ſignifer, viri bellicis laudib. nobiles, ſed eximia in Chriſtum fide nobiliores. Hi cum Octodurum ad iuſiurandum concipiendum repetere eſſent iuſſi, reſpondere pro vniuerſa legione non dubitarunt, ſe Chriſtianos eſſe, atque vt militiæ munera pro Imperatore non recuſare, ſic religionis eius ſacrilegia deteſtari. Quo reſponſo Maximianus exacerbatus, quòd vnà & diſciplinam militarem ſolui, & ſacra ſua contemni eiuſmodi Imperij detrectatione videret, ac ceteros ſupplicij exemplo terrendos cenſeret, decimum quenque iugulari militari more præcepit, ac reliquos ſe referre Octodurum mandauit. quos Mauricius primicerius alloquutus primum gratulatus eſt, quòd, cum ſocios ſuos indigna ſterni cæde conſpicerent, manus ab eis vindicandis abſtinuiſſent, deinde eos ad conſtantiam fidei retinendam præclaro illorum exemplo accendit. atque omnium nomine ſe prius mortem millies oppetituros, quàm vt ei mandato parerent, reſpondit. Itaque nouo Maximiani edicto XI Kal. Octobris cum ceterorum decimo quoque peremptus eſt. Reliquorum inde, cum item Octodurum repetere iuberentur, cauſſam ſuſcepit ſignifer Exuperius. qui correptis ſignis, & Mauricio verbis plurimis egregie collaudato ſubiecit, ſe Imperatori quidem militiam, at vero Deo integritatem debere, neque Chriſtianos vt perſequantur in animum inducere poſſe. Quibus rebus Maximianus eo vehementius efferatus iter exercitui indixit, atque occulte legionem circumfuſo exercitu ſepſit. eamq́;, vt erat ingenio aſper, ac prope immanis, militibus trucidandam, ac pro arbitrio ſpoliandam obiecit. Vnde Agaunenſium martyrum immortalis in Eccleſia gloria dimanauit. Sub eos dies Carauſius per Belgicam. & Aremoricam pacando mari præpoſitus, quod Franci, & Saxones accolentes infeſtum habebant, cum multis barbaris captis prædam neque prouincialibus redderet, neque Imperatoribus traderet, in ſuſpicionem Maximiano venit, conſulto dimittere barbaros, vt tranſeuntes cum præda exciperet, atque ingentes hoc modo diuitias cumularet. Itaque Maximianus, poſtquam in Galliam venit, ſubito partem exercitus, in quo multæ quoque è Thebæa legione erant centuriæ, ſecundo Rheno ad eum opprimendum immiſit. Pòſt autem, ſumpto ad Agaunum de maiore legionis eius parte ſupplicio, reliquos etiam, qui ad oppugnandũ Carauſium contendebant, vbicunq; terrarum eſſent, interimi iuſſit. Qui vero huic negocio præfecti fuerunt, Caſſium, & Florentium apud Veronam, ciuitatem tum in ripa Rheni fluminis ſitam, cum ſeptem aliis aſſequuti iugularunt. Gereonem vero, ac trecentos octodecim ſocios ad Coloniam, Victorémque demum cum trecentis triginta ad oppidum Francorum, nomine Xanthum, VI Idus Octob. fœdiſſime trucidarunt. Quos omnes ſatis conſtat mortem, ac cruciatus omnes conſtantiſſime ſubiiſſe. Militarem in ſe impetum poſtquam Carauſius audiit, timore percitus propere cum claſſe, quę Gallias tuebatur, in Britanniam tranſiit, ac prouincia illa in poteſtatem adducta, ſemet Auguſtum regiis aſſumptis inſignibus appellauit. Milites autem, qui ad eum delendum mittebantur, eo nuncio accepto ad Maximianum eadem, qua venerant, via ſe receperunt. His rebus geſtis Maximianus caſtra aduerſus ruſticos temere ſæuientes mouit. ac breui, quàm parum arma, vireſq; ſine ſcientia rei militaris prodeſſent, edocuit. nam ad eos progreſſus Amandum, & Ælianum duces ruſticorum robore, ac ferocia magis, quàm vſu belli, atque armorum peritia confidentes leuibus aliquot prœliis vſque adeo afflixit, vt, poſitis armis deditionem continuo fecerint. Quos ille benigne in fidem accepit, atque agreſtibus exarmatis, ac priſtino agrorum cultui redditis, ocium turbatæ Galliæ magna clementiæ laude reſtituit, eamq; nouis formare inſtitutis ad pacem, dignitatemq; perrexit. Itaque Mamertinus, cum Maximianum Diocletiano tanquam alterum Ioui Herculem affuiſſe, dicere inſtituiſſet, deinceps continenter ita ſubiecit: *An non illud malum ſimile monſtrorum biformium Galliæ fuit, quòd tua Cæſar neſcio vtrum magis fortitudine repreſſum ſit, an clementia mitigatum, cum militares habitus ignari agricolæ appetiuerunt, cum arator equitem, paſtor peditem, cum ho-*

ſtem

stem barbarum suorum cultorum rusticus vastator imitatus est? Ex altera parte Diocle-
tianus Roma in Pannoniam profectus strenuum aduersus Sarmatarum impressio-
nes ducem Maximianum, vt opinor, Galerium collocauit, atque ipse Nicome-
diam in Bithyniam sese contulit. Ibi certior factus, Narsem Persarum regem ite-
rum post Cari Imperatoris excessum, Sarracenis, & Parthis solicitatis, Mesopo-
tamiæ, atque Armeniæ finitimis Romanorum prouinciis imminere, nullam sibi
moram attulit, quin eis obuiam iret. Itaque rebus omnibus necessariis compara-
tis, progressus in Syriam exercitum aduersus hostes adduxit, ac Sarracenis acie
victis, Parthisque vltra Tigrim propulsis, Narsæ regi tantum pauoris, ac trepida-
tionis iniecit, vt amicitiæ habendæ caussa nobiles feras, atque alia dona exquisi-
tissima miserit. Quibus victoriis cognitis populi in Italia, atque adeo in prouin-
ciis festos dies præ ingenti lætitia celebrarunt. Maximo inde iterum, & Aquili- 286
no consulibus, & Iunio Maximo præfecto vrbis; maioribus in vtroque Imperio,
quàm adhuc, bellorum tumultibus laboratum est. In primis pleræque Germa-
niæ nationes, quod sæpe antea fecerant, inter se coniurationem fecerunt, atque
vltimum prope excidium Galliæ, præsentia Maximiani posthabita, intentarunt.
Hi fuere non solum Burgundiones, & Alemani, sed etiam Chaibones, & Heruli,
viribus primi, locis vltimi. qui, cum traiecto repente Rheno in prouincias pro-
ximas irrupissent, omnia cæde, vastatione, atque incendio miscuerunt. Qui tu-
multus postquam ad aures Maximiani accidit, extemplo castra aduersus eos mo-
uit. Iam Burgundiones, & Alemanos incondita multitudine abundantes pri-
mum sæua fames, deinde sæuior pestilentia adorta erat. Quod vbi Maximianus
animaduertit, arma ab illis abstinuit; ac sua sponte duobus malorum generibus i-
psis mortalibus infestissimis; conflictari, consumique permisit. Chaibonas vero,
Herulósque aperto Marte aggressus primo certamine profligauit. Nam exercitus
parte in hostes inducta ita conflixit, vt ipse omnibus locis, totáque acie, & resi-
stentibus, & cedentibus, & fugientibus se obiecerit. quo pacto tanta eos interne-
cione deleuit, vt cladem relictis domi coniugibus non profugus aliquis è prœlio;
sed ipsamet victoria nunciarit. Quæ dum ille gessit, Carausius in Britannia na-
ues Romanum in modum constrúxit, legionem Romanam, quæ ibi in præsidio
erat, abduxit, aliquot militum peregrinorum cohortes interclusit, mercatores
Gallicanos ad delectum contraxit, barbarorum, & maxime Francorum innume-
rabiles copias spoliis prouinciarum diuisis illexit, atque inde prædonum more o-
mnia Galliæ, Italiæ, Hispaniæque littora latrociniis infesta habere instituit: vnde
illud piratici belli nomen inuenit. Diocletianus autem rebus Syriæ compositis
iampridem Nicomediam reuersus sese in Mœsiam rettulit. Nam Sarmatæ trans-
misso Istro Daciam populabundi inierant, eámque Alemanorum more omni ge-
nere maleficij diuexabant. Hæc autem erat Dacia; quæ fuerat inter superiorem;
inferiorémque Mœsiam ab Aureliano Augusto reposita, eáque Ripensis, & Me-
diterraneæ nomine insignita; cum ille Daciam Transistrianam à Traiano quon-
dam Augusto, victo rege Decebalo, partam dimisisset, quia inter infesta barbaro-
rum circumsistentium arma retinere non posset. Diocletianus autem Sarmatas ex
hac Dacia prædantes trans Istrum ita compulit, vt eam ab omni incommodo non
obscura victoria vindicarit. Proximo anno Diocletianus tertium, & Maximianus 287
secundum consulatum gesserunt. Ne tum quidem ab hostilibus vtrobiq; impres-
sionibus est cessatum. Præcipue Alemani receptis ex pestilentia viribus Rhenum
summa, vt assueuerant, hieme; quippe gelu duratum, traiecerunt, ac proximos
Galliarum agros hostiliter inierunt. Hanc rem cum Maximianus eodem die Tre-
uiris accepisset, quo ineundi magistratus caussa solemnia vota concipiebat, vsque
adeo irã non tenuit, vt votis perfectis raptim sumptis armis exierit. Quæ illi audacia
felicissime cessit. nam hostes palatos adeptus, atq; ex improuiso aggressus præcipiti
agmine se trans fluuium referre coegit. Vnde breui reuersus, ciuitatem vehemen-
ter de sua incolumitate solicitam incredibili lætitia cumulauit. Sacrificiis ei factis,
odoribusq; passim accẽsis ea gratulatio declarata est. Quod factum, vt singulari feli-
citate commemorandũ Mamertinus deinceps sic Gallica dicẽdi copia celebrauit;

Illum tuum primum conſulatus tui auſpicalem diem tacitus præterire non poſſum, quo tu ſolus omnium conſequutus es, vt quod tempus antea incipiendis tantummodo rebus aptum videbatur, tunc primum potuerit ſufficere peragendis, vnoq́ ſol curriculo, & officia te conſulis inchoantem videret, & Imperatoris implentem. Vidimus enim te Cæſar, eodem die pro repub. & vota ſuſcipere, & conuicta delere. vidimus, te eodem die in clariſſimo pacis habitu, & in pulcherrimo virtutis ornatu. Bona venia Deûm dixerim, ne Iuppiter quidem ipſe tanta celeritate faciem cœli ſui variat, quàm facile tu togam prætextam ſumpto thorace mutaſti, haſtam poſito ſcipione rapuiſti, à tribunali temet in campum, à curuli in equum tranſtuliſti, & rurſus ex acie cum triumpho rediſti, totamq́ hanc vrbem repentina tua in hoſtes eruptione ſolicitam lætitia, & exultatione, & aris flagrantibus, & ſacrificiis, & odoribus accenſis numini tuo impleſti. Ita vtroq́ die ſupremo tempore bis diuina res pari religione celebrata eſt, Ioui, dum pro futuris vouetur, tibi, dum pro victoria ſoluitur. His rebus geſtis Maximianum inde Germanicis incurſionibus irritatum ſalutaris illa cogitatio ſubiit, haud incommode ſe facturum, ſi, quod nemo adhuc tentauerat, vltra Rhenum tranſmitteret, atq; hoſtes, in ſuis quenq; agris, opprimeret. ſic enim demum deleri Germanos poſſe, ſi in propriis ſedibus peterentur, vt non prædam modo, quam cepiſſent, amitterent, ſed de ipſis etiam liberis, coniugibus, parentibus, & rebus ſuis cariſſimis dimicarēt. ſatis ſe hoſtilium incurſionum hactenus pertuliſſe, nunc reddere eas barbaris magnis cumulatas incommodis oportere. Hoc igitur conſilio explicato, pontem in Rhenum confecit; exercituque tranſmiſſo Alemaniam iniit. ac rege eorum inter ipſas, quas moliebatur, inſidias capto, ab ipſo ponte vſque ad Danubij caput continenter Alemanos prœliis proſpere factis edomuit, ac totam regionem ferro, atque igne vaſtatam opibus prorſus exhauſit. vſque adeo vt Mamertinus non minus ad fidem, quàm ad laudē dixerit, Maximianum primum omnium Imperatorum probaſſe, Romani Imperij nullum eſſe terminum, niſi qui ſuorum eſſet armorum. Hęc victoria ingentem Maximiano gloriam vel conſilij nouitate, vel cladis magnitudine attulit. nam trophæis in media Alemania conſtitutis gentem illam ita debilitauit, vt poſt per multos annos à Romanorū bello vacauerit. Ex altera parte in Scythia erant Vittungi, & Carpi. Vittungi Gothicum genus, Viſgotthi alio poſt nomine appellati, in Grutungos, & Teruingos erant diſtributi. Vtramque eorum gentem creberrimis à ſuperioribus Imperatoribus bellis repulſam, neque ſatis adhuc ab inferendis Mœſiæ, Thraciæque detrimentis coercitam Diocletianus item in propriis aggredi finibus ſtatuit. atque trans Iſtrum compulſam ita eſt perſequutus, vt Gotthos multis prœliis victos ad pacem petendam adegerit. Tum vero ne liberum poſthac barbari aditum ad flumen tranſeundum haberent, limitem Iſtri neglectum veteribus repoſitis caſtellis, ac præſidiis reparauit, atque in exitu anni ſeſe Nicomediam rettulit. Interim Batauia Galliæ regio per Francos reges aliquot occupata ad Carauſium tyrannum defecit. Quæ cauſſa Maximianum impulit, vt o-
288 mnes eò belli curas, apparatusq; conuerterit. Itaque ſequenti anno Maximo iterum, & Ianuario conſulibus, Germanico bello, quo aſſidue premebatur, ſolutus arma aduerſus eum intulit. Accidit autem illud incommodi, vt ad Britannici maris inclementiam ſumma quoque rei nauticæ imperitia ſe adiunxerit. Quibus impedimentis intercedentibus bellum illud in præſens intermittere, ac piratæ vindictam in aliud tempus reiicere eſt coactus. Itaque pace cum eo ſimulate compoſita in Francos, qui Carauſio ſe adiunxerant, atque auxilia miniſtrabant, inuaſit. cuius impetum cum rex eorum Gennobon ſuſtinere non poſſet, legatos, qui pacem peterent, miſit, neque eam impetrauit. Diocletianus autem ipſam quaſi domandarum gentium ſeriem perſequutus poſt Gotthos, Carpóſque ſubactos repente ſeſe in Quados, & Marcomannos, alióſque vicinos Germaniæ populos intulit, qui ſuperato Danubio ipſas, quæ obiectæ erant, Rhætias aſſiduis incurſionibus lacerabant. atque eas gentes prœliis, & expugnationibus ita fregit, vt pace petita dicto ſe audientes fore ſpoponderint. Ita quemadmodum Maximianus Alemanis vincendis Romanum limitem vltra Rhenum, ſic Diocletianus Quadis ſubigendis vltra Danubium protulit. Inde reliquum anni ab vtroque in Illyrico, Galliáque luſtranda eſt poſitum. Per eoſdem ferme dies noua duo, eáque periculoſa

culoſa bella coorta ſunt, vnum in Ægypto, in Africa alterum. Achilles quidam
non ignobilis dux militiæ Ægyptum ad defectionem ſolicitauit, ac contractis ad
ſe militaribus copiis ipſam ſibi prouinciam cum inſignibus Auguſtalibus vindica-
uit. Quinquegentiani vero Mauritaniæ populi ingenij ferocioris, ac prope indo-
miti, arreptis temere armis prouinciam hoſtiliter percurrere, eámque ſpretis Ma-
ximiani præfectis variis populationum incommodis afficere inſtitere. Cum autem
Diocletianus non tam veſanam populorum defectionem, quàm ſæuam tyranno-
rum in dies orientium libidinem ægre ferret, conſilia rerum agendarum coram ſi-
bi cum Maximiano communicanda putauit, ac propterea illum, Mediolanum in
Italiam vt adiret, admonuit. nam ſe eò quoq; colloquij gratia conuenturum. Ma-
ximianus autem, vt eius auctoritati diligenter obtemperabat, eiuſmodi nuncio
accepto ſtatim ſe obſequuturum oſtendit. Itaque poſtero ineunte anno, quo con- 289
ſulatum geſſerunt Baſſus, & Quintianus, & Ianuarius præfecturam vrbis, quàm
III Kal. Martias occeperat, continuauit, Diocletianus præmiſſis nunciis è Pan-
nonia ceſſit, ac ſumma celeritate Iuliis alpibus ſuperatis repente in Italiam nec o-
pinantibus omnibus adiit. Maximianus autem hieme ſæuiſſima, & in Gallia inuſi-
tata, cùm niue, ac glacie oppleta horrerent omnia, ex improuiſo per Cottias al-
pes acceſſit. Vterque, quacunque iter fecit, frequentiſſimo populorum longo eos
interuallo viſere geſtientium concurſu exceptus eſt. præcipue agricolæ concurſa-
re, inter ſe nunciare, aras ponere, thura adolere, hoſtias immolare, vina libare,
deos laudibus, gratiiſque concelebrare; vſque adeo vt paſſim fructus percipi ex-
pectatiſſimi triumphi potuerit. Erat iam tum Mediolanum ea nobilitate, opulen-
tia, publicorum operum magnificentia, & ciuium, inquilinorumque frequentia
præditum, vt facile ſecundum à Roma dignitatis teneret, atq; amplitudinis gra-
dum. Itaque vrbem ingreſſi ambo ea pompæ magnificentia, atque occurrentis ci-
uitatis honore excepti ſunt, qui maximus, ac ſplendidiſſimus adhiberi per ea feli-
ciſſima Italiæ tempora potuit. Geminata inde maieſtatis Auguſtalis præſentia om-
nium animos inuſitata admiratione defixit. Ambo in eodem Palatio hoſpitati co-
miter eos, quibus Auguſtos ſalutare per dignitatum gradus licebat, duplicato ma-
ieſtatis numine admiſerunt. Vt vero limine egreſſi per mediam vrbem equis ſimul
inuecti ſunt, certatim viri, fœminæ, pueri, & ætate maturi aut per fores in publicum
prodierunt, aut per ſuperiores ædium partes ſe proiecerunt, clara, ac libera inter
ſe voce rogantes, vides Diocletianum, Maximianumque? vides? ambo ſunt, vnà
ſunt, quàm inuicti ſedent, quàm concorditer eloquuntur, quàm cito tranſeunt?
Affuerunt ex omnibus vrbibus honeſtiſſimæ legationes, ſed in primis Roma lumi-
na ipſa ſenatus, ac ciuitatis principes miſit. nemóque omnium fuit, quin per eos
dies Mediolanenſium ciuitatem beatiſſimam duceret, quæ duos tantos, ac tam
concordes Imperatores gremio complexa teneret. Ceterum ipſi ſecreto inter ſe
colloquuti fraterna inuicem officia præſtiterunt, ille dona Perſica, hic ſpolia Ger-
manica oſtendendo, ac ſumme in omni conſiliorum ratione concordes præcipue
de Cæſaribus adiungendis inter ſe conſenſerunt, vt partem inſtantium bellorum
in eorum curam, ſedulitatémque transferrent. Vbi vero per aliquot dies vnà fue-
re, tum eadem, qua venerant, celeritate ſeſe ad exercitus recepere. Poſt aliquot
inde dies Narſes rex Perſarum ab Ormie fratre bello petitus legatos ad Diocletia-
num in Syriam de confirmanda pace miſit, atque ei donis regiæ munificentiæ cul-
to ſe ipſum, totúmque regnum, vt ingredi dignaretur, explicuit. Gennobon au-
tem rex Francorum pacem iterum à Maximiano popoſcit, tum demum integra ſe
auctoritate regnare exiſtimans, cum ipſo placato regnaret. Ille vero pacem Fran-
cis ita dedit, vt multas eorum familias in Galliæ fines traduxerit, atq; in agris Ner-
uiorum, ac Treuirorum locauerit. ſic enim & terram hoſtium incolis exhauriri,
& propriam, quæ deſerta erat, expleri poſſe, putauit. Moris erat, vt Imperato-
res quinto, ac decimo quoque Imperij ſui anno dies quoſdam feſtos peragerent,
in quibus ſacra, ludóſque omnis generis facerent, ac præterea diis votis ſe ſole-
mnibus obligarent, ſi ſe incolumes in proximum quinquennium, aut decennium
conſeruaſſent, aut vota ſuperiore quinquennio nuncupata pro retenta incolumi-

tate persoluerent. Cum ergo quintus hic Diocletiano, & Maximiano Imperij perficeretur annus, vterq; quinquennalia apparatu, vt assolebat, maximo edidit. Maximianus ea Treuiris celebrauit. quæ tum Gallici sedes habebatur Imperij. Mamertinus orator solemnem ad ea orationem composuit, sed iussu Maximiani ad decennia reseruauit. quoniam lustris omnibus prædicandis ea communis esset o-
290 ratio. Insequens annus, qui fuit à Christo nato ducentesimus nonagesimus, Diocletianum Augustum IIII, & Maximianum Augustum III consules, & Turrianum Gratianum præfectum vrbis, habuit. Eo anno Diocletianus lustrauit Illyricum. siquidem Hadrianopoli, Byzantiiq; subscripsit. Maximianus autem Treuiris Natalicia sua peregit. In ea pompa Mamertinus orator, de quo dixi, Belgicus, per ea tempora clarus orationem diei, ac celebritati, quæ agebatur, accommodatam habuit. in qua primum ipsas Imperatorum vel durissimis temporibus concursationes exposuit. deinde res ab eis gestas percucurrit. remp. virtute eorum Carini dominatu sæuissimo liberatam, exacerbatas seculi prioris iniuriis Gallias eorum clementia ad obsequium esse redactas, dies festos victoriis, ac triumphis celebratos, trophæa in media Germania constituta, limitem Rhætiæ repentina hostium clade promotum, Sarmatiam vastatam, oppressumque captiuitatis vinculis Sarracenum, Francos ad petendam pacem cum rege venientes, Parthumq; Diocletiano munerum miraculis blandientem. De pietate inde illorum disserens in primis admirabilem eorum concordiam extulit. *Quæ enim*, inquit, *vlla vnquam videre secula talem in summa potestate concordiam? qui germani, geminíue fratres indiuiso patrimonio tam æqualiter vtuntur, quàm vos orbe Romano? Laurea illa deuictis accolentibus Syriam nationibus, & illa Rhætica, & illa Sarmatica te Maximiane fecerunt pio gaudio triumphare. Itidem hic gens Chaibonum, Herulorumq; deleta, & Transrhenana victoria, & domitis oppressa Francis bella piratica Diocletianum compotem votorum fecerunt. obstupescerent omnes admiratione vestri, etiam si vos idem parens, eademq; mater ad istam concordiam naturæ legibus imbuissent. At enim quanto hoc est admirabilius, quòd vos castra, quòd prœlia, quòd pares victoriæ fecere fratres, dum virtutibus vestris fauetis, dum pulcherrima inuicem facta laudatis, dum ad summum fortunæ fastigium pari gradu tenditis, diuersum sanguinem affectibus miscuistis.* Inde quanto labore media hieme ex diuersis regionibus Mediolanum colloquij gratia conuenissent, quanto amore simul in eodem Palatio diuersati essent, atque inde discessissent, edocuit. postremo felicitatem eorum ostendit, quòd securo orbe suas vterque prouincias relinquere, atque in interiora Imperij secedere possent. quòd diram famem, ac sæuam pestilentiam ipsis ad Imperium euectis summa frugum copia, & optata corporum salubritas excepisset, & quòd Deus opportune ad tranquillandum Imperium bella ciuilia inter nationes barbaras accendisset. *Furit enim*, inquit, *in viscera sua gens effrena Maurorum. Gotthi Burgundios penitus excindunt. rursum pro victis armantur Alemani. itémque Teruingi pars alia Gotthorum adiuncta manu Taifalorum aduersum Vandalos, Gepidásque concurrunt. Ipsos Persas, ipsúmque regem ascitis Saccis, & Ruffis, & Gellis petit frater Ormies, nec respicit vel pro maiestate quasi regem, vel pro pietate quasi fratrem. Burgundiones Alemanorum agros occupauere, sed sua quoque clade quæsitas Alemani terras amisere, quas repetunt. Blemyi leuibus modo assueti sagittis aduersus AEthiopas quærunt, quæ non habent arma, & pene nudis odiis bella internecina committunt.* auguratur inde in extremo nauales etiam, maritimosq; triumphos, quos ex Carausio partum iri significat. Eo demum anno, cum Britannia, Ægyptus, & Mauritania amissæ animos Augustorum vrgerent, placuit ambobus ad confirmandas reipub. vires, & bella omnia complectenda sibi Cæsares adoptare. Hoc non solum apud Eutropium scriptum est, sed etiam in oratione, quam orator Æduus pòst ad Constantium Cæsarem dixit: *Toto terrarum orbe*, inquit, *non modo qua Romanus limes fuerat, virtute vestra recepto, sed etiam, qua hostilis, edomito, cum toties proculcata esset Alemania, toties obstricta Sarmatia, Vittungi, Quadi, Carpi toties profligati, submittente se Gottho pace petenda, supplicante per munera rege Persarum vrebat animum vna illa tanti Imperij contumelia, quòd Britannia adhuc in potestate Carausij esset.* Item: *Partho vltra Tigrim redacto, Dacia restituta, porrectis vsque Danubij caput Germaniæ, Rhætiaque limitibus, destinata Batauiæ, Britanniæque vindictæ*

vendicabant, ubi pernacula maiora quærebat aucta, atque augenda respublica. & qui Romanæ potentiæ terminos virtute protulerant, Imperium filio pietate debebant. Hoc igitur consilio constituto Augusti ambo filios sibi adoptarunt, Diocletianus quidem Galerium Maximianum, virum prope Serdicam vrbem Ripensis Daciæ natum; Maximianus vero Constantium Chlorum, in Dardania, ex filia Crispi fratris Claudij nuper Imperatoris progenitum. Etenim Maxentius Maximiano primum propter ætatem, deinde propter aliam offensionem parum fuit probatus. siquidem fama constans manauit, eum arte vxoris mariti animum virili prole edita retinere cupientis fuisse suppositum. Galerius autem, & Constantius Diocletiano, & Maximiano bellicis in studijs, atque laboribus ita se virtute, consilio, ac sedulitate probarant, vt idonei visi sint, qui adoptati in Imperij societatem acciperentur, ac Cæsares dicerentur. Quamobrem postero anno, Cassio, & Tiberiano consulibus, Kalendis 291 Martijs Diocletianus Galerium in Illyrico, & Maximianus Constantium in Italiam accitum pompa, quæ adhiberi in eiusmodi celebritate solebat, adhibita, Cæsarem declarauit. vnde Æduus idem dixit: *O Kalendæ Martiæ sicut olim annorum volnentium, ita nunc æternorum auspices Imperatorum.* Galerio etiam Diocletianus Valeriam filiam collocauit, à qua post quædam Pannoniæ nomen traxit; Maximianus vero Constantio Theodoram priuignam; atque earum ducendarum caussa vterque priores vxores dimisit. Constantius etiam, vt fraternæ fidei certum Galerio pignus daret, Constantinum filium, qui postea imperauit, ex Helena vxore, (sic enim plerique censent potius, quàm concubina,) susceptum obsidem dedit, eo nomine, vt prima illo duce rudimenta militiæ poneret. nam xv tum annos agebat. Ceterum, vt inquit Ammianus, hi Cæsares ipsis Augustis tanquam apparitores obtemperarunt, vltro citroque pro eorum arbitrio commeantes. His actis Diocletianus Galerium limiti Istri defendendo præposuit, ipse vero Ægyptum sibi recuperandam assumpsit. Maximianus autem Mauritania sibi destinata Constantio Britanniam recipiendam commisit. Itaque hoc anno tribus in locis aduersus hostes res egregie gesta est. Nam Diocletianus in Ægypto cum multa alia prospere administrauit, tum in primis vrbes Thebaidis duas Busirim, & Copton, quæ defecerant ad Achillem, deuictas, ad prodendum aduersus fidei desertores exemplum solo æquauit. Galerius autem transmisso Istro Sarmatas, & Carpos, qui limitem violauerant, tanta mole inuasit, vt victoriam clarissimam reportarit. Constantius vero maxima celeritate ex Italia in Galliam transmeauit. inde nec opinantibus omnibus ad Oceanum progressus Gessoriagiam, quod oppidum in littore aduersus Britanniam situm à Carausio tenebatur, primo aduentu in potestatem redegit. Quo facto subito portum vrbis molibus saxorum, lignorumque iniectis ita obsepsit, vt eius vsum Carausio prorsus ademerit. tum exercitum eius adortus, qui Bononiense littus insederat, prœlio prospere facto deuicit, ac victum summa clementia conseruauit. Inde, nauibus ad traiciendum ædificari iussis, Batauos sibi adoriendos suscepit, qui, Britannico tumultu solicitantibus Francis cum defecissent, Cliuiam oppidum Romanorum arctissime obsidebant. ac neque locorum stagnantium difficultate permotus, (nam Batauiam à Scalde interfluitam diuortio suo Rhenus amplectebatur) neque syluarum barbaros occultantium densitate deterritus hostes longissime, ac constantissime persequutus, demum cum coniugibus, & liberis ad deditionem adduxit, atque obsidione Cliuiam liberauit. multi barbari, in primisque Franci captiui facti. quos ad agros Lingonum, Rhemorum, Tricassinorum, & Ambianorum à solitudine vindicandos destinauit. Vnde vetus dixit orator ad Constantinum, Constantium patrem eius terram Batauiam à diuersis Francorum regibus occupatam omni hoste purgasse, ac gentes ipsas in Romanas nationes transtulisse, vt non solum arma, sed etiam feritatem ipsam ponere cogerentur, & pacem Romani Imperij cultu iuuarent, arma delectu. Ex his multi prouincialibus distributi aliquandiu in porticibus ciuitatum blandientes manserunt, donec ad destinatos sibi solitudinum cultus contenderent. regibus eorum Atrico, & Gaisoni pax, cum eam peterent, est concessa. Iisdem consulibus Iunius Tiberianus præfecturam vrbis x I I Kal. Martias cepit. de quo Vopiscus:

Hilaribus, quibus omnia festa fieri debere scimus, & dici, impletis solemnibus vehiculo suo me, & iudiciali carpento præfectus vrbis vir illustris Iunius Tiberianus accepit. Hannibaliano
292 inde, & Asclepiodoro consulibus, Galerius Bastarnas, Carpos, & Sarmatas in finibus suis trans Istrum adortus, insigni victoria superauit. eo in bello Constantinum Constantij Cæsaris filium egregiæ virtutis adolescentem, cum eius laudi inuideret, consulto sub specie honoris variis periculis obiectauit. quæ ille semper insigni animi fortitudine depulit. præcipue autem duci Sarmatarum in campum prodeunti oppositus ipsum viuum corripuit. idque primum specimen futuræ magnitudinis edidit. Hi populi, ne quando bellum redintegrare possent, citra Istrum Diocletiani iussu traducti, atque in Romanis prouinciis collocati. In Gallia cum summa per æstatem, hiemémque siccitas extitisset, qua classis ad bellum Britannicum est constructa, repente ineunte vere assiduis imbribus amnes ita exundarunt, vt paratis nauigiis facilem deductionem præbuerint. Ceterum, dum instructa classe Constantius tempus nauigationis opportunum expectat, dies XI Kal. Maij aduenit. quem Maximianus, quia idem erat Romæ natalis, magna populi lætitia Treuiris celebrauit. In ea solemnitate Mamertinus idem, vt existimatur, orationem habuit, in qua expositis Maximiani reb. omnibus, quas commemorauimus, demum de Constantio, & apparatu instantis belli Britannici ita disseruit: *Vestræ felicitatis est, quòd iam milites ad Oceanum peruenere victoria. iam cæsorum in illo littore hostium sanguinem reciproci fluctus sorbuerunt. Quid nunc animi habet ille pirata, cum fretum illud, quo solo mortem suam hucusque remoratus est, pene vestros exercitus videat ingressos, oblitósque nauium mare refugum sequutos esse, qua cederet? quam nunc insulam remotiorem, quem alium sibi optet Oceanum? quo denique pacto effugere pœnas reipub. potest, nisi si haustu terræ deuoretur, aut turbine aliquo in deuia saxa rapiatur. ædificatæ sunt, ornatæque pulcherrimæ classes cunctis simul amnibus Oceanum petituræ. neque solùm ad perficiendas eas certatim homines laborarunt, sed etiam ad excipiendas flumina repente creuerunt. Toto ferme anno Imperator, quo tibi opus erat serenitate, vt naualia texerentur, vt trabes cæderentur, vt artificum animi vigerent, vt manus ne torpescerent, nullus fere dies imbre fœdatus est, hiems ipsa veris temperiem imitata est. fluuius hic noster diu pluuiarum pabulo carens impatiens erat nauium, solam naualibus tuis materiam deuehebat. Ecce autem subito, cum deduci liburnas oporteret, tibi vberes fontes terra submisit, tibi largos imbres Iuppiter fudit, tibi totis fluminum alueis Oceanus redundauit. ita in aquas sponte subeuntes impetum nauigia fecerunt, leni modo commota nixu ducentium. Facile itaque quiuis intelligit Imperator, quàm prosperi te successus in re maritima sequuturi sint, cum iam sic tempestatum opportunitas obsequatur. Felix igitur talibus Roma principibus. Hi cum primum redeant ad te, triumphantes vno cupiunt inuehi curru, simul adire Capitolium, simul habitare Palatium. Profecto mature illucescet dies, cum vos videat Roma victores, & alacrem sub dextra filium. quem ad honestissimas artes omnibus ingenij bonis natum felix aliquis præceptor expectat. Interim tamen te gentium domina, quoniam hunc optimum principem in Galliis tuis retinet ratio reip. quæsumus, si fieri potest, ne huic inuideas ciuitati. cui nunc ille similitudinem maiestatis tuæ confert, natalem tuum celebrando in ea consuetudine magnificentiæ tibi debitæ. téque ipsum Imperator oramus, vt etiam, cum vos totius orbis securitate composita illa Imperij vestri mater acceperit, amplexus eius arctissimos interdum piis manibus resoluatis. túque Maximiane potissimum, (credo enim hoc idem etiam Diocletianum Oriens rogat.) has prouincias frequenter illustres, & profundissima licet pace florentes aduentu numinis tui reddas feliciores. Vide Imperator, quanta sit vis tuorum in nos beneficiorum. adhuc præsentia tua fruimur, & reditum desideramus.* Hæc, vt dixi, Mamertinus XI Kal. Maij loquutus est, cum apparatus Britannici belli ferueret. Interim dum hæc geruntur, Carausium familiaris eius Allectus dolo peremit, atque Imperij sibi insignia vindicauit. Itaque bellum, quod Carausius erat passurus, ipse sustinuit. Vnde quidam Æduorum legatus post bellum cõfectum sic dixit: *Accesserat diuturna sceleris impunitas, quæ desperatorum hominum inflarat audaciam, vt illam inclemẽtiam maris, quæ victoriam principum fatali quadam necessitate distulerat, pro sui terrore iactaret, nec consilio intermissum bellum esse, sed desperatione omissum crederet. adeo vt iam cõmunis pœnæ timore deposito archipiratã satelles occideret, & illud auctoramẽtum tanti discriminis putaret Imperium.*

Alle-

Allectum vero vt inſignia ſibi aſciuiſſe principes cognouerunt, eò ardentius bellum iam comparatum intulerunt. Ac primum quidem, ne Conſtantio in Britanniam tranſgreſſo barbaræ nationes nouas res aliquas molirentur, Maximianus noto itineris compendio ad Rhenum acceſſit, omnemq; illum limitem non equeſtribus, neque pedeſtribus copiis, ſed præſentiæ ſuæ terrore tutatus eſt. Conſtantius vero cum inſtructis diuerſis claſſibus tempus ſoluendi idoneum expectaret, demum vel aduerſo reflante vento littore ſoluit. Quod vbi ſenſere milites, qui à fluctu in amnem Sequanam fuerant repulſi, cunctantibus ducibus, cœlo, ac mari turbidis, vltro ſignum nauigationis popoſcerunt, ac minacibus ſignis contemptis, die pluuio vela fecerunt, & ventum, quia directus non erat, obliquum captarunt, mutuis his ſe vocibus excitantes: Quid dubitamus? quid moramur? Cæſar ipſe iam ſoluit, iam prouehitur, iam fortaſſe peruenit. Inde cœlum obſcuris adeo tenebris eſt offuſum, vt inimica claſſis apud Vectam inſulam in ſpeculis, & inſidiis collocata imprudentibus hoſtibus ſit prætereita. Exercitus autem vt primum Britanniæ littus obtinuit, vniuerſis nauibus ſuis ignes iniecit, ne ſibi vllum fugæ præſidium reſeruaret. Quo cognito Allectus ab eo littore, quod tenebat, abſceſſit, ac claſſem, portúmque deſeruit, Conſtantium, cuius imminentia vela proſpexerat, iam, iámque affuturum formidans, ſeſéque ad prœlium conſerendum accinxit. ceterum neque aciem explicuit, neque omnes copias, quas trahebat, inſtruxit, ſed cum veteribus coniurationis auctoribus, & barbaris mercede conductis reliqui apparatus oblitus proceſſit. Prœlio Aſclepiodoro prætorij præfecto duce commiſſo nemo Romanorum occubuit. omnes illos campos, atque colles non niſi hoſtium corpora fuſa texerunt. inter quos Allectus ipſe iacuit, cultu illo, quem aſſumpſerat, vltro depoſito, & vix vnius velaminis repertus indicio. Franci ad internecionem cæſi. Milites autem, qui per errorem nebuloſi maris auulſi ad oppidum Londinienſe peruenerant, quidquid barbarorum prœlio ſuperfuit, cum direpta vrbe fugam capeſſere cogitarent, paſſim tota vrbe ſtrauerunt. Conſtantio inde in littus egredienti Britanni exultantes gaudio ſeſe cum coniugibus, ac liberis obtulerunt, non ipſum modo, vt cœlo delapſum intuentes, ſed etiam nauis illius, quæ ipſum aduexerat, vela, ac remigia venerantes; quippe poſt tot annorum miſerrimam ſeruitutem, poſt violatas coniuges, poſt filiorum turpe obſequium liberi, & vera Imperij luce recreati. Hac victoria non ſolum ipſa eſt recuperata Britannia, ſed Galliæ quoque, Hiſpaniæ, Italiæ, atque Africæ oræ perpetuis piratarum incurſionibus liberatæ. nec ſolum Franci, ſed multæ etiam aliæ gentes in coniuratione Carauſij deprehenſæ ad imperium accipiendum adactæ. Hæc hoc modo, atque hoc tempore geſta in oratione legati Æduorum inuenio. vt mirabile illud eſſe videatur, quod ceteri prodidere, Allectum triennio poſt Carauſium ab Aſclepiodoro eſſe deletum, tumque demum Britanniam eſſe receptam. Hoc bello confecto Maximianus exercitum aduerſus Quinquegentianos Mauritaniam peruaſtantes immiſit. Romæ IIII Nonas Auguſti Claudius Marcellus præfecturam vrbis iniuit. Poſtero anno, Diocletiano V, & Maximiano IIII conſulibus, Diocletianus Ægyptij belli longitudinem indignatus Galerium Cæſarem ad ſe ex 293 Mœſia reuocauit, vt Iornandes ſcripſit, atque omni mole Achillem circa Peluſium occurrentem adortus cum vniuerſo exercitu profligauit. deinde, cum ſe fuga Alexandriam recepiſſet, ibi corona circundedit. Non alia vrbs fortius ipſa obſidionis incommoda pertulit. vndique, & præcipue à mari omni apparatu bellico cincta, quanquam breui ad maximam rei frumentariæ difficultatem adducta eſt, tamen omnem Diocletiani deditionis expectationem eluſit, & grauioris ætatis homines ad inopiam leuandam opera amicorum apud duces hoſtium gratia valentium emiſit. Diocletiano tamen acrius in dies vrgente demum octauo menſe vnà cum Achille venit in poteſtatem. Victoriam tantam fœde Diocletianus exercuit, vt qui bellicarum artium, quàm ciuilium, eſſet patientior. Nam & Alexandriæ muros diruit, & vrbem diripiendam permiſit, ita vt precioſiſſima quæque templorum ornamenta detraxerit, & Ægyptios exiliis, ac proſcriptionibus afflictauit, & Achillem defectionis artificem capitali ſupplicio vindicauit. & com-

mentarios de fodiendis metallis scriptos Alexandrinis eripuit. Nabatæos porro ex finibus suis ad Nilum traduxit, atque in oppidis, & opima regione locauit, ne in posterum infesti essent eis, qui Oasim habitarent, verum se vindices exhiberent. Antiochiam inde reuersus Daphnem contendit, & Apollini solemne sacrificium fecit. reuersusq; Antiochiam aduocatos senatores de religione deorum retinenda admonuit, atque aliquid etiam de Christianis persequendis adiecit. Maximianus autem, & Constantius in Gallia rebus, quæ per bella superiora euersæ fuerant, restituendis intenti, oppida reædificare, eaq; superioribus afflicta cladibus recreare conati sunt. In primis autem Franci ex intimis sedibus suis in Ambianorum, Tricassinorum, Rhemorum, & Lingonum deserta traducti sunt. Cum autem præcipue Flauiam Æduorum, & Flauiam Cliuiensium refecissent, ob eam rem Ædui oratorem, cuius suprà meminimus, ad eos miserunt, vt Britannicam victoriam gratulatus gratias de tanta erga se benignitate adiiceret. Qui dicere orsus, primum superiores victorias Sarmaticas, Carpicam, Ægyptiámque sic perstrinxit: *Adoratæ sint mihi Sarmaticæ expeditiones, quibus illa gens prope omnis extincta est, & pene cum solo nomine relicta, quæ seruiat. Dent veniam trophæa Niliaca, sub quibus AEthiops, & Indus intremuit. Contenta sit voce gloriæ suæ proxima illa ruina Carporum. Reseruetur nunciis iam, iámque venientibus Mauris immissa vastatio. aliis hæc celebrabo temporibus. Illa vero, Cæsar Inuicte, quæ ductu, atque auspicio nominis tui gesta sunt, quorum etiam spectaculo fruimur, sub hac occasione dignationis tuæ sine vlla dilatione dicenda sunt.* inde à principio repetens Britannicam expeditionem, & victoriam eo, quo scripsimus, pacto narrauit. Qua multis verbis explicita sic demum perorauit: *Tenet vno amplexu Romana respub. quidquid variis temporum vicibus fuit aliquando Romanum. & illa, quæ sæpe veluti nimia mole diffluxerat, magnitudo tandem solido cohæsit Imperio. Nihil ex omni terrarum, cælique regione non aut metu quietum est, aut armis domitum, aut pietate deuinctum. Et ex aliis quidem partibus aliqua restant, quæ, si voluntas, vel ratio desiderent, possitis acquirere. vltra Oceanum vero quid erat præter Britanniam? quæ à vobis ita recuperata est, vt illæ quoque nationes terminis eiusdem insulæ cohærentes vestris nutibus obsequantur. Nulla progrediendi caussa superest, nisi si, quod Natura vetuit, fines ipsius quærantur Oceani. Omnia, inquam, Inuictissimi Principes, vestra sunt, quæ sunt digna vobis. & inde est, quòd consulere singulis æqualiter licet, cum vniuersa teneatis. Itaque sicut pridem tuo, Diocletiane Auguste, iussu suppleuit deserta Thraciæ translatis incolis Asia, sicut postea tuo, Maximiane Auguste, nutu Neruiorum, & Treuirorum arua iacentia lætus, postliminio restitutus, & receptus in leges Francus excoluit, ita nunc per victorias tuas Constanti, Cæsar Inuicte, quidquid infrequens Ambiano, & Tricassino solo, Lingonicóque restabat, Barbaro cultore reuirescit. Quin etiam illa, cuius nomine mihi peculiariter gratulandum est, deuotissima vobis ciuitas AEduorum ex hac Britannicæ facultate victoriæ plurimos, quibus illæ prouinciæ redundabant, accepit artifices, & nunc extructione veterum domorum, & refectione operum publicorum, & templorum instauratione consurgit. nunc sibi redditum vetus illud Romanæ fraternitatis nomen existimat, cum te rursus habeat conditorem.* Eo anno Romæ III Idus Martias Septimius Acyndinus præfectus vrbem administrare instituit. In Oriente nouum bellum exortum. ex quo magis, magísque Diocletiani nomen ad illustrem hominum prædicationem inclaruit. Narses namque rex Persarum, qui diu quietus Diocletiani in amicitia fuerat, auorum exemplo permotus, obscurum se regnum acturum, nisi Diocletiani bello illustraret, est ratus. Itaque vbi ipsum Ægyptio bello, atque Alexandrino omnium grauissimo implicitum sensit, arma Orienti intulit, ac præcipue prouinciam Mesopotamiam, atque Armeniam in-
294 cursauit. Ea de caussa Diocletianus sequenti anno Constantio, & Galerio, nobilissimis Cæsaribus consulibus, Galerium cum exercitu Antiochia ad defendendam à Persis Armeniam misit. vnde bellum hoc Armenium appellatur. Lætus admodum hic vtrique Imperio annus illuxit, qui fuit ipsis Imperatoribus decimus. Nam Diocletianus Antiochia Nicomediam reuersus vota Imperij sui decennalia soluit. Maximianus autem, & Constantius Gallia, Britanniáque pacata Romæ sua itē decennia peregerunt. Ea pompa ex more, institutoq; veterum repetita insigni populi Ro. concursu, ac lætitia totius Italiæ celebrata est. Maximæ Diocletiani, &

Maximiani felicitati tribuit Eusebius, quòd vterque decennia, ac vicennia splen-
didissima ludorum, pomparum, ac voluptatum hilaritate ediderint. His rebus actis
Maximianus Britannico bello defunctus suas omnes ad Africam cogitationes in-
tendit, atq; exercitum eo transportandum parauit. neq; enim æquo ferre animo
poterat, bellum Quinquegentianorum adhuc exigua spe victoriæ per suos duces
administrari. Itaq; postero anno, Tusco, & Anullino consulibus, & Aristobulo 295
præfecto vrbis, duo diuersis in locis grauissima bella gesta, vnum à Galerio cum
Narse in Armenia, alterum à Maximiano cum Mauris in Africa, & quidē vtrunq;
feliciter. Galerium enim satis constat duo secunda prœlia cum rege fecisse; Maxi-
mianum autem Quinquegentianos variis contentionibus fatigatos ad loca ardua,
atq; aditu difficilia compulisse. Quietæ inde post aliquot annos Galliæ nouum 296
ab Alemanis bellum est motum. Hi ea hieme, qua Diocletianus Augustus VI, &
Constantius Cæsar iterum consules, & Cassius Dio præfectus vrbis inierunt, cum
Maximianum longe terrarum abesse viderent, Rhenum glacie concretum nacti
repente traiecerunt, atque in Lingonas proximos illati hostilia omnia facere in-
stiterunt. Quo nuncio Constantius excitatus nulla mora interposita cum exer-
citu promptissimo aduolauit, atq; in campis Vindonensium aduersus hostes con-
sedit. neq; ita multo pòst, cum Alemani pugnæ copiam facerent, in aciem prodiit.
Quo prœlio cum exercitu pulsus, ac saucius se se ad Vindonis oppidum hostibus in
terga hærentibus rettulit. Accidit tum res periculi magnitudine, & euentus rari-
tate commemorabilis. Cum Vindonenses patefactis portis fugientem exercitum
recepissent, ac protinus eas contra hostium insequentium impetum occlusissent,
demum se Constantium suorum agmen claudentem exclusisse animaduerterunt.
portam vero aperire non ausi, ne hostes vnà cum eo irrumperent, restem propere
è mœnibus demiserunt, atque ita magna felicitate ipsum attractum in mœnia
conseruarunt. Ibi Constantius haudquaquam discrimine rei gestæ perterritus,
neque vulnere accepto perculsus ciues protinus, ac milites aduocauit, eosque ad
eruptionem in hostes faciendam incendit. nam eos se incautos, atque alia omnia
cogitantes facile oppressuros, ac sine dubio deleturos. Neque consilium elusit
euentus. post quinque horarum spacium cum armata suorum multitudine e-
gressus improuiso Alemanos fusos, ac præ victoria securos adortus adeo conci-
dit, vt millia eorum sexaginta prostrauerit. Qui ex pugna euasere, cum se per
glaciem fuga in Rheni insulam recepissent, repente flumine cœlo mitescente la-
xato clausi, ac mox nauigiis demissis obsessi in deditionem venere. Ea victoria
maximam ei, si qua alia, in re militari gloriam peperit. Eodem anno Maximia-
nus in Africa Mauros locis asperis se tenentes ad conserendam manum adegit.
ac demum victos in deditionem se tradentes accepit. atque ad extremum, ne
quando bellum sumptis iterum armis renouare possent, ad remota loca transmi-
sit. atque inde prouinciæ constituendæ se tradidit. Galerius autem in spem Per-
sici belli perficiendi adductus tertium cum Narse commisit prœlium inter Calli-
nicum, & Carras oppidum, Crassi quondam ducis Romani clade nobilitatum. ve-
rum cum temere exiguas copias maximis obiecisset, cladem ingentem accepit. si-
quidem vniuerso amisso exercitu vix ipse sibi fuga consuluit. In iis rerum angu-
stiis positus, cum eum non dolor solum, sed etiam pudor vrgeret, licet consilij,
ac prope mentis inops, iter ad Diocletianum, qui in Syria erat, intendit. Quem
vt Diocletianus confusum, mœstumque ad se venientem prospexit, ratus id,
quod erat, subita concepta ira illum tanta arrogantia excepit, vt neglecta Cæsaris
dignitate per aliquot millia passuum purpuratum pedibus vehiculum anteire
permiserit. tandem in conspectum admisso, ac partim fortunam incusandi,
partim magna omnia, si noui daretur prœlij materia, pollicenti veniam dedit, ac
nouas ad instaurandum bellum conscribere copias siuit. Itaq; Galerius continuo
in Illyricum adiit, ac passim prouinciales, barbarosq; conscripsit, in primisq; Got-
thos stipendio ex Scythia euocauit, omnino in id intentus, vt acceptam bellicæ of-
fensionis infamiam deleret, cladem que Persis referret. Romæ Caius pontifex

epistola ad Felicem episcopum Kal. Martiis data statuit, vt nemo episcopus fieret,
nisi antè ostiarius, lector, exorcista, acolythus, subdiaconus, diaconus, & presbyter
extitisset. Is sæuum Imperatorum erga Christianos odium reformidans, licet Dio-
cletianum sanguinis propinquitate attingeret, latendi caussa diu in cryptis habita-
uit. atque ibi demum x Kal. Maij vnà cum Gabinio fratre martyrio coronatus
297 Kal. Iulij successorem Marcellinum est nactus. Sequens annus, quo Maximianus
Augustus v, & Galerius Cæsar iterum consules cum Hannibaliano vrbis præfecto
fuerunt, pace late toto Imperio parta fuit insignis. Galerius enim bellum Persicum
maxima felicitate confecit, quod per aliquot annos cum aliqua Imperij ignomi-
nia gerebatur. Etenim cum maximis, quas conduxerat, copiis in Armeniam sic se
aduersus sæuientem Narsem recepit, vt nullum solertis, ac fortis ducis officium
prætermiserit. si quidem fide speculatorum diffisus ipse quoque cum duobus e-
quitibus ad exploranda hostium castra processit. ac copiis, apparatuq; eorum per-
spectis, mox cum viginti quinque millibus militum adortus industrie adeo, forti-
terq; pugnauit, vt victoriam omnium, quæ de Persis relatæ antè essent, nobilissi-
mam, ac magnificentissimam egerit. Nam & maiorem eorum partem concidit,
& reliquos vnà cum rege saucio in fugam se dare coëgit, & castra opulentissima ce-
pit, vbi maximam vim gazæ Persicæ reperit. Quod vero victoriam tantam vehe-
mentius etiam honestauit, ad ceteros captiuos factos genere, ac dignitate præstan-
tes ipsam etiam coniugem, sorores, liberosq; regis in potestatem adduxit, quas ex-
imio honore habuit. Quare pace, quam rex postulauit, ex sententia facta Mesopo-
tamiam, & quinque trans Tigrim prouincias recepit, atque iterum limitem super
Tigridem reformauit. Atque ita finibus Orientis prolatis nouo victoriæ decore
superioris cladis ignominiam prorsus obliterauit. Quibus rebus actis tum ad
Diocletianum, qui in Mesopotamiam accesserat, sese rettulit, atque ei vim infini-
tam captiuorum, & opum Persicarum, in primisque omnis generis gemmarum, &
margaritarum insignium obtulit. qui læto, hilarique vultu illum excepit, ac rebus
Orientis compositis Nicomediam rediit. Quo eodem tempore Maximianus
Africa constituta se recepit in Galliam. Notetur hoc loco, ac posterorum me-
moriæ consecretur Imperij Romani, vt rarà, sic summa, eximiaque felicitas. Neq;
enim, cum esset singulari virtute, ac concordia principum aliquando tandem è pe-
riculosis bellorum salebris ad securam pacis tranquillitatem eductum, posthac aut
prouinciarum finibus latius, aut à circunstrepentibus barbaris tutius, aut publico-
rum operum ornatu splendidius, aut liberalium artium cultu instructius fuit. Ete-
nim bellicis Imperatores laxati curis solum ad studia pacis excolenda animum
conuerterunt. si quidem & nouas vrbes condiderunt, atque à suo nomine appel-
larunt, & veteres refecerunt, & antiqua in limitibus castra restituerunt, & publica
in vrbibus, & maxime primariis, opera ad famam magnificentiæ aucupandam æ-
dificarunt, & liberales artes doctoribus prouehendis ornarunt, omnino vt vide-
rentur id agere, vt prisca terris secula, quæ aurea fuisse feruntur, terris velle redu-
cere, ac pro viribus instaurare. quemadmodum oratores ad aures eorum oble-
ctandas dicebant. Hanc tantam felicitatem, tamque prosperum fortunæ obse-
quium capere animo Diocletianus non potuit. si quidem moderatione prorsus in
superbiam versa eo vsque insolentiæ prodiit, vt se posthac mortalitatis oblitus, tan-
quam Deum, adorari voluerit. Nam proiicere se homines humi venerabundos,
atque osculum pedibus figere pati cœpit, & gemmas vestibus, calceisque inseruit.
cum ante ipsum omnes Imperatores consulari tantum salutatione contenti fuis-
sent, & solam chlamydem purpuream priuato habitui adiecissent. Quin etiam in
Christianos religionis odio ita desæuiit, vt omnes sacramento militari solui, atque
è castris eiici per Veturium magistrum militiæ iusserit, nisi sacra gentilium susce-
pissent. Quod cum ille curaret, omnes Christi confessionem humano honori, ac
commodo ita prætulerunt, vt etiam, si opus fuisset, mortem se non recusaturos
ostenderent. Itaque Veturius eorum multitudine, & constantia deterritus in-
298 cœptum omisit. Fausto inde iterum, & Gallo consulibus, Imperatores ad cete-
ra opera publica toto terrarum orbe à se regia magnificentia inchoata duo nobi-
lissima

lissima duabus clarissimis in vrbibus addiderunt. Etenim Diocletianus Romæ, Maximianus Carthagine Thermas instituerunt. Romanarum quidem admiranda in hunc vsque diem vestigia immensam animi Diocletiani vastitatem quandam ostendunt. Quas Maximianus perficiendas ita curauit, vt propterea Christianos misere admodũ habuerit, cum eos, & lapides cædere, & arenas eruere operis eius caussa coëgerit, quod in vetere S. Marcelli vita scriptum inuenitur. In Gallia, rhetore publico apud Cliuienses extincto, Constantius ciuitatis eius ornandæ, & iuuentutis excolendæ gratia Eumenium rhetorẽ, qui sibi magister memoriæ fuerat, illi præesse auditorio iussit. ac salarium sexcentorũ millium nummûm ei attribuit. atq; has ad illum litteras dedit: *Merentur & Galli nostri, vt eorum liberis, quorum vita in augusto Cliuiensium oppido ingenuis artibus eruditur, & ipsi adolescentes, qui hilari consensu meum Constantij Cæsaris ex Italia reuertentis suscepere comitatum, vt eorum indoli consulere cupiamus. Proinde quod aliud præmium iis, quàm illud conferre debemus, quod nec dare potest, nec eripere fortuna? Vnde auditorio huic, quod videtur interitu præceptorum orbatum, te vel potissimum præficere debuimus, cuius eloquentiam, & grauitatem morum ex actus nostri habemus administratione compertam. Saluo igitur priuilegio dignitatis tuæ, hortamur, vt professionem oratoriam receptes, atque in supradicta ciuitate, quam non ignoras nos ad pristinam gloriam reformare, ad vitæ melioris studium adolescentium excolas mentes. nec putes, hoc munere antè partis aliquid tuis honoribus derogari, cum honesta professio ornet potius omnem, quàm destruat, dignitatem. Denique etiam salarium te in sexcentis millibus nummûm ex reip. viribus consequi volumus, vt intelligas, meritis tuis etiam nostram fauere clementiam. Vale Eumeni Karissime nobis.* Eumenius autem onere suscepto, vt gratiam à Cliuiensibus suis iniret, præsidem Galliæ adiit, atque oratione habita postulauit, vt scholas Menianas, quæ erant inter Mineruę, & Apollinis templa constructæ, reficeret, atq; ad id opus pecuniam sibi à principibus in epistola constitutam adhiberet. extat oratio illa, in qua mentio etiam fit Africi, Persiciq; belli proxime confecti. Eius sententias aliquot imaginem horum temporum, & morum exprimentes in hos annales libet includere. neq; enim aliquid ad lucem huius memoriæ pertinens prætereundum videtur: *Ante omnia, Vir Perfectissime, diuinæ Imperatorum, Cæsarumq; nostrorum prouidentiæ, singulariq; in nos beneuolentiæ scholarum etiam Menianarum instauratione parendum est. qui ciuitatem istam & olim fraterno nomine gloriatam, & nunc demum grauissima clade perculsam, cum latrocinio Batauicæ rebellionis obsessa auxilium Romani principis imploraret, non solum pro administratione meritorum, sed etiam pro miseratione casuum attollere, ac recreare voluerunt, ipsamq; ruinarum eius magnitudinem immortalibus benignitatis suæ monumentis dignam iudicauerunt; vt tanto esset illustrior gratia restitutorũ, quanto ipsa moles restitutionis immanior. Itaq; maximas pecunias, & totum, si res poscat, ærariũ non templis modo, ac locis publicis reficiendis, sed etiam priuatis domibus indulgent, nec pecunias modo, sed etiam artifices Transmarinos, & ex amplissimis prouinciarum ordinibus incolas nouos, & deuotissimarum hiberna legionum adhibent, vt resides aquas, & nouos amnes, veluti aridis fessæ vrbis visceribus infundant. Ex quo manifestum est, eos, qui coloniã istam tot, tantisq; opibus totius Imperij erigere, atq; animare statuerunt, vel præcipue sedem illã liberalium artium velle reparari, cum peculiarem frequentiam honestissimæ iuuentutis illustrato studiorum honore prouiderint. Cui enim vnquam veterum principum tanta fuit cura, vt doctrinæ, atq; eloquentiæ studia florerent, quantæ his optimis, atq; indulgentissimis dominis generis humani? quos ego quidem, quantum ad votum pietatemq; pertinet, liberorum parentes appellare non dubito. qui nobilissimam istam indolem Galliarum suarum interitu summi doctoris orbatam respicere dignati suo potissimum iudicio præceptorem ei, moderatoremq; tribuerunt. Et inter Imperatorias dispositiones summis reip. gubernãdæ prouisionibus occupatas litterarũ quoq; habuere delectũ. neq; aliter quàm si equestri turmæ, vel cohorti prætoriæ consulendũ foret, quem potissimum præficerent, sui arbitrij esse duxerunt. ne iis, quos ad spem omnium tribunalium, aut interdum ad stipendia sacrarum cognitionum, aut fortasse ad ipsa Palatij magisteria prouehi oporteret, veluti repentino nubilo in mediis adolescẽtiæ fluctibus deprehẽsi incerta dicendi signa sequerẽtur. In quo ego, Vir Perfectiss. nihil laudi meæ tribuo, sed domini nostri Constantij principis incredibilẽ erga iuuentutẽ Galliarum suarum solicitudinẽ, atq; indulgentiam mirari satis nequeo. qui honorem litterarum hac quoque dignatione cumulauit, vt me filio*

potius meo pristina mea studia molientem ipsum iusserit disciplinas artis oratoriæ retractare. & hoc ipsi Palatio parentis sui munus iniunxerit, vt mediocrem quidem pro ingenio meo, naturaq; vocem cælestia tandem verba, & diuina sensa principum proloquuturam ab arcanis sacrorum penetralium ad priuatarum musarum adyta transtulerit. non vtiq;, quia mihi, quem tanta dignatione respicit, quanta pro summis honoribus debet sufficere sapienti, vellet aliquid imposita ista professione detrahere, sed vt professioni ipsi ex eo honore, quem gessi, adderet dignitatem. Cui igitur dubium, quin diuina illa mens Cæsaris, quæ tanto studio præceptorem huic conuentui iuuentutis elegit, etiam locum exercitiis illis dedicatum instaurari, atque exornari velit? Inde post longo interuallo: *Quis nunc sit animo tam humili, tam abiecto, tam ab omni appetitione laudis alieno, vt non & quantulamcunque memoriam suorum excitare, & sibi aliquid secundæ opinionis acquirere cum videat, omnia, quæ annorum superiorum labe conciderant, hac felicitate seculi resurgentia, tot vrbes diu syluis obsitas, atque habitatas feris, instaurari mœnibus, incolis frequentari? Quod in Aegeo mari semel contigit, vt quæ opertis fluctibus vagabatur, repente insula Delos existeret, eius nunc simile videmus tot orientibus vndique ciuitatibus, tot insulis ad humanos cultus, quasi renascentibus, euenire. Nisi vero non grauior Britanniam ruina depresserat, quàm si profuso tegeretur Oceano, quæ profundissimo Pictorum gurgite liberata ad conspectum Romanæ lucis emersit, aut hæc ipsa, quæ modo desinuit esse barbaria, non magis feritate Francorum velut hausta desederat, quàm si eam circunfusa flumina, & mare alluens operuisset. Nam quid ego alarum, & cohortium castra percenseam, toto Rheni, & Istri, & Eufratis limite restituta? quot vbique muri vix repertis veterum fundamentorum vestigiis excitantur? adeo, vt res est, aurea illa secula, quæ non diu quondam Saturno rege viguerunt, nunc æternis auspiciis Iouis, & Herculis renascuntur. Sed enim, Vir Perfectissime, inter omnia, quæ virtute principum, ac felicitate recreantur, nihil est admirabilius hac liberalitate, quam fouendis, honorandisue litterarum studiis impartiunt. quippe, vt initio dixi, nulli vnquam antehac principes pari cura belli munia, & huiusmodi pacis ornamenta coluerunt. Diuersissimus enim ad vtramque sectam deflexus est. Quo magis horum noua, & incredibilis est virtus, & humanitas. quæ inter tanta opera bellorum ad hæc quoque litterarum exercitia respiciunt. atque illum temporum statum, quo, vt legimus, Romana res plurimum terra, & mari valuit, ita demum integrari putant, si non potentia, sed eloquentia Roma reuirescat. Detur ergo illa mihi ab optimis virtutum omnium dominis tributa largitio huic operi doctrinæ, atque eloquentiæ dedicata, vt quemadmodum cetera vitæ nostræ commoda apud auxiliatores eorum deos colimus, ita singularem eorundem erga litteras dignationem in antiqua litterarum sede celebremus. Videat præterea in illis porticibus iuuentus, & quotidie spectet terras, & cuncta maria, & quidquid inuictissimi principes vrbium, gentium, nationum aut virtute deuincunt, aut terrore. si quidem illic, credo, instruendæ pueritiæ caussa, quo manifestius oculis discerentur, quæ difficilius percipiuntur auditu, omnium cum nominibus suis locorum situs, spacia, interualla descripta sunt, quidquid vbique fluminum oritur, & conditur, quocunque se littorum sinus flectunt, quóve ambitu cingit orbem, vel irrumpit Oceanus. ibi fortissimorum Imperatorum pulcherrimæ res gestæ per diuersa regionum argumenta recolantur, dum calentibus, semperq; venientibus nunciis reuisuntur Persidos flumina, & Libyæ arua sitientia, & conuexa Rheni cornua, & Nili ora multifida; dumq; iam ad hæc singula intuentium animus affingit, aut sub tua Diocletiane Auguste clementia Ægyptum furore posito quiescentem, aut te Maximiane Inuicte perculsa Maurorum agmina fulminantem, aut sub dextera tua domine Constanti Bataui̇am, Britanniamq; squalidum caput syluis, & fluctibus exercentem, aut te Maximiane Cæsar Persicos arcus, pharetrasq; calcantem. Nunc enim demum iuuat orbem spectare depictum, cum in illo nihil videmus alienum.* Rebus eo modo, quo diximus, in pace ad dignitatem, & gloriam Imperatorum, ac Cæsarum studio florescentibus, sequutum est triennium nullis, quantum ex veteribus coniici monumentis possit, claris ad memoriam actioni-
299 bus illustratum. quo consules fuerunt primum Diocletianus VII, & Maximianus
300 VI, cum Auito Fausto præfecto vrbis, deinde trecentesimo ipso à Christi ortu anno Constantius, & Galerius ambo tertium cum Pompeio Faustino præfecto vrbis,
301 tum Titianus iterum, & Nepotianus cum Dionysio præfecto vrbis. Libet autem opinari, principes ocio diffluentes nouis condendis ad ornandam, & prodendam memoriam operibus studuisse. Nam, quod liquet, Maximianus alteras Mediolani

thermas

thermas construxit, quæ Herculiæ Thermæ, siue Lauacrum Herculeum dictæ sunt. Quarum meminit Ausonius his temporibus proximus, ita vt etiam, quanta tum vrbs Mediolanensium fuerit, edocuerit. Si quidem circum, theatrum, templa, palatium, porticus, thermas Romanam magnificentiam æmulantes habuerit. sic enim inquit:

Et Mediolani mira omnia. copia rerum:
Innumeræ, cultæq; domus. facunda virorum
Ingenia. antiqui mores. tum duplice muro
Amplificata loci species. populiq; voluptas
Circus, & inclusi moles cuneata theatri.
Templa, Palatinæq; domus, opulensq; moneta.
Et regio Herculei celebris sub honore Lauacri.
Cunctaq; marmoreis ornata peristyla signis.
Mœniaq; in valli formam circundata limbo.
Omnia, quæ magnis operum velut æmula formis
Excellunt, nec iuncta premit vicinia Romæ.

Aquileiæ quoque Palatium siue nouum construxit, siue antiquum ornauit. atque imaginem ad ipsum Conuiuij aspectum effingi iussit, vbi Fausta filia nondum nubilis Constantino adolescenti galeam auro, gemmisque nitentem offerebat. vt post in nuptiis Faustæ celebrandis quidam dixit orator. Quin etiam Brixiæ Palatium condidit, quod Herculeum appellauit. cuius ad hanc vsque ætatem nomen, atque illustria parietinarum vestigia permanent. De amphitheatro etiam Veronensi, quod hodie quoq; à parte interiori prope integrum visitur, aliquid iure possumus suspicari, quando à quo sit conditum, ne ipsi quidem ciues ostendunt. Iampridem vniuersus pacatus terrarum orbis erat, potentissimis regibus victis, ac bellicosissimis nationibus debellatis. neque ex antiquo instituto triumphus erat actus vllus, qui tantæ rerum magnitudini, & tam illustri Imperatorum gloriæ constanti omnium confessione gentium debebatur. Itaque Diocletiano omnia sua ad præsentium, & futurorum hominum prædicationem consilia referenti triumphum vna cum collega Maximiano agere placuit, qui partarum victoriarum claritatem, & gestarum rerum magnitudinem ostentaret. Ea pompa in insequentem annum, 302
si Eusebius recte digessit, indicta est, ambobus Cæsaribus quartum consulibus cum Numio Tusco præfecto vrbis. Tum vero ipse Nicomedia, Maximianus Mediolano Romam conuenerunt, omnibus, qua transierunt, locis incredibili hominum accolentium honore, vel potius veneratione, sic enim cupiebant, excepti, vt qui Romano orbi externis, intimisq; armorum fluctibus agitato optatam tranquillitatem, ac securitatem virtute, ac clementia reuocassent. Romam autem progressi vrbem infinita occurrentium Romanorum turba circunfusi triumphantes inierunt, atque in Capitolium profecti solemne sacrificium perfecerunt. Triumphaturos vna ambos, Belga orator de concordia eorum loquens prædixit, inquiens: *Hi cum simul redeant Romam, triumphantes vno cupiunt inuehi curru, simul adire Capitolium, simul habitare Palatium.* triumphasse Eusebius, Eutropius, & Cassiodorus notarunt. eosdem de numerosis gentibus triumphasse adiecit Eutropius. hi vero fuere Gotthi, Bastarnæ, Carpi, Sarmatæ, Quadi, Ægyptij, & Persæ, quos vicerat Diocletianus; Franci, Alemani, Britanni, & Mauritani à Maximiano subacti. Præcipue autem Diocletianus de Persis, & rege eorum Narse triumphum egit. & cum ceteros captiuos nobiles, militaresq; præfectos ante currum duxit, tum in primis vxorem, sorores, & liberos regis, memorandum regiæ fortunæ inter pauca exempla spectaculum, & gazam Persicam opulentissimam prætulit. quam pompam iuuat credere omnium in se oculos conuertisse, quòd Persicæ opes iam inde ab Alexandri Mammeæ Imperio vel propter regis, vel propter gentis claritatem assiduo hominum sermone celebrarentur. Maximianum ingenti Romanorum concursu frequentatum idem Belga orator ostendit, cum dixit: *Te primo ingressu tuo tanta lætitia, tanta frequentia populus Rom. excepit, vt cum te ad Capitolini Iouis gremium vel oculis ferre gestiret, stipatione sui vix ad portas admitteret.* Sunt etiam, qui Cæsares

Constantium, & Galerium affuisse, atq; cum Augustis ouantes iniisse dicant. quod quia apud neminem veterem reperi, pro certò ponere nolui. Ea pompa XI Kal. Maias dicitur esse acta. Triumpho inde ludi magnifici, & scenici, & Circenses adiecti. Superasse autem hanc pompam hilaritate omnes alias, quarum meminisse homines poterant, videtur coniectura probabile, quod triumphus ex tribus terrarum partibus ageretur, & à duobus Imperatoribus gloriæ cupidissimis, totidemq; Cæsaribus inferretur, & maxima frugum vbertas, & summa corporum salubritas, quæ duo bona perpetuo Diocletiani Imperio contigerunt, nouam populorum lætitiam cumularent. Hanc vero hilaritatem auxit etiam Romana ciuitas, quæ nimia rerum prosperitate cæcata vsque adeo luxuria diffluebat, vt cum se in omnia deliciarum genera intemperanter effunderet, ipsa de felicitate sua prope triumphare quotidie videretur. Nam ex nobilitate alij tanto statuarum sibi ponendarum studio exarserant, vt eas etiam auro circumuestirent, parum memores, quid sapientissimus omnium Cato quondam de hoc toto genere ambitionis sensisset, cum maluisse se diceret, mirari posteros, cur eiusmodi honorem non meruisset, quàm cur obtinuisset. alij curribus solito altioribus vecti, aut cultu laxiore ornati, aut immensis familiarium agminibus stipati per vrbem gloriosius incedebant. nõ defuerunt etiam, qui continuandis agris, & iungendis possessionibus seruientes nihil aliud contenderunt, quàm vt patrimonium suum in immensum augerent, obliti veteres Romanos, quorum virtute ipsi ad hanc amplitudinem peruenissent, nihil minus, quàm de priuatis colligendis opibus laborasse, immo vero insigni se paupertate admirandos omnibus mortalibus præbuisse. Cantores autem, & scenicos artifices in tanto precio habuerunt, vt eiusmodi acroamata, atque ocij liberalis oblectamenta pluris, quàm doctos, aut disertos homines facerent. mensas vero vulgo sic instruebant, vt exquisitissimis dapibus conquirendis, & conuiuiis intempestiuis celebrandis insana perpotandi, peruigilandique libidine dies, noctesque consumerent. Ex plebe autem alij in tabernis vinariis pernoctabant, nonnulli velabris vmbraculorum theatralium se abdebant, quidam aleis pugnaciter contendebant, omnes ferme totos dies in theatris, ac circis ludis, muneribusque dediti traducebant, ocium ipsum Imperatorum solertia comparatum ad voluptatem, non ad virtutem incitamentum habentes. Atque hi quidem mores, licet posteriores aliquot Imperatores emendare conati sint, tamen in dies corruptiores, deterioresque effecti sunt, quousque tota Italia ocio marcescente, ac diuturno prope languore torpẽte barbari Imperium ex omni parte debile inuaserunt, ac sæuissime distraxerunt. His igitur peractis, (redeundum est enim vnde diuertimus.) ad captandos hominum non magis animos, quàm sermones officiis, & consiliis de rep. vt placuit, agitatis Augusti ambo Roma exeuntes eo, vnde discesserant, redierunt. Terribilis interim terræmotus, quo Sydon, & Tyrus vrbes nobilitatis eximiæ, & toto terrarum orbe clarissimæ pene à fundamentis euersæ sunt, haudquaquam ambiguum ingentis iræ Dei fuit indicium ob praua conceptæ consilia, quæ
303 Augusti Romæ in Christianorum perniciem composuerant, ac sequenti anno ille VIII, hic VII consules exequuti sunt. si quidem eò demum anno sæuam decimæ persequutionis Christianæ cladem instituerunt. quæ tanquam rapida quædam procella superiorem omnem terrarum tranquillitatem, ac parti ocij voluptatem excussit prorsus, ac dispulit. Etenim nouem ante hunc Imperatores religionis Christianæ labefactandæ gratia vexationes acerbissimas exercuerant, Nero, Domitianus, Traianus, Marcus, Seuerus, Maximinus, Decius, Valerianus, & Aurelianus. Quibus Diocletianus, quasi decimæ palmæ auidus socium se adiunxit. Ille vero immodicis rerum prosperitatibus ad omne superbiæ genus inflatus consilium tam atrox iniuit, siue quod famam ex eo apud homines quæreret, siue quod superiorum Imperatorum exemplo acerbum erga Christianos odium gereret, idque cum collega Maximiano communicauit; quem vt in ceteris rebus, sic in hac haud ægre assentientem adeptus est. Itaque mense Martio anno adhuc Imperij sui nonodecimo Nicomediæ, die Christi passionis instante, edictum suo, vt assolebat, & Maximiani nomine prælato proposuit, idque toto Imperio diuulgari iussit,

iussit, vt Christianorum conuenticula abolerentur, scripta cremarentur, magistratus honore, priuati libertate spoliarentur: Vnde iustæ illæ querelæ Arnobij aduersus gentes erupere: *Cur nostra scripta ignibus meruerunt dari? cur immaniter conuenticula dirui? in quibus summus oratur Deus, pax cunctis, & venia postulatur magistratibus, exercitibus, regibus, familiaribus, inimicis, adhuc vitam degentibus, & resolutis corporum vinctione? in quibus aliud auditur nihil, nisi quod humanos faciat, nisi quod mites, verecundos, pudicos, castos, familiares, communicatores rei cum omnibus, quos solidet germanitatis necessitudine copulatio? Verum ita se res habet, vt, quoniam plurimum gladiis, & potestate valetis ferri, anteire vos etiam veritatis scientia iudicetis.* Neque ita multo pòst alio edicto mandauit, vt qui ecclesiis præsiderent, vbique gentium in vincula traderentur, nisi victimas diis ritu Gentilicio immolassent; ad quod omnibus tormentorum generibus cogerentur. Hoc edictum in publico propositum ciuis quidam Nicomediensis vbi audiuit, raptim ad eum locum accurrit; ac tanquam impium manibus auulsum conscidit. itaque primus omnium sacra martyrij corona donatus est. Eo accepto ministri Imperatorum Christianos ab immolatione, & simulachrorum cultu se remouentes passim bonis exuere, patria expellere; capite truncare, torquere, dilacerare, exurere, belluarum laniatibus obiectare, ac demum in profluentes, aut in maria submergendos proiicere. Quo factum est, vt vniuersa Christianorum tum primum adolescens Ecclesia ingentem calamitatem acceperit. si quidem ad XVII millia intra triginta dies comprehensi totum propè Imperium late suo sanguine infecerunt, ac memorandum Christianæ pietatis, ac constantiæ documentum consecrati Deo martyres reliquerunt. nonnulli tamen etiam diri discrimen euasere certaminis. nam aut ad immolandum adducti nullo sacrificio facto, perinde ac si fecissent, dimissi sunt, aut gentilibus eos sacrificasse clamantibus taciti eam contumeliam pertulerunt, aut semiuiui pro extinctis abiecti, aut humi strati in numero immolatorum sunt habiti. quidam vero cum se clara voce sacrificium auersari, ac se Christianos esse asseruissent, à satellitibus cæsi, vt silentium obtinerent, è medio sunt amoti. Ac singulorum quidem, qui se pro Christi confessione supplicio deuouerunt, nomina persequi, non est huius historiæ. Quod vero silentio præteriri non potest, Anthimus Nicomediæ episcopus abscisso à ceruicibus capite interemptus, cumque Palatium forte incendio conflagrasset, ingens piorum multitudo in eius facinoris suspicionem vocata, aut gladio trucidata, aut aceruatim in eas flammas iniecta, aut in mare præcipitata est. Ex Diocletiani vero familia Dorotheus, & Gorgonius post varia certaminum genera faucibus laqueo elisis vitæ finem imposuerunt. Quod vero fuit insignius, Petri ministri regij cum corpus flagellis ita dilacerassent, vt ossa apparerent, acetum sale permistum in vulnera infuderunt. & cum eos ille quoque cruciatus eluderet, craticula, & igne prolato carnes eius, quasi ad escarum vsum lenta sensim adustione assarunt. neque tamen vocem ab eo vllam, nisi pietatis, & constantiæ plenam, elicere potuerunt. Hæc Nicomediæ præsente Diocletiano sunt acta. Romæ verò Marcellinus, cum à ministris Maximiani supplicio intentato ad sacrificandum esset adductus, timore exanimatus thura adoleuit mox agniti erroris acri pœnitentia tactus remedium opportunum adhibuit. Etenim conuentum episcoporum in crypta Suessæ in Campania habuit, atque ibi X Kal. Septemb. cinere conspersus, & cilicio obductus effusis lacrymis flere delictũ suum instituit, ac semetipsum vltro damnauit. Quod factum satis valere ad Rom. episcopi iustam expiationem est visum. nam Petrum ipsum principem apostolorum, cuius ille sedem teneret, eadem ratione insignem negati domini sui labem deleuisse. neque porrò conuenire, vt pontifex maximus ab aliis minoribus iudicetur. Huic actioni primus subscripsit Miltiades presbyter, qui post ad pontificatum ascendit. Pridie Idus Nouemb. Iunio Tiberiano secunda vrbis præfectura delata, quòd in priore egregiè iurisdictionem exercuisset.
Diocletiano vero IX, & Maximiano VIII consulibus, 304
atque Heraclio Rufino præfecto vrbis, Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Romæ Imperij vicennalia eadem pompa, vt inquit Eusebius, qua decennalia celebrarant, egerunt. Ministri Maximiani vt cognouerunt, Marcellinum peracta pœ-

nitentia expiatum ardentius in Christi caussa persistere, ipsum deintegro corripuerunt, & palam sacrificare abnuenti, ac sæuo Maximianum præsentem conuicio laceranti caput à ceruicibus amputarunt. pariterq; cum eo diaconos tres Claudiū, Quirinum, & Antonium peremerunt. atq; eorum corpora proiecerunt. quæ sine honore sepulturæ per dies triginta sex iacuere, donec VI Kal. Maias à Marcello presbytero collecta sepulchro sunt tradita. Inde Pancratius iuuenis è Phrygia Romam deductus cum pontificem Marcellinum apud se delitescentem rogasset, vt se sacrosancto ritu Christianorum ablueret, Marcellino mortuo, captus in via Aurelia capite multatus est. atq; inde IIII Idus Maias ab Octauilla sepultus. Per hos dies Diocletianum tristis ęgritudo, & ex ægritudine certa Imperij deponendi cupido incessit. Vnde autem ille ad hoc consilij venerit, diuersum auctores faciunt. alij, quòd alienato animo desipere incœpisset; quidam, quòd Christi nomen se deleturum, vti cupiuerat, desperasset, postquam singularem Christianorum in morte constantiam perspexisset. Ille se magnis rebus gestis tanquam blandis fortunæ obsequiis satiatum posthac in ocio viuere velle curis publicis vacuum prę se tulit. atq; huius decreti sui Maximianum participem fecit, eumq;, licet reluctantem, obsequi voluntati suæ coëgit, vt Imperium, quod secum ceperat, ac secum admirabili concordia gesserat, secum item eadem animi æquitate deponeret. Itaque eo consilio, quod viuentibus, posterisq; omnibus dulcedinem Imperandi specie tenus solummodo intuentibus plus allaturum admirationis erat, quàm æmulationis, explicito, Diocletianus Nicomediæ Galerium, Maximianus Mediolani Constantium Augustos ex Cæsaribus declararunt XI Kal. Maij, quo die vicesimus Diocletiano Imperij annus absoluebatur. inde ambo templum Iouis ingressi populis audientibus ita dixerunt: Recipe Iuppiter Imperium, quod mihi commodasti. quod ego ita depono, vt resumpturum non esse, sanctum tuum testatus numen adiurem. Atq; his dictis protinus ipsis se Imperij insignibus, stupentibus hominibus potius, quàm probantibus, exuerunt. Ceterum Maximianum Romani Mediolanum decedentem retinere voluerant, quasi ei, quod futurum erat, moram iniicere cupientes. Sic enim orator quidam post ad eum loquutus est: *Te rursus vicesimo anno Imperatorem, octauo Consulem ita amplexu suo Roma voluit detinere, vt videretur augurari iam, & timere, quod factum est. Quod vero mœrentibus omnibus fecisti, id tu quidem fecisti non reip. negligentia, aut laboris fuga, aut desidiæ cupiditate ductus, sed consilij olim, vt res est, inter vos placiti constantia, & pietate fraterna, ne quem totius vitæ, summarumq; rerum socium semper habuisses, in alicuius facti communitate desereres. neue illius, viderit quali, certe nouæ laudi cederes. sed profecto exegit hoc ipsa varietas, & naturæ fortuna, cui nihil mutare licuerat, dum vos Imperium teneretis, vt illa viginti annorum continua felicitas interuallo aliquo distingueretur.* Hoc depositi Imperij decus eo maius in Diocletiano eluxit, quòd cum gloriæ magnitudine humanum fastigium antecederet, primus illud appetiit. nisi forte si quis Syllam, qui se vltro dictatura abdicauit, in horum numerum referre voluerit. His actis Diocletianus inde Salonam in patriam, Maximianus in Lucaniam, vitam in ocio traducturi se contulerunt, memorabile posteris moderati exemplum animi prodituri, nisi quam laudem virtutis bene gerendo Imperio peperissent, eam vniuersam iniuste Christianos vexando corrupissent. Diocletiani vero præcipua fuit gloria, vt qui postea de ratione depositi Imperij interrogatus, nihil difficilius esse, quàm bene Imperare bono etiam, cautoq; Imperatori respondederit. noua certe, quæcunq; ea fuerint, in eo hæc duo contigerunt, quòd primus, vt oratores dixerunt, Imperium & communicauit, & posuit.

CAROLI

CAROLI SIGONII HISTORIARVM, DE OCCIDENTALI IMPERIO, LIBER II.

CONSTANTIVS PIVS AVGVSTVS.

CONSTANTIVS inde, & Galerius Imperium, quod commune Diocletianus, & Maximianus habuerant, nouo, vt Orosius dixit, exemplo inter se diuiserunt. Constantio Italia, Africa, Gallia, Hispania, & Britannia obtigit; Galerio Asia, Oriens, Ægyptus, & Illyricum. ex quibus Oriens Syriam, Armeniam, Arabiam, & Mesopotamiam comprehendit, Illyricum vero Thraciam, Mœsiam, Daciam, Pannoniam, Macedoniam, Græciam, & Dalmatiam. atque hæc tum Occidentalis, & Orientalis Imperij nomine comprehensa sunt. Constantius autem tantam animi moderationem adhibuit, vt Italiam, & Africam Galerio vltro dimiserit. Quibus rebus actis ipse in Galliam, Galerius in Pannoniam abiit ad tuendos limites, qui violabantur à barbaris. Eo vero postquam venerunt, suas vterque prouincias pro ingenio, iudicioq; suo longe diuersa inter se ratione gerere instituerunt. Nam Constantius, ne cui Christianorum religionis gratia noceretur, edixit. Galerius inceptam persequutionem in omnibus suis prouinciis crudeliter exercere perrexit. Itaque Victorem Maurum, cum Mediolani immolare abnueret, VIII Idus Maias necari præcepit. quem Maternus vrbis episcopus pridie Idus Maij in sepulchro recondidit. Romæ V Kal. Iulias Marcellus presbyter haudquaquam tristi Marcellini euentu deterritus delatam ecclesiæ Romanæ accepit administrationem. Sequenti anno 305
Constantius, & Galerius Augusti Kal. Ianuarij ambo quintum consulatum, pridie Idus Februarij Postumus Titianus vrbis præfecturam iniuit. Eo anno Galerio aduersus Christianos acerbissime sæuiente, Constantius cum summam erga omnes humanitatem, tum maximam erga Christianos adhibuit. Etenim Galerius in eos præcipue se intulit, qui in Palatio versabantur, adeo vt ipsum sanctis viris prorsus exhauserit. Constantius vero, vt quemque maxima apud se excellere pietate cognouit, ita amplissimis eum honoribus extulit. Itaque experiendæ, quemadmodum Eusebius inquit, illorum fidei gratia quodam die optione omnibus data, hanc tulit conditionem, vt aut immolando integram potestatem præstandæ sibi operæ retinerent, aut, si sacrificare abnuerent, à consuetudine, congressuque suo recederent. Cum autem alij tuendæ illius gratiæ caussa se sacrificaturos dixissent, alij in pristina Christi colendi sententia permansissent, illos, tanquam Dei sui proditores grauissima oratione increpuit, hos ob synceram, constantemque erga eundem voluntatem eximie collaudauit. atque illis amandatis, vt qui ne sibi quidem præstituri fidem essent, quam Deo fefellissent, hos regni sui custodes constituit. Quin etiam, vt addit Eusebius, inanem multorum deorum superstitionem destituit, ac Deum vnum omnium rerum moderatorem sibi colendum suscepit, neq; propter religionem alicui negocium facessiuit, ac propterea reliquum vitæ beatissime degit. Ex quo factum est, vt Gallia, Britannia, & Hispania non solum posthac clades persequutionis non senserint, sed etiam in maxima felicitate Constantio imperante versatæ sint. Postero anno, Constantio, & Galerio Augustis sextum 306
consulibus, Galerius in Italiam ex Illyrico reuersus XI Kal. Martias duos sororum filios Cæsares cooptauit, Seuerum, & Maximinum, atq; illi Italiam, & Africam, huic Orientem cum Asia, & Ægypto commisit. ipse vero sibi Illyricum reseruauit.

SEVERVS CÆSAR.

ERANT tum forte Thermæ Diocletianæ ad ſummum perductæ, verum nondum de more dicatæ. Quare Galerius ſignis ornatas hoc demum anno dedicauit, atque ita inſcripſit: *Conſtantius, & Maximianus Inuicti Auguſti, Seuerus, & Maximinus Cæſares Thermas ornauerunt, & Romanis ſuis dedicauerunt.* Kalendis Martiis Seuerus, & Maximinus Cæſares conſules ſuffecti, XIIII Kal. Maias Annius Annullinus præfectus vrbis. Gliſcente inde perſequutione x Kal. Iulias martyrium de Timotheo ſumptum eſt. Hic ſuperiore anno Antiochia profectus, Syluestri, qui poſtea Romanæ eccleſiæ præfuit, hoſpitio vſus eſt. Cum autem Chriſtum in vrbe prædicaret, ac multos ad eum traduceret, vehementius oculos in ſe miniſtrorum regiorum conuertit. Itaq; in cuſtodiam traditus capitali ſupplicio eſt affectus. Cadauer eius, licet obſeruatum, ne ſepulturæ committeretur, Sylueſter noctis ſilentio ſuſtulit, ac domum occulte deportauit. Kal. Iuliis iniit Cornelius Anullinus vrbis præfectus. Hæc Romæ. Interim Conſtantius Auguſtus ex Gallia in Britanniam contra Pictos, Caledonaſq; mouentes traiecit. Erat adhuc Cõſtantinus filius eius, vt diximus, apud Galerium, iam annum ætatis triceſimum natus. Is cum inſidias ſibi parari argumentis non dubiis comperiſſet, opportune fugam arripuit, & ad fruſtrandos inſequentes publicis iumentis, quacunq; iter egit, occiſis, ſumma celeritate ad patrem redire contendit. Diuino autem conſilio accidit, vt eadem hora, qua ille ſoluebat, acceſſerit, quo patri Imperatori propediẽ morituro ſuccederet, qui inſtitutam in Occidente pacem Eccleſiæ, ciuitatibus iuſtitiam, populis libertatem præſtaret. ſi quidem Conſtantium, ſimulatq; Eboracum peruenit, grauiſſimus repente morbus inuaſit. quo ſæuiente, vt ſenſit, finem adeſſe vitæ, rogatus à præſentibus, cui Imperium relinqueret, Conſtantino reſpondit, ac mox VIII Kal. Auguſti deceſſit. Itaq; Gallus orator merito poſtea dixit ad Conſtantinum: *Conſtantij ſuprema illa expeditio non Britannica trophæa, vt vulgo certum eſt, expetiuit, ſed, Diis iam vocantibus, ad intimum terrarum limen acceſſit. neq; ille tot, tantiſq; rebus geſtis, non dico Caledonum, aliorumq; Pictorum ſyluas, & paludes, ſed nec Hyberniam proximã, nec Thylem vltimam, nec ipſas, ſi quæ ſunt, Fortunatorum inſulas dignatur acquirere. ſed, quod eloqui nemini voluit, iturus ad deos, genitorem illum deorum ignea cæli aſtra refouentem proſpexit Oceanum, vt fructurus exinde luce perpetua iam videret illic diem pene continuum. quinimmo ſententiam rogatus, cui Imperium decerneret, vt decebat, dixit Conſtantinum Pium. Iam tum cæleſtibus ſuffragiis ad ſalutem reip. vocabaris, cum ad tempus ipſum, quo pater in Britanniam transfretabat, claſſi iam vela facienti repentinus tuus aduentus illuxit, vt non aduectus curſu publico, ſed diuino quodam aduolaſſe curriculo videreris. non enim illa Perſarum, Cydonumve tela tam certis ictibus deſtinata fixere, quàm tempeſtiuus patri tuo terras relicturo affuiſti, omneſq; illius curas, quas præſaga, & tacita mente voluebat, præſentia tua ſecuritate laxaſti.* Præter Conſtantinum ex Helena, vt dixi, ſuſceptum reliquit Conſtantius filios duos ex Theodora, Conſtantium, & Dalmatium, itemq; filias tres Conſtantiam, Eutropiam, & Anaſtaſiam, vir cum propriis laudibus clarus, tum præcipue Conſtantini filij, quem Imperatorem inſtituit, eximiis virtutis, ac pietatis inſignibus merito memorandus.

CONSTANTINVS MAXIMVS AVGVSTVS.

CONSTANTINVS autem, poſtquã patrem vita functum animaduertit, illum Gentilicio inſtituto in numerum deorum referendum curauit. Inde funus eius pie adeo celebrauit, vt ipſe etiam ſordium, ac lacrymarum plenus præiuerit. Quem vt milites viderunt, Conſtantium ſibi reſtitutum exiſtimantes, extemplo Auguſtum ſalutarunt, ac purpura, licet obluctantem, ornarunt. quorum prærogatiuam ſenatus deinde à Conſtantino conſultus ſummo ſtudio comprobauit. Quo nuncio accepto repente magno prouinciales omnes gaudio euecti ſunt, quòd Imperatorem ne breui quidem temporis momento deſideraſſent. Hoc facto lætatus Conſtantinus Imperium ille quidem accepit, ſed Auguſti tamen appellatione abſtinuit. Quare orator ille idem ſic adiecit: *Dij boni quanta Conſtantium Pium in*

excessu

excessu suo felicitate donasti. Imperator transitum facturus in cœlum vidit, quem relinquebat heredem. illico enim atque ille terris fuerat exemptus, vniuersus in te consedit exercitus: te omnium mentes, oculique signarunt. & quanquam tu ad seniores de summa reip. quid nam fieri placeret, retulisses, præuenerunt tamen studio, quod illi mox iudicio probauerunt. purpuram statim tibi, cum primus copiam tui fecit egressus, milites vtilitati reip. magis, quàm tuis affectibus seruientes, iniecere lacrymanti. neque enim fas erat, diutius fleri principem consecratum. diceris etiam Imperator ardorem illum te poscentis exercitus fugere conatum equum calcaribus incitasse. quod quidem, vt verum audias, adolescentiæ errore faciebas. atque his actis eximiam prouincialium erga se voluntatem promereri singulari iustitia, comitateque præstanda contendit. In primis autem exemplo patris Christianorum neminem violari passus est, sed liberam omnibus sacrorum, cæremoniarumque potestatem, atque arbitrium est largitus. Quod Lactantius, credo, etiam significauit, cum illum appellans ita scripsit: *Cum dies ille felicissimus orbi terrarum illuxisset, quo te Deus summus ad beatum Imperij culmen euexit, salutarem vniuersis, & optabilem principatum auspicatus es, cum euersam, sublatámque iustitiam reducens teterrimum aliorum facinus expiasti.* Constantium mortuum, & Constantinum à patre, atque ab exercitu Imperatorem substitutum, vbi fama primum, deinde imago etiam eius ad vrbem de more missa in Italiam detulit, maximus extemplo Romæ tumultus Seuero Cæsare Mediolani agente, est concitus. Maxentius Maximiani filius in Cæsare cooptando à patre, vt dixi, præteritus, in villa publica sexto ab vrbe lapide priuatus itinere Lauicano degebat. Hic ira incensus, quòd Constantinus aut iniusto, aut certe humili matrimonio natus ad Imperium euasisset, ipse vero summi Imperatoris filius vna cum illo priuatus in ocio consenesceret, statim, vt hæc audiuit, de vindicando sibi Imperio cogitauit. Quare milites prætorianos, in quorum potestate iam inde ab Augusto Imperante vrbs erat, per Marcellum, & Marcellianum tribunos militum ingentibus promissis ad se traducit, atque eorum auxilio vrbem ingressus Abellio præfecti vrbis vicario, qui se conatis suis obiiciebat, occiso Augustus appellatus, VII Kal. Octob. Imperium arripit.

Maxentius imperium invadit.

MAXENTIVS IMPERATOR.

BENIGNE autem à ciuitate receptus ad firmandas opes primò se æquum ita vniuersis exhibuit, vt salutaria etiam Christianis edicta ediderit. atque eos litteris etiam suis rectoribus commendarit. (quæ actio eo fuit insignior, quo acrius eos Galerius quintò iam cœptæ persequutionis anno vexabat.) ac se consulem in reliquum anni constituit. Seuerus Cæsar, postquam Maxentium Roma potitum, atq; Augustum acclamatum accepit, continuo certiorem Galerium auunculum fecit, atq; Augusti nomine sumpto, illius consilio, atque auxilio vsus ingentem conscriptis quoq; Mauris exercitum comparauit. eumq; ad vrbem adduxit eo animo, vt aut acie cum Maxentio decertaret, si pedem portis efferret, aut, si bellum mœnibus propulsaret, vrbem in potestatem assidendo redigeret. Verum obsidione opus non fuit. Maxentius Anullino præfecto vrbis sibi conciliato vrbe egressus in certamen descendit. quo inito Seuerus haud magno negotio superatus, atq; fugatus, Rauennam se rettulit, quæ vrbs erat opere, præsidioq; munita. Interim Maximianus Maxentij pater his auditis ex Lucania priuatus accurrit, vt hos tumultus componeret. Quem vbi Romani viderunt, Augustam quondam in eo maiestatem venerati, summis precibus, vt Imperiũ resumeret, ac publica auctoritate laborantibus Romæ, Italiæq; rebus consuleret, obsecrarunt, eiq;, quos conscriptos habebat, milites tribuerunt. Quorum ille voluntati libens paruit, atque Augustalia ornamenta, vt inuitus dimiserat, sic studiose recepit. Verba, quibus ipsum Romani ad resumendum Imperiũ adduxerunt, in vetere Panegyrico adhuc leguntur ad ipsum dicto: *Fecit Roma pro maiestate nominis sui, vt ostenderet, posse se etiam Imperatoribus imperare. abduxit exercitus suos, & tibi reddidit, & cum ad sedandos animos auctoritatem priuati principis attulisses, supplices tibi manus tendens, vel potius queribunda clamauit: Quousq; Maximiane patiar, me quati, te quiescere, mihi libertatem adimi, te vsurpare tibi illicitã missionem? An quod Diuo Augusto post septuaginta ætatis, quinquaginta Imperij annos non*

Maximianus denuo Imperator.

licuit, tam cito licuit tibi? ideo ne te mihi ille, cuius tot numina colo, Hercules dedit, vt tu in suburbano ociosus sedens vsum dicata mihi virtutis omitteres? redde te gubernaculis meis. & quoniam tranquillo mari portum intrare non properasti, vade per fluctus mei quidem amore solicitus, sed tua maiestate securus. imperasti rogatus à fratre, rursus impera iussus à matre. Non potuisti sanctæ illius parentis resistere imperio, & te vigiliis, curisq; illis, quas viginti annos expertus fueras, reddidisti. Cum igitur Maximianus Augustalia insignia recepisset, facile inde adductus est, vt nonum consulatum cum Constantino Augusto sequenti anno inierit.

307 Quo facto inde cum exercitu ad obsidendam Rauennam, vbi Seuerus se confirmauerat, est progressus. Cœpta oppugnatione, postquam vrbe vi se potiri non posse, ac maioris, quàm putarat, negocij rem esse, animaduertit, Seuero, vt Romam sacramento incolumitatis accepto repeteret, persuasit. Ita Seuerus Maximiani fidem sequutus Rauenna excessit, atque ad Tres tabernas, quod oppidum non longe ab vrbe via Appia aberat, sese contulit, haud dubia spe ductus, vrbem se Maximiani opera recepturum. Maximianus autem non solum promissa non præstitit, sed etiam exercitum eius solicitatum ad se conuertit. ipsumq; insidiis circunuentum mediis in castris extinxit. cadauer eius sepulchro Galieni Imperatoris illatum est, quod in via Appia nouem passuum millibus ab vrbe distabat. Hæc mense Aprili acta. Galerius Augustus, cum in oppido Pannoniæ superioris Carnunto post captam vrbem, turpem exercitus defectionem, ac miseram Seueri necem audisset, eam inultam relinquere, dignitatis non esse suæ putauit. Itaq; statim cum maioribus copiis, quàm quas Seuerus habuerat, Romam versus processit, & se Maxentio hostem aduenisse, ostendit. verum mox, cum & suas, & aduersariorũ vires circunspectaret, metu attonitus in Illyricum ex prœlio retrocessit. Quare in vetere Panegyrico ad Constantinum dicto ita est: *Duxit magnum Seuerus exercitum, & hostem suum perfidia desertus armauit. maiores postea copias Galerius Maximianus admouit, & ipse transfugis visus est prospere refugisse.* Seuero dominandi cupiditate per dolũ sublato, Galerioq; propulso Maximianus inde ad Maxentiũ filium euertendum alienato ad Imperandi libidinem animo se conuertit. ac consilio cum familiaribus suis cõposito, exercitu aduocato in tribunal ascendit, atq; Maxentiũ tantis gerẽdis rebus imparem, & parum idoneum esse, docere cœpit. Quam vocem cum milites iniquis auribus excepissent, longius progredi oratione conantem inhibuerunt. ac probra in eum tanquam Imperium sibi improbe vindicantem ingesserunt. ac durius etiam consulturos, si pergeret, ostenderũt. Quo ille periculo exanimatus confestim ex humeris purpuram detraxit, negans, se id, quod ipsi suspicabantur, in animo habuisse, sed militum animos, quemadmodum affecti erga Maxentium essent, periclitari voluisse. Itaq; in antiquo Panegyrico illa sunt: *Ipse, qui pater Maxentij credebatur, discissam ab humeris purpurã detrahere coactus sensit, in illud dedecus fata sua transisse.* Hoc consilio irrito priuatus inde ad Diocletianum se contulit, qui forte, vt inquit Zosimus, erat Carnunti, atque ei, vt secum Imperium resumeret, pro re magna suadere instituit. Quod Diocletianus se facturũ cum magna moderati animi laude abnuit. atq; ita adiecit: Si tibi videre liceret olera mea manu Salonæ instituta, nunquam vt hoc à me postulares, in animũ induxisses. Hac spe depulsus inde ex Illyrico perrexit in Galliam. Eo anno Constantinus compositis Britanniæ rebus in Galliam reuersus cum regibus Francorum Asarico, & Gaisone bellauit. Hi violata pace, quam cum Constantio patre pepigerant, Galliam illo absente incurrerant. Constantinus autem rem indignam, neque vllo modo silentio prætereundam ratus, exercitum Rhenum traduxit, atque in Francorum regionem irrupit. (erant autem, vt inquit D. Hieronymus, inter Saxones, & Alemanos locati.) ac prœlio graui cõmisso reges cepit, ac diris ad prodendum exemplum cruciatibus editis interfecit, ripamq; ipsam Rheni pacauit. Maximianum inde ad se venientem tanto honore, atq; adeo magnifico prouincialium omnium occursu excepit, vt, si Imperator fuisset, maiore excolere non potuerit. mox tam liberaliter in suo Palatio Treuiris habuit, vt penes se habitum, penes illum ius Imperij residere voluerit. sic enim in Panegyrico ad Constantinum dictum est: *Tu Maximianum ab vrbe pulsum, ab Italia fugatum, ab Illyrico repudiatum tuis prouinciis, tuis copiis, tuo Palatio recepisti.*

priuatum

priuatum ocium, & regias opes dedisti. impensius etiam, quàm tibi, occurrere obsequia nostra mandasti. omnibus iussis sic statuisti obedire, vt penes te habitus, penes illum potestas esset Imperij. Veteri deinde necessitudini nouum quoque vinculum affinitatis accessit. quòd Maximianus Faustam filiam in matrimonio Constantino nuptiis copulauit, & Constantino ipsi nomen Imperatoris ab eo vsque ad eam diem repudiatum impertiit. Ea sponsalia lætissimis animis celebrata, ac magnifica oratione ab Æduo oratore ita laudata, vt soceri etiam, generiq; virtutes egregie comprehenderit: *Certum est mihi*, inquit, *ea præcipue isto sermone complecti, quæ sunt huius propria lætitiæ, qua tibi Cæsari additum nomen Imperij, & istarum cælestium nuptiarum festa celebrantur. quid enim rebus humanis contingere potuit aut nobilius ad gloriam, aut certius ad salutem, quàm quòd pristinæ vestræ concordiæ, perpetuæq; pietati hoc quoque pignus accessisset summorum numinum arctissima coniunctione venerabile, vt Imperatori filiam collocauerit Imperator? quid porro aut tu carius dare, aut tu carius accipere potuisti, cum hac affinitate vestra & tibi, Maximiane, per generum iuuenta renouata sit, & tibi, Constantine, per socerum nomen Imperatoris accreuerit? Maximas itaq; vobis, Æterni principes, publico nomine gratias agimus, quòd suscipiendis liberis, optandisq; nepotibus seriem vestri generis propagando omnibus in futurum seculis prouidetis, vt Romana res olim diuersis regentium moribus, fatisq; iactata, tandem perpetuis domus vestræ radicibus coalescat, tamq; sit immortale illius Imperiũ, quàm sempiterna soboles Imperatorum. O diuinum tuum, Maximiane, iudicium, qui hunc tibi iure adoptionis nepotem, maiestatis ordine filium, in quem se prima illius iuuenta transfudit, in cuius ore cælestes illius vultus natura signauit, qui aspectum illius ad deorũ concilia translati adhuc desiderantibus nobis sufficit pro duobus. Neq; enim forma in te tantum patris, Constantine, sed etiam continentia, fortitudo, iustitia, prudentia sese votis gentium præsentat. Quo enim magis continentiam patris æquare potuisti, quàm quòd te ab ipso fine pueritiæ illico matrimonij legibus tradidisti. Fortitudinem autẽ illius iam tum in principiis consequutus es. multa ille Francorum millia, qui Batauiam, aliasq; cis Rhenum terras inuaserant, interfecit, depulit, abduxit. tu iam ab ipsis eorum regibus auspicatus es. simulq; & præterita illorum scelera punisti, & totius gentis lubricam fidem timore vinxisti. Liberauit ille Britannias seruitute, tu etiam nobiles illic oriendo fecisti. cuius tanta maturitas est, vt cum tibi pater Imperium reliquisset, Cæsaris tamen appellatione contentus expectare malueris, vt idem te, qui illum, declaret Augustum. si quidem ipsum Imperium hoc fore pulchrius iudicabas, si id non hereditarium ex successione cepisses, sed virtutibus eius debitum à summo Imperatore meruisses. neq; enim dubium, quin tibi mature sacrum istud fastigium diuinæ potestatis astrueret, qui te iam olim sibi generum etiam antè, quàm petere posses, sponte delegerat.* Interim Romæ. Kal. Iuliis Maxentius Augustus iterum cum Maximino Cæsare iterum consulatum iniuit, ac reb. ad voluntatem fluentibus Italiam ad suum Imperium vniuersam adiunxit, ac VI Kal. Septembris præfectum vrbis Tertullum constituit. Sub eosdem dies orto temere in vrbe incendio templum Fortunæ conflagrauit. ad quod extinguendum cum ingẽs multitudo populi aduolasset, plebs militem quendam, qui probris numen Fortunę incesserat, interfecit. Quo facto militum seditio tanta est concitata, vt ad vrbem inflammandam concursuri fuerint, nisi propere Maxentius occurrisset, ac miti oratione animos eorum exasperatos leniisset. Cum idem imaginem suam in Africam, tanquam in prouinciam, Seueri victoria, suam misisset, milites, qui Galerio dediti erãt, ne circunferretur, obstiterunt. pòst autẽ cum Maxentium expeditionem adornare in Africam percepissent, timore perterrefacti Alexandriam discesserũt. verum in itinere à maiore manu oppressi Carthaginem redire coacti sunt. Maxentius aduersis auspiciis, ne in Africam traiiceret, territus ad Alexandrum præfectũ prætorio Africæ sese cõtulit. & ab eo fidei caussa filium obsidem postulauit. Alexander perfidiã hominis auersatus legationẽ repudiauit. qua de caussa occulto à Maxentio scelere appetitus est. Qua re cõperta milites defectione inita Alexandrum, hominem Phrygem, atq; ætate prouectũ purpura induerunt, Augustumq; cõsalutarunt. Et hoc anno, q fuit Christianæ persequutionis sextus, Galerius in Illyrico, Maximinus in Oriente vexationes Christianorũ acerbe exercere perseuerarunt. Romę autem, & in Italia Christiani optatã pacem egerunt. Nã Maxentius partim gerẽdis bellis, partim cõciliandis populorũ animis occupat⁹ omnino persequutioni pepercit.

Itaque Marcellus vrbis episcopus, cum multos vltro ad baptismum, & pœniten-
tiam se conferre videret, Titulorum in vrbe numerum auxit. Hos titulos Euaristus
sextus à S. Petro episcopus septem in vrbe instituerat, eosq; singulis presbyteris dis-
tribuerat; vt in sua quisque æde sacra faceret, ac populum erudiret. Marcellus au-
tem, vt consuleret religioni eorum, qui baptismum frequentes poscebant, Titulos
ad numerum quindecim redegit. eosque quasi diœceses quasdam esse constituit.
Quin etiam Priscillæ, & Lucillæ matronis locupletibus auctor fuit, vt vna cœme-
terium suis pecuniis via Salaria conderet, altera bonorum suorum heredem Dei
ecclesiam institueret. Ea de caussa ambarum inde nomen inter Christianos incla-
308 ruit. Kalendis autem Ianuariis Galerius Augustus VII, & Diocletianus X, inde VII
Kal. Maij Maxentius Augustus III, & Romulus filius eius, quem Cæsarem appel-
lauerat, consulatum, Idibus Aprilis Statius Rufinus præfecturam vrbis, inierunt.
Eo anno Constantinus Augustus Bructeris Francorum populis regum suorum sup-
plicia deplorantibus intulit bellum. Exercitu repente Rhenum transmisso hostes
inopinantes inuasit, ne copiam, vt antè, refugiendi in syluas haberent, atque ho-
mines, pecudésque, quas nactus est, promiscue strauit, vicos incendit, puberes,
quos captiuos abduxit, atque indignos venia iudicauit, munere magnifico edito
bestiis laniandos obiecit. Maxentius autem misso demum cum exercitu in Afri-
cam Rufio Volusiano præfecto prætorio Alexandrum fugientem cepit, eoq; mor-
te multato iuris sui Africam fecit. Inde quæstiones acerbissimæ habitæ, ac pluri-
mi, tanquam Alexandri tyrannidis socij, in crimen vocati. iidemq; aut vita spolia-
ti, aut prorsus fortunis euersi. Quibus rebus actis nobilem de Africa, & Alexandro
victo Romæ egit triumphum.

Galerius, & Maximinus septimo iam anno hostili persequutione Christianos
in suis prouinciis fatigarunt. inter quos Pamphilus presbyter præcipue ab Eusebio
prædicatur, qui cum duodecim aliis post exquisitos cruciatus, quos constantissi-
mo animo pertulerunt, glorioso demum Cæsareæ martyrio, Firmiliano iudicium
309 exercente, donatus est. Postero anno nulli in Imperio consules ordinarij extitere.
ex quo hic annus post consulatum Diocletiani X, & Maximiani VII dicitur, in ty-
rannide vero Maxentius Augustus IIII, & Maximus inierunt. Hoc anno Maxen-
tius Italia, Africaq; pacata, rebus secundis, vt in prauis euenire animis solet, elatus
mores mutauit, ac tyrannidem Romæ, atque in Africa exercere, in primisq; Chri-
stianos lacerare instituit. quippe prolapsus ad omnia scelera nullum impietatis,
nullum intemperantiæ genus omisit. Etenim sic se adulteriis dedidit, vt legitimas
vxores viris ademerit, easq; ignominia affectas, ac corporis ludibria deplorantes
reddiderit. in quo non obscuros solum homines, sed senatorij etiam ordinis viros
læsit. rapinas ita exercuit, vt bonorum eripiendorum caussa senatores diuites non
exiliis solum, sed etiam morte multarit. à iustitia vsque adeo auersus fuit, vt para-
tos, qui aut insidiatos sibi, aut palam aliquid pro libertate conatos esse criminaren-
tur, habuerit. denique Christianos ea persequi atrocitate instituit, vt ne episcopo
quidem vrbis Marcello, sanctissimo viro, pepercerit. Hunc enim in ordinanda ec-
clesia occupatum cum comprehendisset, pontificatu se abdicare, & gentiliciis sa-
crificiis se dedere iussit. ac mox præcepta sua irridentem in catabolum dedidit.
Marcellus autem tantam constantiam adhibuit, vt in pistrini quoque seruitute as-
siduis precibus Deum placare, atque vrbis parœcias litteris visitare perstiterit. Ita-
que XVI Kal. Februarias epistolam quoque super hac re ad Maxentium scripsit,
Maxentio, & Maximo consulibus datam. Constantinus autem Germaniæ perdo-
mandæ intentus pontem instituit ad Coloniam Agrippinæ, non vt facultatem tra-
iiciendi pararet (nam totum armatis nauibus Rhenum instruxerat, & ripis omni-
bus milites disposuerat) sed vt gloriam Imperio, & limiti ornatum adiungeret, si
qua ferocissimus amnis esset, vel inuito pontem imposuisset. Hoc vero vbi institui
opus hostes viderunt, propere legatos, qui pacem peterent, obsidibus pollicen-
dis miserunt.

Dum autem hæc ille molitur, Maximianus eadem, qua antè, dominandi li-
bidine stimulatus, Treuiris consilia clandestina de Imperio ipsi pariter adimendo
iniuit,

iniuit, ac milites eius aliquot præmiis ad ſe perducere occulte contendit. Quam rem cum forte Fauſta filia comperiſſet, ad virum Conſtantinum continuo detulit, eumq; ad vindicandam iniuriam, & dignitatem ſuam tuendam incitare non dubitauit. Maximianus autem profectus in Narbonenſem, ſpecie vt Maſſiliæ in Italiam nauigaturus cõſcenderet, cum in itinere omnes manſionum copias abſumpſiſſet, ne quis ſe conſequi exercitus poſſet, repente Arelate intra parietes iam tertiũ purpuratus emerſit, ac litteris ad ſolicitandos exercitus miſſis fidem militum ingentium præmiorum oſtentatione tentauit. Quod vbi facinus Conſtantini milites acceperunt, repente tanto perdendi hominis ſtudio exarſerunt, vt protinus à Conſtantino ſignũ profectionis popoſcerint, nec viatico expectato, arreptis armis abierint. Itinere, quod eſt à Rheno ad Ararim, integris viribus, animiſq; flagrantibus ſine vlla cunctatione confecto naues exceperunt, quæ in Cabillonenſi ſtatione ad reficienda corpora fuerant præparatæ. Ibi ſegnem nimis, ac cunctabundũ amnem eſſe, ac carinis tacite labentibus ſtare ſe, non ire, vociferantes vſum pedum manibus aggreſſi nauibus incubuere, & naturam fluminis vrgendo vicere. Quin etiam ab Arari ad Rhodanum progreſſi ne ipſa quidem rapidiſſimi amnis velocitate fuere contenti. vbi vero Arelate profecti Maximianum ſe contuliſſe Maſſiliam didicerunt, extemplo nauibus egreſſi eò contendere perrexerunt. (Maſſiliam vero ille petierat, vt, ſi neceſſitas vrgeret, facultatem in Italiam redeundi haberet.) & cum eò perueniſſent, vrbem extemplo militum corona circundederunt, haud ambigua ſpe freti, ſe illa potituros, licet portu firmiſſimo prædita, & mœnibus altiſſimis, ac turribus creberrimis, haud ſecus quàm Cæſaris quondam ætate, eſſet munita. inde tanta fiducia inuaſerunt, vt muros ſtatim occupaturi fuerint, niſi parandis, quas admouerent, ſcalis coniecturam oculorum altitudo mœnium fefelliſſet. multi tamen breuitate ſcalarum decepti, quod ad aſcendendũ ſupererat, extenſis conſequebantur corporibus, & ſuccedentium humeris ſubleuati iam interualla pinnarum inuaſerant, cum Conſtantinus ſignum receptui dedit, ac pauliſper inde receſſit. Poſt noctem autem militibus ad vrbem repente reductis hoſtes re inopinata ſic exterruit, vt ſe tueri poſſe diffiſi vrbem dediderint. Vrbe capta Maximianus in poteſtatem Conſtantini adductus, iuſſu eius ſtrangulatus pares merito pœnas inuenit. Cadauer eius Mediolanum miſſum ibi ſepulchro commiſſum eſt. Conſtantinus rep. tyrannide, & Gallia ciuili certamine liberata, mirum, quantum ad laudem, gloriamq; profecerit, iam cunctis tantæ virtutis indoli vniuerſum Imperium ſpe, ac ſtudio deſtinantibus, &, quoniam tyrannos delere inſtituerat, Maxentium Maximiano ingenti animorũ ardore iungentibus. Inde aduerſus barbaros abſentia ſua tumultuantes cõtendit. Hi erant Bructeri, Clamaſi, Cheruſci, Vangiones, Alemani, & Tubantes. qui primum propriis, deinde cõmunibus armis mouerant, ac vires, cõſiliaq; belli conſociarãt. qua re perſpecta ille Deo ſubnixus, diſſimulato principis habitu adit eos, benigne appellat, ſpes explorat. inde regreſſus ad ſuos cũ exercitu in eoſdem ſe refert, ac primo impetu, dum ſociales contrahunt copias, fundit, fugatq; ac victor Treuiros in hiberna regreſſus templo Apollinis vota concepta perſoluit, idq; donis ampliſſimis ornat. quam victoriam Nazarius ita exaggerauit, vt dixerit, vnum hoc bellum, ſi debitis laudibus immorari vacaret, diem integrũ abſumpturum. Perſequutio Chriſtianorum in Oriente hoc anno, qui fuit eius octauus, leniri, ac mitigari, teſte Euſebio, cœpit, bello inter Maxentium, & Maximinum excitato. quorum in pari ſcelere amicitia diu permanere firma nõ potuit. Maximinus magicis obſtrictus ſtudiis fuit, & praue Imperium gubernauit. Nam & ſęuiores, quàm maiores ſui, in Chriſtianos quæſtiones exercuit, & ſtudioſius ceteris religionem Gentilium coluit. hinc in locupletũ fortunas auidius ſeſe intulit. crapulæ, atq; abdomini deditus ſæua multa per vinolẽtiam, & ebrietatem commiſit. mulieribus ita ſtuduit, vt nullam ciuitatem adierit, in qua nõ aut adulteriorum, aut ſtuprorum veſtigia impreſſa reliquerit. atq; hæc ferme aduerſus Gentiles eius libido bacchata eſt. Chriſtianos autem igne, ferro, clauiſq; cruciauit, immanibus beſtiis laniandos obiecit, in mare præcipitauit, membris multauit, famis, metallorum, & vinculorum ærumnis afflixit; vſq; adeo vt in omni genere flagitij, & crudelitatis ipſum etiam in

310 Italia Maxentium superarit. Proximo anno, qui fuit post Christum natum trecentesimus decimus, iterum post consulatum Diocletiani, & Maximiani Romæ Marcellus pontifex nono mense per clericos suos cataboli seruitute silentio noctis eximitur, atque hospitio à Lucina matrona receptus in ædibus eius ecclesiam dedicat, atque ibi dies, noctésq; solemniter sacris operari insistit. Quod vbi Maxentius accepit, iratus ipsum extemplo corripi iussit, ac iumenta cataboli curare eò translata coegit. quo in opere ipse mox nudus, ac vix cilicio tectus VIII Kal. Februarias expirauit. corpus eius à Lucina sublatum in cœmeterio Priscillæ sepultum est. Ædes illa in hunc vsque diem S. Marcelli nomine decoratur. Post viginti dies Eusebius, homo Græcus, episcopus substituitur. Marcelli constantiam per eosdem dies imitata est mulier Christiana. Hæc cum à ministris Maxentij ad libidinem posceretur, vbi marito metu profecto relictam se stupro, atque ignominiæ vidit, paululum temporis ad se ornandam petiuit, ac cubiculum ingressa, vt pudicitiam eo, quo poterat, modo seruaret, gladio sibi pectus aperuit. Eusebius pontifex hæreticos in vrbe deprehensos per manus impositionem ecclesiæ reconciliauit. In Pannonia vero Quirinus Scisciæ episcopus insigne documentum sacerdotalis sanctitatis, atque constantię dedit. Nam, cum iussu Galerij mola collo alligata in flumen è ponte præcipitatus esset, superstes diu aquis supernatauit, atque aspectantes Christianos alloquutus, ne sui exemplo fide deterrerentur, admonuit. ac tandem vix, vt mergeretur, à persequutoribus impetrauit.

Interim dissociatis Maximini, atque Maxentij animis infestum erat vtriusq; Imperium. nam nec mare nauigari tuto poterat, & qui vtrinque capiebantur, omnium tormentorum, & suppliciorum acerbitates à tyrannis patiebantur. Itaque cum vbique irruptiones, rapinæ, cædésque fierent, totum Imperium, nisi quod à Constantino tenebatur, mirandum in modum laniabatur. Ex quibus rebus tanta annonæ inopia Romam incessit, quanta ciuitatem illam laborasse, homines non meminerant. &, cum certa in loca scuta, instrumentaq; militaria ab vtraque parte congererentur, nihil aliud, quàm ipsa fœdi certaminis commissio, atq; aspera conflictatio expectabatur. Romæ Kal. Septembris suffecti consules Heraclius, & Eusebius. V Kal. Nouembris C. Ceionius Rufius Anullinus præfectus vrbis, & III Kal. Heraclius Rufinus iterum inierunt.

Constantinus cum ad quintum Imperij sui annum feliciter peruenisset, quinquennalia vota sibi soluenda, ac decennalia concipienda putauit. ac Treuiris ludos in eiusmodi celebritate solemnes magna populorum frequentia edidit. deinde natalem etiam diem vrbis eius, quæ à se restituta, atque ornata erat, magno apparatu peregit. In ea celebritate orator quidam Æduus ipsum nobili laudauit oratione, in qua primum se post quinquennalia acta dicere indicauit, cum dixit: *Quamuis ille felicissimus dies proxima religione celebratus Imperij tui natalis habeatur, quoniam te isto habitu primus ornauit, iam tamen ab illo generis auctore Imperij fortuna descendit.* deinde res gestas à Constantio, & Constantino tetigit, bellum vero proximum cum Maximiano gestum enucleate descripsit. tum ipsum Constantinum ad suam quoque patriam Bibracte visendam inuitauit, his verbis: *Dij immortales, quando illum dabitis diem, quo præsentissimus hic Deus omnia pace composita illos quoque Apollinis lucos, & sacras ædes, & anhela fontium ora circumeat? quorum scaturigines leni tempore nebulosæ arridere, Constantine, oculis tuis, & osculis se inserere velle videntur. Miraberis profecto illam quoque muneris tui sedem, & calentes aquas sine vllo solis ardentis indicio. quarum nulla tristitia est saporis, aut halitus, sed talis haustu, & odore synceritas, qualis fontium frigidorum. Dabis & illic munera, constitues priuilegia, ipsam denique patriam meam ipsius loci veneratione restitues. cuius ciuitatis antiqua nobilitas, & quondam fraterno nomine populi Rom. gloriata opera tuæ maiestatis expectat, vt illic quoque loca publica, & templa pulcherrima reparentur, sicut hic video hanc fortunatissimam ciuitatem, cuius natalis dies à tua pietate celebratur, ita cunctis manibus resurgentem, vt se quodammodo gaudeat olim corruisse auctior tuis facta beneficiis. video circum maximum, æmulum credo Romano; video basilicas, & forum, opera regia, sedémque iustitiæ in tantam altitudinem suscitari, vt se sideribus, & cælo digna, & vicina promittant. Quæ certe omnia sunt præsentia tua munera. Quæcunque enim*

loca frequentissime tuum numen illustrat, in his & hominibus omnia, & mœnibus, & muneribus augentur. Nec magis Ioui, & Iunoni recubantibus nouos flores terra submisit, quàm circa tua Constantine vestigia vrbes, & templa consurgunt. Ideoq́; hoc votis meis sufficit, vt patriam meam videas ducente pietate. quia statim erit restituta, si videris. Postero anno Ga- 311 lerium consulem VIII sine collega fœdissimus inuasit morbus. quippe ortum circa pudenda vlcus instrumenta libidinis eius tabefecit. vermibusq́; ex putrefactione contractis malum insanabile factum. ex quo in eum furorem adactus est, vt medicis etiam intulerit manus tam iis, qui de salute desperauerunt; quàm qui rem aggressi promissa non præstiterunt. Denique veritum, se propter iniustas Christianorum vexationes à Deo iuste affligi, grauis pœnitentia subiit, atq; edictum suo, & Constantini nomine edidit, vt Christianis posthac parceretur, ac templa conuentusq́; darentur, simul orans, vt ipsi solemnes pro Imperatore preces effunderent. Index edicti, quod lucem afferre huic historiæ possit, hic fuit: *Imp. Cæsar Galerius Maximianus, Pius, Felix, Inuictus, Augustus, Pont. max. Thebaicus max. Sarmaticus max.* V *Persicus max. Germanicus max. AEgyptiacus max. secundus Carpicus max.* VI *Armeniacus max. Medicus max. Adiabenicus max. Tribuniciæ potestatis* XX, *Imp.* XIX, *Consul* VIII, *Pater patriæ. Proconsul. Et Imp. Cæs. Fl. Valerius Constantinus Pius, Felix, Inuictus, Augustus, Pont. max. Tribuniciæ pot. Imp.* V, *Pater patriæ, Proconsul.* Inde cum se Imperio gerendo ineptum conspiceret, Licinium Dacum, virum militaribus studiis sibi bello Persico notum, Imperij consortem adiunxit. eumq́; XI Kal. Maij Carnunti Augustum appellauit. atq; inde in parte anni cōsulatus collegam asciuit. Qua re comperta Maximinus Cæsar tanto ardore inuidiæ cōflagrauit, vt semetipsum vltro Augustum vocarit. neq; ita multo pòst Galerius vita excessit. Kal. Septembris Statius Vettius Rufinus, & C. Ceionius Rufius Volusianus consules suffecti sunt. Ita Licinius tenuit Illyricū, in quo Pannonia, Mœsia, Dacia, Thracia, Macedonia, Græcia, & Dalmatia ex instituto superiorū, vt significauimus, principum claudebantur. atq; ad statum rerum suarum stabiliendum fœdus cum Maximino, & Constantino percussit. Maximinus autem edicto Augustorum neglecto litteras ad magistratus suos misit, vt Christianos vexare desisterent. de templis autem restituendis, aut conuentibus permittendis nihil adiecit. Quibus reb. auditis Maxentius & ipse de sua acerbitate remisit. Hunc in modum tetra à Diocletiano quondam inita persequutio, Christo pœnas de exercitoribus expetente, decimo anno finem inuenit. Constantinus Bibracte Æduorum oppidū cum venisset, alacriter à cuncta ciuitate extra vrbem effusa exceptus est. vias, quibus in Palatium adibatur, ornarant, omnia signa collegiorum, omnia deorum simulachra protulerāt. quin etiam clarorum modulorum instrumenta sæpius per compēdium occursura produxerunt. vbi vero in Palatium venit, vltro ciues ad se vocauit, &, vt necessitates expromerent suas, mandauit. Qua voce illi audita subito ad pedes se proiecerunt, & calamitates suas aperuerunt. Quos ille clemēter affatus excitauit, atq; illacrymans, se septem millia capitum eis in quinquennium remittere dixit. Itaq; cum inde se Treuiros recepisset, atq; ibi omnium amicorum comitatus, omniumq́; ciuitatum legati adessent, & ipsi oratorē misere, qui publico nomine illi gratias egit. extat illa oratio post quinquennalia, vt apparet, habita. sic enim ille dixit: *Quinq; annorum nobis reliqua remisisti. ô lustrum omnib. lustris felicius. ô lustrum, quod merito hanc Imperij tui æquauit ætatem. Nobis ergo te principem dij creauerunt. quibus singulis hæc est nata felicitas, ex quo tu imperare cœpisti. Quinquennalia tua nobis etiam perfecta celebranda sunt. illa enim, quæ te incipiente suscepta, omnib. populis iure communia, nobis hæc propria, quæ plena sunt.* Inde in Britanniam ad res insulæ inuisendas, &, si opus esset, constituendas decessit. Romæ interim, atque in tota Italia Maxentij tyrannis intoleranda euaserat. si quidem priuatos homines occidisse temere non contentus, quodam etiam die populum Romanum, leui occasione trucidandum obiecit barbaris, ac satellitibus suis, quibus ad omne facinus conductis Italiam vniuersam oppleuerat. Quæ mala cum ferre Romani vltrà præ atrocitate non possent, nec depellendæ seruituti virium, ac roboris satis haberent, clam oratores ad Constantinum miserunt, ex Britannia in Galliam opportune reuersum, obsecrantes, vt duris rebus suis, quoquo modo posset, consuleret, neque

vrbem Imperij caput diutius à fera tam immani dilaniari permitteret. Hoc paternæ gloriæ, hoc ſuæ illum virtuti debere, vt iuſtitia reducta tyrannos euerteret, ac populos in libertatem aſſereret. ſibi animo deſpondiſſe, qua felicitate ille patrem inſanientem deleuiſſet, eadem quoq; furentem filium eſſe peſſum daturum. Quorum ille precibus ita eſt permotus, vt ſe iniurias eorum non neglecturum eſſe reſponderit, atque Maxentio arma inferre decreuerit. Huius miſſæ legationis Zonaras, & Cedrenus auctores ſunt. Vt vero prodit Euſebius Cæſarienſis epiſcopus, qui ſe cum Conſtantino loquutum eſſe, identidem repetit, Conſtantinus reliquo Occidente pacato ſuas ad Romanos cogitationes intēdit, indignum eſſe ſtatuens, vrbem Imperij ſedem iugo turpiſſimo ſeruitutis oppreſſam. Itaque hoc ſibi deberi decoris arbitratus ea parare inſtitit, quæ ad tantum tyrannum extinguendum neceſſaria viderentur. atque in inſequentem annum milites ex omnibus prouinciis ſuis Treuiros conuenire præcepit. Quo comperto Maxentius vt tantam belli molem auerteret, ad magicas artes ſe contulit, ac modo grauidas mulieres, modo pueros infantes aperiens, modo leones iugulans, interdum etiam infandas ad dæmones excitandos adiurationes exercens eorum ſibi parare ſubſidium inſtitit. ac mox alpes firmiſſimis præſidiis ſepire, & prima quæque Italiæ oppida ad excipiendum Conſtantini impetum, morandamq; victoriam confirmare, & vrbem contractis ex Africa frumentis, militibusq; munire contendit. Eodem anno Romæ Heraclio Rufino præfectura vrbis continuata. Euſebio vero pontifice mortuo Miltiades Græcus, eccleſiæ presbyter locum tenuit. qui Manichæos in vrbe deprehendit. In Oriente Maximinus ſexto poſt ſuperioris edicti promulgationem menſe Chriſtianos rurſus prohibuit conuentus habere. Antiocheni ad gentilitatis cultum ſacris Chriſtianis deſerendis redacti. in omnibus prouinciis Chriſtiani vrbibus exturbati. ſimulachrorum ſacerdotes celebrati. probra in Chriſtum temere iacta. epiſcopi paſſim exiliis, ac tormentis Maximino ita Nicomediæ edicente affecti. Quare diuino Chriſti numine ſemetipſum vlciſcente magnam hieme ſiccitatem fœda fa-
312 mes, famem ſæuior peſtilentia conſequuta eſt. quæ Conſtantino, & Licinio Auguſtis, ambobus iterum conſulibus, cum alias regiones, tum Orientem præcipue lacerauit. nouum morbi genus emerſerat, vlcera carbunculorum ſimilia. quæ toto diſperſa corpore ægrotos in magna pericula coniecerunt, præcipue autem in oculis ſæuientia omnis generis, ſexusq; homines extinxerunt. Conſtantinus ad concordiam cum Licinio confirmandam priſtino fœderi ius affinitatis adiunxit, Conſtantia illi ſorore deſponſa. atque appetente vere copias omnes, quibus conuentum indixerat, ad diem conſtitutam adeſſe mandauit. quæ omnes ex Gallia, Hiſpania, & Britannia tanta animorum alacritate præſto fuerunt, vt non ab Imperatore accitæ, ſed à Deo miſſæ ab hominibus crederentur. vt merito de illis Nazarius orator dixiſſe in oratione poſt ad illum habita videatur: *In ore eſt omnium Galliarum, exercitus viſos, qui ſe diuinitus miſſos præ ſe ferebant. flagrabant horrendum neſcio quid vmbone coruſci, & cæleſtium armorum lux terribilis ardebat. tales enim venerant, vt tui crederentur. hæc ipſorum ſermocinatio, hæc inter audientes ferebant: Conſtantinum petimus, Conſtantino imus auxilio. illi cælo lapſi, illi diuinitus miſſi gloriabantur, quod tibi militabant.* Hæc nonaginta millia peditum, octoginta equitum fuiſſe Zoſimus refert. Dum autem hi conueniebant, Conſtantino iter cum exercitu faciente grauis belli, quod moliebatur, animum cogitatio ſubiit. quippe rem in Italia gerendam eſſe non ſolum cum gente bellicoſiſſima, ſed etiam in prouincia præſidiis, opibus, oppidisq; firmata, & cum eo duce, qui non tam humanis viribus, quàm magicis præſtigiis ad victoriam niteretur. nimirum maiore præſidio opus eſſe, quàm quod à militari expectari virtute poſſet. confugiendum ad diuinum auxilium eſſe, non eorum, quos ſequuti Galerius, & Maximianus fœdiſſimum vitæ exitum falſis oraculis, ac vaticiniis audiendis adepti eſſent, ſed eius, quem pater ſuus veneratus, cuſtodem, conſeruatoremq; regni haud dubie cognouiſſet. Hunc igitur toto animo cœpit implorare, vt ſe, qui nam eſſet, ſibi dignaretur oſtendere, ac rebus, quas moliretur, opem, auxiliumq; præbere. Ecce autem, dum intentus in hac precatione verſatur, repente poſt meridiem ſole iam ad veſperum inclinante, viſum mirabile, diui-

diuinumq; conspexit. Vidit autem Crucis signum ex lucis splendore confectum in cœlo soli imminens, quod his verbis cingebatur: IN HOC VINCE. atque illud idem exercitus, qui cum eo erat, plenus stuporis est conspicatus. Hanc rem Eusebius idem se ex eius narrantis, & iureiurando affirmantis ore excepisse post pacatum Imperium, prodit. & Artemius miles se vidisse, ad Iulianum Augustum scribens confirmauit, his verbis: *Constantino contra Maxentium bellum difficillimum ineunti signum crucis apparuit in cœlo media die super solem radiis coruscans litteris sydereis victoriam prænuncians. nos enim, qui bello interfuimus, signum vidimus, litterasq; legimus, totusq; conspexit exercitus, multiq; hodie testes extant in exercitu tuo.* Constantinum igitur hoc viso fluctuantem, & quid nam id sibi vellet, anxie perquirentem superueniens nox oppressit. in quiete inde species viri humano habitu augustioris cum signo crucis præmonstrato se obtulit, præcipientis, vt signum ei, quod in cœlo aspexerat, compar efficeret, idq; in prœliis adhiberet. nam eius presidio victoriam relaturum. vbi vero illuxit, rei stupore attonitus amicos propere aduocauit, ac sedens inter eos visum exponit. inde ex eorum consilio sacerdotes, interpretesq; Christianæ legis adhibuit, rogans, vt quid de diurno signo, quid de nocturno viso sentirent, ex fide promerent. Cui illi constanter responderunt, eum, cuius speciem in quiete vidisset, Christum esse, Dei vnius filium vnigenam. signum autem notam esse immortalitatis, trophæumq; victoriæ ab illo de morte, tum cum in terris egit, relatæ. Illo super his admirante, ac singula sibi explicari latius postulante, caussam inde Christi aduentus docent, eamq; certis sacrorum vatum prædictionibus firmant. vitam deinde, ac disciplinam, ac demum mortem, & resurrectionem eius, spesq; beatæ vitæ post mortem hominibus in se credentibus ostentatas exponunt. Quæ cum audisset Constantinus, tacita religione perfusus statuit, exoletũ posthac simulachrorum cultum prorsus abiicere, atq; vnius sese Christi tanquam veri Dei cultui consecrare. ac spe sua in eius auxilio collocata, quæ bello vsui erant, eò alacriore animo institit apparare, omnibus fere comitibus, & ducibus eius non solum tacite mussantibus, sed etiam rei omen aperte timentibus. Itaque adhibitis peritis artificibus vexillum, vt monitus fuerat, tale construxit. Hastam oblongam, & rectam auro circunuestiuit, eiq; transuersum cornu sic applicuit, vt crucis formam effingeret. in summo coronam posuit, margaritis, auroq; contextam, atque in ea Christi nomen duabus tantum primis Græcorum litteris X, & P scriptam intexuit. ex cornu vero velum tenue lapidibus, & auro contextum suspendit, ac lectissimis iuuenibus signum illud partitis muneribus ferendum dedit, posthac pro Labaro Imperatoris in acie præferendum. quod Eusebius quoq; se vidisse testatur. His, ceterisq; rebus, quæ ad terrestre, maritimumq; bellum gerendum pertinere videbantur, paratis, Rheni limite præsidiis firmato, exercitum inde crucibus insignitum ducere ad alpes instituit. sic enim Prudentius his temporibus proximus scriptum reliquit:

Christus purpureum gemmato textus in auro
Signabat labarum. Clypeorum insignia Christus
Scripserat. ardebat summis crux addita cristis.

Alpibus superatis Segusionem accessit. quæ vrbs claustrum Italiæ obiicit. Segusienses situ, & muris firmissimis freti Constantino aduenienti portas clauserũt. Cuius rei ille iracundia percitus, ne tempus adhibenda obsidione contereret, faces portis propere intulit, & propugnaculis scalas admouit. Cum autem incendium statim ad proxima vrbis ædificia peruasisset, ciues exterriti deditionem repente fecerunt. Quod vbi Constantinus vidit, ignem, ne latius funderetur, magna cura restrinxit. atq; eis veniam, quam ab initio repudiarant, impertiit. Quare in vetere oratione ad ipsum dicta hæc scripta sunt: *Tibi vincendi erant milites paulo antè Romani armis omnibus more primæ classis armati, & pro facinoris conscientia nunquam, nisi morte, cessuri. probauit hoc prima obstinatio eorum, qui sub ipsis alpium iugis munitissimo scilicet muro, ac situ tenentes oppidum ausi fuerunt te imminente resistere, ac portas claudere, non credentes te ipsum adesse. quis enim crederet, tam cito à Rheno ad Alpes Imperatorem cum exercitu peruolasse? Luerunt igitur ilico dementiæ suæ pœnas, cum oblatam sibi à clementia tua veniam recusassent. neque enim vallo, fossaq; obsessio inchoata est, nec cuniculis agendis, nec machinis*

admouendis, nec incutiendo ariete tentati, quassatiq́ sunt muri. sed statim iniectæ faces portis, scalæ admotæ propugnaculis. Reliqua inde, quæ vetustatis iniuria desunt, Nazarius alia oratione suppleuit: *Segusiensium,* inquit, *ciuitatem, quam primam iter dederat, victoria facilis amplexa est. quæ resistendi pertinacia ita in se Imperatoris vim conuertit, vt pietatem tamen non alienauerit. nam cum introitus vi, manu quateretur, & portarum inflammatio ignem late distulisset, cuius facilis per adiuncta contagio partu pestifero valescebat; maxima benignissimi Imperatoris fuit cura, non modo vt incendium non adiutum senesceret, sed oppressum emori posset. & longe operosior clementia, quàm fortitudo, perfecta est, cum plus in conseruanda vrbe, quàm in capiẽda fuerat, laboris oriretur.* Segusione capta inde in campum Taurinorum descendit, vbi exercitum hostium specie terribilem repperit. Hi erant clibanarij. nempe equi, hominesq́; pariter ferri operimento septi, quos superne tectos equorum pectorib. demissa lorica, & crurum tenus pendens sine impedimento gressus à noxa vulneris vindicabat. Quibus contemptis Constantinus equites cataphractos maximi in prœlio roboris opponit. his disciplina pugnandi erat, vt cum aciem arctassent, tenorem impressionis seruarent, & tuti à vulneribus occurentia omnia sine hæsitatione perrumperent. atq; inde auxilium ab industria petit. quippe aciem in hostes educit, eosq́; in se ruentes reductis repente agminib. claudit. atq; in medio interceptos clauis inuadit; quæ grauibus, ferratisq́; nodis maxime capitibus inflictæ, quos ictu attigerant, ruere compellebant. interfectis ad vnum omnibus saluis Romanis horror armorum ad victoriæ miraculum est translatus; quòd qui inuulnerabiles habebantur, sine hostium vulneribus interiissent. Eodem etiam tempore Vercellas expugnatas opinor. has enim D. Hieronymus paulo pòst raro habitatore semirutas fuisse, scribit ad Innocentium, nemine alio auctore illius calamitatis extante. Hac pugna pugnata Brixiam inde processum est. Ibi cum magnus equitatus esset, conserto prœlio primo impetu pulsus Veronam, ad firmiora præsidia se recepit. Veronenses immanibus confisi copiis, quæ sub aduentum Constantini metu perculsæ illuc confluxerant, & ipsi accedẽtis eius Imperium detrectarunt. Cum Athesis amnis saxis asper, & gurgitib. vorticosus, & impetu ferox oppugnationem prohiberet, omnemq́; retro regionem euehendis copiis tutam defensamq́; præstaret, id ne diutius hostibus prodesset, Constantinus effecit. nam superioribus in locis, qua lenior amnis, & ignari hostes erant, exercitus partem traduxit, atq; ita ancipiti prœlio circumuentos, obsessosq́; experiri armis coegit. adeoq́; eruptionem tentãtes cæcidit, vt ipse etiam dux Ruricius cum parte copiarum ad accersenda auxilia muris excesserit. Quẽ vt reuerti sensit, parte exercitus sumpta, ne si totum produxisset, intermissa obsidione spacium respirandi clausis, aut refugiendi, aut imminendi tergo præberet, præcipitante iam die in prœlium prodiit. Et primo quidem aciem instruxit duplicem. mox prouiso hostium numero explicari statim in frontem ordines, & extendi latius iussit. ac signo dato ipse se in confertissimos hostium globos immisit. prœlio inde vix multa nocte perfecto, in quo etiam dux Ruricius cecidit, Constantinum sui corripiunt lacrymantes, amplexiq́; totum sanguine hostili perfusum, grauiter, quòd se tanto periculo commisisset, & parum sibi consuleret, obiurgarunt, quo pereunte satis constaret totam esse remp. perituram. Dato inde obsessis spacio pœnitendi, Aquileia, quæ oppugnationem experta se legatis missis dedebat, in fidem recepta. Inde Veronensibus, cum ponere iussisset arma, ignouit. verum ne conscientiæ timore diffugerent, in vincula tradidit. Cum autẽ præfecti, & milites, quo modo tot vincula parari possent, ambigerent, Constantinus ex gladiis eorum gemina aptari claustra præcepit. Inde traiecto Pado vrbes Æmiliæ resistentes inuasit. atq; oppugnando ad deditionem adduxit, Placentiam, Parmam, Brixillum, Regium, Mutinam, Bononiam, & Claternam. Mutinæ præcipua mentio est in Panegyrico. D. autem Ambrosius scribens post aliquot annos ad Faustinum, hæc omnia oppida semiruta fuisse narrat. neque aliud ferme bellũ proditum memoriæ est, quo dirui ante barbarorũ in Italiam impetum potuisse videantur. Adducta in potestatem omni circumpadana Italia, recta cum toto exercitu Romam versus ire perrexit. Maxentius autem hæc audiens non solũ vrbe, sed etiam parietib. se tenebat, aut prodigiis, aut infaustis fortunæ suæ præsa-

præſagiis territus. non in campum ire, non exerceri armis, non puluerem pati ſtudebat. tantum in Palatio ambulabat, aut in hortos Salluſtianos ſe conferebat, & his deliciis turpiſſimam ſuam formidinem contegebat. non enim ſe imbellem, ſed beatum, non inertem, ſed ſecurum videri volebat. quoties milites in concionem vocabat, ſe ſolum cum illis Imperatorem, alios per limites pro ſe militare iactabat. ac ne tum quidem, cum aduerſa ſuorum prœlia audiit, obuiam ire contendit, cum Pado limite, aut Apennini iugis vteretur, ſed litteras cladium ſuarum indices ſupprimebat. interdum etiam palam, vt vſque ad portas veniretur, optabat. Interim Conſtantinus exercitum ad Tiberim amnem adduxit, atque ibi caſtra fecit. ceterum nullis hoſtilibus copiis occurrentibus vehementer animo doluit, verens, ne Maxentius intra vrbem incluſus obſideri ſe pateretur. nam omni Africa exhauſta, omnibus inſulis exinanitis infiniti temporis annonam congeſſerat. ipſe vero ab obſidione vrbis abhorrebat, ne Romanos, quorum incolumitati conſulebat, grauiore aliqua calamitate afficeret. Inter hæc Maxentius Palatio migrauit, & cum vxore, ac filio in priuatam domum, quaſi ſe abdicaret Imperio, ſponte abiit. poſt biduum demum, qui dies erat VIII Kalend. Octobris, pridie, quàm ſeptimum Imperij ſui annum iniret, magicis præſtigiis, ac fallaciis ſuis fretus porta Flumentana exiuit, atque ad pontem Muluium Tiberim traiecit, Romanorum, & Italicorum octoginta millibus, Afrorum quadraginta millibus, Siculorum ingenti numero ſeptus. vt totus exercitus centum, ac ſeptuaginta millia peditum, ac decem, & octo equitum contineret. atque hoc facto pontem ſupra Tiberim ex lintribus ita contabulauit, vt fibulis ferreis, quibus ab vtraque ripa diſtinebatur, reuulſis facile ſolui poſſet, ſi quis reſcindere vellet. præcepit autem fabris, vt cum primum exercitum Conſtantini pontem ſui inſequendi cauſſa conſcendiſſe vidiſſent, fibulas laxarent, ac pontem ſecundo ire flumine ſinerent. Poſt paulo Conſtantinus aciem inſtruere cœpit. qua re animaduerſa idem quoque Maxentius fecit. verum, vt euentus ſtatim oſtendit, imperitiſſime. nam in ripa amnis ita conſtitit, vt nemo ſuorum euadere, nemo gradum referre, &, ſi opus eſſet, prœlium redintegrare poſſet, cum à fronte armis, à tergo Tiberi arceretur, quem vltimorum veſtigia præſagio quodam euenturæ cladis attingerent. adeo vero magnus erat exercitus, vt vltra, quàm proſpici poſſet, extenta acies pertineret, tanta porro ſubſidiorum, atque ordinum firmamenta erant, vt acies non porrectior, quàm robuſtior validum murum vtrinque præberet. Quod vbi Conſtantinus animaduertit, ſignum pugnæ dedit, ac primus, cum in prima acie ſtaret, prælato crucis vexillo in hoſtes cum equitatu inuaſit. Inde pedites dignos ſe tanto duce teſtati, & ipſi magno ſe impetu incitarunt. Acri commiſſo prœlio Romani, atque Itali ſegnius ſe periculis obiecere, quòd acerba tyrannide ſe liberari optarent, reliquorum partim ab equitibus, partim à peditibus Conſtantini magna eſt edita ſtrages. Maxentius, vbi equitatum ſuum in fugam verſum conſpexit, & ipſe per pontem, quem diximus, ad vrbem redire maturauit. quem ſequuti effuſe ſui, ſiue ponte ingentem molem non ſuſtinente, ſiue propter anguſtias tantam multitudinem excludente, omnes in flumen præcipites abiere. Hinc ripæ ſtragibus tegi, Tiberis corporum aceruis repleri. Cum alios amnis hauſiſſet, Maxentium etiam cum equo, & armis inſignibus fruſtra conatum per abrupta ripæ vlterioris euadere idem correptum gurgite deuorauit. & aliorum quidem corpora, atque arma præceps fluuius voluendo deuexit, illum autem eodem, quo extinxerat, loco retinuit. Victoria in vrbem delata nemo aperta lætitię ſigna dedit, quòd primo tanto rei nuncio fidem non haberent. vbi vero caput Maxentij ſumma haſta præfixum ferri conſpexerunt, vniuerſi gaudio exultarunt. &, cum tota vrbe portaretur, vocibus contumelioſiſſimis inceſſerunt. vrbs tota lætis clamoribus perſonauit. Senatores, quorum pleriq; in vinculis erant, liberati cuſtodiis vrbe ad Conſtantinum exierunt, atq; ad pedes proiecti ſe, & vrbem illius poteſtati, ac fidei permiſerunt. Sic enim Prudentius dixit:

Ipſe ſenatorum meminit clariſſimus ordo,
Qui tunc concreto proceſſit crine, cathenis
Squallens carcereis, aut nexus compede vaſta,

Complexusq; pedes victoris ad inclyta flendo
Procubuit vexilla iacens. Tunc ille ſenatus
Militiæ vltricis titulum, Chriſtiq; verendum
Nomen adorauit, quod collucebat in armis.

Hæc, vt ſcripſi, in ſecundo conſulatu Conſtantini, & Licinij, VIII Kal. Octobris geſta ſunt. in quem diem, quoniam prima Indictio Conſtantini Imperantis incurrit, vt etiam in Faſtis Conſulum Græcis eſt annotatũ, ſequitur neceſſario, hos conſules anno à Chriſto nato trecenteſimo duodecimo iniiſſe. quod facile etiam quiſque intelliget, qui Indictionum quinta decima ſpacia retro repetere numerando voluerit ab hoc, quo hæc ego ſcribebam, anno, nempe milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto, qui fuit Iubileo à Gregorio XIII Pontifice feliciſſime peracto inſignis, vſq; ad hunc, quo Romanis tanta lux ſalutis, ac libertatis affulſit. Quod idcirco admonui, vt rerum, quæ mox dicentur, mira ex hoc conſtantia, ac prope conſpiratio notaretur. qua in re plerique plane titubare videntur. Hactenus quæ Conſtantinus in Gallia geſſit. nunc quæ Romæ, & in Italia, perſequamur.

CAROLI SIGONII HISTORIARVM, DE OCCIDENTALI IMPERIO, LIBER III.



MAXENTIO, exercituq; deleto Conſtantinus ſenatum vltro ſe, vrbemq; tradentem ſubito in fidem, deditionemq; accepit. ac triumphum tantæ victoriæ congruentem inſtruxit. Qua re cognita populus acerbiſſimo tandem iugo ſeruitutis exemptus, vrbẽ paſſim coronis ornauit, ac patefactis effuſus portis ipſum curru inuectum tanta animorum alacritate excepit, vt ſatis conſtet, nullum Imperio Rom. diem, quo Rom. ciuitas maioris, atq; effuſioris ſigna gratulationis ediderit, illuxiſſe, nullumq; triumphum aut lætiorẽ, aut mirabiliorem ne ipſam quidem veterum litterarum memoriam prodidiſſe. Neq; enim more ſolito agebãtur ante currũ vincti duces, ſed ſoluta nobilitas incedebat, nec barbari in carcerem trudebantur, ſed conſulares è carcere trahebantur. Nec Roma ipſa alienigenas captiuos accipiebat, ſed ſemetipſam captiuitate laxabat. &, quo nihil adiici ad gloriæ magnitudinem amplius poterat, imperium recipiebat, quæ ſeruitium ſuſtinuerat. Duci vero videbantur omnibus ſubacta vitiorum agmina, quæ acriter ciuitatem obſederant, ſcelus, & perfidia domita, furor, & crudelitas vincta, ſuperbia, atq; arrogantia debellata, luxuries, & libido cõſtricta. Quem comitatum ſequebatur ſubinde caput tyranni, quod adhuc ferociam, atq; immanitatem ſpirare inter ipſas horrendę frontis minas videbatur. congerebantur autem in eum vulgo probra, & contumeliæ. quaſi vero turpibus oppreſſoris ſui ludibriis ipſam auſpicari libertatẽ iuuaret. Vrbem inde ingreſſum omnes omnis ætatis, & ſexus homines fauſtis acclamationibus vindicem, liberatoremq; ſuum conſalutarunt. Tum tecta moueri, & altitudo culminũ attolli viſa, quacunq; ipſe tardo molimine inuehebatur; tanta illum populi, tanta patrum frequentia prouehebat ſimul, ac retinebat. felices, qui illum propius aſpicerent, longius poſiti nominabãt. quos præterierat, loci, quem occupauerat, pœnitebat. auſi etiam quidam ſunt, vt conſiſteret, flagitare, & vbi ad Palatium venit, quòd nimis cito perueniſſet, expoſtulare, & cum ingreſſus eſſet, non ſolum oculis ſequi, ſed pene etiam ſacrum limen irrumpere. Inde omnes circumfuſi, vt exiret, opperiri, tanta officij ſedulitate, omnino vt viderentur eũ, à quo obſidione exempti fuerãt, obſidere. Per ſeptẽ inde dies Conſtantinus gratias Deo agi de tãta victoria iuſſit. atq; interim rebus Rom. cõſtituendis ſe tradidit.

Præcipue, in curiam cum venisset, comiter, ac benigne patres appellauit, & præclara quædam sanciuit, quibus senatui auctoritatem pristinam reddidit, ac dignitatem eius in perpetuum curæ sibi fore spopondit, optimatibus in Senatorium ordinem ex omnibus prouinciis lectis; vt senatus non tam nomine, quàm re, illustrior esset, cum ex totius orbis flore constaret. mox magna libertate Christum Dei filium, licet non æquis multorum auribus, nunciauit. Ad populum inde cum processisset, benigne illum affatus ad omnem laudabilem moderationem, obsequiúmque hortatus est. Atque vtroque quidem in loco à clarissimis, qui tum in vrbe erant, oratoribus salutatus, ac diuinis in cœlum præconiis est sublatus, vt non plus laudis fortitudini eius ascriberent, quàm pietati tribuerent. ipsum namque non tam sceleratos punisse, quàm miseros vindicasse; ipsum Romam in perpetuum stabilisse, omnibus iis, qui statum eius labefactare poterant, cum ipsa stirpe deletis; ipsum victoriam adeo felicem, atque incruentam tulisse, vt non bello ancipiti dimicatum, sed tantummodo vindicatum in impios videretur. Pòst autem, cum munera, ludósque victoriæ caussa in Circo ederet, præcipue in se omnium ora, mentésque conuertit, diuinum oculorum fulgorem, ac cœlestem oris dignitatem intuentium, populo ipso grata spectaculorum tarditate gaudente, & vernaculis artificibus ob hoc solum fauente, quòd Constantino spectante certarent. Interim Romanis omnibus, qui contra se arma tulerant, veniam dedit, bona, & patriam omnibus à Maxentio spoliatis restituit. quos vero ille furoris socios, auctorésve habuerat, quæstionibus seuerissimis habitis condemnauit. & Prætorianos milites, qui sibi aduersati Maxentio pertinacissime fauerant, funditus è Republica sustulit, ac sedem eorum Castrum prætorium, quondam ab Octauiano Augusto constructum disturbauit. mox, legibus multis ad coercendas ciuitatis late fluentes libidines constitutis, omnibus conqueri volentibus faciles aditus, patientissimas aures, ac benigna responsa exhibuit. Quibus officiis omnes ita cepit, vt non tam dolerent, quòd tyrannum tamdiu tulerant, quàm quòd talem principem nimis sero adepti erant. Ob has res ad ceteros honores habitos Senatus Maximum eum appellauit, atque ei arcum, qui adhuc manet, sub Palatij radicibus cum hoc elogio dedicauit: *Imp. Cæsari Fl. Constantino, Maximo, Pio, Felici, Augusto, Senatus, populúsque Romanus, quòd instinctu diuinitatis, mentis magnitudine, exercitu suo tam de tyranno, quàm de omni eius factione vno tempore iustis Rempubl. vltus est armis, Arcum triumphis insignem dicauit, liberatori vrbis, fundatori quietis.* Quin etiam statuam equestrem posuit crucis signum dextra tenentem, atque ita subscripsit: *Hoc salutari signo vero fortitudinis indicio ciuitatem iugo seruitutis liberaui, & Senatum, populúmque Romanum in libertatem vindicaui, ac pristinæ dignitati, splendoríque restitui.* Constantinus contrà insignis beneficij, quo per signum Crucis affectus à Christo fuerat, memor multa, eáque ad memoriam illustria eximiæ suæ erga illum pietatis edidit documenta. Nam primum columnis excitatis, titulísque inscriptis salutaris signi virtutem omnibus indicauit, ac media in vrbe ingens Crucis trophæum aduersus hostes erexit. idque Romanorum, aliorúmque omnium Imperio subiectorum esse propugnaculum declarauit. Inde populis omnibus ad Romanum Imperium pertinentibus libertatem, quam vellent, religionem colendi permisit, atque edicto, suo, & Licinij Augusti nomine, edito Christianis & templa, & conuentus habere concessit. idque ad Maximinum etiam, vt in Oriente proponeret, misit. Episcopos porro ad se accersitos honoribus summis affecit, ac tanquam viros Deo suo sacratos benigne, ac liberaliter appellauit, ac secum ducere, & præsertim eum, qui à ceteris colitur, dextrum habere instituit, atque ecclesiis Dei subsidia opulenta suppeditauit, oratoria alia augens, alia in altum erigens, ac donariorum multitudine sacraria eorum illustrans, ac varia pecuniarum instrumenta indigentibus præbens. Atque hæc quidem omnia æqualis eius scribit Eusebius. Quod si Constantinus, illo teste, cum omnes episcopos, tum in primis illum, qui à ceteris colebatur, excoluit, profecto pontificem ipsum Romanum præcipuo honore complexus est. ille vero fuit Miltiades. probe ratus namque ad fidem, dignitatémque suam pertinere, vt vrbem Romam, quam, vt dixit Pro-

ſper, non Romani ſolum arcem Imperij, ſed Chriſtianæ quoque religionis ſolium eſſe comperiebat, illuſtri aliquo maioris templi monumento inſtrueret, ac ſimul epiſcopo Romano Petri principis apoſtolorum ſucceſſori, & Chriſti vicario domicilium, tanto conueniens faſtigio, compararet, Miltiadi cum prædia ac dona multa, tum in primis Auguſtale Palatium in Laterano impertiit, atque ipſe aliò ad habitandum perrexit. Quin etiam Saluatori continentem Palatio baſilicam inchoauit, quæ poſtea baſilicæ Saluatoris Conſtantinianæ, ac Lateranenſis nomen inuenit. Itaque Miltiades paulo pòſt, cum decretum de primitiua Eccleſia in Concilio faceret, Burcardo, Iuone, & Gratiano teſtibus, ſic ſcripſit: *Conſtantinus ex principibus primus fidem veritatis patentèr adeptus dedit licentiam per vniuerſum orbem in ſuo degentibus Imperio non ſolum fieri Chriſtianos, ſed etiam fabricandi eccleſias, & prædia conſtituit tribuenda. denique donaria immenſa contulit, & fabricam templi primæ ſedis beati Petri principis apoſtolorum inſtituit, adeo vt ſedem Imperialem, in qua Romani principes præſidebant, relinqueret, & beato Petro ſuiſque ſucceſſoribus profuturam concederet.* Meminit huius baſilicæ D. Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ, cum dixit: *Fabiola poſt mortem ſecundi mariti in ſemetipſam reuerſa ſaccum induit, vt errorem publice fateretur, & vrbe ſpectante Romana ante diem Paſchæ in baſilica quondam Laterani, qui Cæſariano truncatus eſt gladio, ſtetit in ordine pœnitentium, epiſcopo, presbyteris, & omni populo collachrymantibus.* His omnibus rebus agendis duo tantum menſes ſunt attributi. Siquidem Nazarius dixit, quod mali ſexennio toto Maxentij dominatio feralis inflixerat, id bimeſtrem fere curam Conſtantini ſanaſſe. Cum ergo à VII Kalend. Octobris, quo die, vt ſcripſimus, victoria de Maxentio parta eſt, ferme vſque ad VII Kalend. Decembris Romæ his intentus curis egiſſet, inde vrbe, vt Mediolanum adiret, exceſſit. Interea vero dum ille Romæ fuit, Maxentij caput ab eo per Italiam miſſum tantos concurſus hominum excitauit, tantáſque ex oppidis effuſiones commouit, vt facile, quanto in metu fuiſſent, præſenti gratulatione docerent. Nauales autem copiæ eius primum portus Italicos occuparunt, deinde inſulas Africi maris; atque ipſam demum Africam eò tranſuectæ recuperarunt. Ita vno tempore Italia, atque Africa ditioni Conſtantini ceſſerunt. Ille autem vrbe egreſſus Æmiliæ, Liguriæ, Venetiæque ciuitates ſuperiore bello afflictas perluſtrans aduentu ſuo releuauit. ex quibus præcipue Mutinam, & Aquileiam, multis affectas beneficiis recreauit. vnde dixit Nazarius: *Prætereo te Aquileia, & Mutina, ceteráſque regiones, quibus propter inſequutas incredibilium bonorum commoditates gratiſſima fuit ipſius oppugnationis iniuria.* Itaque Mutinenſes Conſtantino ad ſe accedenti teſtificandi animi ſui cauſſa columnam, quæ adhuc viſitur, poſuerunt cum hac inſcriptione: *Imperatori Cæſari Fl. Conſtantino Maximo, Victori, Semper Auguſto, Diui Conſtantij Filio Bono R. P. Nato.* Idem aliæ quoque fecere ciuitates. Italia vero ſcutum, & coronam aureã dedicauit, vt conſcientiæ debitum aliqua ex parte leuaret, quòd virtuti ſcutum deberi, coronam pietati, non ignoraret. vt in vetere Panegyrico ſcriptum eſt. Ceterum Romanis, atque Italis paſſim edicto Conſtantini ad Chriſtiana ſacra ſuſcipienda ſe conferentibus Maximinus Auguſtus in Oriente Conſtantini, aut Licinij imperio cedere nolens edictum ad ſe miſſum ſuppreſſit. atque epiſtolam ad præfectos ſuos miſit, qua ſuo nomine permitti iuſſit ciuitatibus, vt ſuo quiſque in colenda religione arbitrio vteretur, & ne quis quemquam in ſuo munere impediret. verum, quoniam de templis, & conuentibus frequentandis, quod erat in edicto Conſtantini, & Licinij, verbum nullum fecit, Orientales ea inire non auſi ſunt. Conſtantinus inde, Licinio ad ſponſalia Conſtantiæ celebranda vocato, poſtero anno cum

313 eo conſulatum iniuit, qui vtrique tertius obtigit. ac ludos Seculares, qui in eum annum ſolemni repetito temporum ſpacio incidebant, tanquam ſacris Chriſtianis aduerſos Romæ fieri vetuit, atque in perpetuum, teſte Zoſimo, ſuſtulit. Maxentij caput in Africam miſſum, quam ille in primis attriuerat, incredibili omnes lætitia cumulauit, & quanquam nondum tempeſtiuo mari, affuerunt tamen nauigantibus felices auræ, & flatus ſecundi, beatiſſimæq; victoriæ ipſa etiam elementa fauerunt. Conſtantinus autem, & Licinius Mediolanum progreſſi Conſtantiæ nuptias

nuptias magna lætitia celebrarunt, ad quas Helena Augusta mater, & Constantia soror, & Crispus, ac Constantia filij ex concubina suscepti occurrere. Consiliis inde inter se de Republica agitatis duo decreta fecere, vnum, vt Maximino tyrannidem exercenti bellum armis communibus inferretur; alterum, vt Christianis libera concilia traderentur. id vero hoc edicto complexi sunt: *Cum libertatem religionis cuique tribuendam esse iudicaremus, Christianos quoque fidem suam pro arbitrio suo colere iussimus. quoniam vero multa ex eo edicto suborta controuersia sunt, factum est, vt multi ab eiusmodi religione recesserint. Cum igitur ego Constantinus, & ego Licinius Augusti Mediolanum venissemus, atque ibi in Concilio, qua ad Rempublicam pertinerent, accurate disquireremus, illa etiam populo Romano vtilia decernenda statuimus, quibus diuinus cultus contineretur, hoc est, vt Christianis, & aliis omnibus liberam optionem daremus eam religionem sequendi, quam ipsi vellent. Quare hanc nostram sententiam recto iudicio in edictum rettulimus. Proinde quicunque posthac Christiana sacra sibi obseruanda susceperit, eum libere, ac tuto facere posse, iubemus. eadem ratione templa, & loca, in quibus conuenire solebant, restitui, & noua construi posse statuimus.* Fuere autem Mediolani per mensem Martium. siquidem rescripta inde illo mense à Constantino, & Licinio tertium consulibus data reperiuntur in Codice, quem Theodosius Imperator confecit. cuius auctoritatem sæpe abhinc in his digerendis, explicandisque temporibus adhibebimus. Nam qui in actionibus Imperatorum, ac pontificum, regumque narrandis annorum, & mensium diligentiam omiserunt (quod adhuc plerique omnes fecerunt) ij aliena quædam, ac prope portentosa in eorum historiam intulerunt.

His Mediolani actis, Licinius Illyricum, Constantinus Galliam repetiuit. atque vterque ibi rem gessit; ille cum Maximino, hic vero cum Francis. Maximinus namque, cum æquo animo ferre non posset, sibi aliquid à Constantino, & Licinio mandatum esse, qui summum inter eos, vt ipse iactabat, locum teneret, spreto fœdere, quod cum Licinio icerat, repente è Bithynia in Thraciam, Illyricumque traiecerat. Quod vt Licinius sensit, subito contracto exercitu obuiam ire contendit. & primo victus, deinde redintegrato prœlio victor ipsum è Thracia in Bithyniam repulit, ac subinde insequutus eo perrexit. Ibi Maximinus inani responso vatum, atque ariolorum prospera omnia (vt fieri in eiuscemodi negotiis assolet) promittentium confirmatus, cum ingentes copias comparasset, bellum instaurauit, & signa ad Astacum contulit. verum primo concursu pulsus in fugam se dedit, à militibus suis præter paucissimos derelictus. Quare consilij inops, ne agnosceretur, Imperij insignia posuit, ac, fuga arrepta, cum paucis ex pago in pagum occulte procedens in Ciliciam vsque peruenit. vbi se in oppido Tarsi munito inclusit. Ibi vero furore accensus vates, ac sacerdotes omnes, quorum vaticinio fretus, summi certaminis discrimini se commiserat, interfecit. ac rerum actarum pœnitentia captus edicto proposito Christianis templa demum, ac liberos conuentus indulsit.

Neque ita multo pòst, dum exercitus eius in Bithynia relictus prœlio cum Licinio certat, misera morte occumbit, acerbis repente doloribus corporis cruciatus, atque atroci liquescentium membrorum ardore, quem Medici sub hecticas febres referre non inepte possent, consumptus; vt Galerij non tam vitam, & mores, quàm mortem, & mortis genus fuisse videatur imitatus; cum, teste Victore, quadriennio Cæsar, triennio Augustus imperasset. Licinius re prospere gesta Nicomediam cum coniuge Constantia ouans iniuit, eamq; vrbem Diocletiani, & Maximini more pòst sedem Orientalis Imperij habuit. Inde Antiochiam progressus Maximinum, tanquam tyrannum, publico decreto notauit; statuas, ac tabulas, quæ illi, ac filiis eius positæ fuerant, sustulit; gentilitatis cultoribus omnes honores ademit; fautores, & filios Maximini vita exuit, prouincias Asiam, Ægyptum, & Orientem sibi asciuit, & rempublicam vna cum Constantino coniugis suæ germano magna concordia administrare perrexit,

Ex quo communi nomine leges, & edicta Christianis ſecunda, ac ſalutaria multa cōſcripta ſunt. Qua re excitati in iis prouinciis Epiſcopi magna cura templa tyrannorum imperio diſturbata reſtituere, noua condere, atque encænia paſſim ingenti lætitia celebrare, crebriores conuentus habere de rebus ad fidē, & Eccleſiam conſtituendam pertinentibus incœperunt. magnus vbique populorum concurſus, ſumma gratulatio erat, quòd membra Christi diuulſa aliquando tandem in vnius quaſi corporis conſpirationem coiſſent. vbique chori gratias Deo agentium audiebantur. in ſuis quique eccleſiis epiſcopi populos alloquuti, vt cuique dicendi copia ſuppetebat, ingens hoc Dei beneficium enarrabant. Hæc Licinius in Illyrico. Conſtantinus autem, cum Francos fœdus violaſſe, ac delectis irruptionis auctoribus ad Rhenum tranſeundi cauſſa veniſſe audiret, eadem feſtinatione, qua redierat in Galliam, ad inferiorem Germaniæ limitem properauit, ac præſentia ſua, ne tranſirent, effecit. mox periclitandæ illorum fidei gratia ex iis locis cum exercitu abiit, nuncio maioris in ſuperiore limite tumultus ſimulato, atque eis poteſtatem traiiciendi fecit, cum reliquiſſet in occulto duces, qui ſecuros adorirentur. Neque à conſilio abhorruit euentus. Illi Conſtantinum vere ceſſiſſe rati ad ripas irrumpendi gratia conuolarunt. qua re Conſtantinus audita, nauibus Rheno eximia celeritate deuectus in fines eorum inuaſit. atque agros, domoſque illorum depopulatus tantam vaſtitatem intulit, vt regionem prope deleuerit. Cum autem milites Romanos ſecum deduxiſſet, eos oblitos, vt vetus dixit Orator, deliciarum, circi Maximi, Pompeiani theatri, & nobilium Lauacrorum, Rheno, Danubioque prætendit. ac, limitis eius agere excubias iuſſis, Arelate, ad conuentus de more agendos, ſe rettulit. Ibi dum eſſet, Donatiſtarum hæreticorum litteris ſolicitatus eſt, vt iudicium ſibi contra Cæcilianum epiſcopum Catholicum daret. Ea vero res multos, grauesque tumultus excitatura ſic habuit. Prioribus annis in Africa multi Donato quodam Numida auctore ſe ab Eccleſiæ Catholicæ communione ſecreuerant filium patre minorem, filioque ſpiritum ſanctum eſſe dicentes, ac Catholicos nouo baptiſmate inficientes. biennio vero antè libertate Christianis per Maxentium reſtituta, vacante Carthaginis Eccleſia, populus ad epiſcopum creandum conuenit, atque omnibus Catholicorum ſuffragiis Cæcilianum diaconum, hominem Catholicum, declarauit. eumque Felix Aptungitanus epiſcopus conſecrauit. Hoc facto Donatus, & ſocij eius, qui alium ex ſuo corpore ſuffici voluiſſent, cum Cæcilianum multis de criminibus apud Anullinum proconſulem Africæ accuſaſſent, ab eius communione ſe remouerunt, & templo egreſſi aduerſus illum quendam Maiorinum epiſcopum deſignarunt. Itaque graui propterea ſeditione conflata duos libellos Cæciliani crimina continentes proconſuli obtulerunt; quorum vnus quintodecimo Kalendas Maias Conſtantino, & Licinio Auguſtis tertiùm conſulibus Carthagine datus erat, qui à Sancto Auguſtino in Epiſtolis memoratur; eoſq; vt ad nouum principem Conſtantinum mitteret, popoſcerunt. Quibus acceptis Conſtantinus, licet iuris eiuſmodi imperitus, tamen Cæcilianum cum ſuis bono animo rebus vacare diuinis iuſſit, ac litteras ad Anullinum ſcripſit, vt poſſeſſiones ecceſiæ occupatas curaret reſtituendas, & clericis vacationes à ciuilibus muneribus largiretur. quæ litteræ ab Euſebio in Hiſtoria referuntur. Qua re comperta, Donatiſtæ contra litteras alias ad Conſtantinum miſerunt, quarum Optatus Afer meminit in libro contra Donatiſtas. fuerunt autem hæ: *Rogamus te, Conſtantine optime Imperator, quoniam ex genere iuſto es, cuius pater inter ceteros Imperatores perſequutionem non exercuit, & ab hoc ſcelere immunis eſt Gallia, cum in Africa inter nos, & ceteros epiſcopos contentiones exarſerint, vt de Gallia nobis iudices dari præcipiat pietas tua.* Quibus Conſtantinus reſpondit ſingulari moderationis, atque æquitatis exemplo: *Petitis à me in ſeculo iudicium, cum ego ipſe Christi expectem iudicium.* Dedit tamen iudices Maternum Agrippinenſem, Rheticum Auguſtodunenſem, & Marinum Arelatenſem epiſcopos, atque Miltiadi epiſcopo Romano ſcriptis litteris huius cauſſæ cognitionem, vt propriam, commendauit. Eas litteras S. Auguſtinus epiſtola CLXV miſſas ſignificauit, Euſebius vero in Hiſtoriam quoque coniecit, his verbis: *Quoniam litteris Anullini proconſulis Africæ audio, Cæcilianum epiſcopum Carthaginis*

gianis ab episcopis Africanis multis criminibus onerari. ægre autem fero, in his prouinciis, quas vltro mihi Deus concessit, plebem, & episcopos inter se discordia laborare; placet, Cæcilianum cum decem episcopis accusatoribus eius, totidemque, quos ipse asciuerit, Romam venire, vt ibi coram vobis, & Rhetico, Materno, & Marino collegis vestris, quos ea de caussa Romam adire iussi, possit audiri, prout lex Dei sanctissima iubet. mitto etiam litteras Anullini ad me scriptas, vt ex iis liti modum imponere queas. neque enim vos latet, me tantam reuerentiam Sanctæ, & Apostolicæ Ecclesiæ adhibere, vt nolim vllum dissidium, aut dissensionem aliquo in loco hærere. Ex quo apparet, cum dicat, suam erga Ecclesiam apostolicam reuerentiam Miltiadi esse perspectam, Miltiadem, atque Ecclesiam Romanam superiore anno à Constantino Romam aduentante vere iis, quibus diximus, officiis esse cultam. Contendere igitur Romam tres ex Gallia episcopi, atque alij quindecim accitu Miltiadis ex Italia, atque, vt inquit Optatus, conuenere in Laterano, Constantino Augusto tertium, & Licinio Augusto tertium consulibus. quod est argumento, Miltiadem Lateranum inhabitasse priore anno sibi à Constantino donatum. VI Nonas Octobris sexta feria consedere Miltiades episcopus Romæ, Rheticus, Maternus, & Marinus Galliæ. ex Italia vero Mœrocles Mediolani, Florianus Senæ, Zoticus Quintiani, Stemnus Arimini, Felix Florentiæ, Gaudentius Pisarum, Constantinus Fauentiæ, Proterius Capuæ, Theophilus Beneuenti, Sabinus Terracinæ, Secundus Prænestis, Felix Triumtabernarum, Maximus Ostiæ, Euander Vrsini, Donatianus Foriclaudij. Caussa cognita in Donatum sententia lata est, quia confessus est, se rebaptizasse, & episcopis lapsis manum imposuisse. quod ab instituto Ecclesiæ Catholicæ abhorrebat. Cum testes producti à Donato confessi essent, se non habere quod in Cæcilianum dicerent, Cæcilianus omnium sententiis absolutus est. Miltiades autem iudicium his verbis finiuit, vt Diuus Augustinus epistola centesima sexagesima secunda, & Optatus exposuit: *Cum constiterit, Cæcilianum ab iis, qui cum Donato venerunt, iuxta professionem suam non accusatum, neque conuictum à Donato fuisse, in sua communionis Ecclesiasticia integro statu retinendum censeo.* Hoc iniquo animo Donatistæ passi, iterum ad Constantinum se contulerunt, atque hanc caussam, neque totam auditam, neque rite iudicatam esse conquesti, vt nouo eam iudicio committeret, postularunt. Itaque Constantinus alterum Arelate iudicium ad Kalendas Augusti in posterum annum indixit. quo episcopos Galliæ alia de caussà adesse præceperat, atque eo Chrestum episcopum Syracusanum cum duobus, quos ille optaret, Siciliæ episcopis aduocauit. Hæc apud Eusebium, Optatum, & Sanctum Augustinum, ita vt rettulimus, hoc anno acta à Constantino Cathechumeno, siue, vt inquit Sanctus Augustinus, Christiano, leguntur. Constantino, dum Arelate esset, puer è Fausta natus est, quem Constantinum vocauit. Inde Treuiros in hiberna recessit. vbi ludos victoriæ Francicæ regia magnificentia edidit. In ea celebritate orator Gallus, ipso præsente, orationem habuit, qua ei victoriam Maxentianam, atque hanc postremam Francicam, ac modo natum Constantinum puerum gratulatus est, ita exordiens: *Vnde mihi tantum confidentiæ, Sacer Imperator, vt post tot disertissimos homines, quos & in vrbe sacra, & hîc rursus audisti, dicere auderem, nisi nefas esse ducerem, & commissi cuiusdam sacrilegij religionem vererer, si is, qui semper res à numine tuo gestas prædicare solitus essem, hac tanto maiora pristinis silentio præterirem, per quæ non pars aliqua seruata, sed vniuersa sibi est respublica restituta? Neque enim ignoro, quanto inferiora sint ingenia nostra Romanis. siquidem Latine, & diserte loqui illis ingeneratum est, nobis elaboratum, & si quid forte commode dicimus, ex illo fonte, & capite facundiæ imitatio nostra deriuat. Sed quamuis conscius mihi infirmitatis ingenitæ, & inchoati potius studij, quàm eruditi, cohibere me silentio nequeo, quominus de recuperata vrbe, Imperioque Romano, & tandem ex diuturna conuulsione solidato, & ipse aliquid coner effari, vt inter tantos sonitus disertorum mea quoque vox tenuis exaudita videatur.* Inde de ludis agere ingressus, subiecit: *Quid hoc triumpho pulchrius, quòd cædibus hostium vtitur etiam ad nostrum omnium voluptatem, & pompam*

munerum de reliquiis barbaricæ cladis exaggerat, ac tantam captiuorum multitudinem bestiis obiicit. qui, cum exitum differre liceat, perire festinant, seséque letalibus vulneribus, & mortibus offerunt. Ex quo apparet, trucem Francum ferina sola carne distentum, qui vitam contemnat, quantæ molis sit superare, vel capere. quod tu Imperator in ipso conspectu barbariæ paulo antè fecisti. In extremo autem de filio nato sic loquitur: *Quamuis diuina soboles tua ad reip. vota successit, & adhuc speretur futura numerosior, illa tamen erit vere beata posteritas, vt cum liberos tuos gubernaculis orbis admoueris, tu sis omnium maximus Imperator.* Ibi etiam pridie Kal. Nouembris Constantinus legem pro clericis Catholicis tulit, his verbis: *Hæreticorum factione comperimus, Ecclesiæ Catholicæ clericos ita vexari, vt nominationibus, seu susceptionibus aliquibus, quas publicus mos exposcit, contra indulta sibi priuilegia prægrauentur. Ideoq; placet, si quem tua grauitas inuenerit ita vexatum, eidem alium subrogari, & deinceps à supradictæ religionis hominibus huiusmodi iniurias prohiberi. Datum pridie Nonas Nouembris Constantino A. III. & Licinio A. III. consulibus.* Hæc à Constantino hoc anno in Gallia acta. Eodem anno Diocletianus, qui Imperio se abdicauerat, Salonæ veneno hausto est mortuus. Cum enim à Constantino, & Licinio ad nuptias Constantiæ inuitatus non venisset, vterque ægrè tulit, eumque, vt qui Maxentio nuper fauisset, tum vero Maximino bellanti studeret, insimulauit. Cuius criminationis dolorem vsqueadeo impatienter tulit, vt veneno epoto sibi mortem consciuerit, cum esset annos tres, ac septuaginta natus; imperasset autem annos viginti, ac nouem postea, vt inquit Victor, egisset priuatus. Singularia hæc ei duo contigere, quòd vltrò se Imperio abdicarit, atq; in proposito vsq; ad finem vitæ permanserit, & quòd priuatus inter Diuos relatus sit. quem honorem ab Augustis admiratione virtutis accepit. Cum Heraclius Rufinus vrbis præfectus ciuitatem Romanam per triennium iure dicundo rexisset, demum hoc anno VI Idus Decembris Rufium Volusianum successorem est nactus. Basilica Lateranensi ingenti Christianorum gratulatione Miltiadis Pontificis cura surgente, res Romanæ
314 lætæ in primis, tranquillæq; fuere. Volusiano inde, & Aniano consulibus, Constantinus concilio episcoporum ad Kalendas Augusti Arelate coacto, Cæciliani caussam cognoscendam commisit. Episcopi caussa cognita à Miltiadis pontificis decreto non discedentes Cæcilianum iterum innocentem pronunciarunt. Ea re perculsi aduersarij rursus Constantinum appellauerunt, eamq; rem vt ipse cognoscere vellet, orarunt. Cum ille postulatum huiusmodi reiecisset, ac talem cognitionem, vt parum homini profano conuenientem, repudiasset, tamen ad extremum vehementibus eorum flagitationibus victus cessit. &, cum Romam iter intendisset, partes eo se ad caussam orandam sequi præcepit. vt Sanctus Augustinus epistolis prodidit. Ibi Cæcilianus adesse iussus non affuit. Mediolanum inde procedens Donatistas iudicium pronunciari vrgentes eo se subsequi iussit, ac multis per iram à caussa peragenda se remouentibus, reliquos ab officialibus custoditos Mediolanum accedere imperauit, atq; ibi demum caussa cognita Cæcilianum præsentem innoxium, aduersarios vero improbissimos, Miltiadis, & episcoporũ iudicio comprobato, pronunciauit, ac res eorum fisco addixit, vt Sanctus Augustinus sæpe repetiit. Ticini etiam templum Sancto Michaeli dicitur construxisse ob victoriam Francicam precibus ipsius archangeli partam, atq; eo Rauennæ corpus Sancti Elecadij transtulisse. Eisdem consulibus, Miltiades pontifex IIII Idus Decembris cessit è vita. In eius locum V Kal. Ianuarij subrogatus est Syluester ciuis Rom. atq; ecclesiæ presbyter, vir & sanctitatis, & eruditionis magnitudine inclytus. Cuius sanctis præceptis Constantinus, cum iam Mediolano Romam reuertisset, imbutus inchoatam sub Miltiade Christianæ pietatis laudem perfecit. si quidem Constantini Imperium totum Syluestri pontificatum, qui fuit annorum vnius, & viginti, exhausit. atque illius auctoritate, postero anno ineunte, se, & Licinio ambobus quartum consulibus, ecclesias duas, vnam Sancti Petri Apostoli, alteram S. Pauli sibi instaurandas, atque augendas suscepit, quarum illa erat in Vaticano, quòd ibi Petrus sub Nerone actus in crucem esset; hæc via Ostiensi, quòd eo in loco Paulo eodem die amputatum caput fuisset. singulas vero basilicas auratis trabibus, ac multiplici columnarum ordine, vt omnem superarent templorum veterum opulentiam,

lentiam, exornauit, ac patrimoniis toto Occidente dispersis ad ecclesiarum vsum, ac magnificentiam auxit. quibus mox Syluester dignitatem etiam, ac venerationem adiunxit sacris ipsorum apostolorum corporibus illuc ex propinqua, vbi hærebant, sede translatis. vnde procedente tempore limina ipsa Apostolorum pio ciuium, aduenarumq; concursu certatim vota, donaq; ferentium supra omnia templa sunt celebrata. Basilicæ quidem Vaticanæ splendoris illud est argumento, quòd Ammonius monachus, teste Socrate, cum Romæ vna cum Sancto Athanasio, Iulio pontificatum post Syluestrum administrante, diuersaretur, ex admirandis tam multis vrbis operibus, nullum nisi hoc, sibi visendum existimarit; venerationis vero, quòd, quemadmodum Sanctus Ioannes Chrysostomus scripsit, cum ceteros vel remotissimos homines, tum pręcipue Imperatores ipsos eo venientes pio quodam horrore, ac religione perfuderit; sic enim ille scripsit: *Seruorum Christi clara sunt sepulchra, regiam vrbem assequuta sunt, & dies noti sunt, diem festum terrarum orbi facientes. eadem regiis aulis sunt splendidiora non ædificiorum amplitudine, ac splendore, (nam in hac parte excellunt.) sed quòd multo amplius est, conuenientium studio. nam ipse purpuratus peregre visitat, & fastu posito consistit Sanctos rogans, vt sibi apud Deum adsint & scenarum artificem, ac piscatorem patronos etiam mortuos precatur ipse, qui diadema gerit.*

Per eosdem dies Constantinus fœdo lepræ morbo repente tentatus sanguinem cæsorum v. inf. p. 71. seq. *infantium, præsens ostentatum à medicis remedium auersatus diuino monitu beatum Syluestrum pontificem accersiuit, atque ab eo sacrosanctum baptismi lauacrum obtinuit. Ea vero res cum ab aliis scriptoribus, tum inprimis à Sancto Hadriano pontifice in epistola ad Constantinum, & Irenem Augustos missa, & secundo Concilio Nicæno intexta, his verbis narratur. Cum aliquando Constantinus Imperator per noctem somnum caperet, ecce beati Apostoli Petrus, & Paulus dormienti astiterunt, dicentes, quandoquidem sanguinis effusionem horruisti, missi sumus à Christo Iesu domino dare tibi sanitatis recuperandæ consilium. audi ergo monita nostra, & fac omnia, quæcunque indicabimus tibi. Syluester episcopus ciuitatis Romanæ ad montem Soracte persecutiones tuas fugiens in cauernis petrarum cum suis clericis latitat. hunc cum ad te adduxeris, ipse tibi piscinam ostendet, in quam dum tertio merserit, omnis te valetudo deseret lepræ. Quod dum factum fuerit, hanc vicissitudinem saluatori tuo compensa, vt omnes iussu tuo per orbem totum Romanum ecclesiæ restaurentur. tu autem purifica te, vt relicta omni superstitione Idolorum tu Deum vnum, qui verus, & solus est, adores, & excolas, & ad eius voluntatem te dirigas. Exurgens itaque à somno Imperator statim conuocat eos, qui obseruabant Palatium, & secundum tenorem somnij sui misit ad montem Soracte, vbi Sanctus Syluester erat. Profectus inde Syluester peruenit ad regem. ad quem ingressus, inquit, Pax tibi, & victoria de cœlo ministretur. quem cum rex alacri animo, & vultu suscepisset, omnia illi, quæ facta, quæq; reuelata sibi fuerant, exposuit. Inde percunctatus est, quinam isti essent dij Petrus, & Paulus, qui illum visitassent ob caussam salutis suæ, & eius latebras detexissent. Syluester respondit: Hi quidem dij non sunt, sed idonei serui Christi, & apostoli electi ab eo, & missi ad inuitationem gentium, vt credentes salutem consequantur. cumq; ille hæc diceret, interrogare cœpit Augustus, vtrum nam ipsos apostolos haberet aliqua imago expressos, vt ex pictura disceret, quos reuelatio docuerat. Tunc S. Syluester misso diacono imaginem Apostolorum sibi exhiberi præcepit. quam Imperator aspiciens ingenti clamore cœpit dicere, ipsos esse, quos viderat, nec debere iam differre Spiritum sanctum ostensionem piscinæ, quam istos promisisse suæ saluti memorabat. Constructo itaque Lauacro Constantinus cum sacro rore tinctus esset, confestim est sanitati pristinæ restitutus. Deinde non immemor accepti beneficij ecclesias Dei exædificare cœpit. columnas earum passim sacris imaginibus in memoriam incarnationis Domini nostri Iesu Christi, omniúmque Sanctorum reuerentiam exornauit. nec alia de caussa, quàm vt Christianismum in lucem, & veritatem, Deique cultum proueheret, & omnes gentes à cultu Idolorum, & diabolica deceptione conuerteret. Constantinus inde, vt gratiam tanti beneficij Syluestro referret, Edictum, quod nunc quoq; VI Kal. Aprilis datum legitur, scripsit, in quo hac historia enarrata adiicit, se ad referendam gratiam Syluestrum omnibus ad amplitudinem, & dignitatem Apostolicæ sedis ornandam insignibus decorare, atq; eundem, & successores eius ipso insuper Occidente donare. Quod Edictum ecclesia Romana, atq; adeo etiam Orientalis in hunc vsq; diem constantissime tenuit,*

Theodoro Balſamone,& Emanuele Caleca,& Gennadio patriarcha,Græcis ſcriptoribus,teſtibus.quorum Illuſtriſſimus Cardinalis Sirletus opportune iam inde Roma vſq; admonuit.

Quin etiam idem egregij operis Baptiſterium,quod adhuc viſitur, condidit. cuius cum Vaticana,& Lateranenſi baſilica Prudentius meminit,inquiens contra Symmachum,Iouis aram ab omni populo reſpui,qui

Aut Vaticano tumulum ſub monte frequentat,
Quo cinis ille latet genitoris amabilis obſes,
Cœtibus aut magnis Lateranas currit ad ædes,
Vnde ſacrum referat regali chriſmate ſignum.

His rebus actis inde aduerſus Licinium Auguſtum arma tulit. Quippe æquum eſſe exiſtimans,ſe illius victoriæ,quæ ſuis quoq; armis quæſita eſſet, præmiū aliquod reportare,partem prouinciarum, quas Licinius ſuperiore bello Maximino Auguſto ademerat,repetiuit. vbi vero legatos, ac poſtulatum ſuum ab eo vidit repudiari,exercitibus ſuis in eam rem conuocatis in Pannoniam maturauit. Licinius infeſto Conſtantini in ſe aduentu comperto & ipſe magnum pedeſtrium, equeſtriumq; copiarum numerum expediuit,& cum iis ad Cibalas conſtitit. Id oppidum erat Pannoniæ inferioris in colle ſitum ab vna parte palude, quam Hiulcam vocabant,ab altera planicie lata circundatum. Cum autem Licinius caſtra in campo locaſſet, Conſtantinus aduenięns ad montem conſedit. Neq; inferenti ſigna Conſtantino vlla conſerendo prœlio eſt interpoſita mora. vtrinq; magno ardore,telis emiſſis,vſque ad veſperam haſtis eſt dimicatum. Liciniani à dextro cornu,cui Conſtantinus præerat,loco moti,vbi Licinium, equum ad fugam paratum aſcendentem viderunt,repente omnes per noctem trepidi abiere, pecoribus, ceteriſq; rebus relictis præter tantum panis, quantum ad pellendam per diē famem eſſet ſatis. Licinius Sirmium prætergreſſus, quod oppidum ab vtraq; parte Sauus amnis in Danubium influens abluit, ponte interciſo in Thraciam ire, ibi recollecturus exercitum,properauit.Conſtantinus quinque millibus militum ad eum inſequendum immiſſis caſtra varia,atq; opima præda referta cepit.ac Cibalas, & Sirmium,aliaque oppida à Licinio fugiente relicta in poteſtatem redegit.Inde ponte in Sauum refecto transgreſſus & ipſe Licinij veſtigiis inſtitit. Sub ortum ſolis Licinius conſpecto cum parato exercitu Conſtantino aciem inſtruit,belli ſocio Valente aſſumpto,quem,poſtquam Cibalis diſceſſerat,Cæſarem appellauerat.Exercitus inter ſe congreſſi acriter primum ſagittis, & iaculis, deinde haſtis, & gladiis depugnarunt.Dum autem illi confligunt, qui à Conſtantino ad perſequendum Liciniū miſſi fuerant,cum propter viæ inſcitiam ſequi illum non potuiſſent, derepente ſuperuenerunt,& flexo per collem itinere ſuis ſe adiungere maturarunt. quos Liciniani fortiter ſuſtinuerunt, atque prœlio æquo Marte confecto ceſſerunt. Licinius,cum in caſtra exercitum reduxiſſet, belli difficultate ad conſilium reuocata poſtridie legatos ad Conſtantinum de concordia miſit. Neq; Conſtantinus grauate eam accepit orationem,præſertim vero Conſtantia ſorore, vt mitiora conſulere vellet,orante.Itaq; pax his conditionibus conuenit, vt Licinius Conſtantino Illyricum,id eſt,Dalmatiam,Macedoniam, Pannoniam, Mœſiam, Daciamq; demitteret,ipſe Thraciam cum Aſia,Ægypto,& Oriente ſibi haberet;(quo Oriente quæ prouinciæ clauderentur,ſuprà ſcripſimus;)Valens autem Cæſar, tanquam artifex eorum malorum,abdicaret. Atque ita fœdus vtrinq; conſcriptum,& iureiurando firmatum eſt.Euſebius bellum hoc Cibalenſe Licinianum vocauit. geſtum autem ob eam,quam diximus,cauſſam,& eo,quo expoſitum eſt,ordine, Zoſimus rettulit. Illyrico conſtituto Conſtantinus reuertit Romam. inſtabat enim annus illius Imperij decimus, qui ab exceſſu patris v kal. Auguſti initium duxit, quem Romæ agere, & vetere de more vota Imperij decennalia ſoluere, ac vicennalia cupiebat.Reuerſus autem ludos victoriæ cauſſa ingenti omnium lætitia edidit, & quidem primos cruenti, vt Euſebius dixit, ſacrificij expertes, ac decennalia apparatu magnifico celebrauit. atque ad cumulandam illius celebritatis hilaritatem Criſpum,& Conſtantinum filios Cæſares declarauit.quibus vt ſartam cum Licinio gratiam confirmaret, Licinium etiam eius filium non dum viginti menſes natum

eadem

eadem dignitate ornatum adiecit. Itaque extant rescripta Idibus Septembris hoc anno data, quibus suprà scriptum est: *Constantinus Augustus, & Cæsar.* quo verbo Crispus designatur, decennalibus Cæsar allectus. Decennalibus actis inde Crispum Cæsarem in Galliam ad limitem Rheni tutandum misit, datis magistris, qui iuuenem & in re bellica regerent & in omnibus liberalibus artibus erudirent. quorum vnus fuit Lactantius Firmianus, vir disertissimus, qui diuinarum Institutionum libris Constantinum sic appellauit: *Hoc opus nunc tuo auspicio inchoamus Constantine Maxime Imperator, qui primus Romanorum principum repudiatis erroribus maiestatem Dei singularis, ac veri & cognouisti, & honorasti.* Itaque rescripta, quæ hoc anno, & sequentibus Treuiris data à Constantino Augusto reperiuntur, ea à Crispo Cæsare Galliam cum Imperio obtinente putandum est processisse. Siquidem testatur Sozomenus, Crispum leges vna cum patre, vt qui secundas Imperij teneret, constituisse. idque ex temporibus subscriptis, & legum latoribus suprascriptis intelligi posse.

Inde Vettio Rufino vrbis præfecto relicto, qui XIII Kal. Septembris inierat, Constantinus in Illyricum se recepit, quod à Gotthis, Sarmatis, Scythisque aliis Pannoniam, Mœsiam, & Thraciam incursantibus vexabatur. Itaque Murgillo Pannoniæ oppido XV Kal. Nouembris de Iudæis ad Euagrium ita scripsit: *Iudæis volumus intimari, quòd si quis post hanc legem aliquem, qui eorum feralem fugerit sectam, & ad Dei cultum respexerit, saxis, aut alio furoris genere, quod nunc fieri cognouimus, ausus fuerit attentare, mox flammis dedendus est, & cum omnibus suis participibus concremandus. si quis vero ex populo ad eorum nefariam sectam accesserit, & conciliabulis eorum se applicuerit, cum ipsis pœnas meritas sustinebit.* Eodem anno Donatus Carthaginem reuersus, vbi se Cæciliano obesse non posse vidit, in Felicem episcopum, qui illum consecrarat, inuasit, ac proditionis insimulauit, quòd persequutionis tempore sacrorũ scriptorum monumenta incendio deleuisset. Eam caussam Ælianus Africæ proconsul, cum Verus præfectorum vicarius incommoda valetudine esset affectus; cognouit, atq; ita sententiam tulit: *Felicem episcopum liberum esse ab excusśione instrumentorum Deificorum constat, quòd nemo in eum probauerit, religiosas scripturas corruptas, aut incensas fuisse.* Sabino inde, & Rufino consulibus; Constantinus VIII Idus Ianuarias ex Il- 316
lyrico ad Rufinum præfectum vrbis scripsit, iubens eos, qui res ex donatione ad fiscum pertinentes vsq; ad sua decennalia possedissent, securos possidere. atq; indè Romam repetiit, ita vt inde VIII Idus Martias rescripserit. Sub eosdem dies res in vrbe, atque adeo in aula, & familia Imperatoris accidit memorabilis. Constantia Constantini filia, virgo iam adulta, medicinam vlceri insanabili, quo vehementer affligebatur, exquirens, amicorum monitu ad sepulchrum S. Agnetis virginis, & martyris intempesta nocte accessit, ac licet gentilitate adhuc imbuta, tamen credula, vt S. inquit Ambrosius, animi intentione preces fideliter fundere cœpit. ac repentina somni suauitate correpta in quiete sibi audire visa est Agnetem præcipientem, vt in Iesum Christum crederet, & certam ab illo valetudinẽ expectaret. Diuino viso virgo paruit, & continuo sanitati pristinæ restituitur, domumq; reuersa receptam valetudinem patri gratulatur. Qua re cognita tota ciuitas coronata in lætitia magno cum infidelium dolore versatur. Itaq; cum multis ex aula Imperatoris baptismum ab episcopo Syluestro accepit, atque ibi templum S. Agneti, & sibi Mausoleum, patre impensam suppeditante, construxit. Pridie Nonas Augusti Ouinius Gallicanus in locum Prætextati præfecturam vrbis iniuit. Vir summæ virtutis, eximiæq; apud Constantinum auctoritatis Constantiam virginem specie, ac virtute inter ceteras eminentem sibi in matrimonium postulauit. Constantinus libenter & ipsi, & Comitibus, ac præfectis omnibus pro illo orantibus morem gessisset, si virginem Christo deditam perpelli posse ad matrimonium viri adhuc errore gentilitatis infecti duxisset. Qua ex re cum vehementer animo angeretur, Constantia ei dixit: Noli propterea laborare pater, sed spondè; si ille Scytharum gentem, qui se in Thraciam intulerunt, armis domuerit, fore, vt me consul ducat. proinde duas suas filias Atticam, & Artemiam apud me interim ponat, atque ipse Ioannem, & Paulum primicerium meum apud se habeat, vt & ipse me per familiares

suos alloqui, & ego illum ex filiabus eius possim agnoscere. Huius consilij ratione probata Constantinus rem cum Gallicano confecit, ac postulato Constantiæ expleto ipsum in Illyricum destinauit. Interim Constantia supplici à Deo oratione magnopere petiit, vt sibi Gallicanum, & Gallicani filias redigere ad sanctum ipsius cultum liceret. quam orationem se à Constantia accepisse, Terentianus huius auctor historiæ refert in eo libro, in quo vitam sanctorum martyrum Ioannis, & Pauli descripsit. Gallicanus sacris in Capitolio factis, votisq; more patrio nuncupatis, vrbe egressus properauit in Thraciam, ac rem cum Scythis magna mole gerere instituit. deinde in vrbe Philippis tantis viribus ab eis obsessus est, vt copiarum suarum exiguitate diffisus, ac pugnis aliquot aduersis exterritus salutem suam non in virtute militum, sed in munitione murorum posuerit. inde à militibus destitutũ, ac sese fuga ex obsidione eximere molientem Ioannes, & Paulus, quos commemorauimus, monuere, vt votum Deo faceret, se, si victoriam retulisset, Christi cultui dediturum. Quo facto oblata est illi species iuuenis statura excelsi, ferentis humero Crucem, qui dixit: Sume gladium tuum, & sequere me. illo vero obediente, armati apparuere milites, qui se illi operã nauare dixerunt; proinde extemplo castra hostium inuaderet, & regem eorũ appeteret. Quod cum ille fecisset, insigni victoria negotio nullo potitus, regem procumbentem ad pedes habuit. atq; hostium nemine violari permisso Scythis ex Thracia pulsis tributum annuum imperauit. ex tribunis autem militum, qui ad se redierant, neminẽ, nisi in Christum credentem, recepit. qui vero Christo se deuouerunt, ad gradum sublimiorem prouexit; cete-
317 ros munere militiæ spoliauit. postero vero anno reuersus Romam, atq; honorifice à Constantino exceptus, antequam vrbem iniret, sacra, vt inquit Terentianus, apostolorum limina in Vaticanum adiuit, ac gratias Deo omnipotenti more Christianorum de tanta victoria egit. Cuius rei admiratione captus Constantinus, Quid hoc rei est, Gallicane, inquit, quòd tu, cum ad bellum proficiscereris, Capitolium ingressus dæmonibus immolasti, nunc victor reuersus, Christum, & apostolos eius adoras? Cui Gallicanus rem omnẽ, vt euenerat, enarrauit, illud demum adiungens, se tanto à Deo beneficio affectum ætatem posthac suam in ipsius Dei seruitio consumere, atq; à coniugio abstinere firmo animi decreto constituisse. proinde illum orare, vt sibi successorem daret, quo libere posset religioni vacare, & in cognita veritate persistere. Quem complexus Constantinus filias eius Christo consecratas edocuit, atq; ipsum in Palatium duxit. cui Helena Augusta mater, & Constantia virgo, & Attica, atq; Artemia filiæ occurrerunt. eumq; omnes perinde atq; Augusti generum honorarunt. Demum cum priuatus vellet abire, rogatu Cõstantini XIII kal. Martias consulatum cum Basso iniuit. in quo quinq; millia seruorum libertate, ac ciuitate donata prædiis vrbanis, rusticisq; locupletauit. Inde, cum consulatu, & præfectura se abdicasset, Basso Idibus Maij præfecturã ineunte, secessit Ostiam, & cum sancto Hilarino viuens ædibus eius ad recipiendos peregrinos accessionẽ adiunxit. ibiq; in omni Christianæ pietatis officio maxima cum omniũ admiratione se exercuit, cũ homo Augustis carissimus ex præfecto, & cõsule pedes lauaret, mensam sterneret, aquã manibus funderet, & languẽtibus acri studio ministraret. Quin etiã ipse primus ædẽ Ostiæ S. Laurentio martyri condidit, atq; officia clericorum instruxit. Constantinus, cum VI Idus Maias Romæ fuisset, inde in Illyricum aduersus barbaros rursus incursantes contendit. quod rescripta indicant ab illo Romæ, Sirmij, Naissi, & Serdicæ data. Crispus filius Germaniæ limites egregie est tutatus. Idibus Augusti Fausta Augusta puerum alterum peperit, quem Constantinum appellauit. Ceterum, cum ordinarius consulatus insignis adhuc Romæ dignitas haberetur, vt à quo anni nominarentur, & Fasti decorarentur, statuit Constantinus eum honorem filiis, sororisq; filio Cæsaribus tradere. nam fratres male concor-
318 des, vt ex alia matre natos, sero admodum honorauit. Itaq; sequens annus Licinium Augustum quintum cum Crispo Cæsare consulem habuit. Eo anno Crispus ipse Francos rebellantes insigni victoria domuit. vnde pòst Nazarius in Quinquennalibus eius dixit: *Francorum natio ita raptim adoleuit ad gloriam vestram, vt fortissimo Cæsari primitias ingentis victoriæ daret. cum memoria acceptæ cladis non infracta, sed*

asperata

asperata pugnaret. Basso vrbis præfecto ad Constantinum Augustum profecto, Iulius Cassius vice illius cognouit. Bassus regressus præfecturam resumpsit. Interim Romæ, & in Italia Constantinus summo studio templa noua instituit. nam & via Tiburtina beato Laurentio martyri basilicam, & Capuæ, Neapoli, Albæ, & Ostiæ alias inchoauit. Quæ vero Ostiæ Petro, & Paulo apostolis instituta est, ea à Gallicano insignibus donis ornata est. Neque vero templa ædificare ad religionem amplificandam satis habuit. quin etiam ad populi vsum, & vrbis decus thermas, & porticum nobilissimam condidit, multaque vetera opera instaurauit, ita vt vrbem clarorum ædificiorum magnificentia multo illustriorem aspectantibus omnibus exhibuerit. Ex quo pòst dixit Nazarius in Quinquennalibus: *Vacat remissioribus animis delectamenta pacis adhibere celeberrima, quæ vrbis nobis operibus enitescunt, nec obsoleta modo per vetustatem rediuiuo cultu insigniuntur, sed illa ipsa, quæ antehac magnificentissima putabantur, nunc auri luce fulgentia indecoram maiorum parsimoniam prodiderunt. Idcirco ipsa maxime sublimes porticus, & rutilantes auro columnæ tantum inusitati ornatus dederunt, vt illo non minus cupide conueniatur loci gratia, quàm spectaculi voluptate.* Non prætereundum illud etiam, eloquentiam per hæc tempora summo studio Romæ, & in Italia celebratam. testis est Diuus Hieronymus, qui ad Rusticum scripsit: *Mater post studia Galliarum, quæ florentissima sunt, misit te Romam, vt vbertatem, nitoremq́ Gallici sermonis grauitas Romana condiret.* Floruere autem hac laude Romæ Nazarius, qui rhetoricam docuit, & Minucius Felix, qui caussas orauit, & Lampridius, Spartianus, Capitolinus, & Vopiscus, qui vitas superiorum Imperatorum litteris mandauerunt. qui quanta dicendi facultate valuerint ex scriptis eorum perspici potest. Post Nazarium inde Paterius rhetor, & Eunomia Nazarij filia eximie celebrati. quorum D. Hieronymus meminit. Postero anno Constanti- 319
nus Augustus V cum Licinio Cæsare consulatum occepit. &, cum III Idus Maij Sirmij esset, ad Rufinum præfectum prætorio rescripsit. Kal. Septembris Valerius Maximus vrbis præfecturam iniuit. Per hos annos basilica Saluatoris Lateranensis V Idus Nouembris, & S. Petri Vaticana XIIII Kal. Decembris ad summum perductæ, sunt consecratæ. Rebus Occidentis egregie, atq; ex Imperatoris, & populorum sententia procedentibus duplex, & quidem fœda, ac perniciosa vtraque calamitatis tempestas incurrit, quæ totum Orientem non solum inexpiabili inter se odio, ac simultate distraxit, verum etiam in multos annos ciuili, ac sacro sanguine cruentauit. vsqueadeo vt ea labes aliqua etiam ex parte Occidentem tetri cuiusdam incendij more afflarit. Earum vnam turpe gentilitatis studium; alteram prauum Christianorum antistitum de Deo dissidium intulerunt, Licinio, Arrioq; auctoribus. Licinius Augustus anno, vt notauit Cedrenus, Imperij Constantini quarto decimo, ægre passus, se à Constantino Illyrici prouinciis per arma ciuilia spoliatum, simulata prioribus annis amicitia occultis ipsum insidiis sæpe appetiit. quibus ad irritum diuino numine detegente redactis, ac semel, iterumq; reconciliata concordia, demum vt Constantini animum vulneraret, ad gentilitatem, quam in gratiam eius reliquerat, se recepit, & Christianis, quorum illum studiosissimum esse videbat, inimicus euasit. ac primùm edicto proposito episcopos inter se de more conuenire, ac de rebus ad Ecclesiam pertinentibus consultare prohibuit, alterutrum necessario consequuturum arbitratus, vt aut dicto nõ audientes capitali supplicio vindicaret, aut obedientes à Christi veneratione auerteret. deinde omnes, qui Christianorũ sacris imbuti essent, Palatij sui liminibus arcuit, & summis honoribus vsos ad illiberalia ministeria adhibuit, & bonis publicatis mortem omnibus, qui Christum appellassent, indixit. quo modo totum Orientem, tum primum sese à superioris persequutionis cladibus attollentem, vehementer afflixit. Arrius autem flagitiosam in Ægypto hæresim, quæ pòst latius dissipata eundem Orientem misere perdidit, hoc modo inuexit. Alexander episcopus Alexandriæ nuper in locum demortui Achillæ suffectus ecclesiam de more aduocauit, ac præsente clero subtilius aliquando, quàm moris erat, de sancta Trinitate cœpit disserere, filiũ eiusdem substantiæ, atq; honoris esse cum patre aduersus Paulum. Apollinaremq́; præcipiens. vbi vero perorauit, clerum; quid sui iudicij esset, rogauit. tum Arrius pres-

byter, sacrarum litterarum interpres, homo multarum doctrinarum cognitione imbutus, siue odio, quo erga illum flagrabat, inductus, siue Sabellianam hæresim vnam tantum vt substantiam, sic personam constituentem auersatus, ad opinionem prorsus contrariam declinauit, ac Christum creaturam, & factum esse, sibi videri respondit. Nam si pater, inquit, filiũ genuit, qui genitus est, suæ essentiæ principium habuerit, necesse est. ita fit, tempus fuisse, cum filius non fuit, eumq; ex nihilo essentiam accepisse. Cum autem hæc ita cõclusisset, factum est, vt multorum, qui aderant, ad veritatem indagandam ingenia excitarit. ex quo ea quæstio inde paulatim totam Ægyptum peragrauit. In exitu anni Constantinus Augustus ex Illyrico Romam reuersus, vt filiorum Cęsarum Quinquennalia celebraret, tertio filio auctus est, quem Constantem vocauit. ac proximo anno, qui fuit post Christum

320 natum trecentesimus vicesimus, cum sextum consulatum, Constantino Cęsare assumpto, inisset, vna cum Crispo, qui sæuiente hieme ex Gallia Romam redierat, & puero Constantino, operam Quinquennalibus dedit. Ea vota ingenti principum, populiq; lætitia persoluta sunt. Nazarius orator magni ea tempestate, vt dixi, in vrbe nominis solemnem in eiusmodi celebritate orationem habuit. in qua præcipue Constantini Augusti victoriã celebrauit, quam primum de Maxentio, post de Germanis insultantibus tulit. Ex quo declaratur, Constantinũ nihil interim aut in Pannonia, aut in Thracia contra barbaros memorabilis rei gessisse. neq; enim ille recentes victorias, atq; inauditas præteriisset, vt veteres, ac sæpissime decantatas ornaret. Nam Cibalense bellum ipso viuente, & nondum apertas inimicitias exercente Licinio, credo, non esset ausus attingere. Deinde de Cæsaribus, Augusto, & his Quinquennalibus ita disseruit: *Quintum decimum annum maximus princeps salutaris Imperij degit, sed auguramur iam vicennalia. Quinquennalia beatissimorum Cæsarum occupatos in gaudiis habent sed in destinatis decenniis iam vota properantia, & spes volucres constiterunt. Crispus Cæsar iam obterendis hostibus grauis terrorem paternũ, quo semper barbaria omnis intremuit, deriuare ad nomen suum cœpit. Constantinus iam consulatum, iam venerationem sui sentiens, si quid intactum aut parens, aut frater reseruet, declarat mox victorẽ futurum, qui animo iam vincit ætatem. Ad gloriam vestram fœcunda malis suis Francorum natio ita raptim adoleuit, robusteq; recreata est, vt fortissimo Cæsari primitias ingentis victoriæ daret, cum memoria acceptæ cladis non infracta, sed asperata pugnaret. Tantorum Roma compos bonorum, quæ quidem ei sunt cum toto orbe communia, habuit semper ingentis spei fructum, quem propositum sibi ex Cæsaribus nobilissimis habet, eorumq; fratribus, quorũ iam nomina ipsa veneramur. Declarat ecce rationem, cupiditatemq; votorum facta Crispi Cæsarum maximi. in quo velox virtus ætatis mora non retardata est. pueriles annos gladiis triumphalibus occupauit, qui quidem nunc nobilissimus Cæsar venerandi patris, fratrum, suorumq; omniũ fruitur aspectu, seq; fruendum omnibus præbet. cruda adhuc hyeme iter gelu intractabile, immensum spacio, niuibus infestum incredibili celeritate confecit. Quæ tuũ, Constantine Maxime, pectus inundauit gratulatio, cui tanto interuallo videre filium licuit, & videre victorẽ? narrauit vtiq; exhausta bella, & hoc ad tuam gratiam, non ad sui ostentationem, qualis excipiendo hoste, quàm resistenti vehemens, quàm facilis supplicanti. Nunc te omnes rogamus, cum præsentem laudaueris, cum iam reip. flagitanti, cum Gallis desiderantibus reddes, iterum atq; iterum moneas reuertẽtem. Te vero, Constantine Cæsar, incrementum maximũ boni publici, quibus modis amplectitur humana felicitas? quæ de te tantum expectat, quantum nomine polliceris. & licet ætas adhuc auocet ab imitatione virtutis paternæ, iam tamen ad pietatem eius natura deducit. Quinquẽniis igitur feliciter inchoatis decennia Cæsarum nobilissimorũ vltra posteros nostros extendenda quàm impense rogare, & orare nos conueniat, ipsis bonis temporũ, & reip. rationibus admonemur. Iacet in latere Galliarũ, Constantine Maxime, aut in sinu suo fusa barbaria. Persæ amicitiam tuam petiuerunt. nulla in terris tam ferox natio est, quæ te non metuat, aut diligat. omnia foris placida, domi prospera. an non vbertate fructuum copia? exornatæ mirandum in modum, ac prope de integro conditæ ciuitates. nouæ leges gerẽdis moribus, & frangendis vitiis constitutæ. ceterum calumniosæ ambages recisæ captandæ simplicitatis laqueos perdiderunt. Pudore tuo munita coniugia. securæ facultates ambitione sui gaudẽt. nec aliquis habẽdi quamplurimũ metus, sed in tanta bonorũ affluentia magna verecundia nõ habẽdi. Hic deniq; status rerum est, vt obtinendæ potius felicitatis votum geramus, quàm augendæ cupidi-*

cupiditatis. Vnum modo est, quo fieri possit Roma felicior, maximum quidem, sed tam solum, vt Constantinum conseruatorem suum, vt beatissimos Cæsares videat, vt fruendi copiam pro desiderij modo capiat, & hos alacris excipiat, & cum reip. ratio digredi fecerit, receptura dimittat. Inter hæc nuncius est allatus, veteranos in Gallia atrocem post Crispi excessum concitasse seditionem. Quo audito Constantinus, quòd res videbatur sua præsentia indigere, quanta maxima celeritate potuit, illuc accurrit. res Kal. Martiis in oppido Bellouacorum est acta. ciuilium munerum, quam postulabant, vacatione concessa tumultus omnis sedatus est. Inde Crispo in prouincia relicto Romam repetiit. In Oriente Licinius legem adhuc acerbiorem tulit aduersus Christianos, ne viri cum mulieribus precationis caussa in ecclesiis conuenirent, neu episcopi mulierum aures sacris præceptis imbuerent, neue populi, nisi in campis suburbanis, conuentus haberent. milites autem, nisi nudato capite sacrificiis interessent, muneribus exuit. quo pacto ingentem numerum hominum damnis, ignominiisq; affecit. vsq; eo vero crudelitatis, truculentiæq; processit, vt neq; iis, qui in vinculis tenebantur, alimenta suppeditari, nec qui suam proximis misericordiam tribuissent, in bonorum numero haberi voluerit. atq; eadem pœna eos, qua qui sontes erant, plectendos censuerit. quin etiam nouas leges de nuptiis, ac funeribus edidit. quibus veteres obrogauit. noua, eaque grauissima tributa in agros imposuit. atq; ob id metiri omnes voluit, nouosq; agricolis census indixit. Et hoc anno
Romæ Valerius Maximus idem vrbis præfectus ius dixit. Crispo inde, & Constan- 321
tio Cæsaribus ambobus consulibus iterum, Constantinus Augustus bellum acre cum Sarmatis gessit. Quippe comperto, Sarmatas Mæotidem accolentes traiecto nauigiis Istro prouincias suas se absente depopulari, in Illyricum regressus exercitum ducere aduersus eos instituit. Qua re perspecta illi cum rege Rausimodo aduentum eius præuertentes oppidum quoddam adorti parti eius superiori, quæ ex materia constabat, incendium intulerunt, verum à propugnatoribus, qui pro muris stabant, telis, missilibusq; propulsi propositum tenere non potuerũt. Superueniens inde Constantinus tanta illos mole oppressit, vt multis desideratis reliqui vix tempus nacti sint euadendi. Rausimodus cum iis, qui superstites erant, Istro superato fuga sibi consuluit. Post aliquot dies Constantinus certior factus, Rausimodum noua de Istro traiiciendo consilia coquere, ante illum transmittere maturauit. eumq; adortus prælio facto in collem præcipiti fuga compulsum interfecit, ac magna Sarmatarum strage edita reliquæ multitudini fidem suam imploranti pepercit, & cum ea in castra se rettulit, qua in oppida prouinciæ distributa Thessalonicam recessit. Huius belli Zosimus est auctor. Ibi vero legem tulit, quæ v Nonas Iulias Romę proposita est, vt vnusquisq; vita cedens bonorum suorum partem Catholico concilio relinquere posset. In Oriente interim res in dies tetriores, fœdioresq; committebantur. Nam Licinius iam templa passim euertere, episcoposq;, quos sibi aduersos, Constantino vero deditos esse iudicabat, variis suppliciis lacerare adortus erat. Præter ceteros autem insigne fuit Basilij Amasiæ Ponti episcopi martyrium, à Ioanne Nicomediensi presbytero, qui se interfuisse dicit, ad fidem conscriptum. Huic Nicomediam adduci iusso, quòd deis immolare abnueret, caput desecari, & cadauer in mare abiici iussit. quod mox à piscatoribus integrum inuentũ, incredibile dictu est, quantum omnium in se piorum oculos, animosq; conuerterit. Hæresis autem Arriana ex Ægypto iam in Asiam incendij more sese ferox effuderat. Præcipue autem Eusebius Nicomediensis episcopus eam auide arripuit, ac palam tueri instituit. cuius maxima erat in Asia auctoritas, quòd Licinius Nicomediæ sedem habebat, atq; eo amico præcipue, & consiliorum arbitrio vtebatur. Quod vbi Alexander comperit, ita feruidus aduocato episcoporũ concilio Arriũ, atq; illius sectatores damnauit, atq; ad omnes episcopos scripsit, nominatim leuitatem Eusebij carpens, vt qui primum Berytiensi ecclesia relicta Nicomediensem aucupatus per ambitionem fuisset, deinde eorum, qui ab ecclesia Catholica defecissent, patrocinium suscepisset, atq; eos ab illo audiendo tanquam impie sentiente studuit auocare. Cõtrà vero Arrius cum ad alios, tum maxime ad Eusebium de re, quæ in cõtrouersiam venerat, & de damnatione sui litteras dedit, eumq; ad opem

ſibi ferendam orauit. Itaq; Euſebius cum ab Arrio temere inductus, tum ab Alexandro propter contumelioſas de ſe litteras infenſior factus in Arrij partes tranſiuit. ac conuentu epiſcoporũ habito Arrium inſontem pronunciauit, ac ſcriptis ad epiſcopos litteris cum pleroſq; auctoritate ſua mouiſſet, naſcendi incendio ingen-
322 tes faces admouit. Hac de cauſſa proximo anno, quo Probinus, & Iulianus conſules fuerunt, hæc peſtis per eccleſias Ægypti, Aſię, & Orientis bacchari truculente cœpit. ſiquidem clericis inter ſe aſpere, ac contumelioſe iurgantibus imperita multitudo non ſolum factorũ ſpectatrix, ſed etiam dictorũ diſceptatrix euaſerat, ac pars horum, pars illorum ſententiã approbabat, de his etiam in theatris cum magno religionis ludibrio differens. Conſtantinus autem Romam reuerſus, vt in ſumma frugum inopia extremæ multorum egeſtati ſuccurreret, pridie Nonas Iulias cauit, ne quis victus inopia liberos venderet, ſed ad eos alendos, annonæ quod ſatis eſſet, à fiſco acciperet. Cum autem nefanda iampridem Licinij flagitia percepiſſet, neque precibus, neq; monitoribus pepercerat, vt ipſum ad ſaniora conſilia reuocaret, ſed variis rationibus deluſus nihil profecerat. proxime autem cum Baſilij epiſcopi indignam adeo necẽ, ac ſummam in martyrio conſtantiã, & ingens poſt mortẽ miraculum comperiſſet, iuſta ira ſuccenſus, vt Chriſtianis rurſus laborantibus ſubueniret, eoſq; indigno iugo ſeruitutis eximeret vim ſibi adhibendam, neq; affinitatis rationem habendam putauit. atq; homini gratiam, atq; auctoritatẽ ſuam iam aperte repudianti bellum indixit. ad quod ſe compulſum iri proſpiciens portũ Theſſalonicæ prioribus menſibus inſtituerat, vrbemq; nouis operibus confirmarat. Itaque cum hanc arcẽ ſibi ad inuadendũ Liciniũ delegiſſet, eo demum omnia ad magnũ bellum adminiſtrandũ neceſſaria contulit. nam triremes ducentas, atq; onerariarũ amplius duo millia, peditum centum, & viginti, equitum ad decẽ millia confecit. in quibus magnus etiam Gotthorũ numerus fuit. ac Criſpum Cæſarem ſocium expeditionis futurum ex Gallia euocauit, Conſtantinũ vero Galliæ præfecit, quam ille deinde obtinuit vſq; ad exitũ vitę. ac Roma profectus Theſſalonicã adiit. Quo rerũ apparatu percepto Licinius & ipſe ex prouinciis ſuis ingentem numerum vtriuſq; militiæ conuocauit, vt pedeſtriũ copiarum ad centum quinquaginta millia, equitũ ad quindecim in armis habuerit. &, cum Conſtantinus claſſem ſuam in Piræeo Athenarum portu conſtituiſſet, ipſe ſuam in Helleſponto locauit, & cum omnibus terreſtribus copiis ad Hadrianopolim in Thracia ſubſtitit. Nouo inde ineunte an-
323 no, Seuero, & Rufino conſulibus, Conſtantinus cum terreſtri exercitu Theſſalonica egreſſus ad flumẽ Hębrum acceſſit, quod ad læuam Hadrianopolim attigit. atq; in ripa eius aduerſus Liciniũ conſedit, qui caſtra ad montem vrbi imminentẽ poſuerat. Cum igitur armatus vtrinq; ſtaret exercitus in ſummi certaminis dimicationem paratus, Licinius principes ſuos in lucum ſeduxit, variis deorum ſimulachris refertum. quibus cum cereos accendiſſet, ac victimas immolaſſet, tum conuerſus ad eos ita dicere cœpit: Hi ſunt Dei, quos à maioribus colẽdos accepimus, & quorum auxilio rem publicam, & priuatã hucuſq; optime geſſimus. Conſtantinus autẽ patriis inſtitutis neglectis nouum quẽdam, ac peregrinum Deum ſibi ſuſcepit colendum, ac turpi eius inſigni ſuum dehoneſtauit exercitum. eiuſq; numine fretus ad nos, deoſq; noſtros tollendos infeſtus procedit. verum propediẽ apparebit, vtri numini cultus ſit adhibendus. nam à qua parte certaminis victoria ſtabit, ab eadem religionem eſſe conſtabit. Hęc ab illo dicta ſe audiuiſſe ab iis, qui interfuerunt, Euſebius aſſerit. Conſtantinus autem diuino, ſi quando alias, auxilio ſibi opus eſſe intelligens ſalutiferum Crucis vexillum, cuius virtutem expertus incredibilem fuerat, præferebat, ac ſacris ſacerdotibus aduocatis, piis, atq; aſſiduis eorum ad Deum orationibus ſe totum tradiderat, vates, arioloſque irridens, qui Licinio aderant, eumq; ridicula gentilium arte confiſi inani ſpe rerum ſecundarum inflabant. Itaq; in vrbibus Licinij multi per eos dies multas Conſtantini cohortes meridie per vrbes tranſeuntes, tanquã victrices ſe vidiſſe, affirmarunt, omenq; victoriæ, quę inſtabat, fecerunt. Interim Conſtantinus pontem ſe tranſeundi fluminis cauſſa facere velle ſimulat, qua in parte latiſſimus amnis erat. dumq; ei rei impediendæ hoſtes intentos videt, quinque millia ſagittariorum peditum cum equitibus octoginta in

colle

colle quodam ſyluis pleno in inſidiis collocat. Inde alia in parte flumine, qua arctiſſimum erat, ſuperato, repente in hoſtes irrumpit, ac ſigno crucis illato eorũ triginta millia ſtrauit, ac ſub noctem caſtra etiam cepit. Hæc v Nonas Iulias acta. Licinius ſuis, vt vnum Crucis vexillum peterent, ac lacerare contenderent, imperarat. Narrat autem Euſebius, ſe ab ipſo Conſtantino audiſſe, cum vexillifer in ipſo pugnæ ardore telorum ingruentium multitudine conſternatus periculi declinandi cauſſa vexillum proximo tradidiſſet, atq; acie exceſſiſſet, factum eſſe, vt ipſe extra aciem tragula traiectus obierit. qui vero vexillum ſeruauerat, incolumis inter tot vndiq; impetẽtia tela, vexillo ipſo multis in partibus perforato, euaſerit. Licinius, cum impetum Conſtantini ſuſtinere nõ poſſet, arrepta fuga Byzantium ſe recepit. Liciniani omnes, qui prœlio ſuperfuerunt, ſeſe Conſtantini fidei permiſerunt. Conſtantinus inde Licinium inſequutus Byzantium adiit, atq; oppidum obſidione circũdedit. & claſſem, quæ è Piræo in Macedoniam venerat, ad Helleſpontum adeſſe iuſſit. quæ vbi aduenit, Conſtantini duces triremibus octoginta in faucib. Helleſponti prœlium commiſerunt, atq; Abantem præfectum Licinij ducentarũ triremium claſſem agentem inuaſerunt, ac multis hoſtilibus nauibus demerſis vſq; ad noctem certamen produxerunt. Inde dirempto prœlio, alij ſe ad Elæuntem Thraciæ, alij ad portum Aiacis recepere. Abas poſtridie, cum hoſtilem claſſem triginta triremibus auctam cerneret, prœlium detrectauit. claſſis Licinij, quæ partem exercitus è Byzantio in Aſiam tranſmiſit, ne obſeſſam vrbem multitudine premeret, ſequa tempeſtate ſuborta prope tota conſumpta eſt. Abas Aſiam cum quattuor nauib. fuga petiit. Conſtantinus commeatibus abunde ſubuectis obſidionẽ vrgere perrexit. nam & aggerem paris cum muro altitudinis excitauit, & in eo turres ligneas conſtituit, atq; inde murorum defenſores inceſſere, atq; eis remotis tuto machinas admouere contendit. Quibus rebus Licinius exterritus infirmiore militum parte Byzantij relicta cum fortioribus, & ſibi fidelioribus Chalcedonem in Bithyniam nauigauit, ac nauale eius Chryſopolim tenuit. atq; ibi Martinianum magiſtrum officiorũ Cæſarem appellauit, eumq; cũ exercitu Lampſacum miſit, vt impedimento eſſet, quo minus hoſtes è Thracia ad Helleſpontum accederet. ipſe caſtra in collibus, & f. ucibus ad Chryſopolim fecit. Romæ Idibus Septembris Lucrius Verrinus vrbis præfectura affectus eſt. Conſtantinus inde, dum Byzantium obſidet, quòd onerarias naues ineptas eſſe ad Bithynicum littus capiendum videret, per hiemem nauigia leuiora conſtruxit. qua Criſpus, & Conſtantinus Cæſares tertium conſulatum ceperunt. atque opportuno tempore ad Sacrum promontorium, quod eſt ad oſtium 324
Ponti ſitum ducentis à Chalcedone ſtadiis, claſſem appulit, atque expoſitis copiis colles quoſdam occupauit. Qua re cognita Licinius Martinianum Lampſaco euocauit, atque inſtructo exercitu aduerſus Conſtantinum proceſſit. Ibi acri pugna edita Conſtantinus quoque fuit ſuperior. De Licinianis, qui centum triginta millia fuiſſe dicuntur, vix triginta millia euaſerunt. Ea re Byzantium nunciata, Byzantij patefactis portis Conſtantinum receperunt. Byzantios vero repente Calcedonij ſubſequuti. Licinius ex prœlio fugiens cum paucis peditum, atque equitum millibus Nicomediam ſe recepit. Quod vbi cognouit Conſtantinus, Nicomediam inde exercitu illuc admoto obſedit. Tum demum Licinius, quàm non ſuarum virium illa eſſet dimicatio, cernens pacem ſibi petendam vel iniqua conditione putauit. ac Conſtantiam vxorem ad fratrem Conſtantinum iterum miſit, vt ſibi veniam impetraret. Hanc lacrymantem, ac ſummis precibus pro ſe, pro viro, pro liberis ſupplicantem diutius ſuſtinere pius Imperator non potuit, ac ſe hoc precibus eius daturum eſſe reſpondit, vt Licinius depoſitis inſignibus Auguſtalibus, atque Imperij adminiſtratione relicta Theſſalonicam ad priuatam vitam agendam ſecederet. Quam conditionem Licinius, vt neceſſariam magis, quàm vtilem, aut decoram accepit. atque priuati hominis habitu ſumpto ad Conſtantinum acceſſit, & petita erroris ſuppliciter venia, iuſſu eius inde Theſſalonicam cum Martiniano priuato ſe contulit. Licinianum bellum, Licinio Nicomediam compulſo, decem, & octo menſibus confectum ſcribit Cedrenus. His rebus proſpere adminiſtratis, Conſtantinus Nicomediam ingreſſus veteranos dimiſit.

Aſia, Ægypto,& Oriente in ditionem adductis. Huius rei meminit ipſe in epiſtola ad Florianum præfectum, his verbis: *Veteranis, qui ex die quinta Nonarum Iuliarum, cum prima per Thraciam victoria vniuerſo orbi illuxit, & qui poſtea apud Nicomediam noſtram miſſionem meruerunt, certa per edictum indulſimus.* Cui tamen epiſtolæ falſo conſulatus Licinij v, & Criſpi Cæſaris vulgo ſubſcriptus eſt. Ceterum hac victoria parta Conſtantinus ſecundis omnium vocibus, clariſq; præconiis celebratus eſt, quòd ſæuiſſimo tyranno remoto graui eccleſias miſeria, populoſq; ſeruitute acerbiſſima liberaſſet. neque enim dubitabatur, quin idem ſtudium ad ſtatum Orientis formandum adhibiturus eſſet, quod ad Occidentis attulerat. Neq; eorum ille ſpem, opinionemq; fefellit. namque edicta ſtatim propoſuit, quibus exules à Licinio factos reſtituebat, damnatos ad metalla liberabat, ſpoliatis bona, dignitateſque ſuas reddebat, templa reædificari, conuentus frequentari, religionem Chriſtianam maximo ardore concelebrari iubebat. atque hæc ad Orientales eccleſias miſit. xvii autem Kal. Iunias aduerſus Licinium ſic edixit: *Remotis Licinij tyranni conſtitutionibus, & legibus omnes ſciant, veteris iuris, & ſtatutorum obſeruari debere ſanctionem.* Per eoſdem dies in Oriente res ab Arrianis, & Catholicis prope tragicæ agebantur, bello ciuili, quod inciderat, magnam licentiam ad omne flagitium exhibente. neque enim peregrini, & hoſtes, vt antea, eccleſias oppugnabant, ſed eiuſdem tribus, contuberniiq;, atque adeo etiam eiuſdem menſæ participes infeſtas contra ſe linguas acuebant. & paulatim præcipites ad arma capienda ruebant. Conſtantinus autem harum rixarum, vt qui nunc primum Aſiam, alieni eouſque iuris prouinciam, attigiſſet, ignarus, ac plane hoſpes Nicomedia egreſſus iter in Orientem intendit, vt primo quoque tempore præſens illatis à Licinio vulneribus mederetur. cumque aliquanto viæ ſpacio proceſſiſſet, triſtem nuncium de Orientali tumultu, & cauſſa eius accepit. quo vehementer pro pietate ſua permotus pedem extemplo rettulit, ac rem non negligendam ratus, confeſtim Oſium Cordubenſem epiſcopum, qui cum aliis epiſcopis in comitatu erat, virum fide, doctrinaq; inſignem cum litteris ad Alexandrum epiſcopum, & Arrium presbyterum miſit, rogans eos, vt prauo omiſſo contentionis ſtudio ſalutem, atque honorem eccleſiæ potiorem haberent. Oſius maxima celeritate profectus Alexandriam, nihil, quod ad controuerſiam componendam pertineret, omiſit, verum accenſis vtrinque animis parum profecit. atque ad Conſtantinum reuerſus, quo res in articulo verteretur, edocuit. Ea de cauſſa Conſtantinus, re cum Syluestro Romano pontifice communicata, epiſcopis vniuerſis concilium in inſequentem annum ex illius auctoritate indixit. ac litteras ad omnes epiſcopos, vt Nicææ vrbe Bithyniæ ad viii Kal. Maias proximas conuenirent, perferendas curauit. quo vero omnes ad diem adeſſe poſſent, in omnibus regionibus equos, mulos, mulaſq; publicas, quibus ad celeritatem ſubinde vterentur, certis diſpoſuit manſionibus. Interim Licinius inquieti homo ingenij, ac perfidæ mentis Martiniano ſocio occulte rebus Theſſalonicæ nouis ſtudebat, & contractis militibus populos ad defectionem ſolicitabat. Quod poſtquam Conſtantinus pro comperto accepit, iuſta indignatione accenſus ferro ſibi vindi-
325 candum putauit. Itaque Paulino, & Iuliano conſulibus, & Acilio Seuero præfecto vrbis, ingenti Gotthorum manu Theſſalonicam miſſa, vrbem recepit, ac Licinium in poteſtatem adduxit. quem, cum fidem, ac miſericordiam ſuam imploraret, ſimulq; affinitatis vinculum, & ſororis matrimonium identidem memoraret, omni indignum venia iudicauit. Itaque ſtatim capite multatus tandem meritas ſuæ erga Deum, hominesq; impietatis pœnas perſoluit. Martinianus inde, ceteriq; furoris eius ſocij comprehenſi vltimum pariter ſupplicium ſubierunt. Itaque Conſtantinus pridie Idus Februarias ad vniuerſos prouinciales de Licinio ita ſcripſit: *Tyranni, & eius iudicum geſtis infirmatis, nemo per calumniam id, quod ipſe ſponte fecit, euertere audeat.* Inde gaudio exultans feſtos dies, ludoſq; vna cum toto populo Nicomediæ pro victoria celebrauit. Dum autem hæc ab eo aguntur, epiſcopi, qui itineris laborem ſuſcipere potuerunt, edicto eius accepto ad trecentos octodecim Nicæam aduolauerunt. quorum plerique membris, aut parte aliqua corporis ſuperiore perſequutione manci, ac debilitati conſpiciebantur. Syluester pontifex, cum ætate

confe-

confectus adesse non posset, presbyteros duos Vincentium, & Victorem misit, qui partes suas implerent. quib. singulis loca, lautia Constantinus attribui iussit, ac perfectis ludis, & ipse Nicæam accessit, atq; in maxima Palatij aula sellas disponi, ac certo die conuocari præcepit. Vndecimo Kal. Iunias omnes affuerunt, ac legatis Syluestri pontificis, Eustathio Antiocheno, Alexandro Alexandrino, & Macario Hierosolymorum episcopis præsidentibus suo quisq; in loco sederunt. Tum Constantinus paucis inermibus ex familia præcedentibus est ingressus, cunctis ad eius conspectum patribus euestigio consurgentibus, atq; ipsum tanquam angelum è cœlo lapsum vultu, cultuq; augustissimum intuentibus. & nutu eorum in humili, sed aurea sella in medio aulæ consedit, noua tantorum episcoporum maiestate mirabiliter captus. Quo facto Eusebius episcopus Cæsariensis, ex cuius potissimum hæc historia sumpsimus, assurrexit, atq; ipsum breui oratione laudauit, hymnumq; ad gratias pro illo Deo agendas recitauit. vbi vero assedit, silentio consequuto, Constantinus oculis in vniuersos coniectis in hanc sententiam est loquutus: Voti compos mei factus ingentes Deo gratias ago, quòd tot patres in vnũ conuocatos video. Oro porro vos, quando fœda tyrannorum dimicatio contra Deum suscepta manu, ac fortitudine profligata est, ne patiamini religionem, ac disciplinam eius iniquis hominum obtrectationibus lacerari. Ego enim adepta victoria cum id agerem, vt vnà cum iis, qui auxiliante Deo in libertatem essent vindicati, communem animi fructum perciperem, simulatque de vestra dissensione audiui, opportunum tanto malo remedium exquisiui. ac sine interpositione moræ vos aduocaui. Quamobrem, quando ipsi conuenistis, obsecro vos, vt omnes controuersiarum caussas amoueatis, atque idem sentientes optatam ecclesiis concordiam restituatis. His Græco sermone interpretatis tum de ea, quæ concordiam distinebat, quæstione refertur. Cum autem multi episcopi loco sententiæ indignas finitimorum episcoporum criminationes deferrent, ac libellis prodendis caussas ab eo cognosci postularent, tum Constantinus libellis in sinum sine vlla lectione coniectis ita perrexit: Deus vos sacerdotes constituit, & potestate de nobis iudicandi affecit. & ideo nos recte iudicamur à vobis, vos autem nefas est ab hominibus iudicari. quare Dei solius inter vos iudicium expectate, & vestra iurgia, quæcunque sunt, ad illud diuinum examen reseruate. ego enim, si episcopum delinquentem viderem, non solum à iudicando abstinerem, sed veste etiam mea contegerem, quoad possem. Quod vero instat, propositam sanctæ Trinitatis caussam, sine vlla animorum simultate transigite. Atque his dictis simul omnes delationum commentarios iussit exuri. Ita ceteris rebus omissis per dies sequentes de re proposita diligenter, & accurate ab vtraq; parte argumentis, auctoritatibus, & sanctarum scripturarum collationibus disputatum est. Quæ omnia æquissimis auribus Constantinus audiuit, quousque rem ad exitum optatum redegit. Ad extremum in vna confessione omnium animi consenserunt, Filium Dei verũ de Deo vero, genitum nõ factum, consubstantialem patri esse. atq; Fidei symbolum plurib. verbis complexi vsq; ad mentionem Spiritus sancti perduxerunt. Sabellium vero nominatim damnarũt, & Manetem, & Paulum, & Apollinarẽ, ceterosq;, qui vsq; ad Arriũ, Christum aut Deum tantum, aut hominem tantum asseruerant, quiq; eundem verum Deum, & verum hominem esse negauerãt. Inde Arrium presbyterum, Eusebium Nicomediensem episcopum, Theognim Nicænum, Marim Chalcedonium, & paucos præterea alios, qui cum Arrio ab hac sententia discrepabant, communione remouerunt, ecclesiis spoliarunt, & libros eorum cremarunt, atque hæc decreta constanti pòst omnium subscriptione firmata sunt. Ceterum quod in subscribendo accidit exemplum memorabile prodidit. Episcopis duobus, antequã subscriptio celebraretur, ex rebus humanis ereptis reliqui ad sepulchrum eorum venerunt, & tabulis symboli à se conscripti allatis mortuos illos perinde, ac si spiritũ duxissent, auribusq; captassent, orarunt, vt fidẽ, quam vnà secũ constituissent, si acta esse rata censerẽt, subscriptione sua sancirent. quando nullo iam humanitatis velo interiecto splendore Trinitatis illustrati veritatẽ ad liquidum exploratam haberent. Hæc cum illi dixissent, & obsignatas tabulas ad tumulum reliquissent, abiere, ac postridie reuersi in-

uiolato ſigno illarum manu ſubſcriptas repperere. Quæſtione de Trinitate explicita tum de paſchate celebrando, nam & hoc quoque mouebatur, eſt actum. atque aduerſus eos, qui illud quotannis in quartam decimam diem lunæ Hebræorum more coniiciebant, decretum, ſanctæ Reſurrectionis commemorationem quotannis die dominico inter quartam decimam, & uiceſimam primam lunæ diem peragendam. Tum de moribus Eccleſiæ formandis relatum. ac multi in eam ſententiam canones ſcripti. Quibus rebus x Kal. Iulij perfectis, legati Syluestri tabulas actorum omnium Romam VIII Kal. confirmandas miſerunt. Conſtantinus autem ex auctoritate patrum ad omnes eccleſias miſit, ac ſancte cuſtodiri præcepit. nominatim autem Nicomedienſibus, ne Euſebium reciperent, interdixit, illo etiam nomine ſibi priuatim offenſum, quòd Licinio aduerſus ſe auxilium attuliſſet. Conuenire inde arbitratus, vt aliquam tantæ gratulationis ſignificationem publice ederet, patres omnes conuiuio magnifico excepit, & accumbere ordine iuſſos omnibus comitatis, ac liberalitatis exemplis excoluit. quin etiam, cum mutilata in multis membra, oculóſve effoſſos videret, atque ex eo conſtantiam, & fortitudinem eorum in perſequutione coniiceret, labia cicatricibus eorum venerabundus admouit, ſibi perſuadens, ſanctam ſe illo oſculo benedictionem hauſturum. Conuocatos inde alio die rogauit, vt communi paci, concordiæq; ſtuderent, & contentionum, ac pertinaciæ finem facerent, neque aut ſapientia ſuperiores inuidia, aut inferiores deſpicientia premerent. verum toto pectore in communem omnium ſalutem incumberent, atque in primis pro ſeipſo, atque Imperio preces effunderent. Atque his dictis ſuam quenque eorum repetere eccleſiam iuſſit. Nicæa inde profectus ſeſe Nicomediam rettulit. &, quòd is annus Imperij ſui eſſet viceſimus, ibi Vicennalia, vt in vrbe Orientalis Imperij ſede ingenti magnificentia, atque incredibili populi frequentia celebrauit. ac populis cum per agros, tum per oppida diſſipatis magnam vim pecuniæ ad eam recolendam memoriam dedit. Quin etiam, vt Decennalibus Criſpum, & Conſtantinum filios Cæſares declarauerat, atq; prouinciis Occidentalibus exornauerat, ſic Vicennalibus Conſtantium eadem appellatione affecit, atque Imperio Orientali præpoſuit. Gratiis inde Deo actis de rebus à ſe tam bene, ac proſpere geſtis animum ad Imperium Orientale conſtituendum intendit. Ceterum cum in hac conſultatione verſaretur, prima illa animum cogitatio ſubiit, vt quod antè Maxentio ſuperato Romæ, atque in Italia inſtituerat, idem nunc quoq; Licinio profligato in Oriente ad Imperium ſuum adiuncto perficeret, id eſt, vt ad Chriſtianam euehendam eccleſiam primoribus in vrbibus magnifica Chriſto fana conſtrueret. præſtabant autem ceteris vel ipſorum Imperatorum ibi magnam partem temporis reſidentium iudicio Nicomedia, Antiochia, & Alexandria. quarum prima Aſiæ, ſecunda Orientis, tertia Ægypti caput habebatur. Hieroſolymorum tamen, quæ memorabili Chriſti paſſione, & admiranda reſurrectione nobilitata erant, antiquior, ac potior cura fuit. Cum enim audiret, gentilium principes ſepulchrum Domini ad delendam eius memoriam alte quondam terra obruiſſe, atque ibi fanum Veneris extruxiſſe, rem indignatus præfectis ſuis ſtatim negotium dedit, vt templum illud diruerent, terramq; egererent, ac loco ſepulchri detecto baſilicam ibi magnifici operis conderent. Erant cum eo Helena mater, & Fauſta vxor. Ex his Helena diuino ſpiritu tacta, vt pacata omnia ſenſit, Palæſtinam ſibi inuiſendam exiſtimauit, nimirum, vt gratias Deo de ſecundis filij ſucceſſibus ageret, ac terram, quam Chriſtus pedibus triuiſſet, oculis perluſtraret, ſimulque, vt gentes Orientales nuper Imperio filij additas præſens inuiſeret, quas ſæpe fama celebrari audiſſet. ac comitatu honeſto accepto illuc ire contendit. Conſtantinus autem his actis tempus eſſe ratus, vt in Italiam, vnde quarto antè anno Liciniani belli cauſſa diſceſſerat, ſe referret, in Illyricum ſe recepit, atque ibi rempublicam ordinare, ac legibus munire perrexit. ſiquidem XV Kal. Octobris Naiſſi de iudicio petitoris reſcripſit, & ad vniuerſos prouinciales edictum miſit. quod eodem die Nicomediæ fuit propoſitum in hæc verba: *Si quis eſt cuiuſcunq; loci, ordinis, dignitatis, qui ſe in quemcunque iudicum, Comitum, amicorum, vel Palatinorum meorum aliquid veraciter, & manifeſte probare confidit, quod non integre, atq; caſte geſſiſſe videa-*

videatur, intrepidus, & securus accedat, interpellet me. ipse audiam omnia, ipse cognoscam, & si fuerit comprobatum, ipse me vindicabo. Item aliud, quod propositum fuit Beryti Kal. Octobris de gladiatoribus abolendis, & ceteris cruentis spectaculis. Hæc tanta Constantini decora per tot iam annos domi, forisq; incredibili cum hominum admiratione quæsita ecce derepēte insana domestici doloris puniendi libido corrupit. Crispum enim filium, qui se bello Liciniano fortissime gesserat, in Italiam præcedentem verbis Faustæ vxoris impulsus in oppido Istriæ Pola comprehendi, & siue ferro, siue, vt quidam etiam prodiderunt, veneno perimi iussit. Sunt, qui tradant, Faustam insano adolescentis amore succensam, cum ad stuprum pellicere castum iuuenis pectus non potuisset, furore percitam ipsum ad patrem detulisse, & se ab illo solicitatam insimulasse. alij affectati eum regni crimine obruisse, veritam, ne Constantinus eximia iuuenis indole captus ipsum suis filiis etiam tum pueris anteponeret. Itaque Licinium etiam Cæsarem occisum esse, ne quam tyranni impurissimi prolem relinqueret, quæ aliquando ocium Imperij, ac pacem turbare Ecclesiæ posset. Hæc à Constantino hoc anno in Orientali Imperio gesta. In Italia vero res admirandæ, ac portentorum similes euenere. si quidem, vt notat Cedrenus, terra vehementi adeo motu concussa est, vt duodecim oppida in Campania procubuerint. Sol autem tanta obscuritate, Luna orbem subeunte, infectus est, vt stellæ interdiu, perinde ac noctu, micuerint. quæ si quid forte triste Italiæ portenderunt, nimirum impendentem Romanæ vrbi veteris dignitatis imminutionem Byzantio illi amplitudine adæquando significarunt. Romæ autem Syluester pontifex tabulis concilij Niceni acceptis, confestim occidentalium episcoporum concilium aduocauit, vt, quemadmodum scribit S. Athanasius de Iulij pontificis concilio loquens, Nicæna decreta pro Romanæ Ecclesiæ auctoritate examinaret, &, si veritati Catholicæ congruentia reperisset, ipse auctoritate sua interposita confirmaret. Res autem ex Actis Concilij acta est in hunc modum; Cum episcopi ducenti septuaginta septem conuenissent, recitatis Nicæni Concilij tabulis, rebusq;, quæ controuersiam facerēt, in disquisitionem adductis, Sabellium, & Arrium, tanquam praue de Trinitate sentientes damnarunt, quæq; de ea in Concilio Nicæno decreta essent, iis standum esse constituerunt. Paschatis etiam obseruationem ita custodiendam esse sanxerunt à luna quarta decima ad vicesimam primam, vt die Dominico eluceret. Præterea vno nomine quidquid trecenti octodecim illi patres ad robur sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ decreuissent, & ipsi sua sententia cōfirmarunt. quicunq; vero ab eorum decretis recessissent, anathemate perculerunt. Quibus actis scita inde alia ad disciplinam Ecclesiæ pertinentia subiecerunt. fuere autem huiusmodi: *Presbyterum Arrianum, nisi resipiscentem, nemo recipiat, nisi episcopus eiusdem loci eum reconciliet, & sacrosancto chrismate per episcopalis manus impositiones sancti Spiritus gratia, quæ ab hæreticis dari non potest, confirmet. Nemo laicus clerico crimen inferre audeat. Presbyter aduersus episcopum, diaconus aduersus presbyterum, subdiaconus aduersus diaconum, acolythus aduersus subdiaconum, exorcista aduersus acolythum, lector aduersus exorcistam, ostiarius aduersus lectorem accusationem non deferat. Præsul non damnetur, nisi sexaginta duob. testibus; summus præsul à nemine iudicetur. Presbyter cardinalis non damnetur, nisi sexaginta quattuor testibus, diaconus cardinalis, nisi triginta septē, subdiaconus, acolythus, exorcista, lector, ostiarius, nisi septem. Testes, aut accusatores nulla sint notati infamia, & vxores, ac filios habeant, atq; omnino Christum confiteantur. Testimonium laici aduersus clericum nemo recipiat. Clericū nemo examinare præsumat, nisi in ecclesia. Nemo clericus, aut diaconus, aut presbyter propter quamlibet caussam intret in curiam, nec ante iudicem cinctū caussam dicat. Sacrificiū altaris nemo celebret in panno serico, aut tincto, sed in puro lineo ab episcopo consecrato. Si quis in ecclesia militare desideret, primū ostiarius, deinde lector, deinceps exorcista, acolythus, subdiaconus, custos martyrū, diaconus, presbyter, postremo episcopus esto. Missas presbyter nemo celebret, nisi in locis ab episcopo cōsecratis, qui sui particeps in posterum voluerit esse sacerdotij.* Syluester porro eximio pietatis studio percitus multos restituit ab episcopis communione depulsos, & à tyrannis oppidis deturbatos, & ecclesiis reddidit, in quib. fuerant instituti. ac Transmarinum hominem ad clericatus gradum admitti Romæ prohibuit, nisi quinq; episcoporum testimonio esset probatus. Hæc Romæ.

In Ægypto Alexander, episcopus Alexandriæ, quinto, vt inquit Theodoritus, post concilium Nicænum peractum mense vita cessit. Is cum se morti proximum cerneret, vt ecclesiæ suæ saluti etiam spiritu in extremo consuleret, Athanasium presbyterum suum, qui acerrime Arrio in concilio repugnarat, absentem, tanquam successorem sibi cooptaturus, sæpius requisiuit. Itaque episcopi tanti viri auctoritate permoti postea Athanasium ecclesiæ Alexandrinæ etiam reluctantem præposuerunt. tenuit inde ecclesiam magnis certaminibus Athanasius annos quadraginta sex, auctore Socrate. siquidem Gratiano Augusto iterum, & Probo consulibus vita est functus. Quod admonendum putaui, quia per hoc temporis spacium, tanquam vindex Nicæni concilij, multis ab Arrianis insidiis appetitus, & assiduis contentionibus cum magna Ecclesiæ clade est fatigatus, vt sequens historia demon-
326 strabit. Postero anno, qui Constantinum Augustum septimum, & Constantium nobilissimum Cæsarem consules habuit, Helena Augusta Hierosolyma profecta ministris se filij summa ope sepulchrum Domini eruere laborantibus ducem adiunxit. Fano autem Veneris disturbato, & terra, quæ sepulchro superiecta fuerat, diligenter egesta, tum v Nonas Maij sepulchrum cum tribus non longe iacentibus crucibus, clauisq;, quibus cruci affixus Christus, & titulo, qui cruci superpositus fuerat, oculis se piorum obiecit. In maxima omnium gratulatione, quòd tantus thesaurus tanta felicitate esset inuentus, illa subito hæsitatio ingentem animis curam, ac prope mœstitiam intulit, quòd ex tribus crucibus, quæ latronum, quæque Christi corpus sustinuisset, incerti animo fluctuabant. Nam titulus, qui omnem erroris caliginem eripere potuisset, ab ipsa, cui hæserat, cruce erat auulsus. Aderat inter cæteros Macarius vrbis episcopus idem, qui nuper in concilio fuerat. hic cum iustam astantium omnium solicitudinem cerneret, diuino numine afflatus talem inueniendæ veritatis iniit rationem. mulierem summo loco natam, quam graui diu morbo cõflictatam fuisse liquebat, aduehi, ac singulis crucibus admoueri præcepit. mulier vbi Crucem Domini, quæ tertio forte sita loco erat, tetigit, repente plaudentibus omnibus sanitatem recuperauit. Inde, vt inquit Sozomenus, S. Sulpicius, & S. Paulinus, vir etiam modo vita functus aduectus, isq; attactu subito vitæ est pristinæ restitutus. Veritate, quod satis esset, explorata, Helena Crucem Domini diuisit, ac parte vna episcopo conseruanda relicta, alterã sibi sumpsit. ac confestim Constantinum de re tota missis litteris, nunciisq; commonefecit. Is castris ex Illyrico motis mense Aprili Aquileiam processit. vbi rebus, quæ necessariæ videbantur, peragendis aliquot dies transegit. Inde recta Romam versus iter intendit ab vniuersa occurrente Italia magno studio, atque alacritate animorum exceptus, vt qui gloriæ magnitudine supra humanum fastigium esset elatus, vniuerso terrarum Imperio, tyrannis deletis, constituto, & antistitibus inter se reconciliatis Ecclesia ad pristinam concordiam, pacemq; redacta. Ad vrbem inde progressus proximam Maxentianæ victoriæ lætitiam populo renouauit. Siquidem vniuersa obuiam effusa ciuitate vrbẽ de Licinio tyranno triumphans iniuit. ac mox omnia, quæ in eiusmodi gratulatione erant solemnia, oblectandi populi caussa, ludos quippe, ac munera edidit. His festis addita inde sunt Vicennalia Imperij, quæ priore anno Nicomediæ, cum in iis locis versaretur, edita, nunc maiore pompa Romæ, vt in ampliore, & iustiore theatro sunt celebrata. In quibus verisimile est, solemni quoque præstantis alicuius oratoris oratione præsentem illius felicitatem rebus ab eo gestis commemoratis esse laudatam. Quæ dum aguntur, nuncius de sepulchro, & cruce Christi inuenta accessit, qui & ipsum, & pontificem Syluestrum, & vniuersum piorum populum ingenti lætitia extulit. Itaque erectior ad magnifici templi constructionem effectus, extemplo, vt inquit Eusebius, litteras ad Macarium episcopum in hæc verba dedit: *Tanta Saluatoris nostri erga nos benignitas declarata est, vt nequaquam explicari pro dignitate possit. quid enim admirabilius esse potest, quàm insigne passionis eius monumentum, quod per tot annos ipsius terræ visceribus delituerat, tum se ipsis Dei seruis patefecisse, cum illi hoste deleto libertatem recuperassent? Quare sic fac existimes, nihil nobis æque curæ esse, quàm vt sacer ille locus, quem Dei iussu turpissima simulachrorum mole purgauimus, præclaro templi opere decoretur. Quare tuæ erit prudentiæ efficere, vt non*

modo

modo Sanctuarium templi, sed omnes etiam eius partes reliquis omnibus, quæ vbique in terris sunt, pulchritudine præstent. Ac ceterarum quidem rerum Draciliano reliquarum prouinciarum rectori, vestræq; prouinciæ præfecto negocium dedimus. de columnis vero marmoreis, quas ipse aut ad decus illustriores, aut ad diuturnitatem firmiores censueris, ad nos perscribito, vt consilio tuo cognito illas curare possimus. Interim conuerso ad ordinandam remp. animo, cum iniqua Licinij decreta prorsus irrita reddi studeret, varia aduersus eum edicta edidit. quorum duo præcipue extant, Romæ data. vnum Antiocho præfecto vigilum VIII Idus Iulias: *Quæ tyrannus contra ius rescripsit, non valere præcipimus, legitimis eius scriptis minime impugnatis.* alterum Idibus Iuliis ad Senatum: *Super iis, qui ex senatoribus ad nauicularium munus à tyranno deiecti sunt, ac restitui suis natalibus deprecantur, placuit vestræ sanctitati iudicium, examenq; mandare, vt vos eligatis, qui splendori vestro patrimonij viribus, & honestate viuendi, & natalium dignitate respondent. Incongruum est enim tantæ dignitatis arbitrium alteri potius, quàm vestris suffragiis, sententiisq; committere. Eorum autem, quos vt dignos elegeritis, nomina præfectus vrbis nobis insinuet, vt vestrum iudicium comprobemus.* Inde Mediolanum decedens accessit Spoletum, vbi IX Kal. Octobris ita de Nouatianis veterib. hæreticis sanxit: *Nouatianos non comperimus prædamnatos, vt iis, quæ petiuerunt, crederemus minime largienda. Itaq; ecclesiæ suæ domos, ac loca sepulchris apta sine inquietudine eos firmiter possidere præcipimus, ea scilicet, quæ ex diuturno tempore, vel exempto habuerunt, vel qualibet quæsiuerunt ratione. prouidendum erit, ne quid sibi vsurpare conentur ex iis, quæ ante dissidium ad ecclesias perpetuæ sanctitatis pertinuisse manifestum est.* Demum Mediolanum adiit. vnde X Kal. Nouemb. rescripsit. & præfecturam Vrbis Anicio Iuliano commisit. qui Idibus Nouembris iniuit. ac deinde se Romam rebus constitutis recepit. Interim Hierosolymis templum splendidissimum, militibus, ac prouincialibus omnib. certatim operam iussu Constantini nauantibus, ædificabatur. Ceterum, quod incredibilem omnibus religionem incussit, locus ille, in quo postremum Christus vestigia fixerat, cum in cœlum nube sublatus est, continuari pauimento cum reliqua stratorum parte non potuit. siquidem quæcunque applicabantur, insolens humana recipere terra reiecit, marmoribus sæpe in apponentium ora excussis. Quin etiam, vt inquit S. Sulpicius, auctor huius historiæ in primis idoneus, attriti Christo pulueris adeò perenne documẽtum mansit, vt vestigia etiã impressa conspicerentur. & cum postea quotidie confluentium fides certatim Domino calcata diriperet, damnum tamen arena non sentiret, & eandẽ adhuc sui speciem, velut impressis signata vestigiis, custodiret. Dum templum hoc ad Caluariam conditur, Helena honesto filij exemplo, atq; imitatione permota, duo alia fana extruere est adorta, vnum in Bethleem, alterum in monte Oliuarum, vt non solum mortis, sed etiam natiuitatis, & ascensionis dominicæ loca monumentis ad accendendam religionem illustribus insigniret. atq; ea, filio pecuniam, operamq; subministrante, perfecit. atq; interim puellis, quæ virginitatẽ Deo deuouerant, vno in loco accumbentibus ministrare ancillæ modo pro pietatis magnitudine institit. Inde Orientem peragrare ingressa, vsq; adeo facilem se vniuersis gentibus præbuit, vt omnibus ad se adeuntibus munera benigne impertiuerit, damnatos pœna exemerit, exulesq; reduxerit, Constantino matri rebus in omnibus inaudita indulgentia obsequente. Quibus rebus magna pietatis laude peractis, sequenti anno Constantio, Maximoq; consulibus, Crucis parte, & titulo, & 327
clauis assumptis decessit Romam. Ad vrbem vero vt venit, honesto Imperatoris, omniumque occursu excepta sanctas dominicæ passionis reliquias obtulit. quæ à pontifice, & clero ea, qua decuit, reuerentia sunt acceptæ. Inde, sumptum suppeditante filio, magnificam basilicam in Palatio Sessoriano instituit, atque ibi sacri ligni portionem auro, gemnisq; inclusam, Titulumq; ipsum Crucis, qui adhuc seruatur, dicauit. ea basilica Hierusalem appellata, etiam ab ipsius nomine Helenianæ nomen inuenit, cum ornamentis illustribus, tum opimis possessionib. præcipue à Constantino affecta. Syluester pontifex diem inuentæ Crucis V Nonas Maias festum Christianis esse solemni posthac ceremonia statuit. Constantinus ex tribus clauis vno galeam, altero frenum equi ornauit. Hanc tantam gratulationem domestica statim tempestas turbauit. Helena, cum nepotem Crispum præclarum iu-

uenem, atque virtute vna ad laudem, gloriamq; nitentem prauo Fauſtæ nurus inſtinctu peremptum audiſſet, vt primum vacuas filij aures adepta eſt, magno dolore affecta acri ipſum increpare oratione non dubitauit. Ille vero, ſiue facti pœnitentia tactus, ſiue pietate materna victus, ſiue ſcelere vxoris cõpulſus, vt facinus commiſſum corrigeret, Fauſtam in balneas ardentes immiſit. vbi nimio æſtu animam præcludente fœdum in modum expirauit. Qua re vulgo improbata, Ablauius, qui poſtea conſul fuit, diram Conſtantini in ſuos crudelitatem notans, auctore S. Sidonio, hos verſus Palatinis appendi foribus iuſſit:

Saturni aurea ſæcla quis requirat?
Sunt hæc gemmea, ſed Neroniana.

Nimirum, quòd, vt ille inquit, frigore veneni filium, & calore balnei coniugem peremiſſet. Fauſtam inde Helena proxime conſequuta eſt. Etenim, cum eſſet octogenaria, teſtamento præſente filio, ac nepotibus condito, XIII Kal. Auguſti eſt mortua. Conſtantinus autem ipſam funere extulit ſplendidiſſimo, cumq; baſilicam via Lauicana inter duas Lauros ſanctis Marcellino, & Petro martyribus inchoaſſet, mauſoleum adiecit, atque ipſam ibi in monumento porphyretico poſuit. ac ſtudio eius baſilicam inſtrumentis ingentis precij, & prædiis ampliorum vectigalium decorauit, vt Anaſtaſius prodidit. Atq; hæc quidem à Conſtantino in Occidentali Imperio, & præcipue Romæ acta comperimus, quæ vno concludenda libro putauimus.

CAROLI SIGONII HISTORIARVM DE OCCIDENTALI IMPERIO, LIBER IIII.



VEMADMODVM qui longum iter ingreſſi arduo monte ſuperato, aut ſæuo flumine, marive tranſmiſſo lætantur, arbitrantes ſe maiorem partem itineris confeciſſe, quia difficillimam ſint emenſi, ſic mihi adminiſtratum Conſtantini in Occidente Imperium exequuto par prope voluptatis ſenſus offunditur; perinde quaſi è maximis Hiſtoriæ ſalebris emerſerim, quia præcipua eius tempora, actionesq; digeſſerim. neq; enim rebus eius ſiue pro rep. ſiue pro Eccleſia geſtis, vt in tota antiquitate nihil eſt ad memorãdum magnificentius, ſic in veteribus monumentis aliquid fingi poteſt ad cõiiciendum, aut digerendum obſcurius. abhinc ſi quid anguſtius, aut, quod nolim, inordinatius afferetur, leuiore multo id noſtro crimine committetur. nos enim res Occidentales ſcribere profitemur, ille vero omnem poſthac curam in excolendo Oriente conſumpſit. Etenim, poſtquam res Romanas, atq; adeo totius Occidentis, quod ſatis eſſe videbatur in præſens, ordinauit, Orientem ſibi repetendum conſtituit. Itaque Iuliano eodẽ vrbis præfecto in hunc, & poſterum annum relicto, Roma, nunquam poſtea reuerſurus, exceſſit. atq; inde Nicomediam ſe recepit. Ibi vero cum Dei benignitate omni belli occupatione vacaret, opera pacis, quorum ſtudioſiſſimus fuit, moliri perrexit. nam & in Bithynia Drepanem vicũ, vbi Lucianus ſub Licinio paſſus fuerat, muris ſepſit, atq; in memoriam matris Helenopolim appellauit, & Antiochiæ baſilicam inchoari nobiliſſimam iuſſit, quod Dominicum aureum dictum eſt. Nam templa Deo dicata Dominica; Sanctis vero Martyria nominabant. Inde maioribus ſpiritibus inflatus opus multo ſplendidius, & ad poſteritatem memorabilius eſt adortus. Quippe diuiſo iampridem Imperio illud deeſſe ad integram dignitatem, atque amplitudinem repræſentandam intelligens, vt vrbs magnitudine, ac nobilitate Romæ æqualis pararetur, quæ vt illa Occidentalis, ſic hæc Orientalis maieſtatem Imperij ſuſtineret, magnificum, atq; illuſtre nomini ſuo fore putauit, ſi hac

si hac vrbe constituta tantum ipse decoris inuexisset. neque enim ego iis assentior, qui hoc ab illo aut Romanorum, aut Nicomediensium odio excogitatum affirmant. Igitur consilio de noua condenda vrbe explicito, locum prope Ilium vrbem in Sigeo promontorio sitam, decennali quondam Græcorum bello nobilitatam, munire constituit, atq; eò profectus non solum fundamenta iecit, sed muros etiam ad aliquã altitudinem excitauit, cum iam consules Ianuarius, & Iustus iniissent. tum 328
vero eo consilio reprobato animum ad Chalcedonem, quæ est in Bithynia, contulit, cum Nicomediæ esset, vnde per Martium mensem rescripsit. verum designato vix opere aquilæ deuolarunt, ac fabrûm funiculos raptos trans fretum Byzantium detulerunt. Qua re animaduersa, tanquam diuino aduersante numine perturbatus eò adiit, ac situm contemplatus magnopere approbauit, & translatis eò cum omni parata materia fabris subinde opus instituit. Fuit autẽ antiqua, ac nobilis vrbs Byzantium in Thracia ad Propontidem sita. verum superioribus annis Seuerus Imperator occupatam à Pescennio Nigro, qui Imperium in Oriente inuaserat, illo occiso diruerat. atque vrbe in vici formam redacta agrum Perintho, quæ Heraclea dicebatur, adiudicauerat. itaque Byzantij episcopus ab Heracliensi confirmari solitus erat. Huius igitur oppidi Liciniana à se nuper victoria parti antiquum ambitum dilatauit, ac muros tollere, atque ædificiis publicis, & priuatis passim ad vsum, & decus explere instituit, accitis ad nauandam operam non solum prouincialibus omnibus, sed etiam sociis barbaris, ac præcipue, Iornande auctore, Gotthis. Ædificia vero publica eo numero, dignitateq; fuerunt, vt in omnibus rebus Romanam amplitudinem adæquarent, palatium, curia, circus, porticus, thermæ, fora, arcus, obelisci, columnæ. quæ marmoribus, atque opificibus aliunde accersitis eximia properatione curauit, ita vt pleraque propter nimiam adhibitam in ædificando festinationem infirma succedentibus proximis annis firmiore opere fuerint instauranda. Inter templa, quæ & in vrbe, & in suburbio erecta sunt, præcipue memoratur templum S. Sophiæ, nimirum infinitæ ipsi Dei sapientiæ consecratũ, templum Pacis, & sanctorum Apostolorum. Ex foris id celebratur, quod ipse à suo nomine appellauit, in quo medio postea columnam ex porphyritide lapide posuit Roma deuectam. in cuius summo signum Apollinis ex Ilio propter operis nobilitatem translatum collocauit, atque in basi nomen suum inscripsit. Postero autem anno, 329
se octauum cum Constantino Cæsare quartum consule, surgentibus iam ædificiis publicis domos etiam priuatas instituit, & ad frequentandam vrbem eximiæ nobilitatis viros cum ex aliis ciuitatibus, tum præcipue ex Romana vocauit, quorum aliquot etiam Glycas in Annalibus nominauit, Olybrium, Verum, Vrbicium, Zoticum, Eugenium, Eubulum, Stadium, Florentium, Callistratum, Maurianum, Seuerum, & Isidorum. & certa vectigalia ad ædificia perficienda, & copiam annonæ parandam attribuit. Eodem etiam anno per aliquot menses fuit in Illyrico, quod rescripta indicant Sirmio, Naisso, & Sardica data. atq; ibi opus aliud memorandum maxime iniit. Nam Gotthos, & Sarmatas magnitudine rerum, opumq; suarum exterritos posthac quieturos ratus, castella, & præsidia in ripis Istri à Diocletiano restituta remouit, ac milites limitaneos in proxima oppida dispertiuit, ac pontem lapideum in Istrum fecit, ne Traiano, qui illud idem gloriæ cupiditate perfecerat, videretur inferior. cuius æmulatione duci videbatur, ipsum herbam parietariam vocans, quòd plerasq; ædes suis titulis inscripsisset. Romæ VII Idus Septembris Optatianus, VIII Idus Octobris Petronius Probianus inierunt præfecturam vrbis. Proximo anno, qui fuit à Christo nato trecentesimus tricesimus, Symmacho, & Galli- 330
cano consulibus, indictione tertia, Constantinus vrbẽ nouam iam ad egregiam aliquam speciem ædificiorum adductam primum republica sibi putauit ornandã, deinde solemni cæremonia consecrandam. Igitur remp. ita descripsit. Cum priores principes Imperium in duas partes tribuissent, atq; vnam Occidentis, alterã Orientis fecissent, in primis eam & ipse rationẽ retinuit. atq; vtrunq; Imperium in multas portiones siue diuisit, siue ab aliis antè diuisum paucis mutatis seruauit. Ceterum Occidentalis partes duæ sunt constitutæ, quæ Italiæ, & Galliarum nomine sunt appellatæ, atq; ambæ in tres diœceses partitę, illa in Italiam, Illyricum, & Africam, hæc

in Hispanias, Gallias,& Britannias. Prouinciæ porro Italiæ septemdecim factæ, Venetia, Liguria, Alpes Cottiæ, Æmilia, Flaminia cum Piceno annonario, Etruria cũ Vmbria, Picenum suburbicarium, Valeria, Campania, Lucania cum Bruttiis, Apulia cum Calabria, Samnium, Sicilia, Sardinia, Corsica, Rhætia prima, Rhætia secunda. Illyrici vero sex, Pannonia prima, Pannonia secunda, Sauia, Dalmatia, Noricum ripẽse, Noricum mediterraneum. Africæ quinq;, Byzacium, Numidia, Mauritania Sitifensis, Mauritania Cæsariensis, Tripolis. Hispaniæ septẽ, Bætica, Lusitania, Callæcia, Tarraconensis, Carthaginiensis, Tingitana, Baleares. Galliæ septemdecim, Lugdunensis prima, Lugdunensis secunda, Lugdunẽsis tertia, Lugdunensis quarta, siue Senonia, Maxima Sequanorum, Belgica prima, Belgica secunda, Germania prima, Germania secunda, Viennensis, Narbonensis prima, Narbonensis secunda, Alpes maritimæ, Alpes Graiæ, Aquitania prima, Aquitania secunda, Nouempopulana. Britanniæ quinq;, Maxima Cæsariensis, Valentia, Britannia prima, Britannia secunda, Flauia Cæsariensis. Iam vero Orientalis Imperij partes item duæ effectæ, Oriens, & Illyricum. Orientis diœceses quinq; institutæ, Oriens, Ægyptus, Asia, Pontus, Thracia. Illyrici duæ, Macedonia, & Dacia. Prouinciæ porro Oriẽtis quindecim, Palæstina, Phœnice, Syria, Cilicia, Cyprus, Arabia, Isauria, Palæstina salutaris, Palæstina secunda, Phœnice Libani, Eufratensis, Syria salutaris, Osrhoena, Mesopotamia, Cilicia secunda. Ægypti sex, Libya superior, Libya inferior, Thebais, Ægyptus, Archadia, Augustamnica. Asiæ decem, Pamphylia, Hellespontus, Lydia, Pisidia, Lycaonia, Phrygia Pacatiana, Phrygia salutaris, Lycia, Caria, Insulæ. Ponti decem, Galatia, Bithynia, quæ post Honorias dicta, Cappadocia prima, Cappadocia secunda, Pontus Pelemoniacus, Hellenopontus, Armenia prima, Armenia secunda, Galatia salutaris. Thraciæ sex, Europa, Thracia, Æmimons, Rhodope, Mœsia secunda, Scythia. Macedoniæ sex, Achaia, Macedonia, Creta, Thessalia, Epirus vetus, Epirus noua, & pars Macedoniæ salutaris. Daciæ quinque, Dacia mediterranea, Dacia ripensis, Mœsia prima, Dardania, Præualitana, & pars Macedoniæ salutaris. In primis autem cum singulorum Imperiorum binæ partes essent, his etiam binos præfectos prætorio præposuit, vt essent quattuor. nam ante ipsum duo tantum fuerãt, ac singulis suas diœceses attribuit. Ita fuere præfectus prætorio Italiæ, Galliarum, Orientis, & Illyrici. Patricios inde binos, in singulis Imperiis singulos fecit. Consulum numerum conseruauit, eosq; promiscue ex vtroque Imperio legi voluit. Præfectum vrbis Romanæ tantum reliquit, qui deinde Constantinopoli quoque ascitus est. Senatum geminum instituit. Magistros peditum, equitumq; intulit, qui curam militum conscribendorum, instituendorum, & corrigendorum haberent, quæ antè præfecti prætorio fuerat. Duces etiam vectigalia exigere statuit, & ex iis stipendia militibus numerare, quod antè præfectus prætorio fecerat, prouinciarum vero administrationem pristino instituto partim consularibus, partim præsidibus, partim etiam Correctoribus commendauit. Officia publica, Palatina, & militiæ ab Hadriano instituta paucis mutatis retinuit. Cum igitur in hunc modum vtriusq; Imperij remp. ordinasset, atq; illius Romam, huius Byzantium domicilium destinasset, tum vero sibi dedicandum suscepit. Itaq; aduocatis rursus Orientis episcopis ante diem v Idus Maias magna ceremonia vrbem nouam Deo, ac Virgini Dei matri cõsecrauit, eamq; nouam Romam, & Constantinopolim appellauit. atq; ad dignitatem vrbi addendam ecclesiam eius ad honorem patriarchatus, vt Græci scriptores prodiderũt, euexit, eiusq; episcopum Metrophanem post Alexandrinum sedere instituit. Hæc facta vicesimo quinto Imperij anno D. Hieronymus in Chronicis diserte notauit, & Cedrenus in historia non obscure significauit, cum vrbem cõsecratam tertia Indictione fuisse prodidit. Huc accedit, quòd idem annus in Quinquennalia Cæsarum incidebat, quẽ maxima celebrare lætitia assueuerat. Itaq; idem ipse Constantinus, cum his consulibus ad Ablauium præfectum prætorio III Kal. Decembirs scriberet, Constantinopoli subscripsit, nimirum Byzantio dicturus, nisi nouo vrbs nomine decorata fuisset. Cassiodorus tamen XXVII dedicatam rettulit, multo tolerabilius, quàm ij, qui x, & qui xx prodiderunt. quorum errorem facile coarguere ipsa rerum expositarum nexa inter se series potest.

Consu-

Conſules inde noui facti Baſſus, & Ablauius, qui, vt inquit Eunapius, domo Ægyptius erat, propter incredibilem ſapientiæ opinionem maximam apud Imperatorem auctoritatem adeptus. Eo anno Conſtantinus, Hieronymo, & Cedreno teſtibus, exoletis gentilium ſacris inexpiabile bellum indixit. nã templa, & ſimulachra eorum deturbari Conſtantinopoli, atq; in toto Oriente præcepit. ſignaq; Conſtantinopolim ex omni parte collata in foro à ſe nominato conflauit. Itaq; omnes gentiles, atq; Iudæi, qui Conſtantinopoli verſabantur, Chriſtiana ſacra ſuſcepere, atq; aras, & cruenta ſacrificia reliquere. contrà vero baſilicam nobilẽ Nicomediæ Chriſto inſtituit, & cum apud quercum Mambre in Palæſtina Abrahamum olim conſediſſe audiſſet, indignatus, locũ tam venerabilem ſimulachris eſſe fœdatum, ipſum purgari, ac tẽplo ornari, litteris ad Macarium Hieroſolymorum, & Euſebium Cæſariæ epiſcopos datis mandauit. Cum autem Sopater Syrus ſingularis eruditionis, atq; eloquentiæ vir fana deorum toto orbe celebratiſſima iuſſu Conſtantini videret euerti, rem iniquo animo paſſus, ad aulam Imperatoris, auctore Eunapio, venit, vt ipſum à propoſita ratione deduceret. verũ nihil profecit. à Conſtantino tamen eximię prudentiæ opinione cultus, apud eum manſit. Leges inde cõſtituto à ſe Imperio ferens, ad omnes prouinciales edictum Kal. Auguſti dedit, quod Conſtantinopoli propoſitum fuit, his verbis: *A proconſulibus, & Comitibus, & iis, qui vice præfectorum cognoſcunt, ſiue ex appellatione, ſiue ex delegato, ſiue ex ordine iudicauerint, prouocari permittimus, ita vt appellanti iudex præbeat opinionis exemplum, & acta cum refutatoriis partium, ſuisq; litteris ad nos dirigat. A præfectis autem prætorio, qui ſoli vice ſacra cognoſcere vere dicendi ſunt, prouocari non ſinimus, ne iam noſtra contingi veneratio videatur.* Item Kal. Decembris ad Prouinciales Conſtantinopoli: *Ceſſent iam nunc rapaces officialium manus. nam ſi moniti non ceſſauerint, gladiis præcidentur. Non ſit venale iudicis velum, non ingreſſus redempti, non infame licitationibus ſecretarium, non viſio ipſa præſidis cum precio. æque aures iudicantis pauperrimis, ac diuitibus reſerentur. Abſit ob inducendum eius, qui officij princeps dicitur, deprædatio. Nullas litigatoribus adiutores eorundem officij principum concuſſiones adhibeant. Centurionum, aliorumq; officialium parua, magnaq; poſcentium intolerandi impetus oblidantur, eorumq;, qui iurgantibus acta reſtituunt, inexpleta auiditas temperetur. Semper inuigilet induſtria præſidialis, ne quidquam à prædictis generibus hominum de litigatore ſumatur. Qui ſi de ciuilibus cauſſis quidquam putauerint eſſe poſcendum, aderitque armata cenſura, quæ nefariorum capita, ceruicesq; detruncet, data copia vniuerſis, qui concuſſi fuerint, vt præſidum inſtruant notionem. Qui ſi diſſimulauerint, ſuper eodem conquerendi vocem omnibus aperimus apud Comites cunctos prouinciarum, aut apud Præfectum prætorio, ſi magis fuerit in vicino. vt his referentibus edocti ſuper talibus latrociniis ſupplicia referamus.* Per eoſdem etiam dies eunuchos, qui cubiculum Imperatoris ſeruabant, coercuiſſe videtur. de quibus ſic Lampridius in Alexandro, ſcribens ad Conſtantinum: *Poſteaquam intellexiſti, quid mali eunuchi habeant, & quemadmodum principes circumueniant, tu eos eo loci habes, vt nec chlamyde vti iuſſeris, ſed neceſſitatibus domeſticis delegaris.* Romæ pridie Idus Aprilis Anicius Paulinus, flos Romanæ nobilitatis, vrbis præfecturam iniuit. Huic ſtatuam inauratam ſenatus populusq; Rom. poſuit cum hoc meritorum eius elogio: *Anicio Paulino Iuniori V.C. Pro. Conſ. Aſiæ, & Helleſponti, conſuli ordinario, præfecto vrbis, vice ſacra iudicanti ob meritum nobilitatis, eloquij, iuſtitiæ, atq; cenſuræ, quibus priuatim, ac publice clarus eſt, petitu populi Rom. teſtimonio ſenatus, iudicio D.D.N.N. Triumphatoris Auguſti, Cæſarumq; florentium ſtatuam ſecundam auro ſuperfuſam locari ſumptu publico placuit.* Hilariano inde, & Pacatiano conſulibus, Dal- 332
matio Dalmatij fratris filio Cæſare cõſtituto Conſtantinus bellum intulit Gotthis, qui à Diocletiano domiti ſuis adhuc ſe finibus continuerant, atq; in fœdere, & amicitia Romanorum permanſerant, nunc vero remotis ex limite Iſtri à Conſtantino præſidiis, noua irruptione facta in Mœſiam, ac Thraciam ſe intulerant, atq; omnia populationibus, incendiisq; miſcuerãt. Qua iniuria percitus Conſtantinus in Mœſiam cum exercitu venit (ſiquidem pridie Idus Aprilis Marcianopoli fuit) atq; eos ex Thracia pepulit. pulſoſq; trans Iſtrum inſequutus in Sarmatarum regione cæcidit, & fœdere icto XL millia militum dare ad bella vrgente neceſſitate coegit, vt D. Hieronymus, Iornandes, & Zonaras prodidere. nam paulo ſecus res ab Euſebio

geſta narratur. Cum ſuperiores, inquit, Imperatores tributa Scythis pependiſſent, id alienum eſſe Romana maieſtate ratus Conſtantinus, Chriſti auxilio fretus, crucis vexillo in eos illato breui omnes ſubegit. ac reluctantes quidem armata manu coercuit, reliquos vero diſertis legationibus mulcens ab inculta, & fera vita ad humanam, ciuilemq; traduxit. Bellum autem ingens fuiſſe, atq; ingentem Conſtantini nomini gloriam peperiſſe conſtat. Itaq; Anicius Paulinus, qui & hoc anno vrbis Romæ fuit præfectus, his auditis publicum monumentum ad perennem Conſtantini memoriam à ſenatu excitandum curauit, cum his verbis: *D. N. Conſtantino, Maximo, Pio, Felici, ac Triumphatori, Semper Auguſto ob amplificatam toto orbe remp. factis, conſiliisq. S. P. Q. R. dedicante Anicio Paulino Iuniore V. C. conſule, Præfecto vrbi.* Inter hæc, Eccleſia Chriſtiana iam non ſolum opibus, ſed etiam dignitate florente, iterum in Oriente res turbari, ac miſceri magno populorum, ac religionis damno ſunt cœptæ. Euſebius Nicomedienſis epiſcopus, & ſocij eius in Concilio Nicæno damnati, cum aliquandiu in exilio fuiſſent, tandem ſiue vera, ſiue falſa pœnitentia ducti, ac libello fidei ſuæ epiſcopis præbito abſoluti eccleſias ſuas iis, qui inuaſerant, deturbatis, receperant, Arrio ſolo communione eccleſiæ Alexandrinæ excluſo ab Athanaſio epiſcopo, viro in ſuſcepta cauſſa vno omnium cõſtantiſſimo. Cum autem per aliquot annos conticeſcentibus magis, quàm languentibus animis, ſummũ de Trinitate ſilentium omnes tenuiſſet, demum hoc anno verba iterum inter epiſcopos fieri cœpta ſunt. Huic diſputationi materiam præbuit verbum, Conſubſtantiale, quod nouum in Symbolo fuerat poſitum. in quo filium patri cõſubſtantialem eſſe confitebantur. de quo cum non idem Arriani cum Catholicis ſentirent, ſimultates inter ſe exercere diſtractis non minus animis, quàm opinionibus, inſtiterunt. In primis autẽ epiſcopus Antiochenus Euſtathius ſcripto edito Conſubſtantiale defendit, atq; Arrianos adhuc ex damnatione furentes, vehementius irritauit. Itaq;, cum contraria ab vtraque parte ſcripta prodiiſſent, placitum eſt, vt ad rem conſtituendam conuentus epiſcoporum Antiochiæ haberetur. Hanc occaſionẽ, quam nunquam ſpe, animoque conceperant, Arriani adepti, ne iterum Catholicorum multitudine, ac potentia premerentur, diligenter ſibi poſthac prouidendum putarunt. Itaq;, cum aliter non poſſent, duos Catholicorum principes Euſtathium, & Athanaſium tollere ſubornatis accuſatoribus, fictiſque criminibus decreuerunt. Huius vero doli artifex Nicomedienſis Euſebius fuit. Is Hieroſolymorum tẽplum, cuius pulchritudo, ſplendorq; prędicabatur, ſe viſere velle profeſſus, comite Theognide epiſcopo perditorum ſuorum conſiliorum participe ſumpto, Antiochiam adiit, & ſimulata amicitia ad Euſtathium, comiter ab illo exceptus, diuertit. Inde Hieroſolyma progeſſus, colloquio cum nonnullis epiſcopis Arrianæ ſententiæ inito, inſidias, quas Euſtathio moliebatur, aperuit. & cũ iis Antiochiam ſe recepit. Ibi concilio inſtituto eiuſdem inſtinctu proceſſit quidam, qui Euſtathium de adulterio poſtulauit, idq; præſentis mulieris, quæ ſe puerum ex eo genuiſſe confitebatur, teſtimonio comprobauit. Epiſcopi, cum mulieris iureiurando potius, quàm Euſtathij inficiatione ſtandum cenſuiſſent, ſententiam in eum ſeueriſſimam, licet Catholicis reclamantibus, protulerunt, atque eccleſia ſpoliatum perpetuo exilio affecerunt. Qua ex re grauis adeo Antiochiæ ſeditio eſt conflata, cum alij Euſtathium retinere, alij emittere vellent, vt vix ab armis, & ſanguine temperatum ſit. Tumultu inde auctoritate Conſtantini ſedato, pleriq; Euſebiũ Cæſarienſem ſibi depopoſcere epiſcopum. quem ille honorẽ repudiauit, atq; ex ea re laudem à pleriſq;, & præſertim à Conſtantino egregiam tulit. Euſtathio pulſo Euſebius inde animum ſuum conuertit ad Athanaſium affligẽdum, ipſum Arrium in Eccleſiam, quòd ſemel damnatus eſſet, recipere recuſantem. Cum autem non ſolum Alexandriæ, ſed etiam Conſtantinopoli res variis pro cuiuſq; in cauſſam ſtudiis iactaretur, Conſtantino haudquaquam æquo animo eiuſmodi contentionib. iterum permiſceri Eccleſiam audiente, nouum eis præſidium ad deiiciendum Athanaſium eſt oblatum. Quippe Conſtantia Conſtantini ſoror mortem oppetiit. Hæc, cum à fratre morbo oppreſſa iterum, ac ſæpius viſeretur, presbyterum illi quendam Arrianum, quo cum ſibi magna familiaritas interceſſerat, inſignis pietatis, & egregiæ fidei nomine commendauit,

uit,

nit, atq; inde vitam destituit. Presbyter Constantiæ commendatione Constantini familiaritatem adeptus, Eusebij impulsu, libertate loquendi parta, ipsum monere Constantinũ nõ dubitauit, Arrium insigni iniuria fuisse affectum, quòd cum recte sentiret, ab Ecclesiæ communione secretus esset. Mirante autem Constantino, ac dicta eius nutu magis, quàm oratione, reiiciẽte professus est, ipsum, si ad colloquiũ eius admissus esset, planum facturum, quàm minimum à Nicænis decretis, ac sententiis discreparet. Quo audito Constantinus, Atqui, si Arrius, inquit, cum Concilio sentiet, non modo meum illum in conspectum admittam, verum etiam ad ecclesiam suam dimittam. atq; ita aduocari Arrium iussit. quo cunctante demum V Kal. Decembris ad eum ita scripsit: *Iamdudum significatum tibi est, vt ad nos venires, quo nostro frui conspectu posses. quod abs te non extemplo curatum esse miramur. Quare da operam, vt publico vehiculo sumpto ad nos accurras, quo nostra erga te voluntate perspecta redire in patriam possis.* His litteris acceptis Arrius demum ad eum Constantinopolim venit, ac secum Euzoium diaconum, quem eadem de caussa Alexander abdicarat, adduxit. rogatiq; ambo, vt formulam fidei suæ cum Nicæna congruentem proferrent, Christum Dei filium ex ipso ante omnia sæcula genitum, verbo Consubstantiali omisso, confessi sunt. Qua professione audita Constantinus eos tanquã minime à Concilij sententia diffidentes Alexandriã iussit repetere. atq; in sequen- 333
tem annum edidit consules Dalmatium fratris filium, & Xenophilum. Eo anno Arrius cum Euzoio Alexandriam reuersus se in communionem Ecclesiæ recipi postulauit, neq; id obtinere ab Athanasio potuit. Quòd vt Eusebius audiit, Athanasium primum suis, deinde morem sibi gerere recusantem, Cõstantini litteris de recipiendo in cõmunionem Arrio, atq; Euzoio monuit. Quibus Athanasius constanter rescripsit, nefas esse, vt qui Fidem infirmassent, atq; anathemate à Concilio perculsi fuissent, tanquam postliminio redeuntes gradum suum recuperarẽt. Quo responso accepto Constantinus accensus, vt concordiam stabiliret, Athanasium se de ecclesia depulsurum denunciauit, nisi in auctoritate sua fuisset, neq; propterea Athanasiũ de suscepta sententia depulit. Cum hoc igitur stat u res essent, Eusebius occasionẽ alienatæ Constantini ab Athanasio volũtatis adeptus, diram aduersus eũ coniurationẽ conflauit, omnibus non solum Arrianis, sed etiam Meletianis in societatem ascitis. Arriani fuere Theognis Nicææ, Maris Chalcedonis, ac præter hos Vrsacius Singidonis, & Valens Mursæ, vterq; Pannoniæ, episcopi. Meletiani à Meletio dicti erant. is ciuitatis cuiusdam in Ægypto episcopus à Petro Alexandrino episcopo regnante Diocletiano episcopatus munere spoliatus, quòd Christum inficiatus simulachris immolasset, socios erroris sui quosdã contraxerat, ac Petro episcopo martyrio affecto Achillam primum, deinde Alexandrum maledictis incesserat, ac demum exorientibus Arrianis adiunctus cum suis à Niceno damnatus concilio fuerat. mortuo vero Alexandro eodẽ Athanasiũ animo infestus vrgebat. Coniuratione igitur cum his facta Eusebius per eosdẽ Athanasium apud Constantinum accusauit, qui Constantinopoli, vbi III Nonas Maij fuisse reperitur, Nicomediã se contulerat, quòd nouum vestis lineæ tributũ Ecclesiæ Alexandrinæ persoluendũ in Ægypto instituisset, & aurum inde collectum Meletio in Thebaide, & Ægypto seditionẽ agitanti suppeditasset. Verum id crimen falsum esse Alypius, & Macarius ecclesiæ Alexandrinæ presbyteri, qui tum forte Nicomediæ erant, opportune coarguerunt. Quare Constantinus accusatoribus grauiter increpitis ad se Athanasiũ aduocauit. Vbi vero Eusebius eum aduentantem accepit, alio eum crimine, quòd Imperatoris edictis resistere moliretur, appetiit. de quo Constantinus, cum in Psamathia suburbio Nicomediæ cognouisset, & Athanasiũ innocentem comperisset, ipsum cũ honore dimisit, atq; Alexandrinæ Ecclesiæ cõmendauit. Eodẽ anno Sarmatę Limigantes Gotthorũ vicinorũ suorũ armis oppressi, cum iustas ad resistendũ liberorũ hominũ copias non haberent, tanquam in extremo periculo seruos suos armarunt, atq; eos contra Gotthos duxerunt. Mox autem, cum à seruis deficientibus appetiti, ac sedibus eiecti patriis essent, auxilij ac consilij inopes ad Constantinum subsidium imploratum, & sedes tutas petitum se contulerunt. Eos vero Constantinus benigne auditos in prouincias suas recepit, atque alios sacramento

militari adegit, alios ad agrorum cultionem adhibuit. Scribit etiam Iornandes, Vandalos quosdam à Gotthis acie superatos sedes à Constantino petiisse, easque in Pannonia recepisse. Itaque Zosimus adiicit, Constantinum primum omnium barbaros Romanæ militiæ adscripsisse, eamque rem magnorum, quæ subsequuta sunt, malorum initium attulisse. Quod vere dictum esse, post huius historiæ contextus ostendet. Constantini enim siue consilium, siue liberalitatem, siue fortasse etiam necessitatem imitati subinde Constantius, Valens, & Theodosius integras nationes transire fluuium cupientes in suas prouincias admiserunt, ac fortissimum, & prudentissimum ex eis quenque honoribus militaribus euexerunt, ac Romanis militibus posthabitis remp. solis prope barbaris commiserunt, Gotthis, inquam, Alanis, Gepidis, Vandalis, Hunnis, Sueuis, & Francis, qui occasionem nacti aut legitimis Imperatoribus manus intulerunt, aut populares suos spe prædæ, ac sedium concitatos ad agrorum populationes, prouinciarum vastationes, ac demum ad caput ipsum Imperij Romam occupandam, ac diripiendam impulerunt. Romæ VII Idus Aprilis Optatianus præfecturam vrbis iniuit. Interim Arriani consiliis nouis compositis alios delatores Athanasij compararunt. ac nouis criminibus ipsum apud Constantinum obruerunt, vno, quòd Arsenium episcopum Meletianum occidendum curasset, & manum ei mortuo amputatam adhibere ad artes magicas voluisset; altero, quòd stuprum cum muliere commisisset. Itaque de industria Arsenium alio ablegarunt, & manum recisam homini mortuo protulerunt, & mulierem, quæ se ab illo vitiatam assereret, produxerunt. Inuidia etiam conflata est, quòd Macarius ab eo in Maræotidem missus, mensa Domini euersa, calicem my-
334 sticum confregisset. Harum rerum cognitionem Constantinus, Optato, & Paulino consulibus, Dalmatio Cæsari Antiochiæ sedenti mandauit. Verum Dalmatius hoc iudicium exercere bello auocatus non potuit. Itaque Constantinus Arrianorum impulsu concilium Cæsareæ Palestinæ indixit, atque ea cognitione illuc reiecta, eo adesse Athanasium imperauit. Dalmatius autem certior factus, Calocerum quendam res in Cypro nouas moliri, atque ad tyrannidem aspirare, iusto conscripto exercitu eo se contulit, atque acie cum Calocero decertauit, eumque victum in potestatem redegit. Inde pacata insula cum se domum referret, Tarsi in Cilicia viuum comburi iussit. Romæ V Kal. Maij Anicius Paulinus vrbis præfectus creatus.
335 Postero vero anno Constantius Constantini Augusti, vt notauit Athanasius, frater, & Rufius Albinus, viri clarissimi consules inierunt. Concilio episcoporum Cæsareæ superiore, vt diximus, anno coacto Athanasius per multos menses expectatus non affuit. Qua re Arriani confirmati nouam eius ad Constantinum contumaciam detulerunt. Is ratus Athanasium odio episcopi vrbis Eusebij ab illo conuentu refugere, episcopos Tyri iussit conuenire, atque Athanasium illuc adesse. Publicis vehiculis sumptis, confestim eo episcopi vna cum Athanasio conuolarunt. frequenti concilio cum alia ad concordiam ecclesiarum pertinentia sunt statuta, tum Athanasio præsenti manus Arsenio abscissæ, & stupri perpetrati crimen illatum. Ibi demum vtrumque facillime, & cum maxima accusatorum infamia dissolutum est. Nam Arsenius, qui ab Arrianis amandatus fuerat, diligentius conquisitus, atque inuentus in Concilium est productus. Quare, cum iussus vtramque manum exeruisset, accusatorum caussam prope in comœdiam vertit. Mulier inde adducta, ac mendacij conuicta non solum innocentiam Athanasij patefecit, sed insidiosas etiam aduersariorum actiones omnes aperuit. Nam Athanasio, qui de stupro caussam dicere iussus erat, silentium obtinente Timotheus presbyter, qui illi aderat, quasi ipse Athanasius esset, ita mulierem compellauit: Ego ne mulier tecum rem habui? egone tuam domum iniui? affirmante autem illa, & annulum quem ab eo acceperat, proferente nemini dubium fuit, quin mercede corrupta ad id testimonium accessisset, vt quæ Timotheum pro Athanasio appellaret. Ita Athanasius vtroque iudicio est absolutus. Inde lis Macario de calice fracto intenta accusatoribus hoc iudicio fractis in Maræotidem cognoscenda dilata est. Hoc facto erectus Athanasius exemplo lembum conscendit, ac summa celeritate Constantinopolim ad conquerendam accusatorum calumniam aduolauit. Arriani, vbi Athana-

Athanasium Tyro abiisse senserunt, astute nouum crimen obiecerunt, quòd ad concilium Cæsariense citatus non affuisset, atque absentem indicta caussa damnarunt. Iam nobilissimum Hierosolymorum templum perfectum erat, eiusque consecratione Constantinus tricesimum hunc Imperij sui annum insignem relinquere cupiebat. Itaq; cum concilio Tyri peracto episcopos iam ad concordiam rediisse audiret, litteras ad eos dedit, vt omnes Hierosolyma properarent, ac templum concordibus animis dedicarent. Quo mandato accepto vniuersi e uestigio sese Hierosolyma contulerunt, ac lautissime omnes egregia Constantini cura, ac liberalitate accepti templum martyribus magna ceremonia vna cum omni thesauro, quo ecclesiam ille donauerat, consecrarunt. Inde à presbytero Arriano impulsus litteras alias ad eos scripsit, vt, quando vna conuenissent, finem tandem controuersiæ, Arrij cognoscenda fide, imponerent. &, si eum aut commode sentire, aut de praua sententia decessisse censerent, in Ecclesiæ communionem admitterent. Episcopi conuocati cum assedissent, Arrium, & Euzoium auditos non pessime sentire pronunciarunt, atq; ad episcopos Ægypti, & clerum Alexandrinum scripserunt, vt ipsos in communionem statim acciperent, tanquam Imperatoris, & Concilij iudicio absolutos. Interim Constantinus ab Athanasio Constantinopoli aditus de iniquis Arrianorum criminationibus edocetur. Qua de re non leui aduersus eos ira concepta nouas ad Concilium litteras misit, vt ad se primo quoq; tempore Concilij Tyrij rationem reddituri accurrerent. Eo tempore Tricennalia Imperij celebraturus erat eo maiore, quàm vnquam, apparatu, quòd hæc prima vota in noua vrbe Constantinopoli persoluebat, quam magnifica institutorum omnium nouitate decorari volebat. in iis tertium filium Cæsarem appellauit, atq; ei partem Occidentalis Imperij Italiam, Africam, Illyricumq; mandauit. Eusebius Episcopus Cæsariensis Hierosolymis profectus solemnem in tali celebritate orationem habuit, in qua, vbi Constantinum egregie collaudauit, demum ita perrexit: *In singulis festis, & conuentibus decimo quoq; anno celebratis singuli filij eius ad sedem Imperij participandam à Deo designati sunt. Itaq; filius eius natu maximus, qui patris nomine est appellatus, decimo regni anno socius Imperij cum patre renunciatus est. qui vero ei proxime accedebat ætate anno vicesimo ad eundem honoris gradum euectus est. tertius deinceps hoc tricesimo, quo nunc festum celebratur, eadem dignitate ornatur.* & pòst: *Deus hunc conuentum eius caussa curauit celebrandum, eumq; victorē omnium hostiū fecit. deniq; illum, vtpote egregium veræ pietatis exemplar, cunctis mortalibus proposuit ad imitandū. Hic claro Cæsarum filiorū suorum splendore homines ingenti locorum interuallo disiunctos illustrat. Itaq; & nobis, qui Orientem incolimus, suam ipsius præsentiam non sine maximo omnium cōmodo impertiuit, & alteri hominū generi versus Occidentem vnum ex filiis præfecit, & alios duos in aliis locis collocauit. porro autem Imperij quadrifariam dispertiti iugum quasi quattuor equis, id est, sibi, & tribus filiis Cæsaribus imponēs, ipse eos diuini animorum consensus, & concordiæ frenis colligatos cœlitus moderatur.* Ibi Eusebius Nicomediensis vnus prò omnibus Constantinum acrius pro Athanasio contendentē sustinuit. Constantinus, cum fratres honoribus consularibus honestasset, inde ad affines quoq; id beneficium transtulit. atq; in insequētem annum Nepotianū Eutropiæ sororis filium consulē declarauit. Per eosdē dies magnus ille abbas Antonius in Ægypto, id est, in extremis Imperij finibus, collocatus cum ab aliis hominibus, tum in primis ab Imperatore, totaq; aula regia celebratus est. Nam & Cōstantinus Augustus, & filij eius Constantius, & Constans Cæsares magnitudine virtutis, ac sanctitatis eius audita, multis eum litteris ad rescribendū prouocarunt. quibus ille acceptis haudquaquā elatus, cōuocatos monachos ita est alloquutus: Reges sæculi litteras ad nos scripserunt. verū quid Christianis hoc æstimandū? nam licet diuersa sit dignitas, tamen eadē est nascendi, moriendiq; cōditio. illa sunt nobis magnifacienda, quòd Deus hominibus legem scripserit, & quòd per filiū suum ecclesias propriis eloquiis exornarit. quid monachus rationis habet cum regibus? cur ego litteras eorum accipiam, quibus solita reddere salutationis officia nesciam? Monentibus autem fratribus, videndum esse, ne ille silentio suo animos regum aduersus se irritaret, rescripsit, laudans eos primum, quòd Christū colerent, deinde monens, ne regiæ potestati tantum tribuerēt, vt præsentis Imperio carnis

inflati se homines esse, & à Christo iudicandos fore obliuiscerentur, & vt clementiæ, ac iustitiæ erga subditos inseruirent. Quarum ex litterarum lectione summam principes voluptatem ceperunt. Romæ III Kal. Ianuarias Rufius Albinus præfecturam vrbis iniuit. postridie vero Syluester pontifex cum maximo piorum mœrore vita migrauit, Ecclesia Dei in optimo statu relicta, cum insigni, ac præcipuo Constantini beneficio auctoritatem pontificiæ sedi maximam addidisset, & vrbem Romam templis magnificentissimis instruxisset, & Ecclesiam Romanam opibus auctam legibus sanctissimis temperasset. Initio inde sequentis anni Nepotiano, &
336 Facundo consulibus, Marcus diaconus XVII Kal. Februarias Syluestro suffectus est. Interim Eusebius nunquam, nisi confecto Athanasio, quieturus ipsum apud Constantinum nouo crimine affecit, minatum esse multorum testimonio insimulans, se prohibiturum, ne frumentum Alexandria, vti solebat, Constantinopolim deferretur. Quod vbi Constantinus accepit, Athanasium siue iræ indulgens (nam ciuitas maxima tum forte frumenti inopia laborabat) siue (quemadmodum scripsit iunior Constantinus) ipsum inimicorum crudelitati subtrahere cupiens Treuiros relegauit. Athanasio, id quod iampridem tentabatur, tandem Ecclesia deturbato, Arriani, quasi triumpho aliquo de Catholicorum parte relato inde ad Nicæna decreta labefactanda se contulerunt. Arrius Alexandriam reuersus, cum absente Athanasio ipsam ecclesiã deintegro permisceret, à Constantino adire Constantinopolim iussus est. Vbi vero eo venit, repente præsentem adiutorem Eusebium nactus eodem vrbem illam veneno inficere, quo Alexandriam, instituit. & ab Alexandro ciuitatis episcopo ecclesiæ propterea communione semotus grauia cum illo quoque certamina iniit. Quibus vt modum imponeret Constantinus, die quodam Sabbati ipsum in aulam vocauit, atque ab eo fidei suæ formulam postulauit. & cum aliam ille fidem verbo, aliam mente professus esset, eundem sentire cum Catholicis arbitratus, Alexandro vt postridie in communionem reciperet, imperauit. Prioribus diebus Alexander præualentibus aduersariorum se premi opibus conspicatus, humana ope deplorata ad diuinam confugerat, atque in templo Pacis per multas noctes effusis lacrymis Deum orauerat, vt Ecclesiæ suæ periclitanti adesset, in primisq; vt Arrius tantarum turbarum concitator meritas aliquando pœnas expenderet. Cuius precationis votum haud irritum esse Deus permisit. Nam Arrius postridie cum ab aula Imperatoris digressus magna Eusebianorum caterua stipatus alacris ad Alexandrum, vt Ecclesiæ sociaretur, contenderet, in ipso victoriæ suæ articulo expirauit. Siquidẽ vbi ad Forum Constantini peruenit, laxata forte aluo locum latrinæ quæsiuit. & cum mox in præmonstratum locum secessisset, diuina voluntate viscera simul cum excrementis eiecit, ac repente fœdissimo genere mortis perculsus interiit. Cuius rei fama per totam subito vrbem peruagata ingenti omnes stupore defixit. in primisque intolerandam iam Arrianorum insolentiam labefecit. Athanasius, antequam Alexandria cederet, Marcum Romæ pontificem per litteras obtestatus est, vt, quoniam tabulæ Concilij Nicæni corruptæ ab hæreticis essent, integrum, atque inuiolatum earum exemplum ad se remitteret, quæ à Victore, & Vincentio legatis ad decessorem eius Syluestrum missæ fuissent. Cuius ille voluntati obtemperauit. extant litteræ VIII Kal. Octobris Nepotiano, & Facundo cons. ad Athanasium datæ. Ipse Marcus episcopum Ostiensem honore pallij decorauit, cum eo, vt Romanum episcopum consecraret. quo iure solus Ostiensis episcopus per multos inde annos est vsus. Idem basilicas duas construxit, vnam via Ardeatina, alteram in vrbe ad Palatinas, quas Constantinus in suo erga Romanam Ecclesiam studio perseuerans, & opimis fundis instruxit, & aureis instrumentis ornauit. Inde pridie Nonas Octobris diem suum obiit. Post viginti dies Iulius diaconus locum eius tenuit. Constantius Cæsar Eusebiam mulierem nobili, ac splendido loco natam sibi despondit. Ea sponsalia pater summa hilaritate, ac magnificentia celebrauit. nam & ipse sponsum manu duxit, & conuiuium splendide apparauit, ac separatim singulos virorum, ac mulierum choros muneribus eximiis coluit. Ab eodem Indorum etiam legati dona ferentes, benigne excepti. & ossa Sanctorum Lucæ, & Andreæ, & Timothei adducta

Constan-

Constantinopolim. de quibus sic D. Hieronymus aduersus Vigilantium: *Constantinus sanctas reliquias Lucæ, Andreæ, & Timothei transtulit Constantinopolim. apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores illorum se sentire præsentiam confitentur.* Vrbe Constantinopolitana in magnam rei frumentariæ difficultatem adducta, naues in diuersas dimissæ partes fuerunt, quæ frumenta deueherent. Hæ cum onustæ rediissent, appelli ad littus deficientibus ventis non potuerunt. Quo cognito populus ad theatrum sæua famis stimulatus rabie conuolauit. Tum Constantinum ea de re animi anxium, & tempestatis aduersæ rationem exigentem æmuli Sopatri, qui vir propter sapientiam in aula Constantini conspiciebatur, in primisq; Ablauius præfectus prætorio adierunt, atq; ita dixerunt: Quod ventos votis refragari tuis vides, id scito Sopatri, quem tu tantis honoribus extulisti, perniciosa nobis sapientia fieri. is enim arte sua ventos deuinxit, & quo minus nauibus aspirent, inhibuit. Qua re audita, illi assensus Sopatrum propere comprehendi, ac securi percuti iussit. Huius rei auctor Eunapius. Constans Cæsar Romæ secunda Imperij Tricennalia egit, eodem Albino præfecturam vrbis administrante. Titiano inde Maximo, & Feliciano 337
consulibus VI Idus Martias Valerius Proculus vrbis præfectus iniuit. Hoc demum v. supr. p. 47. seq.
anno scribit Eusebius Constantinum sacro esse baptismate expiatum. cuius, quoniam ab Ecclesiæ Romanæ auctoritate dissentit, ne mendacij arguamur, verba referemus: *Sapor*, inquit, *Persarum rex, qui Constantio Cæsare limitem tuente sæpe irrumpere, sed frustra, conatus erat, in Mesopotamiam incursauit. Quo cognito, Constantinus hanc sibi superesse de Persis victoriam iactans, exercitum contrahere properauit, atque episcopos de expeditione suscipienda admonuit. ac nonnullos secum educere cupiens, tabernaculum instar templi construxit, vt in eo Deum cum episcopis supplicaret. Quo apparatu percepto Sapor exterritus oratores vltro de compositione misit. quos ille benigne audiuit, lætosque cum pace remisit, eo die, quo solemne Paschatis agebatur, quod ipse cum ceteris pernoctans, ac Deo vota faciens celebrauit. Inde sepulchro sibi opportune in Apostolorum templo constructo, morbo repente iactari cœpit. quem cum ferre sæuientem non posset, remedij caussa Soteropolim ad aquas calidas est egressus. quibus non proficientibus Helenopolim in Bithyniam adiit, vt earum aquarum beneficio vteretur. Ibi vota Deo in Martyrio facientem salutaris admodum cogitatio subiit, extremum vitæ suæ finem adesse, opportunum tempus, quo peccata deleret, quæ ipsa humanitas contraxisset. satisque persuasus arcanorum verborum vi, & salutari lauacro animum expiari, positis humi genibus, Deo suppliciter peccata sua confessus per manus impositionem precatione dignus habitus est. inde Acironem Nicomediæ suburbanum se deferri iussit, atque aduocatis episcopis ita dicere cœpit; Hoc est tempus salutis, quod dudum à Deo consequi exoptaui. tempus est, vt insigni immortalitatis, ac sigillo salutis afficiar. Hoc in amne Iordane facere statueram, in quo etiam Saluator ad nostrum exemplum lauacrum adeptus esse dicitur. Quoniam tamen Deus, quod vtile est, videns his nos hoc in loco dignatur, nulla dubitatio relinquatur. Si enim qui vitæ, mortisque dominus est, me superstitem esse, & cum populo conuenire, & precationibus vna cum omnibus interesse voluerit, viuendi leges Deo conuenientes mihi constituam. His dictis illi solemnibus adhibitis cæremoniis instituta diuina explerunt, & arcana communicarunt. Ita solus omnium à sæculo Imperatorum Constantinus in Christi martyriis regeneratus initiatus est, ac diuino sigillo dignus effectus. Cæremoniis vero omnibus absolutis nitidus ille, ac regiis vestibus indutus candidissimo in lecto recubuit, purpuram amplius nolens attingere. tum vero clara voce, cum gratias Deo egisset, hæc intulit; Nunc vero me beatum esse, nunc immortali vita dignum euasisse, nunc diuinæ lucis participē factū esse intelligo. miseros autē illos, qui his bonis orbati sunt, duco. Interim tribuni, ac centuriones ingressi varios questus iactare, semet destitutos fore deflentes cœperunt, eique vitam longiorem precati sunt. Quibus ille respondit, se veræ vitæ compotem factum esse, solumq;, quantis bonis potiretur, cognoscere. quamobrem se ad Deum suum sine cunctatione migrare. Deinde testamentum rite condidit. Ac Romanis quidem annua munera dedit, filiis vero, tanquam patrimonium aliquod, regni hereditatem distribuit, nempe Gallias, Hispanias, & Britannias Constantino permittens; Thraciam, Asiam, Ægyptum, & Orientem Constantio; Italiam, Africam, Illyricumq; Constanti. Quin etiam Athanasium, licet Eusebio præsente, ac contradicente, tanquam omnis expertem culpæ restitui iussit, ac testamentum presbytero, de quo diximus, Arriano commisit. ita multo post tertio die Pentecostes* XI

Kal. Iunias decessit è vita, cum annos ætatis sexaginta quinque complesset, vnum & triginta regnasset. Hæc de Constantini baptismo, & morte à nobis allata in vita eius ab Eusebio Cæsariensi ad verbum scripta reperiuntur. quem, vt vnum omnium, qui de Constantino scripserunt, antiquissimum, sequuti sunt apud Græcos Socrates, Sozomenus, Theodoritus, & Euagrius. quæ reticenda esse, fidelis scriptoris officio seruientes in re, & controuersia vulgatissima non putauimus, fide apud auctores relicta. Ceterum Constantinus vir magni animi, & virtutis eximiæ fuit, atque inter omnes Imperatores hoc vno nomine maxime memorabilis, quòd primus ex Imperatoribus non solum Christum amplexus sit, sed Christianos etiam Imperatores reliquerit. atque hoc est, quod D. Ambrosius in laudatione Theodosij dixit: *Theodosius Constantino adhæret, cui licet baptismatis gratia in vltimis constituto omnia peccata Deus dimiserit, tamen quòd primus Imperatorum credidit, & post se hereditatem fidei dereliquit, magni meriti locum repperit.* Quòd si Augustum iure admiramur, quòd eo regnante ad vnum Imperatorem, vnumque Deum omnium terrenarum, cœlestiumque rerum summa redacta sit, multo iustiore studio ipsum suspicere Constantinum debemus, cui Deus concessit, vt tam religionem, quàm Imperium gentium constituerit. Eius mortis nuncia stella crinita fuerat, quæ per multos ante dies clarissime fulserat.

CAROLI SIGONII HISTORIARVM, DE OCCIDENTALI IMPERIO, LIBER V.

CONSTANTINVS IVNIOR, ET CONSTANS AVGVSTI.



DEINCEPS acta filiorum, posterorumque Constantini expediemus, vt consequi ingenio, diligentiaque poterimus, qui tantum à paterna animi indole in omni genere laudis, atque officij recesserunt, quantum ille superiores principes omnes pietate, atque animi magnitudine præstitit. Neque enim Constantino filio quisquam ad vitam incautior, Constante ad indecoras voluptates procliuior, Constantio aut leuior, aut ad arrogantiam intolerantior fuit. Accessit, quòd vt Constantius à Catholicis ad Arrianos, sic Iulianus fratris filius à Christianis ad gentiles inaudita ante impietate se rettulit, ac plurimum ipsi tum primum se corroboranti Ecclesiæ nocuit. ambo tamen Imperium multis tempestatibus hostium, tyrannorumq; iactatum successoribus integrum, atque incolume tradiderunt.

Constantini morte comperta, milites, qui custodiæ corporis assistebant, abscissis vestibus, humi corpora proiecerunt, atque illisis muro capitibus nullis questibus pepercerunt, quos in tali casu ingens suggerere dolor posset. Quos præfecti, & centuriones, atque omnes subinde milites sunt sequuti, flebilibus vocibus identidem conseruatorem, custodem, ac parentem se amisisse testantes. quin etiã ciues per vrbem vagi, ac furentibus similes altissimis eiulatibus mœrorem suum, cuius magnitudinem capere non poterant, ediderunt. reliqui demisso vultu incessere tanquam attoniti, singuli præcipua se calamitate affectos querentes, ac semet tanquam tum demum omnibus humanæ vitæ spoliatos muneribus, deplorantes. Vbi luctus resedit, paulatimq; mœror elanguit, milites sublatum cadauer aureo loculo incluserunt, ac purpurea veste contectum Constantinopolim deportarunt.

atque

atque in Palatio, loco, vt ab omnibus conſpiceretur, excelſo depoſuerunt. ac luminibus circum accenſis vigiles, qui diurnam, nocturnamq; cuſtodiam agerent, addiderunt. Ibi cum eſſet, priſtina regiæ ſpecies eſt ſeruata. nam & Comites, & ceteri principes, quibus Imperatorem venerari conſuetudo fuerat, ſubinde ingredientes ipſum eodem, quo viuentem, officio ſalutarunt. Quin etiam eadem reuerentia à ſenatu, & magiſtratibus eſt adhibita, reliquisq; priuatis, quorum incredibilis turba repente ſiue honeſto pietatis officio, ſiue curioſo rari in terris ſpectaculi ſtudio conuolauit. Interim fidi nuncij ad filios Cæſares miſſi in diuerſas terrarum partes triſtem famam Conſtantini obitus diſtulerunt. Qua accepta, exercitus, qui vbique erant, extincto patre, filiis ſe obtemperare velle dixerunt, ac continuo ipſos pro Cæſaribus Auguſtos appellauerunt, breuique ſpacio ſua inter ſe decreta communicarunt. Romæ autem, vbi Conſtantinum Auguſtum vita exceſſiſſe, percrebuit, nullus dolori, mœſtitiæque à ſenatu, populoque modus eſt factus. nam & balneas occluſerunt, & foris, ac ludis abſtinuerunt, & omnino omnia, quæ proſperis, lætisq; temporibus celebrari ſolita erant, intermiſerunt. Ceterũ, vt ſe longe omniũ miſerrimos, qui tanto Imperatore orbati eſſent, ſic ipſum beatiſſimum, iudicabant, qui vitam tanta cum gloria terminaſſet. Itaq; ad ceteros honores, quos illi habuerunt, hunc quoq; præcipue tribuere, quòd pictis excolẽtes tabellis ipſum ſuper cœleſtes orbes in æthereo cœtu conſidentẽ fecere. Mox cum Cæſares Auguſtorum nomine decoraſſent, legatos ad Conſtantiũ deſtinarunt, petentes, vt cadauer eius ad ſe remitteret, atq; vrbem Romam clariſſimis auguſtiſſimi regis exequiis honeſtaret. Is, cum ſolus ex filiis, vt qui propius aberat, Antiochia aduenisset, atq; accepto ab Arriano presbytero teſtamento, Imperium Orientale iniſſet, patrem ſepeliri Conſtantinopoli voluit. Elatus eſt funere magnificẽtiſſimo, ac plane regio. præiere, ipſo duce Cõſtantio, peditũ ordines. inde longo agmine armati milites ſucceſſere. vt vero ad ædem Apoſtolorum eſt ventũ, cadauere ibi relicto abiere. reliqua officia ſacerdotes cum aſtãte populo diuinis precibus adhibendis ſolenni cæremonia perſoluere. Cõſtantius inde iuſtis ſolemni Chriſtianorũ ritu peractis non contentus, ipſum etiã numero Diuorum aſcripſit. Fama, eaq; non ob- 316
ſcura manauit, Conſtantinũ Auguſtũ fratrum inſidiis eſſe peremptum, ideoq; eum ſcripto cõmentario filium monuiſſe, vt non ſolum eos caueret, ſed etiã vindicaret. Eum cõmentarium Conſtantius poſtquàm ab Euſebio Nicomedienſi epiſcopo, cui creditus erat, accepit, ac teſtamento aperto Dalmatium Cæſarẽ, & Aniballianũ nobiliſſimum puerum fratrẽ eius ſibi cohæredes relictos inuenit, odio incitatus de illorum cogitare pernicie cœpit, atq; Ablauio præfecturam ademit. Ceterum cum Conſtans in Italia, & Conſtantinus in Gallia Imperiũ ex teſtamento patris iniſſent, rebus ceteris ex partibus ad diuturni ſpem ocij tranquillitatis Cõſtantinus tumultui, qui pòſt grauis exarſit, nouam materiam præbuit. Nam Imperij portione ſibi à patre tradita non contentus, litteras ad Conſtantem fratrẽ miſit, quibus ab eo Italiam, Africamq; popoſcit; æquũ eſſe interpretans, vt qui ceteros ætate anteiret, idẽ etiã Imperij dignitate, ac latitudine ſuperaret. Cui Conſtans reſpõdit, ſe teſtamento patris ſtare velle, atq; ipſum extremã illius quoq; voluntatẽ tueri oportere. qui ſi ætati aliquid tribuendũ eſſe putaſſet, nimirum pro ſumma ſua ſapientia detuliſſet. Hoc modo vtriuſq; animi tacita ſimultate infecti. nihil tamen tum hoſtile moliti ſunt. Interim Euſebius, ceteriq; Arrianorũ principes in ſpem certã ingreſſi cauſſam ſuam intermortuam excitandi, quòd presbyterum Arrianum, qui apud Conſtantium primas auctoritatis, & gratię obtinebat, ſocium, adiutoremq; haberent, omne ſtudium intenderunt, ne Athanaſius Alexandriã ſe referret. verum propoſito exciderunt. Nam Conſtantinus præclara patris in Catholica fide tuenda veſtigia perſequutus, ipſum ſtatim eccleſiam ſuam repetere iuſſit, ac litteris Conſtantio fratri, & Alexandrino populo commendauit. Hæ XV Kal. Iulias Treueris erant datæ in hæc verba: *Neminem veſtrum ignorare arbitor, Athanaſium à patre meo in Galliam ad tempus ablegatum fuiſſe, ne nefario improborum hominum ſcelere periculum aliquod aut ſalutis, aut dignitatis adiret. iuſſum in mea ditione manere, ne quidquam ei deeſſet, quod ad vitæ neceſſitates pertineret. Cum autem idẽ eum eccleſiæ ſuæ reſtituere in animo habuerit, neq; morte*

prauentus potuerit, voluntatem eius mihi exequendam existimaui. quem quanto honore complexus sim, ex ipso facile, cum aderit, cognoscetis. Atque ita Athanasius post duos annos, ac tres menses, quàm Treuiris exularat, Alexandrinam ecclesiam summa populi
338 voluntate recepit. Vrso inde, Polemioq; consulibus, atq; Hilariano præfecto vrbis, Constantinopoli regia variis principum cladibus est fœdata, eorum nimirum, quos Cõstantius Augustus parum aut patri amicos fuisse, aut sibi esse idoneos censuit. Milites ad hoc parati, ac spe, præmiisque impulsi tumultu in vrbe concitato, Constantium Constantij Augusti patruum adorti trucidarunt, ac subinde Dalmatium Cæsarem, & cum eo Optatum Patricium confoderunt; &, cum quidam de industria succlamasset, neminem se, nisi Constantini filium Imperantem esse passurum, Annibaliano etiam fratri Dalmatij manus intulerunt. quin etiam Gallum, & Iulianum Constantij filios impetus aggrediendi cepit, sed Gallum morbus neci subtraxit, Iulianum ætas, quippe annos octo tantummodo natum. missi etiam spatharij sunt ad occidendum Ablauium, qui post præfecturam à Constantio abrogatam in Bithynia priuatus vitam in ocio traducebat. quorum primores, vt iussi erant, cum se, vt in salutando Imperatore assolebat, ad genua inclinassent, litteras reddiderunt. Quibus lectis ille erectus vestem purpuream, quæ mittebatur à Constantio, flagitauit. Cum autem illi subiecissent, se litteras tantum de dignitate afferre, qui vero pro foribus starent, trabeam habere, introuocati illi pro purpurea veste necem purpuream intulere. Ita Constantius, Imperio crudeli suorum cæde firmato, Antiochiam se recepit. Interim Sapor rex Persarum audito Constantini excessu erectus animo, in proximam Mesopotamiam multo, quàm antè, insolentius incursauit, ac duobus mensibus Nisibim oppidum circunsedit. Qua re accepta Constantius sese in Mesopotamiam rettulit, atque armis conatus eius reprimere pro virili contendit. Constans in Pannonia aduersus barbaros trans Danubium habitantes insedit. argumento est, quòd pridie Idus Iunias Viminacij ad Celsinum præfectum prætorio scripsit. Constantinus item aduersus, Transrhenanos hostes consistens rebus Galliæ ordinandis incubuit. quæ ex annalium memoria exciderunt.

339 Sequenti anno, Augusti Constantius secundum, Constans primum iniit consulatum. pridie Idus Iulias L. Turcius Apronianus, VII kal. Nouembris Ti. Fabius Tatianus præfecturam vrbis. Eo anno Athanasio Alexandriam reuerso, principes Arrianorum se victos interpretati ingenti dolore exarserunt, ac Romam ad Iulium pontificem, & ad Imperatores Constantinum, & Constantem legatos cum litteris grauissime de illo scriptis miserũt. quos profectos, quia legati ab Athanasio missi vana, atq; inania ea omnia ostendere, Imperatores cum ignominia reiecere. Iulius autem se daturum concilium vtrique parti, vbicunque vellent, respondit, vt tuto crimina & inferre inuicem, & refellere possent. id enim legati eorum, vbi se victos arbitrati sunt, postularunt. ac presbyteros duos Elpidium, & Philoxenum ad eos misit, certam diem præstituens, vt aut præsentes Romæ se sisterent, aut se omnibus suspectos fore cognoscerent. Arriani, vbi audiuere conuentum Romæ futurũ, vbi nec Comes præsideret, nec satellites pro foribus excubarent, neq; ex Imperatoris præscripto quidquam fieret, quibus illi præsidiis ante Catholicos debellassent, vsq; adeo consternati animo sunt, vt presbyteros vltra diem condictam vsq; ad mensem Ianuarium retinuerint, excusantes, se propter bellum Persicum Romam aduenire nõ posse. Ceterum, cum episcopi ad quinquaginta Romæ coissent, Arrianos communione remouerunt, quòd citati præsto non affuissent, & Athanasium omni cri-
340 mine liberarunt. Sequens inde annus bello ciuili fratrum Augustorum est insignitus. is fuit à Christo nato trecentesimus quadragesimus, Proculo, & Acindino consulibus. Cum Constans in Dacia, teste Zonara, versaretur, id quod testantur etiam rescripta ab illo Naisso mense Ianuario, & Februario data; Cõstantinus è Gallia, id est, ex Imperij sui finibus exiit, ac contento cursu per Noricum in Pannoniam iter armatus intendit, siue, vt colloquio cum Constante fratre inito, litẽ de patrimonij diuisione transigeret, siue, quod etiam traditur, vt Pannoniam illi per arma eriperet. Constans autem cognito illius aduentu facti nouitate perculsus exercitus

partem obuiam miſit,atque ipſe cum altera ſubſequi cœpit. Qui vero præmiſſi duces erant, Conſtantinum nõ longè ab Aquileia aduerſus ſe venientem, nullo prælato ſigno amicitiæ,nacti,hominem improuidum inſidiis tanquam hoſtem appetiuerunt.ac commiſſa pugna,cum ſimulatæ ſe fugæ mandaſſent,ad locum,in quo armatos diſpoſuerant, attraxerũt. Quo pacto erumpentibus inſidiatoribus interceptus,cum fortiter pugnans equo eſſet excuſſus, ipſe vna cum maiore ſuorum parte oppreſſus eſt. Cadauer à militibus inuentum in flumen Alſam proximum Aquileiæ deiectum eſt.Superueniens inde Conſtans iuſta ei Aquileię perſoluit,ac Diui dignatione cohoneſtauit. fuit autem Aquileiæ VIII Idus Aprilis. ſiquidem eo die ibi reſcripta dedit. Tatianus præfectus vrbis III Nonas Maij ad Auguſtum profectus eſt. Iunius Tertulus vice illius cognouit. Tatianus IIII Idus Iunias reuerſus magiſtratum continuauit. Profectus inde in Italiam Conſtans Mediolano VII Kal. Iulias ad Tatianum præfectum vrbis ſic ſcripſit: *Si quis in demoliendis ſepulchris fuerit adprehenſus,ſi id ſine domini cõſcientia faciat,metallo adiudicetur,ſi vero domini auctoritate, vel iuſſione vrgetur,relegatione plectatur.* Inde ad Galliam,Hiſpaniam,& Britanniam, quæ Conſtantini fuerant,obtinendas,atque formandas miſiſſe exiſtimo. nam prodiiſſe ipſum,non reperio. Eodem anno Alexander epiſcopus Cõſtantinopolitanus Nicæni concilij vindex acerrimus vita ceſſit,cum duos viros populo commendaſſet doctrinæ, ac vitæ laude præſtantes, Paulum, & Macedonium. Itaque populus, comitiis epiſcopo creando indictis, in duas abiit partes; quarum quæ ſanior erat, Paulum, quæ corrupta, Macedonium legit. eaque de re magnus in vrbe tumultus eſt concitatus. ad quem ſedandũ cum ſe Conſtantius Antiochia recepiſſet, re cognita neutrum eorum probauit, ſed concilio epiſcoporum Arrianorum coacto, Euſebium Nicomedienſem tantorum incendiorum auctorem ad faſtigium illud euexit, atque inde repetiit Antiochiam. Ea de re Euſebiu[illegible]dentior in cauſſa factus, vt qui maiore, quàm antè, auctoritate ornatus eſſet, & plus gratia apud Imperatorem valeret, ſeſe totum ad Conſubſtantiale labefactandum, & Nicænum concilium infirmandum conuertit. ac conuentum Antiochiam in inſequentem annum indixit, verbo, vt templum conſecraret, quod decem ante annos à Conſtantino fuerat inſtitutum, atq; hoc deniq; ex eius teſtamento à Conſtantio conſummatum; re vero, vt Nicęnum concilium, quo ſe victum magno dolore ferebat, abrogaret, atque illius vindicem Athanaſium ab Alexandrina eccleſia ablegaret. Itaq; poſtero anno, qui conſules habuit Marcellinum,& Probinum, & poſt V Kal. 341
Martias præfectum vrbis Celſinum,conuenere Antiochiæ epiſcopi nonaginta, indictione, vt notauit Athanaſius, quarta decima, Placito, qui Euphronio ſucceſſerat, tum eccleſiam Antiochiæ obtinente. Huic concilio neq; Maximus Hieroſolymorum epiſcopus intereſſe voluit, ne inuitus in Athanaſium inſontem ſubſcribęret, neq; Iulius pontifex legatos ſibi mittendos exiſtimauit. Itaq; præſente Conſtantio decreta facta ſunt contra legem, quæ, vt inquit Socrates, vetabat, ne quid iniuſſu epiſcopi Romani ab eccleſiis ſanciretur. In primis autem Athanaſius abſens falſo crimine oneratus eſt, quòd epiſcoporum iniuſſu ad eccleſiam rediiſſet, & quòd reditu ſuo ſeditionem, qua multi periiſſent, in vrbe concitaſſet. quin etiam quæ acta Tyri ſunt, aduerſus eum prolata inuidiam accenderunt. Ob eam cauſſam exilium illi ſciſcitur, atq; Euſebius Emiſenus ſufficitur. Eo vero Alexandriam proficiſci verente, is honor ad Gregorium defertur. Inde relatione de ſancta Trinitate facta, magno omnium conſenſu nouam Fidei formulam, ſubſtantiæ mentione omiſſa conſcribunt, confitentes vnum filiũ Dei vnigenitum, qui fuit ante omnia ſæcula,& vna cum patre extitit, qui illum genuerat. Deinde Nicænam fidem adhuc reprehendere aperte non auſi, cum eius mox formulæ pœniteret, alteram ediderunt, in qua ſubſtantiæ meminerunt, fatentes filium expreſſam eſſe diuinitatis, eſſentiæ, virtutis, conſilij,& glorię patris imaginem. Quibus formulis Gregorius etiã, licet nondum eccleſiam Alexandrinam vidiſſet, tanquã epiſcopus Alexandrinus, ſubſcripſit. Concilio inde dimiſſo Euſebius, cum multos à partibus deficere ſuis videret, Conſtantio perſuaſit, vt cauſſam hanc ſuſciperet, atq; acriter, ſtrenueq; defenderet. Ita iuſſu eius Gregorius Alexandriam inſigni armatorum caterua ſtipatus

deducitur,& non sine maximo ciuitatis tumultu, ac fœda multorum strage in ecclesia collocatur. Eo tumultu præcognito, Athanasius psalmos cū populo in templo canens,inimicos frustratus furtim se vrbe subduxit. atq; ad Iulium pontificem Romam properato confugit. His actis Eusebius litteras dedit ad Iulium, orans, vt caussam Athanasij cognosceret, totiusq; huius controuersiæ iudicium sibi asciscerét.ac paulo pòst vitæ finem imposuit,cum perfidiæ suæ defensores acerrimos reliquisset, Theognim Nicææ, Marim Chalcedonis, Theodorū Heracleæ, Vrsacium Singidonis,& Valentem Mursæ episcopos. Ecclesia Constantinopolitana Eusebij morte vacāte,populus rursus diuisus,vt antè,studiis ad comitia prodiit,ac Paulum, & Macedonium pristinis sedibus reddidit. atq; inde acerbis inter se certaminibus contendere,incitatis ad cædem animis,instititit.Constans ex Italia rediit in Pannoniam sine dubio barbarorum infestis incursionibus excitatus. Indicat rescriptum VIII Kal.Iulias Lauriaco ad Catullinum præfectum prætorio datum. Eo vero in Pannonia occupato, Franci occasione allecti,violato fœdere,Rhenum transierūt, atque fœde populari Galliam inuitis ipsius ducibus incœperunt. Proximo anno

342 Constantius III cum Constante iterum consul, tumultu inter Catholicos, Arrianosq; Constantinopoli in dies ingrauescente permotus litteras Antiochia ad Hermogenem magistrum equitum in Thraciam misit, vt Constantinopolim accederet,atq; armis,si aliter non posset, Paulum, quem Catholici defendebant,ecclesia pelleret.Paruit iussis eius Hermogenes.verum statim paruisse pœnituit.nam plebs Pauli studio incitata ipsum tanta animorum constantia sibi defendendum suscepit,vt ne ipsi quidem Hermogeni aduersanti, atq; armatis hominibus rem agenti pepercerit.Quin etiam eousq; vecordiæ,furorisq; processit,vt incendium ædibus, in quibus ille versabatur,intulerit,atq; inde eductum miserabili, ac fœdo spectaculo traxerit,ac laceratum,& discerptum vita eiecerit. Quo comperto, Constantius gradu citato recurrit,atq; inflammatus ira non solum Paulum vrbe exegit,sed plebi etiam solemne frumenti Alexandrini congiarium,quod Cōstantinus pater dari quotannis constituerat,abstulit. Macedonium tamen sibi substituendum non duxit,quòd iniussu suo designatus fuerat, & caussam præsenti seditioni attulerat.atq; his actis rediit Antiochiam. Athanasio,& Paulo expulsis, haudquaquam his se finibus furor Arrianorum continuit.Nanq; Alexandrini Gregoriū episcopum parum constanter Arrianorum partes tuentem ecclesia deturbarunt, atq; ei Gregorium quendam Cappadocem subrogarunt. episcopi vero Catholicos episcopos adorti diuersis congestis criminibus fatigarunt. ac iudiciis factis Constantinopoli Paulum,Gaza Asclepam,Ancyra Marcellum, Hadrianopoli Lucium expulerunt. qui item omnes Romam, tanquam ad aram,propere cōfugerunt,atq; opem rebus suis à Iulio pontifice implorarunt. Iulius autem non antè illos recipiēdos ratus, quàm caussam eorum perspexisset,cōuentu habito,fidem eorum explorauit, & cum Nicænæ conuenientem repperisset, in communionem recepit.ac mox pro auctoritate,quam,vt inquit Socrates,& Sozomenus, Ecclesia Romana inter ceteras obtinebat,in suam quenq; ecclesiam restituendum decreuit. ac litteris scriptis episcopos Orientis increpuit,quòd de illis viris perperam iudicassent, atq; ecclesias perturbatione replessent,dum Nicæna decreta respuerent.præcepitq;, vt quidā eorū nomine omnium ad diem certam præsto Romæ adessent, vt latæ in eos sententiæ redderent rationem;illud demum adiiciens, se,si in posterū nouis studere consiliis perrexissent,in eos grauius consulturū.Ita Athanasius octauo decimo mense,postquam Romam venerat, itemq; Paulus,& ceteri vrbe profecti,fauore populorū, & Iulij auctoritate ecclesias suas quisq; recuperarūt, ac litteras Iulij iis,ad quos mittebantur,sigillatim reddendas curarunt. Quibus lectis illi grauius irritati,subito Antiochiam conuenerūt, atq; epistolam eleganter ,ac copiose scriptam ad eum miserunt.in qua confitentes Romanam Ecclesiā inter ceteras principatū tenere,vt quæ apostolorum schola, & pietatis metropolis iam inde ab initio extitisset,tamē se dolere dixerunt, sibi propterea secundas tribui, quòd magnitudine ecclesiæ vincerētur,cum pio viuendi studio superarēt.Criminis inde loco Iulio obiecere,quòd Athanasium, & reliquos episcopos in cōmunionem recepisset,vt qui iudiciū suum irritum

irritum reddidiſſet. communionem tamen ſe cum illo inituros non abnuere, ſi ille eorum abdicationem approbauiſſet. nam epiſcopos Orientis minime olim Romano epiſcopo reſtitiſſe, cum Nouatum rebus vere nouis ſtudentem eccleſia depulit. De rebus autem, quas contra Nicæna decreta geſſiſſent, nihil reſcripſerunt, cum ſe tamen ea multis modis tueri poſſe ſignificarent. His ſcriptis inde in epiſcopos, qui redierant, ſeſe de integro inferunt, ac noua apud Conſtantiũ crimina ingerunt, quibus ille impulſus ad Philippum Cõſtantinopolis præfectum Antiochia ſcripſit, atq;, vt armis, ſi eſſet opus, adhibitis, Paulum vrbe expelleret, & Macedonium ſubſtitueret, imperauit. Quorũ vtrumq;, ſed maximo reſiſtentis populi tumultu, atq; trium millium hominum ſtrage, perfectum eſt. Paulus in patriam ſuam Theſſalonicam eſt deductus, ac Conſtantinopolim redire prohibitus. Athanaſius vero nouo crimine oneratus, quòd frumentum vendidiſſet, quod Imperator ad alendos egenos attribuiſſet, cum imminentem ſibi peſtem ab irato, & infeſto Conſtantio cerneret, rurſus Alexandria ceſſit, & ſeſe in locis incognitis abdidit.

Romæ Kal. Aprilis Lollianus, pridie Nonas Iulias Catullinus præfecturam vrbis ceperunt. Conſtans Sabarię VIII Idus Aprilis ſanxit, vt donationes à diuo genitore ſuo ex priuatis rebus factæ valerent, inde è Pannonia in Galliam caſtra mouit aduerſus Francos, quos ad arma ſolicitatos ſuperiore anno fuiſſe, commemorauimus. ac prœlio grauiſſimo cum eis conflixit, & victoriam clariſſimam rettulit. Ita Franci, renouato fœdere, in fines ſuos reuerſi. Hoc bellum inter res à Conſtante geſtas à ſcriptoribus, quos habemus, tantummodo memoratur, verum tam paucis, vt vix attingatur. maximum tamen fuiſſe, & variis caſibus memorabile, ex Socratis verbis coniicitur. Placido inde, Romuloque conſulibus Iulius pontifex cognito, 343
Athanaſium exulare, ex locis, in quibus latebat, exciuit, ac litteris epiſcoporum Orientis ex conuentus ſententia in hunc modum reſpondit. mirari ſe, quòd ad mites, ac benignas litteras ſuas contentioſè, ac ſuperbe reſcripſerint, ſeque non ea reuerentia, qua decuit appellarint: *Quid enim vos offendit?* inquit, *an quòd vos ad concilium inuitaui? at id cum gratia excipi debuit. nã boni iudicia ſua ab aliis excuti facile patiuntur, quòd pro certo habeant, quæ iuſte iudicata ſunt, iniuſta effici non poſſe. Quare epiſcopi in Nicæno concilio conuocati non ſine Dei conſilio permiſerunt, vt acta ſua in alio concilio examinarentur, vt & qui iudicium fecerant, ſcientes ſecundo ea concilio ſubiectum iri, accuratius cauſſam expenderent, & qui iudicium ſubierant, pro certo haberent, ſe non odio priorum iudicum, ſed iure ipſo condemnatos eſſe. Quòd ſi hæc conſuetudo olim fuit, eaq; in Nicæno concilio renouata eſt, profecto vos indigne facitis, qui illam ſoluitis. Huc accedit, quòd Macarius presbyter, & Heſychius diaconus legati veſtri apud me à legatis Athanaſii aperte conuicti concilium poſtularunt, ad quod vos aduocaui. Et ſi, vt ſcribitis, incõcuſſam fidem qualibet habere ſynodus debet, cur à vobis Nicæna ſynodus non obſeruatur? & qui per eam communione repulſi ſunt, à vobis in communionem accipiuntur? qui nõn in hominem peccauerunt, ſed in Chriſtum filium Dei viuentis.* Inde cetera, quæ obiecerant, crimina diluit. Conſtans rebus Galliæ conſtitutis, in Italiam ſe recepit, ac Bononię VIII Kal. Februarias reſcripſit, vt priuatæ res ſuæ ab vniuerſis muneribus ſordidis eſſent immunes. Bononienſes, vt debitum ei honorem haberent, columnam ſtatuerunt, his verbis inſcriptam; *D. N. Fl. Valerio Conſtantio, Pio, Felici, Inuicto. Fl. Valerio Conſtanti Diui Auguſti Pij Filio Bono R. P. Nato.* quæ columna nunc quoque in agro Bononienſi, in quo hæc ſcribebamus, ad primum lapidem reperitur. Paulus, poſtquam Athanaſium à Iulio accerſitum in Italia eſſe accepit, & ipſe Theſſalonica occulte profectus eo contendit. Vtrique inde doloribus, conſiliisq; communicatis ad Conſtantem progreſſi iniurias, quas paſſi erant, expoſuerunt, atque opem eius apud Conſtantium implorarunt. Conſtans autem, qui in paterna fide, ac diſciplina, id eſt, in Catholica, permanebat, miſeriis eorum, innocentiaq; permotus petiit per litteras à Conſtantio, vt tres ad ſe epiſcopos mitteret, qui rationem redderent, qua horum vterque abdicatus fuiſſet. Hi miſſi communionem inire cum Athanaſio noluerunt, ac formulam fidei longe aliam ab ea, quam Antiochiæ ſcripſerant, protulerunt. neq; vlla ratione reddita, diſceſſerunt. Per eoſdem dies Photinus Marcelli, qui abdicatus fuerat, diſcipulus, Sirmienſis epiſcopus, nouam hæreſim intulit, filium tantummodo homi-

nem esse contendens. Constans autem reuersus in Galliam pridie Kal. Iulias Treuiris rescripsit, vt vniuersi omnino ex Comitibus, vel ex præsidibus, qui suffragio percepissent dignitates, ciuilibus oneribus, muneribusq; tenerentur astricti. Per hoc tempus sæuæ, ac continuæ terræ concussiones, quasi quædam prodigia cœlestem iracundiam ostentantia, religionem aliquam humanis pectoribus incussetunt. Nam & hoc anno Neocæsaria vi terræmotus mari absorpta, ecclesia, atq; epi-
344 scopio tantum incolumi. & sequenti, quo Leontius cum Sallustio consul, & post III Idus Aprilis Rusticus vrbis præfectus fuit, Rhodus insula pene tota subuersa est. & postero, Amantio, Albinoq; consulibus, Dyrrachium totū procubuit. quin etiam
345 Roma per triduum magno cum periculo tremuit. & duodecim Campaniæ vrbes funditus eodem impetu corruerunt. Eodem anno episcopi Orientis Antiochiam deintegro conuenere, atq; aliam fidei formulam, detracto verbo Consubstantiali, scripsere, quam quia multis verbis complexi sunt, Longam vocarunt. Ea Græce scripta ad episcopos Occidentales est missa. Occidentales autem obscuritatē eius caussati eam repudiarunt, & se stare velle formulæ Nicæni concilij responderunt. Rusticū III Nonas Iulias Rufinus præfectus vrbis excepit. Constantius in Mesopotamia aduersus Persas, Constans in Gallia contra Germanos incursantes excubuit. Indicant rescripta ab vtroq; per mensem Maium inde data. Cum Kalendis inde Ianuariis nulli in Imperio cōsules essent, post aliquot menses ambo Augusti Cōstan-
346 tius IIII, & Constans III iniere. Eo anno Constantius nouis litteris à Constante fratre rogatus Athanasio, & Paulo reditum per litteras conficere studuit, sed multitudine aduersante non potuit. Quare illi, auxilio Constantij desperato, à Constante, vt nouum aduocaret concilium, petierunt, tum vt causa sua cognosceretur, tum vt fides Nicæna duobus Antiochenis conciliis infirmata, nouis episcoporū sententiis magis, magisq; stabiliretur. Eo postulato accepto Constans, Mediolani cum esset, litteras subito ad fratrem de conuocando concilio misit, atq; Athanasium Roma ad se accitum ostendit. Ita assentiente Constantio, paulo pòst vtriusq; Imperatoris iussu concilium Sardicam indicitur, atq; eo omnes ex Oriente, & Occidente episcopi conuenire iubentur. Erat autē Sardica vrbs Daciæ mediterraneæ inter duas Mœsias, vt suprà diximus, cis Istrum cōstitutæ. eaq; Constantis ditioni, Imperioq; vna cum Mœsiis ipsis obtemperabat. Vndecimo inde Kal. Iunias Constans ordini Cæsenatium Mediolano sic scripsit: *Vinum, quod ad cellary vsus ministrari solet, cuncti Italiæ possessores iuxta statutum Constantij fratris mei comparent. Quod vt fieri facilius possit, ab omnibus Italis nostris conferatur pecuniæ quantitas ea, quam Rufini viri Clarissimi, & Illustris præfecti vrbis, parentis, amiciq; nostri moderatio dandam esse censuerit.* Mediolano inde Cæsenam profectus x Kal. Iulias ad Anatolium præfectum prætorio rescriptū in hæc verba misit: *Quoniam nonnulli curiis derelictis, domesticorum, seu protectorum te consortio copularunt, scholarij etiam quidam nomen dederunt militiæ, aut Palatinis sunt officiis aggregati, cunctos iubemus omni frustatione submota ad curias reuocari. Ne tamen diuturnitatis ratio videatur esse neglecta, quicunq; sub armis militiæ munus Comitatense subierit, si nec dum quinq; stipendia compleuerunt, nec pro publica defensione præliis affuerunt, reddantur. qui vero Palatini nominis præfuerunt dignitatem, si curialem trahant originem, infra tot annos militiæ nudati præsidiis oppidaneis restituantur obsequiis. De qua re Magistros equitum, & peditum, & V.C. Comitem domesticorum, nec non etiam sacrarum largitionum Comitem, & Magistrum officiorum, & Castrensem, sub quibus cuncti esse noscuntur, credidimus commonendos, vt tua insistente prudentia, & scribente de nominibus singulorum vnusquisq;*
347 *propriæ conditioni reddatur.* VII kal. Ianuarias Placidus præfecturam vrbis, Kal. Ianuarias Rufinus, & Eusebius consulatum, pridie Idus Iunias Limenius vtramq; præfecturam, prętorij, & vrbis iniuit. His demum consulibus concilium Sardicę Nicęno compar est conuocatū, decem, & octo mensibus, postquam fuerat indictū, Archidamo, & Philoxeno presbyteris, legatis Iulij pontificis præsentibus. cuius acta pręcipue Athanasius, & Socrates prodidere. Ceterū cum Arriani episcopi ad septuaginta, adductis secum Comitibus, aduenissent, vbi Athanasium, & Paulum, aliosque Catholicos, quos exturbarant, episcopos conspexerunt, diffisi sibi, quòd ecclesiastico more, sine Comitibus, contrà, atq; agere consueuissent, rem conficiendam vide-

videbant, extemplo abierunt. atque in Thraciam proximam, quæ Conſtantii iuris erat, ſe referentes, concilium in vrbe Philipporum ſeorſum à Catholicis habuerunt. neque obſcure, vt antè, ſed palam, atque diſerte in formula fidei verbum Conſubſtantiale concordibus ſententiis damnauerunt. Catholici vero, qui ad trecentos Sardicæ remanſere, cum eos ſemel, iterumq; citaſſent, neque illi acceſſiſſent, demum concilio rite inito, abſentes eos vnà cum accuſatoribus Athanaſij condemnarunt. atque Athanaſium, Paulum, Marcellum, & ceteros ab eis inſimulatos lata ſententia liberarunt. ac mox Nicænam fidem confirmantes, omnino ipſum Conſubſtantiale retinuerunt, id eſt, vnam, eandemque ſubſtantiam eſſe patris, filiiq; confeſſi ſunt. quique ſecus ſentirent, ipſoſq; præcipue Arrianos, graui anathemate perculerunt. multi præterea canones ad mores, & inſtituta Eccleſiæ pertinentes, Oſio epiſcopo Cordubenſi referente, ac bonam Catholicis tum quoque operam, fidelémque præbente, conſcripti ſunt, qui adhuc leguntur. ſubſcripſere huic concilio epiſcopi ex Italia Protaſius Mediolanenſis, Fortunatianus Aquileienſis, Seuerus Rauennas, Calipodius Neapolitanus, Vincentius Capuanus, Ianuarius Beneuentanus, Lucillus Veronenſis, & Vrſacius Brixianus. Ex quibus Seuerus, & Ianuarius poſt Confeſſorum in numerum ſunt relati. Conſtans ſimul decretum Concilij Sardicenſis accepit, Conſtantium propere fecit certiorem, eúmque, vt Athanaſium, Paulum, ceteróſque à concilio abſolutos in ſedes ſuas reduceret, monuit. quod cum ille facere cunctaretur, litteras ad eum in hanc ſententiam ſcripſit: *Sunt hic apud me Athanaſius, & Paulus, quos accepi pietatis cauſſa vexatos eſſe. Quòd ſi ſpondeas, te illis ſuas ſedes reſtituturum, atq; in eos, à quib. iniuria affecti ſunt, animaduerſurum, viros ipſos ad te mittam. ſin minus, ego propius accedam, atq; illos in ſedibus ſuis te inuito reponam.* His litteris lectis, Conſtantius rem ad ſuos epiſcopos rettulit. inde vitandi ciuilis belli cauſſa ex eorum auctoritate ſe obſequuturum illius poſtulato reſpōdit. atq; has ad Athanaſium litteras miſit: *Hucuſq; meam erga te voluntatem tibi expromere diſtuli, quòd expectabam, te vltro ad nos venturum, & reb. tuis aduerſis auxilium petiturum. nunc, cū tu fortaſſe timore perculſus venire abſtiteris, volui te monere, vt primo quoq; tempore ad nos venire contenderes, vt noſtram expertus clementiam, ſedem tuam reciperes. cuius rei gratia Conſtantem fratrem, vt te dimitteret, obſecraui.* Quibus ſcriptis mox alias adiecit, vt publico vehiculo ſumpto, ad ſe omni abiecta formidine properaret. Philippo inde, ac Sallia conſulatum, & Limenio vtramq; præfecturam adminiſtrantibus, Paulus, litteris, & comitibus à Conſtante acceptis, Conſtantinopolim adiit, ac fauente 348
ſummo ſtudio ciuitate, ſedem ſuam recepit. Athanaſius vero aduerſariorū inſidias veritus, Sardica ſe contulit Aquileiam. Ibi vero cum eſſet, tertias à Conſtantio has accepit litteras: *Quoniam multum temporis præteriit, ex quo tu noſtras litteras accepiſti, quibus te ad tuam recipiendam eccleſiam vocabamus, neq; tu redire in animū induxiſti, ob eam rem rurſus te monere voluimus, vt nullam eius rei faciendæ morā interponas, quo ſedem tuam recuperes.* Quibus lectis, animo erectus Aquileia Romam acceſſit, easq; Iulio pontifici recitauit. Qua re Iulius exhilaratus, quòd Cōſtantium ad partes Catholicorum ſe recepturum ſperaret, Athanaſium cum litteris ad clerum, populumq; Alexandrinum dimiſit. Conſtantius inde Athanaſium ad ſe Antiochiam officij cauſſa profectum benigne, atq; honorifice in primis accepit. tamen ab Arrianis impulſus, vt Arrianis templum vnū Alexandriæ habere liceret, popoſcit. quod ille ita conceſſit, ſi & ipſe Catholicis in ſingulis vrbib. vnam patere eccleſiam ſineret. Ita permulti epiſcopi, qui extorres erant, ſuas ciuitates, eccleſiasq; recuperarunt. & Macedonius, ſede Paulo conceſſa, ſeorſum eccleſiam tenuit. Digreſſus inde à Conſtantio Athanaſius cum litteris eius ad Alexandrinos Hieroſolyma adiit. quē vt Maximus vrbis epiſcopus vidit, propere conuentū epiſcoporum è Syria, & Palæſtina vocauit. atq; ex eorum ſententia communionem, ac dignitatē ipſi reſtituit. & ad epiſcopos Ægypti, ac Libyæ acta omnia miſit. Qua de re ab omnibus grauiter eſt increpitus, quòd quem antè ſimul cū ceteris abdicaſſet, nunc quaſi pœnitentia tactus ornaſſet. Quod cū Vrſacius Singidonis, & Valens Murſæ epiſcopi accepiſſent, partes Arrianorum, quib. eouſq; ſtuduerāt, reliquerunt, ac Romam profecti, libello pœnitentiæ Iulio pontifici tradito, Conſubſtantiale probarūt, & ſe cum Athanaſio ſenſuros,

confitentes ipsum iniustis oppressum esse criminibus, spoponderunt. Hoc cum Athanasius ipse, tum ceteri prodidere. ex quibus ita Sulpicius: *Vrsacius, & Valens, cum post synodum Sardicensem viderentur à communione secreti, coram positi, à Iulio Romanæ vrbis episcopo veniam poposcerunt, quòd innoxium condemnassent, meritoq; eum sententia Concilij Sardicensis absolutum professi sunt.* Athanasius inde, itinere Alexandriam suscepto, in singulis, quas adiit, ciuitatibus Catholicos ab ineunda cum Arrianis communione deterruit, atque in earum etiam ecclesiis ministros initiauit, & nonnullis conuentibus Alexandriæ habitis, acta Concilij Sardicensis, & Hierosolymorum firmauit. Eodem anno vrbs etiam Beryti in Syria vehementi terræ motu labefactata est. Limenio inde, & Catullino consulibus, Limenius vtramque præfectu-
349 ram tenuit vsque ad VI Idus Aprilis. Cum ambæ inde præfecturæ dies vnum, & quadraginta vacassent, demum IIII Kal. Iunias Hermogenes eas iniit. Eo anno Constantius, re sæpe cum Persis male gesta, demum cum Sapore rege apud Singarim oppidum prœlio summo conflixit. in quo haud dubiam victoriam propter nimium militum ardorem, atq; intempestiuam certandi cupiditatem amisit. nam cum pugnam seditiose, ac stolide contra omnia militaris disciplinæ præcepta die iam præcipiti poposcerunt, tum prœlium in noctem cum maxima sui pernicie produxerunt. Constans autem ex Pannonia, vnde ad Siluanum Comitem, & magistrum peditum, atque equitum VI Kal. Iunias Sirmio scripsit, in Galliam sese retulit. ac, pacatis Rheni limitibus, vitam corruptam, & parum attentam agere instituit. quippe venationibus assiduis, atque indignis amoribus, ac turpibus voluptatibus, fœdisq; libidinibus se dedidit, ita vt ab hominum congressu, oculisq; remotus, quò animo liberius indulgeret, omnem prope curam omisisse Imperij, velut ab omnibus tutus insidiis, videretur. quin etiam eam superbiam induit, vt prouincialibus grauis, militibus parum iucundus esset. Quæ cum Magnentius Comes Iouiorum. & Herculiorum in Gallia animaduertisset, animũ ad ipsum opprimendum, atque Imperium inuadendum, præsertim vero Constantio male in Perside
350 rem gerente, adiecit. ac sequenti anno, qui fuit Christi trecentesimus quinquagesimus, Sergio, & Nigriniano consulatum, ac Titiano præfecturam vrbis gerentibus, prospere cogitata perfecit. Ceterum huius tragœdiæ scena fuit huiusmodi. Marcellinus fisci præfectus, re cum Magnentio constituta, natalem filij sui se celebrare velle in vrbe Augustoduni pronunciauit, atque eo nomine primores ciuitatis, ac Magnentium etiam ipsum ad epulas inuitauit, quosdam consilij sui participes, nonnullos etiam prorsus, quid animo moliretur, ignaros. producto inde ad mediam noctem conuiuio, ex composito Magnentius, quasi rei necessariæ caussa surrexit, &, cum in cubiculum secessisset, regium habitum induit, ac mox satellitibus circumfusus, Chresto, & Marcellino fauentibus, eorum se conspectui reddidit. atque oratione ad eos, quos animo consternatos rei nouitate videbat, ad tempus habita, alios verbis, alios vi ad suas partes traduxit. atque Imperator ab eis salutatus, eisdem comitantibus regiam ingressus, pecuniam dilargitus est. ac custodibus portis vrbis appositis, ingredi omnes, exire neminem passus est. Quibus actis, satis in præsens saluti, ac dignitati suæ consultum ratus, inde ad firmandas in futurum opes Gaisonem cum caterua militum ad Constantem interimendum emittit, qui non longe inermis in sylua venationis, ac liberioris, vt dictum est, vitæ caussa degebat. Ille autem, nuncio seditionis à Magnentio concitatæ allato, destitutus à suis, confestim Imperij insignia posuit, inq; vicum quendam Pyrenæo proximum, cui Helenæ nomen erat, sese fuga proripuit. Itaq; Gaiso, cum ad Rhodanum profectus eum non inuenisset, vestigia persecutus Helenam venit. atque ibi è sacello extractum, manu sua obtruncauit, vaticinio impleto, quo prædictum fuerat, eum in auiæ gremio moriturum. nam ille vicus ab auiæ reginæ nomine nomen acceperat. Mortuus est circa Kal. Martij, anno Imperij sui tertiodecimo, ætatis tricesimo, nulla re, qua paternæ, auitæq; laudi insigniter responderet, administrata, nisi quòd in Catholica, & Nicæna fide perseuerauit. quæ laus tum in Occidente nondum Arrianorum labe corrupto minus excelluit.

Constantinus, & Constans vtrum ne sacro fonte abluti vita excesserint, parum

rum compertum. Constat enim, homines per hos annos diu inter Catechumenos se probasse, nec nisi sero sacramentum baptismatis accepisse. Nam & Constantius Augustus ab Euzoio, & Theodosius maior ab Acholio episcopis sero initiati sunt. & Valentinianus iunior baptismum à D. Ambrosio postulans, interfectus est. & D. Martinus inter Catechumenos constitutus miracula edidit, & D. Ambrosius nondum tinctus episcopatum iniuit. Constante regnante Romæ, eloquentię laude floruerunt Mineruius Burdegalensis, & Marius Victorinus Afer, qui Romæ Rhetoricam docuit. Hic virtutis ergo statua in Foro Traiani donatus est, ac demum iam ætate confectus, baptismum, teste in Confessionibus S. Augustino, accepit. Ælius etiam Donatus grammaticus, qui D. Hieronymum erudiuit, per hos annos in magna nominis celebritate versatus est.

MAGNENTIVS IMPER.

MAGNENTIVS prospero rerum successu erectus, subito, antequam mors Constantis enunciaretur, nomine Constantis eorum, qui magistratum gerebant, præstantissimum quenq; acciuit, eosq; in itinere per dispositos sicarios interfici iussit. in quo ne coniuratis quidem suis pepercit. ac mox Decentium, ac Desiderium fratres suos Cæsares declarauit, eosq; ad Galliam, & Hispaniam, aliosq; ad Italiam occupandam dimisit. Interim Constantis cæde, & Magnentij tyrannide in Italiam nunciata, Nepotianus, qui erat Eutropia sorore Constantini Maximi natus, ne Italia eodem modo, quo Gallia in manus Magnentij perueniret, subito purpuram induit, atque Augustus à gladiatoribus, aliisq; perditis hominibus appellatus, eorum auxilio Romam accessit. &, cum vrbem à ducibus, quos Magnentius ad Italiam occupandam præmiserat, populo ab senatore Heraclida prodito, iam teneri inuenisset, exercitum eò admouit. Qua re cognita, Anicius præfectus prætorio à Magnentio constitutus, quosdã è plebe Romana armatos eduxit, ac prœlium cum Nepotiano commisit. Cum autem inclinata re, omnes in fugam actos videret, vrbi timens, portas occlusit, eosq; Nepotiani militibus cædendos reliquit. Paucis inde interiectis diebus, Marcellinus magister officiorum cum exercitu à Magnentio missus aduenit, qui nouo prœlio cum Nepotiano congressus, cum copias eius fudisset, ipsum in potestatem adduxit vicesimo octauo, postquam Imperium attigerat, die. ac caput à ceruicibus amputatum per vrbem insolenter circuntulit. His rebus, prout graues, & fœdæ erant, in Orientem repente perlatis, Constantius dolore, atq; indignatione exarsit, ac propere necē fratris vltum ire, atq; vnà Imperium sibi Occidentale adiungere in animo habuit. verum à Sapore impeditus non potuit. Ille vero tumultu Magnentiano percepto, ilico exercitum eduxit, atq; in Mesopotamiam inuectus, populationem agrorum ingentem fecit. mox Nisibim obsidione circundedit, atq; ad muros arietes, cuniculosq; admouit; qui vero intus erant, impigre ad omnia, vt vsus ferebat, incommoda occurrentibus, amnem, qui vrbem interfluebat, alio deriuauit, vt oppidanos vsu aquæ spoliatos ad deditionem sitis intolerantia cogeret. verum aqua ex puteis, & fontibus abunde suppetente, cum se nihil proficere cerneret, cursum fluminis, opposita mole, obsepsit, eoque aduersus vrbem conuerso, murorum partem deiecit. quam vbi ab oppidanis sequenti nocte vidit restitutam, raptim ad alia se opera contulit. verum magna exercitus parte amissa, cum Persidem vastari à Massagetis audisset, re infecta, ad sua defendenda reuertit. Qua re animaduersa Constantius occasione vsus, animum contulit ad Magnentium. ac firmo relicto in Mesopotamia præsidio, Antiochia Constantinopolim expediendi consilij caussa reuertit. Interim Arriani Sardicensi concilio fracti, cum Athanasium, ceterósque à se exactos ecclesias repetiisse dignitate, atque auctoritate recuperata dolerent, morte Constantis, quem minantem horruerant, excitati, iterum omnes machinas ad eos euertendos, & Concilium Sardicense labefactandum adhibuerunt. & Constantium, quem propter nimiam animi leuitatem, fratre è medio sublato, facile flecti posse videbant, vacuum nacti, acriter sese rursus in Athanasium intulerunt; illũ Ægyptum, Libyamq; peruertisse, quòd ministros in ecclesiis alienis initiasset, illum pacem reip. perturbare voluisse,

quòd Constantem aduersus ipsum oratione solicitasset: quin etiam alia crimina in Paulum, & Marcellum, qui à Sardicensi absoluti Concilio fuerant, intulere. Quibus vocibus inductus Constantius, ex eorum sententia illos damnauit, atq; Athanasium, vbicunque esset, interimi, Paulum deportari, reliquis successores dari præcepit. Ex quibus Athanasius eo mandato præcepto, fuga salutem sibi quæsiuit; Paulus, cum deportaretur, à deductoribus in vrbe Cappadociæ Cucuso fœde strangulatus interiit. Marcello eiecto, Basilius iterum substitutus. Pulsis Athanasio, & Paulo, quib. in Oriente fides Catholica nitebatur, grauem sane Ecclesia calamitatem accepit. Nam Georgius, qui Athanasio est subrogatus, Alexandriam reuersus bellum inexpiabile Catholicis intulit. siquidem post pascha virgines, & episcopos in vincula tradidit, pupillorum, & viduarum domos, ac bona exhausit, ceteros in potestatem adductos variis suppliciis cruciauit. post Pentecostem autem ieiunio absoluto, cum populum ad cœmeterium supplicatum prodiisse, quòd à sui communione refugeret, percepisset, cum valida armatorum manu impetum in eum fecit, atque omnes, qui ibi precationis caussa restiterant, (nam plerique diffugerant, vt virgines) præsentis ignis, nisi se Arrianos dicerent, supplicio terruit. eisq; parere abnuentibus, faciem verberibus ita multauit, vt vix agnoscerentur. virorum autem quadraginta terga acutis viminibus ita lacerauit, vt plerique in ipsa curatione obierint. reliquos autem vnà cum virginibus in exilium egit. ex quibus amplius triceni fuere episcopi. quorum alij in itinere, alij in exilio perierunt. Macedonius autem, Constantinopolitana ecclesia recepta, eadem ratione omnes, qui Consubstantiale profitebantur, acerbissime est insectatus. vnde exilia, rapinæ, cædes, vexationesq; Constantinopoli, & in Asia sæuierunt. Dum autem Constantius Constantinopoli arma aduersus Magnentium comparauit, Vetrannio magister militum in Pannonia, homo iam ætate maturus, veritus, ne Magnentius, occupata Italia, irruptionem in Pannoniam faceret, Sirmij insignia Augustalia sumpsit, Imperator à suis legionibus salutatus, ac prouincia ad ius suum adducta, totam rem ad Constantium detulit. eiq; ad Magnentium tollendum auxilio se futurum spopondit.
351 atque ad Mursam oppidum substitit. Postero anno propter imminens bellum nulli in Imperio creati sunt cõsules, in tyrannide vero Magnentius cum Gaisone Constantij interfectore iniuit. præfecturam vrbis multi post Tatianum inierunt, Kal. Martiis Celsinus, III Idus Maias Probinus, VII Idus Iunias Adelphius, XV Kal. Ianuarias Proculus. Ceterum Magnentius, rebus Galliæ ex sententia constitutis, in Italiam progressus Mediolanum, ac Romam venit, atque ibi victoria insolenter abusus senatorum, aliorumq; ciuium proscriptiones, cædesq; plurimas fecit. Decentius vero Cæsar in Gallia ab illo relictus rem cum Alemanis, sed parum prospere, gessit. Quod Ammianus his verbis significauit: *Chonodamarius rex Alemanorum, & Decentium Cæsarem superauit æquo Marte congressus, & ciuitates claras multas vastauit, & opulentas.* Constantius autem Constantinopoli cum exercitu ingenti egressus venit Heracleam, atque ibi legatos Magnentij habuit obuios, per quos petebat, vt sibi Imperio, positis armis, vti liceret, ita vt ille principem locum teneret. proxima vero nocte patrem sibi in somnis videre visus est, Constantem filium manu tenentem, atque ita dicentem: En fratrem tuum Constãtem multis regibus oriundum, qui à tyranno peremptus est. eius necem te vlcisci oportet, neque pati, vt Imperium laceretur, nec resp. deleatur. quare ad euertendam tyrannidem propera, neque inultum fratrem permitte. Itaque somno excitus, statim legatos in custodiam dedit. ac repente, castris motis, Sardicam in Daciam improuisus accessit. Quare Vetrannio exanimatus inducias ab illo petiuit, atque aduentanti obuiam honoris caussa processit. Quem vt Constantius vidit, hominem complexus, patrem appellauit. & Sirmium progressus mensæ adhibuit, & cõsilia cum illo de bello Magnentio faciendo communicauit. Inde, cum res conuenisset, vterque in tribunal, vt milites alloquerentur, ascendit. Constantius vero ob generis dignitatem priorem dicendi locum adeptus, milites ad paternæ spem liberalitatis accendit, eosq;, ne paterentur Magnentium impune euadere, qui Constantini filium occidisset, orauit. Hæc vbi dixit, milites, quorum plerique corrupti muneribus de industria fuerant, adulte-

adulterinos Imperatores exigendos esse clamarunt, ac simul detractum tribunali Vetrannionem purpura exuerunt. Qua re ille perculsus, continuo supplex se ad Constantij pedes abiecit. Constantius autem hominis iam ætate prouecti misericordia tactus, haud ægre veniam dedit, atq; vt reliquum vitę priuato in ocio degere vellet, admonuit. Prusiademq; Bithyniæ missum sumptu ad victum necessario pro dignitate instruxit. Athanasius Constantium interemisse Britannionē scribit, Meritoq; dixisse; Cui enim à morte fratrum paterna obuenire bona oportet? His actis Constantius, quoniam bellum Magnentio in Italiam, atque adeo etiam, si necesse esset, in Galliam inferebat, ne Orientem sine defensore relinqueret, animum ad Gallum patruelem suum, de quo suprà dictum est, contulit, eumq; pro concione Cæsarem appellauit, & sororem Constantinam in matrimonium collocauit. atque inde Antiochiam, vt præsens Persarum impetum reprimeret, misit. Eo Antiochiam aduentante, horribilis species in cœlo apparuit. quippe columna crucis instar splendore maximo fulsit. quæ omnes, qui viderunt, maxima primum admiratione, deinde tacita religione perfudit. Interim Constantium Sirmij commorantem Arriani superiore victoria non contenti aggressi sunt, eumq; ad Athanasij damnationem confirmandam, & Concilium Sardicense labefactandum noui Concilij auctoritate hortati sunt. eius vero habendi necessitatem proposuere huiusmodi. Prioribus, vt suprà diximus, annis Photinus Sirmij episcopus nouam de Trinitate sententiam intulit, neque cum Catholicis, neque cum Arrianis vtiq; congruentem, sed ad Pauli Samosateni explosam hæresim proxime accedētem; nempe filium nullo modo ante secula genitum esse, sed ex Maria principium habuisse. cum autem, eloquentia sua multis in suam opinionem adductis, ciuitatem etiam præsente Constantio permisceret, Arriani magnopere ei suasere, vt eam seditionem nouo conuocando concilio coerceret. Eo indicto, conuenere episcopi frequentes ex Oriente. ex Occidente autem Valens tantum Mursæ episcopus, & Osius Cordubæ, quem Arriani dedita opera ab Imperatore euocandum curarunt, vt grauissimi, & sanctissimi viri auctoritate Nicæni Concilij decreta confringerent. Conuocati vero primum Photinum tanquam cum Paulo sentientem exploserunt, atque ecclesia spoliarunt. deinde Athanasij quoque, & Marcelli damnationem confirmarunt. de qua sic Sulpicius: *Pars episcoporum, quæ Arrium sequebatur, damnationem Athanasij, cupitam accepit, pars coacti metu, & factione in studia partium concesserunt. pauci, quibus fides cara, & veritas potior erat, iniustum iudicium non receperunt. inter quos Paulinus episcopus Treuirorum oblata sibi epistola, ita subscripsisse traditur, se in Photini, atque Marcelli damnationem præbere consensum, de Athanasio non præbere.* Inde aduersus ea, quæ Nicææ, & Sardicæ sancta erant, tres fidei formulas ediderunt, vnam Græce, duas Latine conscriptas. quarum in prima filium patri neque consubstantialem, neque substantia similem nominarunt, verum eos, qui dicerent, cum sine principio esse, & essentiam Dei velut dilatatam illum procreasse, aut patri honore parem, & non inferiorem sentirent, anathemate iugularunt. in altera vero vtrum filius patri consubstantialis esset, an substantia similis, differi vetuerunt. quòd voces illæ in scripturis sanctis non reperirentur, nec facile intelligi possent. præcepere vero, vt omnes confiterentur, patrem filio honore, dignitate, diuinitate, & ipso nomine paterno maiorem esse, filium vero cum ceteris omnibus creaturis patri subiectum esse. quam cum edidissent, tanquam inconsulte scriptam reuocare, sed frustra, conati sunt. tertia in ceteris cum aliis consentiens, nullam substantiæ mentionem habuit, & filium patri similem, omisso substantiæ nomine, dixit. Quibus formulis cum ceteri, tum etiam Osius minis primum, deinde etiam grauibus, vt ferebatur, verberibus adactus assensit. Photinus licet in concilio victus, tamen opinionem suam pòst Græcis, Latinísque commentariis editis tueri non dubitauit. Sequens annus ex factione Magnentij consules habuit Decentium Cæsarem, & Paulum Magnentij ducem. ex parte vero Constantij ipsum Augustum quintum, & Gallum Cęsarem. Eo anno res in Syria gesta est à Gallo cum Iudæis, qui rebellauerant, ita prospere, vt nō eos solum domuerit, sed etiam vrbem 352
eorum Diocæsariam captam solo æquarit. Constantius, contractis demum suis,

& Vetrannionis in vnum copiis, Sirmio Mursam processit, atque ibi aduentu Magnentij in se audito, consedit. Ille vero ex Italia Pannoniam versus egressus, nuncios ad Constantium misit, se in campis, qui ad oppidum Scisciam sunt, sui copiam esse facturum. Quo nuncio erectus Constantius exercitum eò ducere instituit, vt in patente planicie, atque equitatui maxime apta hostem offenderet. verum insidiis à Magnentio ad fauces, quæ Adranis adiacent, circumuentus longius ire non potuit. Qua re elatus Magnentius exercitum in interiorem Pannoniam producere festinauit, cupiens prope Sirmium manum cum hoste conserere. Dum autem ille Sauum amnem ponte, an nauigiis superet, consulit, Philippus à Constantio legatus aduenit, specie, vt de fœdere ageret, re ipsa, vt Magnentij copias, atque illius, & itineris, & belli consilia exploraret. quem ille, concione militum aduocata, iussit legationem exponere. Tum Philippus, Veni, inquit, vt docerem exercitum, non conuenire, vt qui Romanis subiecti essent, aduersus Romanos arma ferrent, præsertim Imperante Constantio Constantini Maximi filio, quo cum multas de barbaris victorias rettulissent; Magnentium vero monerem, vt Constantini memoriam coleret, & eorum beneficiorum, quę ipse cum parentibus suis ab illo accepisset, simulq; postularem, vt Magnentius Italia cederet, & Transalpinas prouincias cum Imperio retineret. Quæ verba vsque adeo Magnentij milites commouerunt, vt ipsum respondere conantem ægre permiserint. dixit tamen se pacem amplecti, ac postridie responsum maturius redditurum. atque ita concione dimissa, ac Philippo retento præfectos exercitus ad conuiuium adhibuit. & quid sui consilij esset, edocuit. Postridie vero, cum milites iterum aduocasset, commemorauit omnia, quæ Constans in eos per temulentiam statuisset, & vt milites non patientes remp. ab eo per scelus, & impudentiam violari, ad se ab illo Imperiũ transtulissent. Quibus dictis vniuersi bellum persequendum esse clamarunt, atq; ad Sauum traiiciendi caussa procedere instituerunt. Hac re cognita, qui in præsidio Sisciæ erãt, quæ in ripa Saui sita est, transitum sibi impediendum putarunt. atque alios è ripa amnis, alios è ponte transcendere conantes telorũ multitudine repulerunt. Cumq; Magnentiani in fugam compulsi de ponte præcipitarentur, atque à Constantianis latissime pellerentur, Magnentius in summum discrimen adductus, hasta humi defixa dextræ nutu significauit hostibus, se de pace agere velle. vbi aures sibi præberi vidit, non Imperatoris iniussu se Sauum traiicere voluisse inquit. Cui Philippus respondit, vt Italia, Noricoq; relicto Illyricum peteret, ac tum demum de fœdere ageret. His acceptis Constantius suos à persequendo reuocauit, & Magnentium in campos Pannoniæ medios prodire permisit, quòd in locis equitatui opportunis cuperet cum illo confligere, cum esset ea parte superior. ad id vero commodissimos esse putauit campos, qui sunt ad Cibalas, in quibus Licinius quoque à Constantino fuerat superatus. Itaque, cum partem exercitus in oppido haberet, vallo inter collem, qui vrbi imminet, & campum, qui Sauum attingit, excitato, quidquid flumine cinctum non erat, muniuit. quod autem flumine claudebatur, id ponte facto ex nauigiis sepsit, ita vt pontem pro arbitrio scindere, atque reficere posset. atque ibi castra oppidi magni similitudinem imitantia posuit. Inde, cum conuiuium principibus exercitus daret, Titianus senator Romanus à Magnentio missus aduenit. qui multis ad contumeliam Constantini, & filiorum eius relatis, Constantium Imperio cedere iussit, si vitam referre incolumem vellet. Quibus verbis licet Constantius grauissime esset offensus, hominem tamen ad suos saluum remisit, quamuis Philippum à Magnentio detentum doleret. Magnentius inde, producto exercitu, Sisciam primo impetu cepit, eamq; deleuit. cumq; regiones omnes Sauo adiacentes emensus esset, maximamq; prædam egisset, Sirmium duxit, vt eam occuparet, verum ab oppidanis, militibusq; in præsidio positis repulsus, propositum tenere non potuit. Itaque Sirmio relicto Mursam est processum, ibiq; acris obsidio instituta. Cum autem oppidani portas clausissent, & in propugnacula distributi oppidum tuerentur, in magnam difficultatem Magnentium adduxerũt, neque machinas, aut tormenta habentem, neque aliam rationem propius ad murum subeundi ineuntem; quòd telis, saxisq; ab iis, qui de pinnis pugnabant, propelle-

pelleretur. Hac re cognita Constantius cum vniuersis copiis opem vrbi laturus accurrit, Cibalis relictis, & vniuersa regione, per quam Drauus amnis labitur. Magnentius interim, castris propius vrbem admotis, ignem portis intulit; verum defensoribus ad restinguendum incendium confluentibus, nihil profecit. vbi vero Constantium sensit aduentare, insidias ei hoc pacto parauit. Erat circus ante vrbem ab omni parte syluis opacus. in eo quattuor Gallorum millia posuit, præcepto dato, vt vbi pugnam commissam vidissent, hostes repente inuaderent. Quod cum ij, qui in muris hærebant, conspexissent, certiorem fecere Constantium. atq; ille, imprudente Magnentio, duces quosdam cum selectissimis ex toto exercitu militibus ad eos delendos immisit. Hi, cum valida manu omnes circi portas obsedissent, in superiorem partem cum alia euecti tela in Magnentianos, qui in circo erant, iacere instituerunt. quorum cum nonnulli, sublatis in capita scutis, ad portas erupturi aduolassent, iis, qui in statione erant, prohibentibus, omnes ictibus telorum superne incidentium ad vnum confecti sunt. Magnentius inde consilio suo lapsus, pugnam ante vrbem cum Constantio omnium grauissimam iniit. multis autem vtrinque cadentibus, prœlium libenter Constantius diremisset, ne viribus Romanorum debilitatis, Imperium incursionibus barbarorum impune pateret. tanto vero ex vtraque parte studio, atque ardore pugnarunt, vt non solum vsq; ad vesperam, sed etiam vsque ad summam noctem dimicando peruenerint, ne tenebris quidem laxationem vllam contentioni præbentibus. ad extremum tamen pars Constantij superior euasit, hostibus in fugam versis, atque XXX millibus interfectis. Ceterum, feruente pugna, Constantius tanto se committere discrimini veritus, in basilica martyrum extra oppidum sita, Valente episcopo in societatem assumpto, versatus est. Valens autem callide per suos disposuerat, vt quis prœlij fuisset euentus, primus edoceretur, vel vt à rege gratiam iniret, si prior bonum nuncium detulisset, vel vt vitæ suæ consuleret, si quid secus accidisset. Ita paucis, qui circa Imperatorem erant, metu exterritis, læsoque Imperatore anxio, primus hostes fugere nunciauit. cum Constantius indicem intromitti iuberet, Valens, vt reuerentiam sibi asciceret, angelum sibi nunciasse respondit. Facilis ad credendum Constantius palam postea dicere est solitus, se Valentis meritis, non virtute exercitus victoriam rettulisse. Hæc Zosimus, & Seuerus. Hac pugna pugnata, Constantius prima luce, cum tumulo conscenso subiectam planiciem, & præterfluentem amnem referta cadáueribus conspexisset, illacrymauit, non tam victoriæ lætitia, quàm cæsorum dolore permotus. atque vniuersos sine discrimine sepeliri, qui vero spirabant, diligenter curari præcepit. Magnentius autem vbi suos in fugam actos concidi vidit, purpura abiecta & ipse fugam iniuit, equo suo regiis insignibus ornato dimisso, vt qui in illum incidissent, regem interfectum credentes, curam sui quærendi omitterent, ac quanta maxima celeritate potuit, in Italiam se recepit, & Ticinum iniuit. Quem Constantij legiones insequutæ, nouum prœlium. sed exitu parum prospero commiserunt. sic enim scribit Victor: *Constantius cum Magnentio apud Mursam in Pannonia dimicans vicit. in quo bello pene nunquam amplius Romanæ consumptæ sunt vires, totiusq́; Imperij fortuna pessundata. Dehinc, cum se Magnentius in Italiam recepisset, apud Ticinum plures fudit incautius, &, vt in victoria solet, audacius persequentes.* Eodem anno Romæ V Idus Septembris præfecturam vrbis iniuit Septimius Mnasea, & VI Kalend. Octobris Neratius Cerealis. Constantius autem in Pannonia remansit, ita vt sequenti anno, ipso VI & Gallo iterum consulibus, III Nonas Martias Sirmij fuerit. 353
quod rescriptum inde datum ostendit. Cum autem Magnentium in Galliam ex Italia se contulisse audisset, & ipse eodem ex Pannonia properauit, bellúmque multo atrocius ibi, quàm in Pannonia, renouauit. Multis prœliis vario vtrinque euentu editis, tandem Magnentius in Lugdunensi prouincia victus se in proximum collem coniecit. Ibi, cum videret, milites suos fractis animis prope de salute desperasse, tribunal ascendens, verbis confirmare conatus est. Cui cum milites acclamare de more vellent, factum est, vt imprudentes, atque inuiti Constantium Augustum pro Magnentio salutarint. Quo omine Magnentius consternatus inde cessit, atque ad Montem Seleucum, id oppidi nomen est, venit.

H

Ibi vero cum esset, legatum ordinis senatorij virum ad Constantium de concordia misit. quem Constantius explorandi caussa venisse ratus, non admisit. deinde episcopi missi, qui peterent, vt sibi pro milite operam nauare liceret. quos item irrito responso dimisit, atque cum exercitu ad eum proficisci contendit, multis ex Magnentij castris ad se transeuntibus. Magnentius, vbi locum non esse veniæ vidit, animo ad bellum conuerso, exercitum, quoquo modo potuit, nouis supplementis adauxit; &, vt Constantium à se alio auerteret, familiarem suum Antiochiam misit, qui Gallum Cæsarem interficeret. qui postea deprehensus pœnas persoluit. Commisso inde nouo ad Montem Seleucum prœlio, Magnentius Lugdunum confugit. Milites, qui fugæ socij fuerunt, cum nullam salutis spem reliquam abscissis, fractisq; rebus viderent, ipsum tradere Constantio decreuerunt. Itaque diuersorio circunsesso, hominem, ne elabatur, custodiunt. Qua re præcepta Magnentius desperatione actus furiosi hominis opera edidit. Nam amicos, & propinquos suos, quos circa se habebat, vita exuit. ac Desiderio fratre lethali vulnere affecto, demum sibi manus intulit, ne viuus Constantio traditus supplicio lentiore cruciaretur. quippe, vt inquit Victor, gladio occulte prouiso, ictum pulsu parietis iuuans latus transfodit, atque, vt erat vasti corporis, vulnere, naribusq;, & ore cruorem effundens, expirauit, mense Imperij quadragesimo secundo, ætatis anno quinquagesimo. Hæc VII Kal. Septembris acta. Decentius Cæsar, cum ad opem ferendam accurreret, cognito illius interitu fasciæ collo implicito vitę modum imposuit. Desiderius ex vulneribus recreatus sese Constantio tradidit. Hanc victoriam vbi Romæ Cerealis præfectus vrbis audiuit, Constantio monumentum cum hac inscriptione locauit: *Restitutori vrbis Romæ, atq; orbis, extinctori pestiferæ tyrannidis D. N. Fl. Iulio Constantio Victori, ac Triumphatori semper Augusto Neratius Cerealis V. C. præfectus vrbi, vice sacra iudicans D. N. M. Q. Eius.* Atque hoc quidem rerum, temporumq; successu Imperium terrarum à Constantino Maximo partum, atque inter filios testamento diuisum, intempestiuo Constantini, & Constantis excessu ad vnum Constantium, qui inter illos ætate medius incedebat, recidit vniuersum.

CAROLI SIGONII HISTORIARVM DE OCCIDENTALI IMPERIO, LIBER VI.

CONSTANTIVS AVGVSTVS.

MAGNENTIO iustissima victoria cum tota illius factione deleto, Constantius Arelate se contulit, ac scenicos, & circenses ludos apparatu maximo edidit. atque inde VI Idus Octobris, qui dies Imperij eius annũ duodetricesimum finiebat, grauiter in omnes animaduertit, quos Magnentio studuisse vel leuis suspicio attigisset. Inde VIII Kal. Decembris ad Cerealem præfectum vrbis scripsit, vt sacrificia nocturna Magnentio auctore permissa aboleret. Interim Arriani post Sirmiense concilium illud auctoritate Constantij contenderunt, vt Occidentales episcopi Athanasij damnationi subscriberent, neq; id obtinere potuerunt, cum Paulinus episcopus oblata, vt diximus, epistola, se Photini, & Marcelli damnationi consensum præbiturũ dixisset, Athanasij vero abnuisset. Itaq; edictum à Constantio elicuerunt, vt qui damnationem Athanasij non probarent, in exilium irent. Quo cognito Catholici cõuentibus apud Arelate, & Biterras coactis petierũt, vt, priusquam in Athanasium subscribere cogerẽtur, de fide disceptarent. Cum autem Valens, & socij eius prius Athanasij damnationem sanciẽdam

eſſe contenderent,ob id Conſtantius epiſcopis Orientalibus,& Occidentalibus in inſequentem annum cõcilium Mediolanum,vbi & ipſe affuturus erat,indixit. Romæ pridie Idus Aprilis Iulius pontifex obiit. poſt dies viginti quinq; Liberius diaconus ſubrogatus eſt. VI Idus Decembris Vitraſius Orfitus præfecturam vrbis iniuit, ac ſtatim graui ſeditione propter ſummam vini inopiam conflictatus eſt. In Oriente Gallus Cæſar generis ſuperbia elatus,atq; inſolentia ætatis prouectus, Antiochiæ tetra,ac nefanda facinora eſt aggreſſus,cum ſua ſponte,tũ à Conſtantina coniuge ſtimulatus.iniuſtæ cædes,bonorũ publicationes,exilia,ac deniq; iudicia prorſus ſublata memorabantur.dimiſſi etiam ignoti per vrbem homines,qui quæ de illo iactarentur,exciperent, aut falſa referebant,aut vera in maius ornabãt,aut certe belli præconia reticebant. Quin etiam ipſe noctu cum paucis clam ferro ſuccinctus,per tabernas,& compita vagari inſtituit,Græco ſermone quærens,quid homines de Cæſare Gallo ſentirent. Itaq; Thalaſſius tum præfectus prætorio, cum neq; obiurgatione, neq; monitione ipſum ab eiuſmodi deterrere ſtudio potuiſſet, omnia ad Conſtantium ſcripſit. Quare Gallus exaſperatus,liberius inde,atq; audacius libidini ſuæ indulſit, duces etiam aliquot oppreſſurus, niſi Honoratus Comes Orientis pertinaciter obſtitiſſet.Ludicris cruentis,licet vetitis, operam dedit. profecturus Hieropolim, vt expeditioni ſpecie tenus adeſſet, plebi Antiochenæ inediæ metum à ſe deprecãti nihil ex finitimis præberi prouinciis ſtatuit, ſed Conſularem Syriæ Theophilum ei dedit, dicens, inuito rectore neminẽ victu egere poſſe. Qua voce plebs animata, ædes eius incendit, & Theophilum pugnis, ac calcibus inceſſens, prope exanguem reliquit. Quibus rebus ſubinde auditis Conſtantius blande ad Gallum ſcripſit, ac ſenſim adiumenta furoris illi ſubtraxit, ſoliſq; ſcholis Palatinis eſſe cõtentum iuſſit.& Domitiano ex Comite largitionum præfecto mandauit, vt in Syriam profectus,Gallum ad properãdum in Italiam hortaretur. Ille vero Antiochiam progreſſus, contempto Cæſare,ad prætorium cum ſolemni pompa perrexit.ac tandem in conſiſtorium veniẽs inconſulte,ac leuiter Gallo,vt abiret,Conſtantij iuſſu præcepit. Qua ille indignitate accenſus,protectoribus fidis mandauit, vt Domitianum cuſtodirent. Hac re cognita Montius quæſtor aduocatos primos Palatinarum ſcholarum alloquutus, iram mollire quidem, ſed obiurgatoria voce inſtituit. Quare Gallus quamplurimos potuit, quaſi ad ſalutem ſuam defendẽdam adeſſe contra Montium aſpere in ſe inuectum, orauit. Itaque adorti Montium, vinctum in prætorium adduxerunt, & Domitianum præcipitem per ſcalas egerũt. atque inde ambos coniunctos per vrbem traxerunt, ac lacerata corpora in flumen denique proiecerunt.

Conſtantius inde, ſe ſeptimum, & Gallo Cæſare tertium conſulibus, Arelate 354
Viennam perrexit, vt Gundomado, & Vadomario fratribus, Alemanorum regibus, obuiam iret, qui infeſtis incurſionibus proximos Rheni limites diuexabant. Dum autem ibi moratur, militares ex Aquitania commeatus expectans, qui propter ſæuientes ex aſſiduis imbribus amnes,venire non poterant,certiora de omnibus Galli actionibus comperit,ac tumultu militari, quem tarditas ſubuectionis effecerat,auro ducibus diſtributo,ſedato,caſtra inde mouit,atq; Rauracum ad Rhenum acceſſit. Ibi cum pontem ex nauibus facere inſtituiſſet,telis hoſtium ex vlteriore ripa inceſſentium prohibitus, deſtitit. Inde alio loco ab indice de vado admonitus, per noctem inchoauit, ſed hoſtes commonefacti primum ad impediendum accurrerunt, inde auſpiciis deterriti, bello omiſſo, pacem petierunt. Qua data, Conſtantius in Italiam ſe recepit,ac Mediolani ſubſedit,ac Gallum cum vxore Conſtantina, punire vtrumque cupiens, ad ſe vocauit. Gallus, cum à principio, tum proxime, amiſſa vxore in Bithynia, firmo ſubſidio deſtitutus, quid ſibi facto opus eſſet,addubitauit. verum nouis litteris à Conſtantio ad tuendam ſecum rempublicam inuitatus,primũ Conſtantinopolim, deinde Hadrianopolim, poſtremo Prætouionem in Noricum adiit. eò vero vbi aduenit, Barbatio Comes cum Apodemio Agente in rebus Palatium extra muros armatorum corona circundedit. ingreſſuſq;,obſcuro iam die,ablatis regiis indumentis,ipſum tunica,& paludamento communi amicit, identidem mãdato Conſtantij iurans, eum nihil detrimenti paſ-

ſurum. Inde carpento priuato impoſitum in Iſtriam duxit, prope Polam oppidum, vbi Criſpum Cæſarem diximus interemptum. Ibi cum aſſeruaretur, Euſebius cubiculi præpoſitus, Pentadius notarius, & Mellobaudes armaturarum tribunus acceſſerunt, ac iuſſu Conſtantij cauſſam dicere iuſſerunt, quamobrem quenq; apud Antiochiam occidiſſet. quibus ille nihil aliud reſpondit, niſi pleroſque ſe inſtinctu Conſtantinæ necaſſe. Qua re audita Conſtantius eum capitali ſupplicio condemnauit. Ita Gallus, reuinctis poſt tergum manibus, tanquam latro, capite truncatus eſt, anno ætatis nono, & viceſimo, Imperij quarto. cuius rei nuncium Mediolanum Apodemius detulit. Interim miniſtri Galli ex Oriente ducti, Aquileiam venerunt, ac diuerſis pro meritis pœnis affecti ſunt. Quin etiam alij è Pannonia ſecunda, & Sirmio ob improbatum præſentis temporis in conuiuio ſtatum Mediolanum adducti, pœnas dederunt. Conſtantius autem aduerſus Lentienſes Alemanicos pagos progreſſus, qui in limites Romanos irruperant, vbi in Rhætiam, camposque Caninos venit, Arbetionem magiſtrum equitum cum meliore exercitus parte ad margines lacus Brigantiæ relegendos miſit. Arbetio profectus, atque in inſidias hoſtium lapſus, vix noctis ſuperuenientis præſidio incolumis cum ſuis euaſit. ac prima luce, redintegratis viribus, in certamen progreſſus, iterum male pugnauit, multis militum millibus, ac decem tribunis amiſſis. Qua re elati Alemani, in Romanorum caſtra ferocius incurrentes, ex rei indignitate Scutarios cum omnibus ſuis exciuerunt. qui illos adorti, non iuſto prœlio, ſed prædatoriis diſcurſionibus in fugam vniuerſos egerunt. atque hac victoria parta, Conſtantius
355 Mediolanum in hiberna receſſit. Arbetione inde, & Lolliano conſulatum, Dometio Leontio præfecturam vrbis, gerentibus, in Gallia Syluanus tyrannidem eodem tempore & inuaſit, & perdidit. Hic, cum Galliæ à Germanis aſſiduis rapinis, atque incendiis vexarentur, peditum magiſter ad ea mala prohibenda miſſus, egregie ſe gerere cum cœpiſſet, multorum in ſe inuidiam concitauit. Ob eam rem Dynamius præfectus, vt ipſum euerteret, inſidias ei parauit. quippe litteras eius commendatitias ad amicos quoſdam nactus, eas incolumi ſubſcriptione deleuit, atque hanc ſententiam repoſuit: Rogare amicos agentes intra palatium, vt ſe altiora molientem, ac propediem ſolium principis aditurum iuuarent. litteris vero prolatis, idem Dynamius præfectus eſt, vt hæc pro Imperatore inquireret. Ita conſiſtorio habito, omnes, quos ille nominauit, comprehenduntur, & cum litteris ad eum euocandum Apodemius mittitur, qui nullis redditis litteris, in Gallia ſubſtitit. Interim Dynamius alias his conſentientes confinxit nomine Syluani, & Malarichi ad tribunum fabricæ Cremonenſis. à quibus vt conſcius monebatur, parare propere cuncta. qui lectis litteris non intelligens, quid id rei eſſet, litteras ad Malarichum miſit, obſecrans, vt diceret aperte, quæ vellet. Malarichus ſuam, & Syluani vicem ſolicitus, adhibitis Francis, quorum magna in Palatio multitudo florebat, erectius loqui in apertis inſidiis cœpit. Cum autem Conſtantius rem cognoſci iuſſiſſet, Florentius agens pro magiſtro officiorum, animaduerſis in litteris priorum verborum lituris, rem aliter eſſe, quàm dictarat Syluanus, Conſtantium docuit. Ea de cauſſa Dynamius in tormentis eſt habitus, ſed tamen abſolutus conſpiratione multorum. His rebus cognitis, Syluanus veritus, ne propter mollem Conſtantij animum abſens damnaretur, Francis magna mercede ad ſe adductis, Agrippinæ inſignia Auguſtalia ſumpſit. Ea res eodem die, inclinante ſole, nunciata Mediolanum eſt, Syluanum magiſtrum peditum ſolicitato exercitu ad Imperiale culmen euectum. conſilióque ſtatim in regiam ſecunda vigilia conuocato, Conſtantius nuncium ad eum miſit, vt accepto Vrſicino ſucceſſore, cum poteſtate intacta rediret. credebat enim, Syluanum neſcire, ea ſibi nota eſſe, quæ geſſerat. Vrſicinus licet magna feſtinatione vſus eſſet, tamen famam rerum Agrippinam præceſſiſſe inuenit. Itaque, cum nihil palam tentaret, comiter à Syluano exceptus eſt. Poſtridie vero Bracati, & Cornuti (ordinum militarium hæc nomina erant) clam ab Vrſicino ſolicitati prima luce in regiam irrumpunt, ac Syluanum extractum ædicula, in quam exanimatus confugerat, multis ictibus confodiunt. Antequam hoc ageretur, Romæ

popu-

populus in Circo repente exclamauit, Syluanum esse deuictum. Oppresso Syluano, in socios cōiurationis eius animaduersum. Constantius, omnibus seditionibus ciuilibus ex sententia extinctis, eò magis insolentia est euectus, assentatoribus eum ita inflantibus, vt ferri nequiret, cum de se magnifice prædicaret.

Interim episcopi conuenere Mediolanum, sed ex Oriente propter itineris longitudinem pauci, ex Occidente amplius trecenti. Conuentu in Dominico constituto, illud à Valente, & Vrsacio, qui præcipue aderant, & se iampridem Arrianis reddiderant, ante omnia postulatum est, vt Catholici Athanasij damnationi subscriberent, & communionem cum Arrianis inirent. Qua re audita Eusebius Vercellarum, Paulinus Treuirorum, Hilarius Pictauorum, & Lucifer Caralis Sardiniæ episcopi, qui constantes in fidei Nicænæ defensione manebant, responderunt, prius de sacerdotum fide agi oportere; compertum sibi esse, quosdam ex iis, qui adessent, hæretica labe pollutos esse. quamobrem æquum censere, vt antè omnes fidem suam scripto exponerent. Qua sententia dicta, Dionysius Mediolani episcopus tabulas statim arripuit, ac scribere fidem suam instituit. Quod ne faceret, Valens, & Vrsacius infensi, calamo, & charta ex manibus extorta, prohibuerunt. ac mox, cum clamore ex omni parte orto, populi iudicium, ad quod deduci res videbatur, timerent, conuentum è Dominico in Palatium transtulerunt. Illinc epistolam Constantij nomine emittunt omni prauitate refertam, eo consilio, vt si eam æquis auribus populus accepisset, qui Catholicam fidem egregie conseruabat, capita publica auctoritate proferrent. sin minus, omnis in Constantio culpa hæreret, sed ea venia digna, quia etiam tum catechumenus sacramentum fidei merito videretur potuisse nescire. Ibi Catholici à Constantio iussi, vt postulata perficerent, haudquaquam se facturos dixerunt, quòd ab ecclesiasticis alienum legibus foret. Quibus Constantius, Atqui mea mandata pro lege habenda sunt, inquit. aut obtemperate igitur, aut in exilium ite. Tum illi, Atqui regnum tuum non est, sed Dei, qui tradidit. vide autem etiam, atque etiam, ne qui dedit, eripiat. atque extremi iudicij memor, caue, ne morem ecclesiasticum soluas, atque Imperium in Ecclesiasticas constitutiones inducas. Quibus verbis Constantius exacerbatus, ipsos plura dicere inhibuit, atque in exilium abire præcepit. Illi vero læti, quòd veritatem non prodidissent, puluere excusso, atq; oculis in Deum conuersis, abierunt. Rhodanius quoque, & Dosanus antistes, quia natura lenior, non tam suis viribus, quàm Hilarij societate, non cesserat Arrianis, eadem calamitate oppressi sunt. cum tamen parati essent, Athanasium à communione suspendere, modo de fide inter episcopos quæreretur. His pulsis, Arriani inde se in Liberium Romæ pontificem alacres intulerunt, nulla, vt inquit Athanasius, verecundia ducti, vel quòd illa sedes apostolica esset, vel quòd Roma caput Imperij existeret, vel quòd episcopos Romanos apostolicos viros in suis litteris appellassent. atque Constantium, vt ipsum ad se traduceret, induxerunt. Eusebius eunuchus propere ab illo Romam cum litteris, & muneribus huius officij gratia missus est. is profectus Liberium primum mitibus verbis hortatus est, vt contra Athanasium subscriberet, & cum Arrianis communionem iniret, deinde oblatis donis rogare cœpit, vt hanc Constantio veniam daret. Liberius facere se posse negauit, vt eum damnaret, qui à duobus Conciliis insons iudicatus, & à Romana ecclesia cum pace dimissus fuisset. neque enim vllum eiusmodi à beato Petro traditum institutum habere. quòd si Constantius scripta pro Athanasio deleri vellet, etiam quæ aduersus eum essent, obrueret. ac rursus Ecclesiæ conuentus longe à Palatio haberetur, in quo neque Imperator, neque Comes, neque Iudex minabundus assisteret, sed sola apostolorum institutio seruaretur. ac fide ex Nicæni Concilij sententia constituta Arriani eiicerentur. neq; enim locum in conuentu Ecclesiæ hæreticis patere, neque fas esse, prius de criminibus alicuius, quàm de fide, & religione, tractari. His verbis eunuchus anxius, minis multis editis, cum muneribus abiit, eaq; in S. Petri basilica consecrauit. Quod vbi Liberius comperit, æditum grauiter, quòd impedimentum non attulisset, increpuit, atq; in basilicam profectus, dona illa, tanquam execranda, proiecit. His de rebus Constantius ab eunucho cer-

tior factus, ira tumidus eunuchos, & Palatinos, & Comites Romam ire mandauit, litterasq; ad vrbis præfectum scripsit, vt Liberium ad Comitatum suum aut dolo, aut vi mitteret. Eis Romam progressis, ingens in vrbe tumultus est excitatus, omnibus, qui secus sentirent, insidias sibi ab Arrianis imminere timentibus. O rem non solum dictu, sed etiam auditu fœdissimam. Eunuchis hæresim Arrianam fouentibus, atque in templis Romæ sedentibus pontifex Romanus, quia ab illa sententia esset auersus, iussu Constantij Imperatoris, filij Constantini Maximi, Arrianæ factionis inimicissimi, capitur, & tanquam nefarij sceleris reus, Mediolanum adducitur. Ille vero salutem suam Christi honori sic, maiorum suorum exemplo, posthabuit, vt coram Constantio positus eandem in dicendo constantiam retinuerit, qua vsus cum Eusebio fuerat. siquidem ita dixit: Desine Constanti Catholicos insectari, atq; hæreticam impietatem in Ecclesiam introducere per me absiste. ego enim omnia supplicia prius subire paratus sum, quàm vt Arrianus appeller. Hæc ex Athanasio, Hilario, & Sulpicio ad concilium Mediolanense pertinentia sumpsimus. Theodoritus autem longius de Fide colloquium Liberij cum Constantio habitum refert. quod legere est operæ precium. Hoc sermone absoluto, Constantius efferatus Liberium quoque Beroeam in Thraciam relegauit, eumq; abeuntem quingentis aureis nummis munerauit. quos magno animo Liberius respuit, inquiens: Dato hos assentatoribus tuis, qui te deprauarunt, & à patris tui viri sanctissimi imitatione deterruerunt. mihi namq; Christus patri consubstantialis largitor non deerit. His omnibus in exilium fidei caussa profectis, statim successores suffecti sunt, Liberio Romæ Felix archidiaconus, Dionysio Mediolani Auxentius Cappadox, itemque aliis alij. Felicem autem, quia contra sacramentum sedem illam inierat, Auxentium, quia Arrianæ addictus perfidiæ erat, populus auersatus est. Ab hoc tempore Italia, quæ adhuc intacta ab Arriana labe fuerat, sensim corrumpi est cœpta. Episcopi vero exules summis omnium prouinciarum studiis celebrati, pecuniis in sumptum abunde donati, ac legationibus plebis Catholicæ in omnibus partibus culti prope quotidie in ipsa calamitate de aduersariis triumpharunt. His actis Constantius audiens, Gallias assiduis adhuc Germanorum incursionibus afflictari, quòd putaret, haud satis tutum esse, se Italia cedere, Iulianum Galli fratrem, Cæsarem sibi statuit adiungere, qui nuper palliatus ex Græcia venerat, iuuenem bonarum studio litterarum, ac Christianæ tum pietatis laude florentem. Itaque VIII Idus Decembris aduocatis militibus, tribunal ascendens, & Iulianum dextra tenens, ita dicere instituit: Neminem vestrum latere arbitror, post extinctos tyrannos mihi barbaros insolentius insultare, quòd in remotissimis terris alienis negotiis illigatus sim. huic ego malo illud remedij excogitaui, vt Iulianum fratrem patruelem meum spectatæ modestiæ, atque industriæ iuuenem Cæsarem dicam, si vos expedire reipubl. censueritis. Silentio inde omnium consequuto, Iulianum purpura induit, ac secundis clamoribus fauente concione Cæsarem appellauit. eúmque sibi laborum, periculorumq; adesse socium iussit. atque ei mox Galliarum tutelam commisit. Quæ omnia milites horrendo fragore scuta genibus illidentes præter paucos approbauere. Inde post paucos dies ad firmandam fidem Helenam sororem illi matrimonio copulauit. Quibus rebus actis, Iulianus Kalend. Decembris Mediolano egressus est, atque vsque ad locum duabus columnis insignem, qui est inter Laumellum, & Ticinum, à Constantio deductus, recta inde Taurinũ contendit. vbi Agrippinam vrbem pertinaci Germanorum obsidione captam, atque deletam accepit. Viennam inde progressus magno ab omnibus honore exceptus vrbem iniuit. tunc anus quædam capta luminibus, cum percontando, quinam esset ingressus, Iulianum Cæsarem comperisset, exclamauit, hunc deorum templa reparaturum. Quod verũ vaticinium fuisse, rei euentus probauit. siquidem is, sacris Christianis relictis, post sese ad deorum gentilium cultum recepit. Viennæ inde hiberna agens à Constantio VIII consule collega as-
356 ciscitur, Vitrasio Orfito secunda vrbis præfectura mandatur. Eo anno ineunte vere Germani Augustodunum muris inualidis oppidum, torpente ad defensionem præsidio, inuaserunt. verũ, veteranis propere accurrẽtibus, statim exire coacti sunt.

Quod

Quod vbi Iulianus accepit, VIII Kal. Iulias exercitum Augustodunum adduxit, vt inde Germanos adoriretur. Itaq; egressus, adhibitis cataphractis solis, & balistariis, Antisiodorum peruenit. inde, recreatis militibus, ad Tricassinos iter intendit, atque hostibus in se irruentibus egregie vindicatis, Tricassas inopinatus iniuit. Inde, Rhemos nihil prolatandum existimans, tendit, vbi conuocatum Vesontione exercitum semet iusserat operiri, cui præerat Marcellus, & Vrsicinus. Ibi cum placuisset, per Decempagos Alemanorum plebem inuadere, iter die nubiloso ingressus, parum abfuit, quin magnum detrimentū acceperit. nam hostes legiones duas post terga sua adorti, pene delessent, nisi socij auxilio subito accurrissent. Audiens inde Alemanos Argentoratum, Brotomagum, Tabernas, Salisona, Nemetas, Vangionas, & Maguntiacum possidentes eorum agros incolere, oppida vero, vt circundata retibus lustra, vitare, primum omnium Brotomagum occupauit, atque accurrentem Germanorum manum acri prœlio edito ita fregit, vt qui superfuerunt, fuga sibi salutem quæsiuerint. Inde Agrippinam cum venisset, nullo negotio recuperauit. neq; inde ante discessit, quàm Franci, furore mitescente, perterriti pacem firmarunt. Quibus rebus actis inde per Treuiros ad Senonum oppidum in hiberna discessit. Hæc auctore Ammiano tradidimus Ceterum prœlium aliud apud Vangionas commissum esse inuenio apud Seuerum, vbi de S. Martino Sabariensi militarem tum operam Cæsari Iuliano nauante loquitur. *Irruentibus*, inquit, *intra Gallias barbaris, Iulianus Cæsar, coacto in vnum exercitu, apud Vangionum ciuitatem donatiuū cœpit erogare militibus. vt est consuetudinis, singuli citabantur, donec ad Martinum ventum est. Tum vero opportunum tempus existimans, quo peteret missionem (neque enim integrum sibi fore arbitrabatur, si donatiuum non militaturus acciperet.) Hactenus, inquit ad Cæsarem, militaui tibi. patere, vt nunc militē Deo. Donatiuū tuum militaturus accipiat. Christi ego miles sum. pugnare mihi non licet. Tum vero aduersus hanc vocē tyrannus infremuit, dicens, eum metu pugnæ, quæ postero die erat futura, non religionis gratia, detrectare militiā. At Martinus intrepidus, immo illato sibi terrore constantior, si hoc, inquit, ignauiæ ascribitur, non fidei, crastina die ante aciem inermis adstabo, & in nomine Domini Iesu, signo crucis, non clypeo protectus, aut galea hostiū cuneos penetrabo securus. Retrudi ergo in custodiam iubetur, facturus fidem dictis, vt inermis barbaris obiiceretur. Postera die hostes legatos de pace miserūt, sua omnia, seq; dedentes.* Dum autem Iulianus in oppido Senonū fuit, Germani, cum ex perfugis cognouissent, nec Scutarios, nec Gentiles in castris adesse, oppidū aggrediuntur. verum Iuliano strenue semet, atque oppidum defendente, pòst tricesimum diem conatu irrito discesserunt. Marcellus magister equitum infamia flagrauit, quòd neq; Cæsari, neq; ciuitati periclitanti subuenerit. qua re cognita Constantius eum dimisit. Interim Constantium Romā visendi, ac triumphi agendi cupido incessit, quo populo Rom. pacato, vt rarum, sic visendum magnificentissimæ pompæ spectaculū ostentaret. Itaq; post VIII Idus Martias (nam eo die Mediolani rescripsit) secunda Orfiti præfectura, via Flaminia iter ingressus magnis stipatus agminibus, Ocriculos omnibus admirādus aduenit. vbi vero ad vrbem accessit, mirari singula occurrentia oculis cœpit. ac senatū quidem, & patricios spectans, asylū totius mundi adesse existimabat, plebem vero intuens, quidquid esset hominum, Romā confluxisse putabat. Pręeuntibus inde signis aureo carpento solus insidens, ac micanti gemmarum splendore longe, lateq; fulgens iniuit. aderat vtrinq; ordo geminus armatorum clypeatus, atq; cristatus, nitidis loricis indutus, nec non equites clibanarij thoracum tegminibus septi, & limbis ferreis cincti. ipse vero faustis populi vocibus Augustus salutatus, alto vocū simul, lituorumq; fragore cohorruit, atq; immobilem se, qualis in prouinciis visebatur, exhibuit. nam & corpus perhumile curuabat, portas celsas subiens, & velut collo munito rectam aciem luminum tendens, nec dextra, nec læua vultū flectebat, nec spuens, aut os, aut nasum tergēs, vel fricans, manumve mouens. Postquam in forum venit, primum ipsius fori claritate, deinde, quocunque se oculi intulerunt, miraculorum crebritate obstupuit. Nobilitatem in curia, populum pro tribunali cum appellasset, inde in Palatium ingenti omniū fauore receptus est. Sequētibus diebus cum equestres ederet ludos dicacitate plebis oblectatus est, haudquaquam à libertate insita desciscentis.

Lustrans inde vrbem quidquid primum videbat, id inter omnia eminere putabat; Iouis Capitolini templum, Thermas, Amphitheatrum, Pantheon, Forumque Pacis, & Pompeij theatrum, & Odeum, & Stadium, aliaq; insignia vrbis Romanæ ornamenta. Cum ad Forum Traiani venisset, singularem in terris structuram est admiratus. omni vero spe eiusmodi quidquam conandi abiecta; Traiani equum locatum in atrij medio, qui ipsum principem vehebat, imitari se velle, & posse dixit. cui prope astans regalis Hormisda, homo Persa, Antè, inquit, Imperator, stabulum tale condi iubeto, si vales. equus, quem fabricare constituis, ita late succedat, vt iste, quem videmus. Idem rogatus, quid de Roma sentiret, id tantum sibi displicuisse respondit, quòd didicisset, ibi quoque homines mori. Multis demum cum stupore visis, de fama conquestus est; quòd ornans omnia semper in maius, in iis, quæ Romæ essent, explicandis obsoletior esset. Vt autem aduentum suum aliquo insignem monumento relinqueret, ceteris vrbis ornamentis addere statuit in proximo circo obeliscum. Post Liberij pontificis exilium, Felix, qui in eius locum successerat, licet Nicæna in fide constanter permanserat, tamen cum aduersariis quoque communionem habuerat. Qua de caussa Romanorum nemo ecclesiam, illo præsente, inire voluerat. Hoc autem tempore matronæ Romanæ mirifico Liberij studio incitatæ, permittentibus viris suis, Constantium adierunt, eumque summis precibus obtestatæ sunt, vt ciuitati pastore orbatæ, atque insidiis luporum obiectæ Liberium restitueret. quibus ille respondit, Liberio non esse opus, cum Felix adesset. cumque ab iis accepisset, Felicem omnibus non esse probatum, se illis permittere dixit, vt Liberium haberent, qui partem alteram regeret. Quod edictum in circo recitatum populus ioco elusit, atque vnum Deum, vnum Christum, vnum episcopum esse clamauit. Demum consilio cum episcopis, qui secum erant, communicato decreuit eum reuocare, si cum suis episcopis consentiret. Quamquam autem Constantius Romæ diutius esse cupiebat, audiens tamen, Sueuos Rhætias incursare, Quadosque Valeriam, & Sarmatas superiorem Mœsiam, & secundam populari Pannoniam, tricesimo, postquam ingressus est, die IIII kal. Iunias ab vrbe profectus, per Tridentinum saltum in Illyricum properauit, ac misso in locum Marcelli Seuero, ad se Vrsicinum vocauit. eumque cum ad se Sirmium venisset, in
357 Orientem cum dignitate magisterij misit. At Iulianus, exacta apud Senonas hieme, Constantio nonum, seque iterum consulibus, tumultibus Germanicis excitus, Rhemos contendit, lætus, quòd exercitum regebat Seuerus. cui se ex altera parte adiunxit Barbatio, qui post Syluani interitum promotus ad magisterium peditum, ex Italia cum XXV millibus armatorum Rauracum venit. Quo facto decretum est, vt sæuientes solito vehementius Alemani à duobus Romanorũ exercitibus compulsi in angustias cæderentur. Quæ consilia dum coquuntur, illi occulte inter bina castra transgressi, Lugdunum inuasere, & cum clausis portis ingredi nequiuissent, suburbanis omnibus peruastatis, abiere. Qua re cognita Iulianus tribus itineribus, quibus hostes regredi posse comperiebat, magna militum manu insessis, recepta præda, omnes oppressit, præter eos, qui per vallum Barbationis transiuere. Per eosdem dies exercituum Rom. aduentu territi hostes, qui cis Rhenum consederant, alij difficiles vias, cæsis ingentibus arboribus, obsepserunt, alij insulis, quæ in Rheno sunt, occupatis, Romanos appetiuerunt. Quibus Iulianus permotus, ad corripiendos aliquot septem naues à Barbatione petiuit, ex iis, quas ad conficiendos parauerant pontes, qui, ne quid à se impetraretur, omnes incendit. doctus inde ab exploratoribus modo captis amnem, æstate iam adulta, transiri posse, Canutorum tribunum Bainobaudem cum delecta militum manu misit, qui modo per breuia incedentes, modo scuta in modum alueorum supponentes, nando ad proximam insulam accessere, ac tanquam pecudes sine vllo sexus, ætatisve discrimine omnes strauere. atque inde præda onusti incolumes rediere. Qua re animaduersa Germani, relictis insulis, bona omnia trans fluuium contulerunt. Inde Iulianus Tres tabernas ab hostibus dirutas restituit. quo loco munito, satis constabat, Germanos ab intimis Galliis adeundis facile prohiberi. Dum ille huic operi intentus studet, Germani Barbationem cum exercitu, cui

præerat,

præerat, aggressi, fugientem Rauracos vsque persequuti sunt, & rapta sarcinarum, & iumentorum calonibus parte maxima, ad sua se rettulerunt. ac Barbatio, tanquã expeditione prospero euentu confecta, milite in hiberna dimisso, ad Constantium rediit, Iulianum conficto crimine obruturus. Qua re cognita Alemanorum reges Chonodamarius, & Vestralpus, & alij, collatis in vnum viribus, ad Argentoratum oppidum consederunt. quin etiam perfugæ verbis impulsi, qui armatorum tantum tredecim millia cum Iuliano remansisse docebat, missis ad Iulianum legatis, mandarunt, vt agris abscederet virtute, & ferro sibi quæsitis. qui ira incensus, legatos vsque ad perfectum castrorum opus retinuit. inde Argentoratum aduersus eos copias, quas habebat, eduxit pedestres, atque equestres, inter quas cataphracti, & sagittarij, genus armatorum formidabile, versabantur. Et quoniam à loco, vnde Romana promota sunt signa, vnum & viginti millia passuum vsque ad castra hostium aberant, rationibus eorum consulens, ab impetu reuocauit. atque eos officij, & quid ipse animo moliretur, edocuit, hortans, vt pugnandi ardorem in posterum continerent, quo integrum diei spacium ad confligendum haberent. nam si illo die, vergente iam in occasum sole, in aciem descendissent, prœlium in noctem esse cum maximo eorum detrimento incursurum. Verum milites prœliandi cupiditate flagrãtes, ipsum vltra loqui non permiserunt, ac dentibus infrendẽtes, atq; hastis scuta illidentes, in hostem se duci iam conspicuum obsecrarunt. Quibus vt obsequeretur Iulianus, Florentij præfecti prætorio effecit auctoritas, seditionis militaris, nisi præsenti eius cupiditati pareretur, periculum proponentis. Itaq; tanta exercitus contentione victus, castra ad collem promouit molliter editum, opertum segetibus iam maturis, non longe à Rheno distantem è cuius vertice speculatores tres ad hostes accurrerunt, Romanum adesse exercitũ nunciantes. vnus vero pedes, qui sequi non potuit, captus à Romanis rettulit, Germanos per triduum, & trinoctium flumen transisse. Quos vbi aciem struere ad capessendum prœlium vidit Iulianus, & ipse suos instruxit, Seuero cornu sinistro tributo, ac benigne omnes virtutis, atq; officij sui admonuit. Quo facto, tum signum pugnæ ter solemni æneatorum occentu vtrinq; datum est. atq; vtrinq; magnis viribus, maioribusq; animis est concursum. Germani tela dextris iaculantes, equitatum Romanum inuasere. cornu vero sinistro hostes acerrime sustinente, qui in dextro erant præter spem incondite recesserunt. verum dum primi fugientiũ postremos impediunt, gremio legionum excepti, fixo gradu prœlium integrarunt, ab occurrẽte Iuliano coërciti. Pulsis equitibus, Germani primam aciem peditum incesserunt, quos Cornuti, & Bracati fortissime exceperunt. paribusq; diu momentis pugnatũ est. quibus se Bataui adiunxerunt. ardente vero prœlio, ac multis vtrinq; cadentibus, exiluit subito ardens optimatiũ globus, inter quos & reges erant, ac sequente vulgo agmina Romanorũ perrupit, & iter sibi aperiendo vsq; ad primanam legionem in medio locatam, quæ castra prætoria dicitur, penetrauit. ibi pugna flagrantiore studio repetita, Alemani strati, tandem se fugæ mandare coacti sunt. atq; ad flumen compulsi, sese in illud abiecerunt, magnaq; ex parte submersi sunt. Chonodamarius rex in collem vicinum euasit, atq; ibi à cohorte Romana obsessus, vltro se dedidit. miles Romanus, exacto iam die, occinente liticine reuocatus, prope ripas Rheni tetendit, corporaq; curauit. Iulianus acclamatione concordi totius exercitus Augustus appellatus, eum honorem increpito milite iureiurando repudiauit. Chonodamarius adductus, primũ se inclinauit. deinde humi suppliciter fusus, veniã petiit, ac bono esse animo iussus est. Inde ductus ad comitatum Imperatoris, missusq; exinde Romam, morbo veterni consumptus est. Hanc victoriam audiens Constantius, vt erat leuis animi, & gloriosi, suis auspiciis, & sua virtute partam iactauit. idq; cum laureatis litteris ad prouinciarum signa deferri præcepit. Iulianus cadauera promiscue mandari sepulturæ iussit, dimissisq; legatis, quos ante pugnam retinuerat, ad Tres tabernas reuertit, atque inde cum captiuis omnibus prædam Mediomatricos seruandam misit, & ponte compacto, Rhenum traiecit. atque hostilem terram inuasit. agroque eorum incenso, cum ad pugnam non prouocaret, munimentum, quod à Traiano constructum ipsi euerterant, reparauit, ac præsidio, & commea-

tu instruxit. Ita tres reges ex iis, qui victis apud Argentoratum auxilia miserant, iurantes conceptis ritu patrio verbis se nihil moturos, cum fœdus petissent, per decem menses obtinuerunt. Seuerus magister equitum Rhemos per Agrippinam, & Iuliacum petẽs, Francos vacua præsidia vastantes, offendit, qui metu iam reuersi exercitus munimentis duobus, quæ olim exinanita sunt, occupatis, se tuebantur. Quod audiens Iulianus, Castellum oppidum, quod Mosa fluuius lambit, circunsedit, idque per Decembrem, & Ianuarium mensem fecit. veritusque ne hostes, obseruata nocte illuni, conglaciatum amnem peruaderent, quotidie à sole in vesperam verso vsq; ad lucis principium lusoriis nauibus discurrentes flumen vltro, citroque milites disposuit, qui crustas pruinarum diffringerent, ne quis erumperet. atque ita inedia, vigiliis, & desperatione ad deditionem adegit, eosque ad comitatum Augusti misit, atque Parisios in hiberna discessit. Interim Romæ, administrante secundam adhuc Orfito præfecturam, Obeliscus iussu Constantij magna mole in circo maximo est erectus. quem Ammianus ita describit: *Asperrimus lapis in figuram metæ cuiusdam sensim ad proceritatem consurgens excelsam, vtq; radium imitetur, gracilescens paulisper specie quadrata in verticem productus angustum, manu leuigatus artificis. formarum autem innumeras notas, hieroglyphicas appellatas, quas ei vndique videmus incisas initialis sapientiæ vetus insigniuit auctoritas.* Interim Sapor litteras ad Constantium scripsit, ab eo Armeniam cum Mesopotamia poscens. Quarum cum vtramque negasset, duces, qui illi irrumpenti resisterent, obuiam misit. Ipse vero
358 hiberna apud Sirmium Latiano & Cereali consulibus agens, comperto, Sarmatas, & Quados Pannonias, Mœsiamque alteram incursare, vere primo Istrum transgressus, agros Sarmatarum est populatus. Inde Sarmatas, Quadosque prohibere conantes aggressus, strage magna facta, in fugam compulit in ea parte Sarmatiæ, quæ secundam Pannoniam, Valeriamque spectauit, atque inde in Quados irrupit. Qua re perterrefacti Quadi, ad Constantium venerunt, atque ad pedes prolapsi, cum supplices pacem petissent, obtinuerunt. Quin etiam Zizais regalis, cum ordines Sarmatarum ad orandum instructos adduxisset, veniam impetrauit. Quo clementiæ exemplo illecti mox alij Quadorum, Sarmatarumq; regales cum idem petentes venissent, pacem, datis obsidibus, rettulerunt. Sarmatis inde, qui quondam à seruis victi Victobalis se tradiderant, in fidem receptis, Zizais rex est præfectus. Quibus actis castra Brigetionem mouit, vt ibi reliquias Quadorum extingueret. quorum regalis Vitrodorus Viduarij regalis filius, & Agilimundus subregulus, aliique optimates metu exanimati, vt Romanum in finibus suis conspexere exercitum, veniam poposcerunt, atque obsides fidei obtulerunt. Inde ad Sarmatas Limigantes est ventum, qui velut obliti priorum, erumpentibus Liberis, ipsi quoque tempus nacti, limitem perrupere Romanum, cum dominis suis in hac re sola consentientes. Hi primo aspectu exercitus, tanquam fulminis ictu, perculsi, tributum annuum, delectumque validæ iuuentutis, & seruitium spoponderunt, annuere parati, si iuberentur alio demigrare, locorum confisi præsidio, vbi sedes post exactos dominos collocarant. Hortante autem Constantio, ad citeriorem venere Parthisci fluminis ripam. quos cum occulte Constantius, exercitu circunducto, clausisset, stans in loco celsiore cum paucis, ne sæuirent, admonuit, atq; in prœlium procurrentes, suis in aciem promotis, excepit. prœlioque acri commisso, seruos misere trucidauit. Tum traiecto Parthisco, in eos est processum, qui in vlteriore ripa sedebant, atque omnes armis ad deditionem compulsi. Exules populos reductos in auitis sedibus collocauit, iisdemque ad cumulandam gratiam, non ignobilem quempiam regem, sed quem antea sibi præfecere, regalem imposuit. Quibus rebus prospere confectis, Constantius magno militum cõsensu Secundus Sarmaticus appellatus, inde cum pompa triumphali Sirmium se recepit. Legati, qui ad Saporem regem de pace componenda missi fuerant, domum re infecta redierunt. Eodem anno terræmotus horrendi Macedoniam, Asiam, & Pontum concusserunt, ac præcipua clade Nicomediam in Bithynia IX Kalend. Septembris prostrauerunt. Cum autem Constantius Sirmij esset, rem improbandi prorsus exempli fecit. nam cum rogatu legatorum, quos episcopi Occidentis miserant, Li-

berium pontificem Berœensi ex oppido euocasset, præsentibus illis institit, vt fateretur, Filium non esse Patri consubstantialem. Sunt, qui ipsum assensum præbuisse, alij vero, qui abnuisse, scribant. Vtcunque, Liberio cum legatis domum reditus est permissus. Episcopi vero, qui Sirmij erant congregati, Felici, & clero Romano scripserunt, vti Liberium Romæ esse, & communi cum eo consensu ecclesiam regere paterentur. Liberius Romam reuersus, formulam protulit, qua eis communionem interdixit, qui filium patri consubstantialem abnuerent. quòd sciebat, paulo antè Antiochiæ aliquos fuisse, qui dicerent, se Consubstantiale negasse. vt scribit Sozomenus. Felix à populo ecclesia pulsus, nihil minus sacerdotij iura modo in vrbe, modo in alia ciuitate decem per annos retinuit. Quin etiam Constantius magnis Arrianorũ contentionibus fatigatus, vt nouum conciliũ aduersus Nicænum, & Sardicense haberetur, assensit, quod postea Arimini est coactum. Huius concilij habendi caussam, quoniam res memorabilem maxime euentum habuit, primum Græcorum, deinde Latinorum verbis narrabo. Prioribus annis Ætius diaconus à Leontio episcopo Antiochiæ constitutus cum Arrio asseruerat, filium Dei creatum esse, ex nihilo ortum, & patri dissimilem, atque eo nomine eiectus ab ecclesia fuerat. Leontio vero pòst paulo ex humanis rebus exempto, Eudoxius eam ecclesiam vltro inuaserat, & Ætij opinionem palam defendens, eos, qui sibi aduersabantur, expulerat. Quare tumultu magno suborto, Constantius concilium Nicæam ad eam rem cognoscendam indixerat. qui locus cum fautoribus Ætij non placeret, demum lecta Nicomedia est. Quo cum hoc anno episcopi pergerent, in itinere acceperunt, ipsam terræmotu vna cum basilica funditus corruisse. neq; longius progressi, Constantium, quid se agere oporteret, consuluere. Dum autẽ de loco Concilij Sirmij agitur, Eudoxius, Acacius, Vrsacius, & Valens, quoniam pro certo habebant, omnes episcopos, aut Nicænæ, aut Antiochenæ formulæ assensuros, in quarum vtraq; nomen substantiæ inerat, atq; Ætij opinionem repudiaturos, quæ omnino vocem substantiæ supprimebat, propterea à Constantio petierunt, vt duo concilia haberentur, vnum in Occidente, alterum in Oriente, quo à paucioribus Ætij opinio exploderetur. Hæc Græci. Sulpicius vero ita refert: Demum Arriani non occulte, vt antea, sed palam, ac publice hæresis piacula prædicare cœperunt. quin etiam Nicænam Synodum pro se interpretantes, quam vnius litteræ adiectione corruperant, caliginem quandam iniecere veritati. Nam vbi ὁμοούσιον erat scriptum, quod est vnius substantiæ; illi ὁμοιούσιον, quod est similis substantiæ, scriptum esse dicebant, concedentes similitudinẽ, dum adimerent vnitatem. quia multum ab vnitate similitudo distaret. Sed quidam ex his vltra processerunt, ἀνομοιουσίαν, id est, dissimilem substantiam confirmantes, eoq; his certaminibus processere, vt istiusmodi piaculis orbis terrarũ implicaretur. nam Italiã, Illyricum, atq; Orientem Valens, & Vrsacius, ceteriq;, quorum nomina edidimus, infecerant. Gallias Saturninus Arelatẽsium episcopus, homo impotens, & factiosus premebat. Osium quoq; ab Hispania in eandem perfidiam cõcessisse, opinio fuit. Quibus rebus perturbato orbe terrarum, & morbo quodam ecclesiis languentibus, segnior quidem, sed non minus grauis cura Constantiũ exercebat, quòd licet Arriani, quibus fauebat, superiores viderentur, nec dum tamen de fide inter ipsos conueniret. Ita Seuerus. Quæcunque vero caussa fuerit. nam leuis hæc dissensio videtur, Constantius Arrianorum precibus victus, concilium Orientalibus Seleuciam in Isauria, Occidentalibus vero Ariminum in Italia in annum sequentem indixit. Eodem anno in Occidente Iuthungi Alemanorum populi finitimi, deposita fœderum superiorum memoria, Rhætias irruperunt, ac ciuitates more nouo obsidione cinxerunt. Ad quos propellendos cum valido militum robore missus Barbatio magister peditum in Syluani locũ promotus, plærisq; cęsis, reliquos in fugam vertit. Iulianus autem hiemem apud Parisios agens, conatus est Alemanos præuenire nondum in vnum coactos, sed post cladem Argentoratensem insanientes. verum expectans Iulium mensem, à quo tum Gallicæ expeditiones incipiebant, vehementius angebatur, quòd nondum solutis frigoribus, commeatus haud subuehi ex Aquitania poterat. Itaq; nõ expectata anni maturitate, hostibus occurrere ex improuiso

constituit,ac pane bucellato in triginta dies excocto, in humeros libentium militum imposito, primum omnium Francos petiit, quos vocat Salios, iampridem ausos in Romano solo apud Toxiandriam sibi domicilia ponere. Cum Tungros venisset,occurrit legatio petens,ne se quiescentes lacessere vellet.qua cum perplexo responso dimissa, statim insequutus, Seuero duce per ripam misso,subito adortus cunctos adeo perculit,vt deditionem repente fecerint.Inde Chamauos similia ausos aggressus, eadem celeritate partim cæcidit, partim acriter repugnantes cepit, atque in vincula tradidit,alios in fugam coniectos,ad sua abire incolumes siuit.Inde tria castella in ripa Mosæ sita,ab hostibus vastata restituit.ac partem annonę humeris militum aduectam,ibi reliquit,spe ductus,posse id detrimentum Chamauorum segetibus resarciri. Quod secus accidit. nam frugibus nondum maturis, miles,consumptis quæ portauit, nusquam victum reperiens, ipsum probris incessere cœpit,vt fallacem,ac stolidum. Quo tumultu sedato,contexto nauali ponte, Rhenum transiuit,Seuero magistro equitum improbante. In Alemanorum inde fines ingresso rex Suomarus cum suis trepidus obuiam venit,& cum pacem supplex petisset,impetrauit,cum eo,vt redderet captiuos, & alimenta, vbi opus esset,Romanis præberet. Inde in alterius regis agrum manus valida missa, cædibus, atque incendiis illum ad veniam orandam adegit. Quibus rebus confectis, disperso per stationes milite,in consueta hiberna discessit. Quæ omnia in comitatu Constantij audita,à plerisque aulicis assentatoribus solita obtrectatione minuta sunt. Romæ vidariam præfecturam pro Basso mortuo gessit Artemius. sub quo seditiones aliquot fuere,sed non dignæ memoratu. Eusebio inde, Hypatioq; consulibus, Constantius hiberna Sirmij agens certior factus, Sarmatas Limigantes, locis assignatis posthabitis, regiones limitibus proximas occupasse, rem non negligendam ratus, primo vere in eos egressus est, Anatolio per Illyricum præfecto necessaria omnia sine vllius dispendio ministrante. atque in Valeriam Pannoniæ partem profectus, per Danubij ripas hostes obseruans, qui ante aduentum suum, specie amicitiæ, Pannoniam inuadere cogitarant, cum nōdum solutæ vernis caloribus niues amnē vndique peruium faciunt, legatisque ad Limigantes missis, rogauit, cur agro assignato contenti non fuissent.quibus illi respondere,se,si ille pateretur,in Romano solo dicturos, & libenter in Romana prouincia habitaturos. Itaque Constantius lætus cunctos admisit, vallo prope Acumincum locato, celsoq; aggere in speciem tribunalis erecto, naues vehentes quosdam legionarios expeditos, alueum fluminis proximum ripis obseruare sunt iussæ,vt,si barbaros tumultuari sensissent, aliorsum intentos pòst terga inuaderent. Accesserunt igitur Limigantes, sed alia mente,quàm præ se ferebant, visoque Constantio ex alto suggestu lenissimum sermonem instituente, quidam ex illis furore percitus, calceo suo in tribunal contorto, marrha marrha,quod est signum apud eos bellicum, exclamauit, eumque sequuta multitudo vlulans in ipsum principem ferri cœpit. Quod vt sensit Constantius, periculo exanimatus,equo pernici impositus, statim euasit. stipatores aliquot occisi,sellaque regalis cum aureo puluinari direpta. Exercitus Constantium euasisse ignarus,ira frendens,sese in barbaros intulit, atque, antequam cædibus satiaretur, aceruos mortuorum stipauit. Constantius inde, quæ limitum rationes poscebant, constitutis, Sirmium, atque inde Constantinopolim se recepit, vt Persis occurreret.nam rumor increbuerat,Saporem relicta post se Mesopotamia, in Syriam irrupturum.Iulianus autem in Gallia, cum Alemanorum pagos aliquot hostiles existimaret, Hariobaude exploratore, tanquam ad Hortarium regem amicum misso, profectus,antequam prœlia iniret,oppida euersa sibi putauit munienda, atq; horrea incensa reficienda. Quorum vtrumque summa celeritate perfectum. nam & horrea condidit,atque annona repleuit, & septem oppida occupauit, Castra Herculis,Quadriburgum,Tricesimas,Niuesionem,Bonnam, Antennacum, & Bingionem,eaque munitione firmauit, regibus ex fœdere, & militibus amore operam, fidemque nauantibus.inde ab Hariobaude de omnibus, quæ scire cupiebat, edoctus, Maginciacum venit, ac per pontem ille constitutum se transire velle ostendit. Quod Alemani periculum conspicati, Suomarium regem Romanis amicum admo-

350

admonuerunt, vt tranſitum Romanis prohiberet, cum ipſe pagos Rheni ripis vlterioribus adiunctos haberet. illo vero teſtante, ſe ſolum non poſſe, in vnum coacti venere per Maguncíacum, vt tranſitum impedirent. Iulianus autem ne amicorum agros detrimentis afficeret, in alium locum ſe contulit ponti conficiendo aptiſſimũ. cum autem hoſtes diligenter ripas contrarias obſeruarent, vbi ad locum deſtinatum peruenit, caſtra poſuit, & tribunos aliquot occulte tranſire iuſſit, qui luſorias naues quadraginta nacti ſuſpenſis remis per flumen taciti decurrere, atque, dum hoſtes caſtrorum ignes obſeruant, aduerſas limitis ripas perrupere. Interim Hortarius rex reges & regales regulosq; ad epulas inuitatos retinuit, vſq; ad vigiliã tertiam conuiuio ipſo protracto. Quos diſcedentes Romani ex improuiſo adorti nec interficere, nec capere potuerunt, ſed lixas, & ſeruos aliquot occiderunt. Cognito inde Romanorum tranſitu, qui pontem, ne fieret, obſeruabant, fugę ſe tradiderunt. atq; ita Iulianus ponte conſtructo flumen traiecit, atq; Alemanorum agros hoſtiles inuaſit, & omnia ferro, igniq; conſumpſit. vbi vero ad fines Alemanorum, & Burgundionum venit, ibi ſubſedit, vt Macrianum, & Hariobaudem regis fratres ad pacem petendam adduceret. venere autem illi, & Vadomarius, cuius erat ſedes contra Rauracos, olim à Conſtantio in clientelam ſuſceptus, orator venit pro Vrio, & Vrſicino, & Verſalpo regibus pacem obſecrans. omnibus data pax, cum eo, vt captiuos redderent prioribus incurſionibus factos. Romæ rei frumentariæ inopia laboratum: populusq; Tertullum vrbis præfectum, vt huius mali auctorem, parum abfuit, quin interfecerit. ſed iniuria. neq; enim per eum ſteterat, quominus tempore idonéo annona nauibus veheretur, ſed mare, ventiq; ſolito aſperiores alio eas auerterant. Interim, vt inquit Seuerus, miſſis per Illyricum, Italiam, Africam, Hiſpanias, Galliasque magiſtris officialibus acciti aut coacti quadringenti, & amplius Occidentales epiſcopi Ariminum conuenere. quibus omnibus annonas, & cellaria præberi Conſtantius iuſſit. ſed id Aquitani, Galli, ac Britanni indecorum putantes, repudiatis fiſcalibus, priuatis ſumtibus viuere maluerunt. tres tantum ex Britannia, inopia proprij, publico vſi ſunt, cum oblatam à ceteris collationem repudiaſſent, præſtare putantes fiſcum grauare, quàm ſingulos. Poſteaquam omnes in vnum collecti ſunt, ſtatim in duas partes abierunt, atq; Eccleſiam Catholici, ædem tum de induſtria vacantem Arriani orationis loco tenuerunt, ſed hi non amplius octoginta. Cum autem conuocati aſſediſſent, Arriani Athanaſij cauſſa prætermiſſa dixerunt, ſe de aliis rebus conueniſſe, verum omnia, quæ olim de fide tradita erant, irrita eſſe debere, & noua fidei formula, quã epiſcopi Sirmij modo conuocati præſente, & probante Conſtantio ſcripſerint, ſtare oportere. ac continuo libellum, quem habebant in manibus, recitarunt, atque aliam fidei formulam, quam Sirmij quidem ſcripſerant, ſed aſtute ſuppreſſerant, protulerunt. quæ habebat hunc indicem: *Fl. Euſebio, & Hypatio conſulibus Sirmij ante diem* XI *Kal. Iunias edita fuit. Credimus in vnigenitum filium Dei, ſolum ex ſolo patre genitum, Deum de Deo, ſimilem patri, qui illum genuit ſecundum ſcripturas.* Quam Valens, & Vrſacius, & pauci eorum ſocij ſubito ſunt amplexi. alij omnes Nicænam formulam incolumem conſeruandam cenſuerunt, atq; Arrianis communionem interdixerunt. Igitur vtraq; parte conſtanter in ſua fide manente, cum finis controuerſiæ nullus appareret, placuit Catholicis, vt decem legati cum litteris ad Conſtantium mitterẽtur, qui eum, quæ eſſet partium ſententia, edocerent. & cauſſam ſuam apud Imperatorem orarent, ſeq;, vt domum dimitteret, obſecrarent. Litteræ extant apud Athanaſium, & ceteros in hæc verba conſcriptæ: *Pietatis tuæ mandato Ariminum ex omnibus vrbibus Occidentis conuenimus, vt ſimul & fides eccleſiæ Catholicæ cognoſceretur, & qui ab ea diſsiderent, detegerentur. Vbi pro virib. curauimus, vt fidem, quam prophetæ, euangelia, & apoſtoli per Chriſtum Imperij tui cuſtodem promulgarunt, acceptam à maioribus tueremur, nefarium eſſe ſtatuentes, quæ recte à patribus cum Conſtantino patre tuo Nicææ conſtituta fuerant, immutare, quæ Arrij, aliorumque hæreſes extinxerunt. Cum enim, vt omnibus notum eſt, Conſtantinus pater tuus fidem, quæ edita eſt, publicarit, certe abſurdum eſt, poſtquam baptizatus inter homines eſſe deſiit, in ea aliquid innouare. & tot ſanctos patres, confeſſores, & martyres, eius decreti auctores, deſpicere. qui iuxta veterem Eccleſiæ Catholicæ ſanctionem omnes vſq; ad tuum Imperiũ in eadem*

fide manserunt. Contrà vero Arriani hanc veritatis constitutionem paucos quosdam sententiæ suæ socios nacti euertere conati sunt. Quare eos nos à communione nostra secreuimus. atque legatos misimus, qui nostrum tibi sensum aperirēt. & veteribus scripturis veritatē assererent, &, ni vetustis stetur decretis, pacem nullam futuram, docerent. Quos vt benigne accipias, rogamus. Petimus etiam, vt episcopos, qui in remotißimis regionibus degunt, ac vel ætate, vel paupertate premuntur, cum bona venia redire ad suas ecclesias sinas. Contrà vero Valens, & Vrsacius aliis quibusdam assumptis anteuerso itinere legatos præuenerunt, & Constantio rem pro arbitrio rettulerunt. ac Catholicos, quòd formulā ab illo probatam repudiassent, insimularunt. Quibus rebus Constantius inflammatus Arrianos eximio honore excepit, Catholicos vero ne audire quidem voluit, bello, quod contra barbaros comparabat, se impediri caussatus. eisq;, vt pergit Seuerus, cōscriptam ab Arrianis fidem tradit verbis fallentibus inuolutam. quæ Catholicam disciplinam perfidia latente loqueretur. Namq; Vsiæ, id est, substantiæ, verbū tanquam ambiguum, & temere à patribus vsurpatum, neq; ex auctoritate scripturarum profectum sub specie falsæ rationis abolebat, ne vnius cum patre substantiæ filius crederetur. Eadem fides similē patri filium fatebatur, sed fraus occulta inerat, vt esset similis, non æqualis. Ita remissis legatis Tauro pręfecto mandauit, vt episcopos non antè dimitteret, quàm omnes conceptę fidei subscripsissent. & vt, si qui pertinacius obsisterent, dum modo minus quindecim essent, in exilium pelleret. Itaq; regressis legatis, licet vim regiam deprecantibus negata communio est. compertisq;, quę decreta erant, paulatim pleriq; Catholicorum partim imbecillitate ingenij, partim tædio peregrinationis impulsi, dedere se aduersariis iam post reditum legatorum superioribus, & Ecclesiam, Catholicis inde detrusis, obtinentibus. factaque semel inclinatione animorum cateruatim in partem alteram est concessum, donec Catholicorum numerus ad vicenos est imminutus. Inter quos constantissimus fuit Fægadius, & Seruatio Tungrorum episcopus. Hos Taurus postquam minis deterrere non potuit, precibus obtestatus est, vti mitiora consulerent. clausos intra vrbem vnam episcopos iam septimum mensem agere: iniuria hiemis, & inedia confectis nullam spem reuersionis offerri, nisi ipsi plurium exemplum vt sequerentur, in animum induxissent. Cui Fægadius respondit, se exilium, atq; omne supplicium subire paratum esse potius, quàm vt conceptam ab Arrianis fidem reciperet. Ita in hoc certamine aliquot dies consumpti. Tum Valens, & Vrsacius affirmantes, præsentem fidem Catholica ratione conceptam ab Orientalibus auctore Imperatore prolatam non sine piaculo posse repudiari, rogarunt, ecquis discordiarum finis foret, si quæ Orientalibus placuisset, Occidentalibus displiceret. se, si quid præsenti fidei, quæ minus plena videretur, ipsi addidissent, consensum præbituros. quam conditionem Catholici propensis omnium animis acceperunt, iam controuersiæ finem quoquo modo imponere cupientes. Itaque conceptæ à Fægadio, & Seruatione professiones sunt editæ. in quibus primum damnabatur Arrius, totaq; eius perfidia. deinde non patri æqualis, sed sine initio, & sine tempore Dei filius pronunciabatur. Quibus auditis Valens, quasi pro Catholicis aduersus Arrianos contendens, subiecit, filium Dei non esse creaturam, sicut ceteras creaturas. fefellitq; audientes fraude professionis. nam cum similem esse ceteris creaturis filium negaret, creaturam tamen, sed potiorem ceteris asserebat. Ita neutra pars vicisse se penitus, aut victam putans è concilio abiit. Hæc fere Seuerus. D. autē Hieronymus disputans contra Luciferianos, pluribus verbis fallax Valentis commentum exposuit, quo ille filium non esse creaturam, vt alias, intulit. quem vtile erit legisse, vt fraus Arrianorum in hoc concilio adhibita clarius elucescat. Eodem tempore alterum concilium Seleuciæ ab Orientalibus episcopis actum est. Episcopi, vt inquit Socrates, conuenere centum sexaginta. v kal. Octobris conuocati sunt. primo die disceptatū, num prius de fide, an de criminibus episcoporum, qui abdicati essent, agendum esset. quæ dissensio conciliū in duas partes distraxit, vnā, cui præerat Acacius Cæsareæ Palæstinę episcopus; alterā, cui Gregorius Laodiceæ, & Sophronius Pompeiopolis episcopi. cum vicisset ea pars, quę antè de fide disceptandū esse censebat, Acaciani fidem Nicænā plane abrogandam, ac nouā aliam scribendam censuerūt,

aduer-

aduersarij vero Nicænam mordicus tenuerunt, Consubstantiali solo reiecto. Tum Syluanus Tarsi episcopus fidem Antiochiæ scriptam seruandam esse intulit. atque ita illo die conuentus dimissus est. Itaq; postridie ei subscripsere foribus clausis, Acacio eam formulam incusante, atq; aliam inferente. tertio die adesse Acaciani noluerunt, nisi, qui erant accusati, depellerentur. tum Acacius suam formulam perlegit. è qua verba Consubstantialis, AEquisubstantialis, & Dissimilis exempta erãt, & similis patri filius dicebatur. cui socij eius subscripsere. Quarto die Acacius dixit, si Nicæna fides sæpe mutata est, nihil impedimento esse, quin nunc noua etiam formula à se possit inferri. cui contradictum est. Inde cum rogatus Acacius, qua in re filius patri similis foret, respondisset, voluntate; aduersarij, immo vero substãtia, subiecerunt. Ita nihil est actum, cum Leonas, qui concilio præerat, episcopos dimisisset. Factum est autem, vt eodem prope tempore legati Ariminensis, atq; Seleuciensis Concilij Constantinopolim venerint, cum iam cõsules essent Constantius Augustus x, & Iulianus Cæsar III. qui annus fuit à Christo nato CCCLX. Ibi 360
nouum concilium ab episcopis, qui conuenerant, habitum est. In quo auctore Acacio Seleuciensis formula improbata, Ariminẽsis vero accepta est, cui præscripti erant consules, eo adiecto, vt nulla substantiæ mentio fieret. atq; huic quoq; Vlphilas Gotthorum episcopus est assensus. nam antè sequutus Theophilum fuerat. qui Gotthorum episcopus Nicæno concilio interfuerat. Ab hoc tempore Gotthi Arriana labe corrupti sunt, qui vero subscribere abnuerunt, eos iussu Constantij in exilium proiecerunt. Inde multi episcopi ab vtraq; parte non religionis, sed aliorum criminum caussa abdicati. præcipue Macedonius episcopatu Constantinopolitano exutus, quòd multiplicis cædis auctor fuisset, & diaconum in stupro deprehensum in communionem recepisset. Macedonio Eudoxius Antiochiæ episcopus est suffectus. qui v Kal. Martij Basilicam S. Sophiæ consecrauit, homo non solum in religione impius, sed etiã ad indignationẽ ridiculus. Macedonius episcopatu spoliatus nouam inde hæresim, quasi vniuersæ Trinitati iratus, intulit. Nam filium Deum quidẽ esse, & cum aliis rebus omnibus, tum substantia patri similẽ esse asseruit, sed Spiritum sanctum istis honoribus spoliauit, eumque ministrum illis inseruientem vocauit. cui se multi applicuerunt, qui ab illo Macedoniani vocati sunt. Seleuciẽsi, & Constantinopolitano concilio Hilarium etiam Pictauensem episcopum affuisse, cum in Phrygia exularet, scriptum his verbis reliquit Seuerus: *Hilarius quartum iam exilij annum in Phrygia agens, inter reliquos episcopos per vicarium, ac præsidem, data euectionis copia, Seleuciam adesse compellitur: cum tamen nihil de eo specialiter mandasset Imperator. iudices tantum generalem iussionem sequuti, qua omnes episcopos ad concilium cogere iubebantur, hunc quoque acciuere. Is vbi Seleuciam venit, magno cum fauore exceptus, omniũ in se animos, & studia conuertit. ac primum quæsitum ab eo, quæ esset Gallorum fides. quia tum Arrianis praua de Gallis vulgantibus suspecti ab Orientalibus habebantur, trionymam solitarij Dei vnionem secundum Sabellium credidisse. Sed ille exposita fide sua, iuxta ea, quæ Nicææ erant à Patribus conscripta, Occidentalibus perhibuit testimonium. Ita absolutus omnium animis, intra conscientiam communionis, nec non etiam in societatem receptus, conciliòque ascitus est. Venit inde Constantinopolim à Seleucia legatos sequutus, nullis certis de se mandatis operiens Imperatoris voluntatem, si forsitan redire ad exilium iuberetur. Is vbi extremum fidei periculum animaduertit; Occidentalibus deceptis, Orientales per scelus vicisse, tribus libellis publice datis, audientiam regis poposcit, vt de fide coram aduersariis disceptaret. Id verò Arriani maximopere abnuere. postremo quasi discordiæ seminarium, & perturbator Orientis redire ad Gallias iubetur absq; exilij indulgentia.* Reuersis domus suas episcopis, qui Ariminensi Concilio interfuerant, Valens, & Vrsacius, vt inquit aduersus Luciferianos D. Hieronymus, ceteriq; eorum socij victoriam iactare suam cœpere; dicentes, se Filium non creaturam negasse, sed similẽ ceteris creaturis. tum substantiæ nomen aboleuere, tum Nicænæ fidei damnationem conclamauere. Ingemuit totus orbis, & Arrianum se esse miratus est. Igitur alij intra suam communionem remansere, alij ad eos confessores, qui sub nomine Athanasij exulabant, cœperunt litteras mittere, nonnulli initam societatem meliorum desperatione luxerunt. paucis vero (vt se natura hominum habet) errorem pro consilio defendere. Auxentius Mediola-

num reuersus,& ciuitatem illam,& vicinas,eousq; integras,deprauauit. Atq; hæc prima Italiam labes Arrianorum infecit. Eodem anno Iulianus apud Parisios hibernans, Scotos, Pictosq; Britannias incursantes audiens, Lupicinum magistrum armorum in Britanniam destinauit. qui moto velitari auxilio Herulis scilicet, & Batauis, numerisque Mœsicorum pluribus adulta hieme Bononiam venit, atque tempus idoneum nactus, Rutupias ex aduerso sitas traiecit, atq; inde Londinium adiit,vt inde capto consilio, ad expeditionem contenderet. Interim cum Sapor rex Mesopotamiæ,& Nisibi vrbi noua arma inferret, Constantius opem ferre cupiens, ac Iuliani gloriæ inuidens, stimulante præfecto Florentio, Decentium tribunū misit,vt Herulos,& Batauos auxiliares abduceret, & cum Petulantibus Celtas,& lectos ex numeris aliis trecētos,vt sibi in Persas proficiscenti,adessent. Quos Iulianus concessit. Illud vero dissimulare nō potuit,se inique ferre, vt ij aliquas paterentur molestias,qui,domiciliis Transrhenanis relictis,cum hoc venerant pacto, ne ducerentur ad partes Transalpinas,verendum existimans, ne barbari, qui sæpe vltro ad Romanos transissent,posthac transire nollēt. sed incassum questus est. tribunus præstantissimum quenque selegit. Iulianus præfectum Vienna acciuit,vt sibi auxilio adesset,& cunctos ex hibernis euocauit. Milites,qui in Orientem ducebantur, Parisiis transiere, vbi adhuc Iulianus manebat. quos ille in suburbanis ad nauandum egregie Constantio operā adhortatus, proceres etiam conuiuio excepit,qui liberaliter habiti,dolore duplici anxij,discesserunt,quòd & à moderato rectore,&genitalibus terris auellerētur.hocq; angore sollicitı,in statiua solita recesserunt.ineunte vero nocte,in apertum erupere dissidium, incitatisq; animis ad arma conuersi,manu,fremituq; ingenti omnes Palatium petiuerunt,eoq; circunsesso,ne cuiquam euadendi copia fieret,Iulianum Augustum horrendis clamoribus appellarunt.coactique expectare,dum illucesceret, ipsum ad se progredi compulerunt. Quem visum iterum Augustum summa constantia salutarunt.quos Iulianus modo indignari se ostendens,modo manus tendens,orare cœpit, ne post tot victorias secundissimas agerent aliquid indecorum,&materias excitarent seditionū.Permisit inde,vt domos suas repeterent, promittens se illud apud Constantiū purgaturum. Inde clamantibus vniuersis, vt Augustus esset, assentire coactus est.impositusque scuto pedestri,& in altum sublatus,populo silente, Augustus renunciatus,iussus est diadema proferre.cum autem negaret, se vnquā habuisse, vxoris colli, vel capitis fasciā poposcerunt.eo vero affirmante,primis auspiciis non conuenire,ornari muliebri mundo,equi phaleras quæsiuerunt.sed,cum id quoq; turpe asseueraret, quidam hastatus detractū sibi torquē,quo,vt draconarius, vtebatur, capiti eius imposuit.Itaq; in necessitatem compulsus extremam, quinos singulis aureos, argentiq; singula pondo promisit. atq; inde in occulto se abdidit, nihil pro Imperio agēs. ex quo rumor est dissipatus, ipsum interemptum fuisse,magnum, nisi euanuisset, tumultum excitaturus.Vocatos inde in concionem omnes blande appellauit.atque litteras inde ad Constantium de iis, quæ euenerant, scripsit, quibus se coactum ad cognomen Augusti accipiēdum narrauit. pollicitus est inde, se præbiturum curules Hispanos,& miscendos Gentilibus, atq; Scutariis adolescentes lectos, se præfectos prętorio ab illo accepturum;reliquos iudices ordinarios,militiæq; moderatores,& stipatores æquum esse censere, vt sibi concederet arbitrio suo promouēdos. His litteris iunctas secretiores alias clam reddendas curauit,obiurgatorias,&mordaces,& ad id muneris exequendū, viros graues misit Pentadium officiorū magistrum,&Eutheriū cubiculi præpositū. qui Constantium apud Cæsareā Cappadociæ inuenere.eo enim Constantinopoli venerat, Antiochiam ad bellum Persicum, quod acerrime gerebatur,contendens.Lectis litteris,Constantius ira exarsit,ac legatos egredi iussit.inde mitiore consilio capto,expeditione Persica decreta, eos dimisit,& Leonam quæstorem suum cum litteris ad Iulianum misit,monens,vt intra Cæsaris potestatē se contineret. atq; in locum Florentij præfectū prætorio Nebridium quęstorem Iuliani promouit.&Felicem notarium officiorum magistrum,& Gohomarium armorum magistrum Lupicino successorem dedit. Leonas ingressus Parisios,postridie Iuliano in tribunali de industria consistenti,litteras reddidit.

Quas Iulianus conuocatæ multitudini recitauit. Vbi vero ventum eſt ad locum id continentem, quòd geſta omnia Conſtantius improbans, Cæſaris poteſtatem ſufficere Iuliano cenſebat, exclamauit vndiq; multitudo, Auguſte Iuliane, vt prouincialis, & miles, & reip. decreuit auctoritas. Quibus auditis, Leonas cum Iuliani litteris eadem indicantibus reuertit. Iulianus inde, legatis ad Conſtantium miſſis, ad limitem Germaniæ ſecundæ proceſſit, Rhenoq; tranſmiſſo, regionē inuaſit Francorum, quos Atthuarios vocant, inſolentius extrema Galliæ incurſantium. eosque adortus nimium ſecuros, quòd propter aſperitatem, difficultatemq; viarum neminem principem ad ſuos pagos penetraſſe meminerant, leui negocio ſuperauit. captisq; plurimis, & occiſis, ceteris, qui ſuperfuere, pacem orantibus, pro arbitrio dedit. Reuertens inde pari celeritate per flumen, præſidiaq; limitis explorans, & corrigens, Rauracos venit. locisq; recuperatis, quæ iampridem barbari intercepta tenebant, vt propria, iiſdemque maiore cura munitis, per Veſontionem Viennam diſceſſit. Ibi vero, Tauro, Florentioque conſulibus, hiemans, diu animo fluctuauit, num Conſtantium modis omnibus alliceret ad concordiam, an terroris incutiendi 361
cauſſa vltro laceſſeret. nam & amicum formidabat cruentum, & inimicum metuebat in ciuilibus ſeditionibus ſemper victorem. maximeque Galli fratris exemplo, quem per dolum interfecerat, mouebatur. Eà de cauſſa, auditis quæ per Leonā ille ſcripſerat, tutius eſſe duxit, vt ſe hoſtem aperte profiteretur. Itaq; nemine ſuſcepto eorum, quos ille promouerat, præter Nebridium, quinquennalia Auguſtus iam edidit, ambitioſo diademate vſus, gemmarum fulgore diſtincto, cum initio principatus coronā vilem xytarchæ purpurato ſimilis geſtare cōſueuiſſet. inter quæ Helenæ vxoris defunctæ cineres Romam miſit, vt in Suburbano viæ Nomentanæ reconderentur, vbi vxor quoq; Galli ſepulta fuerat. Accenſus eſt etiā ad inferendū, pacatis iam Galliis, Conſtantio bellum, quòd ſomnio obiecto comperit, eum breui è vita deceſſurum. quod vulgo magicis artibus, quibus ab ineunte ætate ſtuduerat, eſt tributum. nihil tamen interim de præſenti ſtatu rerum mutauit, ſed quiete omnia conſtituit. & vt omnes, nemine impediente, ad ſuas partes attraheret, ſtudere ſe Chriſtianæ fidei finxit. à qua iampridē occulte deſciuerat, atq; aruſpicibus, auguribusq;, & Deorum cultibus ſe tradiderat. &, vt hoc celaret, die Epiphanię progreſſus in eccleſiam, ſolemni ritu Deum orauit. Appetente inde vere, cum audiſſet, Alemanos à pago Vadomarij, vnde nihil poſt ictum fœdus metuebatur incommodi, incipientes regionem Rhætis finitimam peruaſtare, ſtatim Libinonem Comitem cum Celtis, & Petulantibus ſecum hiemantibus miſit. qui cum prope oppidū Sanctionem veniſſet, hortatus ſuos, licet numero impares, hoſtes aggreditur, atq; initio pugnæ occumbit, hoſtibus præter paucos occiſos, fugatis, Vadomario, cum à Conſtantio ſecreta habere aduerſus ſe mandata putaretur, per ſpeciem amicitiæ capto. deinde ipſe tranſgreſſus Rhenum impetu facto, omnes ad deditionē adduxit. Hoc bello ex ſentētia adminiſtrato, palam inde defectionem iniuit, ac placata ritu ſecretiore Bellona, milites in concionem vocauit. rebusq; à ſe actis expoſitis, hortatus eſt, vt ſe iurati ſequerētur ad prouincias Illyricas, dum maioribus pręſidiis vacuæ eſſent, occupandas. Quam orationē milites immani ſcutorum fragore comprobauerunt, vniuerſiq; ſtatim in eius nomen gladiis ceruicibus ſuis admotis, atq; execrationibus diris verbis cōceptis, iurarunt, ſe omnes pro eo calamitates, quoad ſanguinem profudiſſent, ſi neceſſitas vrgeret, perlaturos, quos ſequuti rectores, omnesq; principes proximi, fidem ſimili religione firmarunt. ſolus omnium Nebridius iuſiurandum contra Conſtantium abnuit, quòd maximis ei ſe diceret obſtrictum officiis. qua voce audita, proximi milites eum trucidandum appetierunt, verum Iulianus hominem ad genua ſua prolapſum paludamento protexit. Inde reuerſus in regiam, cum antegreſſus ille, ſupplexq; iacens oraret, vt ad leuandum timorem dextram porrigeret, Et, quid, ait, præcipuū amicis ſeruabitur, ſi tu manum meam attigeris? Sed hinc quo libet abi ſecurus. hocq; audito ille innoxius domum in Tuſciam abiit. Inde per teſſeram iter in Pannonias eſt indictum. Dum hæc ille agit, Conſtantius hiberna Antiochiæ, quo ex Meſopotamia receſſerat, agens, ad diſſenſionem Eccleſiæ componendam epiſcopos deintegro conuocauit. in eo

Concilio Meletius Beroeæ Syriæ episcopus in locum Eudoxij, qui ad Constantinopolitanam traductus erat ecclesiam, Antiochenis episcopus datus, veniensque Antiochiam, à Constantio accersitus, solemni totius cleri, & ciuitatis occursu exceptus est. verum mox, cum fidem Consubstantialis defenderet, pulsus, atque ei Euzoius, notus Arrianæ doctrinæ patronus, suffectus. In eodem concilio quidam etiam Arrij opinionem palam defendere ausi sunt, filium, neq; consubstantialem, neq; substantia similem, sed omnino & substantia, & voluntate patri dissimilem esse, & ex iis, quæ non sunt, constare. Et Constantius ipse, qui adhuc catechumenus fuerat, ab Euzoio salutari fonte ablutus est. inde Faustina vxore amissa, Eusebiam duxit, & Florentium præfectum prætorio per Illyricum Anatolio mortuo substituit. & Hermogene defuncto, Elpidium ad præfecturam prouexit. agitatisq; de re gerenda consiliis, bellum Persicum antè sibi finiendum, aut certe profligandum, quàm Iuliani conatibus nondum sibi plane cognitis occurrendum, decreuit. Itaq; hibernis egressus, Eufrate nauali ponte traiecto, Ædessam petiit, ibi opperiens, dum metum hostium cognosceret. Iulianus autem discedens à Rauracis, Salustiũ præfectum à se promotum remisit in Galliam; Germaniano iusso vicẽ tueri Nebridij, Neuitæ magisterium armorum commisit, ac simulatione Christianæ professionis abiecta, semet pontificem appellauit, & festos dies Gentilium ritu celebrari permisit. Gumoarium vero timens, quem, cum Scutarios regeret, prodidisse Vetranionem principem suum audiebat, Iouio quæsturam, & Mamertino largitiones curandas attribuit. & Dagalaiphum domesticis, aliosq; militibus regendis præposuit, quorum merita norat, & fidem. Profecturus autem per maritimas syluas, viasq; iunctas Istri fluminis ripis, veritus est, ne paucorum comitatu stipatus contemneretur ab inimicis. Itaq; consilio solerti vsus, agmina ita distribuit, vt alios per itinera Italiæ nota Iouius, & Iouinus ducerent, alij per mediterranea Rhætiarum magistro equitum Neuita contenderent. vt in varias partes diuisi, maioris numeri opinionem afferrent, atq; omnia tumultu, ac trepidatione complerent. mandatumq; dedit, vt omnes tanquam cum hoste protinus occursuro iter conficerent. cumq; ad locum venisset, vbi nauigari posse Danubium didicit, lembis, quàm occultissime potuit, decucurrit, ob id latens, quòd paucis cõtentus extra oppida, ciuibus imprudentibus, transibat. fama tamen præcessit, Iulianum, dimissis regibus, cum ingenti exercitu aduentare. qua perculsus Taurus præfectus prætorio Italiæ, superatis Alpibus Iuliis, abscessit, ac Florentium collegam suum abduxit. Lucillianus Comes, qui per illas regiones rem curabat castrensem, agens apud Sirmium, vbi Iuliani aduentum cognouit, cõuocatis militibus, resistere decreuit. Sed Iulianus Bononiam non longe à Sirmio distantẽ cursu citato progressus, luna senescente, & maximam noctis partem obscurante, è naui improuisus exiluit, & Dagalaiphũ cum expeditis ad Lucillianũ vocandum, trahendumq;, si reniteretur, misit. Qui circunseptum se cernens, paruit inuitissimus. & carpento impositus Iuliano tanquã captiuus oblatus est. Eo deinde amoto, Iulianus propere ad vrbẽ Sirmium accessit. quẽ propinquantẽ amplis, ac nimiũ protentis suburbanis ingẽs militũ, atq; omnis generis turba excepit, obuiã effusa cum luminibus, & floribus, votisq; faustis Augustũ appellans, ac dominũ in regiã duxit. Postridie curule certamen ingenti cum gaudio plebis edidit. luce tertia percursis aggeribus publicis Succos, nemine auso obuiã ire, præsidiis occupauit. eisq; custodiendis Neuitam præfecit, atq; inde Naissum repetiuit. vbi Sex. Victorem scriptorẽ historiarum Sirmio secum deductũ Pannoniæ secundæ Consularẽ præfecit. atq; orationẽ in Constantinum Maximũ omnibus probris, contumeliisq; refertã ad senatum misit. quæ cum, Tertullo adhuc vrbis præfecturã gerẽte, recitaretur, succlamatũ ab omnibus est: Auctori tuo reuerentiã rogamus. Nam & Constantinũ vt nouatorẽ, turbatoremq; priscarũ legũ, & moris antiqui recepti carpebat. & aperte vitio dabat, ꝙ primus barbaros vsq; ad fasces, & trabeas consulares auxisset. Duas legiones Constantiacas, addita vna sagittariorũ cohorte, quas inuenerat apud Sirmiũ, suspectę adhuc fidei misit in Gallias. Hę lento incedẽtes itinere, cũ Germanos hostes truces, assiduosq; metuerẽt, nouare quædã conatę auctore Nigrino equitũ turmę tribuno, vbi Aquileiam attigerũt, vrbẽ situ, murisq; munitam

munitam inierunt, ac iuuante plebe indigena, quæ Constantij nomini erat amica, obseratis aditibus, turribusq́;, ac propugnaculis confirmatis, omnia ad certamen necessaria parauerunt, ac simul Italicos ad studium, partesq́; Constantij permouerunt. Qua re Iulianus apud Naissum accepta, statuit, Aquileiam vel vi, vel metu sibi adiungere, quòd legisset, audiuissetq́;, vrbem circunsessam aliquoties, nunquam tamen excisam, aut in potestatem adductam. atq; Iouinum magistrum equitum venientem per Alpes, Noricumq́; ingressum eò properare iussit, simulque omnes milites, qui comitatum sequebantur, eò direxit. Aquileia gemino scutorum ordine circumsepta, defensores ad deditionem blandorum, minaciumque sermonum varietate illiciuntur. sed multis vltro, citroq́; iactatis, re irrita disceditur. Inde curatis vtrinque corporibus, prima luce ad oppugnationem descenditur. oppugnatores autem pluteos, & crates densius textas præferentes, caute murorum fundamenta subruere nitebantur, factas plerique vehentes ad altitudinem mœnium scalas. sed lapidibus deuolutis collisi, ac iaculis confixi cum recessissent, alios ab eiusmodi conatu auerterunt. Itaque, postquam vis aperta parum proderat, ad instrumenta oppugnationis se contulerunt. & quia nec arietibus admouendis, nec machinis intentandis, nec cuniculis agendis vrbs erat habilis, Natisone amne breui interuallo vrbem præterfluente, commentum admirabilis industriæ excogitarũt. Constructas ligneas turres propugnaculis Aquileiensium celsiores imposuere trigeminis nauibus valide inter se connexis. quibus insistentes armati aduersarios depellere, collatis ex propinquo viribus, contenderunt. subterque expediti velites è turrium cauernis egressi, iniectis ponticulis, quos antè contabulauerant, transgredi contenderunt, eo consilio, vt dum vicissim missilibus se, saxísque vtrinquesecus alte locati peterent, ij, qui transiere per pontes, nullo interpellante, ædificij parte conuulsa, aditus in penetralia aperirent. Verum & hoc incœptum irritum cecidit. Cum enim turres iam aduentarent, ac contortis malleolis pice madentibus, atque arundine, sarmentis, aliísque flammarum fomitibus adactis, ignem comprehendissent, celeri incendio, ponderibúsque trepide superstantium in flumen prociderunt. atque armatorum nonnulli per earum vestigia eminus tormentis confixi interierunt. Inter quæ destituti pedites post naualium sociorum occasum obtriti sunt saxis immanibus, præter paucos, qui sese fugæ mandarunt. nox certamen diremit. recreatis inde per noctem viribus sub lucem prœlium iteratur. Tum quidam elatis super capita scutis, vt pugnaturi leuius, alij humeris, vt antea, scalas ferentes, & magno impetu procurrentes, pectora telis obiiciebant, alij ferratos portarum obices refringendos aggressi, vltro facibus, aut saxis muralibus petebantur. quidam fossas audacius transire conati, repentinis eorum assultibus, qui erumpebant, clam per posticas ruentes incaute sauciabantur. His difficultatibus obiectis, res inde ad obsidionem conuersa est. Itaque excubiis, stationibúsque relictis, præsidiarij milites vastantes agros propinquos, omnibus rebus necessariis abundabant, raptorum pleraque contubernalibus suis impertientes. vnde largiore potu, saginisque distenti marcescebant. Iulianus autem etiam tum apud Naissum agens, curis grauioribus vrgebatur, metuens, ne milites Aquileiæ inclusi eruptione repente facta claustra Alpium Iuliarum perrumperent, atq; ita prouincias, & quæ inde speraret, auxilia eriperent. vires etiam Orientis formidabat, audiens, dispersum per Thracias militem contra vim subitam repente coactum, ad Succorum fines appropinquare, Comite Marciano ducente. Itaq; Illyricos exercitus conuocauit, ac populos allicere ad sui partes perrexit; & Maximum, ac Symmachum senatores à Constantio legatos reuertentes honorifice habuit, & Maximum in locum Tertulli vrbi præfecit; & Mamertinum præfectum prætorio cum Neuita consulem designauit. Dum hæc gerebantur, Constantius Edessæ agens certior factus, Iulianum Italiam, & Illyricum magna celeritate prætergressum, claustra Succorum occupauisse, atq; accita vndique auxilia expectare, vt multitudine armatorum stipatus peruaderet Thracias, militem vehiculis publicis impositum præmisit, vt celeriter his malis obuiã iret. edoctus inde, regem Persarum cum omni manu, quam duxerat, domũ rediisse, reuocatis omnibus, præter eos, quos præsidio Mesopotamiæ

deſtinauerat, rettulit ſe Hierapolim. ibiq; conuocatos vndiq; milites oratione ad tempus accommodata alloquutus eſt, facinus Iuliani commemorans, eosque ad eum ſecum vlciſcendum adhortans. cui omnes ſe præſto affuturos alacritate maxima reſponderunt. Inde Arbetionem cum lancearijs, & mattiariis, & turmis expeditorum præmiſit, itemque Gumoarium cum aliis venturis, vt ad Succorum fauces opponeretur. Inde Antiochiam ſe contulit, pòſt autumno iam ſeneſcente Tarſum; vbi leui febre tentatus, ratusq; itineris motu eam excuti poſſe, per vias difficiles Mopſueſtiam prodiit. egrediq; poſtridie conatus, morbo ingraueſcente detentus, paulatimq; nimio calore venas vrente, extinctus eſt, ſucceſſore ipſo ſibi Iuliano relicto, III Nonas Octobris, anno ætatis XLV, Imperij XXXVIII, ex quibus tredecim vnà cum patre, viginti quinque poſt patris exceſſum regnauit. Comploratione in exercitu facta, qui primum in aula locum obtinebant, conſultare de Imperatore legendo cœperunt. Inde placuit, vt legati ad Iulianum mitterentur, qui mortem propinqui nunciarent, &, vt ſine cunctatione ad obtinendum Orientem veniret, orarent. Iulianum adhuc in Dacia morantem nuncij conuenerunt. qua re audita vaticiniis iam etiam vehementius credens, iter in Thraciam edixit. ac ſtatim Succorum decliuitatem emenſus, Philippos, Heracleamq; contendit. Inde profectus Conſtantinopolim, ab omni ætate, ſexuq; ſumma animorum alacritate effuſis exceptus III Idus Decembris, atque Auguſtus eſt ſalutatus.

IVLIANVS AVGVSTVS.

MANSIT inde Conſtantinopoli decem menſes rebus Imperij conſtituendis, atque firmandis intentus. Quo temporis ſpacio, corpore Conſtantij honorifice ſepulto, quæſtiones aduerſus inimicos ſuos inſtituit, atque amicos eis ſuos præfecit. qui Chalcedona profecti, damnarunt Palladium ex magiſtro officiorum, Euagrium Comitem rei priuatæ, Saturninum ex curatore Palatij, Carinum ex notario. &, cum ſciret, Conſtantium Gentilibus, & Catholicis parū fuiſſe acceptum, ab vtroque genere gratiam inire ſtudens, non ſolum epiſcopos relegatos ab eo reuocauit, ſed etiam Gentilibus templa reſtituit. Agilonem inde miſit Aquileiam, vt obſeſſi, cum virum honoratiſſimum conſpexiſſent, & Conſtantij obitum cognouiſſent, ſuæ ſeſe fidei, poteſtatiq; permitterent. Antequam ille acceſſit, placuerat reſiſtentes ad deditionem ſiti, ductibus aquarum interciſis, compellere. quod vbi parum profuit, flumen magnis laboribus auerterat. ſed oppidani puteorum aquis contenti, nihil pertinaciæ, conſtantiæve remiſerant. Vbi vero Conſtantium mortuum, & Iulianum confirmatum ab Agilone ante muros vrbis nunciante, audierunt, primum fidem inhibuerunt, deinde pacti ſalutem, poſtquam ſuſceptum in vrbem cum iureiurando id affirmantem viderunt, extemplo deditionem fecerūt. ac culpam defectionis in Nigrinum, paucosq; alios reiecerunt. Itaque Nigrinus, Mamertino præfecto prætorio quæſtionem exercente, pòſt eo nomine viuus exu-
362 ſtus eſt. Ipſo deinde Mamertino, ac Neuita conſulibus, Iulianus Conſtantinopoli portum vnà cum porticu ad auſtrum vergente conſtruxit. atque in porticu bibliothecam ædificauit, eamq; nobilium omni genere monumentorum referſit. Cum Thracias munitionibus, commeatibusque, ne quid deeſſet iis, qui per ripas Iſtri barbarorum impreſſionibus obiecti erant, inſtrueret, ſuadentibus proximis, vt aggrederetur ſæpe fallaces, ac perfidos, Gotthos, hoſtes ſe quærere meliores, dixit. Illis enim ſufficere mercatores Galatas, per quos vbique nullo conditionis diſcrimine venderentur. Legationibus inde remotiſſimarum gentium cultus, & nuncio victoriæ Aquileienſis elatus, ſupra hominis ſpirare conditionem cœpit. Itaque qui primo omnibus facilem ſe præbuerat, pòſt paulo Chriſtianis acerbior eſſe inſtituit. Nam Conſtantinopoli Gentilium ſacra renouari, ac patefieri templa præcepit. & Chriſtum appellans, Galilæum ad contumeliam nominauit. & Chriſtianis, ne Grammaticam, Rhetoricam, & humaniores litteras aut docerent, aut diſcerent, interdixit. nimirum ne quæſtum ex iis artibus facerent, quarum religionem reſpuerent, aut ne doctrinis Gentilium eruditi aduerſus eos abuterentur. qui vero à Chriſtiana fide non receſſerunt, eos & Palatio expulit, & militiæ munere ſpoliauit.

ex qui-

ex quibus alij baltheum posuerunt, atque omnes cruciatus perferre, quàm à Christo deficere, maluerunt. inter quos fuit Iouianus, Valentinianus, & Valens, qui post ipsum deinceps Imperium tenuerunt. alij propter imbecillitatem ad immolãdum se receperunt. Ceterum, antequam sæuire in Christianos cœpisset, Alexandriæ Georgio episcopo tumultu populari sublato, Athanasius ex latebris, in quibus per duodecim annos apud virginem Alexandriæ delituerat, tandem emersus, ecclesiam recuperauit. atque conuentu habito, fugam suam oratione defendit. ac de filio patri consubstantiali, perinde ac Nicæni patres censuerant, statuit. Lucifer etiam Caralitanus, & Eusebius Vercellensis episcopi ad suos redierunt. Hilarius Pictauensis, frequentibus intra Gallias conciliis habitis, atque omnibus ferme sacerdotibus errorem profitentibus, quæ fuerant apud Ariminum decreta, damnauit. & in statum pristinum fidem ecclesiarum redegit. Saturninus Arelatensis resistens, ecclesia eiectus est, multorum præter hæresim criminum, ac sæuorum facinorum reus. Paternus item à Petrogoris æque væcors sacerdotio pulsus. ceteris venia data. Qua de re D. Hieronymus aduersus Luciferianos hoc modo: *Omnes episcopi, qui de propriis sedibus fuerunt exterminati, per indulgentiam noui principis ad ecclesias redierũt. tunc triumphatorem suum Athanasium AEgyptus excepit. tunc Hilarium de prælio reuertentem Galliarum ecclesia complexa est. tunc ad reditum Eusebij lugubres vestes Italia mutauit. concurrebant episcopi, qui Ariminensibus dolis irretiti sine conscientia haretici ferebãtur, contestantes corpus Domini, & quidquid in ecclesia sanctum est, se nihil mali in sua fide suspicatos. putauimus, aiebant, sensum congruere cum verbis, nec in ecclesia Dei, vbi simplicitas, vbi pura confeßio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri timuimus. decepit nos bona de malis existimatio. non sumus arbitrati sacerdotes Christi aduersus Christum pugnare. multaq́ alia, quæ breuitatis studio prætereo, flentes asserebant, parati, & subscriptionem pristinam, & omnes Arrianorum blasphemias condemnare.* Postquam autem Iulianus Christum insectari instituit, persuasus, si, Athanasium Alexandrię esse permitteret, nullum gentibus locum ad cultum deorum futurum, ipsum nõ solum vrbe, sed vita etiam deturbari præcepit. Qua re præcognita, Athanasius in Thebaidem sese contulit. Moliens inde bellum Persis, Ormisdam, & Victorem duces constituit, atq; eis exercituum curam commisit. & Constantinopoli egressus, Nicomediam adiit. ad quam restituendam, nam tremore corruerat, pecuniam suppeditauit. atq; inde Nicæam, tum in Gallogræciam, tum Pessinuntem, atq; Ancyram, ac demum Tarsum, atque Antiochiam venit. quibus in locis omnibus seuerissime ius poscentibus dixit. XI Kal. Nouembris Daphnæum Apollinis fanum exustum. III Nonas Decemb. reliquum Nicomediæ tremore collapsum, item pars Nicęæ non mediocris. Antiocheni, cum læto omnium occursu Iulianum excepissent, ægre inde tulerunt, eum populo præsente se de theatro subducere, & raro ludos, neq; eos toto die spectare. offendit etiam, quòd is precium rerũ venalium plus æquo imminuit. Itaq; acerbis eum quibusdam vocibus carpserunt. Quibus vt gratiam referret, orationem, quæ adhuc extat, edidit, qua omnia in eos, ciuitatemq; eorũ maledicta collegit. quam Misopogonem appellauit. ridebatur enim ab eis, vt barbam ferens hircinam. Cum Apolline Daphnæo consulto responsum tulisset, se oraculum edere nõ posse, quòd vicinum suum, scilicet Babylam martyrem, formidaret, loculum, in quo erant ossa martyris, ex Daphne Antiochiam transtulit. accensus inde super hymnis contra deos decantatis, eadem Christianis supplicia constituit, quæ Diocletianus inflixerat. cum autem paucos Christianos ad sacrificandum impellere posset, sequenti anno, se quartum, & Sallustio consulibus, ad Iudæos accessit. eos vero se immolaturos abnuentibus, nisi Hierosolymis in templo id facerent, templum Salomonis restitui iussit. idq; opus Alypio Antiocheno curandum commisit. cum autem fundamentorum gratia terra egereretur, horrendi flammarum globi crebris assultibus erumpentes, fabris aliquot exustis, locum inaccessum fecerunt. atq; ita à templi reædificatione cessatum. Per eosdem dies legatos ad se Roma profectos, homines, summo loco natos, diuersis honoribus affecit. & Apronianum vrbis præfectum, Octauianum proconsulem Africæ declarauit, Venustum vicarium Hispanię, Rufinum Comitem Orientis in locum auunculi sui Iuliani vitæ functi prouexit.

363

Interim Conſtantinopolis ſæuo terræ motu quaſſata. quæ res licet infauſta aliena inuadenti diceretur, ipſum tamen à propoſita expeditione non auocauit. Itaque legationibus regum omnium auxilia pollicentium, præterquam Arſacis Armenij, dimiſſis, nondum adulto vere per militares numeros teſſeram miſit, ac cunctos tranſire Eufratem iuſſit. ipſe Antiochia diſceſſurus, Alexandrum Heliopolitam Syriacæ iuriſdictioni præfecit. ac III Nonas Martias Hierapolim venit, atque inde Eufrate tranſmiſſo, Carras acceſſit. Ibi cum eſſet, XIIII Kal. Aprilis Romæ templum Palatini Apollinis, Aproniano præfecturam vrbis gerente, ſæuo flagrauit incendio. Ineunte inde Aprili, Cercuſium ventum. ac poſtremo in Aſſyriam eſt proceſſum. vnde variis editis prœliis, oppidiſq; occurrentibus aut vi, aut metu in poteſtatem adductis, ad Tigrim peruenit quo tranſmiſſo, claſſem parum ſano conſilio inflammauit. atque vrbem Cteſiphontis oppugnare voluit, Alexandri Magni ſe res geſtas in iis locis, aut ſuperaturum, aut certe æquaturum confiſus. Illo inde conſilio improbato, vaſtandis circumquaque agris vltra proceſſit. ac rege totius regni viribus ad ſummam belli dimicationem prodeunte, fortiter impetum eius excepit. poſtridie autem cum militibus à tergo laborantibus inermis, vt in re ſubita, ſuccurriſſet, telo, incertum ab hoſte, an à ſocio miſſo, vulneratus, ſequenti nocte VI Kal. Iulias expirauit, cum eſſet annos vnum, & triginta natus. qui ſine dubio in omni virtute ſummorum Imperatorum laudes conſequutus eſſet, niſi eas inſigni vna erga Chriſtum, cui infeſtiſſimus fuit, perfidia maculaſſet. quem in extremo etiam edendo ſpiritu videtur illuſiſſe, cum moriens, dixit: Viciſti Galilæe. Itaq; D. Hieronymus de ipſius morte ſic ſcriptum reliquit: *Iulianus Auguſtus ſeptem libros in expeditione Parthica aduerſus Chriſtum euomuit, & iuxta fabulas poetarum ſuo ſe enſe lacerauit. & Nazarenum noſtrum, &, vt ipſe ſolebat dicere, Galilæum ſtatim in prœlio ſenſit, & mercedem linguæ putidiſſimæ conto in ilia perfoſſus accepit.*

CAROLI SIGONII HISTORIARVM, DE OCCIDENTALI IMPERIO, LIBER VII.

IOVIANVS AVGVSTVS.

IVLIANO mortuo, poſtridie Iouianus domeſticorum ordinis primus Imperator militari fauore pronunciatur, oppido Singidone in Pannonia natus. Eo Imperium abnuente, quòd ſe Gentilibus imperare diceret nolle, milites ſe Chriſtianos eſſe clamarunt. atque ita volentem veſtibus Auguſtalibus exornatum, è tabernaculo eduxerunt, ac per agmina iam proficiſci parantia, deduxerunt. Interim Sapor de morte Iuliani edoctus, immiſſis elephantis, exercitum Romanum abire conatem, inuaſit, & cum duabus legionibus Iouiorum, & Victorum non ſine aliqua ſui calamitate conflixit. Kal. Iuliis exercitus abiens, Duram oppidum, Perſis hærentibus in terga, peruenit. cum ad Tigrim inde proceſſum eſſet, ibi quattriduum in conſultanda traiectione, quòd naues non ſuppeterent, eſt conſumptum, ac vehementer inedia laboratum. Ibi Iouianus legatis Saporis pacem poſcentibus duris conditionibus dedit. Siquidem & quinq; trans Tigrim à Galerio partis prouinciis, ſe ceſſurum, & Niſibim, ac Meſopotamiæ partem relicturum ſpopondit. atq; ita fœdus in annos XXX firmauit. Traiecto inde Tigri, non ſine multis periculorum, ac cladium caſibus Niſibim venit, ac caſtris extra mœnia poſitis, vrbem legatis Saporis, ipſis complorantibus incolis, tradidit. atq; inde reliquias Iuliani, prout ipſe mandarat, Tarſum ſepeliendas miſit.

Quin

Quin etiam legatos in Illyricum,& Gallias destinauit,vt nunciarent, Iulianum vita functum,& se post eius obitum ad fastigium Augustale prouectum,ac Lucillianum socerum suum agentem apud Sirmium conuenirent, ac redditis magisterij peditum,& equitum codicillis,properare Mediolanum vrgerent, vt res dubias confirmaret,& nouis casibus,si res ferret,occurreret.& Malarichum agentē in Italia,missis insignibus, Iouino succedere armorum magistrum per Gallias imperauit. Sæuiente inde hieme,venit Antiochiam. Ibi episcopis se adeuntibus, fidem Consubstantialis se tutaturum ostēdit, & Athanasium post obitum Iuliani ad ecclesiam Alexandrinam reuersum, sine cura esse iussit. atq; episcopos à Constantio relegatos, neq; à Iuliano restitutos reuocauit. Gentiles templa claudere, & cruenta sacrificia omittere imperauit. eoq; Antiochiæ morante, Meletius episcopus concilium habuit, quo fidem Nicænam firmauit. congiarium etiam à Iouiano ecclesiis datū est, quod à Constantino institutum à Iuliano fuerat abrogatum. Tarsum inde progressus,sepulchrum Iuliani exornauit. Tyanis autem Cappadociæ,legatos reuersos audiuit,nunciantes Lucillianum Mediolanum ingressum,cum cognouisset, Malarichum recusare magisterium, inde Rhemos se propere cōtulisse. milites etiam à Iouino missi rettulerunt,exercitū Gallicanum æquo animo ipsius Imperium esse amplexum. Valentiniano,qui cum iis redierat,secunda scutariorum schola commissa est. Ancyram inde in Galatiam cum venisset,ibi consulatum cum Varroniano filio iniit,puero adhuc in cunis vagiente. Ex quo loco cum Dadastanam accessisset, qui 364 locus Bithyniam distinguit à Galatis, nocte exanimatus inuentus est. Cuius mortis varia fama fuit. alij recēti calce cubiculi illiti ferre odorem noxium nequiuisse putarunt. quidam extuberato capite periisse succensione prunarum immensa; nonnulli ex colluuione ciborū auida cruditate distentum. Decessit XIII Kal. Martias anno XXXIII ætatis, inter bonos potius, quàm strenuos principes numeratus.

VALENTINIANVS MAIOR AVG.

IOVIANO ex humanis rebus exempto, principes cadauer Constantinopolim miserunt,vt inter Augustorum sepulchra reponeretur. Exercitus inde è Galatia profectus,septimo die Nicæam in Bithyniam venit. Ibi VI Kal. Martij à potestatum ciuilium,militiæq; rectoribus de successore ad tantum fastigium euehēdo relatum est. Cum alij Equitium scholæ primæ scutariorum tribunum,alij Ianuarium res castrenses per Illyricum procurantem dixissent, exercitus vtrumque repudiauit, ac Valentinianum agentem scholam scutariorum secundam Cibalis oppido Panponiæ natum, maxima animorum consensione delegit. atque extemplo Ancyra Galatiæ oppido, vbi remanserat, euocauit, nemine interim per dies decem Imperij gubernacula moderante. Valentinianus cum ad nutum exercitus aduolasset, tamen postero die prodire in publicum noluit, diem bis sextum Kal. Martij vitans, quòd eum sæpe reip. Romanæ infaustum fuisse non fugiebat. tertio vero die,conuocatis militibus, in campum cum processisset, iussu omnium tribunal ascendit, ac secundis cunctorum voluntatibus, & clamoribus Imperator esse iubetur. mox corona, & cultu Imperatorio decoratus, Augustus appellatur, & in clypeo militari more circumlatus, omni laudum genere celebratur. Cum autem exerta manu meditata quędam dicere vellet, exercitus ex omni parte vociferari cœpit,vt ipse sibi Imperij consortem asciseeret. Quod cum Constantius, ac prope pertinacius faceret, Valentinianus veritus,ne ea res grauiorem aliquem tumultum exciret,elata dextra,vt fiduciæ plenus, proximos quosdam insolentius se gerentes increpuit. ad vniuersos inde conuersus; Quod erat in vestra manu, inquit, nondum designato Imperij formatore,vos è rep. fideque vestra complestis, vt eum ad summam rerum euocaretis, quem ab ineunte vsque ad maturam ætatem integre,splendideque vixisse cognostis. Equidem collegam socia in omnes casus potestate adiungi oportere , & ego quoque intelligo, dum ingentem curarum imminentium molem cum animo meo reputo. sed concordiæ seruiendum est, qua res quoque minimæ adolescunt. quod fiet, si vos mihi libenter, quod vestrarum est partium, concedetis. cui rei me enixe operam daturum esse polliceor. interim per otium corporum,

animorumque vires recipite, ac protinus debita ob Auguſtalem nuncupationem munera expectate. Atq; ita ſedato clamore, ordinibus omnibus proſequentibus in regiam eſt progreſſus. Poſt diem tertium Nicæa diſcedens, primores, quos aduocauerat, ſciſcitatus eſt, quemnam collegam Imperij oporteret aſſumi. cui ſilentibus cunctis, Dagalaiphus equitum magiſter liberius, Si tuos, inquit, amas, habes fratrem, ſi remp. alium quære. Quo ille dicto offenſus, diſſimulato conſilio Kal. Martij citatis itineribus Nicomediam prodiit, atq; ibi Valentem fratrem ex Pæonia accitum ſtabulo ſuo cum tribunatus dignitate præfecit. Inde progreſſus Conſtantinopolim, Kal. Aprilis eundem in ſuburbanum produxit, ac ſummo omnium conſenſu, (neque enim refragari audebat quiſquam,) Auguſtum declarauit. atque Auguſtali trabea, ac regio diademate ornatum in eodem vehiculo ſecum reduxit, poteſtatis quidem eiuſdem participem, ſed more apparitoris obedientem. Inde rapidis febribus ambo tentati, vbi ſpem viuendi firmarunt, ſuſpectas morborum cauſſas Vrſacio officiorum magiſtro, & quæſtori Iuuentio commiſerunt, inuidiam amicis Iuliani conflantes, qui ſe occultis inſidiis inuaſiſſent. Sequenti inde menſe ambo Thracias peragrarunt, & cum Hadrianopolim, Philippopolim, Sardicamq; veniſſent, demum Naiſſum menſe Iunio in ſuperiorem Mœſiam acceſſerunt. Ibi Imperij, ducumq;, & numerorum militarium diuiſio facta eſt. prouinciæ Orientales ad Illyricum vſque conceſſæ Valenti. reliquas ad Occidentem pertinentes Valentinianus ſibi retinuit. Præfecti prætorio Salluſtius Orientem, Probus Illyricum, Mamertinus Italiam, Germanus Gallias gubernauit. Magiſtros vtriuſque militiæ Valens Victorem, & Arintheum, Valentinianus Iouinum, & Dagalaifum obtinuit. eadem quoque concordia numeri militares partiti. Quibus actis, ex Mœſia inde in Pannoniam proceſſerunt, &, cum Sirmium acceſſiſſent, vterq; inde ad ſuum adminiſtrandum Imperium abierunt. Ac Valens quidem Conſtantinopolim rediit, Valentinianus vero in Italiam tranſgreſſus menſe Septembri Aquileiam, atq; inde Altinum, tum Veronam, atque in exitu anni Mediolanum acceſſit. ſi quidem ex his locis omnibus reſcripta præcipua dedit. Romæ præfectus vrbis Apronianus ſeuerius, quàm moris erat, quæſtiones de veneno exercuit, multisq; ſupplicio affectis crudelior, quàm iuſtior, viſus eſt. Hilarius auriga confeſſus, ſe filium venefico cuidam ad diſcenda quædam occultiora, & lege vetita tradidiſſe, damnatus, cum laxius retinente carnifice elapſus in eccleſiam confugiſſet, illico extractus, deſecta ceruice, peremptus eſt. Senator autem quidam, cum ſeruum ſuum eadem diſciplina imbuendum curaſſe conuictus eſſet, ſupplicium pecunia grandi redemit. eo tamẽ regente, inopia, quæ aſſiduas plebis Rom. voces, ac querelas exprimere ſole-
365 bat, prorſus nulla fuit. Poſtero anno Valens Cõſtantinopoli, Valentinianus Mediolani, conſulatum iniuit. Hi quanquam ambo Chriſtianis addicti ſacris fuerunt, non idem tamen de Chriſto vterq; ſenſerunt. Nam Valentinianus fide ſtetit à Nicæno cõcilio conſtituta, Valens vero perfidię ſe dedidit Arrianæ, vt qui proxime initiatus fuerat ab Eudoxio epiſcopo Conſtantinopolitano, homine cum ipſo Arrio faciente. Vt autem Arrianis Valentinianus nihil moleſtiæ præbuit, ſic contra Valens Catholicos acerrime diuexauit. Quare rogatus à quibuſdam Macedonianæ opinionis epiſcopis, vt alterum Concilium de fide conſtituenda conuocari Lampſaci ſineret, quòd eos cum Eudoxio ſentire arbitrabatur, morem geſſit. inde primo vere Antiochiam verſus iter intendit, verens, ne Perſæ violato fœdere, quod cum Iouiano pepigerant, in fines Romanos irrumperent. in Bithynia vero certior factus, Gotthorum gentes coniurationem feciſſe, vt limites Thraciarum inuaderent, ne id facere poſſent, idoneam peditum, equitumque manum ad ea loca, in quibus barbarici metuebantur incurſus, immiſit. Inde, cum pacata apud Perſas omnia repperiſſet, otium ab armis nactus, totum ſe eis tradidit, qui Conſubſtantiale tuebantur, exagitandis, atque Euzoium Arrianorum Antiochiæ epiſcopum omnibus complexus honoribus, Meletium Catholicum vrbe, & finibus pepulit. Dum autem ille intentus huic operi in Aſia morabatur, Procopius quidam è Cilicia, qui Iulianum Auguſtum propinqua cognatione attingebat, magnas copias breui temporis ſpacio comparauit, atq; Imperator Conſtantinopoli magno fauore

populi salutatus vsq; eo processit audaciæ, vt arma aduersus ipsum ceperit. Interim qui Lampsaci episcopi conuenerunt, decreta contrà Eudoxij opinionem haud multum à Catholicis dissidentia ediderunt, atque Ariminense Concilium condemnarunt. neque ei incommodo Eudoxius, aut Valens propter bellum, quod à populo Constantinopolitano, duce Procopio, in Thracia gerebatur, occurrere potuerunt. Quo bello audito, Valens in tantas consilij difficultates adductus est, vt in Galatiam reuersus, Imperij deponere insignia cogitarit. In Occidēte Alemani iam pridem à Iuliano pacati rursus ad arma se contulerunt. Legati, quos ad comitatum miserant, minora, & leuiora, quàm pro vetere consuetudine, dona rettulerant. itaque, cum ea per iracundiam respuissent, atq; asperius habiti ab Vrsacio officiorum magistro fuissent, domum reuersi haud ægre suos ad vindicandam iniuriam concitarant. Quod vbi cognouit Valentinianus, Dagalaiphum peditum magistrum cum valida militum manu ad eos misit, atque ipse mox ex Italia in Galliam transiit. Alemani vero, traiecto Rheno cum proxima quæque loca diripuissent, domum impune repetierunt. Kalendis Nouembris Valentinianum Parisios prodeuntem Equitius de tumultu à Procopio concitato admonuit, qui se ab Antonio, in Dacia mediterranea tribuno, certiorem factum dicebat. Ea re cognita, Valentinianus Equitium redire in Illyricum iussit, metuens, ne hostis, superatis Thraciis, sese in Pannonias incitaret. voluit ipse quoque in Orientem accurrere, verum nobilium ciuitatum missis legationibus destitit, suppliciter orantium, ne Gallias desereret, ope ipsius præsentis egentes, easque iræ, atque armis Germanorum obiectas relinqueret, cum eas ipse præsens solo nominis sui metu maximis eximere periculis posset. Itaq; Rhemos progressus, Vulterium notarium misit, qui partem hostibus infestam defenderet. Eodem anno XII Kal. Augusti memorabile prodigiū prope in toto Imperio editum est. paulo post lucis exortum, crebris lapsis de cœlo fulminibus, tota terra vehemētissimo tremore concussa est. mare dispulsum reuolutis fluctibus retro abiit, ita vt pelagi profunditate retecta, pisces humo hærentes cernerentur, valliumq; & montium vastitates radiis solis, quos natura negarat, illustrarentur. Multis autem nauibus per vndarum reliquias ad capiendos pisces vltro, citroque vagantibus, ecce improuiso antiquas sedes marinæ vndæ petiuerunt. quo facto insulis, & porrectis continentis spaciis violenter illisæ, innumera vbique ędificia prorueruntt, & multa hominum millia absumpserunt, atque ingentia nauigia partim tectorum in culmina contulerunt, partim longe à littore propulerunt. Quā rem sic tetigit D. Hieronymus in vita Hilarionis: *Ea tempestate terræmotu totius orbis, qui post Iuliani mortem accidit, maria egressa sunt terminos suos, &, quasi rursum Deus diluuium minaretur, vel in antiquū chaos rediret omnia, naues ad prærupta delatæ montium pependerūt. Quod cum viderent Epidauritani frementes scilicet fluctus, & vndarum moles, & montes gurgitum littoribus inferri, verentes, quod iam euenisse cernebant, ne oppidum funditus subuerteretur, ingressi sunt ad Hilarionem, & quasi ad prælium proficiscentes, posuerunt eum in littore. Qui cum tria Crucis signa pinxisset in sabulo, manusq; contra tenderet, incredibile dictu est, in quantam altitudinem intumescens mare ante eum steterit. ac diu fremens, & quasi ad obicem indignari, paulatim in semetipsum relapsum sit.* Romæ præfectus vrbis Symmachus pōtem à se conditū magna populi lætitia dedicauit. Huic Lampadius successit, ex prętorio præfecto ad eam dignitatem elatus. qui adeo glorię cupiditate flagrauit, vt in omnibus vrbis partibus, quæ magnificis diuersorum principum impensis ornatę erant, nomen propriū inscripserit, laudem aucupans, non vt veterum ædificiorum instauratoris, sed vt nouorum conditoris. qua in re cum maligne, atque auare se gereret, incitata plebs infima quodā die cum facibus ad domum eius prope Lauacrum Constantinianū incendendam accurrit, sed à familia ex summis tectorum culminibus petita, nihil profecit. Lampadius tamen grauioris mali timore perterritus ad Pontem Muluuium secessit, atque ibi dum furor is elanguesceret, expectauit. Proximo anno, quo cōsulatum Gratianus nobilissimus puer, quem 366
Valentinianus Augustus ex Seuera susceperat, & Dagalaiphus ambo in Occidente gesserunt, Procopius Constantinopoli egressus, in Asiam aduersus Valentē exercitum, Gotthis addiuuantibus, duxit. cui Valens ex Antiochia in Phrygiam obuius

venit, commissoq; prælio, victus abscessit. Non multo pòst Procopius ab exercitu suo desertus, cum de salute propria laboraret, in nemora, mõtesq; recessit. ibi à ducibus suis captus, ad Valentem reductus, ac statim iussu eius per summũ cruciatum occisus est. bellum exeunte Maio cõfectum. Ea victoria elatus Valens, Procopij caput ad Valentinianum misit. Nicomediam inde regressus, curas bellicas aduersus eos, qui ab Arrianis dissidebant, conuertit. atque ibi Eleusiũ Cizyci episcopum accersitum, Arrianis episcopis congregatis assentiri exilio intẽtato coegit. Inde Constantinopolim profectus, Chalcedonem, quòd in partibus Procopianis fuisset, nudari parte mœniorũ Constantinopolim spectante, iussit, ac Catholicos, & Nouatianos, tanquam eidem opinioni addictos, vrbe deiecit, eorumq; occludi ecclesias iussit. Interim Eleusius Cizycum reuersus, vim sibi ab Imperatore factam conquestus, ecclesiæ administratione se abdicauit. Qua re audita, Eudoxius episcopus Constantinopolitanus Eunomium ei ecclesiæ præposuit. qui Cizycum profectus, iussu Valentis in sede est constitutus, homo eloquentiæ, ac dialecticæ potius, quàm sacrarum litterarum peritus. is primum Arrianam doctrinam professus, paulo pòst ab eis discessit, atque hæresim Arriana deteriorem, Eudoxio frustra renitente, induxit. quam qui amplexi sunt, ab eo Eunomiani dicti sunt, atque ab Eudoxio, & Arrianis se remouentes, conuentus seorsum habere cœperunt. Monitus inde Valens à Valentiniano, ad quẽ de belli ratione rettulerat, vt Gotthos inuaderet, quos auxiliis Procopium iuuisse constabat, Victorem magistrum equitum ad eos misit percontatũ, quam ob rem, cum in amicitia essent, de fide tam facile decessissent, ac bellum principibus legitimis pro adulterino fecissent. ij responsum reddiderunt, se litteras à Procopio accepisse, quibus Imperium ad se Constantini propinquitate trahebat. qua excusatione repudiata, bello eos persequi statuit. In Gallia Alemani post Kalendas Ianuarias rursus Gallico limite superato, proxima quæq; effusissime populati sunt. quibus Carietto per vtramq; Germaniam Comes occurrit, ascito in societatem Seueriano item Comite, qui apud Caledona legiones Diuitenses, & Tungricanas regebat. ij, ponte in flumen iniecto, audacter in fines hostium inuaserunt, ac prælia cum eis, sed infelicia miscuerunt. nam Seuerianus grauissime vulneratus, Carietto etiam morte affectus est. Herulorum, Batauorumq; vexillum, cum in eorum potestatem venisset, direptum. Itaque Valentinianus, vt huic cladi mederetur, propere Dagalaiphum Parisijs occurrere iussit, deinde reuocato illo, vt cum Gratiano filio consularia insignia sumeret, Iouinũ equitum magistrum summisit. is multis secundis prælijs factis, rem prolapsam restituit, quippe cum tribus hostium globis conflixit. primus, quem plane imparatum oppressit, prorsus ad internecionem deletus. secundum, cum lauantem, ac potantẽ offendisset, in fugam præcipitem compulit. in tertium inde, qui paratus pugnam expectabat, inuectus, prælium insigne commisit. quo nocte dirempto, fugientes hostes per nemora conquisiuit. regem eorum cum hastarij excepissent, patibulo suffixerunt. Redeunti Parisios Valentinianus obuiam lætus processit. eumquè in insequentem annum consulẽ declarauit. Cumulatus inde lætitiæ Germanicæ fructus est, quòd per eosdem dies Procopij caput à Valente transmissum aduenit. Eidem puer etiam natus est ex Iustina vxore, quem Valentinianum vocauit, eum, qui postea Imperauit. In Italia per Tusciam Annonariam res ridicula nouam animis religionem iniecit. Pistorij sub horã diei tertiam, spectantibus multis, asinus excelsum tribunal ascendit, atq; inde ruditum vsque adeo compositum edidit, vt populum accurrentem alloqui, & quædam dicere velle videretur. Macedoniani episcopi ab Arrianis iussu Valentis vexati, consiliis inter se occulte communicatis transire ad Catholicos decreuerunt, ac communi consensu legatos, quorum princeps erat Eustachius Sebastię episcopus, in Italiam ad Valentinianum Augustum, & Liberium pontificem mittunt, atque eis, vt cum Liberio, & ecclesia Romana consentiant, mandant. Legati profecti, cum in Italia Valentinianum non inuenissent, Liberio litteras reddiderunt. quas ille accipere noluit, negans sibi communionem cum iis esse posse, qui fidem Nicęni Concilij abrogarent. cui illi responderunt, se, saniore consilio capto, fidem eorum, qui filiũ partis dissimilem esse assererent, abiecisse, proindeq; ipsum,

vt se re-

vt se reciperet, obsecrare. cum autem Liberius postulasset, vt fidem suam scripto mandarent, libellũ illi tradiderunt; in quo, ceteris formulis condemnatis, in primisque Ariminensi Concilio reprobato, vna cum Nicæno, filium patri consubstantialem esse confessi sunt. Cum eos hoc modo Liberius tanquam sponsione aliqua se obstrinxisse putaret, tum in communionem accepit, datisq; ad Macedonianos episcopos litteris, benigne dimisit. Sedente Romæ Liberio, ingens prodigium, quod pios perfundere religione animos posset, est factum. Ioannes Patricius liberorum orbitatem iniquo animo patiens, summis precibus à Maria Virgine Dei genitrice contendit, vt se aut prolis compotem faceret, aut de idoneo instituendo herede doceret. nocte vero sequenti, ipsam se videre virginẽ in quiete visus est, admonentem, vt sua impensa templum sibi in Exquilijs conderet in eo loco, quem postridie, qui erat Nonis Augusti futurus, niue conspersum vidisset. itaque somno solutus rem propere ad Liberium detulit. qui cum idem se quoque vidisse assereret, religione tactus, in Exquilias cum magno populi comitatu processit, ac niue contra anni rationem inuenta, locum basilicę designauit, ac Ioannis pecunia constructam, D. Mariæ virgini primam in vrbe dedicauit. ac Solemne tanto miraculo, quod nunc quoque obseruatur, instituit. Eo inde VIII Kal. Octobris mortuo, comitia nouo creando pontifici sunt indicta. Kalẽdis Octobris populus conuocatus Damasum Diaconum, domo Hispanum, doctrinæ, ac probitatis eximiæ virum creauit. Quod sentiens Vrsicinus competitor eius, separatim ab Ecclesia conuentum egit, & in basilica Sicinini à nonnullis creatus, se à Tiburtino consecrari episcopo iussit. Qua re cognita, repente pars Damasi, quæ opibus præualebat, accurrit, atque indignatione accensa, præliũ adeo atrox commisit, vt in eo centum homines, ac triginta ceciderint. Viuentius præfectus vrbis, cum seditionem componere conatus non potuisset, auxilio desperato, in suburbanũ se rettulit. Lupicino inde, Iouinoq; 367
consulibus, appetente vere, Valens in Mœsiam profectus, prope munimentum nomine Daphnem, castra locauit, ponteq; ex nauibus in Danubium facto, flumen resistentibus nullis traiecit, atq; hostes summa cura conquirere instituit. verum cum neminem reperiret, quod omnes in montes Serrorum omnibus, nisi peritis, inaccessos sese rettulerant, ne, æstate tota consumpta, sine vllo reuerteretur effectu, Arintheo peditũ magistro ad prædas agendas misso, in Mœsiam se recepit. VI Nonas Iulij Constantinopoli grando magnitudine inusitata de cœlo cadens, nonnullos homines interemit, plerisq; immissam à Deo vulgo ferentibus, quod multi sacerdotes relegati fuissent, quia cum Eudoxio communione iungi noluissent. Valentinianus apud Ambianos constitutus adeo periculoso morbo iactatus est, vt quidã illius vitæ diffidentes, occulta de successore substituendo consilia coquerent, alii Rusticum Iulianum memoriæ magistrum, alii Seuerum peditum magistrum sermonibus destinantes. Quod ubi ille ex morbo recreatus comperit, Gratianum filium, nondum puberem, Augustali afficere dignitate decreuit. req; cum exercitu constituta, vt animis eum promptis acciperet, XIII Kal. Septembris progressus in campum, tribunal ascẽdit, & nobilium potestatum corona cinctus, puerum dextra apprehensum produxit, atq; Imperatorem renunciatum ipsis militibus commendauit. cuius nondũ expletam orationem exercitus ingenti clamore excepit, ac certatim alius præire alium gestiens, voluntatem, iudiciumq; eius summa se animorum alacritate comprobare significauit. Qua re excitatus Valentinianus, Gratianum corona, & Augustalibus ornamentis indutum osculatus, En habes, inquit, mi Gratiane amictus Augustos meo, commilitonumq; nostrorum arbitrio, ominibus faustis delatos. accingere pro rerum vrgentium mole, vt patris, & patrui collega, & assuesce impauidus penetrare cum agminibus peditum Danubium, & Rhenum, armatis tuis proximus stare, sanguinem pro ijs, quos regis, effundere, nihil alienum quod ad Romani Imperij defensionem pertineat, ducere. vos vero rogo commilitones, vt Imperatorem vestrę fidei commissum studio eximio complectamini. His dictis, Eupraxius magister memorię primus omnium exclamauit: Familia Gratiani hoc meretur. statimq; promotus est ad quæsturam. Inde vtrumque Imperatorem milites præclaris laudibus exceperunt, sed maxime Gratianum, quem excellens

quędam animi,& corporis indoles pręcipue omnibus commendabat. Fecit autem hoc nouo exemplo Valentinianus, quod fratrem,& filium designatos, nō Cæsares, sed Augustos vocarit. neq; enim vt inquit Ammianus, quisquā sibi asciuit pari potestate collegā, præter Marcum, qui Verum fratrem adoptiuum sine diminutione aliqua maiestatis Imperatoriæ sibi constituit sociū. Post paucos dies Mamertinum præfectū prætorio ab vrbe regressum, quod ad quædam emendanda contenderat, Auitianus ex vicario de peculatu postulauit. atq; ideo in eius locum Vulcatius Rufinus est subrogatus. qui nactus copiam principis, Orfitum ex pręfecto vrbis ab exilio reuocauit. Eodem etiam tempore nimiæ Valentiniani asperitas in iudiciis terrori omnibus fuit. Dioclem ex Comite largitionum Illyrici ob leuia crimina iussit exuri. Diodorus vero ex Agente in rebus, & tres apparitores potestatis vicariæ per Italiam, ob id vexati atrociter, quod apud eum questus est Comes, Diodorum quidem aduersus se ciuiliter implorasse iuris auxilium, officiales vero iussu iudicis ausos monere proficiscentem, vt responderet ex lege. Eorum memoriam apud Mediolanum colentes Christiani, locum sepulturæ, ad Innocentes vocarunt. Itaque, cum in caussa cuiusdam Maxentii trium oppidorum ordines tractari iussisset, Eupraxius quæstor interpellauit, & parcius, inquit, agito Princeps, nam quos interfici, tanquam noxios, iubes, Christiani pro martyribus colunt. & cum in alia re venia digna iussisset, ternos per ordines vrbium plurimarum interimi, Florentius præfectus, Et quid agetur, inquit, si quo in oppido tam multi curiales non essent? Huic diritati illud accessit, quod si quis eum audisset, iudicium potentis inimici declinans, aliumq; sibi dari iudicē petens, ad eundē, quem metuebat, licet multa prætenderet iusta, reiecit. Vbi debitorē aliquem propter rei familiaris angustias soluēdo nōn esse audiuit, interfici oportere pronunciauit. Eodē tempore bellum graue in Britannia est coortum. erant autē Picti, qui in duas gentes Caledonas, & Vecturiones diuisi, vna cum Atacottis, & Scotis infestis insulam populationibus afflixerunt. itemq; Saxones, atq; eis finitimi Franci, qui quo quisq; mari, terraq; perrumpere potuit, prædis, incendiisq; faciendis, atq; hominibus in seruitutem abstrahendis fœde omnia laniarunt. Valentinianus autem cum ex Ambianis Treuiros proficiscens accepisset, Nectaridium Comitem maritimi tractus occisum, & Bulchobaudem ducem insidiis ab iis circunuentum, Theodosium Theodosij, qui postea Imperauit, patrem, virum bello egregium, in Britanniam destinauit. Theodosius exercitu accepto, cum ad Bononiense littus venisset, secundo æstu traiecit, ac Rutupias stationem è regione prospere tenuit. Batauis, inde, Herulis, Iouiis, & Victoribus, quos se subsequi iusserat, exceptis, Londinium oppidum prodiit, atq; inde vagantes prædatorum cateruas adortus, pecora, captiuosq; relinquere compulit. ac parte exigua militibus tradita, cum reliquam iis, quorū fuerat, reddidisset, lætus in vrbem ouantis in modum se rettulit. Captiuorum inde sermonibus, & perfugarum indiciis cum didicisset, diffusam variarum gentium mulitudinem non nisi dolis occultioribus, & improuisis incursionibus opprimi posse, præfectos mitti ad regendā prouinciam postulauit. missus est Ciuilis, vt prouinciam regeret, Dulcitius, vt exercitui præesset. Latinus Pacatus in oratione, qua laudauit Theodosium, rettulit, attritam ab hoc pedestribus prœliis Batauiā, Saxones bellis naualibus consumptos, Scotos ad paludes suas redactos. Romæ, feruēte adhuc de pontifice legendo seditione, Maximus præfectus vrbis, vt incitatos ad cædem animos cohiberet, seuerissimas de laicis, clericisq; Damasianis quæstiones habuit. eosque variis tormētis affecit. Prætextatus autem successor eius, vir probus, ac iustus, eundem tumultum lenire ingressus, caussæ veritate perspecta, Vrsicinum ex vrbe pepulit, ac ciuitati ocium peperit. is ecclesiæ Neapolitanæ præfectus est. Multa alia egregia à Prætextato gesta clarum eius magistratum effecerunt. Nam & mœniana sustulit omnia, priscis quoq; legibus interdicta. & parietes priuatorum ab ædibus sacris discreuit iisdem inuerecunde coniunctos. & pondera per regiones vniuersas instituit, cum libidini multorum pro arbitrio lances componentium occurri nequiret, & lites summa cum omnium gratia iudicauit. Valentiniano inde, & Valente
368 Augustis secundum consulatum gerentibus, Valens ex Mœsia iterum transire in

regionem

regionem Gotthorum conatus, diu Danubii tranſitum inquiſiuit, verum, Gotthis contrà tendentibus fruſtra laborauit. Itaq; cum caſtra prope Carporum vicum vſque ad autumnum habuiſſet, tandem Marcianopolim in hiberna receſſit. In Britannia Theodoſius à Londinio profectus, euerſis Britannorum fortunis, auxilium maximum tulit, cum opportuna quæque barbaris ad inſidias loca præriperet, nec maius gregariis militibus onus imponeret, quàm ipſe ſuſciperet. Itaq; variis gentibus fuſis, ac fugatis, ciuitates, ac caſtra in integrum ſunt reſtituta, quæ variis fuerunt incommodis afflictata. Valentinianum etiam Pannonium in Britannia exulem, cum res nouas moliens populos ad arma ſolicitaret, antequam opes confirmare poſſet ſuas, oppreſſit, eumq; Dulcitio puniendum dedit. de coniuratis quæſtiones haberi prohibuit, ne ſupplicii metu quieſcentem tumultum redintegraret. atque ad extremum, munita, conſtitutaq; prouincia, ad Valentinianũ reuerſus, magiſter equitum in locum Iouini eſt factus. In Gallia Valentiniano ad expeditionem profecto, Rando regalis, traiecto cum expeditis hominibus Rheno, Maguncìacum præſidiis vacuũ clam acceſſit, ac Chriſtianos Solemni maximo occupatos adeptus, vniuerſos vtriuſque ſexus, ac fortunæ homines cum ingenti ſupellectile auertit. Qua re Romani incenſi, Vitichabium regem eorum omnium tumultuum auctorem, quia aliter non potuerunt, miniſtro mercede corrupto, peremerunt. atq; ita feroces aliquantiſper Alemanorum impetus retuderunt. Valentinianus inde, copiis, & commeatibus maximis expeditus, & Sebaſtiano Comite cum Illyricis, & Italicis numeris accerſito, maturo iam vere, Rhenum vna cum Gratiano Auguſto tranſmiſit, atq; exploratis per peritos duces itineribus, ſenſim ad interiores hoſtium gentes acceſſit. nemine autem, qui obuiam iret, inuento, ſegetes omnes, niſi quas ſibi neceſſarias duxit, incendit. progreſſus inde vlterius, cum ad Solicinium perueniſſet, hoſtes non longe conſtitutos inuenit. ij, cum nullam ſalutis tuendæ, niſi repentino facto in Romanos incurſu, rationem haberent, locorum notitia freti montem occupauerunt excelſum admodum, atq; ab omni parte, præterquam à Septentrione, abruptum. atq; ibi ſignis locatis, ſubito ad arma conclamauerunt. Hac re animaduerſa, Romani haud cunctandum ſibi duxerunt, quin ad illos contenderent, ac ſummo prœlio decertarent. Igitur Sebaſtianus cum ſuis ad partem ſeptentrionalem adiit. Valentinianus autem, Gratiano apud ſigna Iouinianorum relicto, ad radices montis explorandas proceſſit cum paucis, quorum induſtriam, & fidem perſpectam habebat, aſſerens, aliam reperiri poſſe in montem viam, præter eam, quam procurſatores oſtenderant. verum cum per ignota loca, & paluſtres vligines inconſultius tenderet, in inſidias hoſtium incidit, à quibus facile oppreſſus fuiſſet, niſi incitato repente per limum equo, regreſſus in legionum ſe gremium recepiſſet. verum periculo adeo proximus fuit, vt galeam eius cubicularius ferens auro, lapilliſq; diſtinctam, cum ipſa penitus interierit. Inde, quiete reficiendis corporibus data, ſignoq; ſublato, quo ſolent ad pugnã milites incitari, aduerſus hoſtes ire contendit. præibant duo præſtantis animi iuuenes Saluius, & Lupicinus, ſcutarius vnus, è ſchola Gentilium alter. ij, cum ad rupes obiectas veniſſent, licet ingenti hoſtium conatu repulſi, in ſummum euaſerunt. quo facto atrox inter vtraſque acies prœlium eſt exortũ. & licet Romani, Valentiniano, & Sebaſtiano duce, iniquiore multo loco pugnarent, ſic tamen virtute valuerunt, vt hoſtes ad extremum terga dare coegerint. Qui effugerunt, diſperſi per ſiluas ſe latebris conſeruarunt. ex Romanorũ tamẽ parte optimus quiſq; dux cecidit. Atq; his actis, Imperatores, exercitu in hiberna dimiſſo, Treuiros reuerterunt. Vulcatio Rufino vita functo, Probus ad præfecturam prætorianam ab vrbe accitus. v Idus Octobris, terræmotũ in Bithynia facto, vrbs Nicæna procubuit. quo prodigio Eudoxius, & Valens haud quaquam exterriti, acerbe ſæuire in eos, qui à ſe in fide diſſentiebant, perrexerunt. cum plurimos epiſcopos exegiſſent, Baſiliũ tamen Cæſariæ, & Gregoriũ Nazianzi epiſcopos ex Cappadocia, & Athanaſiũ Alexandriæ non attigerũt, homines pietate, atq; eruditione inter ceteros eminẽtes. Cum Italia poſt Concilium Ariminenſe in maximis verſata motibus propter perfidiam Arrianã fuiſſet, præcipue Auxentio Mediolani epiſcopo perfurente, demum Damaſus, vir ſanctus, vbi primum ab

Vrsicino fuit quietus, Ariminensem illam, quæ in Ecclesia Occidentali adhuc insederat, tollere labem constituit. atq; episcopos ex Italia, & Gallia Romam ad Concilium aduocauit. nonaginta conuenere. Ex eorum auctoritate, Nicæna de Consubstantiali sententia confirmata, Ariminense Concilium, vt teterrimum, abrogatum, quiq; ei assentirent, ab Ecclesiæ communione semoti: nominatim vero Auxentius episcopus Mediolanensis damnatus, qui solus in Italia Nicænum Conciliũ oppugnabat, ac Mediolanensem ecclesiam, & finitimas fœdissime deprauabat. ac decreta Concilij ad episcopos Illyrici missa. Valentinianus enim, cum episcopos Asiæ doctrinam Nicænam in controuersiam vocasse audiret, vt ei malo occurreret, Concilium haberi ab Illyricis episcopis iussit. qui, cum fidem Consubstantialis retinuissent, ea de re sibi & Asianos episcopos, & Valentẽ fratrem litteris commonendũ putauit in quibus hæc verba fuerunt: *Ipsa acta ad vos mittimus, vt intelligatis, quæ ab hoc concilio decreta sunt, quæ summatim hæc continent; Sententiã magni, & orthodoxi Concilij Nicæni sequentes, confitemur, filium patri consubstantialẽ esse. neq; ita intelligimus consubstantialẽ, vti quidam pridem exponebant, similem. per quam vocẽ filius nulli creaturæ per ipsum conditæ, sed soli patri similis ostenditur. Qui tradunt, filiũ Dei nihil aliud, quàm creaturã eximiam esse, impie plane definiunt. Nos autem non aliter sentimus, atq; duo Concilia præsentia: quorum alterum iam Romæ, alterum habetur in Gallia, nimirum vnam, eandemq; essentiam esse patris, & filij, & spiritus sancti in tribus personis, hoc est, in tribus perfectis hypostasesi.* Idem etiam Valentem rogauit, vt saniora de fide consilia sequi, & Catholicis in Oriente vexandis parcere vellet. Atq; ita toto Oriente turbato, Oc-
369 cidens in magna propter fidem tranquillitate versatus est. Valentiniano inde nobilissimo puero, & Victore consulibus, Auxentio Mediolani episcopo Romæ condemnato, atq; vrbe exacto, populus de more ad comitia successori creando in templo conuenit. Ibi ciuitate discordia laborante, cum alii alium pro cuiusque studio poscerent, breui rem ad iurgia, & praua certamina deduxerunt. satisq; apparebat, neutram partem pertinaciæ modum facturã, nisi eo, quem quisque diceret, episcopo designato. Qua re cognita Ambrosius ciuis Ro. qui Liguriæ, atq; Aemiliæ Consularis Mediolani sedebat, vt tumultum comprimeret, ad templum accurrit, atque apud eos, quæ opportuna visa sunt, disserere de concordia, & pace Ecclesiæ cœpit. adhuc vero illo loquente, pueri vox in turba increpuit, Ambrosiũ episcopum acclamantis. quam vbi populus adiuit, auide non aliter, ac si de cœlo missa esset, arripuit, & continuo, consentientibus ambarũ partium animis, ipsum, ad baptismum (nam catechumenus erat,) & episcopatum accipiendũ orauit. sic enim fore vt ciuitatis concordia coalesceret. Qua re audita Ambrosius, vt populi studia in aliũ se digniorẽ auerteret, templo egressus tribunal ascendit, ac capitalem quæstionẽ exercuit. Quod cõspicatus populus, clamare cœpit: Peccatũ tuum Ambrosi super nos; tuorum tibi remissionem peccatorum per baptismatis gratiam pollicemur. atque hoc idem, cum ille domum regressus se philosophiæ studio tradidisset, ac publicas mulieres ad se publice accedere præcepisset, effecit. Postquam autem instanti se resistere populo non posse vidit, media nocte vrbe abiit, ac Ticinum versus iter intendit. verum errore viæ prima luce ad eandem, vnde exierat, portam, quæ Romana iam tum dicebatur, appetiit. Quem vt populus vidit, arreptum asseruauit, ac relationem ad Valentinianum in Galliam misit. Valentinianus hoc cognito, Gratias ago Deo, inquit, quòd quos ego reip. administrandæ præficio, eos ille ad ecclesiam suam gubernandam deposcit. ratusq; eam electionẽ bono ecclesiæ Mediolanensi futurã, vicario, vt rem ad exitũ perduceret, imperauit. Interim Ambrosius ex custodia elapsus, in fundo Leontij viri clarissimi se occuluit. verum, vbi edictum à vicario propositum fuit, à Leontio proditus, Mediolanum repetiit, ac se in populi potestate esse professus, ab episcopo Catholico baptismum, ac post dies octo episcopalem consecrationẽ accepit. atq; inde ecclesiam ordinare, atq; Arrianos ab Auxentio illatos ex vrbe, atq; ex prouincia deturbare instituit. Euasit enim vir sanctitate, eruditione, & multorum signorum editione insignis: ita vt eum magistrum, doctoremq; Ecclesia Occidentalis asciuerit. Interim Valens, vt aliquando tandem meritas de Gotthis pœnas expeteret, per Nouiodunum, iunctis nauibus,

amnem

amnem transmisit, atque in agrum Gotthorum irrupit. inde continuatis itineribus longius agentes Teruingos, gentem eorum bellicosam, aggressus, post leuiora certamina edita Athanaricum iudicem potentissimum resistere ausum, in fugam compulit. demum cum toto exercitu in hiberna reuertit. Interim Gotthi ex diuturna principis in Mœsia mansione in timorem sui adducti, & ex vetitis commerciis summa rerum omnium necessariarum inopia conflictati, verba de pace intulerunt; cuius mentionem cum æquis Valens auribus accepisset, Victorem, & Arintheum militiæ magistros ad rem transigendam misit. die vero ad conficiendum negotium præstituta, quoniam aiebat Athanaricus, se religione, & mandato patrio impediri, quo minus Romanum solum iniret, neque decorum erat, ad eum Romanum Imperatorem transire, placuit, vt nauibus in medio flumine conuenirent. atque ita, acceptis obsidibus, Valens tertio Gotthici belli anno Constantinopolim rediit. In Gallia Valentinianus, vt infestas Germanorum incursiones arceret, Rhenum à Rhætiis vsque ad Oceanum magnis munire molibus est adortus. itaque castella, & turres excelsas, qua Galliarum porrigitur longitudo, construxit. in aliquot etiam locis trans flumen ædificia posuit, ac barbarorum fines præstrinxit. cum autem munitiones has, Nicro flumine præterlabente, paulatim corrumpi posse immani vndarum impetu cerneret, cursum fluminis alio auertere statuit. & quæsitis aquariæ rei peritis, atque ingenti militum manu adhibita, opus instituit, ac magna & sua, & militum constantia, ac patientia consummauit. ad montem vero Piri trans Rhenum munimentum cupiens excitare, Aratori duci, & Syagrio notario id negotij dedit, qui fundamentis iactis, Hermogenem successorem obtinuit. Neque ita multo post ex abdito collis hostilis manus erupit. quæ facto in milites impetu, plerosque seminudos, atque humum egerentes trucidauit, duosq; duces occidit. Et hoc anno Romæ nimia iudiciorum seueritate laboratum est. Eius rei hinc initium ductum. Chilo ex vicario, & coniux Maxima questi apud Olybrium vrbis præfectum, vitam suam venenis petitam, impetrarunt, vt qui suspecti essent, in vincula traderentur; ac mox, Olybrio aduersa valetudine impedito, vt iudicium Maximino præfecto annonæ committeretur. Cum autem multi nobiles multorum scelerum auctores nominati in quæstionibus fuissent, Valentinianus certior factus, non posse, nisi acrioribus suppliciis inquiri, & vindicari flagitia, quibus se multi Romæ obstrinxissent, mandauit, vt quæstiones solito asperiores adhiberentur. atque omnes torqueri permisit, quos imperatorum constitutiones tormentis exemissent. Ita multi nobiles iuxta, atque ignobiles, viri, ac fœminæ variis de criminibus capite damnati sunt. Ob eam rem cum nemo esset tam innocens, quin tormenta, & vincula somniaret, Romani legatos ad Valentinianum miserunt oratum, ne pœnas delictis grauiores experi pateretur. Ille autem, cum ignorationem facti excusasset, nihil tamen de quæstionum acerbitate remisit. Maximinus autem cum suopte ingenio, tum principis indulgentia ferox eo truculentiæ processit, vt dicere non dubitarit, neminem, se inuito, inueniri posse insontem. apparitores autem ad fallendum aptos emisit, qui deflendo casus, quibus se simulabant oppressos, ac iudicis exaggerando crudelitatem asserebant, nullum his malis remedium aliud superesse, quàm si nobiles viri eorundem criminum socii proderentur, quorum gratia absoluerentur, qui minus opibus in ciuitate valerent. Postero anno, qui fuit Christi 370
CCCLXX, Valentiniano, & Valente Augustis, ambobus tertium consulibus, Valente Cōstantinopoli Nicomediā profecto, Eudoxius episcopus vita cessit. in cuius locū Arriani Demophilum, Catholici vero recuperandæ sedis caussa Euagriū designarūt. qua de re grauis inter eos est orta contentio. quæ ne ingrauesceret, Valens veritus, missis Nicomedia ad vrbē militibus, Euagriū alio relegari mandauit. Vnde Arriani elati, Catholicos omnibus, quibus potuerūt, incommodis affecerunt. Quæ cum illi ferre nō possent, legatos octoginta Nicomediā iniurias deprecatū miserūt; quos Valens non modo non audiit, sed noua etiā, atq; acerba morte multandos curauit; cuius supplicij diritatē mox insignis frugum omniū inopia excepit, quę Phrygiā grauissime perculit. qua re neglecta, Valens Nicomedia Antiochiam adiit, atq;

ibi omni genere cruciatuum adhibendo, sæuire in Catholicos instituit. Per eosdem dies, cum nefario quorundam hominum vaticinio cognouisset, eum sibi successurum, qui THEOD primis nominis sui litteris præferret, omnes Theodosios, Theodoros, Theodotosq́; quos ad Imperium idoneos duxit, è medio tollendos curauit. quo facto, multi nomina à parentibus sibi imposita posuerunt, atque alia minus periculo obnoxia induerunt. Interim nouum in Galliam bellum à Saxonibus est illatum. Hi Oceani, quem accolebant, difficultatibus superatis, limitē Romanum inuecti, in Galliam penetrarunt. Erat Nannienus ijs regionibus Comes præfectus. is aduersus eos progressus, haud ægre primam belli procellam sustinuit. pòst autem infelici prælio edito, & vulnere graui accepto, cum infirmum eum, vt aduersus tantum hostem, Valentinianus animaduerteret, Seuerum magistrum peditum misit. qui ingenti militum manu adducta, tantum terrorem hostibus intulit, vt in conspectum se dare nō ausi, extemplo veniam, pacemq́; poposcerint. Cum autem Saxones domum per eadem loca, quibus venerant, securi, ac nulla de re timentes, repeterent, firma Romanorum peditum manus à valido cataphractorum equitum globo adiuta, sic eos in itinere circunuenit, vt ad vnum omnes cæciderit. His gestis, Valentinianus, vt inquietam Germaniæ gentem, quacunq; posset, ratione deleret, Burgundiones aduersus eos solicitare decreuit. qui Druso, & Tiberio Augusti filiis per castra quondam Germaniæ constituti, in magnum iam populum coaluerant, ex eo nomen adepti, quòd crebra per limites habitacula constituta illi Burgos vocabant. Cum autem quieti adhuc intra fines ita se continuissent, vt neminem vltro armis lacesserent, Valentinianus, missis furtim nunciis, cum eorum regibus pepigit, vt ipsi constituta die ab vna parte Alemanos inuaderent, nam se, transmisso Rheno, ab altera aggressurum. Burgundiones autem, & quòd se progeniem esse Romanorum iactabant, & quòd cum Alemanis de salinis assidue contendebant, Valentiniano libenter obsequuti, legiones militum, ea LXXX millia fuisse feruntur, propere conscripserunt. quæ ad Rhenum, antequam Romanus exercitus conueniret, progressæ, Imperatorem forte in extruendis monumentis occupatum, nec opinato timore perterruerunt. Paulisper autem morati, cum neque Valentinianus die constituto venisset, neque promissorum aliquod præstitisset, missis ad comitatum legatis, petierunt, vt sibi domū repetentibus manus auxiliaris daretur, quæ nuda relicta aduersus hostes terga protegeret. Quod vbi neque diserte negari sibi, neq; prompte concedi viderunt, indignatione accensi discesserunt. Reges illusos se arbitrati, captiuis male habitis, domos quisq; suas se retulerunt. Hac occasione Theodosius magister militum inuitatus Alemanos Burgundionum metu dispersos per Rhætiarum fines adortus, eorum plurimos strauit. quos vero captiuos fecit, iussu Valentiniani in Italiam misit, atq; eis fertiles circa Padum agros attribuit, tributariosq; constituit. Cum adhuc Olybrius vrbis præfecturam administraret, Valentinianus inter tumultus bellicos, cura studiorum liberalium non omissa, IIII Idus Martias edictum ad eum de studiis vrbis Romæ misit, in hæc verba: *Quicunq; ad vrbē discendi cupiditate veniunt, primum ad magistrum census prouincialium iudicum, quibus copia danda est veniendi, eiusmodi litteras proferant, vt oppida hominum, & natales, & merita expressa teneantur. deinde vt in primo statim profiteantur introitu, quibus potissimum studijs nauare proponant. tertio vt hospitia eorum solicite censualium norit officium, quo ei rei impertiant curā, quam se asseruerint expetisse. Iidem immineant censuales, vt singuli eorum tales se in conuentibus præbeant, quales esse debent, qui turpem, inhonestamq́; famam, & consociationes, quas proximus esse putamus criminibus, æstiment fugiendas, neve spectacula frequentius adeant, aut appetant vulgo intempestiua conuiuia. Quin etiam tribuimus potestatem, vt si quis in his non ita in vrbe se gesserit, quemadmodum liberalium artium dignitas poscat, publice verberibus affectus, statimq́; nauigio superpositus, abiiciatur vrbe, domumq́; redeat. His sane, qui sedulo operam professionibus nauant, vsque ad vicesimum ætatis suæ annum Romæ liceat commorari. post id vero tempus qui neglexerit sponte remeare, sollicitudine præfecturæ etiam impurius ad patriam reuertatur.* Scripsit inde III Kal. Maij de professoribus ad Principum præfectum vrbis, ita: *Medicis, & magistris vrbis Romæ sciant omnes immunitatem esse concessam, ita*

vt etiam

vt etiam vxores eorum ab omni inquietudine tribuantur immunes, & à ceteris oneribus pu-
blicis vacent, eosdemq́; ad militiam minime comprehendi placeat. Eiusdem etiam edictum
de moribus clericorum lectum est in ecclesiis III Kal. Augusti ad Damasum vrbis
episcopum missum: *Ecclesiasticis, aut ex ecclesiasticis, vel qui continentium se volunt nomi-*
ne nuncupari, viduarũ, ac pupillarum domos non adeant, sed publicis exterminentur iudiciis
si posthac eos affines earum, vel propinqui putauerint deferendos. Gratiano inde Augusto
iterũ, & Petronio Probo consulibus, à barbarorum armis ocium fuit. Valens, cum 371
esset Antiochiæ, de Athanasii episcopi Alexandriæ celeberrimi morte certior ab
lætis Arrianis factus, quorũ caussam nemo, dum vixit, oppugnauit ardentius, cum
viuentis hominis verecundia ab affligenda Alexandrina ecclesia temperasset, mor-
te eius comperta, perrexit Alexandriam; & Petro, qui ei subrogatus à Catholicis
fuerat, in vincula tradito, Lucium Arrianum in sede reposuit. Petrus inde è car-
cere elapsus, Romam ad pontificem Damasum adiit. in Ægyptios Catholicos in-
de sæuiri acerrime cœptum. In Gallia Martinus Sabariensis, de quo ante in Iuliano
diximus, non solum vita, sed etiam miraculis inclytus ecclesiam Turronensem ad-
ministrandam accepit. In Italia Ambrosius archiepiscopus Mediolanensis tanta
sanctitatis opinione florere cœpit, vt Placentini, & Bononienses filias ad eum Me-
diolanum vsq; sacrandas, velandasq; transmiserint. quod ipse in libro de Virginibus
tradidit, quem tertio, postquam episcopus erat, anno conscripsit. Eusebius episco-
pus Vercellensis acer Nicænæ fidei vindex ad cœlos migrauit. Romæ præfectus
vrbis Ampelius mores ciuitatis corruptos emendare aggressus, constituit, ne ta-
berna vinaria ante horam quartã aperiretur, neve aquam quisquam vulgariũ cale-
faceret, neue ad præstitutum diei spaciũ lixæ coctam carnem proponerent, vel ho-
nestus aliquis mandens in publico versaretur. Quæ probra perniciosa magistratuũ
dissimulatione mirifice corruperant ciuitatẽ. Annus inde, Modesto, & Arintheo
cõsulibus, prorsus quietus ab armis fuit. Eo anno Martinus Turronensis episcopus 372
sese, quantus esset, in Gallia Valentiniano ostendit. Valentinianus Iustinæ vxoris
mulieris Arrianæ instinctu Martinum ad se adeuntem sæpius Palatii foribus iussit
arceri. Quare Martinus cilicio obuolutus, ac cinere conspersus, ieiunia, precatio-
nesq; iniuit, ac septimo die iussus ab angelo, Palatium repetiit, ac patentibus fori-
bus, vsq; ad Valentinianum, nemine prohibente, peruenit. cui Valentinianus pro-
deuntem eminus conspicatus, infrendens, cur fuisset admissus, nequaquam assur-
rexit. ecce autem repente sellam ignis inuasit ipsumq; ea parte corporis, qua sede-
bat, afflauit. tum vero solio excussus honorem habuit, ac benigne complexus, prius
omnia præstitit, quàm rogaretur. Colloquio, & conuiuio adhibuit, ac postremò
abeuntem multis muneribus prosequutus est, quæ ille magno animo cuncta reie-
cit. Valens item, cum Antiochiæ belli vacuus curis sederet, eos persequi, qui Con-
substantiale tuebantur, perrexit. quod cum Themistius philosophus cerneret, rẽ
improbata, placare ipsum oratione aggressus est, docens, multo plures apud Genti-
les de Deo dissensiones esse, Deumq; velle tam dispari opinionũ ratione gloriam
suam illustrare, vt singuli eo maiore maiestatis suæ veneratione ducantur, quo mi-
nus eius notione fruantur. Valentiniano inde, & Valente quartum consulibus, 373
Valentiniauus in id intentus, vt Macrianum regem Alemanorum, qui adultis viri-
bus bellum aduersus Romanos parabat, aut viuum caperet, aut insidiis tolleret,
tacite Rheno pontem imposuit, ac Seuerum cum pedestribus copiis præire man-
dauit. qui animaduersa suorum militum paucitate, ne incumbente hostium pre-
meretur multitudine, veritus, Valentinianũ cum reliquo sibi expectandum exer-
citu duxit. Valentiniano vero cum omnibus copiis accedente, hostes exterriti re-
gem carpento celeri imposuerunt, atq; in circumfractos colles angusti aditus tran-
stulerunt. Valentinianus vero, regione hostium vsque ad septuaginta millia pas-
suum inflammata, Treuiros parum lætus reuertit, ac Bucinobantibus, quæ est
gens Alemana, regem Fraomarium dedit. quem postea, quia vastatus pagus eius
erat, in Britanniã transtulit, ac tribunum numero Alemanorum præfecit. Eodem
etiam anno bellum cum Sarmatis memorabile gestum. Eius hæc caussa fuit. Va-
lentinianus studio muniendorum limitum trans Danubium in ipsis Quadorum

terris iam inde à principatus initio ædificari præsidiaria castra mandauerat. Quod accolæ ferentes indigne, legationibus tantum eam iniuriã, ac querelis arcuerant. Maximianus autem præfectus prætorio Equitium armorum per Illyricum magistrum desidię accusarát, quòd opus nondum ad exitũ præduxisset. profectò si Marcellino filio suo potestas ducis per Valeriam mandaretur, munimentum ad finem propediem esse venturum. Hunc in modum Marcellinus potestatem adeptus, nulla verborum clementia vsus, opus continuauit, & Gabinium regem eorum, ne quid nouaretur, rogantem, conuiuio inuitatum fœdissime trucidauit. cuius facti atrocitate Quadi, & circunfusæ gentes efferatæ repente Danubium traiecerunt atq; occupatos messi agrestes adorti partim captiuos cum multitudine varii pecoris abduxerunt. parumque abfuit, quin Constantij Augusti filia capta sit, cum ad Gratianum Augustum in matrimonium duceretur, atq; in villa publica Pistrensi reficiendi sui caussa forte diuerteretur. Messalla enim prouinciæ rector iudiciali carpento impositũ Sirmium, quod viginti sex millibus passuũ aberat, deportauit. Eo tumultu præfectus prætorio Probus, qui Sirmij erat, vsqueadeo est consternatus, vt fugæ capessendæ consilium habuerit. verum, ne vrbs discessu suo in manus veniret hostium, restitit, ac raptim fossas eius purgauit, & muros pacis diuturnitate collapsos restituit, turresq; reposuit, & sagittariorum cohortem ferendæ obsidioni, si euenisset, opportunam conscripsit. Quibus rebus hostes ab oppugnanda vrbe deterriti, sese ad persequendum Equitium conuerterunt. & cum in Valeriam secessisse audirent, eo aduolarunt, eo nomine illi infensi, quòd per eum regẽ suum circunuentũ putabant. Quibus legiones duæ Pannonica, & Mœsiaca obiecerunt; sed discordia laborantes, cum proprium quæq; sibi rei gestæ decus asciscerent, nihil profecerunt. Qua re animaduersa, Sarmatæ sese in Mœsiacam intulerunt, atq; eorum plurimis, dum arma per tumultum expediunt, interfectis, sese in Pannonicam incitarunt, eamq; in fugam præcipitem coniecerunt. Inter hæc Theodosius Theodosij, de quo diximus, filius, iuuenis egregius, is qui postea Imperauit, dux Mœsiæ, Sarmatas liberos limitem Romanum ex alio latere inuadentes repressit, ac multis præliis ita contriuit, vt reliquos facile ab eiusmodi conatu auerterit. His rebus adducti Gotthi, qui iam pridem Romanis temporibus inhiantes prouincias eorum infestas habebant, liberiore, quàm adhuc, conatu limites perruperunt: sed prædis actis contenti, in suam regionẽ continuo recesserunt. In Africa etiam res acerrime gesta, cum Firmus Mauritaniæ regulus defecisset. ad quod bellum Theodosius pater destinatus Arelate egressus cum classe ad Sitifensis Mauritaniæ littus accessit, ac Firmum pacem postulare coegit. In Italia, Claudio vrbis præfecturam regente Tiberis effusione imbriũ ita exundauit, vt infima vrbis loca late omnia occupauerit. soli colles, & loca editiora ab impetu aquarum tuta fuerunt. lembis, ac scaphis plerisque, ne interirent, consultum. cibiq; quod opus fuit, suppeditatum est. vbi vis fluminis elanguit, liberata ingenti metu ciuitate, præfectus ædificia multa instau-

374 rauit. inter quæ porticũ ingentem Lauacro Agrippæ iunctam excitauit, quæ Boni Euentus à vicino ei templo nomen inuenit. Gratiano inde Augusto tertium cum Equitio consulatum gerente, Valente adhuc Antiochiæ vt Persis occurreret, commorante, Valentinianus post vastatos aliquot Alemaniæ pagos, cum munitionem prope Basileam extrueret, Probi litteris cognoscit, Illyricum à Quadis, Sarmatisq; vastatum. Quo nuncio perculsus, Paternianum notariũ ad veritatem rei perquirendam misit. quam cum ad liquidum cognouisset, ipse cum exercitu properare ad vlciscendos barbaros voluit. verum, quia autumni tempus instabat, & Macrianus rex nondum placatus in metu erat, eam expeditionem in vernum tempus, optimatibus regiæ auctoribus, distulit. Igitur res Alemaniæ cõponere ante discessum cupiens, prope Maguncìacum regem eorum ad colloquium inuitauit. qui cum venisset, vterque eorum firmo militum præsidio stipatus in ripis Rheni consedit. Pax colloquio constituta est. fœdus ictum. Inde Valentinianus Treuiros in hiberna recessit. Postero anno, quo propter imminentis belli molem nulli in Imperio consules subrogati Gratiano tertium, Equitioque consulibus sunt, Valentinianus Sarmatis bellum moliens, ineunte vere, relicto Treuiris Gratiano,

Panno-

Pannoniam versus decessit. Sarmatæ, hoc prouiso, vt imminentē à se pestem auerterent, obuiam ei legationem miserunt. quæ in itinere occurrens, supplex pacem poposcit, nihil se commisisse asserēs, quamobrem vindicari bello deberet. Quibus Valentinianus respondit, se, cum ad ea loca venisset, in quibus ea commissa dicantur, certissimis veritatē indicijs quæsiturum, eaq; pro merito deprehensa vlturum. Cum autem Carnuntum superioris Pannoniæ oppidū accessisset, ex statione proxima barbaricas reprimere cœpit incursiones, ac pristino spiritu, iracundiaq; remissa, neq; infamem Gabinij regis necem inquisiuit, neq;, à quo tot reip. inflicta vulnera essent, vestigauit. Vni tantum Probo erat infestus, vt qui multis auaritiæ, ac libidinis criminibus esset obnoxius. Per æstatem autem arma, commeatusq; parauit, vt Quados tumultus superioris auctores inuaderet. Præmisso autem Merobaude, vt cum pedestri manu pagos eorum vastaret, ipse, Comite Sebastiano adiuncto, castra ad Acincum oppidum mouit. ponteq; iunctis inter se nauigiis in Danubium repente illato, in Quados irrupit. &, cum illi in mōtes impetu eius exanimati se rettulissent. villas eorum passim incendit. quosq; nancisci potuit, homines captiuos fecit, atq; inde incolumem exercitum Acincum reduxit. vnde locum hibernis quærens Sabariam, ac Sabaria Brigetionem accessit. Ibi signa imminentis eius mortis multa conspecta. nam & crinita stella refulsit, & Sirmiense Palatiū de cœlo tactum, curiæq;, & fori pars incendio conflagrauit. &, cum Sabariæ esset, bubo ex culmine regij Lauacri funesta canens, nullis manibus, lapidibusq; dispelli potuit. Inter hæc Quadorum legati ad eum, vt pacem peterent, processerunt. Qui ab Equitio in consistorium introducti, sese ad Valentiniani genua proiecerunt. Duobus inde modis interrogatos responso suo Valentiniani iracundiam accendisse, fama est; Ammianus, rogatos, cur ad arma descendissent, publico id consilio factum negasse, ac plebem munitione extructa offensam, respondisse, scribit. Socrates, & reliqui omnes, cum legatorum habitum sordidum, despectumq; notasset, quæsisse, narrant, nunquid Sarmatæ omnes eiusmodi essent. cumq; legati respondissent, Sarmatarum optimos, atque ornatissimos ad illum ex consuetudine missos esse, ipsum grauiori ira accensum, exclamasse, male secum esse actum, quòd, se Imperante, gens tam sordida finibus suis nollet esse contenta. Quocunq; vero modo aut percontatio, aut responsio facta sit, quod constat, Valentinianus ira vehementi succensus, atque inter exordia respondendi tumidus, gentem primum obiurgare acrius, tanquam beneficiorum immemorem cœpit. inde paulatim lenitus, tanquam telo aliquo ictus, vocem simul, ac vires amisit, ac lethali sudore perfusus ad terram labebatur, sed ministri cōfestim eum arripuerunt, atq; inter brachia in cubiculum deduxerūt. Ibi in lecto constitutus, cunctos astantes cognoscebat. nam cubicularij veriti, ne veneno necatus diceretur, multos propere intromiserant. &, cum vena laxanda esset, medicus nullus reperiebatur, quòd eos ipse ad curandum militem pestilentia laborantem misisset. vnus demum inuentus, cum venam semel, atque iterum pupugisset, ne guttam quidem elicere sanguinis potuit, visceribus nimio calore combustis. Hoc, ita Ammiano scribente, rettulimus. Alij omnes infinitam sanguinis vomuisse copiam tradunt. Vtcunque, cum finem adesse vitæ cerneret, quædam dicere, ac mandare voluit, sed præ singultū, stridore dentium, & motu brachiorum non potuit. ac mox morbi magnitudine victus, liuentibusq; maculis intersusus XV Kal. Decembris expirauit, annum agens ætatis quinquagesimum quintū, Imperij vero duodecimum. Corpus ad sepulturam est conditum, vt Constantinopolim mitteretur, atque inter Diuorum reliquias humaretur. Placuit inde optimatibus, vt dissoluto ponte, qui in Danubium factus fuerat, Gratiani Imperatoris mandato Merobaudes aduocaretur. ille vero aut ingenij solertia quod euenerat arbitratus, aut certe furtim à nuncio doctus, missam ad se tesseram ab Imperatore dixit, vt ad obseruandas Rheni ripas barbarico furore infestas accurreret. ac Sebastianum Valentiniani mortem adhuc ignorantem, longius amandauit. Erat tum Valentinianus Imperatoris filius decennis vna cum Iustina matre in villa, quam Murocinctam vocabant, centum inde passuum millibus constitutus. Hunc igitur optimates primo quoque tempore aduocarunt, &

Augustum communi consilio destinarunt. Cerealis auunculus cum in publicum produxisset, exercitus sexto post patris obitum die, magna animorum consensione Augustum appellauit, legitime omnibus rebus, quæ ad eiusmodi comitia pertinerent, expletis, & quidem in oppido Acinco, vt Græci scripserunt. Hanc electionem Gratianus, licet iniquo animo accepisset, tamen ratam habuit, atque ei Italiam, Africam, Illyricumq; dimisit, quæ ad Occidentale Imperium pertinebant. patrem autem diuinis honoribus consecrauit, virum nisi iræ dulcedini indulsisset, ac propterea ab æquitate animi discessisset, egregium. Vt autem ipse hunc annum Treuiris in obseruando Rheni limite, Valens Antiochię in persequendis Catholicis egit, sic Valentinianus puer inde ætatem vna cum Iustina matre ferme in Italia, ac præcipue Mediolani traduxit. quæ Arriana perfidia infecta virus suum aduersus Catholicos pôst; mariti vinculis exoluta, euomuit.

CAROLI SIGONII HISTORIARVM DE OCCIDENTALI IMPERIO,

LIBER VIII.

GRATIANVS, ET VALENTINIANVS MINOR AVGVSTVS.

376 INSEQVENS annus, Valente quintum, & Valentiniano Augustis consulibus, magnarũ, atq; insignium calamitatum initium introduxit, quas primum Orientale, deinde Occidentale Imperium pertulit. Hoc enim primum Gotthi, atq; Alani ab Hunnis exagitati in Thraciam, ac finitimas prouincias (quod millies antè, sed irrito semper conatu, tentauerãt) penetrarunt. vnde multæ, eæq; acerbissimæ clades, ac prope quotidianæ offensiones manarunt. vt vere hic annus notari possit, tanquã vniuerso terrarũ orbi, qui deinde barbarica rabie assidue laceratus est, funestissimus. Ceterum Hunnorum gens, monumentis veteribus incomperta, vltra Mæotim paludem Scythiam Asiaticam habitauit, omnem feritatis, ac barbariæ modum excedens. Infantibus ferro lacerare genas altius, moris fuit, vt pilis succrescentibus hebetatis, imberbes senescerent. firmis membris, & opimis ceruicibus prodigiose deformes, & pandi. vita vero sic asperi, vt neque igni, neque saporatis cibis vterentur, sed radicibus herbarum agrestium, & semicruda carne vescerentur, quam inter femora sua, & equorum terga subsertam breui fotu calefaciebãt. ædificiorum apud eos vsus nullus, sed vagi montes, syluasq; peragrantes, pruinas, famem, situmq; perferre ab incunabulis didicerunt. indumẽta linea, vel ex pellibus syluestrium murum cõfecta. tunica collo inserta non antè ponebatur, quã in pannulos diuturna carie diffluxisset. galeris curuis capita tegentes, crura hœdinis coriis muniebant. rudes calcei liberis incedere gradibus prohibebant. itaq; ad pedestres parum accommodati pugnas erãt, sed equis prope affixi, duris quidẽ, sed deformibus, & mulierũ in modum iisdem interdũ insidebant. in his & commercia exercebant, & cibum, potumq;, ac somnum, & consilia capiebant. sine sedibus fixis, sine lare, sine lege vagabãtur cum carpentis. ibi vero cum coniugibus coibant, ibi coniuges pariebãt, & vsq; ad pubertatẽ pueros nutriebant. infidi, inconstãtes, ad omnem auram mutabiles, furori obnoxij, honestatis, turpitudinisve ignari, flexiloqui, & obscuri. nullius religionis, vel superstitionis reuerentia astricti, auri cupidissimi. Hæc igitur gens tam fera, ac barbara, Mæotide palude superioribus annis transmissa, in Scythiam Europæam traiecit, atq; Alanorum regionem occurrentem inuasit, ac magna strage edita, ipsos sibi ad belli societatem adiunxit. Erant iampridem in Scythia Getæ, siue Gotthi vocati, populi paulo mitioribus, quàm Hunni erant, moribus præditi. Ex his alij Vis-

gotthi,

gotthi, siue Vittungi, alij Ostrogotthi dicebantur. Vittungorum autem quidam Grutungi, alij Teruingi appellabantur. Alani igitur ab Hunnis pressi, eisdem adiuuantibus, mox Grutungos sibi proximos tanta mole adorti sunt, vt sustineri nequiuerint. Nam Hermenerichus rex, Hunnis cum se resistere non posse videret, sibi mortem cōsciuit: & Vithimaris, qui ei successit, licet Hunnis aliis auxilio comparatis se aliquandiu sustinuisset, tandem victus in prœlio cecidit. & parui eius filij Viderichi tutores Alatheus, & Saphrax, spe resistendi abiecta, occulte ad Danastum amnem, qui inter Danubium, & Borysthenem fluit, recesserunt. Quod vbi sensit Athanaricus rex Teruingorum, cui, vt antè diximus, Valens bellum ob auxilia Procopio missa intulerat, & ipse sibi in tanta rerum iniquitate consulendum putauit. ac castris prope Danasti ripas positis, Mundericum ducem ad explorandum hostium aduentum, ad vicesimum vsque lapidem misit, atque exercitum in omnem fortunam instruxit. Hunni vero, & Alani, speculatoribus omissis, flumine silentio noctis vadato, repentino incursu Athanaricum adorti sunt, atq; ad proximos montes confugere compulerunt. Athanaricus à superciliis Hierasi amnis vsque ad Istrum Taifalorum terras præstringens, muros altius extulit, & lorica absoluta, semet in tuto locauit. neque enim Hunni prædæ onere impediti eum vsq; ad extremum insequi instìterunt. His rebus cognitis, plerique rerum necessariarum inopia coacti, Athanaricum deseruerunt, ac metu exterriti, consilia tractare de nouis quærendis sedibus longe ab Hunnis, Alanisque remotis cœperunt. cúmque Thracias potissimum approbarent, quòd & fertiles agros haberent, & Istro interiecto à barbarorum tutæ incursu essent, vnà cum reliquis ad ripas Istri, duce Alauiuo, & Fritigerno venerunt, atque inde legatos Antiochiam ad Valentem miserunt, vt se ipsos reciperet, orantes, ac fidele in omnibus bellis eius auxilium pollicentes. Sunt etiam, qui scribant, promisisse, se Christiana sacra Valentis arbitrio suscepturos. Quibus rebus auditis, Valens magnum se accepturum beneficium duxit, si tantus, ac tam bellicosus populus ad se transisset, ac pro se stipendia meruisset. acceptáque conditione, misit, qui fœdus componerent, atque ipsos cis Istrum extemplo traducerent. Fœdere scripto, naues, rates, lintres, & cauati arborum aluei ad traiiciendum concessi; vehicula etiam commodata. transiere omnes, paucis tantum sæuienti imbribus amne submersis. iidemque Arriano ritu, id est, in nomine patris per filium in spiritu sancto, infecti sunt. Post paucos dies, cum Viderichus rex Grutungorum cum Alatheo, & Saphrace, & Farnabio ad Istrum prodiisset, atque, vt & ipse cum suis reciperetur, orasset, repudiatus est. Athanaricus vero rex Teruingorum verecundia permotus, parumper cum suis abscessit, memor, se nuper Valentem illusisse, cum diceret, se religione teneri, quo minus solum Romanum iniret. Præerat tum Thraciis Lupicinus Comes, & Maximus Dux, homines temeritatis, atque auaritiæ summæ. Hi Teruingis circa ripas Danubij adhuc versantibus nec victum idoneum ex pacto præbuerunt, nec cetera necessaria ministrarunt, eósque loco seruorum vili emptorum precio habuerunt. ex quo tumultuari à Gotthis est cœptum. Qua occasione vsus Viderichus, ratibus male contextis cum Grutungis traiecit, castráque à Fritigerno longissime collocauit. qui, lentis itineribus factis, Marcianopolim adiit. Tum vero Lupicinus Alauiuum, & Fritigernum duces Teruingorum ad conuiuium ita inuitauit, vt plebem ad necessaria comparanda vrbem ingredi cupientem, longe à mœnibus, milite emisso, arcuerit. Quibus rebus Gotthi exacerbati, militum manum adorti conciderunt. Quod vbi Lupicinus audiit, furore accensus & ipse Gotthorum ducum satellites, qui honoris caussa pro prætorio stabant, occidit. Fritigernus autem orans, vt ad placandám plebem exire cum sociis sineretur, egressus, ita ad suos loquutus est, vt omnes ad vindictam iniuriæ suscipiendam accenderit. Quo facto, Teruingi, vexillis de more sublatis, tumultuaria manu in agros Romanorum incursauerunt, ac populationibus, incendiis, ac cædibus infesta omnia reddiderunt. mox Lupicinum agmine incomposito aduersus se prodeuntem aggressi, solum, reliquo trucidato exercitu, in oppidū confugere coegerunt. atq; inde per Mœsiam, Thraciamq; effusa populatione, nemine resistente, dispersi sunt. His cognitis, Sueridus, & Co-

lias posteriorum Gotthorum duces, qui in hibernis constituti apud Hadrianopolim fuerant, in Hellespontum traiicere iussi sunt. Cum autem illi viaticum, & bidui dilationem postulassent, ciuitatis magistratus ira ob rem in suburbano suo vastatam incensus, plebem cum fabricensibus emisit, atq; eos primo quoq; tempore abire, malis omnibus intentatis, præcepit. & cum dicto audientes non essent, tela etiam in eos coniecit. Qua re Gotthi irritati, impetu in illos facto, alios interemerunt, alios in fugam egerunt. atq; habitu Romano induti Fritigerno aduentanti se coniunxerunt, ac communibus armis vrbem obsidere cœperũt. verum multis detrimentis in ea obsidione affecti, Fritigerni consilio, exigua in obsidione manu relicta, ad opimam regionem captiuorum indicio populandam se conuerterunt. ad quos confluxerunt ij, quos mercatores vendiderant, quosq; Gotthi pecunia adacti, vino exili, & panis frustis mutauerant. tum vero omnis ætatis, sexus, gradúsque homines vulgo in seruitutẽ abstracti, aut, si arma tenerent, occisi sunt. Dum hæc in Thracia geruntur, Valentinianus cum Iustina matre in Italia, & Gratianus in Gallia, ab omni terrore belli quieti manserunt, ac puerilia studia, vt cuiusq; ætatem de-
377 cuit, coluerunt. Valens inde quartum cum Merobaude cõsul, cognitis Antiochiæ, quæ in Thracia accepta erant, incommodis, omissa Catholicorum vexatione, tantis sibi malis mature subueniendum putauit, ac Gratianum de omni statu Orientis edoctum, vt copias ex Gallia subsidio mitteret, monuit, atq; ipse Constantinopolim profecturus, Profuturum, & Traianum rectores cum magno copiarum numero præire mandauit. Gratianus Treuiris Frigeridum ducem, & Richomerem domesticorum Comitem cum paratissimis copiis misit. Profuturus autem, & Traianus, cum in Thraciam peruenissent, Gotthis vltra Æmimontem cõpulsis, in præruptis faucibus subsederunt, vt hostes in iis locis inclusos, fame, ac necessitate conficerent, & duces Gratiani expectare cœperunt. Frigeridus morbo implicitus in tẽpore adesse non potuit. Richomeres autem, & Traianus, coniunctis copiis, apud oppidum Salices in Mœsia substiterunt, à quo non longe Gotthi castra more suo firmo plaustrorum vallo munita posuerant, id vnum in primis operientes, vt Gotthi loco cederent, quo abeuntium terga conciderent, & præda parta exuerent. Quo consilio transfugarum indicio cognito, Gotthi locum mutare noluerunt, sed copiarum numerum, popularibus vndiq; accitis, auxerunt. Ardentibus demũ vtrinq; pugnandi studio animis, sub occasum solis in aciem est descensum, Romanis clamorem patrio more tollentibus, Gotthis maiorum facinora prædicantibus. collatisq; signis dimicatum est acriter. sinistrum Romanorum cornu à Gotthis loco pulsum ab iis, qui in subsidio collocati fuerant, restitutum est. Feruente autem vtrinq; cæde, ac fortuna victoriam alternante, nox superueniens è prœlio discedere eos coegit. Locus cadauerum inde aggestis ossibus mansit insignis. Ex parte Romanorum, quia minor copiarum numerus fuit, minus multi desiderati sunt, clades tamen ingens accepta. Romani Marcianopolim, Gotthi intra plaustrorum ambitum recesserunt, neque per septem dies inde exire ausi sunt. Alia etiam Gotthorum manus in Æmimontanas angustias compulsa, atque ibi, actis aggeribus, inedia maceranda inclusa est. nam omnes commeatus in vrbes communitas conuexerunt. quarum Gotthi nullam sibi obsidendam susceperunt, quòd eius operis rationem penitus ignorarent. Quibus actis Richomeres in Gallias se recepit, tumultu ab Alemanis concito reuocatus. Interim Gotthi, quæ mandi poterant, in Scythia, Thracia, Mœsiaque consumptis, in eam necessitatem adducti sunt, vt Hunnorum, & Alanorum nonnullos sibi auxilio spe prædarum illectos acciuerint. quo cognito Saturninus à Valente missus, ne à tanta multitudine circumueniretur, à Gotthorum obsidione decessit. Ita Gotthi, patefactis angustiis, erumpentes, per omnes Thracias dissipati sunt, atque omnia crudelitatis, libidinis, atque auaritiæ exempla in prouinciam ediderunt. Inde oppidum Dibaltum adorti, tribunum scutariorum Barzymenem cum suis castrametantem inuaserunt, ac fortiter pugnantem interemerunt. quo facto, in Frigeridum inde se conuerterunt prope Berœam, ancipitem belli euentum operientem. quod vbi ille sensit, sese in Illyricum rettulit, atque in receptu Farnobium Gotthorum optimatem cum cateruis prædatoriis diua-

diuagantem, ac Taifalos nuper aſcitos ducentem, commiſſo prœlio, ſuperauit. eóque occiſo, Taifalos quidem conſeruauit, verum in Italiam traductos circa Mutinam, Regium, & Parmam, vt agros colerent, collocauit. Hæc vſque ad hiemem vario euentu in Thracia geſta. Extremo anno Lentienſis Alemaniæ populus Rhætiis finitimus, violato fœdere, limites per fallaces diſcurſus irrupit, quòd ſciret, Gratianum vocatu Valentis ad tumultus Thraciæ compeſcendos iter inſtruere. Valente inde VI, & Valentiniano II Auguſtis conſulibus, Celtæ, ac Petulantes, ſtrenui 378
apud Romanos tum eo nomine militiæ ordines, cum Rhenum hiberno tempore peruium traieciſſent, Februario menſe non ſine magna clade Lentienſes auerterunt. Pòſt autem vbi cognouere, magnam Germanici exercitus partem iam in Illyricum eſſe præmiſſam, elati vehementius cum XL millibus hominum in fines Romanos ſe intulerunt. Ob id Gratianus, legionibus, quas in Pannoniam deſtinauerat, reuocatis, aliisq;, quas apud ſe retinuerat, aduocatis, Nannieno, & Mellobaudi ducibus, & regi Francorum bellum Lentienſe commiſit. Hi profecti ad hoſtes, prœlium clariſſimum apud Argentariam iniuerunt. in quo tanta virtute, tantaq; felicitate pugnarunt, vt non ſolum regem hoſtium vita eiecerint, ſed omnes etiam, præter quinque millia, quæ nemorum denſitate tecta euaſerunt, occidione occiderint. Qua victoria parta, Gratianus, Rheno tranſmiſſo, in ipſam Lentienſium regionem inuaſit. quos, cum ſe in montes rettuliſſent, inſectatus, pugnauit vſque ad noctem magno vtriuſque partis exitio. inde ad alios montes multo celſiores, quos ſalutis cauſſa inſederant, cum veniſſet, eam illis neceſſitatem impoſuit, vt pacem obſidibus dandis petierint. neque alia per hos annos ex Germanis illuſtrior victoria eſt relata. Poſthæc Gratianus ex Gallia digreſſus per caſtra, quibus Arboris felicis nomen eſt, in Thracias properauit. Per eoſdem etiam dies Valens III Kal. Iunij ex Syria venit Conſtantinopolim, haud æquis admodum animis à ciuitate acceptus. Nam Gotthi, qui Thraciam diripuerant, ſuburbia etiam Conſtantinopolis, procurſione facta, vaſtare inſtiterant, quòd nullis copiis vrbem teneri audiſſent, quæ ſuum impetum propulſarent. Itaque populus grauiſſime de Valente loquutus fuerat, quòd barbaros in prouinciam accepiſſet, neque vrbem ab illorum immanitate defenderet. Quare, cum equeſtres ludi ederentur, omnes clamorem aduerſus Imperatorem ſuſtulerunt, ſeq;, ſi arma ſibi darentur, bellum à mœnibus propulſuros, iactarunt. Itaque Valens III Idus Iunij vrbe exceſſit, malum minatus ciuibus, ſi victor rediſſet. (erat autem non ſolum præſenti contumelia, ſed etiam ſuperiore ad Procopium defectione permotus.) ac pedeſtrium copiarum curam à Traiano ad Sebaſtianum traduxit, ſingularis in re militari peritiæ virum, modo ex Occidente profectum. atque ita ad Melanthiada villam Cæſarianam profectus, militem omnis officij, & comitatis genere colere inſtitit. Interim Gotthi, aduentu Valentis cognito, auctis caſtris, circa Berœam, & Nicopolim conſederunt. Quod vbi Sebaſtianus audiuit, aduerſus eos cum trecentis peditum millibus Hadrianopolim prouolauit. & ſequenti nocte prædatorios circa Hæbrum hoſtium globos adortus, omnes præter paucos, quos pedum pernicitas abſtulit, interemit, & prædam ingentem recepit. Hac de cauſſa Fritigernus veritus, ne ſuus conſumeretur exercitus, vniuerſos ad Cabylem oppidum reuocauit. atque inde in latas regiones deduxit, ne aut fame, aut inſidiis laboraret. Interim Gratianus in Pannoniam iniit, ac Danubio delatus Bononiam, Sirmium introiuit. & poſt quattriduum per idem flumen ad Martis caſtra, febribus interpoſitis conflictatus, deſcendit. in quo tractu repentina Alanorum incurſione tentatus ſequentium non paucos amiſit. Valens inuidia rerum à Gratiano, & Sebaſtiano geſtarum accenſus, ingentem exercitum à Melanthiade mouit, &, ne commeatibus importandis hoſtes itinera clauderent, equites, pedites, & ſagittarios, ad anguſtias occupandas immiſit. triduóque proximo Gotthis Nicem magna manu pergentibus obuiam prodiit, ac prope ſuburbanum Hadrianopolis venit, ibique vallo ſe, ac ſudibus, & foſſa firmauit. Interim Richomeres domeſticorum Comes à Gratiano cum litteris eius aduenit, quibus maturum aduentum ſuum ſignificabat, &, vt ſe expectaret, nec ſolum tanto ſe periculo obiiceret, obſecrabat. De qua re cum in

consilio sententiæ dicerentur, atque alij extemplo confligendum, alij Gratianum cum Gallicano robore expectandum censerent; vicit eorum sententia, quib. Gratianum non expectandum esse placuit, ne victoriæ iam pene partæ particeps adolescens Germanica victoria gloriosus euaderet. Dum autem necessaria ad prœlium comparantur, presbyter quidam Christianus à Fritigerno legatus ad Valentem accessit, ac nomine Fritigerni petiit, vt sibi, suisque patria pulsis habitanda Thracia cum omni pecore traderetur, & pax cum Gotthis perpetua firmaretur; proprio vero, tanquam amicus, monuit, nunquam Gotthorum populum ad has conditiones descensurum, nisi armatum eis exercitum ostentaret, & terrore Imperatorij nominis intentato, eos pernicioso pugnandi studio deterreret. Postridie vero, qui fuit ante quintum Idus Augusti, Valens sub lucem, impedimentis, & sarcinis apud Hadrianopolim cum custodia idonea collocatis, (nam thesaurus regius intra vrbem erat,) signa propere mouit, ac decurso viæ spacio confragoso, illucescente die, hostium carpenta in se disposita vidit. Quo facto, subito & ipse aciem cœpit instruere. dextro autem cornu equitum præposito, dum sinistrum explicat, Gotthi strepitu armorum perterrefacti, iterum legatos de pace miserunt, quorum vilitatem Imperator aspernatus, optimates ad se mitti postulauit. moras autem illi de industria iniiciebant, vt equites sui ad tempus redirent, & miles Romanus calore debilitatus æstiuo liquesceret, ardentibus circum campis, quibus dedita opera ignem intulerant. quod malum grauis etiam hominum, iumentorúmque inedia onerabat. Interea Fritigernus caduceatorem misit, petens nobiles aliquot ad se obsides mitti. iussusq; ire Equitius respuit, quia semel captus, atq; elapsus à Diballo, iustam eorum iracundiam formidabat. Richomeres autem sponte perrexit. Ceterum, cum ad vallum appropinquaret, sagittarij, & scutarij, quos Baturius Iberus regebat, cupiditate elati, prœlium inierunt. Quod vbi Gotthorum equitatus, qui cum Alatheo, & Saphrace erat, animaduertit, continuo & ipse in medios hostes prorupit. atque ita strenue ab vtraque parte concursum est. seq; inuicem, tanquam vndæ, impellere acies instíterunt. Dextrum cornu Romanorum, cum ad plaustra vsque penetrasset, atque à reliquo equitatu destitutum esset, incumbentibus Gotthis, oppressum est. Pedestris autem acies densatis vsqueadeo inter se manipulis erat, vt nec mentum exerere, nec manus reducere posset. tanto vero oppleta puluere omnia erant, vt prospiciendi cœli facultas adempta esset. ex quo factum est, vt tela nec prouideri possent, cum destinato caderent, nec vitari. &, vbi Gotthi immensis agminibus effusi, iumenta, & viros propellere, & proculcare cœperunt, nec locus ad receptum laxari, neque ratio ad euadendum propter confertos iniri ordines quiret. Hinc Romani ira inflammati, abiectis pilis, gladiis, & securibus rem agere instituerunt. tum vero Gotthos vidisses aut succiso poplite, aut amputata dextera, aut suffosso latere fremere, & in ipsa prope morte minari, ac truces oculos circumferre. ad extremum tamen Romani siti, inediaq; confecti, vrgente Gotthorum pondere, inclinarunt, ac palati sese fugæ mandarunt. Qua re animaduersa, Valens per cadauerum aceruos ad lancearios, & mattiarios confugit, qui fixis corporibus steterant inconcussi. quo viso, Traianus exclamat, spem omnem absumptam, ni desertus ab armigeris Valens aduentitio tegeretur auxilio. quo audito, Victor Comes Batauos in subsidiis locatos ad Valentem raptim ducere voluit, sed, inuento nemine, retro abiit. eademq; ratione Richomeres, & Saturninus semet periculo exemerunt. Gotthi occasione vsi, Romanos insequuti, facile conciderunt, ac cumulos cadauerum cõstruxerunt. huic cladi nox tandem modum imposuit. Valens primis tenebris lethali sagittæ ictu saucius ex acie cessit, neq; postea apparuit. Fama obtinuit, eum cum candidatis, & spadonibus paucis ad agrestem quandam casam esse delatum, ibiq; ab ignorantibus hostibus, quis esset, circumsessum, &, quòd introrumpere non possent, admotis sarmentis, & subiecta flamma ipsum cum domo esse combustum. Periere etiam illustres viri multi. inter quos excelluit Traianus, & Sebastianus, & cum iis triginta quinque tribuni Vacantes, & numerorum rectores, & Valerianus, atque Equitius, quorum alter Stabulum, alter Palatium curabat. item Promotorum tribunus Potentius, ac denique vix tertia

pars

pars euaſit exercitus. neq; vlla Romanis poſt Cannenſem exitialior accidit pugna. Obiit Valens anno ætatis quinquageſimo, Imperij tertiodecimo. Hac victoria potiti Gotthi, poſtridie Hadrianopolim, vbi theſauros aſſeruari regios audiebant, petiuerunt, horaq; diei quarta cinctam vrbem validiſſime oppugnarunt, ac tandem, certamine ab imbre dirempto, ſeſe in caſtra plauſtris vallata receperunt. ac, legato in vrbem miſſo, ciuibus incolumitatem, ſi ſe dedidiſſent, ſpoponderunt. Legato ire non auſo, litteras Chriſtianus quidam pertulit. Quibus lectis ciues eò alacrius ad vrbis defenſionem incubuerunt. Itaque reliquum diei, ac noctem inſequentem in parandis operibus conſumpſerunt. portæ ſilicibus magnis obductæ. mœnium partes infirmæ munitæ, & loca ad emittenda tela aptata, & ſufficiens aqua collecta. Ob id Gotthi euentus belli varios animo volutantes, cum fortiſſimum quenque ex ſuis ſauciari, cædique viderent, eiuſmodi conſilium inierunt. quippe candidatos aliquot, qui pridie ad eos defecerant, pellexere, vt ſimulata fuga ſe intra muros ſuſcipi curarent, receptique quandam partem vrbis incenderent. vt, occupata in reſtinguendo incendio ciuitate, vrbs ſine defenſoribus remaneret. perrexere candidati, & ſe tanquam Romanos recipi petiere. Recepti vero, interrogatique ſuper conſiliis hoſtium cum variaſſent, in quæſtionem abrepti, capite pœnas dederunt. prœlio inde inſtaurato, ſuperior quoque Romana res fuit. &, quia nullo ordine, ſed per procurſus, & globos pugnabatur, conuerſo in veſperam die, ad tentoria redierunt, ſemetipſos imprudentiæ accuſantes, quòd non, auctore Fritigerno, obſidionis incommoda declinaſſent. conſumpta inde in curandis vulneribus nocte, poſtridie conſiliis agitatis Perinthum occupare ſtatuerunt. atq; itineribus lentis, populationibus, & incendiis omnia permiſcentes, nullo reſiſtēte, eo peruenerunt. verum Hunnis, Alanisq; permiſti, vrbe non tentata, agrum opimum vaſtaſſe ſatis habuerunt. inde cum ſe Conſtantinopolim contuliſſent, ſuburbium demoliri cœperunt. At populus damno, & indignitate permotus, ſua ſponte egreſſus, hoſtibus obuiam ſeſe tulit, ſingulis, quod occurrebat, armorum loco arripiētibus. Dominica vero Valentis vxor omnibus, qui egrediebantur, ſtipendium ex ærario miniſtrauit. Sarraceni etiam aliquot à Mauia regina auxilio antè miſſi inſignem operam præſtiterūt. Itaq;, prœlio commiſſo, Gotthi recedere ab vrbe compulſi, per latiſſimos Thraciæ, Mœſiæ, Daciæ, & primos Pannoniæ campos diffuſi ſic profana, ſacraq; omnia infeſtis non tam armis, quàm animis peragrarunt, vt nemo neque inermis, neq; armatus ex vrbibus exire, aut ex præſidiis erumpere aut ad pugnam, aut ad res neceſſarias obeundas auderet. Valente inde, eò, quo dictum eſt, modo extincto, ſumma rerum ad duos Auguſtos redacta eſt, ambos ad tantum tuendum faſtigium immaturos. Nam Gratianus annos viginti, Valentinianus vix tredecim attingebat. Ceterum Gratiani egregia ſupra ætatem & animi, & conſilij indoles facile ipſam prope ruentem remp. fulſit. Etenim certior accepta de clade factus à Victore magiſtro equitum, qui ex acie cum paucis elapſus, in Macedoniam, atq; inde in Pannoniam venerat, haudquaquam animo defecit, ſed confeſtim Sirmium profectus, opportuna inire conſilia de retinendo Orientis Imperio cœpit. Quibus explicatis, primum omnes vndiq; copias accerſiuit, ac procurſantes quacunq; barbaros, aut coercere, aut certe ſuſtinere contendit. Cum autem ducis inopia, tam multis amiſſis, laboraret, oculis in omnes, qui ſupereſſent, conuerſis, iuuenem Theodoſium, cuius ſuprà meminimus, ex Hiſpania euocauit, virum bello, paceq; præſtantem, & multis rebus fortiter, proſpereq; geſtis inſignem; verum factione paucorum in Hiſpania tum, vnde genus trahebat, tanquam in exilio voluntario, commorantem. Inde, animo ad Orientem ordinandum collato, quòd à Valentis fide alieniſſimus eſſet, epiſcopos omnes, quos ille religionis cauſſa exilio deſtinarat, exemit. legemq;, qua ſtatus Arrianorum primū tentari cœptus eſt, tulit, vt præter Manichæos, Photinianos, & Eunomianos, quam quiſq; religionem vellet, pro arbitrio coleret. &, quamuis maximo bello diſtrictus tot millibus barbarorum, quibus Iſtri ora prætexebatur, vndiq; inſultantibus, conſularia comitia habuit, quib. Auſonium Burdigalenſem, poetam, præceptorem ſuum, grati animi cauſſa cum Olybrio conſulem declarauit. atq; ita ad illum vſq; in Galliam ſcripſit: *Cum de conſulibus in annum*

creandis solus mecum volutarem, vt me nosti, atq; vt facere debui, vt te velle sciui, consilium meum ad Deum rettuli. eius auctoritati obsequutus, te consulem designaui, declaraui, & priorem nuncupaui. trabeam palmatam tibi misi, in qua Diuus Constantius pater noster intextus est. solui, quod debui, & adhuc debeo, quod solui. Vbi vero Theodosius venit, eum præesse rei militari in Oriente iussit. Sunt qui Theodosium, accepta præfectura, rem cum barbaris gessisse, eosque summo profligasse prœlio, scribant. Quod si verum fuit, miror, id à Zosimo, & à Latino Pacato omnes ad laudandum eum ansas diligentissime conquirente, fuisse omissum. Quod inter omnes conuenit, Gratianus cum videret, remp. innumerabilibus malis ægram, ac potius exanimatam iacere, barbaris nationibus Romanis prouinciis aliquando tandem velut inundatione aliqua superfusis, cumq; se bello Germaniæ in Gallia irretitum reuocari, fratrem propter ætatem ad nullũ adhuc militare munus idoneum esse, animaduerteret, quòd suis careret, alienum, cui Orientem committeret, sibi asciuit. Itaque principio an-
379 ni, quo Ausonius, Olybriusq; consules, & Hypatius præfectus vrbis fuerunt, XVIII Kal. Februarias, cum adhuc Sirmij esset, conuocatis optimatibus, in Comitium venit. ac palam præsentem Theodosium alloquutus ipsi se committere velle Orientem ostendit. cui Theodosius gratias egit, atque honorem, cuius magnitudinem sustinere non posset, verbis, quoad potuit, à se auertit. Verum Gratianus in bene cœpto persistens, illum, licet reluctantem, Augusti nomine insigniuit. Itaq; in oratione pòst ad ipsum dicta, Latinus Pacatus sic disseruit: *Illud præ ceteris mirum, quòd cum omnia faceres, vt imperare deberes, nihil tamen faciebas, vt imperares. Argumento est ille dies communis boni auctor, quo tu, cum ad suscipiendam remp. vocabaris, oblatum Imperium deprecatus es, nec dans speciem tantum, vt cogi videreris, sed obnixe, & diu, & velut impetraturus, egisti. quippe aberat caussa fingendi. non enim te princeps solus, & domi, & tanquam tentaret, ambibat, sed publice, & in Comitio, & vt aliud iam facere non posset.* Atque, his actis, Gratianus, cum Alemanos per absentiam suam, superato limite, in Galliam incurrisse audiret, relicto Sirmij Theodosio, per Venetiam, & Rhætiam in Galliam eximia celeritate se rettulit. Treuiros reuerso, (nam inde Nonis Aprilis ad Hypatium præfectum vrbis scripsit,) Ausonius consul multis verbis gratias egit, quòd se consulem ordinarium effecisset. quam orationem multis de rebus in manus sumere, est vtile. Inde Alemanis è Gallia depellendis diligenter opera est impensa. sed rei bene gestæ memoria apud veteres incomperta. Nam Ammianus, cui hæc colligere curæ fuit, suam in morte Valentis historiam terminauit. Theodosius, profecto in Galliam Gratiano, Sirmio Thessalonicam adiit, vrbem portu munitam, & bello Thraciæ inferendo in primis idoneam. Ibi nouum Imperium ante omnia ordinare instituit. nam pro duobus militiæ magistris amplius quinque fecit, & præfectos alarum, turmarúmque, & tribunos numerorum multiplicauit. inde aulæ, castrorúmque disciplinam, quæ deprauata erat, correxit. Etenim, vt Pacatus dixit, non contentus ipse vltro vitia reiecisse, alienis vitiis corrigendis curam adiecit. Et quia vel diuturna Orientis consuetudine, vel superiorum principum remissione tãtus quosdam luxus infecerat, vt adulta lasciuia haudquaquam facile videretur obtemperatura medicinæ, ne quis se pati iniuriam putaret, à se voluit incipere censuram. & impendia Palatina minuendo, nec solum abundantem sumptum reiiciendo, sed vix necessarium vsurpando, quod natura difficillimum est, emendauit volentes. Nam superiores Imperatores parum se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hibernæ poculis innatassent rosæ, nisi æstiuam in gemmis capacibus glaciem falerna fregissent. Eorum gulæ angustus erat noster orbis. namque appositas dapes non sapore, sed sumptu iudicabant. illis demum cibis acquiescebant, quos extremus Oriens, aut positus extra Romanum Imperium Colchus, aut famosa naufragiis maria misissent. quin & infami sæpe delectu scripti in prouinciis aucupes, ductæque sub signis venatorum cohortes militauere conuiuiis. cuiusdam etiam principis non prandia sæpe, sed fercula sestertium millies æstimata precium equestrium patrimoniorum traxerunt. Theodosius autem modico, ac castrensi cibo ieiunia longa leniuit. aulam omnem laboris, patientię, & frugalitatis exemplis adeo instruxit, vt nemo vnus inueniretur,

qui

qui auderet ad penum regiam flagitare remotorum littorũ piſcem, peregrini aëris volucrem, alieni temporis florem, verum epulas ſuas menſis communibus parciores tempeſtiuis fructibus locorum inſtruxit. Optimos inde viros delegit, quibus prouincias, quibus militaris rei ſummam, quibus conſilia ſua arcana commiſit. Inter ceteros autem magiſtrum vtriuſq; militiæ Maiorianum legit, auum maternum Maioriani, qui poſtea Imperauit. de quo Sidonius:

Theodoſius quo tempore Sirmij
Auguſtum ſumpſit nomen, per vtramque magiſtrum
Militiam ad partes regni venturus Eoas,
Maioranum habuit.

Diſciplina emendata, ducibusq; delectis, Gotthicum inde bellum ſibi aggrediendum putauit. neq; enim decorum, aut vtile arbitrabatur, barbaros pati diutius Imperio inſultantes. Proſper, Marcellinus, & Victor Alanos, Hunnos, Gotthos, & Scythas magnis, multisq; prœliis hoc anno victos fuiſſe produnt. quomodo vero bellum adminiſtratum ſit, non adiiciunt. Zoſimus autem rem hac ratione confectam refert. Gotthi, inquit, & Taifali, qui & prioribus annis, & paulo antè, Iſtro tranſmiſſo, in Thraciam penetrauerant, occupatis oppidorum agris, tanta cum inſolentia vagabantur, vt nemo eis ex præſidiis occurrere auderet. Hos autem perdendi Theodoſio talis demum oblata occaſio eſt. Erat apud eum Modares regio apud Scythas ſanguine ortus, ſed propter fidelem nauatam Romanis operam imperio ab eis militari ornatus. Hic, cum imprudentibus Gotthis, magnã militum manum in colle quodam haberet, atq; hoſtes in campis temulentos, ac prope ſecuros iacere per exploratores didiciſſet, ex improuiſo cum ſuis deſcendit, atq; imparatos adortus pleroſq; aut vulneribus, aut morte affecit. viris autem deletis, in mulieres, & pueros impetus factus, plauſtrorum quattuor millia capta. ex quo quantus aut captiuorum, aut cæſorum fuerit numerus, coniici poteſt. Ita Theodoſius eodem tempore Orientem & accepit, & conſeruauit. vnde dixit Claudianus Honorium Imperatorem appellans, & de patre Theodoſio loquens:

Vnus tot funera contra
Reſtitit, extinxitq; faces, agroſq; colonis
Reddidit, & lethi rapuit de faucibus vrbes.
Nulla relicta foret Romani nominis vmbra,
Ni pater ille tuus iam iam ruitura ſubiſſet
Pondera, turbatamq; ratem, certaq; leuaſſet
Naufragium commune manu. Sic traditur illi,
Seruaturq; Oriens.

Ceterum Sozomenus Gotthos, obſidibus datis, in amicitiam receptos, Synæſius vero in belli, ciuitatis, honorum, & agrorum Romanorum ſocietatem acceptos tradit. ſiquidem in oratione ad Arcadium Aug. ita inquit: *Scythæ nuper non venerunt arma inferentes, ſed preces porrigentes, cum ex ſuis ſedibus pulſi eſſent. Cum autem humanitatem Romanorum, non arma experti eſſent, inſolentia euecti beneficium corruperunt. quo nomine Theodoſio patri tuo aduerſus ipſos armato cum pœnas dediſſent, iterũ ad miſericordiam eius confugientes, ſupplices vna cum vxoribus ſuis ad pedes eius procubuerunt. ille vero ſupplices excitauit, belli ſocios aſciuit, ciuitate donauit, honores omnes communicauit, & partem agri Romani attribuit.* Zoſimus autem omnibus, qui trans Iſtrum habitabant, poteſtatem tranſeundi tradit feciſſe, eoſq; aut in numeros militares rettuliſſe, aut agriculturæ exercendę adhibuiſſe. vnde etiam Pacati vox illa manauit: *Dicamne receptos ad ſeruitium Gotthos caſtris tuis militem, terris ſufficere cultorem?* Ceterum, cum cateruatim tranſirent, multitudinẽ eorum formidans, partem in Ægyptum tranſmiſit, atq; alios ex Ægypto in Thraciam euocauit. ceteris vero optionem dedit, vt in patriam ſe reciperent, ac pro ſe alios Romanis numeris aſcribendos mitterent. Quam confuſionem conſpicati Gotthi, vt qui de rebus omnibus per populares ſuos transfugas fierent certiores, derepente flumen traiecerunt, ac, nemine prohibente, in Macedoniam vſque procurrerunt, nocteq; ſumma ad caſtra Imperatoris igne accenſo conſpicua, ducti à transfugis, contenderunt, atque ita, prœlio cum Romanis

commisso, cum Theodosius euasisset, inde se in Macedoniam, ac Thessaliam effuderunt. ac mox, ne tentatis quidem oppidis, cum ingenti præda se receperunt. Quibus profectis Theodosius, ne quid in posterum incommodi pateretur, oppida omnia, quæ muris septa erant, præsidiis confirmauit. ac de rebus omnibus Gratianum admonuit. Eodem anno Valentinianus venit Aquileiam, atque inde III Nonas Iulias ad Hesperium præfectum prætorio scripsit, vt licet omnes mercatores spectaret lustralis auri depensio, clerici tamen intra Illyricum, & Italiam in denis solidis, intra Gallias in quinis denis immunem vsum conuersationis haberent. Aquileia inde cum Iustina matre processit Sirmium, fortasse ad Pannoniam ab incursionibus barbaricis defendendam. Quo eodem Ambrosius quoque episcopus Mediolanensis aduenit ad Anemnium episcopum Catholicum consecrandum. Ibi tum primum Iustina odium suum aduersus Ambrosium acrem Arrianorum hostem effudit. siquidem, conuocata populi multitudine, ipsum ecclesia deturbare contendit. cuius auctoritate fulta virgo Arriana facinus inauditæ audaciæ perpetrauit. Nam Ambrosium in tribunal progressum, prehensa veste, ad partem traducere mulierum studuit. vt ab iis cæsus de ecclesia pelleretur. cui ille dixit: Et si ego indignus tanto sacerdotio sum, tibi tamen non conuenit, manum sacerdotij iniicere. quare debes Dei iudicium extimescere, ne quid tibi aduersi contingat. Quod dictum tristis euentus proxime est consequutus. nam postridie virgo vitam amisit. Sub hoc tempus in Hispania vetus Gnosticorum hæresis instaurata est, qui, vt S. Leo scripsit, non contenti eorum recipere falsitates, qui ab euangelio Christi sub Christi nomine defecerunt, tenebris etiam paganitatis immersi sunt, vt per magicarum artium profana secreta, & mathematicorum noua mendacia religionis fidem, morumque rationem in potestate dæmonum, & effectu siderum collocarent. Huius pestis auctor fuit Priscillianus, homo nobili loco natus, diues, acer, disertus, multa lectione eruditus, ad differendum promptus. Is, vbi doctrinam hanc est aggressus, multos nobilium, pluresque populares oratione, ac blanditiis allexit in societatem. quin etiam mulieres nouarum rerum cupidæ lubrica fide, & curioso ad omnia ingenio cateruatim ad eum confluxerunt, ac demum episcopi Instantius, & Saluianus eum receperunt. Quam rem compertam Higinus Cordubensis episcopus ad Idacium Emeritensem episcopum rettulit. qui vltra, quàm oportuit, Instantium, sociosq; lacessens malos exasperauit potius, quàm compressit; vt Seuerus scriptum reliquit. Insequentis anni principio, qui à Christo
380 nato CCCLXXX Gratianum Augustum quintum, & Theodosium Augustum consules habuit, Theodosius Thessalonicæ morbo grauissimo conflictatus est. Itaque, cum ipse sibi diffideret (quòd nondum fecerat) sacro se tingi lauacro voluit, &, cum Acholium Thessalonicensem episcopum rectæ fidei esse, compertum haberet, sacram ab illo ablutionem accepit. Ab illo inde die se hæresis Arrianæ oppugnatorem, Nicænæ vero fidei defensorem acerrimum præstitit. Itaque cum Constantinopolim vna cum Oriente turpi maculatam errore æquo ferre animo non posset, III Kal. Martias edictum ad populum Constantinopolitanum misit in hæc verba: *Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit temperamentum, in tali volumus religione versari, quam Diuum Petrum apostolum tradidisse Romanis, religio vsque ad nunc ab illo insinuata declarat. quamque pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ episcopum, hoc est, vt secundum apostolicam disciplinam, euangelicamq; doctrinam patris, & filij, & Spiritus sancti vnam deitatem sub parili maiestate, & sub ipsa trinitate credamus.* Barbari, postquam Theodosium morbo periculoso implicitum rei militari vacare non posse senserunt, continuo ex Mœsia, Thraciaq; progressi, sese populabundi in proximas prouincias Pannoniam, & Macedoniam effuderunt. Quibus de rebus Gratianus certior factus, Baudonem, & Arbogastem, homines genere Francos, sed rei militaris peritissimos, ac mox Vitalianum cum exercitu misit. Ex quibus Baudo, & Arbogastes Gotthos in Macedonia, Thessaliaque populantes inuaserunt, ac relicta præda, in Thraciam se recipere compulerunt. Vitalianus vero Fritigernum ex Achaia, & Epiro, Alatheum, & Saphracem ex Pannonia deturbauit, ac fœdus cum eis Gratiani nomine icit. His gestis, Theodosius è morbo tan-

dem emersit. Vbi vero, quæ acta cum barbaris erant, cognouit, rata omnia habuit, ac demum Constantinopolim, quo iampridem vocabatur, processit, & magno ciuitatis occursu exceptus VIII Kal. Decembris vrbem de Gotthis, Scythisq; triumphans iniuit. Versis inde ad ordinandā ciuitatē consiliis, nihil potius habuit, quàm vt labem Arrianam elueret. Itaq; post biduum Demophilum, qui Arrianorum ecclesiam obtinebat, postquam in proposita permanere sententia sensit, vrbe exire cum omnibus Arrianis præcepit. atq; ecclesias eorū Catholicis tradidit, anno quadragesimo, postquā ab eis fuerant occupatæ. Legem etiā, teste D. Augustino, tulit, vt episcopus, clericusue in hæresi deprehensus denis libris auri multaretur. Cum autem Demophilus extra vrbem iniuriam ad conuocatam multitudinē quereretur, ac plerisq; res digna videretur, quę generalis Concilij sententia constitueretur, Theodosius, vt omnes ex Oriente hæreses exterminaret, Concilium Constantinopolim in insequentem annum indixit. Eodem anno Gratianus Treuiris VIII kal. Februarias corpori nauiculariorum delatam à diuo Constantino, & Iuliano principibus equestris ordinis dignitatem firmauit. & cum Alemanis Rheni limitem incursantibus depugnauit. Valentinianus vero VIII Kal. Maij Mediolano ad Paulinum præfectum vrbis sic scripsit: *Mulieres, quæ ex viliori sorte progenitæ spectaculorum debentur obsequiis, si scenica officia declinarint, ludicris ministeriis deputentur. quas nec dum tamen consideratio sacratissimæ religionis, & Christianæ legis reuerentia suæ fidei mancipauit.* In Hispania post multa inter episcopos certamina conuentus apud Cęsaream Augustam est conuocatus. cui etiam Aquitaniæ episcopi interfuere. Verum, hæreticis iudicio se committere non ausis, in absentes lata sentētia, damnatiq; Instantius, & Saluianus episcopi, Elpidius, & Priscillianus laici. Additum est etiam, vt si quis damnatos in communionem recepisset, sciret, in se eandem sententiam esse promendam. Ithacio Sossubensi episcopo negotium datum, vt decretū episcoporum omnibus indicaret, maximeque Higinum communione seiungeret. qui, cum primus omniū palam insectari hęreticos cœpisset, postea turpiter deprauatus in communionem eos recepisset. Syagrio inde, Eucherioq; consulibus, & Valeriano præfecto vrbis, Athanaricus rex Teruingorum, qui, vt suprà rettulimus, in Thraciam nō transierat, quòd se religione impediri, ne Romanum solum attingeret, asseruerat, patria à suis expulsus, mense Ianuario Constantinopolim venit, atq; à Theodosio comiter, ac benigne exceptus est. Is, cum vrbem inuiseret, atq; intentis oculis vniuersa lustraret, in magnam Romanæ potentiæ admirationē adductus dixit: Deus profecto terrenus ipse est Romanus Imperator; quisquis aduersus eum manum sustulerit, ipse sui sanguinis reus erit. Neq; ita multo pòst vita cessit. funus eius pompa splendidissima Theodosius celebrauit, atq; ipse ei quoque honoris caussa præiuit. Hoc Ammiano maxime auctore tradimus, qui ita scribit: *Athanaricus proximorum factione genitalibus terris expulsus, Constantinopoli fatali morte decessit, & ambitiosis exequiis ritu sepultus est nostro.* Eo mortuo, Teruingi sese Theodosio bonitatem eius admirati dediderunt, ac pro illo se militaturos, ac limite custodiendo aliorum incursiones propulsaturos promiserunt. id fœdus inde per annos prope viginti seruatum. Theodosius autē Concilio, quod indixerat, operam dedit. Conuenere ex Catholicis episcopi centum quinquaginta, ex Macedonianis triginta sex mense Maio. In primis autem affuerunt Timotheus Alexandriæ episcopus, Cyrillus Hierosolymorum, & Meletius Antiochiæ. vacabat enim ecclesia Constantinopolitana, quòd Gregorius Nazianzenus, qui Catholicam Ecclesiā contra Demophilum Arrianum per biennium tenuerat, Nazianzum proxime se receperat. Præcipua cura fuit, vt Macedoniani ad Catholicorum partes redirent. nam post edictū Gratiani, quo liberam religionis fecerat potestatem, iterum ab eis defecerant. verum inanis omnis conatus cecidit. Cum se facturos negassent, vt Consubstantiale sentirent, vrbe exire iussi sunt. Inde, cum de ecclesia Constantinopolitana relatum esset, Nectarius vir senatorius, ac præfectura fungens, & adhuc catechumenus à populo propter virtutis opinionem ad eum honorem euectus, ac mox ab episcopis consecratus est. Illo inde cum ceteris assidente, decretum factum est, vt episcopus Constantinopolitanus proximas post Romanum sedes haberet. is

381

honos dignitati regiæ vrbis viſus eſt conuenire. Nicæni inde Concilij fides confirmata, ac filium patri conſubſtantialem eſſe, ſtatutum eſt, Arrianique repulſi. Inde Macedonianorum hæreſis condemnata, qui Spiritum ſanctum creaturam eſſe dicebant, non aliter atque Arriani filium. Fideſque de Spiritu ſancto conſtituta, in qua ipſum non creatum eſſe, ſed procedere, decretum eſt, & cetera, quæ in Symbolo de gloria, & honore Spiritus ſancti dicuntur. Iam vero damnati etiam Sabelliani ſunt, qui vnam tantum Trinitatis perſonam faciebant, & Apollinariſtæ, qui Verbum in homine ratione carente habitaſſe, & loco mentis verbum ipſi animæ affuiſſe dicebant. Hæc in hunc modum ab epiſcopis decreta vbi Theodoſius comperit, Heracleæ III Kalend. Auguſti ſic edixit: *Epiſcopis tradi omnes eccleſias mox iubemus, qui vnius maieſtatis, atque virtutis patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum confitentur, quos conſtabit communi Noctarij epiſcopi Conſtantinopolitani eccleſiæ eſſe ſociatos, itemque Timothei Alexandrini, Cyrilli Hieroſolymitani, & Meletij Antiocheni. omnes autem, qui ab eorum fidei communione diſſentiunt, vt manifeſtos hæreticos ab eccleſiis expelli, neque his penitus poſthac obtinendarum eccleſiarum facultatem permitti, vt veræ, ac Nicænæ fidei ſacerdotia caſta permaneant.* Vt autem Theodoſius ad extirpandas hæreſeos Arrianæ reliquias Concilium Conſtantinopoli ex Orientalibus habuit, ſic Gratianus Aquileiæ haberi iuſſit ex Occidentalibus. conuenere ex Italia, Gallia, & Pannonia epiſcopi, atque Gallorum, & Afrorum legati. fuere autem ex Italia Valerianus Aquileienſis, Ambroſius Mediolanenſis, Euſebius Bononienſis, Limenius Vercellenſis, Sabinus, Placentinus, Philaſter Brixianus, Baſſianus Laudenſis, Heliodorus Altinas, Exuperantius Derthonenſis, Diogenes Genuenſis, & Anemnius Sirmienſis, quem conſecratum fuiſſe ab Ambroſio diximus. quorum pleriq; poſt mortem in ſanctorum Confeſſorum relati numerum adhuc magna ab his ciuitatibus religione coluntur. tulit enim hæc ætas ingentem numerum ſanctorum apud Italos epiſcoporum. quos, vt ſcribit Ammianus, tenuitas edendi, potandique parciſſime, vilitas indumentorum, ſupercilia humum ſpectantia perpetuo numini, veriſque eius cultoribus vt puros commendauit, & verecundos. Hoc Concilio duo epiſcopi Palladius, atque Secundianus cum Arrianis facere deprehenſi, iique magna altercatione conuicti, atque damnati ſunt. Nonis Septembris acta ad Gratianum ſunt miſſa. Damaſus epiſcopus, cum acta Concilij Conſtantinopolitani accepiſſet, Syluestrum imitatus, qui Concilium Nicænum Romæ probarat, & hoc ſibi excutiendum putauit. atque ob eam rem Concilium Romam epiſcopis Occidentalibus indixit, atque, Aquileienſi conuentu perfecto, epiſcopos Orientis eo quoque Theodoſij litteris euocauit. Eodem anno in Hiſpania Inſtantius, & Saluianus damnati iudicio ſacerdotum Priſcillianum laicum, ſed tanquam auctorem omnium malorum vna ſecum in Cæſarauguſtana ſynodo notatum, ad confirmandas vires ſuas epiſcopum Abilæ deſignarunt, rati nimirum, ſi hominem acrem, & callidum ſacerdotali auctoritate armaſſent, ſe validius ſibi præſidium paraturos. Tum vero Idacius, & Ithacius acrius inſtiterunt, arbitrantes poſſe inter initia malum comprimi. ſed parum ſano conſilio ſeculares iudices audierunt, vt eorum decretis, atque animaduerſionibus hæretici pellerentur. Igitur poſt multa, & fœda, Idacio ſupplicante, elicitur à Gratiano reſcriptum, quo vniuerſi hæretici excedere non eccleſiis tantum, aut vrbibus, ſed extra omnes etiam terras expelli iubebantur. Quo comperto, Gnoſtici diffiſi rebus ſuis, non auſi iudicio certare, ſponte ceſſere, qui epiſcopi videbantur; ceteri formidine diſſipati ſunt. At Inſtantius, Saluianus, & Priſcillianus Romam profecti, vt apud Damaſum pontificem obiecta purgarent, interiorem Aquitaniam prætereuntes, ab imperitis ſuſcepti perfidiæ ſemina ſparſere. maximeque Eluſanam plebem bonam, & religioni ſtudentem prauis prædicationibus peruertere. & Burdigala per Delphinum repulſi, in agro Euchrociæ mulieris locupletis aliquantiſper morati nonnullos ſuis erroribus infecere. inde iter peregerunt, vxores, atque alienas etiam fœminas in comitatu habentes. in queis ipſa erat Euchrocia, ac filia eius Procula. de qua ſermo fuit, Priſcilliani ſtupro grauidam partum ſibi graminibus abegiſſe. Vt vero Romam peruenere, Damaſo ſe purgare pontifici cupientes, ne in conſpectum quidem admiſſi ſunt. ibi etiam

Saluia-

Saluianus est mortuus. regressi Mediolanum æque sibi aduersantem Ambrosium repererunt. Cum duos episcopos summa auctoritate illudere non potuissent, corrupto Macedonio tum magistro officiorum, rescriptum à Gratiano obtinuerunt, quo restitui ecclesiis iussi sunt. Antonio inde, & Syagrio consulatum, & Seuero 382
præfecturam vrbis, gerentibus, Iustina Augusta Mediolani cum Valentiniano puero constituta, vt Arrianorum caussam duobus Conciliis superiore anno afflictam restitueret, Ambrosium euertere institit. Itaq; muneribus, atq; honoribus oblatis homines in eum incitauit, tribunatusq; promisit iis, qui ipsum raptum de ecclesia ad exilium pertraxissent. Quod cum aliquot irrito conatu tentassent, Euthymius quidam ausus est domum sibi iuxta ecclesiam comparare, atq; ibi currum constituere, vt correptum repente cisio imponeret, atq; alio asportaret. post annum autem eodem die, quo se Ambrosium rapturum, atq; in exilium deducturum, putarat, in diem cisium illatus ipse ad exilium est deportatus. Cui tamen ab Ambrosio viaticum, atq; alia necessaria ministrata sunt. Ceterum Ambrosius ad Palatium vocatus accessit. Quod vbi sensit populus, qui egregie erga illum erat affectus, insidias parari veritus, ad Palatium repente confluxit, ac tumultum ingentem exciuit. Comiti autem militari ad fugandam multitudinem cum expeditis egresso alacri animo restitit. neque antè seditioni est modus impositus, quàm populum incitatum rogatus Ambrosius longo sermone demulsit. demum, sacerdotali dignitate, ac constantia egregie conseruata, domum discessit. Erant adhuc multi non solum Romæ, sed etiam in senatu Romano errori gentilitatis addicti. Hi, credo, imbecillitate Valentiniani, & Iustinæ matris eius illecti, consiliis communicatis, petere ab eis statuerunt, vt ara vetus in curia reponeretur, ad quam iurare senatores solebant de rebus publicis consulturi, & vt sacris faciundis sumptus antè sublati à Gratiano restituerentur. Quod cum Christiani, qui numero superabant, clam moueri sensissent, libellum Damaso pontifici obtulerũt, denunciantes, nihil se eiusmodi censuisse, neq; assensione sua probasse. si id concederetur, se in senatum non venturos. quem libellum Damasus ad Ambrosium, ille ad Gratianum misit. Valentinianus Venetiam perlustrans XII Kalen. Iulias Patauio ad Seuerum præfectum vrbis de mendicis seruitute eximendis rescripsit. at vero XV Kalen. Decembris Veronæ ad Flauium præfectum Illyrici, atque Italiæ de iussis suis exequendis in hunc modum: *Si vindicari in aliquot seuerius contra nostram consuetudinem pro caussæ intuitu iusserimus, nolumus statim eos aut subire pœnam, aut excipere sententiam, sed per dies triginta super statu eorum sors, aut fortuna suspensa sit. Reos sane excipiat, vinciatque custodia, & excubiis solertibus vigilantes obseruet.* Hoc, credo, ille matris impulsu edixit, verentis, ne quid præcipitanter ætatis vitio in caput reorum decerneret. Interim Damasus Romæ Concilium habuit episcoporum Occidenis frequentissimum. Orientales non venerunt, sed legatos cum litteris, sese purgantes, miserunt, in quibus expositis, quæ ex superiore persequutione pertulerunt, incommodis ita pergunt: *Quoniam vos Concilium Romæ conuocantes, nos velut membra propria Imperatoris litteris aduocastis, nihil nobis fuisset optatius, quàm vt vestræ voluntati, & præsenti necessitati obsequeremur. verum id plerique facere non potuimus. Conuenimus enim Constantinopolim iussu litterarum superiore anno à vobis post Concilium Aquileiense ad Theodosium Imperatorem missarum. & nos ad iter tantum Constantinopolitanum accinximus, atque de hoc vno Concilio celebrando consensum episcoporum, qui in prouinciis remanserunt, attulimus. longius vero iter neque expectauimus, neque antè cognouimus, quàm Constantinopolim venimus, neque pro angustiis temporis vlterius ire parati fuimus. neq; episcopos in prouinciis certiores mature facere huius nostri consilij potuimus.* Ad has Damasus ita rescripsit: *Quòd debitam sedi apostolicæ reuerentiã tribuistis, id vobis quoq; maximo honori fuit. nam etsi in sancta Ecclesia, in qua sanctus Apostolus sedens eius administrandæ rationem nos docuit, nobis primæ partes deferuntur, tamen confitemur, nos illo dignitatis gradu multo inferiores.* In hoc Concilio omnes hæreses, quæ adhuc Ecclesiam turbauerant, perculsæ anathemate sunt, ac Constantinopolitanum Concilium confirmatum. Extat Damasi epistola ad Paulinum Thessalonicensem episcopum missa, apud Theodoritum. in qua decreta commemorantur: *Quoniam post Concilium Nicænum eiusmodi error emersit, vt quidam dicere*

audeant, Spiritum sanctum per filium factum esse, anathema indicimus omnibus, qui Spiritum sanctum esse negant vnius, & eiusdem essentiæ, & potestatis cum patre, & filio. Item Sabelliani erroris fautoribus, qui dicunt, patrem, & filium eundem esse. item Arrio, & Eunomio, qui licet verbis discrepantes, asserunt tum filium, tum Spiritum sanctum creaturam esse. Item Photino, qui hæresim Ebionis renouans, Christum ex Maria solum editum esse contendit. Item illis, qui duos filios esse affirmant, vnum ante secula, alterum post carnem ex Maria susceptum. Item iis, qui asserunt, verbum Dei in carne humana loco animæ rationalis habitasse. Item iis, qui dicunt, verbum Dei productione, & contractione à patre secerni, ipsumq; essentiæ expertem esse, aut morte interiturum esse. Qui vero ab ecclesiis, in quibus vixerunt, ad alias se transtulerint, vsq; eo sint à nostra communione secreti, quousque ad ipsas vrbes redierint, in quibus erant primum ad aliquem honoris ecclesiastici gradum elati. Ad hoc Concilium ex Palæstina venit Hieronymus Stridoniensis cum Paulino Antiochiæ, & Epiphanio Salaminæ episcopis, vt ipse scribit in Epitaphio Paulæ: *Cumq; Orientis, & Occidentis,* inquit, *episcopos ob quasdam ecclesiarum dissensiones Romam Imperiales litteræ contraxissent, vidit Roma Paulinum Antiochiæ, & Epiphanium Salaminæ episcopos, viros admirabiles.* & in Epitaphio Marcellæ: *Denique cum Romam cum sanctis pontificibus Paulino, & Epiphanio ecclesiastica traxisset necessitas.* Remissis inde domos suas episcopis, Damasus Hieronymum retinuit, vt sibi in caussis ecclesiasticis inseruiret, quod ipse scribit ad Ageruchium: *Cum in chartis ecclesiasticis iuuarem Damasum Rom. vrbis episcopum, & Orientis, atq; Occidentis Synodicis consultationibus responderem, vidi duo inter se paria nobilissimorum è plebe hominum comparata, vnum, qui viginti sepelisset vxores, alteram, quæ viginti duos habuisset maritos extremo sibi, vt putabant, matrimonio copulatos.* Hæc in Italia. In Hispania vero Instantius, & Priscillianus rescripto Gratiani confisi repetiuere Hispanias, atque sine vllo certamine ecclesias, quibus præfuerant, recepere. Verum Idacio non animus, sed facultas ad resistendum defuit. quia hæretici, corrupto Voluentio proconsule, vires suas confirmauerant. Quin etiam Ithacius ab his, quasi perturbator ecclesiarum, insimulatus, iussusque deduci, cum trepidus profugisset in Galliam, ibi Gregorium præfectum adiit. qui, compertis quæ gesta erant, duci ad se turbarum auctores iussit, ac de omnibus ad Gratianum rettulit, vt hæreticis ambiendi viam præcluderet. Sed id frustra fuit. quia per libidinem, &
383 potentiam paucorum cuncta ibi venalia erant. Merobaude inde, & Saturnino consulibus, Symmacho vero præfecto vrbis; Theodosius Constantinopoli Arcadium filium, licet adhuc puerum, XIIII Kalend. Februarij Imperij consortem asciuit, Augusti dignitate ornatum. mense autem Iunio, cum omnes omnium hęreseum episcopos aduocasset, conuentu acto, req; cognita, neminem præter Nouatianos in vrbe esse permisit. Ceterum quanto acrius hæreticos Theodosius in Oriente premebat, tanto vehementius eos in Occidente Valentinianus fouebat. Erat enim iam annos septemdecim natus, & Probum præfectum prætorio, penes quem summa rerum in Italia erat, despiciebat. Itaque edictum per omnes Imperij sui prouincias misit, vt qui aut Imperatori obstitisset, aut templa reposcenti non tradidisset, capitali supplicio obnoxius esset. Id vero Auxentio auctore Mediolani quondam episcopo, fecit. Hic enim, Mercurini nomine sibi indito, Iustinæ Augustæ accitu in vrbem redierat, atque omnia nefario miscere tumultu pergebat pro recuperanda ecclesia, quam amiserat. Itaque Valentinianus ab illo impulsus, Ambrosium per tribunum vocauit, & coram se in Consistorio adesse præcepit, vt cum Auxentio de fide disputaret, se præsente, & iis iudicibus, quos vterque legisset, eo nimirum consilio, vt, Ambrosio ecclesia egresso, Auxentium restitueret. Qua re animaduersa, Ambrosius eo adire noluit, ne ecclesiam Arrianus reciperet, verum non conuenire respondit, vt de fide coram iudice laico extra ecclesiam ageretur. Qua voce Valentinianus permotus, ipsum palam basilica Portiana, quæ extra vrbem erat, cedere, & quo vellet, abire mandauit. Ambrosius vero à clero, populoque magna animorum alacritate defensus, se vrbe exiturum, aut ecclesia, quæ Dei esset, cessurum negauit. Hinc Valentinianus ira feruidus armatos milites ad basilicam occupandam immisit, verum, populo illam custodiente, atque Ambrosium protegente, nihil profecit. tumultus tamen magni periculi, & fœdioris exem-

exempli fuit. Dum Ambrosius in his angustiis versabatur, epistolam ad Valentinianum ex basilica misit, in qua factum, consiliumque suum probare contendit. Ex ea epistola libet aliquot huc sententias inferre, maxime ad hanc turpitudinem demonstrandam idoneas: *Dalmatius*, inquit, *tribunus mandato clementiæ vestræ postulauit à me, vt & ipse iudices legerem, sicut elegisset Auxentius, quòd in Consistorio esset futura certatio, arbitro pietatis iudicio tuæ. Respondeo, patrem tuum legibus suis sanxisse, in caussa fidei, vel ecclesiastici alicuius ordinis eum iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis, hoc est, sacerdotes de sacerdotibus iudicare. Quin etiam, si aliàs quoque argueretur episcopus, & morum esset examinanda caussa, etiam hanc voluit ad episcopale iudicium pertinere. Et si scripturarum seriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est, qui abnuat, in caussa fidei episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de episcopis iudicare? Pater tuus, vir maturioris æui dicebat: Non est meum iudicare episcopos: tua nunc dicit clementia; Ego debeo iudicare. Et ille baptizatus in Christo inhabilem se ponderi tanti putabat esse iudicij. clementia tua, cui adhuc emerenda baptismatis sacramenta seruantur, arrogat sibi de fide iudicium, cum fidei sacramenta non norit. Veniant planè, si qui sunt, ad ecclesiam, audiant cum populo, non vt quisquam iudex resideat, sed vnusquisque de suo affectu habeat examen, eligat quem sequatur. agitur de istius ecclesiæ sacerdote. si audierit illum populus, & putauerit melius disputare, sequatur fidem eius, non inuidebo. Omitto, quia iam ipse populus iudicauit. taceo, quia pater clementiæ tuæ quietem futuram spopondit, si electus susciperet sacerdotium. hanc fidem sequutus sum promissorum. Quòd si de aliquorum peregrinorum assentatione se iactat Auxentius, ibi sit episcopus, vnde sunt ij, qui episcopatus putant nomine decorandum. nam ego non episcopum noui, nec vnde sit, scio. Quis erit ille, qui cum legat, per tot prouincias vno momento esse mandatum, vt quicunque obuiauerit Imperatori, feriatur gladio, quicunque Dei templum non tradiderit, protinus occidatur, quis, inquam, est, qui possit vel vnus, vel inter paucos dicere Imperatori, Lex tua mihi non probatur? Deinde ipse eligam iudices laicos, qui, cum tenuerint fidei veritatem, aut proscribantur, aut necentur. quod lex de fide lata decernit. Si ad synodum prouocat Auxentius, vt de fide disputet, (licet non sit necesse propter vnum tot episcopos fatigari, qui etiam si angelus de cælo esset, paci ecclesiarum non deberet præferri,) cum audiero synodum congregari, & ipse non deero. Venissem ad Consistorium clementiæ tuæ, vt hæc coram suggererem, si me vel episcopi, vel populus permisissent, dicentes, de fide in Ecclesia coram populo debere tractari. Atque vtinam Imperator non denunciasses, vt quo vellem, abirem. Nam mihi à sacerdotibus dicitur: Non multum interest, vtrum volens relinquas, an tradas altare Christi. cum enim reliqueris, trades. Atque vtinam liquido mihi pateret, quòd Arrianus Ecclesia minime traderetur, sponte me offerrem tuæ pietatis arbitrio. Sed si ego solus interstrepo, cur etiam de aliis omnibus inuadendis ecclesiis est præceptum? Vtinam confirmetur, vt ecclesiis nullus molestus sit. opto, vt de me, qualis videtur, sententia proferatur.* Scripsit etiam eodem tempore ad populum, vt animum eius in tantis difficultatibus confirmaret. Ex quibus hæc volui decerpsisse: *Circunfusi milites, armorum crepitus, quibus vallata est Ecclesia, fidem non terrent meam, sed mentem exagitant, ne, dum me tenetis, perniciosum aliquid vestræ oboriatur saluti. Nemo vos turbet, quòd aut carrum præparauerunt, aut dura, vt videbatur sibi, Auxentij ipsius, qui se dicit episcopum, ore iactarunt. Auxentius gladium volantem per omnes vrbes direxit. Auxentius vno momento populos, quod in ipso est, trucidabit, alios gladio, alios sacrilegio. meam basilicam petit cruento ore, sanguinolentis manibus. Absit, vt patrum meorum tradam hereditatem; absit à me, vt Christi tradam hereditatem; absit, vt tradam hereditatem patrum, hoc est, hereditatem Dionysii, qui in exilio in caussa fidei defunctus est, hereditatem Eustorgij confessoris, hereditatem Mæroclis, atque omnium retro fidelium episcoporum. Auxentius, ne cognosceretur, quis esset, mutauit sibi vocabulum, vt quia hic fuerat Auxentius episcopus Arrianus, ad decipiendam plebem, quam ille tenuerat, se vocaret Mercurinum. Mutauit ergo vocabulum, sed perfidiam non mutauit. Idem conclusus vndique ad versutiam patrum suorum confugit. de Imperatore vult inuidiam commouere, dicens iudicare debere adolescentem catechumenum, sacræ lectionis ignarum, & in Consistorio iudicare. Quasi verò superiore anno, quando ad Palatium sum petitus, cum præsentibus optimatibus ante Consistorium consisteretur, cum Imperator basilicam vellet eripere,*

ego tunc aulæ contemplatione regalis infractus sim, constantiam non tenuerim sacerdotis, aut imminuto iure discesserim. Nonne meminerunt, quòd vbi me cognouit populus Palatium petiisse, ita irruit, vt vim eius ferre non posset, quando Comiti militare cum expeditis ad fugandam multitudinem egresso obtulerunt omnes se neci pro fide Christi? Non tum rogatus sum, vt populum multo sermone mulcerem? & sponderem fidem, quòd basilicam ecclesiæ nullus inuaderet? Ex his Ambrosij verbis, facile Valentiniani, & Iustinæ auersus à Catholica religione animus, & turbulentus Mediolanensis ecclesiæ status, cognosci poterit. Quæ dum aguntur, tristis ecce nuncius de nece Gratiani Augusti, & Galliarum amissione affertur. qui auditus Valentinianum, ac totam Italiam ingenti dolore incendit. Ea vero res hoc modo acta est. Clemens Maximus, domo Hispanus, Theodosij principis commilito olim in Britannia fuerat, tum vero exercitui in eadem prouincia præerat. Res autem tulit, vt milites in Britannia tumultum conciuerint, & metu Gratiani, Maximum, quem fortissimum esse sciebant, Imperatorem acclamauerint. Ille vero primo Imperium renuit, facti iniquitatem auersatus, deinde, vbi periculum sibi à militibus imminere, si eorum voluntati restitisset, animaduertit, in illorum potestate se futurum ostendit. atque insignia, quæ offerebantur, accepit. ac mox cum exercitu nauibus ad ostia Rheni accessit, vbi ab iis, qui in eis stationibus versabantur, militibus est acceptus. Qua re audita, Gratianus, homine, vt modicarum virium ad lædendum, neglecto, milites ei tantum Alanos, quos mercede conductos habebat, opposuit. Hoc vero Romani veterani animo iniquo tulerunt, insignem sibi iniuriam factam interpretantes, quòd barbaros, aut virtute, aut fide potiores existimasset, atque iracundia incensi ad Maximum, summa omnia pollicentem, plerique se contulerunt. Quo facto Gratianus exterritus, Treuiros, vbi per mensem Aprilem fuisse comperimus, reliquit, & sese Parisios rettulit. Quod vbi Maximus comperit, repulsis Alanis, & ipse eodem citato agmine maturauit. Ibi per quinque dies collatis castris, leuibus aliquot prœliis varie est certatum. Quibus transactis, Gratianum Mauri primum, deinde reliqui sensim deseruerunt. Quod vt ille vidit, trepidus, trecentis equitibus sumptis, fugam capessit, atque ab obuiis ciuitatibus omnibus exclusus, Lugdunum peruenit. castris ad vrbem positis, non ita multo pòst Maximus cum omnibus copiis insequutus accurrit. Ceterum primum aperta vi hominem delere consilium fuit. vbi non successit conatus, ad dolum se contulit, quo se facile credulum adolescentem irretiturum putauit. Quippe Gratiani sponsam aduentare, vt ipsi flumen traiicienti occurreret, sermone distulit. Quod Gratianus amore percitus, facile adductus est ad credendum. Vehebatur autem occulte in rheda, in qua sponsa esse simulabatur, Andragathius quidam, homo magni roboris, atque audaciæ singularis. Ille vero, vt in propinquo esse cum paucis Gratianum alacrem, vidit, confestim cum suis è rheda prosiluit, atque incautum iuuenem comprehendit, & gladio traiectum vita exuit. Mortuus est Gratianus VIII Kal. Septembris, annos XXIIII natus, virtute, ac pietate, si diu vita suppeditasset, optimum quenque Imperatorem adæquaturus. De Maximo sic loquutus est Pacatus: *Quis non ad primum noui sceleris nuncium hominem risit? nam infra dignitatem iracundia videbatur, cum pauci homines, & insulani totius incendium Occidentis adolerent, & regali habitu exulem illum suum induerent.* De Gratiano ita D. Hieronymus: *Gratianus ab exercitu suo proditus, & ab obuiis vrbibus non receptus, ludibrio hosti fuit, cruentaque manus vestigia parietes tui Lugdune testantur.*

CAROLI

CAROLI SIGONII HISTORIARVM, DE OCCIDENTALI IMPERIO, LIBER IX.

VALENTINIANVS AVGVSTVS ET MAXIMVS IMPERATOR.



RATIANO perempto, Maximus Victorem filium puerum sibi Cæsarem cooptauit, ac Galliam ditioni suæ adiungere properans Ballioni, & Merobaudi, qui duces Gratiani fuerant, in potestatem adductis vitam ademit. Interim Valentinianus in Italia, fœda Gratiani fratris cæde accepta, magno curarum æstuauit incendio. neq; enim solum vicem fratris mortui doluit, sed etiam Maximi potentia ad rationem reuocata, de propria salute solicitus esse cœpit; veritus scilicet, id quod postea euenit, ne Maximus, Occidente in suam ditionem redacto, superatis Alpibus, in Italiam se demitteret, ac se ipsum quoq; aduersus tantas opes infirmũ Imperij sui parte, ac vita deniq; spoliaret. Itaq;, quòd ad bellum gerẽdum viribus imparem se sentiret, consilio armorum abiecto, pacem sibi postulandam putauit, ac propterea Ambrosium episcopum, virum grauitate, prudentiaq; præstantem ad eum legauit. Ex altera parte Maximus immaturum esse, ante res Galliæ compositas, remq; pecuniariam constitutam, Italiam aggredi arbitratus, vtiq; pacem cum vtroq; Augusto sibi agitandam existimauit. atq; ita propere oratores ad vtrumque de conciliãda concordia misit. Ambrosius omnium iniuriarum oblitus, munus legationis haud grauate suscepit, atq; in itinere Victorem Comitem, qui à Maximo ad Valentinianum mittebatur, offendit. Ceterum, cum ad Maximum peruenisset, rogatus, cur Valentinianus ad se, tanquã filius ad patrem, non accessisset, respondit, aspero hiemis tempore puerum cum matre Alpes incommode transiturum fuisse. se vero missum esse, vt de pace ageret, non vt de Valentiniani officio responderet. Tum ille, Expectemus, quid Victor ab illo responsi fuerat. Vt autẽ Victor reuertit, accito ad se Ambrosio, Pacem Valentinianus, inquit, accipit, aduentum abnuit. atq;, Ambrosio multa de bono Valentiniani erga illum animo prędicante, pacem composuit. Quod vt Bauto militiæ magister accepit, Hunnos, & Alanos contra Iuthungos, qui Rhætias populabantur, accitos iussu Valentiniani, cum Galliæ appropinquarent, auertit in Alemaniam, ne Maximum in suspicionem armorum adduceret. Eodem anno Romæ Symmachus, vrbis præfectus, homo non tam eloquentiæ, quàm Gentilitatis studio clarus relationẽ senatus nomine ad Valentinianum misit, petens, vt, quod paulo antè agitari cœptum erat, ipse aram Victoriæ reponi in curia sineret. atque impensæ ad sacra facienda à Gratiano Augusto sublatæ restituerentur. Quod vt Ambrosius audiit, proxima, vt ipse inquit, legatione confisus, Valentinianum ab eiusmodi re indulgenda, quæ Gentilitatem reduceret, auocauit. rogauitq;, vt sibi relationis exemplum remitteret, vt ei respondere posset. quemadmodum accurate respondit. Legitur adhuc scriptum vtrumq;. Ceterum, cum in Consistorio Valentiniani omnes, qui aderant, Christiani, & Gentiles ea reddenda esse contenderent, solus Valentinianus dissensit, ac, Christianis perfidiæ incusatis, Gẽtilibus ita respondit; Quo modo, quod pius frater eripuit, me reddere suadetis? cum & religionem læsurus sim, & fratrem, à quo nolo pietatis officio superari? subiicientibus autem illis, patrẽ illius nunquã, vt eas, eriperet, adduci potuisse: occurrit; Patrem meum laudatis, quia non abstulit, nec ego abstuli. neq; idem reddidit, vt me debere reddere, contendatis. &, si reddidisset, frater ademit, cuius in hoc genere imitatorem me esse malo. nam perinde hic Augustus, ac pater, fuit. & par vtrique debetur reuerentia, & par vtriusque est erga

rempublicam gratia. In Hispania Gnostici, antequam Gratianus occideretur, grandi pecunia Macedonio data, obtinuerant, vt cognitio præfecto prætorij Galliarum Imperiali auctoritate adimeretur, atque Hispaniarum vicario mandaretur. missique à Magistro officiales fuerant, qui Ithacium tum Treuiris agentem ad Hispaniam retraherēt. quos ille callide frustratus, per Pritannium episcopum defensus, illusit. inde, cum rumor increbuisset, Maximum in Britannia sumpsisse Imperium, ac breui in Gallias irrupturum, licet rebus dubiis noui Imperatoris aduen-
384 tum expectare constituit. Ricimere inde, & Clearcho consulibus, Theodosium Augustum Constantinopoli positum legati à Sapore Persarum rege, & Maximo Imperatore missi, pacem petentes, adiere. neque eæ irritæ legationes fuere. Sapori fœdus datum. Maximo etiam, vt se Augustum, ac collegam suum appellaret, permissum. quin etiam Cynegio prætorij præfecto in Ægyptum eunti mandatum, vt Alexandriæ imaginem Maximi, tanquam consortis Imperij, poneret. Hæc ab vtrisque ad tempus simulata concordia est. V Idus Septembris Placilla vxor puerum alterum ei peperit, quem Honorium appellauit, eum, qui post Occidentale Imperium tenuit. In Gallia Maximus, prouincia in ditionem adducta, sedem Imperij Treuiris posuit, atque, exercitu ad occupandam Hispaniam misso, leui eam negotio imperio suo adiecit. Quibus rebus ad voluntatem fluentibus vsque adeo est elatus, vt fortunæ prosperitatem animo capere non potuerit, ac curis ad maius bellum conuersis, cogendæ pecuniæ caussa omnia auaritiæ, ac rapacitatis exempla ediderit. si quidem, vt Pacatus dixit, vacuauit municipibus suis ciuitates, impleuit exulibus nobilib. solitudines, perfunctorum honoribus summis virorum bona publicauit, capita diminuit, vitam ære taxauit. stabat ipse purpuratus ad lances, & momenta ponderum, nutusq; trutinarum pallens, atque inhians exigebat, comportabantur interim spolia prouinciarum, exuuiæ exulum, bona peremptorum. hic aurum matronarum manibus extortum, illic raptæ pupillorum ceruicibus bullæ, istic dominorum cruore perfusum pendebatur argentum. numerari vbiq; pecuniē, fisci repleri, æra cumulari, vasa concidi, cuiuis vt intuenti non Imperatoris domicilium, sed latronis receptaculum videretur. Quæ dum ille molitur, Valentinianus, pace constituta, cadauer Gratiani recuperare cupiens, Ambrosium iterum ad Maximum misit. Ille autem obsequutus, Treuiros properauit, & ad Palatium progressus, cum Gallicano eunucho cubiculi præfecto dixisset, esse de quibus sine arbitris agere Valentiniani nomine vellet, à Maximo impetrare nō potuit. Quare commotus in Consistoriū adiit, & Maximo assurgente, vt osculum daret, id officij respuit, cōuenire negans, vt in Consistorio episcopus audiretur. cui ille iniurias, quas se à Bautone, quas à Valētiniano, quas ab ipso in priore legatione accepisse præ se ferebat, cum ab omnibus se delusum expostularet, euomuit. quæ omnia diligenter Ambrosius oratione purgauit, ac necem ei Ballionis obiecit. Demum Gratiani cadauer postulanti ille se daturum negauit, ne dolorem militum refricaret. cui Ambrosius, Non est, quòd de militibus labores, inquit, quid enim mortuum desiderent, quem viuentem destituerunt? Tum ille se consideraturum subiecit. mox indignatus, quòd Ambrosius episcoporum suorum communionē vitaret, ipsum primo quoq; die decedere ex Galliæ finibus imperauit. Ita Ambrosius, re infecta, Italiam non sine aliqua insidiarum suspicione repetiit, præsertim vero cum Hyginum episcopum iam ætate confectum in exilium ab eo traditum comperisset. Reuersus autem legationem scriptis exposuit, Valentinianum monens, vt esset cautior aduersus hominem pacis inuolucro bellum tegentē. Post paucos dies Valentinianus rursus à matre percitus, insanire, ac noua æstuare expellendi Ambrosij libidine cœpit. Itaq;, comitibus consistorianis missis, mandauit, vt basilicam nouam, quæ erat in vrbe, sibi traderet. cui respondit Ambrosius, templum Dei tradi à sacerdote non posse. postridie vero, cum præfectus progressus suadere cœpisset, vt basilicam Portianam cōcederet, populus reclamauit. ille se Valentiniano renunciaturum subiecit. tertia vero die, quæ erat dominica Palmarum, Ambrosius, cum in basilica noua operam Officiis diuinis nauaret, certior factus, missos ad basilicam Portianam decanos vela suspendere, ac populum eo concurrere,

tamen

tamen ſolemnia miſſarum iniuit. ceterum, dum offert, raptum audit à populo Caſtulum presbyterum Arrianum. qua re accepta, amariſſime flere, atq; orare in ipſa oblatione Deum inſtituit, vt ſubueniret, ne cuius ſanguis in cauſſa Eccleſiæ fundetetur, ſed ſuus non ſolum pro ſalute populi, ſed etiam pro impiis hauriretur. ac, miſſis presbyteris, & diaconis, hominẽ exemit iniuriæ. Confeſtim corpus omne mercatorum mulctis grauiſſimis oneratur, ac ducenta pondo auri triduo exiguntur. Sanctis diebus, quibus moris erat debitorũ vincula relaxari, carceres negotiatoribus implentur. Palatina officia, hoc eſt, Memoriales, Agentes in rebus, apparitores diuerſorũ Comitum à proceſſu abſtinere iubentur. Honoratis minæ grauiſſimæ intenduntur, niſi baſilicam traderent. Comites, & tribuni Ambroſium adeunt, ac baſilicam propere ſibi tradi poſcunt, Imperatorem iure ſuo vti dicentes, quòd in poteſtate eius omnia forent. Quibus reſpondit Ambroſius, Si Imperator à me petet, quod meum eſt, id eſt, fundum meum, argentum meum, non recuſabo; quanquam omnia, quæ mea ſunt, pauperum ſunt. verum quæ Dei ſunt, Imperatoriæ poteſtati non ſunt obnoxia. ſi patrimonium affectatis, inuadite; ſi corpus, accurrite: vultis in vincula ducere, vultis ad necem? ludus eſt. non ego me valabo ſtipatione populorum, nec altaria tenebo, vitam deprecans, ſed pro altaribus victimam me præbebo. Horrebat porro animo, armatos ad baſilicam occupandam miſſos audiens, ne, dum baſilicam vindicarent, cædem aliquam facerent, quæ in perniciem recideret ciuitatis. orabatq; Deum, ne ipſe aut vrbis, aut Italiæ funeri ſupereſſet. ſimul deteſtans inuidiam fundendi ſanguinis, offerebat iugulum ſuum, ac Gotthos tribunos, qui aderant, ſic compellabat: Quo tenditis, aut quid agitis? an vos propterea poſſeſſio Romana ſuſcepit, vt publicæ perturbationis miniſtros vos præbeatis? quo tranſibitis, ſi hæc deleta fuerint? Rogatus inde, vt compeſceret populum, reſpondit, ſui iuris eſſe, vt non ſolicitaret, Dei, vt mitigaret. ſi ſe concitorem turbatum putarent, in ſe irruerent, aut, in quas vellent, terras abducerent. His dictis, illi abierunt, ipſe in baſilica veteri totum diem exegit. inde domum cubitum ſe recepit, vt ſi quis abducere vellet, paratum haberet. Inde ante lucẽ, vbi primum limine pedem extulit, baſilicã circumfuſi milites occuparunt, ac ſtatim Imperatori ſignificarunt, ſi prodire cum Catholicis vellet, ſe illi pręſto futuros, ſin minus, ad eum cœtum, quem Ambroſius cogeret, tranſituros. Prodire ex Arrianis auſus eſt nemo, quia nec quiſquam ciuium erat. pauci de familia regia acceſſere, & nonnulli etiam Gotthi. Dum autem lectionibus opera datur, renunciatur Ambroſio, baſilicam etiam nouam populo eſſe refertam. milites autem, qui baſilicam obtinebãt, vbi præceptum Ambroſij acceperunt, vt à communione ſe abſtinerent, ſtatim ad cõuentum eius ſe contulerunt, denunciantes, ſe ad orandum, non ad pugnandũ veniſſe. populus autẽ, clamore edito, poſtulauit, vt Ambroſius ad illam baſilicã ſe cõferret. ille autem, cõcione inſtituta, ac, cauſſa ſua probata, ſe iturum negauit. pòſt autem, cum audiſſet, cortinas regias eſſe collectas, & baſilicam populo refertam præſentiam ſui deſiderare, presbyteros ſuos miſit, atque concionari perrexit. Pòſt paulo notarius cum mandatis Imperatoris aduenit, ac, Cur animum induxiſti, inquit, vt contra placitum faceres? cui ille reſpondit. Quid placitum ſit, aut quid temere factum dicatur, ignoro. tum notarius: Cur presbyteros ad baſilicam deſtinaſti? num tyrannus ſis, ſcire cupio, vt me aduerſus te præparem. tum Ambroſius: *Nihil in præiudicium feci Eccleſiæ. tantum quo tempore audiui occupatam à militibus eſſe baſilicam, liberius ingemui, multiſque hortantibus, vt eo pergerem, dixi: Tradere baſilicam nequeo, ſed nec contendere debeo. vbi vero cognoui, cortinas regias eſſe ſublatas, cum eo me depoſcerent, miſi presbyteros, ego non iui. dixi vero: Credo in Chriſto, Imperatorem nobiſcum facturum. ſi hæc tyrannis videtur, habeo arma. ſed in Chriſti nomine habeo offerendi mei corporis poteſtatem. cur cunctaris percutere, ſi tyrannum exiſtimas? veteri iure Imperia à ſacerdotibus donata, non vſurpata ſunt. & vulgò dicitur, Imperatores magis ſacerdotium expetiſſe, quàm ſacerdotes Imperium. Chriſtus fugit, ne rex fieret. habemus tyrannidem noſtram. tyrannis ſacerdotis infirmitas eſt. cum infirmior, inquit, tunc potens ſum. caueat Valentinianus, ne ſibi tyrannum conſtituat, cui Deus aduerſarium non parauit. Non hoc Maximus dicit, me tyrannum eſſe Valentiniani, qui ſe queritur mea legationis obiectu in Italiam non potuiſſe tranſire.*

nunquam ſacerdotes tyranni fuerunt, ſed tyrannos ſæpenumero paſſi ſunt. Hunc in modum totus ille dies in mœrore traductus eſt. Sciſſæ ab illudentibus pueris cortinæ ſunt regiæ. baſilica militum cateruis circundata, Ambroſius ſe recipere domum non potuit. itaque pſalmos cum fratribus in minore eccleſiæ baſilica dixit. Poſtridie lectus eſt de more liber Ionæ. quo expleto, ſermonem inſtituit. qui dum habetur, nuncius allatus eſt, Valentinianum iuſſiſſe, vt milites baſilicam relinquerent, & vt mulctæ exactæ negotiatoribus redderentur. Qua re populus exultauit, (erat autem is dies, quo ſe pro nobis Chriſtus in cruce tradidit, atque in Eccleſia pœnitentia relaxatur.) ac milites accedentes ad altaria oſculis pacis inſigne ſignificarunt. Valentinianus tamen iram poſuiſſe non eſt viſus. ſiquidẽ, cum Comites eum obſecrarent, vt prodiret ad Eccleſiam, idq; ſe rogatu militum facere dicerent, reſpondit: Si vobis mandarit Ambroſius, vinctum me tradetis. Quam vocem qui audiuerunt, omnes cohorruerunt. Quin etiam Calligonus præpoſitus cubiculi Ambroſium ſic appellauit: Tu, me viuo, Valentinianum contemnis? ego tibi caput abſcindam. Cui Ambroſius: *Deus permittat tibi, vt impleas, quod conaris. ego enim patiar, quod epiſcopi, tu facies, quod ſpadones.* Hæc de ſeipſo memoriæ commendauit Ambroſius. Interim, vt addit Rufinus, Beneuolo memoriæ magiſtro Iuſtina præcepit, vt aduerſus fidem patrum Imperialia decreta dictaret. illo vero ſe impia verba prolaturum abnuente, celſiorem honoris gradum ſpopondit, ſi mandata perficeret. cui Beneuolus: Quid mihi pro impietatis mercede altiorem promittis gradum? hunc ipſum, quem habeo, auferte, dum integram fidei conſcientiam tuear. ac protinus cingulum ante pedes eius abiecit. Ambroſius vero ieiuniis, vigiliisq; ſub altari poſitus, per obſecrationes diuinum ſibi, atque Eccleſiæ præſidium inuocabat. Erat illo tempore Mediolani Auguſtinus Tagaſtenſis, qui poſtea Hipponenſem eccleſiam epiſcopus rexit. Is ſuperioribus annis ex Africa profectus, rhetoricã Romæ, deinde Mediolani docuerat, atq; Ambroſio cognitus propter ingenij pręſtantiam acceptiſſimus fuerat. Itaq;, cum aſſiduis eius concionibus intereſſet, ex Manichæo catechumenus euaſerat. per hos autem dies in Paſchate ab eodem ſalutiferum quoq; baptiſmatis ſacramentum accepit. Proximo inde menſe Iunio Ambroſius ſancta veterum martyrum corpora reperit, ciuitati ad eam vſq; diem incognita. Fuerunt autem Geruaſius, & Protaſius, qui ſacrum, ſæuiente Nerone, martyrium tulerant. quippe per quietem diuinitus eſt admonitus, vt terram ante cancellos Sanctorum Felicis, & Naboris effoderet. nam ibi martyrum Geruaſij, & Protaſij reliquias deliteſcere. pridie igitur Idus Iunias, adhibitis clericis, terram egerit, ac ſtatim martyrum oſſa omnia integra, & ſanguinis plurimum repperit. qua re cognita, populus frequens accurrit, ac locum per biduum ita celebrauit, vt non ſolum oculis religionem haurirent, ſed veſtes etiam certatim ad ſalutaria ex illo tactu morborum remedia comparanda, iniicerent. Nam multi interim dæmonibus, non pauci ſuis debilitatibus ſoluebantur. Quibus beneficiis quantum Catholicorum fides confirmabatur, tantum Arrianorum perfidia minuebatur. Itaq; Iuſtina, his ſignis auditis, exterrita tum primum animum flexit, ac ſeditionem ad deturbandum eccleſia Ambroſium excitatam, remiſit. Non deerant tamen, qui apud ipſam in Palatio virtutes martyrum deriderẽt, atq; Ambroſium pecunia comparaſſe homines dicerent, qui ſe à dæmonibus vexari falſo aſſererent. Quod cum paſſim linguæ non temperantes facerent, ecce vnus ex ipſa multitudine arreptus vociferari cœpit: Vtinam ita torqueantur ij, qui negant martyres, vel qui non credunt Trinitatis vnitatem, quam docet Ambroſius. illi vero hac voce perculſi, cum conuerti debuiſſent, hominem ſubito comprehenderunt, ac præcipitem in piſcinam dederunt. Ceterum Ambroſius ipſa oſſa primo die in baſilicam Fauſtę, populo lætante, traduxit. Seuerus autem homo oculis captus, vniuerſæ ciuitati notiſſimus, cum gratulationis publicæ cauſſam exegiſſet, eamq; accepiſſet, tacita religione repẽte tactus, eo ſe duci iuſſit, &, cum ſudario feretrum attigiſſet, idq; oculis admouiſſet, illico aſpectum recepit. Quo facto, Ambroſius cõcionem de gloria martyrũ habuit, tertioq; die ea ſub altari repoſuit, vbi ipſe ſibi ſepulchrũ deſtinauerat, ac concionem alteram in eandem ſententiã habuit. Vtraq; ſcriptis eius inſerta eſt.

Huic

Huic ſpectaculo affuit etiam Auguſtinus, vt ipſe in Confeſſionibus teſtatum reliquit: *Cum ab Ambroſio baptizatus ſum*, inquit, *annus erat, aut non multo amplius, cum Iuſtina Ambroſium perſequebatur, quæ fuerat ſeducta ab Arrianis. Excubabat pia plebs in Ecleſia mori parata cum epiſcopo ſuo. Ibi mater mea ſolicitudinis, & vigiliarum primas partes tenens, orationibus incumbebat. Nos adhuc frigidi à calore ſpiritus Dei excitabamur tamen ciuitate attonita, atque turbata. Tunc hymni, & pſalmi, vt canerentur ſecundum morem Orientalium partium, ne populus tædio contabeſceret, inſtitutum eſt. & ex illo die in hodiernum retentum. Tunc Ambroſio per viſum aperuit Deus, quo loco laterent martyrum corpora Protaſij, & Geruaſij. quæ per tot annos incorrupta in theſauro ſecreti ſui recondiderat, vnde opportune promerent ad coercendam rabiem fœmineam, ſed regiam. cum multi imbecillitatibus ſuis eſſent liberati, Iuſtinæ animus, etſi ad credendi ſanitatem non applicitus, à perſequendo in furore compreſſus eſt.* Eodem anno III Idus Octobris Damaſus pōtifex Romæ diem ſuum obiit, in numerum Confeſſorum aſcriptus. In eius locum Syricius diaconus Kal. Ianuarij ſubrogatus eſt. Sequenti, in conſulatu Arcadij Auguſti, & Bautonis, Theodoſius Auguſtus, vt Marcellinus Comes notauit, ſæuas nationes per legatos 385
Imperio ſuo ſubdidit. qui vero hi populi fuerint, neque ipſe, neque alius quiſquam explicuit. In Italia Valentinianus primos menſes Mediolani, reliquos Veronæ, & Aquileiæ traduxit. Ex omnibus locis leguntur reſcripta. quorum vnum huic loco attexendum mihi videtur, datum Nonis Nouembris Aquileiæ, eiuſmodi: *Quotieſcunque ex diuerſis prouinciis ad ſacrum manſuetudinis noſtræ comitatum legationes, quas inſtruxere decreta. neceſſe erit commeare, in auditorio quidem Celſitudinis tuæ vniuerſa trāctentur, ſed vt nullam fidem capiat ordo geſtorum. inlibataque rerum diuiſio ſingularum noſtro auditui, ſententiæque ſeruetur, ita vt deinceps excellentia tua, cum in conſiſtorio manſuetudinis noſtræ ſecundum cōſuetudinem ex decretis petitiones legatorum de noſtris ſcriniis recitantur, moram propriis ratione decurſa, ſentētiis, quas pandimus, referat.* In Gallia Maximus eandem, quam ex Pacato rettulimus, tyrannidem exercere perrexit. Treuiris agētem demum Ithacius adiit, ac multa in Priſcillianum crimina, ac maledicta coniecit. Quibus Maximus percitus, datis ad præfectum Galliarum, & vicarium Hiſpaniarum litteris, omnes omnino, quos leuis ſuſpicio labis illius attigerat, deduci ad cōuentum Burdegalæ iuſſit, qui, teſte Proſpero, his conſulibus conuocatus eſt. Ita deducti Inſtantius, & Priſcillianus. quorū Inſtantius prior cauſſam dicere iuſſus, poſtquam ſe parum purgauit, indignus eſſe epiſcopatu pronunciatus eſt. Priſcillianus vero, ne ab epiſcopis audiretur. Maximum appellauit. idq; temere permiſſum à Catholicis fuit, vt inquit Seuerus, vnde hæc hauſimus. debuiſſe enim eos epiſcopis iudicium reſeruare, non Imperatori cauſſam de tam manifeſtis criminibus permittere. Ita Idacio, & Ithacio accuſatorib. ſequentibus, omnes ei culpæ affines ad Maximum ſunt adducti. Ibi, cum forte Martinus adeſſet, Turronenſis epiſcopus, Ithacium monuit, vt ab accuſatione deſiſteret, Maximum vero, vt miſerorum ſanguine abſtineret. ſatis, ſuperq; eſſe, vt epiſcoporum ſentētia hæretici iudicati eccleſiis pellerentur. noui exempli eſſe, vt cauſſam eccleſiæ iudex ſeculi iudicaret. Itaq;, quoad ille Treuiris fuit, cognitionem inhibuit, & mox diſceſſurus egregia auctoritate à Maximo ſponſionem elicuit, nihil cruentum in eos cōſtituturum. Sed poſtea Maximus per Magnum, & Rufum epiſcopos à mitioribus conſiliis reuocatus, cauſſam Euodio præfecto prætorij permiſit, viro acri, & ſeuero. Is Priſcillianum duobus iudiciis auditum, conuictumq; maleficij, nec diffitentem obſcœnis ſe ſtuduiſſe doctrinis, nocturnos etiam turpium fœminarum egiſſe conuentus, nudumque orare ſolitum, nocentem pronunciauit. detruſitque in cuſtodiam, donec Imperatorem conſuleret. Quibus rebus cognitis, ille decreuit, Priſcillianum, ſociosque eius damnari capitis oportere. atque Ithacio inuidiæ ſe inſtantis iudicij ſubtrahente, Patricium quendam fiſci patronum accuſatorem appoſuit. Iudicio redintegrato, Priſcillianus rei capitalis damnatus eſt, & cum eo Feliciſſimus, & Armenius, qui nuper à Catholicis clerici Priſcillianum ſequuti deſciuerant. Latronianus quoque, & Euchrocia vidua vnco ad pœnam tracta, vt Pacatus dixit. Aſarius, & Aurelius diaconus gladio interempti. Inſtantius, & Tiberianus in Sylinam inſulam deportati. Nardacius, licet minus nocens, ſponte ſe epiſcopatu abdicauit.

Tertullus, Potamius, & Ioannes, tanquam viliora capita, & digni misericordia, quia ante quæstionem se socios prodidissent, ad tempus in Gallias relegati. Priscilliano occiso, non solum non repressa hæresis, sed etiam latius propagata est. nam sectatores eius, qui eum prius, vt sanctum honorauerant, postea vt martyrem, colere cœperunt. Peremptorum corpora ad Hispanias delata. Quin & iurare per Priscillianum summa religio fuit. atque inter episcopos discordia grauior exarsit. Poste-
386 ro anno, Honorio, nobilissimo puero, Euodioq; consulibus, Theodosius, vt inquit Marcellinus, inuasam ab hostibus Thraciam vindicauit, victorq; cum Arcadio filio vrbem iniuit. Hos vero Grutungos fuisse scribit Claudianus, qui, duce Odotheo rege, Istrum transire conantes, prœlio nauali deuicti, atque deleti sint, in primo Honorij consulatu. sic enim inquit:

Ausi Danubium quondam transnare Grutunni
In lintres fregere nemus. ter mille ruebant,
Per fluuium plena cuneis immanibus alni.
Dux Odetheus erat. tanta certamina classis
Incipiens æstas, & primus contudit annus.
Submersæ sedere rates. fluitantia nunquam
Largius arctoos pauere cadauera pisces.
Confessusq; parens Odethei regis opima
Rettulit, exuuiasq; tibi.

Eandem vero rem Zosimus his verbis expressit. Promotus magister militum Odetheo cuidam occurrit, maximas copias non solum ex iis, qui Istrum accolebant, sed etiam ex remotissimis regionibus, transmisso flumine, adducenti, & collatis signis, tantam eorum stragem edidit, vt flumen cadaueribus redundaret, & numerus iniri peremptorum non posset. & paulo post: Eo tempore, inquit, natio Scythica, quos Grutungos vocabant, ad Istrum processit. Hi, cum multitudine abundarent, & necessariis armis instructi essent, ac robore corporis excellerent, peragratis interiectorum barbarorum agris, ad ripam Istri venerunt, ac transitum sibi concedi postularunt. Promotus autem magister militum, hac re comperta, exercitum flumini admouit, ac transmissionem eorum morari instituit. mox adhibitos nonnullos, qui linguam eorum callebant, ad hostes ire præcepit, pollicitatum, si sibi præmium esset, se eis ducem Romanorum, atque exercitum proditutos. profecti rem ex sententia transegerunt. vbi tempus aduenit, barbari ex pacto nocte intempesta meliorem suorum partem transmittere incœperunt, ac mox alios priorum auxilio summiserunt. Promotus autem doli compositi auctor, nauium multitudine ad id instructa, eos flumen superare conantes non solum ex aduerso prohibuit, sed etiam ex transuerso adortus, viros prope omnes submersit. inde in mulieres, ac pueros inuectus, prædam eximiam peperit. Theodosius autem, qui non longe aberat, ad eam victoriam inspiciendam progressus vinculis captiuos exemit, eorum opera ad bellum contra Maximum, si opus esset, vsurus. Per eosdem etiam dies alibi quoque res egregie gesta est. Erat oppidum in Scythia Thraciæ parte, quod Tomos vocabant, cuius præsidio præerat Gerontius. Is à barbaris quibusdam militibus, quos Theodosius præmiis, honoribusque prouexerat, contemptus, insolentiam eorum vindicare constituit. ac cum paucis in eos, qui extra vrbem sedebant, improuiso erupit, & ceteris eum sequi recusantibus, fortissimo eorum milite, qui se primus ad virtutem ostentandam obiecerat, interfecto, ceteros, qui ex muris prœlium spectabant, ad exeundum accendit. atque ita aut barbaros strauit omnes, aut in fugam coniecit. quorum plerique in templa Christianorum, quæ violari nefas habebatur, salutis caussa se receperunt. Theodosius autem, re audita, rationem ab illo poposcit, cur eos, quos ipse honoribus extulisset, ausus esset attingere, eumque non reip. caussa, sed prædæ, inuasisse coarguit. ille vero se ad fiscum omnia retulisse respondit. atq; ita iram Imperatoris euasit. Valentinianus in Italia tanquam superatis demum, fractisq; Catholicis, conueniendi copiam restituit Arrianis, qui Concilium Ariminense complectebantur. Extat adhuc rescriptum eius ad Eusignium præfectum prætorio Mediolani x Kal. Februarias datum, ac temere, & imperite

perite inter Catholica decreta relatum: *Damus*, inquit, *copiam colligendi iis*, *qui secundum ea sentiunt*, *quæ temporibus Diuæ memoriæ Constantij sacerdotibus conuocatis ex omni orbe Romano*, *expositaq; fide ab iis ipsis*, *qui dissentire noscuntur*, *Ariminensi Concilio, Constantinopolitano etiam confirmata in æternum mansura decreta sunt*. In Gallia Maximus post Priscilliani necem Ithacium eius accusatorem, ceterosq; illius socios vi regia tutatus est,ne quis ei crimini daret,opera illius cuiuscunque modi hominem fuisse damnatum. Congregati etiam Treuiris episcopi cum Ithacio communicarunt, auctoresq; Maximo fuerunt, vt tribunos cum summa potestate ad Hispanias mitteret, qui hæreticos inquirerent, & deprehensis vitam, ac bona adimerent. Quo facto non erat dubium, quin plurimos oppressuri innocentes essent. etenim, vt inquit Sulpicius, tum solis oculis iudicabatur, cum quis pallore potius, aut veste, quàm fide, hæreticus æstimaretur. Verum, cum Martinum episcopum ad comitatum venire audirent, veriti, ne aut consiliis suis repugnaret, aut à communione sua se remoueret; Maximum impellunt, vt, missis obuiam magistri officialibus, Treuiros prohiberet accedere, nisi se cum pace episcoporum apud se consistentium affore fateretur. Cui Martinus respondit,se cum pace Christi venturum.itaq; ingressus vrbem nocte orationis caussa Ecclesiam adiit. postridie vero Palatium petiit,vt pro Narsete Comite,& Leucadio præside,qui Gratiani partes pertinacius fouerant, supplicaret, &,ne tribuni cum iure gladiorum in Hispanias mitterentur, vetaret. Ceterum, cum episcopi omnes turpi principem assentatione complecterentur, solus Martinus apostolicam seruauit auctoritatem. nam, cum supplicandum fuit, imperauit potius, quàm rogauit. & à conuiuio eius, licet sæpe rogatus, abstinuit,quòd diceret,se mensæ eius participem esse non posse,qui Imperatorem vnum regno, vita alterum expulisset. cum autem Maximus, se nõ sponte sumpsisse Imperium affirmaret,sed impositam sibi à militib. diuino nutu regni necessitatem armis defendisse, & non alienam ab eo Dei voluntatem videri, qui tam incredibili euentu victoriam peperisset,nullumq; ex aduersariis,nisi in acie,oppetiisse;tãdem victus vel ratione,vel precibus ad conuiuium venit,mirum in modũ gaudente Maximo, quòd impetrasset. conuiuæ autem aderant, veluti ad diem festum euocati, summi,atque illustres viri,præfectus,idemq; consul Euodius,Comites duo summa potestate præditi, frater eius, & patruus.medius inter hos Martini presbyter accubuerat.ipse autẽ sellula iuxta Maximum posita consederat.medio ferme conuiuio minister de more paterã regi obtulit.ille Martino dari iubet,auide expectans,vt ab illius dextera poculum sumeret. sed Martinus vbi ebibit, pateram presbytero suo tradidit, neminem existimans digniorem,qui post se biberet.nec integrum sibi fore, si aut Maximum, aut eos, qui à Maximo erant proximi, presbytero prætulisset. Quin etiam eidẽ Maximo longe antè prædixit, futurum, vt,si ad Italiam pergeret, quò ire cupiebat, bellũ Valentiniano facturus,primo quidem aduentu victor esset, sed paruo pòst tempore interiret. Ceterum pro rebellibus orantem Maximus primo,atq; altero die suspendit,siue, vt rei pondus imponeret, siue, quia, vt pleriq; arbitrabantur,bonis eorum inhiaret.Interea episcopi,quorũ communionem Martinus non inibat,Maximum soliciti adeunt,actum esse de suo omnium statu querentes,si Theognisti pertinaciam,qui ipsos solus palam,lata sententia, cõdemnauerat, Martini armaret auctoritas. non oportuisse hominem recipi mœnibus, illum iam non defensorem hæreticorum esse, sed vindicem;nihil actum morte Priscilliani, si Martinus illius vltionem exerceat.postremo prostrati flentes opem eius implorãt, vt vtatur aduersus eum vi sua. Quib.vocibus Maximus adductus,Martinum secreto accersitum blande appellat, hæreticos iure damnatos more iudiciorũ publicorum potius,quàm insectationibus sacerdotum;nõ esse caussam,cur Ithacij,ceterorumq;partis eius communionẽ putaret esse damnandã.Theognistum odio potius, quàm caussa,fecisse dissidium,eundemq; tamen solũ esse, qui se à communione secreuerit, à reliquis nihil nouatũ.quin etiam synodum paucos ante dies habitã pronunciasse,eos culpa non teneri. Quibus cum Martinus minime moueretur,Maximus iracundia incitatus,se de conspectu eius abripuit.& mox iis,pro quibus ille rogauerat,percussores immisit. Quod vbi Martinus nocte cõperit, anxius Palatiũ re-

pente irrupit & cum ſpopondiſſet, ſi eis parceretur, ſe communione vſurum, pro-
tinus ab eo, quæ cupiebat, eſt conſequutus. poſtridie vero, cum Felix epiſcopus
ſacraretur, communionem cum epiſcopis iniit. neque tamen communionem il-
lam ſubſcriptione firmare, cum id magnopere peterent, voluit. Tertio inde die
domum reuertens mœſtus, quòd ad horam noxiam communionem iniſſet, præ-
greſſis paulolum comitibus ſolitario in loco ſubſedit, cauſſam doloris accuſans ſi-
mul, atque defendens. cui angelus repente aſtitit, dicens: Merito Martine com-
pungeris, ſed aliter temet explicare nequiſti. collige virtutem, recipe conſtantiam.
Pòſt autem, cum quoſdam energumenos tardius, quàm ſolebat, & gratia minore,
curaret; ſubinde lacrymans amicis dixit, ſe propter communionis illius labem de-
trimentum accepiſſe virtutis. Imminutam inde virtutis gratiam multiplici merce-
de recuperauit; nam energumenum ad pſeudothyrum monaſterij ipſius addu-
ctum, priuſquam limen attingeret, liberauit. Burdigalæ Vrbicam Priſcilliani diſci-
pulam impietatis in pertinacia permanentem, ſeditione concitata, vulgus lapidi-
387 bus obruit. Valentiniano deinde Auguſto tertium, Eutropioq; conſulibus, Theo-
doſius Quinquennalia Arcadij filij magna lætitia Conſtantinopoli celebrauit. atq;
inde VIII Kal. Aprilis reſcripſit. Sequitur bellum omnium maxime per hæc tem-
pora memorabile aduerſus Maximum Imperatorem. Huius Maximus ipſe fuit au-
ctor. Etenim Imperij prolatandi ſæua cupiditate cæcatus, animum demum ad Ita-
liam inuadendam adiecit. atque, vt cauſſam belli ſpeciosam haberet, litteras ad
Valentinianum miſit, præcipiens, vt Catholicorum vexatione deſiſteret, quos pa-
ter eius eximio ſtudio coluiſſet; ſin minus, bello ſe eum perſequuturum, ſciret. Ea
denunciatione Valentinianus exterritus ſubito Domninum ad eum Aquileia le-
gauit, poſtulatum, vt fœdus ſecum redintegraret. Maximus aſtute conſilium ſuum
occultās, Domninum amice complexus, inſignibus muneribus onerauit, atq;, im-
pertito fœdere, militarem etiam manum abeūti permiſit, qua Valentinianus con-
tra barbaros vteretur, Pannoniæ finibus imminentes. vbi vero eum à ſe itinere ali-
quot dierum digreſſum ſenſit, relicto in Gallia Victore filio, quem Auguſti digni-
tate ornauerat, vniuerſis cum copiis in Italiam iter intendit, cuſtodibus præmiſſis,
ne quis præuertens aduentum ſuum Italiæ nunciaret. mox, poſtquam Domninum
iam Alpes ſuperaſſe audiuit, tum, quanta maxima potuit, celeritate ad Alpes Cot-
tias properauit, iisq; ſine impedimento traiectis, Aquileiam verſus ducere inſtitit.
Quo tumultu prærepto, Valentinianus in timorem ſui adductus, quòd vires pares
ad tantum excipiendum impetum non haberet, ſuorum monitu repente inde ſe
cum Iuſtina matre proripuit, ac naui conſcenſa, Theſſalonicam acceſſit, ac raptim
certiorem Theodoſium de his rebus omnibus fecit, ſummis precibus orans, vt ſi-
bi ad Italiam retinendam adeſſet, quàm maturrime poſſet. Hoc Theodoſius nun-
cio perturbatus, primo Valentinianum monuit, in hanc illum calamitatem eſſe de-
lapſum, quòd fidem oppugnaret, quam tueri Imperator debuerat. deinde ſecuro
eſſe animo iuſſit; nam ſe neceſſitatibus eius non defuturum. Interim Maximus A-
quileiam progreſſus, vrbe nullo negotio eſt potitus. quo facto confeſtim tota Ita-
lia, ac ſubinde Africa in fidem eius, poteſtatemq; ſe tradidit. Vnde Gildas Sapiens
ſcripſit: *Britannia nomen Romanum, non morem, legemq; tenens, ad Gallias Maximum Im-
peratoriis inſignibus initiatum miſit. Ille callida arte potius, quàm virtute finitimas quoque
prouincias contra Romanum ſtatum regno ſuo adnectens, & vnam alarum ad Hiſpaniam, al-
teram ad Italiam extendens, & thronum Imperij apud Treuiros ſtatuens, tanta inſania in do-
mos debacchatus eſt, vt duos Imperatores legitimos, vnum Roma, alterum vita expelleret.*
In Italia Bononienſes inter ceteros Maximum ſummo ſtudio receperunt, ac co-
lumnam, quæ adhuc ad primum ab vrbe lapidem extat, ipſi, & Victori filio ita in-
ſcripſerunt: DD. NN. MAG. C. MAXIMO, ET FL. VICTORI PIIS FE-
LICIBVS SEMPER AVGVSTIS BONO R. P. NATIS. Italia, Africaque re-
ceptis, quacunque ratione potuit, pecunias tanto gerendo bello neceſſarias vndi-
que coaceruare contendit, atque in eis extorquendis miſere, fœdeq; populos la-
cerauit. Per hos menſes hæreſis noua in Æmilia, & Liguria erat oborta quorun-
dam, qui ſacrarum virginum connubia inducebant. cuius vt certior Syricius pon-
tifex

tifex factus est, protinus eam, decreto facto, damnauit, atq; auctores eius homines Arrianos notauit. atq;, his actis, ad Mediolanensem ecclesiam scripsit, se damnasse Iouinianum, Auxentium, Genialem, Germinatorem, Felicem, Frontinum, Martianum, Ianuarium, & Ingeniosum, qui sacras virgines coniugio sociari iubebant: *Nos enim*, inquit, *nuptias non aspernanter accipimus, sed virginum nuptias Deo deuotas maiore honorificentia veneramur.* ad quem Ambrosius, aliiq; episcopi rescripsere, se item hæresim illam, atq; hæreticos repudiasse, atq; damnasse. subscripsere autẽ episcopi Euentius, Maximus, Felix, Bassianus, Theodulus, iussu domini Geminiani episcopi ipso præsente Aper presbyter, Eustasius, & Constantius. Ex quibus Bassianus Laudensem, Geminianus Mutinensem ecclesiam rexit. atque vterque pôst in sua ecclesia tumulatus, multis miraculis editis, Sanctorum Confessorum numero est ascriptus. Postero anno, Theodosius iterum cum Cynegio præfecto prætorio 388 consul Thessalonicam cum optimatibus suis accessit. siquidem inde pridie Idus Martias edicta proposuit. Ibi Valentinianum præsentem, opem suam implorantem, acriter obiurgauit, quòd à paterna fide recessisset, atq; Arrianam hæresim tot Conciliorum sententiis profligatam amplexus esset. adeoq; monitis, præceptis, & precibus circumuenit, vt ad Catholicorum partes attraxerit. Inde consilia de Maximo vlciscendo, ipsa etiam presente Iustina, peracta. Aliis, vt inquit Zosimus, arma primo quoq; tempore inferenda censentibus, Theodosius in eam sententiam erat pronior, vt ad vitandum ciuile bellum res antè per legatos transigeretur; &, si Maximus Italia, atq; Africa vltro cederet, priore diuisione staretur. si eo cõtentus non esset, bello vindicaretur. Nemine autem aduersus eum hiscere audente, Iustina ad eum accessit, atq;, adducta secum Galla filia, eximiæ pulchritudinis virgine, ad genua procubuit, orans, ne Gratiani inultam cædem relinqueret, à quo tantum principatus fastigium accepisset. néve se prostratos, atque omni alia spe destitutos iacere diutius sineret. atq; interea puellam lacrymantem, ac fortunam suam deplorantem ei obtulit. Theodosius vero puellæ specie captus, eam in matrimonium postulauit. (nam Placilla vxor diem suum obierat) eamq; à Iustina accepit, cum eo, vt nullam bello suscipiendo moram afferret. Hoc, vt, dixi, Zosimus. quem falsum esse ostendit Marcellinus, qui biennio antè Gallam Theodosio nupsisse notauit. Itaq; placet magis, Theodosium rei indignitate, & Valentiniani necessitate permotum vltro arma sumpsisse. atque hoc ipsum Pacatus etiam innuit, cum, exposita Maximi tyrannide, ita subiecit: *Tandem in nos Deus oculos rettulit, & bonis Orientis intentus ad mala respexit, & hunc sacrario capiti obiecit furorem, vt fœdus abrumpere, ius fetiale violare, bellum edicere non timeret. an ego sine diuino numine factum putem, vt qui sub nomine pacis ludere, & primi sceleris pœnas lucrari quiescendo potuisset, secundum, tertiumq; vexillum latrocinij ciuilis attolleret, &, superatis Alpibus, Iulia quoque claustra laxaret, tibiq; Imperator imponeret seruatæ adhuc veniæ fidem, vincendo necessitatem? Agebat, credo, præcipitem vindicanda iam proximo vltore respublica, & extinctus aperto dominus parricidio pœnas ab eo debitas expetebat. Non id confidentia, sed amentia, non temeritas, sed necessitas erat, nec vltro lacessebat te bello, sed vlterius negare se supplicio non poterat.* Decreto igitur bello, Theodosius, Cynegio præfecto prætorio mortuo, præfecturam eam Promoto, & vrbanam Proculo eius filio, optimis viris, mandauit. inde magistrum equitum Promotum, peditum Timasium cõstituit. ac delectum omnium gentium diligentissime habuit. primum enim fidem regum, quibus Orientis limes ambiebatur, data, atq; accepta dextera confirmauit, quò foris securius agitaret, si nihil sollicitum, & suspectum domi reliquisset. tum copias tripartito diuisit, vt hostis audaciam multiplicato terrore percelleret, & fugam eius circumfusus ambiret. postremo, barbaris vltro operam pollicentibus, commilitij gratiam fecit, vt limiti manum suspectam detraheret, & militi auxiliatorem adiungeret. Qua illius benignitate pellectæ omnes Scythicæ gentes tantis agminibus confluxerunt, vt quem remiserat suis, barbaris videretur imperasse delectum. Itaque sub ducibus, vexillisq; Romanis ibat, & ad nomen respondebat Gotthus, Hunnus, & Alanus. vrbesq; Pannoniæ, quas inimica populatione exhauserat, miles implebat. Per eosdem dies, Theodosius, dum Thessalonicæ fuit, memorabile iræ, cuius impotẽs fuit, exemplum edidit.

Inſtantibus enim equeſtribus ludis, populus nobilem aurigam quendam, qui ob læſum hominem in vinculis habebatur, ſibi dari popoſcit. &, cum non impetraret, commota ſeditione, hominem, qui violatus ab auriga dicebatur, necauit. Qua de re Theodoſius ira ardens, durius in omnes conſulere voluit, verum ab epiſcopis, vt ſe ad lenitatem daret, rogatus, tandem ſe temperaturum ſpopondit. Poſt aliquot inde dies, cum res prope ex omnium animis excidiſſet, nefario domeſticorum impulſu illud impotentius, ne dicam vecordius, fecit, quòd ſeptem millia hominum in theatrum ludorum gratia conuocata, & quidem innoxiorum, militibus immiſſis, gladio ferienda, atque necanda mandauit. qua re iudicatum eſt nihil fœdius, aut crudelius ne à barbaro quidem patrari homine potuiſſe. Interim barbari quidam, qui ipſi ſtipendia faciebant, ingentibus muneribus à Maximo de proditione ſolicitati, cum rem emanaſſe ſentirent, ab illo diſceſſerunt, & paludes, lacusq; verſus in Macedoniam confugerunt. quos Theodoſius perquiſiuit, ac maiore ex parte repertos peremit. Ita hoc metu liberatus, inde ad iter ſe aduerſus Maximum expediuit, ac Valentinianum cum Iuſtina in naues impoſitum, datis, qui tuto deducerent, in Italiam deſtinauit, certa opinione ductus, Romanos lubentiſſimis eos animis expectare. Maximus interim, motis Aquileia caſtris, Alpibus Iuliis ſuperatis, in Pannoniam iniit. ac Pætouione capta, & præſidio confirmata, vſq; ad Sauum amnem proceſſit. atque ibi, Sciſcia occupata, ſubſedit. vbi vero certior factus eſt, Iuſtinam cum Valentiniano ſinum Ionium traiecturam, paratis triremibus, Andragathium ad illos capiendos dimiſit. qui, curſu in omnes partes intento, tamen propoſitum tenere non potuit, quòd eos ante aduentum ſuum Fretum tranſmiſiſſe offendit. cum autem Theodoſium exercitu nauali Italiam recuperaturum putaret, idoneis copiis expeditis, in ſpem gerendæ rei omnia illa loca circumluſtrauit. Theodoſius, vbi Maximum in Pannonia ſuperiore ad Sauum eſſe, ac Sciſciam belli ſedem cepiſſe audiuit, ex Macedonia in Pannoniam tranſgreſſus, ad Sauum iter intendit, atque ibi caſtra poſuit. inde opportuno tempore amne traiecto, prœlij copiam fecit. quam neq; Maximus egreſſus Sciſcia detrectauit. Ceterum Theodoſiani, collatis ſignis, tanta mole pugnarũt, vt repente hoſtes loco mouerint, motosq; in fugam conuerterint. Ex quibus, qui in oppidum refugerunt, aut foſſas cadaueribus oppleuerunt, aut ſe obuiis ſudibus induerunt, aut portas, quas eruptione patefecerant, morte clauſerunt. quorum vero fugam amnis magnitudo inhibuit, ij trepidi, & inuicem complexi per abrupta ſe in gurgites deiecerunt. inter quos abſorptus eſt illius expeditionis vexillifer. cuius cadauer reperiri non potuit. Hac victoria parta Theodoſius Pætouionem proceſſit. Ibi Marcellinus Maximi frater ſeſe aduenienti obiecit. Qua re conſpecta, Theodoſius & ipſe inſtruxit ſuos. verum, præcipitante iam die, ſibi duxit à prœlio temperandum. prima vero luce, productis vtrinque caſtris, mora dimicandi non eſt facta. neque alia huius prœlij, ac ſuperioris, fortuna fuit. Pari fuga hoſtes propulſi, aut in ſyluas ſe receperunt, aut fœde conciſi victoriam Theodoſio reliquerunt. Victori hoſtis à nocte ſubtractus eſt. multi ſummiſſis vexillis ſupplices ad Theodoſium confugerunt, atque ad terram prouoluti, veniam poſtularunt. hi omnes à Theodoſio benigne recepti. Maximus duplici prœlio ſuperatus, fugam capeſſiuit, ac maxima celeritate Aquileiam repetiit. Quem pari velocitate Theodoſius inſequutus eſt. Aduentanti Æmona, quæ prima ciuitas Italiam ingredienti ad radices Alpium occurrit, effuſa portis obuiam prodiit. &, quòd diu à Maximo obſeſſa nunc demum aduentu Theodoſij liberata eſſet, lætitiæ ſuæ cumulum declarauit. proceſſere obuiam tripudiantium cateruæ cantu, & crotalis perſonantes. ante mœnia feſtus liberæ nobilitatis occurſus, conſpicui veſte ſenatores, reuerendi municipali purpura flamines, inſignes apicibus ſacerdotes, portæ virentibus ſertis coronatæ, aulæis ornatæ plateæ, accenſisq; funalibus auctus dies, vt prope, nondum finito bello, triumphare Theodoſius videretur. Ceterum, Æmona relicta, Maximum aſſidue tergis inſiſtens tanto ardore eſt inſequutus, vt vno die Aquileiam acceſſerit, magna ſpacia terrarum emenſus. quò progreſſus, confeſtim vrbi oppugnationem admouit. Ea vero feruente, Maximus infirmitatem ſuarum virium contemplatus, propter inſtantis periculi

magnitudinem prope de potestate decessit. Quod vbi milites animaduerterunt, vt ante vrbis expugnationem sibi consulerent, ipsum pecuniam exercitui partientem comprehenderunt, ac regiis insignibus nudatum, & vinctum ad Theodosium perduxerunt: *Maximus*, vt inquit D. Ambrosius, *destitutus est à suis, quòd ante ipsos expeditionis dies cum audisset, Romæ synagogam incensam, edictum statim eò miserat, quasi vindex publicæ disciplinæ, cum dicerent, Rex iste Iudæus factus est. atque idcirco Sciscia, & Pætouione, atq; vbiq; terrarum victus est.* Theodosius vbi Maximum vidit, Qua fiducia ad arma ciuilia descendisti? inquit. cui ille respondit, Fauoris tui obtendi prætextum; neque enim aliter potuissem allicere milites, nisi auctoramenti mei te finxissem auctorem. Qua voce audita, Theodosius ira exarsit, nec tamen supplicio alicui tetriori ipsum addixit, sed oculis deiectis, & vultu rubore suffuso, verba misericordiæ plena fecit. Quod vbi ministri eius senserunt, Maximum ex oculis eius abduxerunt, & tertio ab vrbe lapide caput ei à ceruicib. amputarunt. Hæc VII Kal. Septembris administrata. Maximi clade percepta, Andragathius, qui nauibus sinū Ionium scrutabatur, quòd acerbissima se passurum, & Gratiano à se occiso pœnas daturum sentiret, si in manus Theodosij peruenisset, rebus deploratis omne belli consilium posuit, ac se è naui in mare præcipitauit, atq; ibi vitam finiuit.

VALENTINIANVS IVNIOR A. SOLVS.

THEODOSIVS victoriam insignem haud magno admodum certamine consequutus, Valentiniano ad se reuerso Imperium Italiæ reddidit, diligenter monito, vt, consiliis matris posthabitis, idem de Trinitate sentiret, quod à Nicænis patribus constitutum fuisset. atque Honorium filium Constantinopoli euocatum Aquileiæ sibi expectandum putauit. X Kal. Octobris Valentinianus Aquileiæ de iis, qui sequuti Maximum fuerant, sic edixit: *Nullus sibi honorem audeat vindicare, quem tyrannica concessit audacia, sed ad pristinum statum damnata præsumptio reuocetur.* Scribit D. Ambrosius, Theodosium, Maximi victoria parta, quia hostes in acie strauerat, tamdiu se à sacramentis abstinuisse, donec filiorum aduentu Dei gratiam erga se vigere perspexit. Postquam autē venit Honorius, tum Mediolanum processit. eo vero aduentante, Ambrosius secessit Aquileiam, ne necessario aut infamem eius perfidiam, ac crudelitatem Thessalonicensem turpi silentio comprobaret, aut iram eius iusta obiurgatione accenderet, quemadmodum ipse epistola ad eum scripta ostendit. VI Idus Octobris Valentinianus edictum contra Maximum renouauit: *Omne*, inquit, *iudicium, quod Maximus infandissimus tyrannorum credidit promulgandum, damnamus.* Dū Maximus Aquileiæ obsidebatur, Franci Genobaldo, Marcomere, & Sunone ducibus, superato Rheni limite, in Germaniam inferiorem inuasere, ac, plurimis cæsis, fertiles pagos depopulati Agrippinæ etiam coloniæ terrorem incussere. Quod vbi Nannienus, & Quintinus militiæ magistri, quib. Maximus Victoris filij pueritiam, & Galliarum defensionem commiserat, audiere, statim cum exercitu Agrippinam accurrere. &, cum Francos graues præda Rhenum traiecisse, plurimis suorum in Romanó solo, qui populationem redintegrarent, relictis, inuenissent, collatis apud Carbonariam signis, plerosque deleuere. Consiliis inde, num transeundum esset in Franciam, initis, Nannienus, ea re improbata, Maguncia cum rediit. Quintinus vero cum exercitu circa Niuisium castellum Rhenum transgressus, secundis à fluuio castris casas habitatoribus vacuas, atq; ingentes vicos destitutos offendit. (Franci enim simulato metu se in remotiores saltus receperant, caudicibus per extrema syluarum obiectis,) atque vniuersis domibus exustis, milites per noctem sub armis tenuit. prima vero luce saltum ingressus, vsque ad meridiem tramitum se erroribus implicans, totum perlustrauit. tandem cum ingentibus septis clausa omnia reperisset, in palustres campos, qui syluis iungebantur, euasit. molientibus hostium rari apparuere. qui, coniunctis arborum truncis superstantes, velut è fastigiis turrium, sagittas tormentorum more effudere, illitas herbarum venenis, vt vulnera summæ cuti, & non lethalibus locis inflicta haud dubias mortes adducerent. Inde maiore multitudine hostium circumfusus exercitus, in apertos campos, quos liberos Franci reliquerant, auide effusus est.

ac primi equites voraginibus immersi, permixtis hominum, iumentorúmque corporibus, ruina inuicem suorum oppressi sunt. Pedites autem, quos nulla onera equorum calcauerant, impliciti limo ægre explicantes gressum, rursus se syluis trepidantes abdebant. Perturbatis ergo ordinibus cæsæ legionis, Heraclio Iouianorum tribuno, ac pene omnibus, qui militibus præerant, interfectis, paucis effugium tutum nox, & syluarum latibula præstitere. Maximo inde, quemadmodum diximus, interempto, Valentinianus Arbogastem magistrum militum in Galliam aduersus Victorem Augustum Maximi filium misit. atque in locum Nannieni, & Quintini Cariettonem, & Syrum suffecit. Non magna res dimicatione confecta est. primo aduentu Victor prœlio superatus, comprehensus, atque occisus est. Gallia vniuersa in fidem recepta, Carietto, & Syrus cis Rhenum aduersus Francorum
389 exercitum constiterunt. Hæc in exitu anni peracta. Itaque postero ineunte, quo Timasius, & Promotus consulatum, & Albinus præfecturam vrbis administrarunt, Valentinianus, Iustina matre amissa, XIIII Kalend. Februarias Mediolano ad præfectum prætorio Galliarum Constantianum sic scripsit: *Omnes, qui tyranni vsurpatione prouecti cuiuslibet acceperunt nomen militum dignitatis, codicillos, atque epistolas promere iubemus, & reddere.* Theodosius inde mense Iunio cum Honorio filio Romam perrexit, & cum Valentiniano vrbem triumphans iniuit, ac pompam ferculorum modo curru, modo pedibus subsequutus, nunc de bello, nunc de victoria triumphauit. In curia senatum, pro rostris populum alloquutus est. omnibus se principem, singulis se exhibuit senatorem. In senatu à Latino Pacato, viro eloquentissimo laudatus est ea oratione, cuius sæpe meminimus, in qua ille bellum, victoriámque, & triumphum hunc de Maximo celebrauit. Vrbem inde lustrans, non publica tantum opera, sed priuatas etiam ædes inuisit. quin etiam congiarium populo dedit, & Victoriæ ludos edidit, & Symmacho viro clarissimo maiestatis reo, quòd litteras ad Maximum scripserat, veniam impertiuit. & ædes panarias, quas qui adibant, fœda consuetudine per occultas insidias in pistrina ad seruitutem adigebantur, euertit. & pœnas meretricum abrogauit, quibus audiendis praua prætereuntium libido irritabatur. atque inde in exitu anni Mediolanum recessit, cum iam domum episcopus repetisset Ambrosius. Cum Franci nouas ex Gallia prædas egissent, Arbogastes non patiendum ratus, Valentinianum monuit, pœnas à Francis expetendas, nisi omnia, quæ superiore anno cæsis legionibus diripuissent, subito restituerent, auctorésque belli traderent, in quibus violatæ pacis perfidia puniretur. ac post paucos dies ad eos accessit, & cum Marcomere, & Sunone Francorum regalibus colloquutus, imperatis de more obsidibus, Treuiros
390 in hiberna recessit. Proximo anno, qui erat à Christo nato CCCXC, Valentiniano Augusto IIII, Neoterióque consulibus, & Albino vrbis præfecto, cum Theodosius in Paschate ad templum religionis gratia perrexisset, Ambrosius episcopus, re animaduersa, raptim ad fores occurrit, eúmque tanquam hominem nefarium ab ingressu ecclesiæ repulit, & piorum communione deiecit, eo nomine, quòd se contra fidem episcopis datam innoxio ciuium Thessalonicensium sanguine maculasset, neque eam labem aliquo adhuc, vt par erat, piaculo publice diluisset. Theodosius autem dolore percitus, lacrimísque perfusus, nullam vim fecit, sed domum se mœstissimus rettulit. & decimum quintum Kalendas Iulias ad Tatianum præfectum prætorio ita scripsit: *Qui ante secundum consulatum mansuetudinis meæ ex ordine curialis, vel presbyteri fastigium, vel diaconi ministerium, vel exorcistæ suscepit officium, omne eius patrimonium immune à curialibus nexibus habeatur.* Veronam inde profectus tertium Nonas Septembris ad eundem ita: *Quicunque sub professione monachi reperiuntur, deserta loca, & vastas solitudines sequi, atque habitare iubeantur.* Valentinianus autem assiduis Theodosij præceptis imbutus Catholicam pietatem ita colere cœpit, vt Ambrosium eodem loco, atque honore, quo parentem, habuerit, ac mandata eius diligenter exhauserit. Ceterum pridie Nonas Martias ad Albinum præfectum vrbis sic scripsit: *Seruos, qui fecisse violentiam confessionibus testium, aut propriis docebuntur, si inscio domino commiserint, postremo supplicio deditos luere perpetrata censemus.* & pridie Nonas Aprilis ad eundem:

Augusta

Augusta in partibus ciuitatis magis antiqua reddi conuenit, quàm inchoari superuacua. nosse
itaque par est officium magnitudinis tuæ, & ceteros, à quibus sumptus huiusmodi operibus de
ærario præbebuntur acceptos omnino non ferri, si quis per vsurpationem opus præter conscien-
tiam nostram intra æternam vrbem voluerit publicâ conlatione construere. At vero, post- 391
quam Natalicia Domini accesserunt, quæ Titiano, Symmachóque consulibus in-
euntibus erant futura, Theodosius, cum per octo menses communione priuatus
vixisset, iterum cupidine templi adeundi flagrabat, sed spectatam Ambrosij seue-
ritatem formidans, propius accedere non audebat. Qua re animaduersa, Rufinus,
qui apud illum plurimum valebat auctoritate, negotium Ambrosij placandi susce-
pit. atque, illo conuento, iustum Imperatoris desiderium demonstrauit. eúmque,
vt aliquando tandem de pristina sententia cederet, atque ipsum Imperatorem in
gratiam ecclesiæ reciperet, summis precibus obsecrauit. Quas Ambrosius eadem,
qua antè, constantia respuit, ac se ante millies mortem oppetiturum, quàm tan-
tum dedecus in ecclesia permissurum, respondit. Hoc audito, Theodosius acces-
sit, &, cum ad Ambrosium, qui in Salutatorium venerat, peruenisset, ad pedes
procubuit, rogans, vt se vinculo ecclesiæ solueret, ac sibi pœnitenti aditum tem-
pli concederet. Interroganti vero Ambrosio, quo se pœnitentiæ genere expiatu-
rus esset, eo respondit, quod tu iniunxeris. Tum Ambrosius piaculum imposuit,
atque illum sese, præsente, ac flente populo, expiantem ecclesiæ communioni re-
stituit. Hunc in modum de pœnitentia Theodosij scripsit in vita S. Ambrosij Pau-
linus, itemque D. Augustinus Homilia XXXII: *Deus*, inquit, *voluit, vt Theodosius*
Imperator ageret pœnitentiam publicam in conspectu populi, maxime, quia peccatum eius ce-
lari non potuit. & libro quinto de ciuitate Dei: *Quid fuit Theodosij religiosa humilita-*
te mirabilius, quando in Thessalonicensium grauissimum scelus, cui iam, episcopis interceden-
tibus, promiserat indulgentiam, tumultu quorundam, qui ei cohærebant, vindicare compul-
sus est? & ecclesiastica coercitus disciplina, sic egit pœnitentiam, vt Imperatoriam celsitudi-
nem pro illo populus orans magis fleret, videndo prostratum, quàm peccando timeret iratum?
Addidit etiam edictum in eandem sententiam, atque illud Valentiniani, quod su-
prà posuimus, Ne capitales pœnæ ab Imperatore iniunctæ, nisi post triginta die-
rum spacium, sumerentur. Inde Valentinianus in Galliam, Theodosius in Græ-
ciam se recepit. Ceterum Thessalonicam progressus, magnum in Macedonia tu-
multum offendit. quotquot enim barbari intra paludes, & proximas syluas abditi
ex priore Romanorum expeditione salui euaserant, Italicis Theodosij occupatio-
nibus excitati, Macedoniam, Thessaliámque effuse, nullo resistente, populaban-
tur. Theodosio vero Thessalonicam regresso, in loca se abdita contulerant, atque
illucescente die erumpentes, proxima omnia loca infesta habebant, & se statim in
tutum referebant, ita vt vnde id mali manaret, non appareret. Itaque, re ad disqui-
sitionem consilij reuocata, ipse cum equitibus ad ea loca explorandi caussâ pro-
cessit. cum autem in domum anus cuiusdam pernoctandi gratia diuertisset, ibi bar-
barum exploratorem repperit. quem captum tormentis admotis omnia sibi bar-
barorum consilia, atque acta referre coegit. Itaque, adducto inde ad ea loca, quæ
ille indicarat, exercitu, omnes prope primo aduentu oppressit. Qui superstites
fuerunt, cum exercitum Theodosij labore fatigatum, & curatis corporibus somno
mersum animaduertissent, impetum in illum fecerunt. quin etiam ipsum Impe-
ratorem oppressissent, nisi quidam, qui nondum cibum ceperant, cursu ad ten-
torium capto, periculi imminentis admonuissent. qua re cognita, omnes fuga sa-
lutem sibi petere contenderunt. Promotus autem, iussu Theodosij, barbaris se ob-
iecit, ac tantam eorum stragem edidit, vt paucos incolumes reliquerit, qui se rur-
sus paludibus abdiderunt. Theodosius inde Constantinopolim profectus IIII
Idus Nouembris vrbem cum filio iniit, vt Socrates scripsit. ac varia spectacula edi-
dit, & Rufinum multis honoribus extulit, in primis vero cum Arcadio Augusto fi-
lio in insequentem annum consulem declarauit, licet Promoti nece vulgo infa-
mem. quem iussu Theodosij in Thraciam contendentem per barbaros quosdam
in insidiis constitutos dicebatur interfecisse. Qua impunitate elatus, postea in con- 392
sulatu Tatiano præfecto prætorij, & Proculo præfecto vrbis iudicium intulit, atque

illi præfecturam, huic vitam iudicum sententiis abstulit. In Gallia Valentinianus certior factus, barbaros Italiæ finibus imminere, de Italiæ quiete solicitus, Gallico otio relicto, ad eam redire, & sese periculis omnibus obiicere statuit. atq; ita Viennam accessit, vt inde ad Alpes, expeditis belli consiliis, properaret. Erat apud ipsum Arbogastes Comes, & magister militum. Hic secundum à Bautone duce locum à Gratiano Augusto consequutus, post excessum eius primas sibi iniussu Valentiniani asciuerat, ac fauore militum, quòd rei bellicæ gnarus, fortis, & pecuniæ contemptor esset, magnas opes adeptus, libertatem in Valentinianum immodicam exercebat, ita vt quæ ipse non probaret, etiam si recta essent, omnino fieri prohiberet. Nec Valentinianus, licet hoc iniquo animo patiens, remedium inire idoneum poterat, quòd ille militum beneuolentia septus erat. Itaq; cum illo de traiectione in Italiam aduersus barbaros colloquutus, ac voluntati suæ reluctantem nactus, iram vsqueadeo non tenuit, vt, educto ense, illum percutere nisus sit. sed à familiari, extorto è manibus gladio, prohibitus, ipsum verbis asperiorib. obiurgauit. inquirenti inde, cur tam acerbe sæuiret, allaturum sibi manus respondit, si, cum esset Imperator, voluntati obsequi suæ non posset. &, vt addit Zosimus, cum quodam die augusto in solio assideret, toruis oculis aduenientem aspiciens, libellum, quo ei potestatem abrogabat, porrexit. quo lecto, Arbogastes accensus, Nec potestatem mihi, inquit, dedisti, neque eripies. Hac de caussa capitalibus subortis inimicitiis, Arbogastes illum Viennæ prope habuit in obsidione. nam primum obsequiis omnibus regiis nudauit, ac pene infra priuati modū redegit, & rei militaris curam Francis satellitibus tradidit, & ciuilia officia aduersus eum solicitauit, ita vt pauci relicti essent, qui familiari eius sermoni, aut iussis obtemperare auderent. Quod vbi sensit Valentinianus, litteras ad Theodosium misit, obsecrans, vt sibi auxilio esset. simulq; iureiurando affirmans, se, nisi ab eo adiuuaretur, primo quoque tempore ad illum aduolaturum. Ceterum, cum barbarorum aduentus in Italiam timeretur, Ambrosius episcopus ab Honoratis ciuitatis rogatus, vt legatus ad Valentinianum proficiscens, illum in Italiam inuitaret, se iturum promisit. sed postridie, acceptis litteris, mansiones instrui, ornamentaq; inuehi, quæ proximum Imperatoris aduentum significabant, Honoratorum voluntate substitit. Cum autem rumor subito Viennam pertulisset, Ambrosium inuitandi regis ad Italiam gratia Viennam esse venturum, Valentinianus lætitia ingenti elatus est, quòd videbat, aduentum eius rebus suis opportunissimum esse futurum. Cunctante inde Ambrosio, litteras ad eum magna celeritate perferendas curauit, rogans, vt sine mora ad se contenderet, non vt interesset synodo Gallorum, sed vt in ipsa egressione se sanctæ ablutionis sacramento initiaret. Atqui magnam ille spem salutis suæ in Ambrosij moderatione, ac sapientia collocarat, confidens fore, vt oratione sua Arbogastem sibi placaret, atque ad saniora consilia reuocaret. Itaque, litteris lectis, Ambrosius statim iter ingressus est. verum, cum iuga alpium superasset, ipsum interfectum fuisse accepit. Ceterum Arbogastes illi hoc modo vitam eripuit. Imperio spe deuorato, eunuchos Valentiniani cubicularios maioris promissione mercedis, atque honoris in eius perniciē incitauit. Ita illi ab ipso edocti, cum Valentinianum aut dormientem, vt quidam scripserunt, aut certe solum, & inermem, dum ludicrum militare intentus è fenestra spectaret, nacti comprehenderunt, ac nemine alio ex ministris aulæ præsente, illisis faucibus, strangularunt, & ne, inquisitione facta, deprehendi possent, velo gulæ alligato, quasi semet ea morte multasset, sublimem suspenderunt. Epiphanius episcopus Salaminius ipsum in Palatio suffocatum inuentum esse scribit Idibus Maij pridie Pentecostes, ac postridie sepulturæ mandatum. Is annum tantum vicesimum erat natus, iuuenis vel ipsius Ambrosij testimonio omnib. tum corporis, tum animi bonis ad Imperij magnitudinem sustinendam instructus ita, vt etiam in omni genere virtutis paternas laudes videretur esse superaturus. Hoc scelere perpetrato, Arbogastes Imperium sibi asciscere propter barbariem, impietatemq; nō ausus, ad alterum transtulit. Erat in castris Eugenius quidam homo paganus. qui ludum primum litterarū habuerat, deinde stipendia in aula meruerat, inde scriba, & quæstor factus, magistri dignitatem ab Imperatore fuerat consequutus.

Ad hunc

Ad hunc igitur, quem participem conſiliorum de nece Valentiniani habuerat, Arbogaſtes Imperium detulit. Zoſimus ipſum ab Arbogaſte compulſum, alij vero à Flauiano præfecto vrbis proſpera omnia euentura ex ariolorum prædictione pollicito, euectum prodiderunt.

EVGENIVS IMPER.

EVGENIVS igitur ab Arbogaſte Auguſti dignitate ornatus, ad illius arbitrium omnia adminiſtrans, ſtatim ad firmandas opes ingentem exercitum partim ex Romanis, partim ex Gallis conflauit, & Galliam in deditionem adduxit. Hæc in Italiam, & in Orientem nunciata, mirifice omnium animos, ac pectora vulnerarunt. In primis vero Theodoſius doluit, vbi ſe conſortem Imperij ætate florentem, atque affinitate coniunctum amiſiſſe, atque Imperium ad alienos, eosq; indigniſſimos recidiſſe audiuit. cuius luctum Galla vxor aſſidua comploratione accendit. Cadauer Valentiniani à ſororibus eius mercede redemptum, ac Mediolanum, vt ſepulturæ mandaretur, translatum eſt. ſic enim ſcripſit D. Hieronymus epiſtolà tertia: *Adoleſcens Valentinianus, ac pene puer poſt fugam, poſt exilia, poſt recuperatum multò ſanguine Imperium haud procul ab vrbe fraternæ mortis conſcia necatus eſt, & cadauer exanime ſtipendio infamatum.* Quo cognito, Theodoſius litteras ad Ambroſium miſit, rogans, vt ſepeliendum curaret. ad quas Ambroſius ita reſcripſit: *Doleo vehementer, non ſolum, quòd immatura morte Valentinianus A. deceſſerit, ſed etiam, quòd informatus fide, ac tuis inſtitutis tantam deuotionem erga Deum noſtrum induerat, atq; tanto in me incubuerat affectu, vt quem antè perſequebatur, nunc diligeret, quem antè vt aduerſarium repellebat, nunc vt parentem putaret. Quod ego non recordatione iniuriæ veteris exprompſi, ſed pro teſtimonio conuerſionis. illud enim alienum, hoc ſuum. quod alte infuſum ſibi ita tenuit, vt matris perſuaſionem excluderet. ille ſe à me nutritum præ ſe ferebat, me vt ſedulum patrem deſiderabat. ille, ſimulato à quibuſdam aduentus mei nuncio, impatienter præſtolabatur. Quin etiam illis ipſis publici doloris diebus, cum ſanctos, & ſummos ſacerdotes domini intra Gallias haberet, vt à me tamen ſacramentis baptiſmatis initiaretur, ſcribendum arbitratus eſt. Quod etiam ſi non rationabiliter, amabiliter tamen ſuum erga me ſtudium teſtificatus eſt. Hunc ego non doleam, qui integrum, antequam ſacramentorum, quæ deſiderauit, adipiſceretur gratiam, repentina morte obiiſſe? Refrigeraſti animum, quòd etiam ipſe dignatus es ferre teſtimonium dolori. Nunc de ſepultura eius quoniam ſcripſit clementia tua, ita hic procurandum, ſed exſors exceſſit baptiſmatis. quid cognouerim, non repreſſi. Eſt hic porphyreticum labrum pulcherrimum, & in vſus huiuſmodi aptiſſimum. Nam & Maximianus Diocletiani ſocius ita humatus eſt. ſunt tabulæ porphyreticæ precioſiſſimæ, quibus veſtiebatur operculum, quo regales exuuiæ claudantur. Hoc fuerat præparatum, ſed expectabatur reſcriptum clementiæ tuæ. cuius perceptione recreatæ ſunt ſanctæ filiæ tuæ, filij tui Valentiniani ſorores. quæ ſe grauibus affiiciunt modis, & amplius exagitabantur, quòd nihil ſcriberetur ſibi. Vnde iis non parum acceſſit ſolatij, ſed dum inhumatæ ſunt reliquiæ, nequaquam ſibi parcunt. videntur enim ſibi germani ſui funus quotidianum videre. Et re vera, cum ſine fletu magno, ac ſine dolore graui nunquam ſint, tamen quotieſcunque eò accedunt, exangues reuertuntur. Et ipſis igitur conſuletur, & cariſſimis exuuiis, ſi acceleretur ſepultura, ne æſtiuo penitus ſoluantur calore. vix enim ſuperiorem æſtatem tranſegimus.* Ex voluntate igitur Theodoſij funus celebratum, & cadauer Mediolani ſepulturæ mandatum eſt. Iuſtis ſolutis, Ambroſius laudationem ſcripſit, quam poſtea quoque edidit. in qua inter alia hæc poſuit: *Conuerſi ſunt dies nobis votorum noſtrorum in lacrymas. ſi quidem Valentinianus nobis, ſed non talis, qualis ſperabatur, aduenit. Et iſte quidem vel morte ſua voluit adimplere promiſſum, ſed nobis acerbiſſima facta eſt eius, quæ exoptabatur, præſentia. Vtinam adhuc nobis abeſſet, vt ſibi viueret. ſed ille non paſſus, cum audiret alpes Italiæ hoſte infeſtari barbaro, maluit periclitari ſe, ſi Gallias derelinqueret, quàm noſtro deeſſe periculo. Magnum diſcrimen agnoſcimus Imperatoris, quòd Romano ſubuenire voluit Imperio. Hæc cauſſa mortis, quæ plena laudis. Soluamus bono principi ſtipendiarias lacrymas, quia ille nobis ſoluit etiam mortis ſuæ ſtipendium. Nec tamen flendi admonitio neceſſaria. Flent omnes, flent & ignoti, flent & timentes, flent & inuiti, flent & barbari, flent & qui videbantur inimici. Quantos ille de Galliis vſque huc totius tractu itineris populorum egit gemitus? omnes enim non*

tanquam Imperatorem sibi, sed tanquam parentem publicum obiisse domestico fletu doloris illacrymant, suaq; omnes funera dolent. Amisimus enim Imperatorem, in quo duo pariter acerbant dolorem, annorum immaturitas, & consiliorum senectus. Audite omnes populi, & videte dolorem meum, Virgines meæ, & iuuenes mei abierunt in captiuitatem, sed cognito, quod ex Valentiniani essent partibus, liberi reuerterũt. Militauit hostis barbarus Imperatori adolescenti, & suæ oblitus victoriæ, memor fuit Imperialis reuerentiæ. Laxauit sponte quos ceperat, excusans, quòd ignorasset Italos. Nos adhuc murum Alpibus addere parabamus. Valentiniani gratia non expectauit Alpium vallum, fluenta amnium, aggeres niuium, sed Alpes, & fluuios supergressa, muro nos sui Imperij protexit. Valentinianus errorem iuuentutis antè correxit, quàm disceret, esse lapsum alicuius erroris. Ferebatur primo ludis Circensibus delectari. sic istud abstersit, vt ne solemnibus quidem principum natalibus, vel Imperialis honoris gratia Circenses putaret esse celebrandos. Aiebant aliqui, ferarum eum venationibus occupari, atque ab actibus publicis intentionem eius abduci. omnes feras vno momento iussit interfici. Iactabant inuidi, quòd præmature prandium peteret, cœpit ita frequentare ieiunium, vt plerunque ipse impransus conuiuium solemne suis Comitibus exhiberet, quo & religioni sacræ satisfaceret, & principis humanitati. Scenicæ cuiusdam forma, ac decore deperire Romæ adolescentes nobiles nunciabantur, iussit eam ad comitatum venire. Missus precio deprauatus sine mandati effectu rediit. alterum misit, ne voluisse emendare vitia adolescentum, & non potuisse, videretur. Datus est obtrectandi aliquibus locus. deductam tamen nunquam aut spectauit, aut vidit. postea redire præcepit, vt & omnes agnoscerent, irritum eius non esse mandatum, & adolescentes doceret ab amore mulieris temperare. quam ipse, qui potuit habere in potestate, despexerat. Et hæc fecit, cum adhuc non haberet vxorem, & tamen exhiberet suis tanquam vinctus coniugio castitatem. Quis tam dominus serui, quàm ille corporis, fuit? quis tam aliorum arbiter, quàm ille suæ censor ætatis? Quid de pietate eius loquar? qui cum homines nobili ortos genere, & locupleti prosapia, quæ cito mouere solet inuidiam regiæ cupiditatis, accusator vrgeret, præfectus insisteret, respondit, vt nihil cruentum sanctis præsertim diebus statueretur. O iuuenis optime, vtinam te viuentem inuenire potuissem, vtinam te dilatio aliqua meo reseruasset aduentui. quanta ego cura inter te, & Comitem tuum, quanta sedulitate concordiam, & gratiam refudissem? quàm me ipsum pro tua obtulissem fide, quàm in me ipsum eos recepissem, quibus ille se timere dicebat? Ceterùm, si Comes non esset inflexus, tecum remansissem. Nunc quid habeo, quòd melius faciam, quàm, vt tibi lacrymas pro tanto tuo in me affectu rependam? Ego te suscepi paruulum, cum legatus ad hostem tuum pergerem. ego Iustinæ maternis traditum manibus amplexus sum. ego tuus iterum legatus repetiui Gallias. & mihi dulce illud officium fuit pro salute tua primo, deinde pro pace, atque pietate, qua fraternas reliquias postulabas, non dum pro te securus, & iam pro fraternæ sepulturæ honore solicitus. Multa alia in hanc sententiam addit, quæ longa sunt ad repetendum, & ipsa omnibus est in promptu oratio. Dum hæc Mediolani aguntur, Theodosius Constantinopoli easdem curas, quibus, occiso Gratiano, iactatus fuerat, secum volutare animo cœpit. Fuere, inquit Rufinus, nonnulli sacerdotes, qui pacis ab Arbogaste legatione suscepta, immunem esse Arbogastem à nece Valentiniani apud Theodosium affirmarint. Theodosius autem, belli consilio nondum expedito, legatum Eugenij Rufinum Atheniensem ad se missum, vt animum exploraret, rogaretq;, num se æquo animo imperare passurus esset, incerto, ac perplexo responso dimisit. Extremo anno Arbogastes, quietam obtinens Galliam, Sunonem, & Marcomerem subregulos Francorum odio auito insectās, Agrippinam, iam sæuiente hieme, petiit, ratus tum omnes Franciæ recessus penetrari posse, cum decussis foliis nudæ, atque aridæ syluæ occulere insidiatores non possent. inde cum exercitu transgressus Rhenum, Bructeros ripæ proximos, & pagum Aëtiam, quem Chamaui incolunt, populatus est, nemine vsquam occurrente, nisi quòd pauci ex Ampsiuariis, & Chattis, Marcomere duce, in vlterioribus collium iugis se os-
393 tendere. Postero anno, quo Theodosius III consul cum Abundantio fuit, Eugenium impetus cepit Italiam occupandi, parum memor, quinam Maximum idem tentantem excepisset euentus. verum eum Flauianus, homo vaticiniis Gentilium deditus spe victoriæ certæ inflarat. prius tamen Germanos nouis sibi fœderibus obligandos ratus, ne, se ex Galliis profecto, Rheni limitem hostiliter incursarent, ad

flumen

flumen progressus, ingentes, quas Italię caussa parauerat, copias Francorum, atque Alemanorum gentibus ostentauit. atque ita eos ad vetera redintegranda fœdera perpulit. Tum vero in conuiuio Arbogastes à regibus Francis rogatus, num episcopum Ambrosium nosset, Noui, inquit, atq; ei carus sum. cui illi: In hoc profecto vincis omnes, quòd ab illo viro diligeris, qui dicit soli, Consiste, & cõsistit. Germania pacata, Eugenius in Italiam cum Arbogaste transgressus est. Qua re accepta, Ambrosius episcopus vrbem Mediolani reliquit, & sese Bononiam contulit, ea re maxime perturbatus, quòd Eugenium acceperat, Flauiano vrbis præfecto, & Arbogaste Comite contendente, permisisse, vt ara Victoriæ, & sumptus cæremoniarum repeteretur. quod ne fieret, sua auctoritate Valentinianus vetuerat. Bononię vero cum esset, diuino monitu corpora Sanctorum martyrum Vitalis, & Agricolæ tum ciuitati incognita in solo Iudæorum iacentia repperit. eaque cum magna populi gratulatione in ædem S. Stephani, quæ nunc etiam visitur, transtulit. Discedens inde Bononia Fauentiam, atque inde Florentiam à ciuibus inuitatus, perrexit, atque ibi partem sacrarum, quas Bononia eruerat, reliquiarum reposuit, basilica ipsis martyribus consecrata, & puerum mortuum in vitam restituit. Interim vero Eugenius cum Arbogaste, & Flauiano Mediolanum iniuit. quo facto reliqua inde Italia sese illius potestati permisit. Eodem anno Theodosius Constantinopoli IIII Idus Ianuarij Honorium filium, eodem modo, quo antè Arcadium, appellauit Augustum, & consortem vna cum Arcadio Imperij Orientalis accepit. Ea res ita celebrari (vt antè diximus) assueuit, vt milites acclamantes Imperatorem in scutum leuarent, & per castra circunferrent. Quod tum factum scribit Claudianus, Honorium alloquens:

Nec dilatus honor, mutatur principe Cæsar.
Protinus æquaris fratri, nec certius vnquam
Hortati superi, nullis præsentior æther
Affuit ominibus, tenebris inuoluerat atris
Lumen hyems, densosq; nothus collegerat imbres.
Sed, cum mox solita miles te voce leuasset,
Nubila dissoluit Phœbus. pariterq; dabantur
Sceptra tibi, mundoq; dies caligine liber.

Pòst hæc certior factus, Eugenium, superatis Alpibus, vna cum Arbogaste in Italiam transcendisse, atque, terrore omnibus incusso, ad deditionem adegisse, haudquaquam sibi dubitandum putauit, quin serpenti incendio occurreret, atque vna, & Valentiniani mortem, & seruitutem Italiæ vindicaret. Ceterum de euentu belli solicitus, quòd Eugenius omnibus rebus necessariis dicebatur esse paratissimus, primum sibi diuinam, deinde humanam exposcendam opem existimauit. Itaq; ieiuniis, vigiliisque perfunctus, cum sacerdotibus, & populo templa omnia supplicabundus obiuit, atque ante martyrum, apostolorumque sepulchra cilicio indutus procubuit, ac fida Sanctorum præsidia implorauit. Quin etiam Ioannem monachum in Thebaide vaticinij laude florentem sibi consulendum putauit, cuius responsa proximo Maximi bello vera fuisse cognouerat. atq; Eutropium eunuchum in Ægyptum misit, vt aut virum sanctum ad se adduceret, aut de belli, quod animo moliebatur, euentu consuleret. Ioannes autem, cum venire abnuisset, voce oraculum edidit, ac victoriam illum relaturum, verum non incruentam, respondit. Qua voce Theodosius excitatus, alacri inde, atque erecto animo sese ad humana & pecuniarum, & virorum, equorumque præsidia comparanda conuertit. Cum autem propterea Antiochiæ tributa acerbius à præfectis exigerentur, populus vsque eo furore prouectus est, vt, concitata seditione, statuas Imperatoris deiecerit, atq; vna ipsum probris, ac maledictis incesserit. Quare vix ab eo irato, atq; infenso Flauiani episcopi precibus veniam, cum supplex, atq; ad pedes prostratus petisset, obtinuit. Interim Romæ Flauianus præfectus vrbis, qui magnam veteris auguralis scientiæ inter suos habebat opinionem, auctor erat Romanis, vt sacrificia instaurarent, victimas cæderent, exta pecudum inspicerent, quibus non tam deos propitiarent, quàm futuri belli euentum perciperent; Eugenio autem glorio-

fissimam victoriam, & Christianæ religionis ruinam temere promittebat. Arcadio
394 inde III, & Honorio II Augustis consulibus, Theodosius omnes gentes, quibus expeditionem indixerat, conuenire Constantinopolim iussit, inter quas ingentes Gotthorum, Alanorum, & Hunnorum cateruæ erant; ac duces eis præposuit, Romanis quidem copiis Timasium, & Stilichonem, hominem Vandalum, qui Serenam fratris sui filiam habebat in matrimonio; barbaris vero Gainem, Saulem, & Bacurium. Inter Gotthos, qui ordines sub eo duxerunt, insignis Alaricus fuit, is, qui postea vrbem Romam cepit, & primus barbaros ad Italiam peruastandam inuexit. Inde, amissa ex partu vxore Galla, Rufino, qui filios, atque aulam moderaretur, in vrbe relicto, Constantinopoli exiit, atque in templo ad Septimum votis D. Ioanni Baptistæ factis, vt ea expeditio bene, ac feliciter sibi, ac reip. eueniret, in Pannoniam iter intendit. Hac re cognita, Eugenius Theodosio sibi potius in vestibulo Italiæ occurrendum, quàm in penetralibus excipiendum putauit. Itaque, cum adhuc ille in itinere esset, vna cum Arbogaste, & Flauiano Mediolano egressus est, iureiurando affirmans, se, victoria parta, stabulum in basilica Mediolanensi facturum, & sub armis clericos probaturum. Quod vt Ambrosius audiit, extemplo è Tuscia Mediolanum reuertit, spe sua in Deo defixa, nequaquam permissurum, vt credentem in se hominibus impiis traderet. Eugenius Aquileiam progressus, castra posuit in campo ad fluuium nomine Frigidum, qui ab ea triginta millibus passuum distat. ac Iuliarum Alpium angustias, per quas tritus est in Italiam transitus, valido præsidio sepsit. Theodosius autem, peragrata Pannonia, ad Iulias Alpes prouectus, præsidio ex saltu deiecto, & Flauiano, cum euadere potuisset, extincto, fauces ipsas contra opinionem hostium occupauit, ac, superato sine labore iugo, sese in campos VII Idus Septembris demisit. atque extemplo pugnæ copiam fecit. ardentibus ex vtraque parte pugnandi cupiditate militibus sine mora instructæ acies, prœliumque commissum est, cum Eugenius vexillum Herculis, Theodosius vero Christi inferret. Ceterum, cum duo aciei cornua Theodosius effecisset, atq; in vno Romanas legiones, in altero barbarorum auxilia collocasset, factum est, vt Romani cum Romanis ancipiti certamine depugnarent, barbari vero loco moti ab Eugenianis fœdissima strage conciderentur. Quod vt Theodosius sensit, veritus, ne simul à nonnullis, quos in monte à tergo collocatos animaduertit, durissimo suo tempore premeretur, protinus ante aciem solus, vt omnes videre, atque audire possent, in terram proiectus supplex Dei auxilium inuocauit, Adesto mihi Domine, inquiens, ne quando gentes dicant, vbi est Theodosij Deus? Quo voto perfecto, multiplex subito Dei subsidium se ostendit. nam duces exercitus, qui montem insederant, nuncium ad eum miserunt, pollicentes, se transituros, si sibi venia, atque honos apud illum esset. quam conditionem ille accepit, &, vt in tanto tumultu potuit, sacramento firmauit. ita omnes sese ad Theodosium contulerunt. Bacurius vero, qui barbaris præerat, collecto animo, prœlium instaurauit, ac tanta mole se in hostes incitauit, vt magna ex parte aut in fugam dederit, aut occidione occiderit. Feruebat tamen adhuc in ceteris partibus vtrinque pugna. atque Eugenius victoriæ certus, suos interequitans ad constantiam hortabatur, illud identidem vsurpans, se pro certo habere, Theodosium mox desperatione rerum sibi manus allaturum. monere autem, ne illum occiderent, sed viuum ad se perducerent. Tum vero ventus sæuissimus ortus, qualem nunquam antè spirasse constabat, in ora hostium tanto impetu irruit, vt ordines eorum turbarit. In quo illud fuit mirabile visu, quòd tela, & sagittæ, quæ contra Theodosianos emittebantur, in eos, qui miserant, à vento reiiciebantur, & clypei manibus rapiebantur, &, scissis loris, in eorum ora prouoluebantur, & oculi eorum ingesto puluere opplebantur, ita vt aspectus adimeretur. Quæ vero Theodosiani tela iaculabantur, ea vehementiore, quàm antè, impetu, ferebantur. Qua ex re, tanquam præsenti Dei auxilio, animati, tanta vi se in hostes intulerunt, vt ferre non potuerint, ac fugæ sese tradiderint. Hunc in modum vno prœlio, vnoque die cum Eugenio debellatum Rufinus, Socrates, Sozomenus, & Orosius prodiderunt. Quibus etiam assentitur S. Ambrosius, cum scribit: *Cum locorum angustiis, & impedimentis calonum agmen Theodosii paulo*

serius

serius in aciem descenderet, & inequitare hostiis prælij mora videretur, equo desiluit, & ante aciem solus progressus, ait: Vbi est Theodosii Deus? Theodoritus autem, & Zosimus biduo rem confectam scribunt hoc modo. Cum defectio Solis incidisset tanta, vt noctis tenebras adæquaret, Gotthi prope omnes, (decem millia fuisse feruntur,) vna cum Bacurio duce desiderati sunt. nox prœlium diremit. Hoc detrimento allato, Eugenius per noctem in castra regressus, munera distribuere iis, qui se strenue gesserant, cœpit. &, tanquam nullo à Theodosio imminente periculo, vt corpora quiete curarent, præcepit. Theodosium vero, vt inquit Theodoritus, sui monuerunt, vt bellum in ver proximum prorogaret, ac maiorem exercitum compararet, vt multitudine par esse Eugenio posset. Quod Theodosius se facturum negauit. ac per totam noctem Deum de victoria supplicauit. sub galliciniū vero somno victus, sibi videre visus est duos viros equis candidis insidentes, qui se bonum animum habere iuberent, &, vt prima luce in prœlium rediret, monerent. nam ipsum victoria potiturum. quorum alter se Ioannem, alter Philippum apostolos esse dicebat. Hoc idem visum militi quoque apparuit, idq; per tribunum ad Theodosium detulit. Theodosius inde exercitum alloquutus, quæ sibi, & militi visa in somnis essent, exposuit, atque omnes arma capere, & forti animo pro libertate, & fide pugnare præcepit, atque, illucescente die copiis in prœlium eductis, hostes somno, vinoq; mersos inuasit. atq; inde eo, quo suprà dictum est, modo cōflixit. Ceterum, cum in hoc articulo res Eugenij versarentur, cohortes eius aliquot, duce Arbitione, diuino se vrgeri numine arbitrantes, ac prorsus de victoria desperantes, ad Imperatorem venerunt, ac supplices veniam postularunt. omnes subito in fidem recepti cum eo, vt ad Eugenium irent, captumque ad se adducerent. Illi vero alacri cum clamore in collem, vbi is huius rei ignarus sedebat, citato agmine contenderunt. Eos vbi anhelantes venire prospexit Eugenius, victoriæ nuncios ratus, continuo, num viuum ad se adducerent Theodosium, est sciscitatus. cui illi, non illum ad te adducentes, sed te ad illum adducturi accessimus. atq;, his dictis, ex solio extractum, vinctis pòst terga manibus, ad Theodosium perduxerunt. Theodosius, vbi in conspectum venit, quæ impie, ac nefarie aduersus Valentinianum commiserat, memorauit, ac religionem eius, qui Herculis auxilio confisus esset, irrisit. ac, sententia lata, caput ei truncari mandauit. id hasta præfixum, ac per castra circunlatum vbi Eugeniani viderunt, repente, armis abiectis, deditionem fecerunt. Arbogastes, rebus abscissis, cum se in mōtes asperrimos recepisset, ac se cōquiri ad necē sentiret, post biduum sibi mortem consciuit. Hanc pugnam, atq; hanc victoriam descripsit etiam Claudianus, alloquens Honorium, cuius consulis, vt ipse ait, auspiciis est pugnatum:

victoria velox
Auspiciis effecta tuis. pugnastis vterque
Tu fatis, genitorq; manu. te propter & Alpes
Inuadi faciles: cauto nec profuit hosti
Munitis hæsisse locis. spes irrita valli
Concidit. & scopulis patuerunt claustra reuulsis.
Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit aduersas acies, reuolutaq; tela
Vertit in auctores, & turbine reppulit hastas.
O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.
Alpinæ rubuere niues, & Frigidus amnis
Mutatis fumauit aquis, turbaq; cadentum
Staret, ni rapidas iuuisset flumina sanguis.

Quin etiam D. Augustinus libro v de ciuitate Dei ita scriptum reliquit: *Valentiniano siue per insidias, siue quo alio pacto, vel casu proxime extincto, Theodosius alium tyrannum Eugenium, qui in illius Imperatoris locum legitime fuerat subrogatus, accepto rursus prophetico responso, fide certus oppressit. contra cuius robustissimum exercitum magis orando, quàm feriendo pugnauit. Milites nobis, qui aderant, retttulerunt, extorta sibi esse de*

manibus quæcunque iaculabantur, cum à Theodosii partibus in aduersarios vehemens ventus iret, & non solum quæcunque in eos iaciebantur, concitatissime raperet, verum etiam ipsorum tela in eorum corpora retorqueret. Vnde & poëta Claudianus, quamuis à Christi nomine alienus, in eius tamen laudibus dixit:

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes. tibi militat æther.
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Victor autem, sicut crediderat, & prædixerat, Iouis simulachra, quæ aduersus eum fuerant, nescio quibus ritibus velut consecrata, & in Alpibus constituta, deposuit. eorumq; fulmina, quòd aurea fuissent, iocantibus, quòd illa lætitia permittebat, cursoribus, & se ab eis fulminari velle dicentibus, hilariter, benigneq; donauit. Narrant, eadem hora, qua pugnatum est ad amnem Frigidum, Constantinopoli in templo ad Septimum hominem dæmoniacum in sublime raptum, velut cum S. Io. Baptista contendentem illum conuiciis proscidisse, cum diceret, caput illi desectum esse. ac deinde addidisse: Tu me vincis, & meis copiis insidiaris. Qui vero aderant, dæmoniacum aliquid de bello, quod cordi erat omnibus, dicere arbitrati, diem, & horam notarunt. atque illo plane momento victoriam esse partam, haud ita multo pòst certis nunciis cognouerunt.

THEODOSIVS MAIOR AVG.

HIs rebus gestis, Theodosius, tanquam Occidentalis iam Imperij dominus, Aquileiam iniuit, atque Honorium filium Constantinopoli, & Mediolano Ambrosium episcopum euocauit. Ambrosius, missis nunciis, primum orauit, vt filios hostium, qui ad ecclesias confugerant, conseruaret, deinde ad eum Aquileiam processit. quem vt vidit Theodosius, ad pedes eius accidens, se precibus, & meritis eius incolumem esse asseruit. ac rogatu eius accidens, se precibus, ac rogatu eius miseris illis ignouit. De quibus eodem in loco sic Augustinus: *Theodosius inimicorum suorum filios, quos non ipsius iussus, sed belli abstulerat impetus, etiam nondum Christianos ad ecclesiam confugientes Christianos hac occasione fieri voluit, & Christiana caritate dilexit. nec priuauit rebus, sed auxit honoribus, in neminem post victoriam priuatas inimicitias valere permisit.* Discessit inde Aquileia vna cum Theodosio Ambrosius, ita vt vno die ante illum Mediolanum accesserit. Theodosius autem, assumpto Honorio Mediolanum veniens vna cum eo de Eugenio triumphauit. vt Claudianus descripsit:

Quanti tum iuuenes, quantæ spreuere pudorem
Spectandi studio matres, puerisq; seueri
Certauere senes, cum tu genitoris amico
Exceptus gremio, mediam veherere per vrbem,
Velaretq; pios communis laurea currus?

His rebus magna felicitate confectis, paucis pòst diebus Theodosius in morbum incidit, qui aquæ inter cutem appellatur. quo ingrauescente, saluti suæ metuens testamentum condidit, atque Arcadio Orientem, Honorio Occidentem reliquit, atque illi Rufinum, huic Stilichonem tutorem constituit. Ianuario vero ineunte, Olybrio, & Probino cos. paulisper ex morbo recreatus, ludos Victoriæ edidit, atq;
395 eos animi caussa ante prandium inspectauit. post prandium vero cum vehementius languere cœpisset, Honorio, vt interesset, mandauit. ac subsequente nocte XVI Kal. Februarij è vita migrauit, anno ætatis LX, Imperij XVI mortem eius frequentes imbres, & solito tenebrosior caligo, & terræ tremor præcedens nunciauit. Fuit Theodosius inter omnes Imperatores memorabilis non solum, quia propria virtute, atque eximio Imperatoris iudicio ad illius est dignitatis culmen euectus, sed etiam quia in Imperio dignum se tanto fastigio præstitit, rep. non solum fortitudine, sed etiam pietatis Christianæ studio subleuata. quibus laudibus proxime ad Constantinum accessit. Honorius cadauer patris Constantinopolim inter Augustos sepeliendum misit. post diem autem quadragesimum Ambrosius in templo, ipso Honorio præsente, laudauit. Extat illa oratio; in qua inter cetera

hæc posuit: *Theodosii principis & proxime conclamauimus obitum, & nunc quadragesimum celebramus diem, assistente sacris altaribus Honorio principe. quia sicut sanctus Ioseph celebrat quadragesimam patris Iacob supplantatoris illius, & nos celebramus Theodosii quadragesimam, qui imitans Iacob, supplantauit perfidiam tyrannorum, qui abscondit simulachra gentium. omnes enim cæremonias oblitterauit. qui etiam iis, qui in se peccauerunt, doluit, quam dederat, periisse indulgentiam. & veniam denegabant, sed non negabunt filij, quod donauit pater. Nunc se regnare Theodosius cognoscit, quando est in regno domini Iesu Christi, & considerat templum eius. Nunc sibi rex est, quando recipit etiam filium Gratianum, & pulchra iam dulcissima sibi pignora, quæ hic amiserat. quando eius Flaccilla adhæret fidelis anima Deo, quando patrem sibi redditum gratulatur, quando Constantino adhæret. cui licet baptismatis gratia in vltimis constituto omnia peccata dimiserit, tamen, quòd primus Imperatorum credidit, & post se hereditatem fidei principibus dereliquit, magni meriti locum repperit. Fles Honori, & lacrymis pium testificaris affectum. quòd in bonorum adhuc honore tumuli patris corpus per spacia multa transmittis? fles, quòd non vsque Constantinopolim reuerendas reliquias ipse prosequeris? eadem tibi caussa nobiscum est. Ne vereare, ne inhonoræ videantur, quocunque accesserint, reliquiæ triumphales. non hoc sensit Italia, quæ claros spectauit triumphos, quæ à tyrannis interim liberata concelebrat suæ libertatis auctorem. non hoc Constantinopolis, quæ secundo ad victoriam principem misit, quem cum vellet tenere, non potuit.*

CAROLI SIGONII HISTORIARVM DE OCCIDENTALI IMPERIO, LIBER X.

HONORIVS AVGVSTVS.



HEODOSIO exempto, simul etiam robur, ac dignitas ipsius titubare Imperij cœpit. Neque enim aut in Arcadio, qui Orientem, aut in Honorio, qui Occidentem accepit, ad impendentem malorum tempestatem sustinendam satis aut neruorum, aut animi fuit. His vero cladibus caussam attulit, primum imbecilla vtriusque principis ętas, quòd ille nouemdecim, hic decem duntaxat annos natus, parum rebus tantis administrandis erat idoneus; deinde nefaria Rufini, & Stilichonis, qui tutores hærebant, improbitas. qui, captata puerorum occasione, certatim animum ad inuadendum Imperium per omne genus sceleris, ac perfidiæ contulerunt. Nam cum ambo tanta habendi cupiditate flagrarunt, vt ius venale omne habuerint, neque vllum ad conficiendam pecuniam iniuriæ genus omiserint, tum se tanto inter se odio persequuti sunt, vt alter alterius euertendi caussa humana, diuinaque omnia permiscuerit. His accessere barbari, qui prioribus annis in fines Romanorum accepti, atque honoribus militaribus, exclusis veteribus Romanis, ornati, eo insolentiæ venerant, vt iam non seruire, sed dominari, neque iussa Imperatorum expectare, sed eorum temporibus inhiare, viderentur. Quæ mala cum Synæsius Cyrenarum antistes videret, orationem ad nouum Imperatorem Arcadium scripsit, in qua cum alios principum mores reprehendit, longe à disciplina vetere diffidentes, tum maxime, quòd, despectis Romanis, barbaros colerent, neque imminens ex ea re periculum prouiderent. Placet autem eius orationis summam in hos annales intexere, quòd præsentem, & futurum reipublicæ statum mirifice possit illuminare: *Debet*, inquit, *rex assidue cum militibus suis versari; in primis autem cum iis, quos agri, quos vrbes, quos denique vniuersa*

regio, quæ illius imperio paret, propugnatores dat, & custodes reip. ac legum, sub quibus alti, atq; instituti sunt. Hi enim sunt, quos Plato canibus similes esse dicit. Sed neq; pastor vnquam cum canibus lupos collocabit. nam si quando in canibus imbecillitatem, aut ignauiam aliquam animaduerterint, & ipsos canes, & gregem, & pastorem deniq; ipsum aggredientur. neq; legislator vnquam arma concedet iis, qui non sunt nati, & educati sub ipsius legibus. nullum enim ab his pignus beneuolentiæ habet. Est enim hominis audacioris, cum videat, iuuentutem multam alibi educatam, sine moribus viuentem, sua in regione arma tractantem, non extimescere, nec videre, Tantali saxum tenui filo appensum impendere reip. nam tum eam externi milites inuadent, cum rem sibi bene cessuram existimabunt. Ac sane iam huius mali velitationes quædam fiunt, iamq; nonnullæ partes Imperij, perinde vt corporis, laborant; cum non possint ea, quæ aliena sunt, cum ipso corpore coalescere, & ad harmoniam sanam reduci. secernenda autem esse tum à corporibus, tum à ciuitatibus ea omnia, quæ sunt in iis aliena, & medici, & Imperatores censent. Qui vero exercitum non conscribit, qui illis opponi possit, & veluti illi domestici sint, vacationem militiæ petentibus multis permittit, suosq; aliis rebus operam dare concedit, quid aliud, quàm in propriam perniciem ruit? cum æquum esset, istos Scythas, qui hic arma gestant, persequi, & ab ipsa agricultura propugnatores accersere, & delectus adeo acres habere, vt philosophi è scholis, opifices ex officinis, populi ex theatris euocarentur. Quo modo enim ferre possumus, partes viriles in nostra rep. alienorum, & externorum esse, & fortissimum Imperium concedere aliis bellicæ gloriæ principatum? Neq; enim dubitandum est, fore, vt illi aliquando armis instructi hominum vrbanorum se dominos esse velint. Quod priusquam eueniat, reuocandi sint nobis Romanorum animi, & ita assuefaciendi, vt ipsi suo marte vincere & possint, & velint, nec omnino societatem vllam cum barbaris ineant, sed eos omnes despiciant, omniq; loco funditus pellant. Primum igitur magistratu eiiciantur, & procul à curia honoribus arceantur, quibus per summum dedecus ea obuenerunt, quæ diu apud Romanos habita sunt, & re ipsa fuerunt, honestissima. Nam & Deam Themidem, quæ senatui, & Bellonam, quæ exercitui præsidet, obuelare se arbitror, cum cernant, hominem penula scortea indutum ducem esse chlamydatorum, & villosam pellem exuentem togam sumere, & de summa rerum cum Romano magistratu consulere prope ipsum consulem sedentem, longe post eum sedentibus iis, quibus honos ille iure optimo debebatur. atque illos eosdem, vbi paullulum è curia egressi fuerint, pelles suas rursum induere, togamq; Romanam apud suos deridere, quòd impediat ensis eductionem. Apud nos exercitus magni sunt, nostriq; seruis Scythis sanguine coniuncti. qui, nescio quo infelici fato in Romanum Imperium influxerunt. illi suos duces habent magnæ auctoritatis viros non solum apud eos ipsos, sed etiam apud nos. quod malum nostra dedit socordia nobis. præter eos autem milites, quos iam habent, seruos etiam nostros ipsis accessuros existimate. Hæc igitur nobis munitio demolienda. purganda sunt Imperatoris castra non aliter, ac cumulus tritici. Cunctos autem Scythas Romani, quibus cum illis res est, manu, & consilio antecedunt. Scythas autem istos & narrat Herodotus, & nos ipsi cernimus morbo timiditatis laborare. hi enim sunt, qui vbiq; terrarum seruitia explent, quiq; sedem stabilem nunquam habuerunt, qui sedibus suis sæpe à multis expulsi, nostra ætate ad nos venerunt, non animo bellandi, verum supplices, cum rursus finibus suis moti essent. Cum autem Romanorum mores, sicuti in supplices decuit, humanissimos, & non arma experti essent, barbari, quam par fuit, gratiam rettulerunt. nam insolentes facti beneficium non agnouerunt. quo nomine, cum patri tuo aduersus ipsos armato meritas pœnas dedissent, rursus ad misericordiam eius confugientes, supplices se vna cum vxoribus suis ad pedes eius proiecerunt. ille vero supplicantes erexit, & belli socios asciuit, & ciuitate donauit, & omnium bonorum participes fecit, & partem Romani agri eis attribuit. At illi, propterea quòd pater tuus mitem se eis præbuit, nos in hunc vsque diem derident. qua fama humanitatis nostræ etiam vicini eorum ad nos veniunt. aduentant enim sagittarij equites, petentes, vt eos complectamur, illosq; nobis, vt pote multo se inferiores, exemplum proponunt. At difficile est, istos expellere. Si me audies, difficultas illa facile tolletur, si militum numerum adauxeris, si Romanos ad virtutem excitaueris, si legiones domesticas scripseris, si aduersus barbaros istos animo vehementi, & concitato vteris. nam mox vel agriculturæ operam iussi dabunt, vel eodem itinere, quo venerunt, fugam capessent, & nunciabunt iis, qui trans Istrum incolunt, non amplius esse apud Romanos illam facilitatem, sed eos ducem habere iuuenem quendam excelsi animi, qui etiam insontem reprehendere possit. Hæc, vt exposui, de periculosa reip. barbarorum insolentia scripsit Synæsius

næsius ad Arcadium, vt primum post mortem patris Imperium iniit. quæ non obseruata vim sacri cuiusdam oraculi habuerunt. nam barbari, cum annis prioribus quieuissent, ab hoc anno tumultus miscere deintegro in Orientali Imperio incœperunt. Quæ res, quoniam insignium, quæ post Occidentem afflixerunt, calamitatum initium introduxit, quemadmodum gesta sit, diligenter est exponendum.

STILICHO, cum vtriusque principis, atq; Imperij tutelam à Theodosio sibi commissam esse assereret, Rufinum munere suo exuere omni ratione contendit, atq; ad eam rem iter Constantinopolim adornauit, ita vt, rebus Italiæ constitutis, magna celeritate se in Galliam ad limitem Rheni pacandum contulerit. Qua re cognita, Rufinus subito, quascunq; potuit, ei moras opposuit. itaq; cum alia in Oriente bella, tum præsertim Gotthicum grauissimum excitauit. Quippe, litteris occulte ad Alaricum in Thraciam missis, ipsum ad inuadendam Græciam perpulit. compererat enim, grauiter illum ferre, se militaribus copiis nullis præfectum esse, sed eas duntaxat obtinere, quas ei Theodosius tradiderat, cũ aduersus Eugenium arma tulerat. Inde de industria homines sibi fidos ei obiecit, Antiochum, qui Græciam pro consule regeret, & Gerontiũ, qui Thermopylas custodiret, secretis vtriq; mandatis editis, vt Alaricum, si impetum in ea loca fecisset, male pertinaci defensione reciperent. Qua re fretus Alaricus, cum ingenti Gotthorum exercitu raptim ex Thracia mouit, atq; irruptionem in Macedoniam fecit, nullis, neq; oppidis neq; ecclesiis, neq; hominibus parcens, vnde prædæ sperare aut sibi, aut suis aliquid posset. In Thessaliam inde transgressus, à Thessalis ad ostia Penei fluminis commisso prœlio pulsus, tria hominum millia perdidit. Inde ad Thermopylarum angustias, qui transitus erat notissimus in Greciam, ventum. eæq;, cedente ex composito Gerontio, occupatæ. qua de re sic Eunapius: *Alaricus cum barbaris per Thermopylarum fauces peruasit non secus, quàm per apertum stadium, ac campum liberum, & decursui equorum patentem. Eas Græciæ angustias illi prodidit impia natio fuscis vtentium vestibus, qui, nullo prohibente, simul cum eo irruperunt, rescissa iam pontificalium institutorum lege, ac vinculo.* Ceterum, occupatis Thermopylis, cum in Bœotiam descendisset, omnia præter Thebas expugnauit. has enim, quòd munitas inuenisset, atq; Athenis animo immineret, studiose reliquit. Athenis autem facile se potiturũ sperabat, vel quia propter vrbis amplitudinem custodiri ab omni parte non possent, vel quia, occupato portu Pireæi, ciues inopia rei frumentariæ breui deditionem essent facturi. cum autem exercitum vrbi admoueret, Mineruam in muris obambulantem sibi videre visus est, ea specie, qua à Gentilibus fingebatur; pro mœnibus vero Achillem stantem, qualem Homerus expressit, cum iratus Patrocli necem vlturus accessit. cuius visi noua specie territus, consilium oppugnationis abiecit, ac pacem vltro ciuibus obtulit. qua sacramẽto vltro, citroq; firmata, vrbem cum paucis ingressus est. Summo omnium studio exceptus, cum lectissimis ciuibus lautus accubuit. ac muneribus eximie cultus, vrbe pariter, ac tota Attica sine vllo maleficio cessit. Inde transitu in Megaridem facto, & vrbe primo impetu capta, ad Isthmum processit, eoq; sine vllo certamine Gerontij beneficio superato, in Peloponnesum ingressus, Corinthum, Argos, Lacedæmonem, ceteraq; interiecta oppida nullo negotio redegit in potestatem. Quibus cladibus cognitis, Rufinus eo magis ad Imperij cupiditatem exarsit. Interim Stilicho in Rhætiam profectus, primo aduentu Francos reges, & Sueuos, Alemanosq; ita perterruit, vt pacem postularent. Ex quibus Marcomeres rex Francorum in exilium actus: Summo autem frater eius, cum se germani vindicem ferret, à suis est interfectus. ita fœdus cum Francis percussit. Mox de Alarici irruptione in Illyricum facta edoctus, Italiam eadem, qua venerat, celeritate repetiit, atq; exercitum, quem Theodosius in Italia reliquerat, in naues imposuit, aliisq; ex Italia, Galliaq; militibus secum adductis, in Illyricum contendere maturauit. atq; in Peloponnesum egressus, Alaricum late omnia, vt diximus, expugnantem offendit. Cuius aduentu Alaricus exterritus, milites suos per agros palantes, ac dissipatos contraxit, ac se vallo, castrisq; sepsit. Stilicho vero armato ad illum progressus exercitu, extremo decertare prœlio voluit. verum, cum instructæ vtrinq; acies starent,

litteras ab Arcadio Rufini impulsu scriptas accepit, quibus præcipiebatur, ne quid in Oriente rei militaris attingeret. quibus lectis, bellum, quod in manibus erat, omisit. quod si, vt spes erat, prospero euentu cessisset, satis constat, multas, quę imminebant Occidenti, calamitates, facile potuisse auerti. Hæc in hunc modū acta tradit Claudianus. Zosimus autem auctor est, Stilichonē in Peloponnesum egressum, Alaricum in Pholoen Arcadiæ oppidum compulisse, eumq; cōmeatus inopia extinguere potuisse, nisi sese ocio tradidisset, ac, quæ Gotthi non attigerant, militibus suis diripienda dedisset. Quo facto, Gotthos spacium nactos, sese ex Peloponneso cum præda in Epirum intulisse, atq; easdē ibi populationes, & vastitates edere perrexisse. Quocunq; vero modo res gesta sit, Stilicho, re infecta, cum sibi redeūdum videret, exercitum Theodosianum ad Arcadium misit, ac Gainem ei ducem præfectū secreto, quid aduersus Rufinū moliri vellet, edocuit. Interim cadauer Theodosij Constantinopolim ex Italia transportatum VI Idus Nouembris funere magnificentissimo est elatum. V autem Kal. Decembris, appropinquante Constantinopoli exercitu, Gaines prægressus, militum aduentum Arcadio nunciauit, eumq; ea de re gestientem, vt de more obuiam extra vrbem procederet, adhortatus est. Quod Arcadius summo studio fecit, ac benigne salutatus, comiter omnes excepit. Quo facto, milites, accepto à Gaine signo, cuncti in Rufinum, qui cum Arcadio exierat, &, vt inquit Claudianus, ab Arcadio in partem Imperij accipi postulabat, infesti se intulerunt, ac plurimis illatis vulneribus confecerunt. Caput inde abscissum, & pilo præfixum per vrbē latum est. manus dextera amputata ad dedecus insatiabilis auaritiæ stipem ostiatim emendicauit. Eo anno Florentino vrbis præfecto successit Andromachus. quo pręfecturam gerente, Honorius Mediolano multa edicta edidit, quibus eos, qui tyrannos in seditione sequuti erāt, aut pœna multauit, aut venia subleuauit, & patris acta firmauit: ex quibus hoc huic historiæ adscribere libuit, datū X Kal. Aprilis: *Quæcunq; à parentibus nostris diuersis sunt statuta temporibus manere inuiolata, atq; incorrupta circa sacrosanctas ecclesias præcipimus. Nihil igitur à priuilegiis immutetur, omnibusq;, qui ecclesiis seruiunt, tuitio deferatur. quia temporib. nostris addi potius reuerentiam cupimus, quàm ex iis, quæ olim præstita sunt, immutari.* In Africa S. Augustinus, quem ab Ambrosio salutari fonte ablutum suprà diximus, episcopus Hipponensis est factus. Rufino extincto, Eutropius eunuchus locum tenuit. Is Rufini
396 bona amicis dilargiri contendens, ab Arcadio est cohibitus: siquidē initio sequentis anni, quo ille quartum, & Honorius tertium consulatum gesserunt, Idibus Februarij edixit, vt ea, quę Rufinus quondam, cum viueret, quoquo pacto possederat, in eodem statu maneret, nec quisquā sibi post eius obitum vindicandi potestatem assumeret. Eutropius repente Rufinus alter effectus, cum Timasium, & Abundantium, atq; honoratissimum, & gratiosissimum quenq; apud Arcadium ex aula per varias calumnias emouisset, atq; adeo etiam in exilium proiecisset, tum in Stilichonem arbitratu suo res Occidentis administrantem se intulit, & ad intercludēdum illi Constantinopolim aditum, hostem iudicandum à senatu Arcadij voluntate curauit. mox vt Africam Honorio adimeret, Gildonem Comitem, & magistrum vtriusq; in Africa militiæ ad studia sua traduxit. Ita Gildo, exercitu Africano corrupto, repente Africam occupauit, eamque se Arcadij nomine obtinere denunciauit. Quam rem Stilicho pro eo, ac debuit, grauissime accepit. neque remedium quærere ei recuperandæ cessauit. Interim Honorius Mediolani Libycarum ferarum munus populo exhibuit. in quo res insignis memoriæ contigit. Cum Cresconius quidam ad bestias damnatus à militibus Stilichonis de ecclesia, ad quam confugerat, raperetur, Ambrosius episcopus cum clero ad hominem conseruandum accurrit. sed milites duces Arrianos habentes præualuerunt, atque arreptum hominem ad amphitheatrum deduxerunt. verum non ita multo pòst, expedito dimissi leopardi in eum locum, in quo spectandi caussa sedebant, assultu, misere laniati sunt. Quod vbi vidit Stilicho, religione haud intactus, per multos dies episcopo satisfecit, & Cresconium, quia grauissimorum criminum erat manifestus, in exilium mittere satis habuit. Per eosdem etiam dies ipse Ambrosius corpus S. Nazarij martyris in horto extra vrbem inuenit, sanguine perinde recenti, ac si

eodem

eodem tempore, quo leuabatur, lotum, & compositum in sepulchro fuisset: id ad basilicam Apostolorum pridie Solemnis eorum deinde conditum fuit. Et hoc anno Alaricus vna cum suis victoria superiore superbus Epiro egressus, Græciam prouinciam incursauit, eamq; incendiis, & populationibus vastare, nemine resistente, cōtendit. Quo terrore perculsi incolæ, multi externas regiones salutis gratia quæsiuerunt. Eo etiam anno varia prodigia nūciata graues curas in hominum mentibus excitarunt. nam & terra per plurimos dies sæuo motu concussa est; & cœlum maximo ardore visum est conflagrare. 397 Cæsario inde, Atticoq; consulibus, Honorius Romam processit, atq; edictum in Foro Traiani edidit, ne quis in campo Martio casas, aut tuguria collocaret. Eo præsente res accidit altera memorabilis, quæ finem muneri gladiatorio attulit. Cum gladiatores adhuc prisco more in foro darentur, Telemachus quidam ex Oriente monachus spectaculi fœditatem auersatus, dirimendi certaminis gratia prouolauit in medium. Qua re populus indignatus, monachum lapidibus est aggressus. Quem extinctum vbi sensit Honorius, in numerum martyrum ascribi curauit, & noua lege, ne in posterum gladiatorum munus ederetur, edixit. Interim, cum Africa amissa antè oculos versaretur, eius recuperandæ talis occasio est oblata. Mazescel nefariis à Gildone fratre insidiis appetitus, ex Africa fugit, atque ad Honorium profectus, quo statu res illius prouinciæ essent, edocuit, belliq; facilitate proposita, operam suam ad Gildonem expugnandum, si sibi idoneus daretur exercitus, est pollicitus. Res in eum locum adducta erat, vt differri vindicta non posset. nam Gildo ex Africa ita nauigationem omnem impediebat, vt Romam in magnam rei frumentariæ difficultatem adduceret. Itaq;, Honorio, ac Stilichone auctoribus, senatus, vetusto more relato, bellum aduersus Gildonem, duce Mazescele, decreuit. atq; ita res necessariæ ad id comparari sunt cœptæ. Qua re cognita, Gildo rabie aduersus Mazescelem efferatus, liberos eius, qui in Africa remanserant, iugulauit, ac scelus scelere cumulauit. Honorius mense Aprili rediit Mediolanum. Idem annus duorum nobilissimorum antistitum morte fuit insignis, Ambrosij Mediolanensis, & Martini Turonēsis. Ambrosium grauissimo morbo iactatum simulac Stilicho audiit, diuino quasi afflatus numine, vaticinium protulit, inquiens: Si hic vir naturæ concesserit, vltimus Italiæ impendet interitus. excessit autem magna sanctitatis, & doctrinæ fama pridie Nonas Aprilis, inq; eius locum Simplicianus presbyter, homo iam ætate confectus, est substitutus. Martinus, mirandis operibus editis, supra hominis conditionem in vita nobilitatus. III Idus Nouembris migrauit ad cœlos. Vterq; ab Ecclesia inter Confessores, Ambrosius etiam inter Doctores ascriptus est. Martini sepulchrum incredibili & ciuium, & conuenarum multitudine celebrari pietatis nomine cœptum. ex quo præcipue Turonensis est ecclesia insignita. Eodem anno Idibus Augustis Concilium Carthagine actum est, in quo præter cetera Aurelius episcopus decreuit, vt episcopi Africæ de die paschatis celebrando, qui in controuersia erat, ad antistitem Carthaginiensem referrent, de pueris vero apud Donatistas baptizatis, Syricium pontificem, & Simplicianum episcopum Mediolani consulerent. cui Concilio subscripsit etiam S. Augustinus Hipponensis episcopus. In Oriente Arcadio Eudoxia Augusta Flaccillam puellam peperit. Nectario episcopo Constantinopolitano mortuo, Ioannes Antiochenus suffectus est, is, qui ab eloquentiæ magnitudine, quasi auream orationem ore funderet, Chrysostomus appellatus est. Et hoc anno Alaricus in Epiro, & Græcia cum suis insolentius sæuiit. 398 Insequenti inde Honorius quartum consulatum suum in Occidente, Eutychianus vero in Oriente iniuit. Eo anno, Syricio pontifice VIII Kal. Martij vita functo, Anastasius presbyter VII Idus Aprilis est subrogatus. De quo sic Paulinus Nolanus episcopus ad Delphidium: *Sciat Veneratio tua, sanctum fratrem tuum papam vrbis Anastasium amantissimum esse humilitatis nostræ. nam breui post ordinationem suam epistolas de nomine nostro plenas, & religionis, & pietatis, & pacis ad episcopos Campaniæ misit, quibus & suum declararet affectum, & aliis benignitatis suæ præberet exemplum. deinde nos ipsos Romæ, cum solemni consuetudine ad beatorum apostolorum natalem venissemus, tam blande, quàm honorifice excepit. postea quoque, interposito tempore, etiam ad natalem suum, quod cum sacerdoti-*

Maria Honorij coniux.

bus suis deferre solet, inuitare dignatus est. Honorius nuptias cum Maria Stilichonis, & Serenę filia quadriennio antè sibi desponsa, iam maturis vtriusque ad ineundum matrimonium annis, Mediolani apparatu magnifico celebrauit. Stilicho Mazescelem cum idonea militum manu contra Gildonem in Africam misit. Is, cum Pisis conscendisset, ad Caprariam insulam delatus, sanctos quosdam viros assumpsit, quorum se apud Deum precibus victoriam pariturum putauit, atq; in Africam egressus, contra Gildonem cum quinque militum millibus constitit, qui septuaginta millia in armis habebat. Inde, cum castra mouere, & intercedentem superare vallem moliretur, per noctem à S. Ambrosio, qui paulo antè finem viuendi fecerat, admoneri in quiete sibi est visus, cum, manu sublata, & impacto ter humi bacillo, diceret: *Hic.* quod ille interpretatus est, tertio post die se ibi victoria potiturum. Atq; ita post triduum, illatis in hostem signis, statim sine certamine milites Romanos omnes ad deditionem adduxit. barbaris fugientibus, Gildo & ipse se fugæ mandauit. verum, cum arrepta naui in altum prouectus, vi ventorum Tabracam esset reiectus, post aliquot dies ab hostibus captus est strangulatus, siue, vt inquit Zosimus, ne in manus hostium perueniret, ipse sibi mortem consciuit. Mazescel inde ingenti potius, quàm gloriosa victoria decoratus, in Italiam se recepit. Hac re Romam nunciata, eximia omnes lætitia cumulati. nam vrbs, atque Italia tota ingenti annonæ difficultate leuata est. Senatus eo nomine Honorio triumphum decreuit, quem fama fuit, Mediolano Romam venturum. verum omnium opinionem fefellit. Itaque Claudianus Romam hac de re conquerentem fecit, his versibus:

Gildo interfectus.

5,n,7.

Vestra parens Auguste queror, quonam vsque tenebit
Prælatus mea vota Ligur? vetitumq́; propinqua
Luce frui. spaciis decernens gaudia paruis,
Torquebit Rubicon vicino nomine Tybrim?
Nonne semel spreuisse sat est, cum reddita bellis
Africa venturi spe lusit principis vrbem?
Nec duras tantis precibus permouimus aures.
Ast ego frenabam geminos, quibus altior ires
Electi candoris equos, & nominis arcum
Iam molita tui, per quem radiante decorus
Ingrederere toga. pugnæ monumenta dicabam,
Defensam titulo Libyam testata perenni.

Stilichoni vero monumentum populus Rom. ex senatusconsulto cum his verbis constituit: *Fl. Stilichoni inlustrißimo viro, magistro equitum, peditumq́; Comiti domesticorum, tribuno prætoriano, & ab ineunte ætate per gradus clarißimæ militiæ ad columen gloriæ sempiternæ, & regiæ affinitatis euecto, progenero Diui Theodosii, Comiti Diui Theodosii Augusti in omnibus bellis, atq; victoriis, & ab eo in affinitatem regiam cooptato, itemq́; socero Dn. Honorij Augusti, Africa consiliis eius, & prouisione liberata.* Eutropio liberam prope dominationem non solum in aula, sed etiam in Imperio Arcadij exercente, atque omnes omnium pecunias, opesq; per varias caussas in domum suam astute vertente, Gaines indigne tulit, vt qui honorem duci prouectioris ætatis conuenientem nactus non esset, nec muneribus vel amplissimis insanam barbari cupiditatem exsaturare ad colligendam gratiam posset. ac varia secum moliri ad res nouandas animo cœpit. In Epiro, ceterisq; finitimis Orientis prouinciis eadem Alarici, & Gotthorum debacchata libido est. Constantinopoli III Idus Martias Ioannes episcopus consecratus statim cleri disciplinã corrigere est aggressus. inde in magistratus vrbis inuectus, omnibus iusto seuerior, ac quodãmodo acerbior visus. Postero anno consulatum inierunt Manlius Theodorus, & Eutropius ipse eunuchus. Hic potẽtia extraordinaria nixus, homo paganus, duo grauissima flagitia perpetrauit, primum, quòd in contumeliã Ecclesiæ edictũ ab Arcadio extorsit, vt si quis ad ecclesiã cõfugeret, ab altari abreptus pœnas grauiores persolueret. quę lex à Ioanne episcopo ingenti animi magnitudine improbata est: deinde, quòd in Eudoxiã Augustam sese contumeliosius gessit. Itaq;, cum propterea ad pœnam ab Arcadio quęreretur, impu-

399

Eutropij delictum.

impunitatis caussa ad templum se contulit, & contra legem à se promulgatam aram supplex amplexus est. Quam rem vbi Ioannes vidit, conscenso ambone, orare instituit, neque tantum facinus inultum patiendum esse diserta admodum oratione contendit. Itaque Eutropius honore spoliatus est, nomine eius ex Fastis exempto, ita vt solus Manlius Theodorus consul appellaretur, deinde etiam in exilium actus. Qua de re Arcadius XVI Kal. Februarias ad Aurelianum præfectum prætorio sic scripsit: *Omnes res Eutropij, qui quondam præpositus sacri cubiculi fuit, ærarij nostri calculis adiunximus, erepto splendore eius, & consulatu à tetra illuuie, & à commemoratione nominis eius, & cænosis sordibus vindicato, vt eiusdem vniuersis actibus antiquatis, omnia mutescant tempora, nec eius enumeratione seculi nostri labes appareat, nec ingemiscant aut qui sua virtute, aut vulneribus Romanos fines propagant, vel qui eosdem seruandi iuris æquitate custodiunt; quod diuinum præmium consulatus lutulentum prodigium contagione fædauit. Patriciatus etiam dignitate, atque omnibus inferioribus spoliatum se esse cognoscat, quos morum polluit sæuitate, omnes statuas, omnia simulachra tam ex ære, quàm ex marmore, seu ex fucis, quàm ex quacunque materia, quæ apta est effingendis, ab omnibus ciuitatibus, oppidis, locisque priuatis, & publicis præcipimus aboleri. nequa tanquam nota nostri seculi obtutus polluat intuentum. Adhibitis itaque fidis custodibus, ad Cyprum insulam perducatur. in qua tua sublimitas relegatum esse cognoscat, vt ibidem peruigili cura vallatus nequeat suarum cogitationum rabie cuncta miscere.* Inde idem grauiorum criminum quoque compertus capite pœnas dedit. Mortuo Eutropio, Gaines eandem viam ad potentiam comparandam ingressus, petere ab Arcadio non erubuit, vt ecclesia vna ex iis, quę in vrbe erant, Arrianis, quos ipse fouebat, assignaretur. quæ petitio, vt impia, atque aliena, itē à Ioanne vituperata est. deinde res nouas in Phrygia molitus, tandem Chalcedone fœdus cum Arcadio iniit, ac sese Constantinopolim rettulit. Ibi vero, cum occulte Gotthis à se introductis vrbem diripere, atque incendere statuisset, consilio patefacto, incœptum omisit. Arcadius altera filia auctus est, quam Pulcheriam nominauit. Eodem anno, teste D. Augustino, Carthagine Gaudentius, & Iouius Comites Honorij XIIII Kal. Aprilis deorum templa diruerunt, & simulachra fregerunt. Honorius ipse Venetiæ oppida peragrauit. siquidem Brixiæ, Veronæ, Patauij, & Altini fuisse reperitur. Altino autem Kalen. Decembris sic edixit: *Ex possessionibus Gildonis, quæ ad nostrum ærarium sunt deuolutæ, canonem omnium titulorum ex integro solemni more, impetrata cautione, solui præcipimus.* Stilicho ab Arcadio inuitatus, vt consulatum in Eutropij locum iniret, in insequentem annum accepit, eumque cum Aureliano præfecto prætorio in Oriente iniuit. profectusque post annos quinque Romam, ingenti plausu à populo cuncto exceptus est, siue cum circum, & ludos iniuit, siue cum in foro pro tribunali ius dixit, siue cum rostra conscendit, teste Claudiano, qui ita scripsit:

Eutropij exilium. — *Eutropij supplicium.* — *Gaines.* — *Pulcheriæ natiuitas.* — 400

Et quod adhuc nullo potuit terrore coacta
Libertas Romana pati, Stilichonis amori
Detulit. exultant auidi, quocunque decorus
Conspiciare loco, nomenque ad sydera tollunt.
Nec vaga dilecto satiantur lumina vultu,
Seu circum trabeis fulgentibus aureus intres,
Seu celebres ludos, solio seu fultus eburno
Cingas iure forum. denso sub turbine vulgi
Circunfusa tuæ conscendant rostra secures.

Annus hic fuit à Christo nato quadringentesimus, omnium, quos Occidens vidit, maxime memorandus extitit. namque initium irruptionum barbaricarum, quibus in dies magis sæuientibus, Occidentale Imperium est vsque ad extremam internicionem afflictum. Neque enim vllum siue bellicæ calamitatis, siue barbaricæ feritatis, siue vesanæ cuiusdam libidinis excogitari exemplū potuit, quod non in ipsas prouincias, ciuitates, agros, hominesque passim cum maxima atrocitate sit editum. Quippe Alaricus, cum per quinquennium in Epiro Imperij Orientalis prouincia vna cum Gotthis fœdis Græciæ direptionibus, & maleficiis intentus sedisset, tandem animum ad inuadendum Occidentem adiecit, atque in Dalmatiam, &, vt

Iornandes scripsit, in Pannoniam transiit. easque late populans, ducibus Honorij patientibus percursauit. Has vero clades à Gotthis, ceterisque barbaris eorum sociis per superiores annos illatas, D. Hieronymus epistola tertia his verbis expressit: *Viginti & eo amplius anni sunt, cum inter Constantinopolim, & Alpes Iulias quotidie Romanus sanguis effunditur. Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Thessaliam, Achaiam, Epiros, Dalmatiam, cunctasq. Pannonias Gotthus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Vandali, Marcomanni instant, rapiunt. Quot matronæ, quot virgines Dei, & ingenua, nobiliaq. corpora his belluis fuere ludibrio? capti episcopi, interfecti presbyteri, & diuersorum officia clericorum. subuersæ ecclesiæ, ad altaria Christi stabulati equi, martyrum effossæ reliquiæ. Romanus orbis ruit. Quid putas nunc habere animi Corinthios, Athenienses, Lacedæmonios, Arcadas, cunctamq. Græciam, quibus imperant barbari?* Hæc ille ante Gotthicam in Italiam irruptionem scribit. ex quibus has prouincias magna ex parte in potestate Gotthorum fuisse, perspicitur. Honorius, impressione Gotthorum in Dalmatiam, ac Pannoniam prouincias suas audita, vehementer Italiæ timere, quæ cum his iungebatur, instituit; ac propterea, Rauennæ cum esset, VIII Idus Augusti damnatos omnes domum reuocauit, atque Altinum, ac demum etiam Aquileiam ad ea, quæ opus erant, procuranda perrexit. Interim Gaines ad Hellespontum profectus, vt, traiectione facta, Asiam occuparet, Romana adueniente classe, cuius dux erat Frauitta, homo Gotthus, prœlium nauale committere est coactus. in quo, tempestate coorta, maiorem Gotthorum partem amisit. Quare, omisso Asiæ consilio, se recepit in Thraciam, eo consilio, vt, transmisso Istro, in vlteriorem Scythiam se referret. Hudin autem Hunnorum, qui trans Istrum erant, princeps, parum vtilem rebus suis fore aduentum eius ratus, ac gratiam se initurum ab Arcadio arbitratus, eum à traiectione coercuit, prœlioq; memorabili edito, vita exuit, ac caput eius ad Arcadium misit. atque eo beneficio fœdere in societatem acceptus est. Eodem anno Venerius episcopus Mediolanensis in locum Simpliciani mortui est sublectus. de quo sic Paulinus: *Mediolanensis quoq. nouus filius vester, nunc frater Venerius iam scripserat nobis post ordinationem suam.* In Africa cum Petilianus Donatista sæuiret, vsque eo intemperantia, & procacitate linguæ prouectus est, vt scripserit, Catholicos habere cathedram, quam Dauid pestilentiæ cathedram appellasset. eis enim iuste relictam esse, quia in ea sancti sedere non possent. cui Diuus Augustinus respondit: *Si omnes per totum orbem tales essent, quales vanissime criminaris, cathedra tibi quid fecit ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Ioannes sedet? quibus nos in Catholica veritate connectimur, & à quibus vos nefario furore separatis? Quare appellas cathedram pestilentiæ, cathedram apostolicam? si propter homines, quos putas legem loqui, & non facere, nunquid dominus Iesus Christus propter Pharisæos, de quibus ait: Dicunt enim, & non faciunt, cathedræ, in qua sedebant, vllam fecit mentionem?* Cum Christiani Gazæ in Palæstina male à Gentilibus ibi præualentibus haberentur, Porphyrius episcopus ægre passus, Ioanne Cæsareæ episcopo comite ascito, Constantinopolim ad eas iniurias conquerendas perrexit. atque vrbem ingressus, Ioannis episcopi apud Imperatorem auxilium implorauit. ille Arcadium sibi esse iratum caussatus, negotium eorum Amantio eunucho, viro apud Eudoxiam Augustam gratiosissimo, se commendaturum promisit. Eudoxia, vbi episcopos ab Amantio introductos aspexit, salute vltro dicta, veniam, quòd eis non assurgeret, petiit, caussa in vterum, quem ferret, coniecta. ac postulatis eorum cognitis, se cum marito colloquuturam, asseruit. Arcadius se, quod illi poscebant, templa Gentilium Gazæ diruturum, abnuit, quòd magnis ab ea ciuitate vectigalibus iuuaretur, verum ea clausurum ostendit, vt eis spoliati ad veritatem recipiendam impellerentur. Eudoxia inde in spem ab episcopis excitata, fore, vt virilem prolem pareret, eamque diu prospere imperantem videret, omnino

401 sui eos voti compotes facturam promisit, ac paulo pòst filium peperit, IIII Idus Aprilis, cum iam consulatum iniissent Vincentius, & Frauitta, is, quem ducem Arcadij diximus, ac post septem dies, accersitis episcopis, ac filium cruce signare, & sancta benedictione afficere iussis, quid eos facere vellet, edocuit. Vbi vero dies baptismatis venit, cum tota ciuitas coronis, atq; aulæis ornata esset, puer, magistratibus,

Gaines necatus.

Theodosij Iunioris natiuitas.

tibus, & cuncta nobilitate prosequente, ad ecclesiam latus, & sacro fonte infectus, Theodosij nomen, atq; Augusti dignitatem accepit, cum & ipse pater adesset Arcadius. Quo facto, episcopi, prout ab Eudoxia fuerāt iussi, diploma Augusto puero porrexerunt. qui vero infantem ferebat, eo lecto, caput ipsius perinde, ac si ille annueret, inclinauit, ac palam dixit, placere Augusto, ea expleri, quæ petita fuissent. Ob id Arcadius (quoniam ea prima filij Augusti iussio fuerat) aduersari episcoporum voluntati nesciens rescriptum episcopis suo, & filij nomine reddidit. Ita, reuerso Gazam Porphyrio, templa, atque imagines omnes deorum euersæ sunt. Aurelius episcopus concilium alterum Carthagine habuit, ac XIIII Kal. Iulias decreuit, vt legati ad Anastasium pontificem, & Venerium Mediolani episcopum mitterentur, qui necessitates ecclesiarum Africæ demonstrarent, eosq; præter cetera de pueris apud hæreticos baptizatis consulerent; ab Imperatoribus vero postularent, vt reliquias simulachrorum in Africa abolerent. Inde Idibus Septembris, recitatis litteris Anastasij pontificis, quibus monebat, vt obuiam hæresi Donatistarum iretur, statuit, vt legati ad singulas Africæ ecclesias mitterentur, qui Catholicos à Donatistis remouerent, & cum Imperatoribus de tollendis Idolorum reliquiis agerent. Eodem anno Anastasius ipse Romæ mortuus est v Kal. Maij. de quo sic D. Hieronymus: *Succedit in pontificatum vir insignis Anastasius, quem diu Roma habere non meruit, ne orbis caput sub tali episcopo truncaretur.* In eius locum Innocentius diaconus est suffectus. Interim, vexata, populataq; Pannonia, Alaricum dira libido Alaricus Italiæ iminet. incessit Italiæ inuadendæ, atq; adeo etiam (quod nefas auditu videretur) vrbis Romæ diripiendæ. quam ob rem aduocatos Gotthos sic alloqui cœpit; debere eos noua potius regna labore suo quærere, quàm alienis per otium inseruire. vicinam superasse Italiam, regionem nō tam ad prædam contrahendam opulentissimā, quàm ad firmas sedes, si Deus cœptis aspiraret, collocandas omnium honestissimam. eam se inuadere militaribus præsidiis haudquaquam satis aduersus se communitam, in animo habere. neque inde, nisi Roma capta, atque direpta, recedere. quam satis constaret, propter innumerabiles collectas per tot secula ex toto terrarum orbe diuitias, omnium, quæ fama celebrarentur, vrbium esse copiosissimam. Quem, cum perorasset, magno omnes clamore subito exceperunt, eumq;, vt iret, hortati, non modo sibi ducē, sed regem etiam asciuerūt, ac se statim ad expeditionem Italicam accinxerunt. Alaricus autem, exeunte æstate, irruptionē sibi censuit ineundam, vt bellum per hiemem in Italia gereret, cuius etiam sæuientis Gotthi gēs frigidissimis in locis nata patientissima esset. sic enim Italos & minime tum à periculis hostilibus cautos, & parum ad rem gerendam idoneos propter asperitatem temporis esse futuros. Huius autem apparatus fama in Italiam perlata vehemētius cunctorum populorum animos metu malorum omnium consternauit. Auxere etiam pauorem prodigia multa, quæ paulo antè minime, vt fit, animaduersa, nunc in omnē tristiorem partem à solicitis rerum futurarum mētibus trahebantur. Nam & insignes solis, lunæq; defectiones inciderant, & stella crinita conspecta fuerat, quæ ab ortu solis versus Aquilonem profecta euanuerat. & grandines inusitatæ magnitudinis è cœlo ceciderant, & loca multa tacta fulminibus fuerant, & multis in partibus fœda ædificiorum incendia casu euenerant, &, quod vehementius terrebat animos, lupi duo in campum, dum Honorius equestrem decursionem conficeret, ventitarant, atq; occisi, & execti manus duas humanas ex ventre emiserant, vnus dextram, alter sinistram. Rhæti etiam siue à Gotthis solicitati, siue eorum motu percepto, vltro in spem rerum nouarum erecti magnum, cum defecissent, terrorem incusserunt. Ea de caussa Stilicho & Romæ, & ceteris in vrbibus, quæ nobilitate præstabant, muros, qua infirmiores erant, refecit, præsidiaq; in finibus ingenti cura, quàm maxima potuit, imposuit, & ad Rhætos cōtinendos lectissimum militum numerum misit. Hunc in modum, quæ omnibus antè esse formidini solita fuerat, ipsa immanem ex vltima barbarie gentem horrere demum Italia cœpit, ita vt ab hoc tempore vsque ad Caroli Magni Imperium omnium calamitatum aut præsentium sensu, aut impendentium metu perculsa, nunquam quieuerit verum humanorum malorum extrema omnia passa sit. atque Ecclesia Dei, quæ paulo antè constituta per

Constantinum inde per annos centum in aliqua esse dignitate, ac potentia cœperat, maximam ex omni parte iacturam, labemque contraxerit. Ceterum Alaricus Gotthis, Alanis, Hunnisq; aliquot subsequentibus, ex inferiore Pannonia digressus, recto itinere in superiorem vsque ad Alpes Noricas venit. quibus, pulso Honorij præsidio, superatis, Noricum ipsum Aetio duce inuito, irrupit. & quòd audiret Honorium in Liguria esse, per Tridentinum saltum in Venetiam XIIII Kal. Septembris descendit, obuia quæq; Alpina oppida primo impetu capiens. Etenim Claudianus fortunatos admodum eius fuisse scribit:

Ingressus, solo peragens cum murmure bellum
Protento leuiter frangebat mœnia conto,
Irridens scopulos.

Inde, itinere Abduam versus suscepto, occurrentes Venetiæ vrbes omnes breui oppugnatione redegit in potestatem, ita vt, teste eodem poëta, viderentur:

quanuis adamante rigentes
Turribus inualidis fragiles procumbere muri,
Ferrataq; Getis vltro se pandere portæ.

Itaque ab omnibus prope iam capta Roma, subactaq; vno impetu belli Italia credebatur. multiq; de illa deserenda, & adeundis insulis Corsica, Sardinia, & Sicilia cogitabant, præcipue qui vlteriorem partem Italiæ habitabant. nam citeriores, ac præsertim Venetiæ populi, qui maris Adriatici æstuaria accolebant, Aquileienses, Concordienses, Altinates, Opitergini, & Patauini, si in se moles illa belli conuersa esset, paruis, quæ in æstuario erant, insulis imminebant. Traiecto inde Abdua firmo militum præsidio ad tuendum, quem in amnem construxerat, pontem relicto, in Liguriam transiit, atque ire ad Padum recto cursu contendit, vt Hastam demum, vbi erat Honorius, perueniret. Qua re prouisa, tantus tumultus in ea vrbe factus est, vt non solum ciues, sed etiam aula regia consilium capessendæ in Galliam fugæ inierint. Quos Stilicho accommodata ad tempus oratione securo animo esse, ac bene sperare iussit. quippe Gotthos occasione exercitus Romani in Rhætis illigati, non virtute propria nixos, tantum facinus esse ausos. Inde hortatus, vt muros, si obsidio inferretur, fortissimo animo tuerentur, relicto ibi cum familia sua Honorio, occulto, ac properato itinere in Rhætiam abiit, vt, rebus Rhætorum compositis, exercitum, qui ibi erat, citra Alpes adduceret, ac Lacum Larium nauicula emensus, sæuiente hieme, in Rhætiam per alpes niue, glacieq; rigentes omnia perpessus incommoda penetrauit. Interim Alaricus, traiecto per otium Pado, castra Hastæ admouit, eamq; obsidione circumdedit. atque interim cædes hominum, incensiones tectorum, prædasq; agrestium, ac pecorum, quàm latissime potuit, fecit, Honorio facile omnem tempestatem obsidionis Gotthicæ pro insita virtute
402 animi sustinente. Arcadio inde, atque Honorio vtroque consulatum quintum gerentibus, Rhæti, ceteriq; Alpini populi, vbi Stilichonem nec opinato viderunt, repentino metu perculsi omnem armorum cogitationem abiecerunt. quos Stilicho alloquutus cum partim increpuisset, quòd leui Gotthicæ impressionis fama impulsi arma cepissent, partim etiam blandis verbis ad retinendam pristinam erga Imperatorem fidem, ac beneuolentiam, excitasset, omnes ad arma pro Italia, atq; adeo pro ipso, qui obsidebatur, Honorio capienda incendit, acceptoq; Romano, qui ibi versabatur, exercitu, & legionibus, quæ Gallicos, & Britannicos limites tuebantur, accitis, maximum exercitum, ac prope Gotthico parem confecit, & cum eo in Liguriam, quàm maximis potuit itineribus, rediit. Eodem die, quo ille citra Alpes saluus peruenit, Romam eius rei nuncius incerto auctore perlatus est. ibi vero, atque in singulis Italiæ vrbibus, collectis ex magna desperatione animis, ingens gratulatio facta, censentibus singulis Stilichonis virtute, ac diligentia effectum, ne vno ictu Roma, Imperiumq; corrueret. Ille autem, quòd de Honorij salute erat solicitus, maiore parte exercitus se subsequi iustis itineribus iussa, cum expeditis equitum turmis præcessit, atque ad hostem improuiso peruenit. qui, vt inquit Claudianus, pontem, viamq; tenebat:

Abdua quo scissas spumosior incitat vndas.

Abdua inde, ac demum etiam Pado traiectis, cum late campos omnes ab hoste insessos videret, facto ferro impetu, per Gotthorum castra peruasit, atque ad Honorium denique præter spem omnium cum suis saluus accessit, lætissimis animis ab effusa portis ciuitate exceptus. Alaricus autem, vt se nouo aduentante circumueniri exercitu sensit, æstuare animo, & de se ipso laborare instituit, atque consilij sui, quòd res tentasset Italiæ, prorsus pœnituit. motisq; ab Hasta castris, ad Pollentiam oppidum septem millibus passuum longe ab Hasta situm consedit. Prælium ad Pollentiam. quem Stilicho cum vniuerso, postquam confirmatus fuit, exercitu, raptim est insequutus, in celeritate positam esse victoriam putans. ac castra castris eius opposuit, seque vniuersi prœlij fortunam non recusare, ostendit. Nec mora vterque exercitus constitit, paratus in eam pugnam, in qua victori Roma orbis terrarum domina præmium erat futura. Cum autem Saul quidam, (vt inquit Orosius,) (neque enim Claudianus nomen edit,) dux equitibus Alanis præesset, ac rei gerendæ à Stilichone arbitrium accepisset, consilium cepit, quod, vt impium fuit, sic tristem euentum habuit. quippe cum, instante die Paschatis, Gotthos religionis caussa ab armis cessaturos, tanquam Christianos, existimaret, sacratissimo illo die, (ipse enim erat paganus,) eos sibi adoriendos constituit. Quo facto, Gotthi capere arma compulsi, eò maiore animorum ardore pugnarunt, tantòque impetu illius impetum exceperunt, vt non solum ipsum ducem interfecerint, sed copias etiam eius in fugam auerterint. vnde queritur Orosius, inquiens: *Taceo de infelicibus illis ad Pollentiam gestis, cum barbaro, & pagano duci, hoc est, Sauli, summa belli commissa est. cuius improbitate reuerendissimi dies, & sanctum pascha violatum est. cedentique hosti propter religionem, vt pugnaret, extortum est.* Cum autem equestrem aciem amisso duce turbatam in fugam verti Stilicho, atque Honorius cernerent, continuo legiones in prœlium induxerunt, atque equites conuerso impetu redire in aciem coegerunt. Pugnatum est inde magno vtrinque studio, æquo marte, per multas horas. Tandem Gotthi pulsi campo cesserunt, Gotthi victi. palatique passim varia strage concisi sunt. nec prœlium atrocius aliud per multos antè annos est editum. Captiui Italici omnes recepti, & castra Gotthorum opulentissima capta, tantáque præda parta, vt damna sarcire à Gotthis per multos antè annos illata potuerit. Inter ceteros nurus etiam Alarici venerunt in potestatem. Stilicho, cum Alaricum, ac reliquum eius exercitum fuga intercludere posset, consulto dimisit, ne hostem vsque ad Apenninum progressum, ac citra Padum Romanis iam prope mœnibus imminentem, in noui prœlij faciendi, & virtutis, vt in extremis rebus, experiendæ necessitatem adduceret, néve, incommodo aliquo accepto, viam petendæ Romæ subito patefaceret. verum fœdus cum eo postulante percussit, ac, redditis captiuis, trans Padum pacate se referre, permisit. Ita Alaricus cum dimidio copiarum, earúmque inermium, ac pauentium se recepit. Quoniam autem Stilicho primum male, deinde bene pugnauit, propterea Prosper scripsit, Arcadio, & Honorio quintum consulibus, aduersus Gotthos Pollentiæ magna vtriusque partis clade pugnatum esse; & Cassiodorus, Stilichonem ad Pollentiam cum exercitu Romano victum à Gotthis fuisse. Ceterum eo modo, quo scripsi, rem ad Pollentiam gestam prodidit Claudianus, ita eam complectens:

vnoq; die Romana rependit
Quidquid ter denis acies amisimus annis.
O celebranda mihi cunctis Pollentia rebus.

Quod idem prodidit etiam æqualis eius Prudentius, quorum vterque his interesse rebus potuit, his versibus:

Tentauit Geticus nuper delere tyrannus
Italiam patrio veniens iratus ab Istro,
Has arces æquare solo, tecta aurea flammis
Soluere, mastrucis proceres vestire togatos.
Iamq; ruens Venetos turmis protriuerat agros,
Et Ligurum vastarat opes, & amœna profundi
Rura Padi, Tuscumq; solum victo amne premebat.

Depulit hos nimbos equitum non peruigil anser,
Sed vis cruda virum.
dux agminis, imperiiq;
Christipotens nobis iuuenis fuit, & Comes eius,
Atque parens Stilicho. Deus vnus Christus vtrique.
Huius adoratis altaribus, & cruce fronti
Inscripta cecinere tubæ, prima hasta draconis
Præcurrit, quæ Christi apicem sublimior effert.
Illic terdenis gens exitiabilis annis
Pannoniæ pœnas tandem deleta pependit,
Corpora famosis olim ditata rapinis
In cumulos congesta iacent. mirabere seris
Posteritas seclis inhumata cadauera late,
Quæ Pollentinos texerunt ossibus agros.

Prœlium ad Veronam.

Interim Alaricus languenti, atq; infirmo agmine in Veronensium campos regressus, refectis viribus, suorum instinctu iterum fortunam prœlij voluit experiri. Non longe aberat cum exercitu Stilicho. is, quòd & hostis ab Roma longius aberat, &, Pado interiecto, pugnandum erat, procliuior ad nouum conserendũ prœlium fuit. quòd in iis locis minore se cum periculo rerum Romanarum dimicaturum existimaret. Itaque, instructa vtrinque acie, signo dato, iterum acerrime est concursum. pulsiq; iterum, ac profligati Gotthi. dux Alaricus vix pernicis equi beneficio euasit. Itaque Claudianus tria hæc prœlia ad Hastam, Pollentiam, Veronamq; comprehendens, dixit:

Tuq; non paruum Getico Verona triumpho
Adiungis cumulum. nec plus Pollentia rebus
Contulit Ausoniis, aut mœnia vindicis Hastæ.

Collectas inde, quæ reliquæ erant, copias cum adducere ad Rhætos vellet, Stilicho sese obiiciens vetuit. Qua re conspecta, Alaricus, vt tutior ab incursu hostium esset, in collem excelsum, in quo premi non poterat, se recepit. Vbi per aliquot dies ab exercitu Romano obsessus, probris, ac contumeliis omnibus est affectus. Cum autem exercitus eius morbis tentari, & fame afflictari grauius incœpisset, plerique salutis desperatione, aut fuga sibi consuluerunt, aut ad Romanos transiuerunt, aut cum suis fœdissime contracto certamine conflixerunt. Vnde scripsit Orosius: *Taceo de ipsorum inter se barbarorum crebris dilacerationibus, cum se inuicem Gotthorum cunei duo, deinde Alani, atque Hunni variis cædibus populabantur.* Alaricus autem, antequam ab omnibus destitueretur, ex colle erupit, atque, instante in terga Stilichone, trans Alpes, vnde venerat, inglorius abiit, atque, vt inquit Claudianus:

Alaricus Italia pulsus.

desolatus, & expes
Debita pulsato reddit spectacula monti.

Hæc vna hieme, atque æstate gesta idem scribit, de Stilichone loquens:

Hic celer effecit, bruma ne longius vna
Esset hiems rerum, primis sed messibus æstas
Temperiem cœlo pariter, belloq; referret.

Alarico elapso, Stilichoni crimini versum est, quòd ipsum, cum posset, perdere noluerit, & quidem prauo consilio, vt Honorium in difficultatem adduceret. quod Orosius innuit, cum Alaricum cum suis sæpe victum, sæpe conclusum, semperq; dimissum, scripsit. Ac prima quidem barbarorum in Italiam irruptio talem exitum habuit. de qua Zosimus ne verbum quidem vllum fecit, Paulus Diaconus, & qui eum sequuti sunt, præpostere omnia tradiderunt. Per hos dies Epiphanius Salaminis episcopus Constantinopolim adiit, atque ab inimicis episcopi Ioannis impulsus, ab ipso, vt libros Origenis, tanquam hæreticos, condemnaret, poposcit. mox, cum responsum ab eo tulisset, se sine maioris alicuius auctoritate Concilij nihil eiusmodi patraturum, in synaxi apud ædem Apostolorum, eos palam, præsente populo, condemnauit, & Ioannem, qui id facere cunctaretur, acri oratione perstrinxit. Cui contra Ioannes admonito, quàm multa ille in aliena diœcesi contra

Epiphanius Constantinopolim venit.

leges

leges egisset, non leue periculum, si quis ob id tumultus in vrbe accenderetur, in-
tendit. Quo ille metu correptus, statim in Cyprum decessit. atque in itinere, in- Epiphanij mors.
gentis sanctitatis opinione relicta, vitam amisit. Eo profecto Ioannes persuasus, quę
ab Epiphanio tentata fuissent, ea Eudoxiæ Augustæ instinctu patrata fuisse, ira per-
motus, in concionem ascendit, atque, vt erat in dicendo promptus, orationem
aduersus mulieres, quæ adhuc extat, acerbissimam habuit. Qua vnà cum Eudoxia Chrysostomus exul,
exasperatus Arcadius, statim conuocari Concilium iussit. Ita, cum episcopi Chal-
cedonem conuenissent, qui grauissima aduersus eum simultate flagrabant, confe-
stim adesse iusserunt, atq; Origenis mentione suppressa, calumnias alias intulerũt,
&, cum accedere noluisset, absentem eo nomine condemnarunt, atq; ecclesia spo-
liarunt. Ioannes autem licet à populo sui admodum cupido exire vrbe prohibitus,
tamen vbi mandatum Imperatoris accepit, sese abducendum aduersariis præbuit.
eo vero egresso, vsqueadeo vniuersi illius desiderio exarserunt, vt etiam ab iniquis
iniuste damnatus diceretur. quamobrem ab Arcadio, quòd imminentem seditio- restitutus.
nem timeret, euestigio reuocatus reuertit, &, cum vrbem ingredi, nisi iudicio de
se legitime facto, nollet, à populo introductus, ac solio restitutus est. In Africa Con-
cilio Mileuitano noua Britannici Pelagij hæresis refutata est. qui Cælestio, & Iu- Pelagij haeresis.
liano adiutoribus prædicabat, vnumquenque ad iustitiam voluntate propria regi,
tantumq; accipere gratiæ, quantum meruit. quia Adæ peccatum ipsum solum læ-
serit, nec posteros eius obstrinxerit. volentes omni posse vacare peccato. omnesq;
paruulos tam insontes nasci, quàm primus homo ante præuaricationem fuit. eos
baptizandos esse, non vt peccato exuantur, sed sacramento adoptionis honoren-
tur. Et his decretis S. etiam Augustinus episcopus Hipponensis subscripsit. Theo- 403
dosio inde Augusto primum, & Rumorido consulibus, Honorius magno casu, pe-
riculoq; perfunctus, ex Liguria Rauennam se cõtulit. siquidem inde III Kal. Iulias
ad Strategium vicarium Africæ scripsit. Ibi legati eum Romani conuenerunt, ac
victoriam Gothicam gratulati, senatus nomine petiuerunt, vt Romam post mul-
tos annos reuisere, &, triumpho nobilissimo acto, ciuitati antiquam formam, & me-
ritum honorem restituere, atque ibi felicissima sua decennalia soluere vellet. Iu-
stis senatus precibus Honorius nihil abnuit. Itaque Rauenna digressus, per Vm-
briam iter suscepit. ac demum ab omnibus ciuitatibus præ rei actæ lætitia gesti-
entibus incredibili gratulatione receptus, ad vrbem venit. Assiduus ante consti- Honorius Romae tri-
tutum triumpho diem per noctem imber effusus vehementer animos Romano- umphat.
rum in spem splendidissimæ spectandæ pompæ erectos aliqua ex parte turbauit. ve-
rum mox subsequuta matutina serenitas pristinam vrbi hilaritatem, ciuibusq; per-
ceptæ fructum lætitiæ rettulit. Ingressus est porta Flaminia, eodem curru Stilicho-
nem vehens, populo viam Sacram, per quam pompa ducebatur, innumerabili om-
nis sexus, ætatisq; multitudine obsidente, atque ex ædificiis altioribus auide pro-
spectante. in eo noui illud, quòd Senatum de more præcedere vetuit. Eucherius
Stilichonis filius egregiæ indolis adolescens militis officium & maximo populi
plausu, & secundo rumore ciuitatis exhibuit. neque per multos antè annos in vr-
be aut gratulatio maior, aut triumphus, vt iustior, sic magnificentior fuit. Inse-
quentibus diebus ludi victoriæ, & votorum decennalium caussa amplissimi editi,
in primisque decursiones equitum celebratæ. Stilicho interim siue Alaricum me-
tuens, siue alio animum, vt illum postea insimularunt, intendens, pacem cum A-
larico constituit, Aëtio ipso duce inter ceteros obside dato, ac militarem ei præ-
fecturam palam ab Honorio impetrauit. occulte autem ei præcepit, vt se ad inua-
dendum Illyricum Arcadij Orientale pararet. nam se Iouium Illyrici Occidenta-
lis præfectum cum exercitu in eas partes missurum. ac mox se ipsum cum aliis affu-
turum. Itaque Alaricus hoc consilio ex Pannonia Honorij prouincia cessit, atque
in Epirum Arcadij rediit. ibique expectare promissa, ac iussa Stilichonis incœpit.
Honorius inde Romæ sextum cum Aristæneto iniit consulatum, atque ibi VIII 404
Idus Iulias auctoritate sua leges confirmauit, à patre suo, & superioribus principi-
bus conditas. Eo anno memorabilis altera barbarorum in Italiam irruptio est in- Radagaisi in Itali-
structa. Radagaisus, homo Scytha, illius expeditionis dux, auctorque consilij fuit. am irruptio.

Is, cum Alaricum victum fœdere se cum Romanis iunxisse, ac propterea ab inferendis armis abhorrere, tanquam summe ab eis honoratum, videret, populos, vt inquit Zosimus, Transistrianos, & Transrhenanos veteres Romanorum hostes ad arma aduersus eos capienda conciuit, cum diceret, agi non solum commodum eorum, sed etiam gentis existimationem, si Italiam, quam semel inuasissent, intactam cum clade, atque ignominia reliquissent, ac, maiore parte suorum amissa, reliqui prope inermes vitam victoris misericordia conseruassent. Itaque ad nouam irruptionem faciendam eos hortatur, &, si se ducem sequantur, Romam captam, ac prædæ propositam pollicetur. atque ita vnà cum Gotthis Sarmatas, & Germanos sic euocat, vt ducenta millia armatorum conficiat. Zosimus duplicato numero quadringenta millia ea fuisse affirmat. Hunc autem motum vbi Honorius vel tenui, atque incerto rumore perlatum accepit, continuo Roma in Flaminiam se recepit, & Rauennæ in vrbe consedit, vt inde commodius infestum Radagaisi ad Romanam vrbem aditum intercluderet, atque ibi imminentem belli procellam consilio Stilichonis exciperet. atque ita ingentem Alanorum, & Hunnorum manum, quæ barbaris obiiceretur, stipendio militari conduxit. Per eosdem dies Ioannes episcopus Constantinopolis in exilium ab Arcadio iterum pulsus est. Is cum alios, tum Eudoxiam Augustam liberis ad populum concionibus perstringere solitus demum statuam ei non longe ab æde Sapientiæ positam ludosq; ad eam celebrari cœptos, tanquam rem ad dedecus ecclesiæ pertinentem, reprehendit. Quod in sui contumeliam Eudoxia accipiens concilium episcoporum aduersus eum vocauit. Qua re accepta Ioannes celebrem illam concionem habuit, cuius initium est: *Herodias iterum insanire, iterum commoueri, iterum saltare pergit, iterum caput Ioannis in disco accipere studet.* Quæ Eudoxiæ animum multo acrius inflammauit. Conuocatis episcopis accusatores, qui alias quoque Ioannem insimulauerant, iterum prodierunt. die Paschatis appetentis iudicium actum. præcipue crimini versum est, quòd post priorem abdicationem sine Concilij auctoritate semet in sede episcopali locauerat. eáque de re condemnatus est. Imperator primum, ne ecclesiam ingrederetur, edixit; deinde post duos menses in exilium pepulit. Arsacius Nectarij quondam episcopi frater ei suffectus est. Pridie Kalend. Octobris, cum sæuissima grando suburbia Constantinopolis lacerasset, sermo in populo percrebuit, malum istud propter iniustam Ioannis calamitatem à Deo irato esse immissum. quem sermonem mors Eudoxiæ, quæ quarto pòst mense contigit, confirmauit. Postero
1405 anno Stilichone iterum, Anthemióque consulibus, Innocentius pontifex ab Exuperio episcopo Tolosano de incontinentia clericorum consultus, respondit, omnino presbyteros, & diaconos, qui eiusmodi se crimine obstrinxissent, ex auctoritate Syricij pontificis officio priuandos videri. Fuit autem Exuperius sanctitate in Gallia per hæc tempora insignis, quales multos tum Gallia tulit. de quibus sic Paulinus presbyter scripsit: *Si videas hos dignos domino sacerdotes vel Exuperium Tolosæ, vel Simplicium Viennæ, vel Amandum Burdegalæ, vel Diogenianum Albigæ, vel Dynamium Engolismæ, vel Venerandum Aruernis, vel Alithium Cadurcis, vel nunc Pegasium Petrogoriis, vtcunque se habent seculi mala, videbis profecto dignissimos totius fidei, religionisque custodes.* Honorius XII Kalend. Maij Rauennæ decreuit, vt possessiones, quæ ex bonis Gildonis, aut satellitum eius in ius suæ, vt inquit, serenitatis retentæ essent, ab occupatoribus suo patrimonio adgregarentur. Hoc anno Radagaisus ferox in Italiam, eo, quo diximus, apparatu se intulit. Quippe, rebus omnibus, quæ opportunæ videbantur, expeditis, primo vere ex Pannonia ad limitem Italiæ, nempe ad Alpes Iulias venit, quibus deiecto præsidio superatis, in Venetiam regionem irrupit. atque Aquileiam Concordiam, Altinum, & Pataduium prætergressus, Romam versus, quam vnam incenso ad prædam animo appetebat, qua breuissima est via, contendere maturauit. Itaque, transmisso Pado, in Æmiliam, ac continuo per Bononiensem agrum in Etruriam transiit. Tanta vero ille felicitate vsus videtur, & quia Stilicho armatus nusquam occurrit, neque institutum iter obsepsit, ingenti, credo, multitudine territus, qua iacentes ille Venetiæ, atq; Æmiliæ campos latissime progrediens, occupabat, & quia ipse occurrentia oppida aut propter obsequij

obsequij promptitudinẽ, aut propter expugnationis difficultatem sibi attingenda non duxit. Erat Radagaisus exoleto idolorum cultui deditus. itaq; sacra deis quotidie faciebat, & ritu Gentilium immolabat. cum autem secundissimo cursu Romam sine vllo impedimento procederet, atq; vrbs nouo tumultu, ac trepidatione repleta esset, &, quod raro antè accidisset, de sua salute laborare inciperet, pagani, qui adhuc multi in vrbe, atque in Italia, sacris Christianis nondum acceptis, erant, erecti animo palam in sermone iactare, merito hæc ei secunda euenire, quòd deos propitios haberet, quos ritu Gentilicio coleret. Christianam vero pietatem, quæ Deum suum haberet infestum, maledictis incessere, ac ciuitatem Romanam idcirco destitutam asserere, quia deos, & sacra deseruisset. profectò si priscæ ceremoniæ repetantur, finẽ his malis, ac periculis fore. Quod inter ceteros D. Augustinus libro de ciuitate Dei quinto scriptum reliquit: *Propinquante*, inquit, *Radagaiso iis locis, vbi nutu summæ maiestatis extinctus est, nobis apud Carthaginem dicebatur, hoc credere, spargere, iactare paganos, quòd ille, diis amicis protegentibus, & opitulantibus, quibus immolare quotidie ferebatur, vinci omnino non posset ab eis, qui talia diis Romanis sacra non facerent, nec fieri à quoquam permitterent.* Ceterum Stilichonis in hoc quoque gerendo bello egregium, felixq; consilium fuit. Etenim, cum videret, se Radagaiso ducenta amplius millia hominũ secum trahenti impune, ac sine ingentis cladis periculo obuiam ire in campis Venetiæ, Æmiliæve non posse, nullo loco se eis obiecit. vbi vero ipsum Etruriam, quæ montibus altissimis, & vallibus angustissimis impedita est, ingressum cõspexit, cum ciuitatem Florentiæ ei opposuit, tum ipse cum suis à tergo incubuit, ac loci iniquitate paucitatẽ eorum adiuuit. Radagaisus autẽ, cum se, resistente Florentia, tuto vltra penetrare non posse videret, arcta eam obsidione circundedit. Fatigati per aliquot dies in vrbe defendenda ciues, nullo opportuno suppetẽte subsidio, iam prope de salute desperauerant, cum S. Ambrosius ciui cuidam in ea domo, in qua nuper Eugenium declinans manserat, sese in somnis obtulit, ac postero die saluos eos fore denunciauit. Qua voce Florentini tanquam certa fide oraculi, excitati animos sustulerunt, ac tempestiuum auxilium expectare læti cœperunt. Habebat Stilicho præter Italos firmam Alanorum, & Hunnorum manum mercede militari ascitam. quorum duces erant Sarus, & Hudin. Quare cum Radagaisum Florentiæ obsidione implicitum, ac montibus vndique septum in saltibus Apennini teneri audiret, neque copiam habere aciei explicandæ, & dilatandi ad pugnam exercitus cerneret, continuo ad eum cum suis, licet longe numero inferioribus, aduolauit. qui dies fuit postridie, quàm ciuis Florentinus fuerat à S. Ambrosio de proxima incolumitate admonitus. ac statim tanta felicitate, atq; adeo certa diuini numinis præsentia dimicauit, vt saluis omnibus suis barbarorum amplius centum millia strauerit. Id quod superiore loco D. Augustinus narrauit. *Cum Radagaisus*, inquit, *agmine ingenti, & immani iam in vrbis vicinia constitutus Romanis ceruicibus immineret, vno die tanta celeritate sic victus est, vt ne vno quidem non dicam extincto, sed nec vulnerato Romanorum multo amplius, quàm centum millium prosternerentur eius exercitus, atq; ipse cum filiis mox captus pœna debita necaretur.* Radagaisus inde tanta clade accepta pauidus sese cum reliquiis exercitus in collem Fæsularum recepit. quem cum incultum, & aridum, neque ad tantam recipiendam multitudinem aptum reperisset, statim in magnas rerũ angustias lapsus est. Nam Stilicho ad obsidionem conuersus neque hominem quenquam inde euadere, neq; aliquid eo importari commeatus est passus. Itaq; vbi se neq; prœlio confligere, neq; diu ibi propter penuriam sustinere, neq; aliunde venire subsidium posse cognouit, desperata, vt in summa rerum omnium inopia, militum suorum salute clam fugam arripuit. & cum in manus militum Stilichonis cum filiis incidisset, captus statim, atque in vincula traditus est, neque ita multo pòst cum filiis obtruncatus. Barbari autem ferme omnes, cum famem diutius tolerare non possent, in deditionem se tradiderunt. &, cum passim à dominis, tanquam pecudes, venderentur, singuli greges pro multitudine capitum singulis aureis venierunt. Verum & hi, morbo ex inediæ diuturnitate, ciborumque vitiositate contracto, paucis pòst diebus omnes extincti sunt. Hæc ferme Orosius. Idem sentit Prosper, scribens, Sti-

P

lichone iterũ, Anthemioq; consulibus Radagaisum in Tuscia multis Gotthorum
millibus cæsis, ducente exercitum Stilichone, superatum, & captum. Zosimus om-
nium ineptissime rem trans Danubium gestam, Marcellinus Comes cæsũ quidem
Radagaisum ad Fæsulas, verum in annum sequentem refert. Liberatæ iterum Ita-
liæ, ac Romæ prope ex faucibus barbarorum ereptæ decus omnium confessione
Stilicho tulit, ingentem supra mortales omnes gloriam apud posteros pariturus, si
vsq; ad extremum in recta manere sententia didicisset. Ob hæc populus Romanus
406 sequenti anno, Arcadio VI, & Probo consulibus, curante Pisidio præfecto vrbis,
statuam illi ex ære, & argento in Rostris posuit, cum hac inscriptione: *Fl. Stilichoni
inlustrissimo viro, bis consuli ordinario, magistro vtriusq; militiæ, Comiti domesticorũ, & Sta-
buli sacri, atq; ab ineunte ætate per gradus clarissimæ militiæ ad culmen regiæ affinitatis euecto,
socio bellorum omnium, & victoriarum, affini etiam Diui Theodosij Augusti, itemq; socero
Domini nostri Honorij Augusti populus Rom. pro singulari eius circa se amore, atque prouiden-
tia statuam ære, argentoq; in Rostris ad memoriam gloriæ sempiternæ conlocandam curauit,
exequente Fl. Pisidio Romulo V. C. præfecto vrbis.* Eodem anno tertia barbarorum in
Occidentem est facta impressio. qua Gallia primum, deinde Hispania, postremo
Africa occupatæ, atque omni genere calamitatis afflictæ sunt. Eius Vero rei series
fuit huiusmodi. Godigisilus rex Vandalorum, qui in Scythia ad Mæotidem erant,
exemplo Radagaisi adductus, vbi Italiam hostium plenam, atque Honorium in
Radagaisum auersum sensit, & ipse sibi Galliam inuadendã constituit, ratus, haud-
quaquam eandem in prouinciis fortunam fore, quæ longe à regio abessent auxilio,
atque in Italia, ducente Alarico, fuisset, quæ propter Imperatoris præsentiam vinci
non potuisset. Itaque ex Scythia cum Vandalis, & Alanis egressus, simul Quados
ex Sarmatia, Vandalos ex Pannonia olim ibi à Constantino locatos assumpsit. inde
trans Danubium sese continens, ex Sarmatia in Germaniam iniit, eamq; peragrans
populos eius siue metu direptionis perculsos, siue spe prædæ illectos secũ adduxit,
Marcomannos, Herulos, Turcilingos, Sueuos, Alemanos, Saxones, & Burgun-
diones. ac citato agmine, nemine resistente, recto itinere vsq; ad Rhenũ processit.
Ibi vero Franci deniq; occurrerunt, ac transitũ inpedire conati sunt, siue, vt fœdus
proxime cum Stilichone ictum seruarent, siue ne tantum hostium in prouinciam
eam admitterent, cui ipsi iampridem inhiantibus animis imminerent. Verum à
Vandalis multitudine superantibus pulsi, haud magno momento cesserunt. Ita
407 Vandali sine impedimento pridie Kal. Ianuarias, teste Prospero, traiecto Rheno, in
Galliam penetrarunt. atque Honorio septimum, & Theodosio iterum consulibus,
proximas Rheno prouincias, Germaniam primã, & Belgicam secundam ingressi,
late victoriã, frustra repugnantibus Honorij præfectis, exercuerunt. Nam Magun-
ciacum, multis hominum millibus in ecclesia trucidatis, euersum est. Vangiones
diu obsessi in ditionẽ adducti. Rhemi, Ambiani, Attrebates, Morini, Tornacum,
Nemetes, Argentoratumque direpta sunt. Rhemis autem illud memorabile con-
tigit, quod Nicasio episcopo post peracta missarum solemnia interempto caput à
ceruice desectum diuina eloquia prodidit. Hæc porro clades repente nouam a-
liam secum reip. labem adduxit. etenim Britannici milites Vandalorum in se im-
petum veriti defectione, inita, aliũ Imperatorem sibi per tumultum delegerunt.
nam primo Marcum clamore militari leuarunt, mox, eo occiso, Gratianũ, sustitue-
runt. quo, continuata post quattuor menses cæde, sublato, insignia ad quendam
Constantinum transtulerunt, nullo virtutis eius merito allecti, sed tantum omi-
natione nominis apud eos populos gratiosi.

CONSTANTINVS IMPERATOR.

ILLE vero, postquã Iustinianum, & Neuigastum Celticis militibus præfecit,
vniuerso robore Britannicæ iuuentutis assumpto, hostilem in Galliam impetum
fecit, ac, Bononia vrbe maritima capta, milites, qui apud Celtas, & Aquitanos,
erant, ad se traduxit, populosq; earum prouinciarum deinceps ad suum obsequium
redigere instituit, dũ Vandali longe positi finitimas Rheno regiones vastabãt. cuius
vim cum sustinere Limenius præfectus prætorio, & Cariobaudes magister militum

se posse

se posse diffiderent, in Italiam refugerunt. Honorius Rauennæ degens, VII Idus Aprilis vetera decuriæ vrbis Romæ priuilegia confirmauit. vbi vero Gallicos tumultus cognouit, noua re perturbatus Stilichonem Alarici auxilio Illyricum Arcadio eripere molientem deterruit, litteras se accepisse significans, Constantinum ex Britannia in Galliam transmisisse, & se pro Imperatore in ciuitatibus gerere. quo nuncio accepto, Stilicho Romam, (nam eo se receperat Honorius,) ad consilia capienda progressus, Sarum cum firmo exercitu in Galliam ad hæc propulsanda incommoda destinauit. In Oriente Ioannes Chrysostomus Septembri mense in exilio vitam amisit. Basso inde, & Philippo consulatum, Hilario præfecturam vrbis, administrantibus, Vandali ex Belgica in Aquitaniam cum transissent, ipsam vna cum Nouẽpopulana, Lugdunensi, & Narbonensi prouincia, vt reliqua cœperant, misere peruastarũt. Vnde dixit Saluianus Massiliensis episcopus in libris de prouidentia Dei: *Excogitata est in perniciem nostrã, ac dedecus gens ignauissima, quæ de loco in locũ pergens, & de orbe in orbẽ transiens vniuersa vastaret. ac primo de solo patrio effusa in Germaniam primã, nomine barbaram, natione Romanã. post cuius exitium primũ arsit regio Belgarũ, deinde opes Aquitanorum.* Sarus autem Honorij præfectus cum Iustiniano Constantini duce congressus, tãta virtute pugnauit, vt ipsum cum exercitus parte conciderit, atque ingentem prædam rettulerit. Quo facto, protinus Valentiam, quo se Constãtinus, tanquam in vrbem munitã, receperat, exercitũ duxit, ac statim corona circundedit. Neuiogastem autẽ ducem alterum ad pacem secum faciendã adductum contra interpositam fidei datæ religionẽ occidit. Postquam autem Edobechum, hominem Francum, & Gerontium Britannum cum suis vtrumq; copiis aduersus se contendere sensit, eorum tum solertiam, tum fortitudinem veritus, septimo, quàm obsidebat, à Valentia die discessit. & cum ducum eorum in se ruentium manus vix euasisset, vniuersam prædam Bacaudis ad Alpes se obiicientibus tradidit, vt ab eis facultatem repetendæ Italiæ obtineret. Hac victoria parta, Constantinus inde Arelate progressus, copias suas in vnũ collegit. atq; Alpes, Rhenumque aduersus Romanos, barbarosq; præsidiis occupauit. inde Constantem filium, qui monachus erat, Cæsarem esse iussit, eumq; cum militibus Honoriacis in Hispaniam misit, tum vt Imperij sui limites prolataret, tum vt propinquorũ Honorij magnas in ea prouincia opes infringeret; scilicet veritus, ne aliquando ab ipsis, atque ab Honorio circumuentus, de capite dimicaret. Constans autem proficiscens, Terentium ducem, & Apollinarem præfectum prætorio, aliosq; tam ciuiles, quàm militares præfectos asciuit, atq; exercitum protinus in propinquos Honorij duxit. Quorum duo fratres Verenianus, & Didymus, Lusitanis aduersus eum militibus concitatis, impetum eius fortissime exceperunt, demum seruis, atque agrestibus excitis, ipsum in grauissimum prope periculum adduxerunt. ad extremum tamen, aduersante cœptis fortuna, capti vna cum vxoribus à Constante in custodiam dati sunt. Qua re fratres eorum audita, Theodosius ad Honorium, & Lagodius ad Theodosium incolumitatis caussa perfugit. Constans autem reuocatus à patre ad consilia de occupanda Italia ineunda, Honoriacorũ præsidia in Pyrenæis imposuit, & instrumento aulæ, & coniuge Cæsareæ Augustæ relictis, prouinciam Gerontio duci commisit, & in Galliã ad patrem recurrit, Vereniano, & Didymo secũ adductis. quos Constantinus, vt vidit, subito obtruncari præcepit. Hæc autẽ mala siue à Vandalis siue à Cõstantino illata D. Hieronymus epistola XI partim expressit, partim significauit, his verbis: *Innumerabiles, & ferocissimæ nationes vniuersas Gallias occuparũt. quidquid inter Alpes, & Pyrenæum est, quod Oceano, & Rhodano includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gipedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemani, & hostes Pannonij vastarunt. Maguntiacũ capta, atq; subuersa est, & in ecclesia multa hominũ millia trucidata. Vangiones longa obsidione deleti. Rhemorum vrbs præpotens, Ambiani, Attrebates, Morini, Tornacus, Nemete, Argentoratus translati in Germaniam. Aquitania, Nouem populorum, Lugdunensis, & Narbonensis prouinciæ præter paucas vrbes populata sunt cuncta. Non possum absque lacrymis Tolosæ facere mentionem, quæ vt hucusque non rueret, sancti episcopi Exuperij merita præstiterunt. ipsæ Hispaniæ iam, iamq; perituræ contremiscunt. Roma vitam auro redemit.* Dum hæc autẽ in Gallia, Hispaniaq; geruntur, Honorius Ther-

mantiam Mariæ defunctæ sororem Romæ sibi despondit vxorem. eas nuptias Serena Stilichonis vxor conciliarat, vt pristinam apud Imperatorem gratiam, ac potentiam retineret. Interim Alaricus, vbi diu tempus irruptionis in Illyricum, quæ ostentata fuerat, expectauit, litteris Honorij ab ea expeditione deterritus, ex Epiro in Pannoniam, & Noricum cum Gotthorum multitudine rediit. atque inde legatos Rauennam misit ad Stilichonem, pecuniam poscens pro mora, quam rogatu eius in Epiro traxisset; ni daret, se in Italiam descensurum, ac damna sua prædandis agris sarciturum, ostendit. Hac re cognita, Stilicho, legatis Rauennæ relictis, propere Romam repetiit, ac cum Honorio, & senatu de re proposita consultauit. ac ceteris bellum cum Alarico gerendum esse censentibus ipse pacem decreuit. percontantibus autem, cur pacem redimere pecunia vellet? Quia ob commodum principis, inquit, Alaricus in Epiro moratus est, vt mecum Illyricum inuaderet, idque Honorij Imperio adderet. quod futurum erat, nisi me Honorius ab illa expeditione deterruisset. ac simul litteras eius protulit, & culpam in Serenam coniecit, quæ vtriusq; principis conseruare gratiam voluisset. Quare æqua dicere Stilichonem senatus censuit, atque Alarico nomine pacis quadraginta librarum millia soluenda decreuit. Ceterum, maiore parte Stilichonis sententiam approbante, Lampadius senator clamauit: Non est ista pax, sed pactio seruitutis. ac veritus ne quid propter hanc libertatem mali pateretur, dimisso senatu, sese in ecclesiam contulit. Alaricus, pecunia accepta, pacem confirmauit. (vnde paulo antè à D. Hieronymo, Romam auro vitam redimere, dictum est,) neque tamen ex Norico cessit. Eam vero rem suspectam habuit Honorius, ac propterea Rauennam se adire dixit velle, vt exercitum recenseret, eumque sibi conciliaret, cum tantus exercitus Italiæ ceruicibus immineret, ad id consilium in primis à Serena impulsus, quæ ipsum, si Alaricus violata pace in Italiam descendisset, tutiore, ac munitiore in vrbe esse cupiebat. Quam rem cum Stilicho improbaret, Sarum Alanorum ducem impulit, vt tumultum in exercitu concitaret. neque tamen ea re iter retardare Honorij potuit. Cum autem Honorius Bononiæ, Stilicho Rauennæ esset, nuncius de morte Arcadij Augusti affertur, qui nouis Stilichonis cõsiliis occasionem aperuit. quæ prorsus & ipsum, & cum eo Occidentale Imperium perdiderunt. Ille vero Kalen. Maij vita cesserat, ac Theodosio filio prope infanti relicto Isdigerdem Persarum regem, olim hostem, testamento tutorem dederat, hostiũ fide potius, quàm suorum aut voluntate, aut opibus fretus. Hoc nuncio accepto, Honorius Stilichonem ad se vocauit, ac de rebus Orientis agitare ingressus, se cupere Constantinopolem ire dixit ad res eius Imperij, & Theodosij pupilli perspiciendas, atque ad rem, si opus esset, constituendam. Quod consilium Stilicho etiam reprehendit, dicens, interesse reip. ipsum in Italia manere, ne Constantinus, qui iam totã Galliam percurrisset, atque Arelate regnaret; aut Alaricus, quin in Norico infirma pace, ac lubrica fide sederet, vbi Italiam armis destitutam, & Imperatore vacuam repperissent, impetu repentino inuaderent. præstare autem, vt Alaricus in Constantinum cum barbarorum parte contenderet, ipse vero cum Romanis legionibus, ac litteris principis Constantinopolim pergeret, ibique quæ egere correctione viderentur, emendaret, vero consilio occultato, quo se, perempto Theodosio, Orientale Imperium Eucherio filio conciliaturum putauit. Quæ cum Honorius vt prudenter, & cum fide dicta probasset, datis ad Theodosium, & Alaricũ litteris, Ticinum discessit. In itinere autem Olympius, vir splendida in prætorio militia præditus, cum vacuas principis aures esset adeptus, Honorio persuasit, Stilichonem nulla alia de caussa iter in Orientem optare, quàm vt, Theodosio sublato, Imperium Eucherio filio suo tribueret, ac Ticinum progressus, ad seditionem milites incitauit. Itaque, cum Honorius post diem quartum, quam Ticinum inierat, in conspectum exercitus se dedisset, eumque hortari ad bellum aduersus tyrannum Constantinum instituisset, milites, signo ab Olympio accepto, tumultuari cœperunt, ac magistratus omnes aggressi, cædem ingentem fecerunt. qua in primis necati sunt Limenius præfectus prætorio Galliarum, & Cariobaudes in iis locis prætor, qui Constantini manus elapsi, eo confugerant, Vincentius magister equitum, & Saluius

Arcadij mors.

& Saluius Comes scholæ domesticorum; atque Honorio se se metu in prætorium referente vrbs ipsa fœde direpta est. neque is tumultus antè comprimi potuit; quàm Honorius in publicum se se sine diademate reddidit. quo sedato Longinianus præfectus prætorio Italiæ, & maxima occurrentium multitudo vita priuata est; cum ex fuga se iam quasi in tuto positi recepissent. Cum hoc Stilicho Bononiæ cognouisset, atque Honorium, qui occisus dicebatur, viuere comperisset, Ticinum adire ad puniendos pro auctoritate milites quòd à multis suadebatur, abnuit; quòd & eos timeret, neque constantem Honorij erga se animum cerneret, sed Rauennam sibi redeundum putauit. militibus autem monentibus, vt tutis in locis consisteret, donec Honorij animum erga se exploratum haberet, Sarus, qui dignitate inter ceteros eminebat, interemptis per quietem opera militum suorum Hunnis omnibus, qui assidui latera stipabant Stilichonis, ad tentorium eius accessit. Stilicho autem, vt vidit, barbaros, quos secum habebat, inter se dissidentes, Rauennam petens, ciuitates, in quibus barbarorum liberi, & coniuges considebant, admonuit, ne quem barbarum ad se aduenientem admitterent. Vbi Rauennam Stilicho adiit, litteræ subito Honorij ab Olympio ad Rauennatem exercitum missæ venerunt, vt Stilichonem comprehenderent, atq; in custodiam darent. Qua re præcepta Stilicho perturbatus per noctem in templum salutis caussa confugit. vbi vero illuxit, milites ædem ingressi cum iureiurando pręsente episcopo affirmarent; sibi nō esse à principe imperatum; vt eum perimerent, sed tantum, vt custodirent; ipsum hac fide egressum sub custodia habuerunt. tum vero alteræ litteræ ab eo, qui priores attulerat, redditæ, quibus præcipiebatur, vt Stilichoni propter delicta aduersus remp. vita eriperetur. Ita Eucherio filio fugam arripiēte Stilicho ad capitale supplicium est abstractus. qui, cum seruis, & familiaribus eum eximere cupientibus tegeretur, eos ab eiusmodi proposito auocauit, & semet vltro occidendum exhibuit. Interfectus est Kal. Septembris, vir domi, militiæq; insignis, acer consilio, manu promptus, principibus carus, sed militibus carior, & qui ad ceteros titulos præturam in exercitu per annos viginti tres gesserat, & cum potestate prope Augustali post Theodosij mortem in Occidente versatus erat. Hæc ita cum Sozomeno Zosimus. Alij aliis de caussis necem Stilichoni allatam scribunt. Iornandes, & Marcellinus, quòd Vandalos in Galliam immisisset. Numatianus autem, quòd Gotthis Italiam prodidisset. Stilichone sublato, Olympius, magisterio Officiorum sibi vindicato, aulam, Imperiumq; pro arbitrio administrare perrexit. Honorius Thermantiam sponsam dignitate Augustæ spoliatam ad Serenam matrem Romam remisit, & filium eius Eucherium vestigari; at repertum iugulari præcepit. qui, cum inuentus Romæ ad ecclesiam confugisset, dimissus in Picenum se rettulit. inde quęstiones de familiaribus Stilichonis seuerissimas habuit, vt de se, ac de Stilichone aliquid proderent, qui cum nihil enunciassent, tandiu fustibus cæsi sunt, quousque spiritum ediderunt. ac reliquum anni in proscribendis, & persequendis iis, qui Stilichoni, Eucherioq; adhæserant, posuit. nam x Kal. Octobris ad Theodorum præfectum prętorio scripsit, vt si quis ex proscriptorū numero comitatum suæ serenitatis, siue mœnia æternę vrbis intrasset, deportaretur. & VIII Kal. Octobris edixit; vt proscriptorum, satellitumq; fortunæ ærario suo accederent. & VII Kal. Nouembris, vt qui in facultates Stilichonis, & actus viderentur esse versati, vel ex iisdem facultatibus aliquid subtraxisse, vel aliquid rapuisse, omnifariā redderent. & x Kal. Decembris, vt qui opes prædoni publico, vel eius filio, ceterisq; satellitibus dedissent, vel iure, vel corpore, quibus ille vsus esset ad omnem ditandam, inquietandamque barbariem, his omnibus repetendi via esset præclusa. inde Rauennam profectus, III Idus Decembris sic sanxit: *Cum per Illyrici partes barbaricus sperâretur incursus, numerosa incolarum manus sedes quæsiuit externas, in cuius ingenuitatem assidua petitorum solet libido grassari, eiq; inlicite iugum seruitutis imponere. Itaque præscriptum tua sublimitas recognoscat, vt Illyricianos omnes, quos patria complectitur vel alia qualibet terra susceperit, petere non liceat.* Item eodem die: *Hostis publicus Stilicho nouum, atque insolitum reppererat, vt littora, & portus crebris vallaret excubiis, ne cuiquam ex Oriente ad hanc Imperij partem pateret accessus. Huius iniquitate rei moti, & ne*

rarior sit diuersarum mercium commeatus, præcipimus hac sanctione, vt littorum desistat, ac portuum perniciosa custodia, & euadi, ac redeundi libera sit facultas. Interim milites, qui per oppida distributi erant, Stilichonis morte comperta, barbarorum vxores, ac liberos in singulis ciuitatibus inuaserunt, & bona eorum diripuerunt. Quam rem occisorum propinqui iniquo adeò tulere animo, vt Romanis relictis ad Alaricum se receperint, eumque ad bellum Romanis faciendum hortati sint: fueruntq; ea ad hominum triginta amplius millia. Ille vero inducias cum Stilichone pactas sibi seruandas putauit, ac legatos de pace ad Honorium misit, pecuniæ summam quandam, ac pacis obsides postulans, Aetium, & Iasonem, Gaudentij, & Iouij filios; promittensque, se contrà nobiles quoque ex suis quosdam daturum, atque ex Norico exercitum in Pannoniam reducturum. Quam conditionem Honorius stolide à suis inflatus repudiauit, ita vt neque pacis, neque belli studiis, prout oportuit, inseruierit. Nam vulgo ita constitit, si paci studeret, eam modicà mercede redimere, ac bellum in aliud tempus auertere potuisse; si bellum præoptaret, omnes, qui vbique essent, exercitus in vnum cogere, ac Sarum ducem belli deligere debuisse, qui & rei militaris summe peritus erat, & numerum ingentem barbarorũ habebat. Quibus rebus omissis, equitatui Turpilionem, peditatui Varanem, Scholæ domesticorum Vigilantium, homines artis bellicæ rudes præposuit. atque hoc demum apparatu Alaricum, si irruptionem fecisset, se excepturum constituit. Constantinopoli Imperium puero Theodosio relictum singulari vnius virginis Pulcheriæ, sororis eius, sapientia gubernari cœptum est, Anthemio præfecto prætorio primas sibi vindicante administrationis, & curæ militaris. Ita egregia vtriusque diligentia puer Augustus insigniter ad omnem virtutis, & pietatis laudem est educatus. Itaque, cum Alarici, & barbarorum motus, atque apparatus
409 non mediocrem vtrique Imperio timorem incuterent, Honorius octauum, & Theodosius tertium consules nunciis inter se missis composuerunt, vt omnes aditus barbaris concursantibus clauderentur. Quippe Theodosius VIII Kal. Maij ad Anthemium præfectum prætorio ita scripsit: *Omnes stationes nauium, portus, littora, omnes abscessus prouinciarum, abdita quin etiam loca, & insulæ tuæ magnificentiæ dispositione solerti custodiantur indagine, vt nullus vel vi, vel clam, vel aperte, vel etiam occulte nostri possit Imperij regiones inrepere, qui non aut interiectis prohibeatur obicibus, aut cum accesserit, ilico teneatur, nisi sacros apices à domino patruo meo Honorio ad me perferre apertissima ratione monstrauerit, cum eadẽ diligentia obseruãdo, vt si ad alium quenquã à memorato principe dixerit habere affatus, petitore detento sacræ litteris cum omnibus chartis signatæ ad meam clementiam transmittatur. hoc enim & tyrannici furoris, & barbaricæ feritatis occasio persuadet, & inter me, dominumque & patruum meum Honorium vicissim recurrente admonitione conuenit.* Sub idem tempus terra per septem dies mugitum ingentem dedit, vt Marcellinus memoriæ prodidit. quæ res nihil aliud prænunciasse mortalibus, nisi nouam Gotthorum in Italiam irruptionem est visa; qua populata, vastataq; Italia, Roma direpta, atq; incensa est. Quod factũ omnibus celsissimum vrbis fastigiũ contemplantibus nouitate, ac magnitudine sua pro memorando esse prodigio debuit. Etenim quid mirabilius esse, ac prope portentosius potuit, quàm vrbẽ eam, quæ annos amplius octingentos post cladem à Gallis acceptã non solũ ab omni hostili intacta calamitate fuisset, sed etiam omnium gentiũ victrix, dominaq; stetisset; repente barbaris longo à se terrarum, cœlique spacio disiunctissimis in eam necessitatem adductam esse, vt non solum ipsa de suo capite dimicarit, sed vniuersas etiam prouincias sibi timere, ac de propria incolumitate cogitare coegerit? Siquidem, vt præclare D. Hieronymus dixit, quid salui esse potest, si Roma perit? Huius porro calamitatis auctor Alaricus fuit. Ille vero ad repetendam cum suis Italiam ea maxime ratione accensus est, vt Honorium, à quo primum victus, deinde contemptus esset, & quem, Stilichone summo duce mortuo, infirmum & ducum, & armorum apparatum in Italia fecisse, animaduerteret, ad aliquam honorati obsequij necessitatem adduceret. Itaque ad cetera præsidia, quæ sibi parauit, Ataulfum coniugis suæ fratrẽ ex superiore Pannonia euocauit, vt gerendæ rei socium sibi asciceret, qui Gotthorũ Hunnorumq; copias non despiciendas haberet. deinde, cum is

sibi

ſibi lentius agere videretur, iter, illo nō expectato, ingreſſus eſt. ac clauſtris alpium Noricarum refractis irrupit. atque, Aquileia, Concordia, Altino, Patauioq; à læuâ dimiſſis, nemine, tanquam in die feſto, occurrēte, ad Padum amnem peruenit. quó traiecto, ad caſtellum Bononiæ, nomine, vt inquit Zoſimus, Oecubariā adiit. inde Rauennam verſus progreſſus, ad pontem Canditianum non longe ab vrbe conſedit. ac ſtatim legato ad Honorium miſſo pacem, ſedesq; ſibi, ac ſuis in Italia poſtulauit, promptum fidei, atq; operę militaris obſequium offerens, ſi eius ſibi vti benefició licuiſſet. Honorius, quanquam ſe infirmioribus eſſe viribus ſentiebat, quàm vt æquo Marte cum eo poſſet confligere, tamen Rauennæ vrbis munitione, & Orientalium copiarum, quas, Stilichone viuente, acciuerat, expectatione, ceterisq; Italiæ præſidiis, in primisq; vrbis Romanæ confiſus, magnifice reſpondit, nihil eorū ſe, quæ poſtulabat, dare poſſe, ipſumq;, vt prioris meminiſſe expeditionis vellet, & quem exitum habuiſſet, monere. Quo reſponſo audito Alaricus incenſus, ſubito, caſtris motis, Ariminum, atq; inde in Picenum, & ex Piceno in Vmbriam tranſiit, oblata omnia oppida populans, ac miſerabili ſtrage vaſtans, & ad Romam oppugnandam ſe ire oſtendens, vt terrore illo Honoriū ad aliquam pactorum æquitatem adduceret. Cum autem ne ita quidē Honorius cederet, Narniæ, quam in ſpeciem inſtituerat, obſidione relicta, Romam ire perrexit. Parum autem abfuit, quin Eucheriū in iis locis offenderit, ac conſeruarit. nam eum paulo antè inuentū Arſacius, & Terentius eunuchi Romā abduxerant, ac iuſſu Honorij iugularāt, & Thermantia Serenæ reddita, maritimo itinere, ne in Alarici manus incideret, ad Honorium ſe receperant. quorum Terentiū Honorius cubiculo ſacro præfecit, Arſacio proximum ab eo locum conceſſit. & Africam Heracliano Comiti, Stilichonis interfectori, attribuit. Romam progreſſus, ſtatim Vrbē ex omni parte circunfuſo exercitu cinxit. quo facto, ſæuo ſubito tumultu miſceri omnia cœpta ſunt. nā, & ſerui, & barbari, multi ad eum, vt præſenti ſe periculo eriperent, tranſiuerunt, & ſenatores pagani ad veterem ſuam fabulā redierunt, vt immolationes reuocandas, & ſacrorum Chriſtianorum cultum deſerendū eſſe contenderent, vnde tāta, & tam crebra mala fluxiſſent. Senatus autem vna cum Placidia Honorij ſorore cum Serenā ſuſpectā haberet, vt quę Gotthos ad vrbem acciuiſſet, eam necare conſtituit, haud dubia ſpe ductus, fore, vt Alaricus ab vrbe, illius morte comperta, recederet, vt qui ab illa vrbē ſibi proditum iri, ſperaret. itaq; Serenæ correptæ laqueo fauces eliſę. Quod vbi Alaricus cognouit, obſidioni acrius inſtitit. nam & portas omnes obſtruxit, nè cuiquam ingreſſus, exitusq; pateret, & occupato Tiberi commeatus ſubuectionem è portu prohibuit. Ac Romani quidem per aliquot dies magna animi conſtantia omnia belli incommoda pertulerunt, haud ambigue ſubſidiū Rauenna ab Honorio venturum in diem opperientes. poſt autē, cum nemine ſuccurrente, ſpes eos deſtituiſſet, vt imminentis famis periculum propulſarent, frumenti modium minuerunt, ac partē eius tantum dimidiam excoxerunt, quod in ſingulos dies erogabatur; atq; inde, gliſcente penuria, tertiam. ad extremum autem, cum omnia iam alimenta deficerent, ingens fames ciuitatem oppreſſit, ac mox famen ſæua peſtilentia excepit, &, cum paſſim omnia cadaueribus complerētur, quòd extra vrbem ſepeliri de more non poterāt, lues ipſa dira odoris fœditate vulgata eſt. Hæc autem peſtilentia non Romam ſolum, ſed totam etiā videtur afflictaſſe Italiam, nimirum ab hac colluuie barbarorum inuecta. ſiquidē ſcribit Rufinus ad Chromatium tum Aquileienſem epiſcopum, perruptis ab Alarico duce Gotthorum Italiæ clauſtris, morbum ſe peſtiferū infudiſſe, & agros, armenta, viros longe, lateq; vaſtaſſe. Quanquam autem Romæ multis cibum benigne ſuppeditauit Gratiani quondā Augusti vxor, vt inquit Zoſimus, Læta, eiusq; mater Piſſamena, quibus ex regio fiſco Theodoſij inſtituto ſumptus menſæ regiæ præbebatur, id tamen exiguū affulſit, vt in tanta neceſſitate, ſubſidium. Itaq;, cum Romani ad humanorū malorum prope vltima deueniſſent, ita vt in ſemetipſos etiā ſtimulante fame ſæuirent, ſenatus tentatis rebus omnibus, quæ in mentem venire poſſent, legationem ad Alaricū deniq; deſtinauit, docens, & ſenatores paratos eſſe ad pacem accipiendā, ſi tolerabilia imperaret, & populū ad pugnam faciendā, ſi illius copiā faceret. Legati miſſi Baſilius præ-

fectus, & Ioannes tribunorum præpositus, qui idem hospitij necessitudine cum Alarico erat coniunctus, cum Alaricum in castris conuenissent, errore populi agnito, (neq; enim pro explorato adhuc habebant, an Alaricus in castris esset, atque vrbem vltro obsideret, an, vt fama manauerat, alius, qui partibus Stilichonis faueret, atque ipsum ad vrbem adduxisset) senatus mandata ediderunt. Quibus Alaricus auditis, atque in primis, quòd populus paratus ad conserendum prœlium esset, ingenti effuso risu respondit, se nihil ea re commoueri. nam spissius fœnum rariore facilius desecari. pacem autem se aliter dare non posse, nisi omne aurum, atque argentum, quod in vrbe foret, atque omnem supellectilem, & mancipia barbara vniuersa ad se deferrent. quem cum alter legatorum rogasset, si hæc Romanis abstulisset, quid tandem relicturus esset? Animas, inquit. Hoc tam atroci responso accepto petierunt, vt cum obsessis sibi colloqui de eo, quod agendum esset, liceret, atque induciis impetratis in vrbem reuersi legationem renunciarunt. Tum vero audientes Romani, Alaricum esse, qui vrbi assideret, omni humana deplorata ope ad vetera deorum auxilia, à quibus sæpe se conseruatos ferebant, imploranda se conuerterunt. Auxit vero eorum fiduciam Pompeianus vrbis præfectus, qui se Tuscos quosdam audiuisse dixit asserentes, se nuper Narniam sacrificiis factis è maximis periculis exemisse, atque hostes longe à mœnibus propulisse. quam rem, cum ad Innocentium pontificem retulisset; ille, si Zosimo, pagano homini habenda fides est, respondit, Agerent quod reip. conducturum putarent. Ceterum senatum in Capitolio, sacrificiis incumbentem populus auersatus est, sacrilegium illud verius, quàm sacrum, arbitratus. Itaque dimissis malis suasoribus rursus se ad permulcendum Alarici animum contulerunt, ac legatos decreuerunt, qui offerrent quinque millia pondo auri, triginta argenti, tunicarum sericarum quattuor millia, pellium coccinearum tria millia. &, quod in ærario pecuniæ nihil esset, vt senatores ex propriis hæc conferrent censibus, adiecerunt. cum autem Palladius, cui exigendi negotium fuerat datum, hanc conficere summam non posset, quòd possessores partem bonorum aliquam abscondissent, ac principes ciuitatem assiduis tributorum exactionibus exhausissent, templis deorum spoliatis, atque aliquot signis aureis, argenteisq; conflatis, quod deerat, ex senatus auctoritate suppleuit. inter quæ cum Virtutis simulachrum esset conflatum, rursus Gentiles insurrexerunt, ac quodcunq; Romanis relictum fortitudinis esset, id demum exemptum esse dixerunt. His igitur contractis legati ad Honorium contendere, demonstratum, Alaricum pacis dandæ caussa non pecunias solum, sed etiam obsides postulare. Quæ si conditio placuisset, ipsum non solum pacem, sed etiam societatem cum eo facturum, atque arma aduersus hostes eius quoscunque versurum. Quæ cum Honorius approbasset, ad Alaricum munera, quæ diximus, attulerunt. Qua re audita D. Hieronymus scripsit: *Quis hoc credet, Romam in gremio suo non pro gloria, sed pro salute pugnare, immo vero ne pugnare quidem, sed auro, & cuncta supellectile vitam redimere. quod non vitio principum, qui religiosissimi sunt, sed scelere semibarbari accidit proditoris, qui nostris contra nos opibus armauit inimicos.* Ceterum donis acceptis Alaricus triduo forum permisit iis, qui intus erant, exeundi ex vrbe, atque annonæ è portu subuehendæ potestate concessa, atque ex agro Romano in Tusciam retrocessit. Romani vero, rebus, quibus abundabant, diuenditis, necessarias aut coemptione, aut commutatione pararunt. serui ex vrbe ad hostes circiter xl millia transfugerunt. Romanos quosdam à barbaris ad Portum captos vbi Alaricus cognouit, omnes extemplo liberari iussit, &, se insciente, id commissum esse purgauit. Sub eosdem dies Constantinus, qui se in Gallia pro Imperatore gerebat, legatos ad Honoriũ misit, veniam poscens, quòd Augustalia insignia suscepisset. nam se coactum à militibus eorum resistere voluntati non potuisse. Quod vbi Honorius audiit, ne duo eodem tempore bella difficillima sustineret, &, vt propinquis suis Vereniano, & Didymo, quos nondum occisos norat, pro sua in eos pietate consuleret, ita probauit, vt trabeam etiam ad illum Imperatoriam miserit. Itaque ea re elatus, pacem conficere cum Alarico neglexit, ac neque obsides dedit, neque reliqua, quæ pacta erant, expleuit. Qua re animaduersa, senatus immi-

imminentem sibi ex ea re calamitatem prospiciens, iterum legauit ad eum Cæcilianum, Attalum, & Maximianum, qui perditum ciuitatis statum, ni à bello isto cessaretur, exponerent. Quos Honorius ab Olympio inductus irritos dimisit, & Cæcilianum præfectum vrbis, Attalum fisci creauit, ac sex millia Dalmatarum, Romanarum tum virium robur, ad vrbis custodiam misit. quorum dux Valens indignum ratus itinera ea cauere, quę hostis obsideret, temere in Alarici manus omnes coniecit, ita vt vix pauci fuga euaserint. ex quibus ipse vna cum Attalo legato incolumis peruenit Romam. Maximianus vero captus, à Mariniano patre triginta aureorum millibus est redemptus. Attalus amicorum Stilichonis, qui proscripti fuerant, bona perscrutari, eaq; in fiscum redigere iussus, cum rem agere languidius videretur, ad pœnã conquisitus in ecclesiam salutis caussa profugit. Inanem hanc legationem postquam senatus cognouit, tertiam destinauit. cuius princeps erat Innocẽtius pontifex. quibus Alaricus quosdã etiam è suis adiunxit, vt eos à Gotthis infesta itinera habentibus tutarentur. His Rauennam progressis, Ataulfus demum Iulijs Alpibus superatis, & ipse sese in Venetiam intulit. Qua re comperta, Honorius, vniuersis peditum, atque equitum copiis ex oppidis cum ducibus suis excitis, atque Hunnis trecentis Olympio magistro officiorum tributis, omnes propere occurrere, &, quo ad possent, ne se cum Alarico cõiungeret, prohibere mandauit. Qui profecti, certamine commisso, mille, & quingentos Gotthorum occiderunt, septemdecim tantum ex suis amissis. Interim Honorius Olympium præfectum ab eunuchis accusatum, quòd auctor omnium malorum fuisset, quæ proxime resp. passa esset, magistratu priuauit. qui in Dalmatiam abiit. Attalo vero præfecturam vrbis, Demetrio fisci attribuit. ac nouis aliis creatis magistratibus, ac præfectis Generidum quoque Dalmaticis copiis, & ceteris, quæ apud Pannoniam superiorem, Noricos, & Rhætos in præsidiis erant, præfecit, lege lata, ne quis in aula cingulum militare indueret, qui Christianus non esset. Qua lecta, Generidus, qui tum Romæ militibus præerat, & gentilitati studebat, cingulum posuit. cum autem Honorius mandaret, vt, quoniam in magistratu esset, ad aulam in ordine suo veniret, lege se cingulo prohiberi respondit, quia Christũ non coleret. Honorio vero subiiciente, ipsum, qui de rep. bene meritus esset, ea lege nõ teneri, sed eum honorem respuere dixit, qui ad ceterorum iniuriam pertineret. itaq; legem tollere in omnibus Honorius est coactus, & permittere, vt in sua quisque religione magistratum, ac militiam gereret. Inde Generidus assiduis laboribus milites exercere, annonas integras dare, & ex suo stipendio iis, qui maiores subirent labores, præmia constituere. atq; ita barbaris terrori, regionibus, quas tuebatur, præsidio firmissimo esse. Inter hæc milites Rauennæ seditionem grauissimam concitarunt. ac, portu occupato, ad se adire Honorium postularunt. illo vero proficisci recusante, Iouius præfectus prætorio, idemq; Patricius, socio Ellobicho Comite Domesticorũ assumpto, progressus, caussam tantæ consternationis est percontatus illi Turpilionem, & Vigilantium militum præfectos cum Terentio, & Arsacio præpositis sacri cubiculi sibi tradi deposcerunt. Quod vbi Honorius audiit, atrocioris alicuius defectionis timore perculsus, eos in exilium egit. ex quibus Turpilio, & Vigilantius in nauim impositi, ab iis, qui auehebant, Iouii mandato necati sunt. Terentius in Orientem, Arsacius Mediolanum est relegatus. In Terentii locum Eusebius cubili præpositus sufficitur. Turpilionis præfectura Valenti, Vigilantii Ellobicho mandatur. Iouius autem, cum omnẽ ad se Imperatoris potentiam transtulisset, legatos ad Alaricum misit hortatum, vt componendæ pacis caussa Rauennam accederet. cui Alaricus ita paruit, vt Ariminum vsq; processerit. Ibi Iouius, vt qui cum eo in Epiro hospitij necessitudine fuerat iunctus, de fœdere agere instituit. postulauit Alaricus, vt in annos singulos certa pecuniæ, atq; annonæ summa sibi erogaretur, & suis ad habitandum Venetia, Noricũ, & Dalmatia traderentur. Quæ postulata Iouius ad Honoriũ misit, separatim hortans illum per litteras, vt Alaricum magistrũ militiæ constitueret, vt ille hoc honore lenitus aliquid de conditionũ asperitate remitteret, & pacem legibus æquioribus faceret. Quibus acceptis, Honorius vehementer Iouij temeritate damnata, respondit, auri, & annonæ modũ eum statuere pro magistratu posse,

vt qui præfectus prætorio esset, & publicorum tributorum potestatem haberet; illud vero nunquam à se impetraturum, vt dignitatem, aut præfecturam Alarico, aut genti eius impertiat. Hæc epistola à Iouio audienti Alarico temere recitata iram eius accendit. Nam cum cetera moderate tulisset, sibi, gentiq; suæ negatam præfecturam iniquo adeo animo accepit, vt statim milites suos Romam iter expedire ad insignem vlciscendam iniuriam iusserit. Iouius autem eius colloquij exitu perturbatus, Rauennã regressus, vt se omni suspicione criminis liberaret, Honorium sacramento adegit, se nunquam pacem cum Alarico facturum, atq; ipse tacto eius capite eodem se iureiurando deuinxit. atque ab omnibus, qui cum potestate erant, idem exegit. Honorius autem belli caussa decem millia Hunorum acciuit, ac frumentum, & pecora ex Dalmatia ad se adduci iussit, & missis, qui Alarici vires explorarent, copias suas ex locis omnibus euocauit. Quibus rebus cognitis Alaricus Romanæ tandem expeditionis pœnitentia ductus episcopos ad eum legauit, hortatum, ne culpa sua sineret, eam vrbem, quæ mille annorum spacio magnæ parti orbis terrarum iura cum imperio præscripsisset, vastandam, ac diripiendam barbaris tradi, neq; tantas operum, & tam magnificas moles hostili flamma deleri, sed æquis conditionibus pacem componeret, ac sibi, & vrbi omnium præstantissimæ parceret, neque enim se præfecturæ honorem cupere, neque Venetiam amplius ad constituendas sedes exigere, sed certo pecuniæ numero, & duobus contentum Noricis fore, quæ assiduis barbarorum incursionibus obnoxia sint, ac fiscũ tributo tenuissimo iuuent. & arma aduersus omnes hostes eius laturum esse. Ceteris moderationem eius admirantibus Iouius, & alij regiæ potentiæ participes, hæc confici posse negarunt, quòd omnes magistratus iureiurando se obstrinxissent, se cum eo pacem nullam agitaturos. Alaricus autem, postquam suas respui conditiones vidit, vniuersum pronius exercitum Romã ire præcipit, eo animo, vt constanter in vrbis obsidione maneret, donec fame perdomuisset. cum autem monachus quidã eum obsecrasset, vt vrbi nobilissimæ parceret, respondit, se omnino ab vrbe diruenda animo abhorrere, verum quendam sibi ad illam euertendam dies, noctesq; vrgentem assistere. Per eosdem dies Iouius alter legatus à Constantino tyranno venit, excusatum, quòd Verenianus & Didymus nõ eius voluntate necati fuissent. qui postquam Honorium eo nuncio grauius commotum atrocia minantem vidit, sibi timens egregie facturum illum subiecit, si curis Italicis occupatus iram aduersus Constantinum remitteret. nimirum se, si Galliam repetere, & casus demonstrare Italiæ licuisset, non ita multo pòst cum omnibus Gallicis, Hispanicis, Britannicis copiis reuersurum, atque opportunum Italiæ, Romæq; subsidium allaturum, atq; ita dimissus est. Alaricus, vbi Romam peruenit, ciuibus euocatis Honorij iniquitatem exposuit, simulq;, se vrbẽ per vim expugnaturum, nisi ipsi coniunctis secum viribus arma aduersus eum caperent, addidit. illis vero consilium non expedientibus iterum mœnia armatorum corona circundedit, & Portum aliquot dies oppugnauit. pòst autem cum eum vi adhibita cepisset, atq; ibi infinitam rei frumentariæ vim congestam reperisset, eam se in exercitus sui commoda consumpturum, nisi primo quoque tempore dicto se audientes exhibuissent, ostendit. Quod tempus item D. Hieronymus expressit, his verbis: *Dum hæc aguntur, terribilis de Occidente rumor affertur, obsideri Romam, & auro salutem ciuium redimi, spoliatosq; rursum circundari, vt post substantiam vitam quoque perderent.* His de rebus senatus habito consilio, quòd nullum superesse perfugium, annonæ subuectione ex portu in quotidianos vsus subtracta, videret, demum Alarici se potestati permisit, ac receptis eius legatis ipsum ad vrbem vocauit, & Placidiam Honorij sororem, tanquam fidei obsidem, ab eo petitam concessit. Quo facto ille iussit, vt Attalum præfectum vrbis insignibus Imperatoris ornatum in Augustali solio collocarent, quod illi obedienter egerunt. His rebus ita constitutis Attalus inde se totum formando Imperio tradidit. ac primum Lampadium præfectum prætorio, & Marcianum præfectum vrbis dixit. ex præfecturis autem militaribus pedestrem Alarico, equestrem Valenti, attribuit ei, qui legiones Dalmaticas rexerat, Ataulfum vero Comitem domesticorum, & Tertullum in insequentem annum consulem designauit. inde, infaustis li-

stis li-

ſtis licet omnibus, ad Palatium cum regio comitatu proceſſit: poſtridie autem ſenatum ingreſſus orationem habuit in primis arrogantiæ plenam, qua ſe Romanis vniuerſum terrarum orbem acquiſiturum, atque alia ſpecie magnificentiora iactauit. Quibus de rebus Romani inani gaudio exultare cœperunt, quòd bello grauiſſimo liberati & magiſtratus rei gerendæ gnaros, & præcipue Tertullum conſulem nacti eſſent, ſolis Aniciis, vt omnium opulentiſſimis, eum ciuitatis ſtatum ægre ferentibus. Cum autem Alaricus ei ſuaderet, vt firmas copias in Africam mitteret, atq; Heracliano Comiti imperium, & prouinciam extorqueret, ne quid inde Romanis rebus impedimenti ſuppeteret, id ille conſilii reſpuit, inanes ſpes amplexus, quibus eum fatidici vates inflauerant. verum perſuaſus, ſe Carthagine, & tota Africa ſine certamine potiturum, non Drumam, qui cum barbarorum copiis Heraclianum haud ægre potuiſſet ex prouincia deturbare, ſed Conſtantinum quendam cum modica militum manu imperio in Africanos milites dato miſit. poſtremo vrbe egreſſus vna cum Alarico Rauennam ad expugnandũ Honorium prodiit. His rebus, vt erãt acerbæ, & graues, Honorius territus, vbi eum Ariminum acceſſiſſe accepit, legatos ei miſit obuiam, per quos, ſi inſanire deſineret, promiſit, ſe illum in ſocietatem Imperii accepturum. quibus reſpondit; Attalus, ſocium ſe Imperii neminem velle, ipſi vt inſulam, aut alio quo velit priuatus ſecedat, permittere. Cum propterea æſtuaret Honorius, atque incertus conſilii fugam arripere, nauibus ad id in portu Rauennæ paratis, cogitaret, opportune ſex militum legiones, hominum quadraginta millia, diu expectata, ex Oriente venere. quare, cuſtodia vrbis eis commiſſa, Rauennæ ſibi ſubſiſtendum putauit, dum certus de rebus Africæ nuncius eſſet allatus. &, ſi Heraclianus prouinciam in poteſtate tenuiſſet, Alaricum, atque Attalum viribus vniuerſis inuadere; ſi quid durius accidiſſet, in Orientem abeundo Imperiũ Occidentale relinquere. Interim Attalus Cõſtantinum ducẽ ſuum in Africa ab Heracliano necatum cum audiſſet, quoſdã cum pecunia in Africã miſit, qui labentem rem pro viribus ſuſtinerent. Quod grauiter ferens Alaricus de rebus deſperare Attali cœpit, vt qui ſtoliditate animi parum rebus tantis regendis eſſet idoneus. ac Rauennæ obſidionẽ, quam obſtinato ad expugnationẽ animo inſtituerat, reliquit, ſummopere vt id faceret, à Iouio incitatus, identidẽ id agi ab Attalo admonẽtis, vt Imperio potitus nefarias ipſi, & propinquis eius inſidias compararet. vt tamen Attalo fidem præſtaret, Valente equitũ magiſtro nomine proditionis occiſo, cunctas Æmiliæ vrbes, quæ Attali Imperium recuſarent, cum exercitu adiit, ac, Bononia nequidquam per multos dies oppugnata, reliquas cepit, atq; inde, traiecto Pado, bellum in Liguriam tranſtulit. Ob id Honorius cum eſſet in his anguſtiis poſitus, litteris ad ciuitates Britanniæ poſtulantes auxiliũ miſſis, hortatus eſt, vt ſibi conſulerent, ac muneribus ex ea pecunia, quam Heraclianus miſerat, militibus diſtributis, eorum ſibi amorem cõciliare contendit. Per eoſdem dies Conſtans Cæſar rurſus à patre in Hiſpaniam miſſus Iuſtum quendam ſibi ducem aſciuit. qua re offenſus Gerontius, vt qui Iuſto eſſet poſthabitus, adiunctis ſibi eorum locorum militibus, Imperij inſignia Maximo cuidam clienti ſuo detulit, eumq; Auguſtum Tarracone conſtituit. & Vandalos, qui erant in Gallia, aduerſus Conſtantinum ſolicitauit. Ex altera parte, Franci, Frigerido teſte, Conſtantini rerum in Gallia potientis ſocordia inuitati, in Galliam, quam toties vario incurſionum euentu tentarant; neque firma tenere poſſeſſione potuerant, magna mole ſuperato Rheno, irruperunt, ac cum alia oppida, tum præcipue vrbem Treuirorum ipſius tum Imperij caput captam diripuerunt. Quod vbi Vandali, ſociique ſenſerunt, ſibi, rebuſque ſuis timentes ad Rhenum ilico recurrerunt, ac conatibus eorum ſe veniſſe aduerſarios oſtenderunt. Franci vero, poſtquam Reſpendialem regem Alemanorum, Goare ad Romanos tranſgreſſo, agmen ſuum à Rheno retuliſſe videre, ſeſe in Vandalos intulere, ac, Godigiſilo rege eorum extincto, viginti ferme millia cæcidere, vniuerſos deleturi, ni periculo cognito Alanorum exercitus in tempore ſuccurriſſet. Hac clade fracti Vandali, Alani, & Sueui, ne iterum cum Francis ſibi decertandum eſſet, Gunderico Gondigiſili filio rege ſubſtituto, conſilium Gallia abeundi ceperunt, atque ad Pirenæum profecti,

& præsidio Honoriacorum, quos Constans imposuerat, sibi adiuncto, in Hispanias traiecerunt, atque in vlteriorem progressi prouinciam, duces inde Romanos nec opinantes aggressi, ipsum in potestatem adduxerūt. Hanc traiectionem hoc anno factam Kal. Octobris, Prosper, Cassiodorus, & Iornandes in annalibus scriptum reliquere. Saluianus censet, Vandalos Dei iudicio ad Hispanias transiuisse. neque enim in Gallia Romanos timuisse, quod ad eam vsque diem illæsi ab eis cuncta vastassent. Eorundem Francorum metu Britanni acceptis Honorij litteris, excitati sumpsere arma, vt ciuitates suas ab eorum impetu conseruarent. Quos imitatæ Armoricæ ciuitates eodem modo se in libertatem vindicarunt, magistratibus Romanis expulsis, & rep. pro arbitrio constituta. Franci vero, (credo, quòd in societate Romanorum essent) pulsis Vandalis inde se trans Rhenum receperunt. Ex quo factum est, vt soli Burgundiones cum parte Alanorum remanserint. Extremo iam anno Honorius decreuit, vt diuersarum homines prouinciarum cuiuslibet sexus, conditionis, ætatis, quos barbarica feritas captiua necessitate transuexisset, inuitos nemo retineret, sed ad propria redire cupientibus libera facultas esset. Po-
410 stero vero, qui fuit à Christo quadringentesimus decimus, Varane, & Tertullo consulibus, Heraclianus Africæ Comes, rebus, quæ ad Romā acciderant, cognitis, & statu Honorii Imperatoris perspecto, postquam iudicem ab Attalo missum extinxit, portus Africæ tanta diligentia custodiuit, vt vniuersam mercatorum nauigationē ademerit, neque frumentum, neq; oleum, neq; res alias ad victum necessarias in portum Romanum inuehi passus sit. Qua de re rursus tanta vrbem inuasit inopia, vt populus castaneis pro frumento se sustentarit. Auxerunt autem penuriæ magnitudinem agri bello superiore inculti, & dardanarii ea spe quidquid frumenti habebant supprimentes, vt omniū pecunias ad se transferrent, eo precio vendituri, quod ipsi statuissent. Quare cum timeret populus, ne in corpora humana rabies famis adigeretur, ludis Circensibus exclamauit: Precium pone carni humanę. inde penuria adeo creuit, vt memoriæ proditum sit, matres aliquot in paruos infantes famis impotentia deszuisse. Hāc ob causam Attalus Romam sine Alarico reuersus senatum cōuocauit, atq; ad eum de republica rettulit. cum autē pleriq; censerent, barbaros, cum Romanis militibus ad patefaciendam nauigationem in Africā esse mittendos, eamq; præfecturā Drumæ viro fidei spectatæ mandandā, eiusmodi ille sententiam respuit, veritus, ne ea ratione viam Gotthis ad inuadendam Africam aperiret. quo tempore Tertullus Consul stolida & ipse quadam arrogantia elatus ausus est dicere: Loquar vobis partes conscripti, vt consul, & pontifex. quorum alterum teneo, alterum spero. Alaricus inde subsequutus, cum se ab Attalo propter infirmitatem promissa obtinere posse diffideret, iterum se ad Honorium contulit, ac se Imperium Attalo abrogaturum, promisit. Ita haud ægre, quæ postulabat, omnia impetrauit. primum autē Attalum suis inspectantibus, extra vrbem Augustalibus insignibus spoliauit, eaq; ad Honorium misit. cuius ducibus militiæ cingula deponentibus, Honorius veniam impertiuit, passus in eo, quem antè habuerāt, honore persistere. ac pridie Idus Februarias ita decreuit: *De iis, qui tyrannicæ præsumptionis sacramenta sectati ad nostrum Imperium redierunt, hanc volumus esse sententiam, vt quos inter incendia tyrannidis assumptæ fidelis pœnitudo reuocauit, ordinem, & fructum militiæ non admittant. Eos vero, quibus lentum regressum necessitas desperationis indixit, soluto cingulo matricula conuenit aboleri, ita vt illud quoque par reuerentiæ forma custodiat, ne redire ei ad pristinam militiam liceat, qui aliud militandi genus elegerit.* deinde autem Attalo cum filio eius Ampelio apud se, donec, pace cum Honorio constituta, securitatem eis impetrasset retento, atq;, exercitu ad vrbem relicto, cum paucis Rauennam pacem compositurus se rettulit, atq; ad Alpes, locum, vt inquit Sozomenus, stadiis sexaginta longe ab vrbe illa distantem accessit. Ibi demum res transacta, fœdusq; his conditionibus est percussum, vt Alaricus socius Honorij esset, atque in Gallia sedes sibi, suisq; locaret, ibiq; bellum cum hostibus Honorij faceret. Hanc pacem pagani omnes, & Arriani indignè admodum acceperunt, quòd sibi persuaserant, facile se omnia, quæ cuperent, aduersus Catholicos ab Attalo, vt pote Arriano, consequuturos. Eo tempore Sarus cum barbaris trecentis in Piceno

versatus

versatus erat, neque Alarico, neque Honorio fauens. accedente autem in ea loca Ataulfo, qui capitali à se odio dissidebat, quòd se non satis aduersus eum paratum videret, Honorio se adiunxerat. Itaque Alarico propter Ataulfum infensus, & pacem cum Gotthis rebus suis parum aptam fore arbitratus, repente turbare pacta omnia instititit. nam cum trecentis militibus suis sic in Gotthos nec opinantes, ac pacato animo omnia agitantes inuectus est, vt quosdam etiam eorum percusserit. Ea re Alaricus accensus dolorem tamen, acerbitatemq; ferocioribus verbis vllis non edidit, sed suppressa altius ira ad exercitum, quem ad Vrbem reliquerat, vt cum Honorio conuenerat, se recepit. atque ibi, vt inquit Sozomenus, vrbem proditione recepit. quippe, vt quidam ex Procopio, (neque enim locum ipsi hunc vidimus,) tradiderunt, dissimulata iracundia Romam eadem via regressus, se in Galliam ex fœdere proficisci velle ostendit, ac tanquam amicus trecentos robustissimos Gotthicos iuuenes Romanis principibus dono dedit, diligenter, quid ipsos agere in tempore vellet, edoctos. Hi in vrbem accepti humile omne, ac promptum dominis obsequium obtulerunt. inde certa, quæ constituta fuit, nocte, dum Romani somno mersi languerent, ad portam Asinariam alacres prouolarunt, oppressisq; repentino impetu stationibus, portam Alarico patefecerunt. qui ad vrbem alia, atque alia sibi ad iter deesse quotidie caussans, prædictam occasionem attento animo expectabat. Ita Kal. Aprilis cum toto exercitu vrbem ingressus est. Quare scripsit D. Hieronymus: *Capitur vrbs, quæ totum cepit orbem, immo fame perit antè, quàm gladio. & vix pauci, qui caperentur, inuenti sunt. ad nefandos cibos erupit esurientium rabies, & sua inuicem membra laniarunt, dum mater non parcit lactenti filio, & suo recipit vtero, quem male antè effuderat. Nocte Moab capta est. nocte cecidit murus eius. Quis cladem illius noctis, quis funera fando explicet?* Vbi vero se vrbe potitum vidit Alaricus, publice per præconem edixit, vt pro se quisque bona, fortunasq; ciuium raperent, verum à cæde hominum, & direptione sacrorum se continerent atque omnibus parcerent, qui ad basilicam S. Petri omnium in terris augustissimam confugissent. Ita, signo buccina accepto, Gotthi horrendo clamore sublato in diuersas vrbis partes inhianti ad prædandum animo discurrerunt, ac promiscue omnia captiuitate, ac direptione turbarunt. Romani inopinata hostium irruptione perculsi, & tenebris, ac cæcitate noctis exterriti, neque ad resistendum, neque ad fugiendum satis animi, aut consilij habuerunt. Itaque omnium æque domos summorum, & infimorum dira pauoris, seruitutis, expilationis, desperationis, & mortis species occupauit. siquidem, vt scripsit D. Augustinus ad Demetriadem: *Adstridulæ buccinæ sonum, Gotthorumq; clamorem lugubri oppressa metu domina vrbis Roma contremuit. vbi tunc nobilitatis ordo? vbi certi, & distincti nobilitatis gradus? permixta omnia, & timore confusa. omni domui planctus, & æqualis fuit per cunctos pauor. vnum erat seruus, & nobilis. eadem omnib. imago mortis, nisi quia magis eam timebant illi, quibus fuerat vita iucundior.* Edicto audito, ciues, quicunq; potuerunt, cum rebus suis preciosissimis ad basilicam confugerunt, Innocentio pontifice adhuc Rauennæ apud Honorium subsidente, vnde etiam epistolæ extant datæ. Gotthi vero domos passim preciosa supellectile exuerunt, tot opibus in vnam vrbem ex diutina pace, Imperioq; contractis, quot humana auaritia, vniuerso terrarum orbe spoliato, potuerat cumulare. manus vero paucissimis hominibus intulerunt. adeo vt idem Augustinus scribat, Gotthos tam multis senatoribus pepercisse, vt mirandum magis esset, quòd aliquot peremissent. Syllanam vero tabulam plures iugulasse senatores, quàm Gotthi spoliarint. Præcipue preciosa Salomonis supellex à Tito Hierosolymis quondam allata surrepta est. Cum præda egereretur, Gotthus quidam sacram virginem, sed iam ætate prouectam in ædibus sacris offendit, atque ab illa aurum, argentumq;, quod habebat, poposcit. Illa quod habebat, protulit. erant autem vasa aurea, & argentea ingentis ponderis, & magnitudinis, atque eximij admodum operis. quæ cum Gotthus nobilitate, ac specie captus auide miraretur, hæc, S. Petri instrumenta sunt, inquit. aude attingere. de euentu tu videris. Gotthus religione vasorum, & virginis reuerentia tactus, rem ad Alaricum detulit, atque ille statim omnia ad S. Petri basilicam deportari, ac virginem, omnesq;, qui se illi adiunxissent, Christianos eò de-

Alaricq Romam a... capit.

duci incolumes iussit. Ea domus in media vrbe sita longe à basilica aberat. Signo tuba dato, omnes ad visendam rem insignem vocantur. singula vasa singulorum humeris imposita cum longo ordine, ac speciosa pompa ferrentur, atque, exertis ad defensionem gladiis, quacunque incederent, munirentur, mirificum sui spectaculum præbuerunt. Alius, cum mulierem forma excellentem vidisset, amore percitus ad sui obsequium inuitauit. vbi vero studio pudicitiæ libidini reluctari suæ cōspexit, strictum gladium iugulo intentauit, ac demum etiam feriit. Cum virgo tota perfusa cruore ne ita quidem de sententia cederet, tum constantiam admiratus, ad basilicam S. Petri adduxit, ac, datis sex alimoniæ caussa nummis aureis, eam templi custodibus commendauit. Alij, vt scribit D. Hieronymus, Marcellæ matronæ domum ingressi, qua cum erat virgo Principia, aurum, & defossas opes poposcerunt, negantemq; se habere, cæsam fustibus, & flagellis dixerunt tormenta nō percepisse, sed lacrymis ad pedes prouolutam petiisse, ne Principiam à suo consortio segregarent. Multi interim captiui promiscue facti. Proba matrona Probini, & Olybrij virorum consularium mater, eodem teste, vix barbarorum manus effugerat, & auulsas à complexu suo virgines fleuerat, cum subito amantissimi filij orbitate percussa est. alij ad naues fuga delati, in prouincias, relicta, quam nunquam reuisuri essent, patria, concesserunt. Quin etiam ædificia quædam incensa, aliaq; opera temere furore barbarico deturbata sunt. Honorius, cum Rauennæ trepido nuncio accepisset, Romam à Gotthis esse captam, quòd Alaricum ad accipiendū exercitum, vt ex fœdere in Galliam se referret, contendisse sibi persuaderet, alia omnia suspicans, respondit: Qui fieri potest, cum paulo antè hic esset? gallinam captam nunciari interpretans, quam in deliciis habebat, ac Romæ nomine insigniuerat. Quod dictum adhuc temere omnes non ad errorem animi, sed ad stuporem cordis rettulerunt, vitium ne in pecude quidem, nedum in tanto Imperatore, & tam periculosis temporibus agnoscendum. quem ab omni suspicione torpedinis egregie Stilichonis soceri punita tyrannis facile potuit vindicare. Alaricus victor Attalum, quem secum habebat, iterum primo die, tanquam Imperatorem, Augustalibus insignibus decoratum incedere iussit; altero vero priuatum populo contumeliæ caussa ostendit; tertio autem præda opulenta onustus vrbe cum exercitu cessit, secum Placidiam ducens, quam honestissime habuit. Quo facto, Romani, qui in basilicam Vaticanam confugerant, aut vicina vrbi loca petiuerant, in vrbem se ilico rettulerunt, ac cum ceteris, quos vrbis fortuna seruauerat, statim pristinam vrbi faciem reddiderunt, nulla ferme nisi rei familiaris, & preciosæ supellectilis, quam pleriq; etiam conseruarunt, iactura facta. siquidem scribit Orosius: *Irruptionis per Alaricum factæ quamuis recens memoria sit, si quis ipsius populi Romani & multitudinem videat, & vocem audiat, nihil factum esse, sicut etiam ipsi fatentur, arbitrabitur, nisi aliquot adhuc existentibus incendiis forte doceatur.* Insignis tamen fuit calamitas, & rerum humanarum contemplatione memorabilis, quòd vrbs, quæ de omnibus gentibus triumphauerat, tam facile à barbara, & aduentitia gente capta, spoliata, atq; combusta sit. vt quam Galli quondam infirmam, & paruam longa obsidione capere, gens nobilissima, atque in propinquo sita, nequiuerant, tum demum viris, armis, opibus, dignitate, gloriaq; florentem Teruingi, ac Grutungi Vittungorum ne, an Visgotthorum populi ex remotissimis intimæ Scythiæ latebris non egressi, sed pulsi, in potestatem adductam afflixerint. Hanc vero cladem cum pagani falsis, multisq; deis addicti in Christianam religionem referrent, ac verbis solito ferocioribus increparent, D. Augustinus eximio veri Dei studio inflammatus occasionem aduersus eos scribendi arripuit, ac præclaros libros de Ciuitate Dei confecit. in quibus multorum, falsorumque deorum cultum, atque auxilium inane, atque superuacaneum esse ostendit.

CAROLI SIGONII HISTORIARVM, DE OCCIDENTALI IMPERIO, LIBER XI.

ROMANAM cladem miserabilis Italiæ vastitas, continua Galliæ, atque Hispaniæ bella, ac noua demum barbarorum in vtraque prouincia regum imperia exceperunt. Quibus de rebus, licet memorabilibus, deinceps aliquanto, quàm adhuc fecimus, scribemus exilius, nimirum opportuno Zosimi, qui historiam suam in proxima Vrbis obsidione finiuit, auxilio destituti, neque interim idoneis vllis rerum gestarum annalibus, sed nudis plerunque Chronicorum indicibus subleuati. Quod prædictum volui, ne quis posthac in hos incidens libros me iusto negligentiorem in colligendis, atque enarrandis reliquis Honorij rebus argueret, & inertiæ, quod fuit necessitatis, adscriberet. Itaque si minus illam assequi laudem poterimus, vt pleniore oratione acta singula exponamus, at hanc saltem parere contendemus, vt collatis diligenter temporibus, suis quæque annis summa cum fide reddamus.

ALARICVS Vrbe capta, & spoliata egressus animum inde ad vlteriorem populandam, vastandámque Italiam contulit. *Alarici crudelitas.* itaque Latium, Campaniam, Apuliam, Lucaniam, & Calabriam ita cum toto exercitu peragrauit, vt locum nullum intactum à vexatione, ac direptione reliquerit, atque in primis, quasi Romana victoria efferatus, in ecclesias, sacerdotes, episcopósque extorquendi auri gratia debacchatus simul omnia humana, diuináque iura polluerit. Non nominabo singula oppida, quæ propterea ille subuertit, quòd eorum cum annalibus memoria prorsus exciderit. Nolam tantum in Campania deletam, & episcopum eius Paulinum, cuius suprà mentio facta est, captum non silebo. de quo sic in primo de ciuitate Dei S. Augustinus: *Paulinus noster, Nolanus episcopus, quando & ipsam Nolam barbari vastauerunt, cum ab eis teneretur, sic in corde suo, vt ab eo postea cognouimus, precabatur; Domine non excrucior propter aurum, & argentum. vbi enim sint omnia mea, tu scis.* Honorius reliquum anni Rauennæ confecit, suspenso animo, quonam Alarici furor esset euasurus, expectans. atque inde ad Palladium præfectum prætorio VIII Idus Augusti de Attalo tyranno sublato sic scripsit: *Republ. tyrannidis iniuria liberata criminum reos relaxari præcipimus.* & VIII Kalend. Septembris ad Heraclium Comitem Africæ de puniendis hæreticis. Constantinus in Gallia, cum Constantem filium diademate decorasset, pro Cæsare Augustum appellauit, ac præfecturam prætorianam Apollinari ereptam ad alterum transtulit. mox spe inani elatus, se posse Italiam occupare, ab Ellobicho Honorij præfecto tacite accersitus Alpes superauit. verum ad vrbem Veronam progressus, cum Padum transmissurus esset, inopinata morte Ellobichi audita, statim conuerso agmine retrocessit. Honorius, cum ex solemni itinere quodam se reciperet ea re comperta, lætus repente ex equo se deiecit, gratias Deo agens, quòd se occulto insidiatore domestico liberasset. Postero anno, quo Theodosius Augustus quartum consul 411
sine collega fuit, Alaricus, direpta per multos menses Italia, Siciliam, quæ Italiæ adhæret, petere statuit. Ob id progressus Rhegium, exercitu in naues imposito, cursum eò intendit. verum aduersa tempestate reiectus, propositum tenere non potuit. itaque fœdo naufragio conflictatus se rettulit in Calabriam. Eo vero vbi venit, Consentiam validam vrbem imperata facere detrectantem nactus admoto exercitu circumsedit, ac demum etiam expugnatam diripuit. *Alarici mors.* Dum autem ibi moratur, de rerum gerendarum ratione consultans, ecce repentino morbo opprimitur, atque in summo blandientis fortunæ articulo paruo horæ momento extin-

guitur. Quo casu Gotthi exanimati primum tantum amissum regem misere defleuerunt; deinde iusta more suo cadaueri, quàm amplissima persoluerunt; ac demum sepulturæ occultandæ caussa iustam Italorum, quos is læserat, iracundiam veriti, opus insigne moliti sunt. quippe Busentum amnem oppidum ipsum præterfluentem magno militum labore alio auerterunt, ac locum sepulchro in medio alueo suffoderunt. atque ibi cadauere cum multis opibus condito, deinde amnem suo ire flumine permiserunt. &, ne locum quis scrutari sepulturæ posset, captiuos, qui notasse illum oculis poterant, occiderunt. Inde comitiis sufficiendo regi habitis, omnium suffragiis Ataulfus vxoris Alarici frater ad id fastigium est elatus. Is regiis insignibus exornatus primum omnium vxorem sibi despondit Placidiam, Honorij Augusti sororem, mulierem forma, moribus, prudentiaque insignem. tum conuersis signis è Calabria Romam versus redire contendit, eo animo, vt ipsam vix à clade pristina resurgentem rursus inuaderet, neque Alarici exemplo direptam relinqueret, sed occupatam sibi ascisceret, ac pro Roma Gotthiam appellaret, dira quadam libidine delendi Romani nominis inflammatus. verum mox precibus, & voluntate Placidiæ sponsæ id ipsum penitus auersantis, ac prope, tanquam ominosum aliquid, detestantis, commotus, cui omnia, quæ postulabat, summo animi studio indulgebat, statim eo consilio destitit. ac proximo Alarici fœdere stare, id est, Italia relicta, Galliam adire constituit. Quæ dum aguntur, Honorius, Vrbe cum pontifice Innocentio repetita, Vicennalia vno anno anticipata peregit, credo, vt mœstam ex accepta calamitate ciuitatem sacro aspectu suo, atque Augustalis aulæ præsentia, & hilari solemnis ludicri lætitia recrearet, atque in spem fortunæ melioris erigeret. mox, curis omnibus ad Constantinum Gallia exturbandum, hominem, vt res declarauerat, inquietum conuersis, Constantium Comitem, virum summo loco Romæ natum, ac manu, consilióque præstantem, magistrum vtriusque militiæ fecit, & cum firmissimo militum robore in Galliam destinauit. Sub Ataulfi vero reditum, lubricam barbari hominis, licet affinis, fidem veritus Rauennam, vt tutiorem in locum, repetiit. &, cum Romani interim vrbi instaurandæ, Innocentius ornamentis ecclesiarum restituendis, omnes dignitati pristinæ reuocandæ se tradidissent, inde III Kal. Decembris ad Bonosianum præfectum vrbis scripsit, ne quid ex iis, quæ instaurationi, ornatibúsque singulis deputasset antiquitas, vllius colore occasionis pateretur auferri. Ataulfus autem, pacato agmine per Picenum, & Flaminiam repetens, demum ad Forum Cornelium in Æmilia substitit, atque ibi demum nuptias cum Placidia celebrauit. ad quas honestandas Honorium quoque inuitatum Rauenna, propinqua inde vrbe, accessisse, videtur vero simile. Per eosdem dies Gerontius ex Hispania cum firmissimo exercitu aduersus Constantinum in Galliam mouit. Qua re accepta, Constantinus Constantem filium Viennam tenere, atque ibi se confirmare præcepit. Edobeccum autem ad accersenda Francorum, & Alemanorum auxilia misit. Gerontius Pirenæum transgressus, primum castra Viennæ admouit, atque oppidum acri vrgere oppugnatione contendit. quo haud magno momento potitus, Constantem in potestatem adductum vita exuit. Inde, cum ad Arelate duxisset, Constantinum exercitu circumfuso obsedit. Neque ita multo pòst Constantius cum delectu valido ex Italia ab Honorio missus aduenit, ac castra item ad Arelate locauit. Quod vbi Gerontij milites cognouere, protinus ad eum plerique accessere, vsqueadeo vt Gerontius de se solicitus cum paucis fugam in Hispaniam arripere sit coactus. Ita Constantius cœptam Arelatis è Gerontio obsidionem continuauit. Ibi, cum Edobeccum magna cum Francorum, & Alemanorum caterua aduenientem audiret, haudquaquam, quin ei occurreret, sibi dubitandum putauit. Itaque statim Vlphilam præfectum suum cum firma militum manu præmisit, atque ipse subsequi cum altera cepit. Vlphilas, insidiis in itinere positis, Edobeccum cum omnibus copiis præterire permisit. inde, vt compositum fuerat, ipse à tergo, Constantius à fronte se obtulit. Ita omnes in medio cæsi. Edobecco fugienti caput ab hospite, cuius opem implorauerat, est abscissum, ad Constantiúmque delatum. Qua re accepta Constantinus iam per quatuor menses obsessus Imperio se abdicauit,

uit, ac templum ingreſſus muniendi capitis ſui cauſſa presbyteri gradum accepit. Quibus rebus adducti Arelatenſes iureiurando de incolumitate accepto patefactis portis Conſtantium receperunt. Ille vrbem ingreſſus Conſtantinum cum altero filio Iuliano redegit in poteſtatem, atque in Italiam ad Honorium iuſſit deduci. Quod vbi Honorius didicit, ſatellites obuiam miſit, qui ad amnem Mincium nacti caput ei à ceruicibus reciderunt. Britannica iuuentus, quæ cum Conſtantino ex inſula exceſſerat, variis caſibus afflictata domum non rediit. Imperium Romanorum poſthac in Britannia nullum fuit. Ceterum maturandæ Arelatenſium deditioni cauſſam attulit Iouinus vir nobilitatis, ac potentiæ ſingularis. qui coacta inſigni popularium manu Auguſtalia inter Aruernos inſignia cepit, ac Francis, Burgundionibus, Alemaniſque aſcitis Conſtantio ſe aduerſarium tulit. In Hiſpania milites poſtquam Gerontium rebus abſciſſis rediiſſe viderunt, concurſu facto domi circumſederunt, ac ſtrenue ſe cum paucis ſeruis defendere molientem igne tectis iniecto eò deſperationis adegerunt, vt poſt familiarē ſuum Alanum, & Nonnichiam vxorem occiſam ſibi manum intulerit, ac pectus gladiolo hauſerit. Hæc in Gallia, & Hiſpania geſta in hunc annum à Sozomeno, Proſpero, & Marcellino produntur, dum Vandali, Alani, & Suevi vlteriorem Hiſpaniam, Maximo tyranno citeriorem obtinente, vexabant. Interim Romani, qui infeſta Alarici in vrbem irruptione ſalutem ſibi enauigando quæſiuerant, per maritimas prouincias diſſipati fœda omnia exilij incommoda pertulerunt. inter quos Proba matrona, de qua diximus, extrema in Africa paſſa eſt. Vnde D. Hieronymus ſcripſit ad Gaudentium: *Proh nefas! orbis terrarum ruit, in nobis peccata non ruunt. vrbs inclyta, & Romani Imperij caput, vno hauſta eſt incendio. nulla eſt regio, quæ non exules Romanos habeat. in cineres, ac fauillas ſacræ quondam eccleſiæ conciderunt, & tamen ſtudemus auaritiæ.* item in principio tertij in Ezechielem: *Quis crederet, vt totius orbis extructa victoriis Roma corrueret, vt ipſa ſuis populis & mater fieret, & ſepulchrum? vt tota Orientis, AEgypti, Africæ littora dominatricis vrbis ſeruorum, & ancillarum numero complerentur, vt quotidie ſancta Bethleem nobiles quondam vtriuſque ſexus, atque omnibus diuitiis affluentes ſuſciperet mendicantes. quibus quoniam opes ferre non poſſumus, condolemus, & lacrymis lacrymas iungimus.* Eodem anno Hunni ex Scythia in Aſiam erupere. atque inde pleni præda ſeſe in Thraciam rettulere. Quam cladem idem in epitaphio Fabiolæ ſic expreſſit: *Ecce ſubito poſt Romam à Gotthis captam diſcurrentibus nunciis Oriens totus intremuit. ab vltima Mæotide inter glacialem Tanaim, & Maſſagetarum immanes populos, vbi Caucaſi rupibus immanes gentes Alexandri clauſtra cohibent, erupere Hunnorum examina, quæ pernicibus equis huc, illúcque volitantia, cædis, ac terroris cuncta complerunt. aberat tunc Romanus exercitus, & bellis ciuilibus in Italia tenebatur. inſperati vbique aderant, & famam celeritatis vincentes, non religioni, non dignitatibus, non ætati parcebant, non vagientis miſerebantur infantiæ. cogebantur mori, qui nondum viuere cœperant, & neſcientes malum ſuum inter hoſtium manus, ac tela ridebant. conſonus inter omnes rumor, petere eos Hieroſolymam.* Probabile autem coniectura eſt, eoſdem, cum ex Aſia ſe in Thraciam recepiſſent, mox ſeſe in Pannoniam effudiſſe. Etenim, quod conſtat, Gotthis ex Illyrico profectis Hunni ſucceſſerunt, atque in primis Pannoniam tenuerunt. neque enim Honorius viribus ad reſiſtendum in tantis difficultatibus deſtitutus, prorſus eos prohibere potuit, ſed meliore conſilio, animo ad pacem conuerſo, fœdus cum eis, datis, acceptíſque obſidibus, fecit. ex quibus, qui dati ſunt, Aëtius, qui etiam Alarico tributus fuerat, præcipue memoratur. In Oriente Theodoſius Auguſtus annum ætatis agens vndecimum, Imperij vero decimum Conſtantinopoli decennia celebrauit. Sequenti anno, Honorio nonum, & Theo- 412
doſio quintum conſulibus, Ataulfus tandem cum omni Gotthorum exercitu Italia ceſſit, atque in Galliam tranſgreſſus, ſedem Narbone, atque in proxima regione ſibi, & Gotthis ſuis ex fœdere, Conſtantio concedente, locauit. Quo facto, Honorius Romam repetiit, ac lætus, tanquam exonerata aliquando tandem incumbentium Gotthorum mole Italia, ſecunda vicennalia ludorum apparatu magnifico edidit, populo Romano poſt diuturnas tenebras lucem ſe tandem aliquam otij, ac libertatis aſpicere gratulante. Arelatenſes Heroem S. Martini diſcipulum

singularis innocentiæ episcopum vrbe depulerunt, atque ei Patroclum Constantij amicum ad promerendam gratiam subrogarunt. quæ res maximas pôst exciuit inter episcopos turbas. Is tyrannorum reliquias persequens, exercitum aduersus Iouinum adhuc sibi repugnantem adduxit. ac prœlio valido victum tandē ex Gallia abire coegit. Inde Sebastianum fratrem eius, cum eadem moliretur, aggressus, vita exuit, atque vnà Decentium Rusticum præfectum ex primicerio notariorum Iouini, multosq; præterea nobiles apud Aruernos cepit, atq; vltimum supplicium sumpsit. vt Frigeridus rettulit, cui Marcellinus assensit. inde in Hispaniam transgressus, Maximum, qui se in citeriore prouincia pro Imperatore gerebat, bello petitum expugnauit. verum quia humilitas hominis nullam excitare inuidiam poterat, captum dimisit. atq; ita citeriore Hispania ad ius Honorij, obsequiumq; redacta, in Galliam se recepit. In vlteriore autem barbari, ne armis inter se de partæ possessione terræ contenderent, subactas prouincias in sortem coniecerunt. Vandalis, & Sueuis Callæcia euenit, Alanis Lusitania, Turcilingis Bætica. atque ita eas suis quisque subiecti regibus tenuerunt. In Africa vt pax Ecclesiæ Catholicæ restituta est, iussu Honorij, & opera Marcellini tribuni, hominis eximia prudentia præditi, sic Heracliani Comitis temeritate otium in prouincia perturbatum. etenim propter defensam aduersus Attalum prouinciam cōsulatus honorem in insequentem annum adeptus, adeo superbia est elatus, vt aduersus Honorium cum Sabino genero coniurarit. Qua re incensus Honorius, ipsum cum suis hostem pronunciauit, atque ita III Nonas Iulias ad prouinciales Africæ scripsit: *Heraclianum hostem publicum iudicantes digna censuimus auctoritate puniri, vt eius resecentur infausta ceruices eius*
413 *quoq; satellites pari intentione persequimur.* Itaque proximo anno Lucianus solus consulatum administrauit, quòd Heraclianus propter coniurationem dignitate spoliatus non iniuit. Ille vero postquam se damnatum audiuit, dolore victus classem maximam, atq; ornatissimam comparauit, eamq; infestam Latij littoribus intulit. ac Romæ maximum, si quando vnquam aliàs, terrorem incussit. Verum simul atque in littus egressus cum agmine militum ad vrbem ire perrexit, occursu Marini Comitis cum valido se Romanæ iuuentutis robore obiicientis exterritus, repente in fugam se dedit, & arrepta nauicula solus Carthaginem rediit. atque ibi mox militari manu, tanquam tyrannidem affectans, oppressus, interiit. Sabinum generum, cum Constantinopolim aufugisset, retractum inde Honorius in exilium egit, atque his rebus exacerbatus III Nonas Decembris decreuit, vt Heracliani nomen ex omnibus publicis, & priuatis monumentis aboleretur, delerentúrque omnia, quæ sub eo gesta esse dicerentur. Marinum etiam in Africam profectum prouinciam constituisse significauit Orosius, cum scripsit: *Marcellinum tribunum, qui Ecclesiæ Catholicæ pacem reddiderat, Marinus Comes, incertum zelo stimulatus, an auro corruptus, occidit. qui continuo reuocatus ex Africa, factúsque priuatus vel ad pœnam, vel ad pœnitentiam conscientiæ suæ dimissus est.* Tyrannis profligatis, Vandalis pulsis, Gothísque Imperio Romano pacatis, restabant Burgundiones, qui prioribus annis cum Vandalis in Galliam se contulerant, neque cum eis in Hispaniam transmigrarant. Hos igitur ad integram laudem liberatæ Galliæ comparandam deinde sibi adoriendos Constantius arbitratus est. Burgundiones autem, cum se infirmis ad resistendum opibus intelligerent, bellum auersati pacem poposcerunt. Quos Constantius & ipse, ne in aliquam forte belli difficultatem incideret, qua gloriam rerum gestarum corrumperet, libenter in amicitiam recepit, atque, sedibus ad Rhodanum assignatis, fœdere illigatos dimisit. Quod vbi Franci cognouerunt, animo vehementissime perturbati sunt. atque ægre ferentes, Burgundiones non maximis opibus homines prope nullo negotio quietas in Gallia sedes adeptos, quas ipsi tam
falsum. Boxhorn. H.U. p. 328. multis impressionibus factis obtinere non potuissent, repente collecto exercitu, Marcomere, vt opinor, rege duce, Rhenum transmiserunt, ac præter cetera oppida vrbem Treuirorum, tum prouinciæ caput, iterum ceperunt, captamq; cum diripuissent, subdito incendio combusserunt. Grauis vero præter ceteras hæc ei ciuitati incursio contigit. nam, vt scripsit Saluianus, quos hostis in excidio non peremit, eos post excidium calamitas obruit. siquidem alios impressa altius vulnera lentis

mortibus enecarunt, alios ambustos hostium flammis grauis pœna cruciauit. qui-
dam interierunt fame, quidam nuditate, alij tabescentes, alij rigentes. iacueruntq;
passim vtriusque sexus cadauera nuda, lacera, ciuium oculos incestantia, ab auibus,
canibusque dilaniata. Constantius autem in hoc rerum articulo codicillis Hono-
rij patriciatum, & consulatum adeptus, Romam reuertit. Locum eius Castinus
Domesticorum Comes obtinuit. qui, expeditione in Francos suscepta, in Galliam
citato itinere properauit. ac Constantio, Constanteque consulibus, multis prœliis 414
prospere factis, oppida occupata eos relinquere, atq; trans Rhenum se conferre co-
egit. Dum autem ille bello Francico fuit occupatus, rex Gotthorum Ataulfus dis-
cordiæ semina cum Honorio quærens, Attalum, quem secum ex Italia duxerat, ad
resumenda Augustalia insignia incitauit. Qua re ille pro insita ingenij leuitate per-
fecta, haud contemnendam hominum manum rebus nouis studentium compa-
rauit, atque aduersus Honorium se deintegro Imperatorem inferre non dubita-
uit. Quod vt Honorius audiit, Ataulfum ictum fœdus violasse interpretatus, bello
persequendum, vt hostium suorum fautorem, decreuit. ac Constantium vnicum
tum rerum suarum præsidium iterum in Galliam destinauit. &, cum rursus hæreti-
ci Donatistæ Africam prouinciam perturbarent, aduersus eos sanxit. extant eius
decreta duo ad Iulianum proconsulem Africæ missa. quorum vnum XV Kalend.
Iulias, Rauennæ datum est; alterum III Kalend. Septembris, Romæ. Constan-
tinopoli Theodosij soror Pulcheria, cuius potissimum prudentia Imperium rege-
batur, Augustæ dignitate ornata est. Honorio autem decimum, & Theodosio 415
sextum consulibus, Constantius Arelate, vt bellum faceret Ataulfo, Gotthisque,
progressus castra ad oppidum Narbonis admouit, seque vrbem obsidione pressu-
rum, nisi sibi Attalus dederetur, ostendit. atque Ataulfo id se facturum abnuente,
acrem oppugnationem instituit. Quam vim vbi Ataulfus se sustinere non posse
cognouit, Narbone constituit excedere, & cum suis in Africam transmigrare. ita
eruptione ex oppido facta, ad littus conscendendi caussa procurrit, verum, cum
naues nullas, quòd earum copiam Constantius præripuerat, inuenisset, Africa in
præsens omissa, in citeriorem Hispaniam, quæ ab Honorio tenebatur, inuasit, atq;
Attalo secum incolumitatis caussa deducto, in Tarraconensi Barcinonis oppidum
occupauit. Ibi Attalus neglectus à Gotthis, demum per dolum captus est à qui-
busdam, & ad Cōstantium ductus. Quem vt ille vidit, gaudio elatus ad Honorium
destinauit. à quo deinde in vincula traditus, ad triumphum post confectum bel-
lum Gotthicum reseruatus est. Gotthos autem postquam in Hispaniam transisse
Vandali cognouerunt, aduersarios sibi fore rati, omni ope, ne ibi essent, armis in-
ferendis enixi sunt. ac statim ad Honorium legationem miserunt, qua sibi pro Ro-
manis bellum illud depoposcerunt. verba legationis fuere: *Tu cum omnibus pacem
habe, ab omnibus pacem accipe. nos nobis confligimus, nobis perimus, tibi vincimus. immor-
talis vero erit quæstus reip. tuæ, si vtrinq; pereamus.* Procopius tradidit, Honorium cum
Gunderico rege pepigisse, vt Vandali in Hispania sedes haberent, sed à maleficio, &
iniuriis abstinerent, neq; annorū triginta præscriptione aduersus Romanos vti pos-
sent. Iam inde ab initio Placidia iniquo animo tulerat, Ataulfum maritum bellum
cum fratre Honorio contraxisse, sæpiusq; de reconcilianda concordia, Attalo ipso
dedendo, contenderat, neq; æqui aliquid obtinere potuerat. postquam autem At-
talū in potestate esse Honorij audiit, rursus summis ab eo precibus petere instititit,
vt pacem cum fratre redintegraret, quo cum primū fœdere iunctus, deinde affini-
tate fuisset. neq; id vxori tam iusta roganti homo in primis vxorius denegauit. Got-
thi vero, quibus bellū pace erat acceptius, postquā Ataulfum ad pacē eam animo Ataulfo necato
propendere viderunt, quam non solum rebus suis inutilem, sed etiā nomini defor- suffectus
mem existimarent, ipsum Barcinone per fraudem interemerunt. atq; ei, quòd filios Sigericus.
non haberet, Sigericū regē substituerunt. Inde postero anno Theodosio Augusto 416
sextū cum Palladio consule, Sigerico item, quòd ad pacē inclinaret, extincto, Valliā
suffecerunt. Ille vero, Ataulfi consilio de traiectione Africana probato, armis, naui-
giisq; instructus ad fretum Gaditanum perrexit, vt, breui illo spacio maris transmis-
so, Mauritaniam oppositam obtineret, ac nauibus conscensis eo cursum direxit.

verum sæua subito tempestate coorta, ac fœdo naufragio facto repulsus inceptum,tanquam ominosum,omisit,aduersa Alarici in Siciliam transmissione deterritus,ac de compositione & ipse cogitare instituit. Itaque Constantio exercitum in Hispaniam contra eum ducenti sese ad Pirenæum obuium tulit, ac pacem per legatos suppliciter petiit, spondens, se Placidiam, quam honeste apud se habebat, redditurum, obsidesq; in fidem daturum, si sibi contra quoque nobiles ex Gallia traderentur.&,si in Hispania se considere paterentur, pro Romanis assidue aduersus Vandalos pugnaturum. Quas conditiones Constantius libenter accepit, ac Placidia, obsidibusque receptis, atque inuicem datis, Auito Aruerno, qui pòst Imperauit, sese interponente, fœdus cum Gotthis nouum percussit. Atq; huius quidem rei præter Prosperum,& Iornandem Sidonius quoq; his temporibus proximus meminit,vbi de Auito loquitur,qui cum Constantio militauit:

varijs incussa procellis
Bellorum,regi Getico tua Gallia pacis,
Pignora iussa dare est. inter quæ nobilis obses
Tu Theodore venis.

Addit inde, Auitum ipsum adeo iucundum fuisse Valliæ regi, vt eum ad se traducere tentarit non aliter, ac Pyrrhus quondam Fabricium. idq; beneficium ab Auito esse repudiatum. Atque hic quidem primi Gotthici in Gallia belli exitus fuit. Honorius Kal. Martiis Rauenna ad ipsum Constantium, quem Comitem, & Patricium vocat, sic scripsit: *Sub clade barbaricæ depopulationis si qua aut per fugam, aut per congregationem infelicium populorum indigne,inuidioseq; commissa sunt, ad inuidiam placatarum legum à callidis litigatorum obiectionibus non vocentur.* Constituta inde prouincia, Constantius Romam decessit, ac Placidiam ad Honorium, re bene gesta, reduxit.Eorum vtrunque Honorius eximia animi alacritate recepit. præcipue vero Constantium, cuius virtute & dignitatem retinuerat, & Galliam liberauerat, duplici affecit honore.nam & consulem iterum designauit, & sororis Placidiæ matrimonio decorauit.Innocentius pontifex post cladem Romanam ecclesias vrbis reparare conatus hoc anno Decentium episcopum Eugubinum ab institutis ecclesiæ Rom. se remouentem epistola XIIII Kal.Aprilis scripta increpuit,in qua hęc verba posuit: *Quis nesciat, aut non aduertat, id quod à principe apostolorum Petro Romanæ ecclesiæ traditum est,ac nunc vsque custoditur,ab omnibus debere seruari,nec super induci,aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum,præsertim cum sit manifestum,in omnem Italiam,Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam,insulasq; interiacentes nullum instituisse ecclesias, nisi eos, quos venerabilis apostolus Petrus, atq; eius successores constituerunt sacerdotes?* His actis Honorius lætus, quòd Italiam,Galliam,Hispaniamq; prouincias, tyrannis deletis, barbarisq; compressis,
417 pacasset,vndecimum cum Constantio iterum consul iniuit. ac Romam regressus, magno apparatu,atque insigni pompa vrbem de Gotthis,& Attalo tyranno triumphans intrauit, Attalum ipsum vinctis post terga manibus ante currum ducens. quem,peracta de more pompa, truncata in pœnam repetitæ perfidiæ dextera, Liparas relegauit. In Hispania Vallia rex Gotthorum non solum vt promissa Honorio præstaret, sed etiam vt præda populum suum augeret, latiusque ditionis suæ fines produceret,Vandalos, & Alanos,sociosque eorum armis adortus est. Res maximę ad Tartessum,& Calpem extrema Lusitanię oppida gestæ.quarum meminit Sidonius in Anthemio, loquens de Ricimere Valliæ nepote, & Genserico Gunderici regis Vandalorum filio:

simul & reminiscitur illud,
Quòd Tortessiacis auus huius Vallia terris
Vandalicas turmas, & vincti Martis Alanos
Strauit,& occiduum texere cadauera Calpen.
Quid veteres narrare fugas,quid damna priorum?
Arganthonini recolit dispendia campi.
Inde furit,quòd se docuit satis esse nepotem
Illius esse viri, quo viso Vandale semper
Terga dabas.

Ex quibus intelligitur, quàm formidabilis Vandalis Vallia fuerit, & quàm non semel eos oppugnarit, atque in fugam compulerit. Huic bello Constantium etiam interfuisse Iornandes ostendit, qui in Annalibus scriptum reliquit, Constantium hoc anno Fredibaldum Vandalorum ducem in prœlio captiuum fecisse, atque ad Honorium transmisisse. Cum quidam Italiæ episcopi solemnem diem Paschatis integro mensis spacio anticipassent, diuina virtute error eorum est patefactus. In vna enim ecclesia, aqua, quæ quotannis pridie Paschatis solebat diuinitus baptismi gratia fluere, eos, qui maturius, quàm oportuit, id est, VIII Kalend. Aprilis pascha egerunt, non emanans elusit, legitimo autem die, qui erat futurus X Kalend. Maij ex more fluens, eo die pascha celebrari debere ostendit. Innocentio pontifice X Kalend. Augusti mortuo Zosimus ex Cappadocia presbyter suffectus. quem diu acriter quæstio suborta de paschate fatigauit. Sequenti anno Ho- 418
norio XII, & Theodosio VIII consulibus, V Nonas Iulias Placidia Rauennæ puerum Constantio peperit. quem Valentinianum vocauit, eum, qui post Honorium Valentinianus III. natus Imperium in Occidente obtinuit. Constantius autem, & Vallia continuato in Lusitania bello Alanos, & Sueuos apud Emeritam acie superarunt. Sueuorum inde regem Ermenericum Gundericus rex Vandalorum orto inter populos dissidio prœlio in Gallæcia prouocauit. XV Kal. Augusti sol insigniter obscuratus apparuit. Inde per Septembrem mensem stella crinita ab Oriente refulsit. VII Kal. Ianuarij
Romæ Zosimus pontifex mortuus. Eo sepulto, Monaxio, & Plintha consulibus, 419
clerus comitiorum caussa conuenit. verum dissentientibus animis alij in basilica Constantini, alij in basilica Iulij. atq; illi Eulalium archidiaconum, hi Bonifacium presbyterum sublegerunt. Quod vbi Placidia Rauennæ agens comperit, Honorium statim, qui Mediolanum decesserat, certiorem fecit. Ille autē vsq; adeo eiusmodi dissidium improbauit, vt extemplo ambos vrbe exire præceperit. Egressi Bonifacius habitauit in cœmiterio S. Felicitatis martyris via Salaria, Eulalius vero in oppido Antij ad S. Hermum. Vbi vero dies Paschatis venit, Eulalius in vrbem iniussu Imperatoris reuersus baptismum in basilica Constantiniana confecit. Bonifacius vero, vt assolebat, in basilica S. Agnetis. Quo facto indignatus Honorius Eulalium vrbe expulit, ac Bonifacium approbauit. conuocatisq; Romā episcopis ducentis quinquaginta duobus Bonifacio pontificatus adiudicatur, Eulalius vero episcopus Nepesinus esse iubetur. Extant litteræ Bonifacij ad Honorium Kal. Iuliis datæ, quibus rogat, vt operam det, ne posthac in legendo episcopo aliquid per ambitum fiat. in quibus hæc etiam inquit: *Augeretur ecclesia, nisi apud te suarū esset secura caussarum, & nisi in oppreßionibus idolorum, correctionibus hæreticorū fides tua, diuino cultū pariter cum Imperio semper florēte, vicisset. Habet refugium piū tuæ mansuetudinis animum, cum tuæ religionis veneratione coniunctum, cum quidquid huic proficiat, vos agatis & confeceratis fratribus, & consacerdotibus meis, à me legatis.* ad quas Honorius sic rescripsit: *Ad notitiam clericorum omnium volumus peruenire, vt si quid forte, quod non optamus, religioni tuæ humana sorte contigerit, sciant omnes ab ambitionibus esse cessandum. at si duo contra fas temeritate certantes fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitus sacerdotē, sed illū solum in sede apostolica permansurum, quē ex numero clericorum noua ordinatione diuinū iudicium, & vniuersitatis consensus elegerit.* Eodem anno Concilium nouū Carthagine, ad quod Zosimus viuēs legatos miserat Faustinum episcopum Potentinum, & Philippum, atq; Asellum presbyteros, kal. Iunij est conuocatum. vbi decreta de moribus ecclesiæ formandis facta sunt. simulq; à Bonifacio nouo pontifice postulatum, vt tabulas Concilij Nicæni ad se mitteret, quòd in suis caput de prouocatione episcoporū ad Romanum pontificem non extaret. Vallia rex, vt notat Prosper, crebris Vandalorum nobilitatus victoriis laborum quasi suorum mercedem à Constantio postulauit, vt sibi in Gallia sedes restitueret, ac fœdus confirmaret. Cui Constantius ex Honorij auctoritate assensit, & sancito fœdere Aquitaniam ei secundam concessit, exceptis paucis vrbibus, in primisque Biturica, & Aruerna, atque extra Aquitaniam Tolosam, quam ille sibi regni sedem asciuit. Ea pars Aquitaniæ post Vasconiæ nomine insignita est. Ita Gallia à tribus præcipue dominis hoc tempore est possessa, Romanis, Burgundionibus, & Gotthis. Romani omnia te-

nuere à Rheno ad Ligerim, exceptis Armoricis ciuitatibus, quæ vsurpata libertate defecerant. Gotthi cis Ligerim, Burgundiones vltra Rhodanum habitarunt, sed non omnia in potestate habuerunt, plerisque ciuitatibus adhuc in ditione Romanorum manentibus. Hispaniam vero citeriorem partim Gotthi, partim Romani; vlteriorem ferme Vandali cum sociis possederunt. ex quo assiduorum certaminum caussæ ad exercenda Romanorum arma non defuerunt. Quod præmonuisse placuit, ne quis error sequentia bella parum attente legentem inuolueret. Constantius filia auctus est, quæ Honoria dicta. Franci, vt notauit Sigebertus, Marcomeri regi mortuo Faramundum substituerunt. Theodosio inde IX, & Constantio III consulibus, quem annum Christiani numerabant quadringentesimum vicesimum, Honorius, siue quòd filiis careret, quibus moriens Imperij relinquere curam posset; siue, quòd præsentia reip. tempora duorum Augustorum præsidio egere censeret, consortem sibi Imperij censuit asciscendum. &, cum oculos in omnes circuntulisset, quos propinquitate coniunctos haberet, neminem habuit, quem virtutis, & prudentiæ nomine Constantio Placidiæ sororis viro, præponeret.

CONSTANTIVS AVG.

HVNC igitur solemni pompa adhibita Augustum appellatum socium sibi adesse Imperij, & curarum omnium iussit. inde Valentiniano puero eius Nobilissimi dignitatem impertiuit, &, vt moris erat, imaginem Constantij Augusti Constantinopolim ad collegam Theodosium misit. Vallia rex, haud intermisso vexandi Vandali more, & hoc anno exercitum ex Aquitania aduersus Alanos in Hispaniam duxit. atque eos tanta armorum mole inuasit, vt illi, fractis desperatione animis, regiam dignitatem dimiserint, ac se Gunderico Vandalorum regi, vt ab eo tegerentur, submiserint. Reuersus inde victor Tolosam, fato cessit, vt scribit Iornandes in Annalibus. nam in historia regnum eius vsq; ad duodecimum annum perducit. Eo defuncto, Gotthi regnum ad Theodoricum detulerunt. Pridie Kal. Octobris Hieronymus Stridoniensis, presbyter Romanus, vitam reliquit, ac propter sanctitatis, & doctrinæ magnitudinem inter Confessores, & magistros Ecclesiæ post S. Ambrosium est relatus. Quod Innocentius, & Zosimus pontifices instituerant, vt Pelagium hæreticum, & socios eius insectarentur, idem etiam Bonifacius magna diligentia præstitit. De quibus sic scripsit S. Prosper contra Collatorem: *Tunc Pelagianorum machinæ fractæ sunt, quando Innocentius nefandi erroris capita apostolico mucrone percussit. quando Pelagium ad proferendam in se, suosq; sententiam Palæstinorum episcoporum synodus coartauit. quando Africanorum Conciliorum decretis Papa Zosimus sententiæ suæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armauit antistidum. quando Papa Bonifacius piissimorum Imperatorum Catholica deuotione gaudebat, & contra inimicos gratiæ Dei non solum apostolicis, sed etiam regiis vtebatur edictis. & quando idem, cum esset doctissimus, aduersus tamen libros Pelagianorum beati Augustini responsa poscebat.* Theodosius autem, vbi Constantium ab Honorio Augustum appellatum accepit, omnino neque id factum probauit, neque imaginem eius accipere voluit. cuius rei certior Constantius, Eustasio, Agricolaque consulibus, factus, vsqueadeo dolorem non tulit, vt sexto post acceptum Imperium mense mœroris atrocitate confectus obierit. Extat rescriptum titulo de repulsis cum præscriptione trium Augustorum, Honorij, Theodosij, & Constantij datum hoc anno Idibus Martiis Rauenna. idem duo altera cum præscriptione tantum Honorij, & Theodosij data VIII Idus Iulias. ex quibus intelligitur, Constantium post mensem Martium decessisse. Eundem autem in Diuos relatum Valentinianus filius indicauit, cum pòst sanxit, vt quæ à Diuo parente suo Constantio decreta essent, inuiolata manerent. Theodosius Athenaidem Leontij philosophi Atheniensis filiam Pulcheriæ sororis commendatione sibi matrimonio iunxit, virginem cum forma, tum prudentia, virtuteq; præstantem, eamque Eudociam appellauit. In Perside Isdigerdem regem mortuum filius Bananes excepit, qui contra patris instituta asperam Christianorum persequutionem instituit. Quam rem Theodosius

ſius ſibi ferendam non arbitratus, arma parauit, atque, Ardabure duce, exercitum in Perſidem miſit. qui, Niſibi, vrbe diu obſeſſa, ſimulatque Barananem cum ingenti copiarum numero aduerſus ſe contendere audiit, ſoluta obſidione, in fines Romanorum ſe rettulit. Honorius, cum bellum à Gotthis fortiter in Hiſpania cum Vandalis geri audiret, in ſpem eius prouinciæ recuperandæ adductus, Caſtinum magiſtrum militum, vt Gotthis auxilio eſſet, in Hiſpaniam deſtinauit, Bonifacio Comite Africæ illi adiuncto, vt cum claſſe ex Africa præſto eſſet, atque æquo cum Caſtino imperio bellum gereret. hos enim duces duos rei militaris peritiſſimos hoc tempore habuit. Hi vero proximo anno Honorio XIII, ac Theodoſio X 422
conſulibus in Hiſpaniam cum copiis terreſtribus, maritimiſque profecti, arma eximia concordia intulerunt, ac multa ſtrenue, proſpereque fecerunt. Nam & Maximum, ac Iouinum, qui tyrannidem quondam inuaſerant, & adhuc rebus nouis operam dabant, in poteſtatem adduxerunt, & cum Vandalis bene vno, atque altero prœlio dimicarunt. Diſſenſio inde inter duces ex æmulatione gloriæ orta prorſus remp. perdidit. Caſtinus enim, cum Bonifacium non ducis, ſed legati loco habere cœpiſſet, id diutius Bonifacius ferre non potuit, indignum eſſe obedire ei, cui par erat imperio, arbitratus. Itaque cum claſſe inde profectus, ad Portum Romanum applicuit, atque inde in Africam prouinciam ſuam ſe rettulit. Vandali inde, quos ducum Romanorum virtus, ac concordia prope ad vltimam deſperationem adduxerat, redintegrato poſt Bonifacii profectionem bello, inſignem Caſtini imprudentia victoriam, deletis Romanorum copiis, pepererunt. Eodem anno Honorius Romæ Imperii ſui tricennalia celebrauit, ludis omnis generis regia magnificentia editis, ac triſtem ſuperioris calamitatis memoriam prorſus oblitterare nouæ huius hilaritatis, ac pompæ lætitia ſtuduit. Dum autem ludos, populo præſente, ſpectabat, Maximus, & Iouinus quondam tyranni conſpectui eius redditi eius ludicri gaudium cumularunt, omnibus bonum omen animo concipientibus, finem adeſſe ciuilium ſeditionum, domeſticarumq; turbarum ex oblatis in tanta populi gratulatione tyrannis. vt enim maximo quiſque proſperitatis deſiderio flagrat, ſic eius ſibi cogitationes ex quacunq; occaſione facillime fingit. Eodem anno Perſæ, magna clade à Theodoſio accepta, pacem petierunt, eamque impetrauerunt. atque Hunni ex Scythia egreſſi, rurſus Thraciam incurſarunt. Eudocia puellã Theodoſio peperit, quam Eudoxiam appellauit. Aſclepiodoto inde, & Mariniano con- 423
ſulibus, Honorius Roma Rauennam profectus, in ſuſpicionem venit, ſororem Placidiam, Valentiniani Nobiliſſimi pueri matrem, ſecreta cum inimicis ſuis aduerſus ſe conſilia coquere. Quod cum illa ſenſiſſet, ſibi, ac Valentiniano conſulere cupiens, ab illo diſceſſit, & Conſtantinopolim ad Theodoſium properauit, eamq; Theodoſius pro dignitate ſuſcepit. Honorius VIII Idus Auguſti ad conſules, Honorij obitus.
prætores, tribunos pl. & ſenatum Romanum de priuatis faciendis iudiciis ſcripſit, mox grauiſſimo aquæ inter cutem morbo tentatus Romam ſe reuehendum curauit. ibique XVIII Kal. Septembris eo conſumptus interiit. eius mortem crinita ſtella per multos fulgens dies præceſſit. Corpus iuxta baſilicam S. Petri in Mauſoleo repoſitum. Deceſſit, nullis liberis relictis, anno ætatis XLIII, Imperii vero poſt patris exceſſum XXIX, vir in magnis reip. tempeſtatibus verſatus, atque ad Eius elogium.
extremum ſaluo Imperio ex omnibus naufragiis, bene iuuante Deo, elapſus, vt D. Auguſtinus exiſtimauit, quòd Chriſtum eximia pietate coluerit. memorabilis autem ob id, quòd plurimis bellis ciuilibus circunuentus omnia prope ſine inſigni cæde ſedarit, non minus domeſticis hoſtibus, quàm externis, qui vno tempore omnes ætatis imbecillitate allecti eruperunt, appetitus, atq; vexatus. tantæ verò magnitudinis animi, vt corroborata ætate, cum ſe prodi videret, ne ſocero quidem, licet viro acerrimo, reip. cauſſa pepercerit. Hunc tamen non tam in aduerſis rebus conſtantia illuſtrauit, quàm captæ primum ſub eo Romæ infamia deformauit. Eo regnante in Pannoniam Hunni; in Hiſpaniam Vandali, Alani, Sueui, & Gotthi; in Galliam Alani, Burgundiones, & Gotthi certis ſedibus permiſſis accepti.

IOANNES IMPERATOR.

RAVENNAM postquam Honorium vita excessisse perlatum est, Ioannes quidam, qui commentarios Honorij scripserat, consilium inuadendi per occasionem Imperij cœpit. reque cum duobus summæ solertiæ, magnæque virtutis viris communicata, illis adiuuantibus Augustalia insignia sumpsit. ac statim siue ad referendam, siue ad promerendam gratiam alteri magisterium militum, alteri curam Palatij tribuit. Hi fuere Castinus, & Aëtius. Castinus in insequentem annum consul designatus fuerat, ex Hispania, vt diximus, paulo antè reuersus. Aëtij pater Gaudentius primoris in minore Scythia loci, militiam à domesticatu exorsus vsq; ad magisterij equitum culmen ascenderat. mater Itala, nobilis ac locuples fœmina. Aëtius ipse à puero prætorianus, tribus annis Alarici obses, deinde Hunnorum, pòst Carpilionis gener, ex Comite domesticorum curam Palatij gerere cœpit. Horum igitur auxilio Ioannes Imperator declaratus primum omnium, quos suspectos habuit, è magistratibus depulit, atque alios sibi fidos, amicosque reposuit, mox, ne iniuste dominari, aut temere quæ aliena essent, vsurpare videretur, legatos Constantinopolim ad Theodosium misit, hoc sibi dari ab illo muneris petens, vt integra gratia sua Imperio Occidentali immatura Honorij morte vacanti præesset; se deuotum omne illi obsequium præstiturum. atque ex alia parte exercitum ad occupandam Africam destinauit. Theodosius Honorij mortem auditam per aliquot dies suppressit, ac militem Salonam in Dalmatiam, vt mature nouas res in Italia molientibus occurrere posset, præmisit, ac demum Honorium diem suum obiisse vulgauit. Vbi vero de Ioannis temeritate fama ipsa deferente audiuit, leuiter commotus hominem sibi contemnendũ putauit. at, postquam venientium legatorum postulata cognouit, iracundia elatus illiberaliter habitos cum inclemente responso dimisit. qui ad Ioannem reuersi mandata Theodosij atrocia rettulerunt. Quibus cognitis, Ioannes bellum necessario sibi habendum esse perspiciens, extemplo Aëtium in Pannoniam cum ingenti auri pondere ad opportuna accersenda Hunnorum auxilia misit, qui erant ei noti, & familiari amicitia iuncti ab illo tempore, quo apud eos obses egerat, datis mandatis, vt, si Theodosij exercitus in Italiam contendisset, ipse à tergo instaret. nam se à fronte obuiam occursurum. Aëtius in Pannoniam profectus, ferocissimas Hunnorum cateruas conduxit. Eodem anno obiit Bonifacius pontifex. cum clerus Eulalium reuocari, & Bonifacio substitui postulasset, Eulalius non sustinuit. ita Cælestinus diaconus, ciuis

424 Romanus est subrogatus. Postero, quo Castinus, & Victor consulatum gesserunt, Theodosius, vt Valentiniano sex annos nato, & Placidiæ matri amitæ suæ Imperium Occidentale conciliaret, quod ad eos iure hæreditario peruenire censebat, ac simul stolidam Ioannis audaciam frangeret, qui se non solum inuito, sed etiam inscio insignia Augustalia contrectasset, expeditionem Italicam comparauit. Itaq; Constantinopoli profectus, cum Placidia, & Valentiniano Thessalonicam accessit: ibiq; eorum alteram Augustam, alterum Cæsarem declarauit. Inde Ardaburi duci, & filio eius Aspari dedit negotium, vt eos cum exercitu in Italiam reducerent, atque, Ioanne Rauenna depulso, in Imperio collocarent. Ardabures cum Placidia, & Valentiniano digressus, Salonam in Dalmatiam venit, atque ibi omne militare consilium expediuit. nam ipse, conscensis cum magna copiarum parte nauibus, Rauennam versus, vt Ioannem ex improuiso adoriretur, iter intendit: Asparem vero, Placidiam, & Valentinianũ cum altera terrestri itinere Aquileiam iussit contendere. Ac felici quidem conatu prima aggredientem haud ita multo pòst fortuna destituit. nam prospera nauigatione vsus, ad Italiam quidem appulsus est, verum sub exscensionem sæuo repente suborto vento repulsus, licet obluctans, in oram Rauennatem eiectus est. vbi à militibus Ioannis accurrentibus captus ad illum continuo est deductus. Ioannes tanto duce præter omnem expectationem potitus, ingentem lætitiæ fructum cepit. &, quoniam pacem optabat, eamq; ipso sequestre facile se adepturum sperabat, ipsum humanissime habuit, ac liberæ custodiæ tradidit. Interim Aspar, & Placidia cum Valentiniano Aquileiam adierunt,

eamq;

eamque ex improuiso captam muniuerunt, felices Ardaburis successus, & salutaria mandata opperientes. Theodosio inde vndecimum, & Valentiniano Cæsare 425 consulibus, Ardabures alieni colloquij copiam in custodia nactus, cum omnes, qui à Ioanne spoliati honoribus fuerant, tristes, ac male erga illum animatos animaduerteret, in spem certam recuperandæ libertatis ingressus, per eos Asparem admoneri filium iussit, quem ipse casum subisset, & vt propius accederet, neque egregiam bene gerendæ rei occasionem omitteret, cum Ioannes, quasi confecta victoria, omnia studia militaria remisisset. Aspar, acceptis à patre litteris, sine vlla cũctatione solus Aquileia cum equitatu expeditissimo mouit, atq; in agrum Rauennatem tacitus prodiit. Inde, pastore quodam duce, per paludem, quæ vrbi adiacebat, antea quidem inuiam, sed tum Dei beneficio peruiam magno silentio ad vrbem processit. ac, portis patentibus, vt in summa pace, inuentis, nemine non solum repugnante, sed ne sentiente quidem, intrauit. Tumultu inde ex nec-opinato armatorum introitu nato Ioannes excitus, repete, captis armis, occurrit, ac leue certamen, vt in magna omnium trepidatione, commisit. Verum à suis proditus, ac comprehensus mox ad Asparem est adductus. Aspar, insigni parta victoria, statim Ardaburem patrem custodia liberauit, & Ioannem ad Placidiam, & Valentinianum, quos Aquileiæ reliquerat, mari transmisit. Post tertium inde diem Aetius aduenit cum paratis Hunnorum auxiliis, ac prœlium atrox cum occurrente Aspare edidit. sed mox de Ioannis clade, quam ignorabat, edoctus, haud vltra sibi conandum putauit. pactisque cum Aspare initis, Hunnos promissa mercede affectos, ne cladi essent Italiæ, haud grauate remisit. Placidia, postquam Ioannem captiuum in *Ioannis cædes.* conspectum adductum vidit, ira elata hominem manu dextera iussit multari, atque in circum deuehi. ibi vero asino insidens cum omni contumelia circunductus, ac denique obtruncatus est, postquam per menses octodecim Imperium obtinuerat. Fuit autem vir hoc exitu indignissimus, siquidem, Procopio teste, ingenio miti, ac *Eius elogium.* virtute singulari fuit. neque enim aut delatoribus aures adhibuit, aut cædem vllam iniustam fecit, aut denique pecuniæ caussa quidquam patrauit. Theodosius, postquam litteris Asparis felicem rei Rauennatis exitum audiit, statim, Circensibus ludis, quos spectabat, omissis, in templum ad gratias Deo agendas processit, atque eo quoque vniuersum populum inuitauit. Inde, vt Valentinianum Augustum designaret, Aquileiam iter instituit, verum Thessalonicam prouectus, atque ibi morbo vexatus haud longius prodiit. verum mox per Helionem patricium insignibus ad illum Imperij missis, Constantinopolim repetiuit. Interim Valentinianus edicta multa ad nouum constituendum Imperium pertinentia edidit. nam ad Faustum præfectum vrbis XVI Kal. Augusti scripsit, vt omnem sectam Catholicis inimicam vrbe depelleret. & Basso Comiti rerum priuatarum, vt idem in aliis ciuitatibus faceret, VIII Idus Augusti, præcepit. Quin etiam VIII Idus Octobris ad eundem sic scripsit: *Priuilegia ecclesiarum omnium, quæ seculo nostro tyrannus inuiderat, prona deuotione reuocamus, scilicet, vt quidquid à diuis principibus constitutum est, vel quæ singuli quique antistites pro caussis ecclesiasticis impetrarant, sub pœna sacrilegij iugi solidata æternitate seruentur.* Rauennam inde cum matre profectus Idibus Octobris decreto Theodosij insignibus Augustalibus est ornatus.

CAROLI SIGONII HISTORIARVM DE OCCIDENTALI IMPERIO, LIBER XII.

VALENTINIANVS PLACIDIÆ F. AVG.



ONORIVM igitur tertius Valentinianus est consequutus. Vt autem Occidentale Imperium Honorio regnante domesticis seditionum motibus, & externis armorum incursibus, tutoribus,& ducibus regiis in excidium reip.conspirantibus, & barbaris acriore, quàm antè, impetu irrumpentibus, est tentatum; sic Valentiniano, & Placidia matre rerum potientibus, quorum in altero ætas, & praua educatio, in altera sexus, & nimia in re administranda remissio improbata est, eisdem turbantibus, ac sæuientibus barbaris, magis, magisq; concussum est. Quod deinceps ostendere, quàm diligentissime, distinctissimeq; poterimus, in maxima veterum huc pertinentium commentariorum inopia contendemus.

PLACIDIA Augusta Valentiniano filio ad Augustalem dignitatem euecto, Imperij procurationem adepta res omnes, dum vixit, pro arbitrio administrauit. itaq; iræ indulgens ex superiore bello conceptæ Rauennam vrbem diripiendam militibus dedit; ob id ciuibus vehementer infensa, quòd eos Ioanni tyranno studuisse comperiebat. Castinum autem in exilium pepulit, quòd eius præcipue opibus Ioannem ad dominatum animum intendisse putabat. Aëtio vero non solum veniam dedit, sed etiam Comitis dignitatē impertiit, quòd Hunnos sine tumultu extra Italiam dimisisset. neq; enim erat obscurum, quantum ille alere incendium potuisset, si eorum vti opera perrexisset. Rauennæ autem sedem ita constituit, vt plurimum momenti ad augendam vrbis eius dignitatē attulerit, quæ ab hoc tempore post per multos annos sedes Imperij fuit. Hos vero motus vbi in Gallia rex Gotthorum Theodoricus audiuit, rebus nouandis opportunos ratus rupto fœdere bellum Romanis mouit. quippe ex finibus egressus cum propinqua loca omnia populatus est, tum in primis Archillas oppidum oppugnauit. Ex altera parte Castinus exul rabie efferatus animum ad perturbandam domesticis armis remp. contulit.
26 itaq; Theodosio XII, & Valentiniano iterum consulibus, magna collecta militum manu in Africam transiit, ac Bonifacium Africæ Comitem, virtute eo tempore, atque auctoritate florentem prœlio lacessiuit, ipsum, si conatus procederet, inde exigere, atq; Africam sibi adiungere gestiens. verum collatis signis, fortuna cœptis aduersante, victus ab eo recessit. Hanc rem Bonifacius ipse ad S. Augustinum Hipponensem episcopum scripsit, cum eo doloris acerbitatem sui communicans. extant vtriusq; nomine hac de re scriptæ epistolæ. Hac re nunciata, Aetius Bonifacij gloriæ inuidens, vt ipsum aulica machinatione subuerteret, apud Placidiam accusauit, quòd tyrannidem in Africa moliretur, eamq; ad euocandum illum ex Africa incitauit. contra vero litteras ad Bonifacium, tanquam amici fungēs officio, misit, monens, ipsum apud Augustam fuisse perfidiæ postulatum, atq;, vt Romam eo nomine euocetur, futurum. proinde caueret, ne accederet, si capiti suo cōsulere vellet. Igitur Placidia fallacibus Aetij verbis inducta, Bonifacium accersiuit. ille vero in timorem salutis adductus, licet omnino innocēs, fideli, vt putabat, Aetij consilio parendum sibi esse duxit, neq; Africa pedem extulit. Quamobrē Placidia eo magis fidem eius suspectā habuit, & dignū hominē, qui bello vindicaretur, existimauit. Aetium vero pro syncero, ac fideli amico habens, Comitē destinauit aduersus Theodoricum regem Archillas in Gallia obsidentem. Ille vero in Galliam profectus,

Auito

Auito Auerno, qui cum Constantio fuerat, sibi ascito, Theodoricum inuasit, ac prœlio facto discedere ab oppidi obsidione coëgit. Sidonius, cum Auitum laudaret, Aëtium nihil sine Auito, Auitum multa sine Aëtio gessisse aduersus Vittungos, (sic enim Visgotthos nominat,) scribit. Eodem tempore in eadem Gallia Patroclus Arelatensis episcopus à tribuno quodam barbaro multis vulneribus est confectus, occulto Felicis magistri militum, vt creditum est vulgo, mandato. nam eius impulsu Titus etiam diaconus, vir sanctus, Romæ pecunias pauperibus distribuens interfectus est. Hierio inde, & Ardabure consulibus, Placidia eiusdem Felicis consi- 427
lium, auctoritatemq; sequuta, bellum in Africam aduersus Bonifacium intulit, Mauortio, Galbione, & Sinoce ducibus declaratis. Bonifacius, cum se Carthagine contineret, neq; sui copiam faceret, ibi acriter est obsessus. in ea obsidione Sinocis dolo Mauortius, & Galbio ceciderunt. inde nudatis insidiis Sinox à Bonifacio est occisus. Eo bello barbari à Romanis auxilio aduocati, rei naualis vsum, cuius plane rudes erant, Romanorum periculo in eorum pòst exitium didicerunt. Duces suos cæsos vbi Placidia comperit, confestim belli summam Comiti Sigeuulti commisit, ac Bonifacium maiore, quàm antè, armorum mole inuasit. Hæc res Bonifacium æquis se viribus cum Imperatore confligere posse diffisum coëgit, vt auxilia externa respiceret. Gunderico Vandalorum in Hispania regi priore anno vita functo successerant filij Guntharius puer ex legitimo matrimonio natus, & Gensericus ex concubina susceptus. hos igitur à Gotthis, Romanisq; crebris bellorũ contentionibus fatigatos opportune Bonifacius cum adisset, pollicitus est, si traiicere in Africam, & pro se arma capere aduersus Romanos vellent, se illis Mauritaniam permissurum. Qua conditione libenter accepta, Guntharius, & Gensericus cum Bonifacio Vandalos, & Alanos fretum Herculeum traiecerunt, ac nullo negotio Mauritaniam iuris sui fecerunt, anno nonodecimo, postquam ex Scythia cesserãt. Saluianus eos non Romanorum timore, sed Dei voluntate Hispania decessisse significauit, cum scripsit: *Numquid Vandali abducti à solo patrio degere intra Gallias non potuerunt, aut ne degeret, quem timuerunt, cum illæsi à nobis vsq; ad tempus illud cuncta vastauerint? sed esto. intra Gallias formidabant. quid in Hispania, vbi exercitus nostros etiam bellando contriuerant, numquid constare, aut permanere metuebant iam victores, iamq; triumphantes, qui intelligerent, sibi Romanæ reip. vires etiam cum Gotthorum auxiliis pares esse non posse?* Gensericus autem, vt scribit Victor, in Africam, Gunthario interim extincto, egressus, vt famam gentis suæ augeret omnis multitudinis numerũ iniit. inuentaq; sunt vtriusque sexus, atque omnis ætatis hominum octuaginta millia. cum autem pacatam, speciosamq; nactus esset prouinciam, omnia populatione, incendio, cædibusque permiscuit. quòd vero perfidia Arriana corruptus esset, ac proinde Catholicis Consubstantiale sentientibus infestissimus, in ecclesias, basilicas, cœmeteria, & monasteria sæuire auaritia pariter, ac crudelitate inflammatus incœpit. Etenim priuatorum ædes, quorum ianuas clausas offendit, magno impetu deturbauit. episcopos suppliciis exquisitis ad tradendum ecclesiarum aurum adegit. & quo plus dabant, eo acerbioribus tormentis, vt plus dare cogerentur, affecit. aliis palorum vectibus ora aperientes, fœtidum cœnum ob confessionem pecuniæ ingesserunt. nonnullos in frontibus, & tibiis neruis remugientibus torquendo cruciarũt. plerisq; aquam marinam, aliis acetum, liquamenq; ori apposita sine misericordia porrexerunt. onera ingentia tanquam camelis imposuerunt, & stimulis ferreis ad ambulandum adegerunt. quorum nonnulli sub fascibus misere expirauere, senio confectis, ac propter caniciem venerandis nulla misericordia impertita. pueri ab vberibus rapti ad terram elisi, aut medij secti. tecta incensa, aut solo æquata. quas vero vrbes propter munitionum firmitatem adire non potuerunt, nouo mali genere afflixerunt. quippe, interfectis in circuitu innumerabilibus turbis, tetro putrefactorum cadauerum fœtore necarunt eos, qui intus erant. In Gallia Aëtius cum Theodorico rege bellare perrexit. nam & Turones per Maiorianum præfectum defendit, vt Sidonius in Panegyrico scripsit, &, commisso cum Theodorico prœlio, fortiter adeo, feliciterq; pugnauit, vt eum pacem postulare coegerit. atque ita secundo bello Gotthico finem imposuit. Felice inde, & Tauro consulibus, Bo- 428

Vandalorum in Africam transitus.

Persecutio Orthodoxorum in Africa.

nifacius assumptis ex Mauritania Vandalis Sigeuulti summa vi in se ruenti occurrit, atque omni mole, ne Africa eiiceretur, contendit. Cum autem Bonifacij perniciosa reip. virtus assiduis hominū maledictis laceraretur, Bonifacij amici ipsum in Placidiæ gratiam restituere sunt annisi. Quippe mirantes, hominem alioqui officij, pietatisq; plenissimum de fide tam temere decessisse, voluntate Placidiæ Carthaginem adierunt, ac de re cum eo colloquuti sunt. Ille se excusare, & iusti doloris sui testes ipsas Aëtij litteras proferre. Quas vbi legerunt, rationem se reconciliandæ inuenisse gratiæ rati, confestim cum iis Romam ad Placidiam redierunt. ac Bonifacium non sua, sed Aëtij culpa lapsum esse docuerunt. Illa animo perturbata, dolore tamen suppresso, nihil cum Aëtio expostulauit, ne summum ducem exercitum habentē, & rem præclare gerentem alieno tempore irritaret. verum cum Bonifacij amicis omnia contulit, atque Aëtij fraudem detestata, iurauit, se æquam Bonifacio futuram, si ille pro re Romana stare in animum induxisset, & barbaros, quos acciuerat, ex Africa dimisisset. Bonifacius ab amicis de fraude Aëtij, & animo Placidiæ erga se certior factus, summa voluntate se facturum, quod illa postulabat, promisit, atque ita ab armis reip. inferendis discessit, animumque ad Vandalos ex Africa dimittendos conuertit. Quietis in Gallia Gotthis, Franci nouam irruptionem fecerunt. Clodio nanque rex, qui trans Rhenum in Thuringia castrum Dispargum tenebat, præmissis exploratoribus cum omnia tuta reperisset, in Belgicam secundam inuasit, ac Camaracum vrbem adortus, Romanis, qui vrbem custodiebant, oppressis, vrbe potitus est. inde, exigua ibi mora tracta, vsque ad Suminam amnem omnia, in primisq; oppidum Attrebatum occupauit, vt Gregorius scripsit. Clodionem vero vna cum Maioriano occurrens Aëtius repulit, quod ex Panegyrico pòst ipsi Maioriano Augusto à Sidonio dicto elicitur. in quo vxor Aëtij ipsum his versibus Aëtium alloquitur. (neq; enim in tantis angustiis versus quoq; ad reparandam vetustatem repudiandi sunt:)

post tempore paruo
Pugnastis pariter Francis, qua Cloio patentes
Attrebatum terras peruaserat. hinc coeuntes
Claudebant angusta vias, arcuq; subactum
Vicum Helenam. flumenq; simul sub tramite longo
Artus suppositis trabibus transmiserat agger.
Illic te posito pugnabat ponte sub ipso
Maioranus eques.

Ex hoc factum est, vt Prosper, & Marcellinus notarint, Aetium his consulibus, cæsis Francis, partem Galliæ Rheno proximam, quam illi occupauerant, recepisse. Eodem anno, vt scribit Socrates, Burgundiones, qui in Germania remanserant, quotidianis impressionibus ab Hunnis exagitati, pòst agros suos incensos, hominesq; fœdè occisos, ceteris desperatis auxiliis, ad Christum Deum opem implorantes confugerunt. atq; episcopo ex Gallia repetito, se sacro tingi lauacro postularunt. Is, cum septem dies ieiunii, præscripsisset, atque in fide illos erudiuisset, octauo demum eos abluit, & cum pace dimisit. Quo facto, ingenti inde fiducia in Hunnos reuersi, cum Optarum regem eorum cibo nimio sumpto se dirupisse, atque Hunnos sine duce esse comperissent, facto impetu tanta felicitate pugnarunt, vt Hunnorum decem millia à tribus sint Burgundionum millibus occidione occisa. Ab illo tempore Burgundiones Christum ardenti studio coluerunt. Optaro Hunnorū rege vita functo, regnum ad filios Mundzucci fratris Attilam, Bledamq; delatum est. quorū alter Attila post potētia, atq; immanitate sua superiorū omnem memoriam temporū superauit, ac toti Occidenti formidabilis suprà omnes barbaros fuit. Quiescebat à pristinis seditionū procellis Ecclesia, veteribus hæresib⁹, qua Conciliorum, qua principum intercedēte auctoritate magna ex parte sopitis, cum repente noua alia, & quidem turpissima oborta Orientales ecclesias perturbauit. ea vero à Nestorio aduersus Christū inducta eo, quo referemus, modo sublata est. Cōstantinopoli Attico episcopo quadriennio antè, nunc vero, qui in eius locū successerat, Sisinio vita functo, Nestorius presbyter Germanicia oriundus, Antiochia

monachus

monachus accersitur, homo voce canora, & lingua diserta ad docendum populum in primis accommodatus. Is IIII Idus Aprilis episcopus consecratus, cum orationem apud Theodosium Augustum haberet, clarum elatioris ingenij sui specimen dedit, cum inter cetera dixit: Mihi Imperator terram purgatam hæreticis tribue, & ego tibi cœlum retribuam. tu mihi in profligandis hæreticis subueni, & ego tibi in profligandis Persis auxilium feram. quas voces, vt à leui animo, & ventoso pectore profectas, boni omnes merito horruerunt. Quinto inde pòst die ędem Arrianorum, in qua illi furtim orabant, deturbari iussit, atque eo facto Arrianos eo furoris, ac væcordiæ adduxit, vt eam ipsi vltro subiectis facibus inflammarent. quo incendio cum vicina ædificia essent comprehensa, magnus in vrbe tumultus est concitatus. Inde Nouatianos aggressus, quòd Paulus eorum episcopus magnam modo pietatis laudem esset adeptus, vix ab Imperatore retentus est. Itaq;, vt ipse eius voluntati seruiret, edictum ad Florentium præfectum prætorio III Kal. Iunias dedit, in hæc verba: *Hæreticorum ita est reprimenda insania, vt quas ab orthodoxis tenent vbicunq; ecclesias, statim Catholicæ Ecclesiæ reddendas intelligant. quia ferri non potest, vt qui nec proprias habere debuerant, ab orthodoxis possessas, aut conditas, suaq; temeritate occupatas vltra detineant.* inde nominatim, quid aduersus singulos hæreticos statuendum sit, aperit. Post aliquot inde dies, qui se veterum hæreticorum acerbum adeò vindicem gesserat, idem nouam hæresim, eamq;, vt dixi, indignissimam intulit: & quidem hoc modo; Anastasius presbyter, qui cum ipso Antiochia venerat, & summa cum eo familiaritate coniunctus erat, iussu eius quodam die agens ad populum dixit: Nemo Mariam matrem Dei appellet, quia Maria homo erat, neq; Deus nasci ex homine potest. Quæ verba cū clerus, populusq; iniquis auribus excepissent, vt qui longe aliter à prioribus episcopis didicissent, valde animo conturbati sunt. Nestorius autem, re cognita, non solum hominem nō increpuit, vt quidem oportuit, nec sanam de Christo Deo doctrinam subiecit, sed illius quoq; sententiam, vt piam, sacris tueri auctoritatibus instituit. ac sæpe inde verbis hac de re ad populum factis, semper Mariam Christi, non Dei genitricem vocauit, atq; ita vocandam esse contendit. nam Christum ex Maria hominem tantum, non Deum esse natum, ipsumq; diuinitatem meritis esse adeptum; Dei verbum non sumpsisse carnem ex sanguine matris, sed alium esse filium, & verbū Dei, alium Christum, qui filius esset adoptiuus, & Dei gratia factus. Florentio inde, & Dionysio consulibus, Placidia Felicem Patricium, & Aetium magistrum militum fecit. Bonifacius autem recuperare Valentiniano Mauritaniam cupiens, Gensericum primum, ingentis vi pecuniæ oblata, emittere prouincia voluit; deinde pecuniam non accipientem bello se persequuturum ostendit. atque acceptis copiis, quæ sibi Roma, & Constantinopoli mittebantur, quarum Aspar erat magister, aduersus eum processit. Hunc Gensericum, vt qui per hæc tempora fuerit clarissimus, Iornandes descripsit, virum statura mediocrem, equi casu claudicantem, animo profundum, sermone rarum, luxuriæ contemptorem, ira turbidum, habendi cupidum, ad solicitandas gentes prouidentissimum, semina contentionum iacere, odia concitare paratum. Cum hoc igitur tam strenuo duce Bonifacius, & Aspar prœlium in Mauritania commiserunt, sed acie victi, intra fines suos se referre coacti sunt. captiui multi ex Romanis facti; inter ceteros Marcianus is, qui post Theodosium Orientali Imperio pręfuit, cum, Aspare duce, in Africam processisset. accidit autē, vt, prœlio confecto, Gensericus captiuos in vnum locum compulerit, quo prędam ex specula prospicere posset. ceteris autem iussu eius solutis, Marcianum animaduertit somnum aperto cœlo capientem, atq; aquilam aliunde aduolantem expansis alis ipsum ab solis ardore tegentem. Quod vt vidit, mirabundus continuo, quod futurum erat, coniecit, & accitum ad se hominem libertate donauit sacramento fidei obligatum, vt ad Imperium euectus sibi, ac Vandalis esset amicus. Hac victoria parta, Gensericus è Mauritania in Numidiam, reliquamq; Africam sese cum exercitu intulit, atq;, Bonifacio resistere nequeunte, eam vastare instituit. siquidem oppida ipsa excidit, agrestes alios cęde strauit, alios fuga dispersit. qui vero in syluas, aut speluncas, aut ad alias munitiones profugerant, partim ferro necauit, partim necessariis præsidiis,

419

Anastasij presb. — *Genserici elogium.* — *Marcianus captiuus miraculo liberatus.*

vt fame contabescerent, spoliauit. Ecclesiæ porro aut crematæ, aut sacerdotibus, & ministris exhaustæ. sacræ virgines, & continentes viri aut dissipati, aut tormentis cruciati, aut nece, aut seruitute affecti, vsqueadeo vt nō essent, qui hymnos, laudesque Dei in ecclesiis solitas canerent. demum res diuina ita extincta est, vt frustra quærerentur, qui sacramenta aut poscerent, aut traderent, superstitibus sacerdotibus ad eam inopiam rerum necessariarum adductis, vt cibum quotidianum corrogarent. Quæ mala cum S. Augustinus videret, vehementer animo cruciatus est, quòd quæ necessaria erant, omnia suppeditare non poterat, ac simul multarum animarum perniciem lamentatus est. Itaq; scribendi munus, in quo assidue desudabat, intermisit. Id quod Victor his verbis prodidit: *Genserico Hipponem obsidente, Augustini flumen illud eloquentiæ, quod vbertim per omnes campos Ecclesiæ decurrebat, ipso metu siccatum est.* Cum autem tres essent ecclesiæ, ac ciuitates adhuc ab hostili furore intactæ Carthaginiensis, Hipponensis, & Cirthensis, quòd ad mare locatæ operosiorem expugnationē haberent, ecce derepente Gensericus Augusto mense exercitum ad oppidum Hipponis adduxit, atq; arcta obsidione admota, statim vsum maritimi auxilij dempsit. atq;, Bonifacio acriter vrbem tuente, eam obsidionem in multos menses extraxit. Cum autem Augustinus, adhibitis familiaribus suis, interim Deum assidue oraret, vt aut vrbē periculis obsidionis eximeret, aut seruis suis ad suam perferēdam voluntatem animos adderet, aut certe ipsum ad semet de hoc seculo euocaret; factū est, vt tertio illius obsidionis mense graui febre tentatus sit. ex qua cum diutius in lecto decumbere cogeretur, aliquot immundis spiritibus, & morbis aliis affectos, cum ad se opem imploratum venissent, sanauit. consultus est etiam ab Honorato Thabennensi episcopo, num episcopi tantis se subducere calamitatibus deberent, cum scriberet: *Si in ecclesiis persistendum est, quid simus nobis, vel populo profuturi, non video, nisi vt ante oculos nostros viri cadant, fœminæ constuprentur, incendantur ecclesiæ, nos sub tormentis deficiamus, cum de nobis quæritur, quod non habemus.* cui ita ille respondit, vt rationem fugæ vniuersam in tantis malis, patefacta doctrina euangelica, demonstrarit. In Oriente vero Nestorio hæresim tueri suam non desinente, ac commentarios suæ opinionis in vulgus edente, Cyrillus Alexandriæ episcopus, vir eruditionis, atque innocentiæ singularis, magno dolore, perinde ac debuit, tulit, Christi diuinitatem Concilio Nicæno defensam nouis opinionibus in controuersiam reuocari, atque ipsi, synodo habita, communione interdicere voluit. deinde hominem subleuandum potius, quàm affligendum existimans, litteras ad eum misit; hortans, vt errorem illum abiiceret, & saniora consilia sequeretur. neque quidquam profecit. Interim vero Dorotheus episcopus, cum forte Constantinopoli versaretur, in synaxi ecclesiæ, præsente Nestorio, clara voce ex solio dixit: Siquis Mariam Deiparam appellarit, anathema sit. Quem populus ingenti clamore excepit, significans, se verba eius horrere, neq; cum eo, qui huius sententiæ esset, inire communionem velle. Itaque maxima pars populi, monachi, & eorum archimandritæ, & pleriq; senatorum ab illius congressu se remouerunt. Cum autem, Nestorianis concionibus in Ægyptum perlatis, res turbari, atque homines fidei caussa inter se tumultus ciere, Cyrillus comperisset, metuens, ne ea labes contempta latius serperet, epistolam ad omnia Ægypti monasteria scripsit, nutantesq; in fide confirmare contendit. quę mox Constantinopolim delata, multis saluti fuit. ex quo Nestorius multo magis Cyrillo succensuit. Qua re cognita, Cyrillus iterum ad eum scripsit, præter cetera inquiens, se Cęlestino pontifice Rom. iubente, ceterisque episcopis, qui ei in Concilio affuissent, postulantibus cogi inuestigare, num commentarij illi, qui ad se perlati essent, ab illo, an ab alio quopiam emanassent. cui Nestorius à presbytero Lampone rogatus nō sine aliqua animi acerbitate respondit. Cum autem Orientales episcopi, & præcipue Macedonici in Nestorij sententiam irent, ac Nestorius ea re inflatus Expositiones opinionis suæ ad Cælestinum, eadem confirmans, misisset, tum Cyrillus quattuor episcopos Alexandriam aduocauit, atq; ex eorum auctoritate de his rebus omnibus Cælestinum admonuit, &, quid sibi opus facto esset, consuluit. neque enim se Nestorium ferre posse, nec tamen illius iniussu communione illi interdicere voluisse. quamobrem rogare eum,

vt suam super hac re sententiam ad Orientales, & Macedonicos episcopos scribat, simulq; epistolas Nestorij ad se missas, & Expositiones eius adiunxit, atque omnia per Posidonium diaconum Romam perferenda, &, si Nestorium sua pontifici tradidisse comperisset, offerenda curauit. Cum autem Oriens Nestoriana labe inficitur, infectúsque indies vehementius perturbatur, Agricola Seueriani filius Britanniam in alio prope terrarum orbe sitam Pelagiana hæresi maculauit. Britanni vero, cum neque peruersam doctrinam, qua gratia Christi peruertebatur, suscipere vellent, neque fallacias contrariæ opinionis refutare verbis valerent, auxilium à Gallicanis episcopis postularunt. Illi conuocati ex Cælestini pontificis auctoritate, Germanum Antisiodorensem, & Lupum Tricassinum episcopos sanctitate, atque eruditione præstantes ad id muneris delegerunt. Qui, teste Beda, iussis eorum obedientes continuo iter ingressi sunt, atque ad portum profecti traiiciendi caussa oram soluerunt. Dum autem cursum prospere tenent, ecce derepente summam cœli, marísque tranquillitatem sæua adeo ventorum, vndarúmque tempestas inuoluit, vt parum abesset, quin nauis obrueretur. Tum S. Germanus à ceteris metu trepidantibus excitatus, Christi nomen implorat, atque, aspergine aquæ accepto, in nomine S. Trinitatis ventos, fluctúsque perfurentes compescit. quo facto, secundo rursus aspirante vento, reliquum nauigationis confectum est. Sacerdotes benigno incolarum occursu excepti, statim populum illum opinione, prædicatione, ac virtutibus impleuerunt. cum immundos spiritus ex obsessis corporibus pellerent, ipsos audierunt, aperte concitatam à se tempestatem, & illa conflata pericula confitentes. Cum autem plerique ciuium rectæ assensi doctrinæ fuissent, tandem qui in pertinacia manserant, bene culti, ac comitati processere in medium. &, cum ad insignis colloquij spectaculum omnis ætatis, sexus, gradúsque homines confluxissent, à sacerdotibus copiam disputandi obtinuerunt. demum autem, cum nuda, & inania verba loquuti, ac certis subinde diuinæ scripturæ testimoniis conuicti respondere non possent, se errasse confessi sunt. Ita Concilium ingenti populi clamore dimissum. Interim Germanus, admirandis multis operibus editis, sese populo Britanno venerabilem reddidit. cum enim puella luminibus capta ipsi esset oblata, Pelagianis eiusmodi curationem à se amolientibus, Germanus, inuocata Trinitate, capsulam Sanctorum reliquiis refertam oculis puellæ admouit, ac statim, tenebris cæcitatis expulsis, illuminauit. Progressus inde ad S. Albani sepulchrum, illo aperiri iusso, reliquias sanctorum apostolorum, & martyrum secum allatas ibi reposuit, ac cruentum Albani martyris puluerem inde abstulit. quo facto, ingens ad Deum conuersa est multitudo. cum porro in hospitio, in quo ipse ægrotans iacebat, graue casu excitatum esset incendium, illud vehementius homines mouit, quod quæ acris hominum sedulitas custodiuerat, omnia vis ignis exhausit. quæ vero vir sanctus tetigit, ipsa omnino flamma non læsit. Eo primum tempore Britannia à Romanis, vt dixi, dimissa, à veteribus agitari hostibus est incœpta. Hi fuere Picti, qui assumptis secum ex Hybernia Scotis, cum Britanniam Romano præsidio, & propria iuuentute spoliatam audirent, iunctis viribus partem aquilonarem insulæ inuaserunt. Quorum aduentu oppressi Britanni reliquis abscissis auxiliis, legatos ad Aetium in Galliam opem implorantes miserunt, atque ab eo vetus legionis auxilium impetrarunt. Ceterum cum in castra compulsi vires suas hostibus impares iudicarent, Sanctorum, qui tum in insula erant, præsidium inuocarunt. qui aduenientes tantum alacritatis omnibus iniecerunt, vt maximi accessisse vires exercitus crederent. Hostes autem, cum per dies Quadragesimæ exercitum salutari lauacro à sacerdotibus accipiendo intentum audissent, locum sibi eos aggrediendi tanquam inermes datum rati, post Pascha in aciem processerunt. Dux erat Britannis Germanus. is quosdam in insidiis collocatos monuit, vt vocem suam attenderent, atque editam ingenti clamore repeterent. vbi vero hostes aduentare ab exploratoribus didicit, clara voce ter Alleluia inclamauit. quam cum occulta cohors excepisset, tantum hostibus terroris incussit, vt abiectis armis in fugam se tradiderint. Hostibus profectis simul Romana legio, ac sancti antistites domos suas repetiuerunt. Britanni muro ex cespite facto se aduersus incursum ho-

stium muniuere. is murus in media insula duos inter se diuersos maris sinus commisit.

430 Theodosio inde XIII, & Valentiniano III consulibus, qui fuit annus à Christo nato supra tricesimum quadringentesimus, Picti, & Scoti, vbi legionem Romanam Britannia excessisse, insulamq; à solis teneri Britannis cognouere, iterum ad eandem infesti se contulere, ac cæde, & populatione omnia miscuere. Qua re audita Aëtius iterum summis Britannorum precibus ad tuendam insulam excitatus, legionem remisit. quæ prœlio facto hostes iterum expulit. monitosq;, vt posthac suis se viribus tuerentur, quòd difficultate tam longinquæ expeditionis eis adesse non posset, reliquit. Tum à Britannis murus firmior, quippe ex lapide eo, quo diximus, loco constructus est. Et hoc anno Gensericus in Africa Hipponis obsidionem magna animi pertinacia, atque armorum mole continuauit. cuius obsidionis mense tertiodecimo Augustinus siue morbi pertinacia, siue doloris acerbitate victus tandem v Kal. Septembris migrauit ad cœlos. libris Iuliani hæretici Pelagiani respondens, & gloriose, vt inquit Prosper, in defensione Christianæ gratiæ perseuerans. Eo mortuo sequenti mense Hippon in ditionem Vandalorum adducta vltima malorum omnium, quæ hostilis inferre rabies posset, est passa. Romæ Cælestinus, Cyrilli, ac Nestorij litteris acceptis, actisq; perspectis, Concilium episcoporum è uestigio aduocauit, atque ex eorum sententia IIII Idus Augusti ad Nestorium scripsit, vt intra decem dies ad sanitatem rediret, alioqui se illi communione sciret interdicturum. postridie vero ad Cyrillum, vt partes suas susciperet, & Nestorium, nisi intra dies decem resipuisset, communione repelleret, inquiens: *Nostræ sedis auctoritate ascita, nostraq; vice, & loco cum potestate vsus acriter eiusmodi sententiam exequeris, vt nisi Nestorius decem dierum interuallo ab huius nostræ admonitionis die numerandorum nefariam doctrinam suam conceptis verbis detestetur, ilico sanctitas tua illi ecclesiæ prospiciat.* Item ad clerum, & populum Constantinopolitanum: *Quia in re tam ardua nostra præsentia propemodum necessaria videbatur, neque tamen propter interiectum mare, longiq; itineris interualla commode id satis fieri queat, fratri nostro Cyrillo nostrum munus, nostramq; personam imposuimus, & sententiæ in ipsum latæ formulam ad vos misimus.* Scripsit etiam ad Ioannem episcopum Antiochenum, atque alios in eandem sententiam. His litteris acceptis, Cyrillus tertiam, vt ipse inquit, epistolam ex synodi Alexandrinæ sententia ad Nestorium misit, mandans, nomine Cælestini, vt intra decem dies abiuraret, sin minus, se communione spoliatum, sciret. præscripsit autem quæ illi confitenda, & quæ abiuranda essent. fuere autem duodecim capita Anathematismi vocata. quin etiam clerum Constantinopolis monuit, vt nisi Nestorius saniora sensisset, ab eius se congressione secerneret, & eis vteretur, quos ille anathemati subiecisset, ac loco mouisset. Quibus mandatis neglectis, Nestorius ad Theodosium sese contulit, eumq;, vt litteras ad Cyrillum mitteret, impulit, graues, ac minarum plenas, nisi secum consensisset. Quibus Cyrillus haudquaquam exterritus libellos ad Theodosium, Eudociam, & Pulcheriam misit, quibus fidem suam rectam, Nestorij vero nefandam ostendit. Interim, cum monachi Catholici fœde à Nestorio vexarentur, Basilius archimandrita, vir sanctus, rem nõ ferendam ratus, ad Theodosium detulit, atque, vt Concilium huius componendæ controuersiæ caussa indiceret, postulauit. Cuius verbis permotus Theodosius, mense Nouembri ex Cælestini auctoritate litteras ad omnes metropolitanos misit, edicens, vt ad proximam Pentecosten Ephesi omnes adessent, vt huic cõtrouersiæ modum imponerent; adiiciens, se excusatum neminem vel apud Deum, vel apud homines habiturum, qui ad tempus non affuisset. neque enim bonam conscientiam declarare, qui ad sacrum conuentum vocati legitime non accurrant. ad Cyrillum autem scripsit partim increpans, quòd separatim ad se, & ad reginas de fide scripsisset;

431 partim mandans, vt Ephesi ad diem metropolitanis indictam adesset. Basso inde, Antiochoq; consulibus, Gensericus Hippone potitus, ad alias Africæ partes arma circumtulit, &, populatis late agris, rem varie cum Bonifacio gessit, ea in Catholicos supplicia exercere insistens, quæ ab initio significauimus. Constantinopoli annona, atque incendio laboratum est. ex vtroq; incommodo ingens tumultus exarsit. Barbari in vrbe educati odio religionis hostiliter ecclesiam inuaserunt, dumq;

faces

faces ad inflammandum altare iaciunt, ipſi ſe inter ſe diuino iudicio confecerunt. Theodoſius autem, cum ad Horrea publica leuandæ inopiæ cauſſa procederet, à populo eſuriente lapidibus appetitus eſt. Interim Cæleſtinus Romæ negotium eccleſiæ magna ſolertia adminiſtrauit. Nam & Neſtorij hæreſim ex Concilij ſententia condemnauit, quiq; cum eo ſentirent, communione remouit. & Arcadium, ac Proiectum epiſcopos, ac Philippum presbyterum ad Concilium Epheſinum legatos cum mandatis, atq; hac ſententia deſtinauit. Quin etiam Palladium epiſcopum inſtituit, eumq; ad Scotos nuper Chriſtianis ſacris imbutos miſit. vt merito Proſper in libro contra Collatorem ſic ſcripſerit: *Cæleſtinus Pelagiano morbo Britannias liberauit, quando quoſdam inimicos gratiæ ſolum ſuæ originis occupantes etiam ab illo ſecreto ſecluſit Oceani, & ordinato Scotis epiſcopo, dum Romanam inſulam ſtudet ſeruare Catholicam, fecit etiam barbaram Chriſtianam.* Quæ dum ille agit, epiſcopi Epheſum conuenere. Neſtorius, quòd nō longe Conſtantinopoli ab Epheſo abeſſet, paulo pòſt dies Reſurrectionis cum Græciæ epiſcopis primus aduenit. Quem conſequutus Cyrillus & ipſe cū epiſcopis Ægyptiis ante diem Pentecoſtes acceſſit. Quarto inde poſt Pentecoſtem die Iuuenalis Hieroſolymitanus cū Palæſtinæ epiſcopis præſto fuit. Capreolus Carthaginis archiepiſcopus, cum epiſcopos mittere ſuos vellet, propter bellum, quo Africa vrebatur, abſtinuit, ſed Beſulam diaconum cum litteris ſeſe purgantibus miſit. Ioannem Antiochenum Cyrillus, qui partes Cæleſtini agebat, per dies quindecim expectauit. monitus inde ab epiſcopis Apameno, & Hieropolitano, ne Ioannem expectando Concilium traheret, poſtridie, qui fuit x Kal. Iulias, epiſcopos in ædem, quæ S. Mariæ dicebatur, aduocauit. Ibi cum omnes, excepto Neſtorio, conſediſſent, Petrus presbyter Alexandrinus, & notariorum primicerius dixit: Cum Neſtorius nonnullas Expoſitiones ediderit, quæ ſeditionem in Eccleſia concitarint, ac Cyrillus vnam, atque alteram ſuper ea re epiſtolam ſcripſerit, quibus ille ita reſponderit, vt opinionem ſuam tutatus ſit; cumq; Cyrillus, cognito, Neſtorium libellos, & Expoſitiones ſuas Romam miſiſſe, & ipſe Poſidonium cum ſuis ad Cæleſtinum deſtinarit, ac quæ oportebat, Cæleſtinus reſcripſerit, ac propterea iuſſu Theodoſij Concilium aduocatum ſit, ſignificamus vobis, nos eiuſmodi ſcripta in manibus habere, eaq; vobis recitare paratos eſſe. Quem Iuuenalis Hieroſolymitanus excipiens, Legatur, inquit, edictum Imperatorum ad omnes metropolitanos de conueniendo miſſum. Immo vero, Firmus Cæſarienſis ſubiecit, Memnon huius vrbis epiſcopus exponat, quot elapſi ſint dies, poſtquam nos in hanc vrbem conuenimus. Tum Cyrillus: Sancta ſynodus hucuſque expectauit epiſcoporum, qui venturi ſperabantur, aduentum. quia vero multi in aduerſam valetudinem inciderunt, videtur de iis, quæ ad fidem conſtituendam pertinent, eſſe agendum. proinde illa ſcripta, quæ præſentis negotij ſunt, recitentur. Cum autem Neſtorij præſentia deſideraretur, epiſcopi quidam rettulere, ſe illum domi pridie conueniſſe, atque, vt hoc die adeſſet, monuiſſe, illum vero ſe conſideraturum, &, ſi oportere iudicaſſet, venturum, reſpondiſſe. Qua re audita, epiſcopi alij ad eum citandum ſunt miſſi. qui reuerſi renunciarunt, ſe poſt multā ad fores moram reſponſum à clerico rettuliſſe, Neſtorium, vbi epiſcopi omnes cōueniſſent, propius acceſſurum. Quin etiam alij, qui tertio euocarent, profecti renunciarunt, ſe inſolentius ab armatis eius ſatellitibus habitos nullum reſponſum elicere potuiſſe. Quibus auditis, Iuuenalis, Quoniam, ſatellitibus, inquit, aditū prohibentibus, quarta euocari citatione non poteſt, iam quæ fidem attingunt, aggrediamur. Itaq; res hoc ordine acta eſt. primum fidei ſymbolum recitatum eſt Nicæno Concilio cōſtitutum, tum prima epiſtola Cyrilli ad Neſtorium, eaq; cum Nicæno ſymbolo cōgruere iudicata eſt. inde reſpōſio Neſtorij, quæ, vt ab eo diſſentiens, digna anathemate viſa eſt. tum Cæleſtini vnæ, & Cyrilli alteræ ad Neſtorium litteræ lectæ, eæq; ambæ recte, atq; ex fide ſcriptæ ſunt iudicatæ. Acacius inde, & Theodorus epiſcopi pro teſtimonio dixerunt, ſe ante triduum audiſſe, Neſtorium in congreſſu epiſcoporum dicentem, Deum bimeſtrē, aut trimeſtrē appellari nō oportere. Proditæ inde ſunt patrū ſuper hac quæſtione ſentētiæ, tum Expoſitiones Neſtorij lōge ab his alienæ. Quibus reb. confectis, epiſcoporū amplius ducentorū conſenſu decretū eſt aduerſus Neſtoriū,

vnam esse Christi, & Dei personam. duas vero eiusdem naturas sine vlla confusione, ac diuisione inter se vnitas; vnum rursus, eundemq; Deum simul esse, ac sacram virginem Mariam vere, propriéque Deiparam esse. Inde sententia in Nestorium hæc est pronunciata: *Cum præter alia reuerendissimus Nestorius neque vocationi nostræ paruerit, neque sanctissimos episcopos à nobis missos admiserit, necessario eò descendimus, vt de impietate eius inquireremus. Et quoniam ex epistolis, & scriptis eius, quæ lecta sunt, & ex verbis, quibus in hac vrbe est vsus, & testium dictis, quæ audiuimus, impie eum & sentire, & docere deprehendimus, necessitate nobis à legibus, & sanctissimi patris Cælestini episcopi Rom. epistola imposita, cum multis lacrymis ad hanc sententiam venimus. Qui igitur ab eo maledictis appetitus est, Dominus noster Iesus Christus per præsentem sanctam synodum decreuit, Nestorium à dignitate episcopali, & omni sacerdotali conuentu esse remouendū.* Dimisso inde sub noctem Concilio, patres ad tecta sua se receperunt, prælucentibus funalibus, ac multis cum lætitia prosequentibus. postridie sentētia per publicos præcones enunciata, & foribus ædis affixa, atque ad ipsum, & ad clerum Constantinopolitanum, & Imperatorem Theodosium missa. Vicesimo inde die post Pentecostem, qui fuit VI Kal. Iulias, Ioannes Antiochenus aduenit, ac, nondum puluere pedum excusso, conuentum episcoporum suorum in diuersorio habuit. Ibi Candidianus Comes à Theodosio, vt tumultum in Concilio coerceret, iampridem missus dixit, se optasse, coactæ synodo litteras Imperatorum reddere; verum, cum ante quinque dies, se repugnante, synodus haberetur, se sacram Imperatorum recitandam præbuisse, atque eos, ne quid præcipitanter agerent, monuisse. atque illos, episcopis Nestorianis exactis, festinanter omnia perfecisse. quibus dictis sacram recitauit. Quibus de rebus, licet falsis, Ioannes accensus, ex synodi suæ sententia Cyrillo, & Memnoni dignitatem, Concilio vniuerso communionē ademit. Theodosius autem Cyri episcopus duodecim capita à Cyrillo abiuranda proposita oppugnauit. atque hæc omnia acta Ioannes ad Theodosium misit, petens, vt Concilium Chalcedonem, aut Nicomediam transferretur, & tres episcopi ex quauis prouincia eò tantum admitterentur. Interim legati Cælestini aduersa nauigatione fatigati venerunt. VI Idus Iulias, episcopis in Memnonis basilica considentibus, inierunt, ac Cælestini litteras reddiderunt, quas Siricius Romanæ ecclesiæ notarius primum latine scriptas, deinde græce conuersas recitauit, in hanc sententiam: se illos legatos mittere, vt Concilio interessent, atque illius decreta sancirent. Inde postularunt, vt quæ aduersus Nestorium acta essent, exponerentur, eaq; audita sine vlla hæsitatione firmarunt. Concilium inde Theodosium de legatorum aduentu, actorum comprobatione, & Nestorij damnatione admonuit, ac simul, vt sibi abeundi, & Constantinopolitanis noui creandi episcopi copia fieret, flagitauit. Cyrillus autem, & Memnon, quos Ioannes exauctorauerat, libellis suis oblatis Concilium obsecrarunt, vt, antequam discederent, caussam suam cognoscerent, ac suæ innocentiæ adessent. quorum preces iustas esse Concilium statuens, XVII Kal. Augusti ter Ioannem ad reddendam actorum suorum rationem citauit. atque, vbi non affuit, & ipsum, & qui cum eo conspirauerant, dignitate, & communione multauit. Cyrillum vero, & Memnonem vinculo, quo illigati videri poterant, soluit, legatis Cælestini omnia suo suffragio confirmantibus. atque his de rebus omnibus Cælestinum edocuit. Interim Nestoriani, qui erant Constantinopoli, cum sententiam Concilij aduersus Nestorium cognouissent, omnibus maris, terræq; aditibus occupatis, dedere operam, ne litteræ Ephesо perferri Constantinopolim possent. venere tamen à Concilio missæ, quibus in æde D. Mocij martyris recitatis, populus anathema Nestorio ingeminatis vocibus affirmauit. venere etiam aliæ ad clerum supplicationes pro boni episcopi subrogatione indicentes. quibus Dalmatius archimandrita omnium nomine gratias egit. Theodosius autem actis vtriusq; partis acceptis ad Ioannis partes se contulit, ac XIII Kal. Augusti non minus Cyrillum, & Memnonem, quàm Nestorium recte condemnatum iudicauit. atque episcopis, vt eandem quæstionem, antequam Epheso discederent, deintegro tractarent, mandauit, iis litteris Ephesum perlatis Cyrillus, & Memnon in custodias dati sunt. nemo tamen cum Ioanne communionem iniuit. Ea de caussa septem ab

vtraq;

vtraq; parte episcopi legati ad Theodosium missi sunt, vt ipsum de omni re acta do-
cerent. Cum omnes coram caussam suam orassent, Theodosius veritate perspecta
episcopos Orientales damnauit, ac Cyrillum, & Memnonem liberauit. atque epi-
scopis, qui Constantinopolim conuenerant, vt alium Nestorio sufficerent, impe-
rauit. VIII Kal. Nouembris Maximianus presbyter substitutus est. qui statim Cy-
rillo per litteras victoriam de Nestorio partam est gratulatus. Cui Cyrillus magnæ
cum lætitiæ significatione respondit. Inde permissum est singulis, vt ad suas se ci-
uitates referrent. Aëtio inde, Valerióque consulibus, Bonifacius Comes ex Afri- 432
ca Romam Placidiæ vocatu decessit, & magistri militum dignitatem obtinuit.
Mox Aëtium veterem suæ laudis obtrectatorem singulari certamine fidei suæ pro-
bandæ gratia prouocauit. commissoque Placidiæ permissu prœlio superauit. quam
ob caussam Aëtius dignitate nudatus in agrum se contulit. Tertio inde pôst mense
Bonifacius lethifero morbo tentatus, cum se morti proximum cerneret, Pelagiam
vxorem, mulierem locupletem, vt Aëtio nuberet, obsecrauit. Trigetius inde, qui
Bonifacio successor in Africa erat datus, Genserico omnia percursanti pro viribus
restitit. res tamen eius, vt multæ aliæ, memoratu dignissimæ, perierunt. Eodem
anno Cælestinus pontifex ecclesia teterrimo dissidio liberata, ac dignitate pontifi-
cia egregie conseruata decessit. Locum eius Xystus III presbyter, ciuis item Ro-
manus, obtinuit. Cujus, vt in pace, studium omne in ornandis vrbis Ecclesiis præ-
cipue enituit. Ioannes Antiochenus Epheso Antiochiam repetens, Nestorium se-
cum deduxit, atque apud se in monasterio eodem, ex quo euocatus ad episcopa-
tum fuerat, habuit, ac simultatem cum Cyrillo exercens duas inter se ecclesias An-
tiochenam, & Alexandrinam turpi admodum dissidio separauit. ac triennium in-
de variis cum eo certaminibus Anathematismos eius oppugnans exegit. Cui Cy-
rillus haudquaquam sui oblitus acerrime se pro Catholica veritate opposuit. Se-
quenti anno, quo Theodosius XIIII cum Maximo postea Imperatore gessit con- 433
sulatum, nouum in Gallia bellum est ortum. Gundicarius namq; rex Burgundio-
num priore fœdere neglecto defecit, ac finibus suis egressus in Belgicam incursa-
uit, atque omnia hostili tumultu repleuit. Hac re accepta, Valentinianus iam an-
nos XV natus Aëtium aduersus eum destinauit ducem. Hic enim, cum in agro pri-
uatus versaretur, ab inimico suo insidiis appetitus Romam se contulerat, atque in-
de prouectus in Dalmatiam, demum in Pannoniam, ad Hunnos confugerat, atque
eorum opibus vsus, pacem principum, & ius interpolatæ potestatis receperat. Ab
illo igitur, homine rei militaris eruditissimo, eodemq; fortissimo Belgica Gundi-
carius est expulsus. vnde dixit Sidonius: Aëtius

post Vittungos, & Norica bella subacto
Victor Vindelico Belgam Burgundio, quem trux
Presserat, absoluit.

Eadem ratione Trigetius quoque in Africa nefarios sæuientis in dies magis Gen-
serici conatus coercere contendit. Aspare inde, & Areobinda consulibus, in Gal- 434
lia, & in Africa prospere ab iisdem etiam ducibus est pugnatũ. nam & Aetius Gun-
dicarium, & Trigetius Gensericum variis prœliorum contentionibus ita fatiga-
runt, vt eorum vterque verba de pace instauranda, & fœdere componendo intu-
lerit. Augustalis autem domus haud leui laborauit infamia. Honoria enim Valen-
tiniani soror, cum ad aulæ decus virginitatem tueri cogeretur, ac libidine inflam-
mata Attilam Hunnorum regem in Italiam ad sui connubium inuitasset, voti fru-
strata, libidinem cum Eugenio procuratore suo expleuit. grauidáque facta à Va-
lentiniano Constantinopolim ad Theodosium amandata est. Theodosio inde XV, 435
& Valentiniano IIII consulibus, Valentinianus Augustus, annum Imperij sui de-
cimum feliciter ingressus, Romam contendit, atque ibi decennalia vota solemni
ludorum magnificentia celebrauit. ac tertium Idus Februarias pacem per Trige-
tium cum Genserico composuit, Numidia Hipponensi ad habitandum concessa.
& Belgica bello Burgundionico liberata per Aetium fœdus cum Gundicario re-
nouauit. Quæ res ingenti gratulatione ab omnib. Italiæ populis est excepta. Romæ
vero cum esset, nouo, ac memorabili Xysti pontificis iudicio interfuit. quod falso

ab iniquis hominibus intentatum eum, quem decuit, exitum est adeptum. Bassus namque exconsul, & Marinianus Patricius ob acceptam gratiæ postulatæ repulsam infestiores effecti, crimen perdendi hominis gratia confinxerunt, eumq; apud præsentes Augustos de stupro sacratæ virgini illato insimularunt. quo crimine audito, Augusti, ac maxima pars populi ab eius se communione remouit. Quod vbi Xystus animaduertit, Deo, atque innocentia fretus, in basilicam S. Petri concessit, & astante populo per Leonem diaconum aduersarios ad probanda, quæ intulerant, crimina inuitauit. Cui populus eiusmodi iudicium Augusto, aut clero mandandum esse respondit. Itaque, cum Valentinianus senatum, Xystus clerum, ac monachos aduocassent, conuentus in basilica Heleniana, quæ Sessorium dicebatur, est habitus. cui affuere exconsules Paterius, Maximus, Anatolius, & Bassus; Patricij Marinianus, Albinus, Sigeuultes, & Honoratus. præterea præfectus vrbis Euthymius; expræfecti Valerius, Claudius, & Fonteius; presbyteri XLVIII, & diaconi quinque. Ibi sedentibus cum Augusto omnibus, Epiphanius presbyter manantibus lacrymis aduersarios monuit, vt accusationem peragerent, ne tam turpis infamiæ labes in Ecclesia resideret. cui Maximus exconsul, immo vero quiescant, inquit. neque enim fas est, iudicium de pontifice Romano constitui. quibus auditis Xystus subiecit: Quanquam ego eiusmodi recusare iudicium pro potestatis amplitudine possum, tamen subire placet, vt veritas ad liquidum exploretur. Tum Valentinianus ad Bassum: Explica accusationem tuam, memor, te, nisi probaueris, pontifici, atque Ecclesiæ pœnas daturum. postquam autem ille perorauit, conuersus ad Xystum, Maximi sententiam collaudauit, ita vt ei defensionis suæ aut suscipiendæ, aut prætermittendæ arbitrium se concedere dixerit. Tum Xystus, repugnante clero, defensionem suam instituit, illud præcipue in dicẽdo denuncians, ne exemplo suo ad dicendam caussam sui aliquando successores adigerentur. atq; ita semet conflata suspicione, atq; infamia liberauit. VI inde Kalend. Septembris, cum Valentinianus, & Xystus, ceteriq; iterum Concilium iniissent, de Bassi, & Mariniani caussa est disceptatum, atque ambo communi omnium consensu digni, qui communione excluderentur, existimati sunt, ita tamen vt viaticum morituris non negaretur. Valentinianus autem, & Placidia bona eorum Ecclesiæ addixerũt. Post tres inde menses Bassum mortuum Xystus omnibus pietatis officiis vsq; adeo prosequutus est, vt corpus etiam eius in paternum sepulchrum inferri permiserit. Xysti inde rogatu Valentinianus Saluatoris, & apostolorum imagines aureas supra Confessionem S. Petri locauit, & fastigium argenteum in basilica Constantiniana, quod à barbaris fuerat ereptum, restituit, & Confessionem B. Pauli laminis argenteis incrustauit, & basilicam S. Laurentij à Xysto conditam preciosa sacrorum vasorum supellectile instruxit. Dum autem Valentinianus his in Occidente rebus intentus studet, Theodosius Constantinopoli opus vt hominum rationib. admodum aptum, sic gloriæ apud posteros ingentis futurum effecit. Iurisconsultis namque adhibitis maximam eruditionis, fidei, ac prudentiæ opinionem habentibus, negotium dedit, vt omnes principum à D. Constantini vsq; ad suum principatum constitutiones colligerent, atque, inutilibus prætermissis, in vnum corpus redigerent, breuitate, ac claritate in primis forensi studio consulentes. eum vero codicem absolutum hoc anno V Kal. Martij Constantinopoli edidit, præcipiens, ne qua post Kalendas Ianuarias controuersia ad forum deferretur, aut delata iudicaretur, nisi ex his libris, qui suo nomine insignirentur. simulq; ne qua in Occidente à Valentiniano Augusto cõstitutio lata vim legis obtineret, nisi prius ad suam notitiam peruenisset. Gliscente inde inter ecclesiam Alexandrinam, atque Antiochenam seditione, idem eiusmodi dissidium auersatus Ioanni Antiocheno præcepit, vt Nestorij damnationi subscriberet, atque in gratiam cum Cyrillo rediret. atq; edictum ad Leontium præfectum vrbis III Nonas Augusti misit, vt quemadmodum Arriani lege D. Constantini ob similitudinem impietatis Porphyriani à Porphyrio nuncupati fuerant, sic Nestoriani Simoniaci vocarentur, vt cuius scelus in deserendo Deo imitati fuissent, merito eius nomine afficerentur. & ne libros Nestorij aduersus decreta Ephesina conscriptos haberi, legi, aut describi liceret. Hoc imperio compul-

compulſus Ioannes Paulum epiſcopum Emiſenum Alexandriam miſit, ac, Catholico libello oblato, Cyrillum ad redeũdum ſecum in gratiam prouocauit. cui quàm mitiſſime Cyrillus reſpondit, &, redintegrata gratia, finem omni, quæ Eccleſiam agitabat, contentioni impoſuit. Ceterum, Neſtorio Mariam Dei genitricem ore confitente, ſed re vera adhuc furente, Theodoſius litteras ad Iſidorum præfectum 436
prætorio, & ſequenti anno cum Senatore conſulem miſit, vt Neſtorium propter conceptam in ſe pietatem in exilium Petras expelleret, omniaq; bona eius eccleſiæ Conſtantinopolitanæ addiceret. atque his litteris edictum aduerſus Neſtorianos ſupraſcriptum adiunxit. Hæc ex Actis. in Annalibus vero ſcriptum eſt, Neſtorium Oaſim relegatum eſſe, atque inde variis iactatum caſibus loca alia tenuiſſe. Eodem anno Theodoricus rex Gotthorum in Gallia violato fœdere alterum Romanis bellum, vix priore confecto, commouit. Quod Sidonius in Auito his verſibus edidit:

Squammeus, & rutilis etiam num liuida criſtis
Ora gerens vix arma domum ſordentia caſtris
Rettulerat, noua bella iterum, pugnamq; ſub ipſis
Iam patriæ muris periturus commouet hoſtis.

Itaque, finitimis locis occupatis, in Narbonenſem inuectus, oppidum ipſum Narbonis prouinciæ caput acri obſidione circumdedit. Quod vbi Valentinianus accepit, confeſtim Littorium ducem in locum Aetij cum maximis Hunnorum copiis properare iuſſit in Galliam. cuius aduentus maximam obſeſſis attulit opportunitatem. nam, cum eos rerum neceſſariarum anguſtiis premi propter ſummam inuehendi difficultatem cognoſceret, binos tritici modios ſingulis equitibus datos in vrbem immiſit. quo beneficio inediam leuauit ex aliqua parte, non ſuſtulit. Itaque cum Narbonenſes mox ad extrema, quæ pati obſeſſi ſoleant, incommoda deueniſſent, Auitus Aruernus, qui maxima apud regem, Gotthosq; auctoritate valebat, ſe interpoſuit, ac facile regi, vt exercitum à Narbone abduceret, perſuaſit. Ita Narbo ſummis obſidionis difficultatibus eſt exemptus. Quod ſcripſit quoq; Sidonius Auitum ſic alloquentem Theodoricum huius Theodorici filium faciens:

periit quodcunque merebar
Cum genitore tuo. Narbonem tabe ſolutum
Ambierat, tu paruus eras, trepidantia cingens
Mœnia, in infames iam, iamq; coegerat eſcas.
Iam triſtis propria credebat deſore præda
Si clauſus fortaſſe perit, cum noſtra probauit
Conſilia, & refugo laxauit mœnia bello.

Aetio autem iterum, & Sigeuulte cõſulibus, Littorius à Gotthorum bello quietus, 437
in Aremoricos, qui iam pridem defecerant, mouit. Quâ re cognita, Gotthi, contempta pace, in Aruernos ſe intulerunt, atq; omnia incendiis, ac direptione vaſtarunt. Quæ res Littorium ex Aremoricis victorem cum auxiliis Hunnorum recurrere compulit. Ita Gotthica populatio, obſidióque compreſſa eſt. Vnde idem eodem in loco dixit:

Littorius Scythicos equites tum forte ſubacto
Celſus Aremorico, Geticum rapiebat in agmen
Per terras Aruerne tuas, qui proxima quæq;
Diſcurſu, flammis, ferro, feritate, rapinis
Delebant pacis fallentes nomen inane.

Sidonio vero Proſper aſſentitur. qui, his cõſulibus, aduerſus Gotthos rem Hunnorum auxilio geſtam notauit. In Africa Genſericus ab armis ocioſus Catholicæ fidei veſtigium nullum in regno ſuo relinquere cupiens, epiſcopos non ſolum baſilicis ſuis, ſed etiam vrbibus ipſis expellere niſus eſt. tanta vero eorum conſtantia fuit, vt nemo terrificis eius minis cõceſſerit. Inde Arcadium, Probum, Paſchaſium, & Eutychium viros Hiſpanos ſibi ſapientiæ, ac fidelis obſequij nomine iucundiſſimos, quòd perfidiam Arrianam reſpuerent, primum proſcripſit, deinde in exilium egit, poſtremo exquiſitiſſimis affectos ſuppliciis illuſtri martyrio coronauit. Paulillum

vero puerum Paſchaſij, & Eutychij fratrem, cum ferocibus terrere verbis non po-
tuiſſet, diu fuſtibus cæſum ad infamem ſeruitutem damnauit, ne puer regiam ſe
immanitatem ſuperaſſe poſſet gloriari. In Hiſpania Ermenericus rex Sueuorum
moriens, Richilam filium ſucceſſorem reliquit. Iam Valentinianus ætatis annũ no-
numdecimum erat natus, vt matrimonio videretur eſſe copulandus. Itaq; cum Eu-
doxiam Theodoſij filiam ſibi dari vxorem poſtulaſſet, facile cedenda parte Illyrici
impetrauit. ſiquidem Caſſiodorus ſcripſit: *Placidia nurum ſibi amiſſione Illyrici compa-
rauit. factaq; eſt coniunctio regnantis diuiſio dolenda prouinciis*. atq; ea de cauſſa Conſtan-
tinopolim properauit. ſpõſalia magna lætitia Theſſalonicæ ſunt celebrata. Quibus
438 perfectis ſequenti anno Theodoſio XVI, & Fauſto conſulibus in Italiam ſe recepit,
ac licet aduerſa tẽpeſtate vexatus Rauennam incolumem ſponſam perduxit. Hãc
ille vrbem quoniam pro Imperij ſede habuit, omni inde munimentorum, atq; or-
namentorum genere inſigniuit. Nam ædẽ D. Ioanni euangeliſtæ ex voto conſtru-
xit, & ducta ex Pado foſſa flumen ipſum deriuauit, atq; ad mœnia vrbis deductum
partem in vrbem infudit, partem mœnibus circumfudit, ita vt non ſolum commer-
cio ſeruiret ciuium, ſed etiã firmamento murorum. Quod Sidonius his verbis pro-
didit: *Rauennam venimus, quo loci veterem ciuitatem, nouumq; portum media via Cæſaris
ambigas vtrum connectat, an ſeparet. Inſuper oppidum duplex pars interluit Padi, cetera pars
alluit. qui ab alueo principali molium publicarum diſcerptus obiectu, & per eaſdem deriuatis
tramitib. exhauſtus ſic diuidua fluenta partitur, vt præbeant mœnibus circumfuſa præſidium,
infuſa commercium.* In Gallia Littorius cum Gotthis rem proſpere ſępe geſſit, vt Pro-
ſper notauit, ſed qua in parte, annalium memoria fugit. Gotthi in Hiſpania aduer-
ſus Sueuos progreſſi regem eorum Richilam prœlio ſuperarunt, ac theſaurum eri-
puerunt. Piratæ, qui ſuperiore anno Vandalos in Africa deſeruerant, ac paſſim in-
feſta prædis habere maria cœperãt, Siciliam repente adorti vaſtarunt. aduerſus eos
præfecti Imperatoris prouecti Conradim principem vnà cum ſociis eius ceperunt,
captumq; interemerũt. Cõſtantinopolim corpus S. Ioannis Chryſoſtomi poſt diu-
turnum exilium à Proculo epiſcopo eſt relatum, atq; ibi cum magna veneratione
439 v Kal. Februarias conditum. Theodoſio inde XVII, & Feſto conſulibus, Littorius
in ſpem Gotthorum ex Gallia pellendorum erectus exercitum ad vrbem eorum
Toloſam adduxit. tantumq; Theodorico metum expugnationis iniecit, vt pacem
ſupplex per epiſcopos poſtularit. Qua præ fiducia virium denegata ſummo illum
prœlio prouocauit, ſperans, ſe pulſis eo certamine hoſtibus vrbe nullo negotio po-
titurum. rapiebatur autem partim æmulatione gloriæ Aëtij, (nam cum ſecundas
ab illo partes teneret, rerum illum magnitudine vincere contendebat;) partim et-
iam inſita quadam animi temeritate; quia aruſpicum reſponſis, & dæmonum ſigni-
ficationibus, non Dei ope fidebat. Itaque pugna cupide magis, quàm prudenter
commiſſa infelicem exitum habuit. ſiquidem, magna parte ſuorum amiſſa, ipſe et-
iam in poteſtatem hoſtis conceſſit. ac captiuus, & vinctus in eam vrbem ductus eſt,
in quam ſe victorẽ, & triumphantẽ initurum ſperauit. hoſtiũ tamen haud incruen-
ta victoria fuit, vt niſi captus dux fuiſſet, dubitandũ fuerit, ab vtra parte ſtatura vi-
ctoria fuerit. Hanc cladem ducis, ac Romanorum ob ſuperbiam Deum immiſiſſe
contendit Saluianus Maſſilienſis per hoc tempus epiſcopus. cuius verba libet ad-
ſcribere: *Cum Gotthi metuerent, nos præſumpſimus. nos in viribus ſpem ponere, illi in Deo.
cum pax ab illis poſtularetur, à nobis negaretur, illi epiſcopos mitterent, nos repelleremus. illi
etiam in alienis ſacerdotibus Deum honorarent, nos etiam in noſtris contemneremus. ita il-
lis data eſt in ſummo timore palma, nobis in ſumma elatione confuſio. illis exaltatio data eſt
pro humilitate, nobis pro elatione deiectio. námque agnouit hoc ille dux noſtræ partis, qui
eandem vrbem hoſtium, quam eodem die victorem ſe intraturum eſſe præſumpſit, captiuus
intrauit. qui prædatoris habuit fiduciam præda factus eſt, triumphum præſumens triumphus
fuit. circumdatus, arreptus, alligatus, retorta brachia tergo geſſit. manus, quas bellicoſas
putabat, vinctas inſpexit, puerorum, ac mulierum ſpectaculum fuit, illudentes ſibi barba-
ros vidit, irriſorium ſexus promiſcui ſuſtinuit. & qui maximum habuerat ſupercilium for-
tis viri, mortem ſubiit ignaui. ipſe rex hoſtium vſque ad diem pugnæ ſtratus cilicio preces fu-
dit. ante bellum in oratione iacuit. ad bellum de oratione ſurrexit. priuſquam pugnam manu
capeſſe-*

capeſſeret, ſupplicatione pugnauit, & in Deo fidens proceßit ad pugnam, quia iam meruerat in oratione victoriam. Hac re geſta Theodoricus elatus, proximam inde ſubigere prouinciam, & ad Rhodanum regni fines producere deſtinauit. Quo metu ſubacti Romani Hunnos oppidorum præſidio impoſuerunt. Quod Sidonius his verbis edocuit:

capto terrarum damna patebant
Littorio. in Rhodanum proprios producere fines
Theudoridæ fixum. nec erat pugnare neceſſe,
Sed migrare. Getis rapidam trux aſperat iram
Victor, quòd ſentit Scythicum pro mœnibus hoſtem.
Imputat, (& nihil eſt grauius, ſi forſitan vnquam
Vincere contingat.) trepido.

His rebus, vt fœdæ, ac perditæ erant, in Italiam nunciatis, Valentinianus Aëtium in Galliam iter accelerare præcepit. Eum vero vbi Gotthi acceſſiſſe ſenſerunt, de pace inſtauranda agere inſtituerunt. Proſper eam ſuppliciter petitam ſcribit. Auitus, qui ſuperiorem tranſegerat, hanc quoque confecit, litteris ad regem, cui iunctus erat amicitia, miſſis. quod item Sidonius his verbis ſignificauit:

poſtquam vndiq; nullum
Præſidium, ducibuſq; tuis nil Roma relictum eſt,
Fœdus Auite nouas. ſæuum tua pagina regem
Lecta domat.

Auitum autem ipſum tum præfectum prætorio Galliarum fuiſſe innuit, cum addit, eum intemerata iura rexiſſe. Hunc exitum Theodorici bella in Gallia habuerunt. In locum inde Littorij Albinus præfectus prætorio miſſus aduenit. verum pro amplitudine dignitatis ſtatim pernicioſa reip. contentione certare cum Aëtio cœpit, cum vterque rem Gallicam tractare pro arbitrio vellet. quorum diſcordia ne remp. in diſcrimen adduceret, Xyſtus pontifex Leonem diaconum, eum, qui poſt pontificatum accepit, virum ſummæ virtutis, atque auctoritatis, miſit, vt eos inter ſe reconciliaret. Eodem anno in Africa nouum bellum exarſit. Genſericus enim occupatis oppidis non contentus animum ad Carthaginem prouinciæ caput adiecit, ac, neceſſariis rebus præparatis, occupatum aliis curis Imperatorem cernens, & Carthaginem infirmis, vt in pace, teneri præſidiis videns, ipſam ſtatim ſibi oppugnandam ſuſcepit. Hæc vrbs, vt inquit Saluianus, Romanis artibus ſemper æmula, armis quondam, & fortitudine, pòſt ſplendore, & dignitate vrbi Romæ maxime aduerſaria, & in Africa quaſi Roma, vniuerſam penitus, qua totus mundus regebatur, in ſe complexa erat diſciplinam. illic enim omnia publicorum officiorum inſtrumenta, illic artium liberalium ſcholæ, illic philoſophorum officinæ. cuncta denique vel linguarum gymnaſia, vel morum. illic copiæ militares, & regentes militiam potentes. illic honor proconſularis, illic quotidianus iudex, & rector, nomine quidem proconſul, ſed opibus conſul. illic omnes rerum diſpenſatores, & differentes inter ſe tam gradu, quàm vocabuli dignitate omnium platearum, & compitorum procuratores, cuncta ferme & loca vrbis, & membra populi gubernantes. Hanc igitur omnibus viribus Genſericus tentauit, ratus, ſe, vrbe ea, quæ princeps prouinciæ eſſet, in ditionem adducta, facile inde tota Africa potiturum. Cum autem mœnia aſſidue à barbaris quaterentur, tamen, vt idem inquit, eccleſia Carthaginis inſaniebat in Circis, luxuriabat in theatris. alij foris iugulabantur, alij intus fornicabantur. pars plebis erat foris captiua hominum, pars intus captiua vitiorum. Satis conſtat, vrbem Genſericum cepiſſe. Qua vero ratione capta ſit, quæ ad nos peruenerunt, hiſtoriæ non loquuntur. quod in vrbe tantæ amplitudinis, & quæ amiſſa ſecum totius Africæ amiſſionem adduxit, eſt deplorandum. Quod ſcribit Proſper, Genſericus XIII Kal. Nouembris vrbem dolo pacis iniuit. vt Vandalus eadem arte cepiſſe Carthaginem videatur, qua Gotthus paucis antè annis Romam in ditionem adduxit. Ceterum vrbe opulentiſſima, maximaq; potitus, primum antiquam illam ingenuam, ac nobilem libertatem ad ſeruitutem redegit, captiuis pleriſque ſenatorum effectis. deinde edictum propoſuit, vt omnes quidquid auri,

argenti, gemmarum, vestiumq; preciosarum haberent, expromerent. quo pacto paternas, auitasq; omnium opes exhausit. Templa porro sacris vasis exinanita, & sacerdotum administratione priuata suis non ad diuinum, sed ad humanum cultum indulsit. exactoq; Catholico episcopo ecclesiam Arriano attribuit, cum in vniuersum populum sæuus, tum maxime nobilitati, & religioni infensus. vt diiudicari non posset, hominibus ne, an Deo bellum acerbius intulisset. in prouinciis porro suis episcopos, ac senatores exilio, aut seruitute affecit. maximam clericorum turbam cum in naues veteres, ac fatiscentes imposuisset, certo periculo tempestatis obiecit. qui tamen Dei ope incolumes in Campaniam peruenerunt. Hęc fere Prosper, & Victor. In Gallia vero cum Ebredunensem episcopum duo tantum episcopi sine metropolitani auctoritate, legibus repugnantibus, consecrassent, res animaduersione digna est visa, ac, conuentu Regij in Narbonensi prouincia acto, aliquot super ea re canones constituti sunt. idque Regiense Concilium appellatum.
440 Sequitur inde annus post Christum natum quadringentesimus quadragesimus, Valentiniano v, Anatolioque consulibus. Eo anno xv Kal. Aprilis Xystus Romæ episcopus naturæ concessit. vacauit sedes dies amplius quadraginta. Nam clerus, populusq; Leonem diaconum ex Gallia, vnde legatione missa reuocatus fuerat, sibi statuit expectandum. eumq;, vt qui prudentia, & eruditione omnibus antecederet, vbi, reconciliata inter Aëtium, atque Albinum gratia, rediit, magno consensu pontificem declarauit. Cuius pontificatus omnibus sanctitatis, ac sapientiæ florens exemplis in maximis, quæ consequutæ sunt, ecclesiæ, ac reip. calamitatibus eximiæ vtilis fuit. In Hispania rex Sueuorum Richila finibus suis egressus, inuasit Bæticam, & ex Tarraconensi Gotthis ademit Carthaginem. Gensericus autem in Africa, Carthagine capta, superbus longius inde profundam habendi cupiditatem prouexit. atq; in Siciliam cum classe transgressus, omnia, in quæ incidit, vastare more Vandalico instituit. Qua re percepta, Valentinianus Sebastianum ex Hispania in Africam iussit traiicere, vt si nihil aliud, saltem Gensericum ex Sicilia ad Africæ defensionem retraheret. neq; irritum eius consilium fuit. Gensericus tamē in Africam regressus, cum Sebastianum amici magis, quàm hostis, partes agentem videret, ipsum per fraudem occidit. Etenim, præsentibus multis, vt inquit Victor, episcopis, ac familiaribus suis, Sebastiane, inquit, scio te mihi fidelem esse, sed, vt perpetua hæc inter nos sit amicitia, vt eadem mecum religione te obliges, oro. Cui Sebastianus respondit, Fac vt panis afferatur. eo vero prolato, Quemadmodum panis hic, inquit, vt ad tantum honorem ascenderet, aquæ, & ignis beneficio consequutus est, sic ego aqua sancti baptismatis, & igne Spiritus sancti ad decus hominis Christiani perueni. Quòd si effeceris, vt panis hic contritus, iterumque mollitus, atq; recoctus melior euadat, tum ipse faciam, quod hortaris. Quo Gensericus responso confusus, vocem nullam emisit, ac postea, excogitato alius generis argumento, hominem rei militaris peritissimum sustulit. His rebus cognitis, Theodosius haud sibi diutius cunctandum esse statuit, quin arma aduersus Vandalos caperet, siue vt Valentiniano genero laboranti succurreret, siue vt serpens incendium longe à finibus suis auerteret. Itaque, expedito belli consilio, classem nauium sexaginta instruxit, ac rei summa tribus ducibus Areobindæ, Germano, & Anaxillæ commissa, eos omni ope Africam inuadere, ac Gensericum petere imperauit.
441 Hi, Cyro consule, postero anno in Siciliam prouecti maiorem ibi temporis partem ad rem gerendam idonei consumpserunt. in Africam inde delati plus terroris, quàm cladis, hostibus intulerunt. ita conatu irrito Sicilia repetita. Gensericus tamen arma Theodosij veritus, legatos ad eum de fœdere misit.

CAROLI

CAROLI SIGONII HISTORIARVM, DE OCCIDENTALI IMPERIO, LIBER XIII.



VNNICA iam hinc bella ſcribere ordiemur. quæ pòſt per quattuordecim annos ſæuiſſima Orientem, Occidentemq; formidine concuſſerunt, atque vtriuſque Imperij prouincias omni direptione, ſtrage, atque incendio deformarunt. Quæ Hunnorum natio extiterit, & quibus moribus, ac ſtudiis prædita ex Aſia in Europam primum tranſierit, atque imperium habere in Scythia cœperit, ſuprà commemorauimus. Ab his pulſi veteribus ſuis ſedibus Viſgotthi, Alani, & Vandali, Iſtro, Rhenoq; traiecto, primum Orientem, deinde Occidentem, vt oſtendimus, inuaſerunt. ab his reliqui ferme, qui in Scythia erant, barbari bello fracti, vt ſedes ſuas, quarum tenebantur ſtudio, conſeruarent, libenter eorum ſe imperio ſubiecerunt. Itaque bellis, victoriisq; continuatis Hunni iam illud fuerant aſſequuti, vt totam prope Scythiam ſiue in ditione, ſiue in fide, ſiue in auctoritate haberent. Quo facto, nihil aliud reſtabat, niſi vt arma cis Iſtrum, Rhenumq;, ſuperiorum barbarorum exemplo, producerent, ac Romanis vnà & virtutem oſtenderent, & periculum intentarent.

CETERVM opportune ad res nouandas regnum nuper ab Optaro ad fratres duos Mundzucci filios Attilam, Bledamq; deuenerat, homines non tam manu egregios, quàm naturæ immanitate acerbo quodam odio aduerſus humanum genus imbutos. Hi vero trãs Iſtrum in Scythia, diuiſis inter ſe locis, ac populis, conſidentes, cognito, vtrumq; Imperatorem bello Vandalico periculoſiſſimo impeditum, oblata occaſione ſibi vtendum exiſtimarunt; ac, belli conſiliis, facultatibusq; communicatis, tranſmiſſo Iſtro, immenſas Hunnorum, reliquorumq; ex ipſa barbaria populorum copias in fines, ac prouincias Imperij tranſduxerunt, ac caſtella in limitibus Iſtri ad tutelam Imperij poſita deleuerunt. qua de re ſic Procopius: *Romani quondam Imperatores, vt barbaris vltra Iſtrum habitantibus tranſitum interclunderent, vniuerſas fluminis ripas propugnaculis obuallarunt, nõ ea ratione extructis, vt ab irruentibus expugnari, ſi quis adortus eſſet, non poſſent, ſed ne ripæ fluminis incuſtoditæ manerent, quod tum ſatis erat ad deterrendos barbaros, ne in Romanos fines incurrerent. poſteriore vero ætate Attila cum ingenti inuectus exercitu, nullo ferme labore omnia ſuſtulit.* Caſtellorum inde diſturbatione aditu patefacto, Attila in Mœſiam, Bleda in Thraciam productis copiis penetrarũt, ac paſſim populari, ac vaſtare agros, atq; oppida inſtiterunt. ex quibus Marcellinus Naiſſum, & Singidunum ex prima Mœſia nominauit. Hoc tumultu accepto, Theodoſius ſine mora obuiam eundum tantæ barbariæ ratus, aduerſus eos Arnegislum, & Ioannem, vtrumq; magiſtrum militum, cum delecto copiarum robore deſtinauit. Ceterum Arnegislus cõtra Attilam in Mœſiam profectus, apud Marcianopolim acri prœlio decertauit. Ioannes vero, cum pari virtute Bledæ impetum in Thracia excepiſſet, tandem æmuli Arnegisli fraude peremptus, defenſionem inchoatam reliquit. Ea cauſſa factum, vt Theodoſius, ne duplici bello, & quidem vtroq; grauiſſimo, premeretur, pacẽ Genſerico petenti haud grauate conceſſerit. Itaq; poſtero anno, Dioſcoro, Eudoxioq; conſulibus, exercitum, qui ad- 442
uerſus Vandalos erat in Sicilia, reuocauit, eumq;, Aſpare, & Areobinda ducibus, aduerſus Hunnos ire præcepit. Atq; Hunni quidem ſæuire in prouinciis Romanis pergentes, omnia oppida Thraciæ præter Hadrianopolim, Heracleamq; vaſtarũt, & in Macedoniam, Græciamq; tranſgreſſi vtramq; prouinciam plus quàm barbara immanitate dilacerarunt: vt nihil aliud, quàm rabiei Gotthicæ, atq; Vandalicæ famam feritatis ſuæ magnitudine velle obruere viderentur. veluti qui non ſolum à

Christiano, sed etiam ab omni diuino cultu alienos animos patriis institutis habe-
rent. Itaq;, vt Procopius auctor est, à sinu Ionico vsq; ad Constantinopolim omnia
suburbana diripuerunt, ac duas munitissimas in Illyrico arces, vrbémque Cassan-
dream, quam antiquitus Potidæam vocabant, exciderunt. Romani vero duces ad-
uersus eos profecti, variis prœliis editis hostem multitudine abundantem irritarũt
magis, quàm represserunt. Interim Gensericus fœdere cum Theodosio icto læta-
tus, sese ad Valentinianum conuertit, ac pacem ab illo quoque petiit. ea vero haud
ægre à Valentiniano his conditionibus data est, vt posthac ipse certis se Africæ li-
mitibus contineret, tributum Valentiniano per triennium solueret, & Honoricum
filium ad seruandam, quam bis fregisset, fidem obsidem daret. idem sibi Byzace-
nam, Abaritanam, Gætuliam, & partem Numidiæ retineret, Zeugitanam, vel pro-
consularem exercitus, reliquas Valentinianus haberet. Tranquillato inde regno,
Gensericus, cum optimates quosdam suos aduersus se cõiurasse compositis insidiis
comperisset, nõ eos solum multis suppliciis excruciatos necauit, sed ceteros etiam,
quos eiusmodi facinoris suspicio leuis afflasset, tã multos afflixit, vt plus propriarum
443 virium in otio perderet, quàm, si prœlio decertasset. Bellum inde Hunnicum hor-
rens Theodosius, Maximo iterũ, Paternoq; cõsulibus, oratores de pace ad Attilam
misit, ac sex millia pondo auri in præsens pro recessu, mille autem minas, si suis fini-
bus in posterum foret cõtentus, se quotannis præbiturum spopondit. Quibus con-
ditionibus acceptis Hunni pacati, sese vltra Istrum cum sociis retulerũt. verum, vt
inquit Procopius, multa gaza parta, ac centum viginti millib. hominum captis, ita
vt satis constet, nullam vnquam nationem maioribus Illyricum maleficiis affecisse.
Huic vero malo insuper accessit tanta niuis altitudo, vt tristis cuiusdã prodigij opi-
nionem attulerit. nam vix sex mensium spacio liquefacta ingentem hominũ, pecu-
dumq; multitudinẽ ipsa frigoris, atq; rigoris asperitate necauit. Romæ Leo põtifex,
cum omnes curas ad purgandas hæreticorum labes, & sanandã ecclesiam contulis-
set, eò vsq; indagando peruenit, vt Manichæos, qui latebãt, in vrbe deprehenderit.
itaq; ex tenebris erutos, atq; in cõspectum ecclesiæ datos omnes opinionũ suarum
nequitias prodere, &, libris incensis damnare, coegit. quin etiam ex eorum confes-
sionibus, quos doctores, episcopos, presbyteros, quibusq; in locis haberet, expres-
sit. cuius exemplum multi in Oriente episcopi imitati eandẽ sibi piæ laudem indu-
striæ pepererunt. In Italia terræmotu laboratũ est ita, vt impetu eius Romæ pluri-
444 ma ædificia procubuerint. Proximus annus, Theodosio XVIII, & Albino consuli-
bus, pace vtroq; Imperio late parta fuit insignis. Attila vero à bello externo otiosus
ferocitatẽ, quam exercere in alienos didicerat, in consanguineum suum cõuertit.
siquidem Bledam fratrem, vt solus imperio potiretur, vita per insidias exuit. (sicut
Prosper, & Cassiodorus notauit.) (nam Marcellinus insequente anno factum hoc
prodidit.) fratre vero extincto ad se summã rei Hunnicæ transtulit, ac populos, qui
ei parebant, imperio obedire suo coegit. Itaq; vt opes, ac potẽtiam auxit, sic aduer-
sus homines superbiam, immanitatem, ac diram quandam acerbitatem odij incita-
uit. Nam se natũ ad concussionem gentium prædicabat, & formidabilem populis
omnibus præferebat, superbe admodũ incedens, atq; huc, & illuc oculos circunfe-
rens. quam morũ truculentiam species ipsa corporis quoq; augebat. statura breuis,
latũ pectus, grande caput, parui oculi, rara barba, nasus simus, color ita teter, vt ori-
ginis eius signa haud dubia proderet. natura confidens, sed post gladium Martis in-
uentum, qui apud Scythicos reges magno semper in honore fuisset, multo magis.
nam cum pastor quidã, vt inquit Priscus, buculam conspiceret claudicantẽ, vt caus-
sam vulneris inueniret, solicitus cruoris vestigiis institit, tandemq; ad gladiũ, quem
depascẽs bucula incaute calcauerat, venit, effossumq; protinus ad Attilã venit. Quo
ille agnito, vt erat alto animo præditus, arbitratus est, se totius orbis terrarum domi-
num cõstitutum, ac per Martis gladium potestatẽ omnium sibi permissam esse bel-
445 lorum. Valentiniano inde VI, & Nonio cõsulatum gerentibus, cum eadẽ, qua antè,
pace floreret omnia, Valentinianus lætus Romam ad vicennalia sua peragẽda con-
cessit. quam occasionẽ nactus Leo pontifex, quòd audiuisset, Hilariũ Arelatensem
archiepiscopũ iniussu suo in Gallia episcopos ordinare, mire offensus ipsum vt de ea
re ad

re ad Aëtium scriberet, impulit. Earum litterarũ adhuc extat exemplum: *Aëtio, viro illustri, magistro vtriusq; militiæ Valentinian. Aug. Hilarius Arelatẽsis episcopus, sicut venerabilis viri Leonis Romani Papæ fideli narratione cõperimus, contumaci ausu inlicita quædã præsumẽda tentauit. nam ecclesiæ Ro. vrbis inconsulto põtifice indebitas sibi ordinationes episcoporum sola temeritate vsurpans inuasit. Huic, neq; alij in posterũ tale aliquid liceat, apostolica, & nostra auctoritate prouisum est.* VIII *Idus Iunias Romæ, Valentiniano Augusto sextũ consule.* Aëtius inde tertium, & Symmachus primum iniere cõsulatum. Ab hoc anno sum- 446
mam reip. atq; Ecclesiæ pacem, atq; tranquillitatem grauis bellorum hæreseumq; tẽpestas excepit. quæ totum Theodosij, Marciani, in primisq; subsequens Valentiniani Imperium miscere, atq; assidue adeo conflictauit, vt, excepto Genserici, qui in fœdere tertio mãsit, ab Africa bello, nulla mali species ad Romanas contundendas opes abfuerit. In primis terror hominum Attila quiescere nesciens, atq; vna gloriæ, prædæq;, appetens violato fœdere nouum Theodosio bellũ indixit, caussa prætenta, quòd ille annua tributa ex pacto nõ persoluisset. simul etiam Valentiniano, cuius caussa secerni à Theodosiana non poterat, grauissime comminatus est, cum nihil in ore nisi seruitutem, cædem, direptionem, atq; inflammationem haberet. Itaq; Aëtius, cum ad consulatum ineundum Romam, vbi Valentinianus quoq; erat, venisset, omni cura in id incubuit, vt quæcunq; posset, ad Hunnicum frangendũ impetũ necessaria compararet. Per eosdẽ dies Picti, Scotiq; certiores facti, Romanos aliis bellis implicitos Britannis subuenire nõ posse, atq; Aëtium Romã reuocatum ex Gallia discessisse, erecti animo ad inuadendam insulam redierunt, extremamq; eius partẽ ad Murum vsq; ceperunt. ibiq; præsidiũ in arce edita positũ expugnarũt. Britanni tam repẽtina, ac valida irruptione perculsi, cum, muro, ciuitatibusq; relictis, in fugam se cõiecissent, passim ab insequẽtibus hostibus strati sunt, donec fame vtrumq; exercitum inuadẽte, cum omnia alimenta, præterquã ex venatione, subtracta essent, res in mutui latrocinij formam concessit. Quos vero belli clades reliquos fecit, ij epistolam ad Aëtiũ miserunt, in qua calamitates suas sic exposuerunt: *Aetio tertium consuli gemitus Britannorum. Repellunt nos barbari ad mare, repellit mare ad barbaros. inter hæc oriuntur duo genera funerum, vt aut iugulemur, aut mergamur. Quamobrem oramus vos, ne nos tam perditis rebus deseratis, cum à vobis repulsis nulli sint, ad quos confugiamus.* Neq; tamen his litteris aliquid auxilij impetrarunt. quòd Aëtius, vt inquit Beda, bello Hunnico grauissimo erat occupatus. nam quanuis anno ante hunc proximo Bleda Attilæ fratris sui interemptus esset insidiis, Attila tamen ipse adeo intolerabilis remansit hostis, vt totam, (sic enim ille pergit,) pene Europam, excisis ciuitatibus, atq; castellis, arroderet. Interim Britanni fame vrgente coacti, alij sese hostibus dediderunt, alij postquã humanum subsidium deplorarũt, Deo confisi ex montibus, & saltibus, quo se cõdiderant, erumpentes, atq; in hostes inuadentes magnas eorum strages dederunt. Ita, Scotis in Hyberniam reuersis, Picti in aquilonari insulæ parte vltra Murum domicilia posuerũt, ac subinde prædas de Britannis agere perrexerunt. Sub eosdem dies apud Ephesum res ingẽtis apud omnem posteritatem stuporis euenit, quæ resurrectionem corporum, quam multi reuocabant in controuersiam, cõfirmauit. Ante ducentos ferme annos, Imperatore Decio Christianos religionis gratia diuexante, septem pueri Ephesi ex iisdem parentibus nati, cum palam Christum profiterẽtur, timore persequutionis exanimati vrbe secesserant, ac sese in speluncam proximi montis abdiderant. cuius aditum industrij persequutores extrinsecus ita obsepserunt, vt euadendi etiam enixe moliẽtibus facultatem eriperent. Pueri vt se clausos, vallatosq; senserunt, in mœrorem conuersi repente somno acriore oppressi sunt, atq; ita vsq; ad hunc annũ sopiti manserũt. tum vero molibus speluncæ forte remotis experrecti, perinde quasi vnam tantum noctem dormissent, vnũ ipsorum in vrbẽ victus comparandi caussa miserunt. cum autem ille nummos Decij Imperatoris iampridem inusitatos proferret, thesaurũ inuenisse existimatus ad magistratum deducitur, ac summis, vt aurum proderet, tormẽtis afficitur. Tandẽ, cum Deciũ Imperatorẽ auxilij gratia inuocasset, error agnitus est, historiãq; à principio repetere iussus, & illos, quid actũ esset, edocuit, & ab iis qui status esset rerũ præsentiũ, didicit. Qua re cognita, Theodosius pietatis studio

inflammatus, Ephesum properauit, ac fratres alloquutus omni officio caritatis excoluit. post septem vero dies, cum eosdem vero mortis sopore mersos vidisset, in eodem sepeliri antro iussit, ac, summo eis honore adhibito, Constantinopolim se recepit. Ex ea re intellectum est, qui pueros illos post ducentos annos saluis corporibus excitasset, eundem pro magnitudine potentiæ suæ cunctos etiam homi-
7 nes suscitare in die nouissimo posse. Eodem anno Constantinopolin sæua fames, ac fœdior pestilentia fatigauit. Subsequente hyeme, quo Calypius, & Ardabures consulatum inierunt, Attila Istrum opportune conglaciatum nactus, exercitum suum in citeriorem Daciam populatum immisit. Aduersus quem Anthemius, & Arnegislus magistri militum cum firmo copiarum delectu à Theodosio missi omnem imminentem impressionis procellam fortiter exceperunt. Præcipuè Anthemius vagum hostem non longe à Sardica adeptus in vnum locum compulsum, ac vallo circunseptum variis prœliis fatigauit: ac militem, licet rebus necessariis indigentem, mirifice in officio, fideque continuit. commissa inde summi certaminis pugna, vt cornua aciei defectione collegæ nudata vidit, haudquaquam animum demisit, sed acrius, ac vehementius instans, fugientes illius milites in prœlium reuocauit, atque hostes in fugam coniectos, ac mox certamen instaurantes deuicit. ac, pace illis promissa, si collegam desertorem interemissent, facile, quod expetiit, impetrauit. Vnde Sidonius ad Anthemium scribens, sic dixit, de Hunnis loquens:

Gens ista repente
Venerat, & sectas inciderat orbita lymphas.
Hanc tu directus per Dacica rura vagantem
Contrahis, aggrederis, superas, includis, & vt te
Metato spacio castrorum Sardica vidit,
Obsidione premis. quæ te sic tempore multo
In vallo positum stupuit, quòd miles in agros
Nec licitis, nec furtiuis excursibus ibat.
Cui deesset cum sæpe Ceres, semperq; Lyæus,
Disciplina tamen non defuit. inde propinquo
Hoste magis timuere ducem. sic denique factum est,
Vt socius tum forte tuus, mox proditor, illis
Frustra terga daret, flexo pede cornua nudans,
Tu stabas acie solus, te sparsa fugaci
Expetiit ductore manus, te marte pedestri
Sudantem repetebat eques tua signa sequutus.
Dux fugit, insequeris, renouat certamina, vincis,
Clauditur, expugnas, elabitur, obruis, atque
Sarmaticæ paci precium sua funera ponis.
Partitur. iussum subiit iam transfuga letum.
Atque peregrino cecidit tua victima ferro.

Marcellinus Aragislum magistrum militum in Ripensi Dacia iuxta Vtum amnem ab Attila rege viriliter pugnantem plurimis hostium interemptis occisum esse, Attilam populabundum vsque ad Thermopolim peruenisse, scribit. Ex quo apparet, cum Anthemij acta suppresserit, ipsum omnino in hac historia vacillare. His actis Theodosius tantum bellum auersatus legatos ad Attilam de pace in Scythiam misit. In hanc legationem se missum esse Priscus historicus, vt exponit Iornandes, narrauit: *Ingentia*, inquit, *flumina, id est, Tisiam, Driccamq; transeuntes venimus in eum locum, vbi dudum Vidicula Gotthorum fortissimus dolo Sarmatarum occubuit. indeq; non longe ad vicum, in quo rex Attila morabatur, accessimus, vicum inquam instar ciuitatis amplissimæ. in quo lignea mœnia ex tabulis nitentibus fabricata repperimus. quarum compago ita solidum mentiebatur, vt vix ab intento posset iunctura tabularum comprehendi. Videres triclinia ambitu prolixiore distenta, porticusq; in omni decore dispositas. area vero curtis ingenti ambitu cingebatur, vt amplitudo ipsam regiam aulam ostenderet. Hæ sedes Attilæ regis barbariam totam tenentis, hæc captis vrbibus habitacula præponebat.* Ceterum pacem impetratam ex intermisso per sequentes annos bello colligitur. Hac re cognita Valentinia-

lentinianus,ne solus relinqueretur iniuriæ,libidiniq; Attilanæ obnoxius, & ipse oratores ad pacē petendam misit, Cassiodorū Cassiodori Senatoris auum, & Carpilionem Aëtij Patricij filium. de qua legatione sic scriptū est in epistola Theodorici regis apud Senatorē: *Cassiodorus Aetio Patricio in defendenda rep. fuit socius. cuius auctoritatē Valentinianus Imperator in omni capiendo consilio sequebatur. legatus autē ad Attilam vna cum Aetij filio Carpilione missus vidit eum intrepidus, quem timebat, Imperiū, ac facies illas terribiles, ac minaces fretus veritate despexit. nec dubitauit altercationibus aduersari, qui furore nescio quo raptus mundi dominatū videbatur expetere. inuenit regem superbū, sed reliquit placatum. & calumniosas eius allegationes tanta veritate refellit, vt is gratiā quæreret, cui pacem cum regno ditissimo non habere, vtile esset. erexit constantia sua partes timentes, nec imbelles sunt crediti, qui legatis talibus erant armati. pacem rettulit desperatam. cuius legatio quid profecerit, datur intelligi, quæ tantum est gratanter excepta, quantū & videbatur optata.* Leo pontifex pridie Kal. Iulij ad litteras Ianuarij Aquileiēsis episcopi rescripsit, vt omnes clerici, qui hæreticorum communionem iniissent, atq; ad Ecclesiam rediissent, modo ne iterata maculati tinctione fuissent, eum gradum, in quo erant, obtinerent, neq; ad altiorem prouehi possent. In Hispania Richila rex Sueuorum obiit, Riciario filio successore relicto. Eodem anno Ecclesiam vix dum à Nestoriana hæresi respirantē nouus alius perfidiæ veternus inuasit. qui in multos pòst annos magnos tumultus, ac graues in populis seditiones exciuit. Hæc autem Eutychiana hæresis appellata est. quę vt orta, atq; extincta sit, actionibus suo quibusq; anno reddendis, deinceps, vt instituimus, exponemus. Cōstantinopoli Eutyches archimandrita, vir eruditionis, atq; auctoritatis inter monachos singularis, palam dicere, atq; oratione tueri non dubitauit, corpus Christi diuersæ à nostro esse substantiæ, & Christum totū vnius esse naturæ. ex quo aperte vt Arrius Christi diuinitati, sic hic, alter Apollinaris, detrahebat humanitati. ceteris vero omnibus opinionem eius vt non solum falsam, sed etiam ridiculam aspernantibus, vnus extitit Dioscorus Alexandrinus episcopus, qui auide illam arripuit, &, si quis oppugnare vellet, defendit. Kal. Octobris Theodosius Augustus nouarum volumē Constitutionum ad Valentinianum Romam misit, quas ad suum Codicē adiici, & Nouellas appellari voluit. eas Valentinianus, Postumiano, & Zenone consulibus, Rauennam Roma reuersus Nonis Maij Albino præfecto prætorio, Patricioq; obseruādas mandauit. In Gallia, 448
cum Armoricanos adhuc defectionis in pertinacia permanentes Aëtius aliis curis implicitus Eocharico Alemanorū regi subigendos tradidisset, is, validissimo comparato exercitu, castra in eos promouit. Armoricani, vbi tantam in se ruentem molem viderunt, in timorem de sua salute adducti, ad Germanum Antisiodorensem episcopum confugerunt, eumq;, vt incolumitatem sibi procuraret, orarunt. Paruit eorum voluntati Germanus, ac regem, progressus obuiam, cum exercitu cōsistere, manu freno equi iniecta, coëgit. eumq;, vt pacē populis daret, admonuit. Ille rem ad Aetium, Aetius ad Valentinianū reiecit. Quare Germanus ad Valentinianum Rauennam iter ingressus est. in itinere autem multa signa & in Gallia, & in Italia edidit. præcipue autem Mediolani, cum vrbem, templumq; incognitus introiisset, atq; in populi turba lateret, mirandum in modum in ipsa Sanctorū solemnitate est agnitus. Rauennam inde progressus, summo studio à Petro episcopo, & tota ciuitate excipitur. Cum Placidia vas argenteum cibis refertum ad eum misisset, ille, cibis ministris suis distributis, argentum sibi in necessitates pauperum conferendum retinuit, & patinam cum hordeaceo pane remisit. Quem Placidia libens accepit, atq; ad salutaria ægritudinum remedia conseruauit. Dum autem ille Rauennæ mansit, multos ęgros ad pristinam valetudinē reuocauit. insignia vero illa, quòd Acholium eunuchum, præpositum sacri cubiculi, maligni vexatione spiritus liberauit, & Volusiani filium, qui Sigeuultis Patricij cancellis præerat, ad depellendam febrim accitus, cum mortuum inuenisset, vitæ restituit. pacem etiam Armoricanis impetrauisset, nisi noua eorum rebellio iustam, quo minus daretur, principis iracundiā excitasset. Lapsus inde in morbum à Placidia se visitante poposcit, vt corpus suū, postquam anima excessisset, in patriam deferēdum curaret, ac septimo post die pridie Kal. Augusti expirauit. Eo mortuo supellex eius ita diuisa est. Placidia capsulā cum

sanctis reliquiis sibi asciuit, Petrus vrbis archiepiscopus cucullum cum interiore cilicio; sex antistites, qui aderant, vnus pallium, alter cingulum, duo tunicam, duo sagulum assumpserunt. Acholius præterea aromatibus corpus condiuit; Placidia vestiuit, Valentinianus comites, qui prosequerentur, attribuit. Ita multis effulgens miraculis perlatum in Galliam Kal. Octobris Antisiodorum, magna effusi populi celebritate susceptum est. Ceterum hic fuit Petrus, ab eloquētiæ præstantia Chrysologus appellatus, cuius egregij multi extant sermones, post Fori Cornelij, vnde originem trahebat, & mortuus, & sepultus, atque in numerum Sanctorum ascriptus. Flauianus autem Constantinopolis episcopus, cum Eutychetis hæresi late serpente multos misere implicari videret, mature occurrendum arbitratus, episcopos suos ad vrbem aduocauit. In eo conuentu Eutyches ab Eusebio Doryleensi episcopo accusatus, & à patribus adesse, ac fidem suam expromere iussus, respondit, dominum nostrum, antequam diuinitas cum humanitate coniungeretur, ex duabus naturis constitisse, at post earum coniunctionem vnam in eo naturam tantummodo extitisse, corpusq; eius non ex eadem esse substantia cum nostro. Quod cum episcopi audissent, ipsum repente magno consensu communione priuarunt. Ea sententia consternatus Eutyches confugit ad Theodosium, ac se falsis ab Eusebio criminibus expostulauit oppressum. Quamobrem Theodosius, vt eadem caussa deintegro cognosceretur, edixit. quæ cognita cum paribus esset sententiis condemnata, Theodosius Leonem pontificem de tumultu, quo premeretur Ecclesia, docuit. eademq; ratione Eutyches, se immerito damnatum, expostulauit.

449 Itaque sequenti anno, Protogene, Asterioque consulibus, Leo XII Kal. Martias scriptis litteris Flauiano mandauit, vt se de actis omnibus per idoneum nuncium edoceret, quo mature de ea re iudicare, & seditionē sedare Ecclesiæ posset. Theodosio vero Kal. Martij rescripsit, sibi adhuc compertum non esse, quamobrem Eutyches damnatus esset, quòd is ad se scripsisset, se Nicæna decreta seruantem in fidei diuersitate culpatum esse. Interim Theodosius tantæ seditionis impatiens, ad hanc rem iudicandam Concilium Ephesum ad Kalendas Augusti episcopis Orientis indixit. deque ea re certiorem Leonem fecit. Leo vero iam de omni Eutychetis impietate, & iusta illius damnatione cōmonefactus, Idibus Iunij litteras ad Theodosium, Pulcheriam, & Flauianum dedit. quarum hæc erat summa: se ad Concilium accedere nolle, tum quia res exemplo careret, tum quia incertæ præsentis temporis rationes se ab ecclesia discedere, atque ab vrbe non paterentur. & quòd caussa fidei, quæ tractabatur, adeo explorata esset, vt etiam sine Concilio transigi posset. tamen, vt Theodosij voluntati pareret, legatos mittere, qui vice sua caussam pie, ac fideliter expedirent. dolere etiam, quòd nimis angustum tempus ad conueniendum sit præstitutum; cum à tertio Kal. Maias, quo litteras eius acceperit, maior pars temporis fuerit in instruendo legatorum itinere consumenda. Legati fuere Iulianus episcopus, Renatus presbyter tituli S. Clementis, Hilarius diaconus, & Dulcitius notarius. Kalendis Augusti Ephesi Concilium conuocatum est, cui Dioscorus episcopus Alexandrinus, Domnus Antiochenus, Iuuenalis Hierosolymitanus, & Flauianus Constantinopolitanus cum suis quisque episcopis, atque ipsi præterea legati Leonis affuere. Ibi Theodosij iussu sententiæ dictione priuati sunt, qui conuentum Constantinopolitanum inierant, quòd eorum tum decreta disquirerentur. Dioscorus autem ex Chrysaphij præfecti Palatij auctoritate, cum summum sibi in Concilio auctoritatis ius asciuisset, rem totam pro sua libidine administrauit. nam episcoporum alios non admisit, alios per vim sibi assentiri coēgit. Ita non solum Eutychetem absoluendum, sed Flauianum etiam, & Eusebium, Theodorum Mopsuestenum, Theodoritum Cyrensem, & Ibam Edessenum, aliosque multos abdicandos curauit. Hilarius autem Leonis legatus, vbi contra leges omnia administrata persensit, ne vim aliquam pateretur, Concilio se subduxit, ac maturato itinere Romam profectus, Leonem de ratione Ephesini conuentus edocuit. Quibus rebus Leo permotus, episcopos ex Italia Romam primo quoque tempore aduocauit, atque ex eorum sententia III Idus Octobris ad Theodosium, & postridie ad Pulcheriam litteras eodem argumento misit: quoniam quæ acta erant

rant Ephesi, sibi narrante Hilario, cognita, non solum fidem non subleuarent, sed omnes etiam ecclesias vulnerarent, rogare illos, vt caussam in integrum redigerent, donec maior sacerdotum numerus conueniret, & vt apostolorum, ac martyrum coronas ante oculos haberent, quibus nulla alia fuisset caussa patiendi, quàm confessio veræ diuinitatis, & veræ humanitatis in Christo, sinerentq; de ea re Concilium generale in Italia celebrari, quod omnes offensiones sic aut tolleret, aut leniret, vt nihil vltra relinqueretur aut in fide dubium, aut in caritate diuisum. Idibus vero scripsit ad clerum, & populum Constantinopolitanum, se vehementem ex actis Ephesinis traxisse dolorem, iubere autem, eos bono animo esse. nam se neminem vnquam in communionem admissurum, qui viuentis Flauiani sedem inuasisset. atq; iam nunc anathema eis indicere, qui veritatem carnis nostrę in Christo diffiteantur. Per eosdem dies Valentinianus cum Placidia matre, & Eudoxia coniuge Romam, relicta Rauenna, migrauit. postridie vero, quàm vrbem iniit, insigni pompa ad venerandam Beati Petri basilicam vna cum eisdem processit. Quibus Leo, & episcopi, qui Romæ conuenerant, statim hilares occurrerunt, atque ab eis summis precibus, lacrymisq; petere instituerunt, cum Theodosio agerent, vt fides à maioribus tradita, ac paulo antè Ephesino conuentu labefactata, conseruaretur, & vt Flauianus, ac ceteri episcopi iniuste damnati restituerentur, atque ad eam rem Concilium in Italia cogeretur. Quorum auctoritati Valentinianus, atque Augustæ se obsequuturos alacri animo responderunt. extant adhuc singulorum epistolæ ad Theodosium hac de re scriptæ. quas hic intexere non videtur operæprecium. Ad eos vero rescripsit Theodosius, gratias se Deo agere, quòd Romam se incolumes contulissent. De iis, quæ Leo petisset, se nulla in parte à paterna religione, & maiorum disciplina desciuisse, ad quam conseruandam conuentum Ephesi conuocasse, in quo magna libertate, & integra veritate indignos sacerdotes remotos, dignosq; susceptos esse. inter quos Flauianum perniciosæ rerum nouitati studentem merito esse damnatum. quo summoto, pacē esse ecclesiis restitutam. sed his de rebus pluribus ad Leonem scripsisse. Hoc est Cōcilium Ephesinum secundum, propter prauitatē suam à Græcis prædatorium appellatum, non sine magno Theodosij probro peractum. In Gallia Apollinaris Sidonij pater præfecturam prætorianam exercuit. de qua sic ipse Sidonius scripsit: *Audiui adolescens, atq; adhuc nuper ex puero, cum pater meus præfectus prætorio Gallicanis tribunalibus præsideret. sub cuius magistratu consul Asterius anni sui fores votiuum trabeatus aperuerat. adhærebam sellæ curuli, & si non latens generositatis per ordinem, certe non sedens per ætatem, mixtusq; turmæ censualium penulatorum consuli proximus eram.* Meroueus etiam rex Francorum patri Clodioni successit, ac paratis copiis, quod maiores sui tentarant, neq; assequi à Romanis semper repulsi potuerant, Rhenum sine certamine vllo traiecit, ac demum sedes Francorum ad Axonam amnem, permittente, aut certe non repugnante Valentiniano, locauit. ab eo inde Francorum reges, qui abhinc in Gallia dominati sunt, Merouingorum tulere nomen. Hæc Francorum regni in Gallia primordia fuisse, doctissimis placet auctoribus. quæ idcirco notanda fuerunt, vt à quibus principiis quantę progressiones euaserint, singula deinceps lustrando tempora appareret. Eadem ratione Angli nunc primum Britanniam non irruptionis, sed migrationis gratia tenuerunt. Britanni nanque à Pictis, & Scotis, (qui Pictis adiuncti partem insulæ ad aquilonem pertinentem tenebant,) assiduis incursionibus afflictati, desperato Romanorum auxilio, ad Anglos Saxones Germaniæ populos confugerunt, atque eorum nixi auxilio hostes fugarunt. Pòst paulo autem Angli stipendia sibi promissa à Britannis non soluta caussati, ipsam, quam defenderant, Britanniam inuaserunt, ac fœda strage hominum, ecclesiarumq; pro gentilitatis, cui addicti erant, iure facta, ibi certa domicilia collocarunt. Ita Britannia in duas partes diuisa duo regna accepit, vnum Scotorum ad aquilonem, alterum Anglorum ad austrum. vnde illa Scotiæ, hæc Angliæ nomen inuenit. Dioscorus inde superiore victoria non contentus, qua Flauianum innocentem euerterat, longius etiam cupiditate, amentiaque processit. quippe, Valentiniano VII, & Auieno consulibus qui fuit annus quadringen- 450
tesimus quinquagesimus, eundē, ne quando, recuperata dignitate, sibi, aut caussæ

ſuæ obeſſet, occulte occidendum curauit. Quo facto, clerus, populusq; Conſtantinopolitanus Anatolium in eius locum ſubſtituit. Quod vbi Leo audiuit, de illius doctrinæ ſanitate ſolicitus XVII Kalend. Augusti Theodoſium per litteras obſecrauit, vt ad ſe illius confeſſionem tranſmitteret, & Concilium haberi in Italia ſineret. Nam ſi ille aliter, inquit, de Verbi incarnatione, quàm Catholicorum omnium, & mea fert profeſſio, ſenſerit, communione noſtra priuabitur, &, ſi qui erunt, qui à puritate fidei, & patrum auctoritate diſſentiant, conuenientibus in vnũ iis, qui aut ignoratione, aut timore prolapſi ſint, eis opportunis correctionis remediis conſuletur. Hanc vero epiſtolam Theodoſius non accepit, quia v Kal. Augusti vitam reliquit. Mortuus eſt anno ætatis quinquageſimo, Imperij quadrageſimo tertio, boni, & mitis principis potius, quàm ſtrenui, & conſtantis laudem adeptus. Nulla virili prole ab eo relicta Pulcheria ſoror ipſius viuentis voluntatem, iudiciumq; ſequuta, ſenatu ipſo conſentiente, Marcianum ad Imperij culmen euexit, eum, quem ſuprà à Genſerico captum commemorauimus, atque eidem mox ſe coniugio copulauit. Ille vero ſimul atque Imperium iniit, pro inſito pietatis Catholicæ ſtudio ſtatim cogitare de præſenti Eccleſiæ diſſidio remouendo inſtituit, ac mox à reſponſalibus Leonis edoctus, quanto ſcelere ſe Dioſcorus obſtrinxiſſet, qui Leonis auctoritatem interpoſitam reſpuiſſet, & Flauianum iniuste damnatum iniuſtius extinxiſſet, litteras ad Leonem has miſit: *Dei prouidentia, & ſenatus, militumq; ſuffragiis ad Imperij culmen aſcendimus. Quare pro reuerenda, & Catholica religione Chriſtianæ fidei, cuius præſidio virtutem potentiæ noſtræ credimus gubernari, ſanctitatem tuam, principatum in epiſcopatu diuinæ fidei poſſidentem, ſacris litteris ſalutare voluimus, rogantes, vt pro firmitate, & ſtatu Imperij noſtri Deum precetur, vt eam nobis mentem det, qua omni impio errore ſublato per celebrandum, te auctore, Concilium pax erga omnes epiſcopos Catholicos ab omni ſcelere pura concilietur.* Poſtquam autem legati à Leone miſſi venere, tum iterum ita ſcripſit: *Reuerendiſſimos viros, quos ad noſtram pietatem tua ſanctitas miſit, benigne, hilariterq; accepimus. reliquum eſt, vt ſi placuerit tuæ beatitudini ad has partes adire, & Concilium celebrare, hoc facere ſtudio religionis dignetur. noſtræ certe voluntati admodum ſatisfaciet, & quæ ſacræ religioni vtilia ſunt, ſtatuet. ſin autem propter difficultatem ab hoc itinere deterretur, ipſa certiores nos per litteras faciat. Nam in omnẽ orientem, & Thraciam, & Illyricum ſacras noſtras litteras dimittemus, locum, qui nobis placuerit, ad conueniendum epiſcopis indicentes, vt quæ Catholicæ fidei proſint, ſicut ſanctitas tua ſecundum eccleſiaſticas regulas conſtituerit, ſua diſpoſitione declarent.* Scripſit etiam Pulcheria ad eundem, Anatholium Catholicæ religioni ſtudere, & apoſtolicam litterarum eius confeſſionem amplecti; Flauiani cadauer Conſtantinopolim allatum in baſilica apoſtolorum more maiorum eſſe repoſitum. reliquum eſſe, vt ipſe ſuam de habendo Concilio ſententiam exprimat, vt epiſcopi Orientis conuenientes, ex eius auctoritate de Catholica confeſſione decernant. Dum hæc in Oriente à Marciano geruntur, Attila bellum aduerſus Occidentem, & Valentinianum internecinum parauit. occaſio vero tulit, vt arma Galliæ prius, quàm Italiæ, mouerit, quanuis longius poſitæ, & minus patiendæ iniuriæ opportunæ. quæ fuit huiuſmodi. Genſericus Theodorici regis filiam Honorico filio ſuo matrimonio iunxerat, ſed ſuſpicione veneni ſibi parati mox reciſo naſo dehoneſtatam ad patrem remiſerat. itaq; vindictam merito timens, Theodoricum delere, Gotthorumque opes labefactare conſtituit. ſed viribus ſuis diffidens, Attilam in eius perniciem multis miſſis muneribus incitauit. Attila homo auarus, & belli cupidus, prædæ, & mercedis magnitudine oſtentata, haud grauate ſe voluntati eius obſequuturum promiſit. ac ſtatim conſilio non inſulſo, vt Romanorum, ac Gotthorum opes, atque auxilia ſepararet, legatos alios ad Valentinianum miſit, per quos ſe in Galliam aduerſus Gotthos, (quod ſalua ipſius amicitia facere poſſet,) contendere velle oſtendit, alios vero ad Theodoricũ, per quos ſe ſtatuiſſe Romanos adoriri ſignificauit. proinde ſe vtriq; magnopere ſuadere, vt alter ab alterius auxilio abſtineret, neque alieni periculi cauſſa ſuas fortunas in dubium deuocaret. Valentinianus autem iampridem in omnem Attilæ actionem, atque orationem intentus, fuco verborum ſe decipi veritus, ſubito per fidos nuncios Theodorico legationem Attilæ, atque occultum, vt

rebatur;eius conſilium demonſtrauit.eumq́;, vt in communi periculo communia arma ſuſciperet, inuitauit.nam ſatis omnibus apparere, Attilam orbis terrarũ imperium affectare, neq; iuſtas belli cauſſas requirere, verum in capiendis armis vni libidini atq; inexhauſtæ cupiditatis ſuæ voragini indulgere.ac ius, faſq; omne deſpicientem promiſcue ſe hoſtem mortalibus omnibus agri, terræve aliquid poſſidentibus exhibere.quamobrem æquiſſimum videri,vt qui aduerſus omnes homines animi ſui ſæuitiam inflammarit,is omnium etiam hominum opibus,armiſque coërceatur. Hac legatione accepta, Theodoricus ſummo ſtudio ſe factũ quod ille ſuaderet, reſpondit, ac fœdus aduerſus Attilam, ſi in Galliam inuaderet, haud inuitus percuſſit. Theodorico in belli ſocietatem aſcito, Valentinianus inde ad Gundicarium,regem Burgundionum,Sangibanum Alanorum,& Merouẽ Francorum ſe contulit,atq; eorum,quia ſedes in Gallia habebant,cauſſam communem agi cum oſtendiſſet,haud ægre,vt eidem ſe iungerent fœderi,perſuaſit. inde totius belli ſummam, ac rei pro iudicio ſuo adminiſtrandæ arbitrium Aëtio, duci illa ætate manu,conſilioq; promptiſſimo,atq; in barbarorum bellis exercitatiſſimo, tradidit.qui,delectu barbarorum,atq; Italicorum quàm acerrimo in Italia habito,nihil, quod ad tantum hoſtem excipiendum pertineret, omiſit. Contra Attila non ſolum vim innumerabilem Hunnorum coëgit, ſed magnum etiam numerum Oſtrogotthorum,qui adhuc in Scythia erant, eiq; parebant,exciuit. quos tres ex Amalorum familia fratres,ſtrenui maxime duces, Valamirus,Theodemirus, & Vindemirus ducebant.Quin etiam Ardaricus rex Gepidarum,Sarmatæ,Geloni,Neuri,Rugi, Baſtarnæ, ac bellicoſiſſimi quique ex Scythia populi in eam militiam nomina ſunt profeſſi. totaq; Germania ſiue metu, ſiue amore ad huius expeditionis ſocietatem arrecta. Atque ita totus hic annus vtrinque in contrahendis auxiliis eſt cõſumptus.quo eodem anno tanta in Italia annonæ penuria laboratum eſt,vt multi fame adacti filios,& parentes ſuos precij habendi cauſſa vendiderint.Itaque Va- 451
lentinianus, ſequenti ineunte, quo Marcianus Auguſtus cum Adelphio conſul fuit, ad Aetium Patricium pridie Kal. Februarias Roma ſcripſit hoc modo: *Cum obſcœniſſima fames proxime per totam Italiam deſæuierit, homineſq́; filios, & parentes vendere, ad diſcrimen inſtantis mortis effugiendum coacti ſint, ego reuocans conſtitutiones maiorum,venditionem cenſeo ſubmoueri, quam prædicta fames ingenuorum fieri perſuaſit.* Interim Attila, ſæuiente adhuc hieme, cum exercitu, quem in Scythia ex diuerſis conflauerat gentibus, caſtra mouit, ac per Germaniam iter faciens, populos eius omnes ad arma Galliæ ſecum inferenda ſolicitauit; cum aliis ſpem prædæ opulentiſſimæ oſtentaret, alios odio erga Romanos, quàm maximo poſſet, accenderet, aliis terrorem exercitus ſui inuictiſſimi obiectaret, omnes autem à capiendis pro Romanis armis auerteret,clade commemorata Francorum, quam illi pridem à Vandalis accepiſſent, cum ſoli eorum in Galliam tranſitum impedire conati eſſent. Quibus de rebus haud ægre omnes Germaniæ populi Attilæ ad Galliarum,vt præ ſe ferebat,excidium contendenti ſe adiunxerunt,Quadi,Marcomanni,Heruli,Turcilingi, Burgundiones, Thuringi, Bructeri, ac demum etiam, qui aſſidui, ac prope quotidiani Galliarum hoſtes ab initio fuerant,Saxones, &, qui in Germania remanſerant,Franci. Quod Sidonius, qui his rebus interfuit, ſcriptum reliquit:

ſubito cum rupta tumultu
Barbaries tota in te transfuderat arctos
Gallia. Pugnacem Rugum comitante Gelono
Gepida trux ſequitur. Scotum Burgundio cogit,
Chunnus,Bellonotus,Neurus,Baſtarna,Thuringus,
Bructerus,vlueſa quem vel Nicer abluit vnda
Prorumpit Francus.

Cum hac igitur tot populorum, gentiumque colluuie, quæ ad ſeptingenta millia hominum dicitur eſſe complexa, quaſi non terræ Galliæ bellum, ſed toti terrarum orbi peſtem, atque exitium intentaret, Attila ad Rhenum peruenit, ibiq; naues tam multas traiiciendi cauſſa conſtruxit, vt Hercynia ſylua, quemadmo-

T

dum inquit Sidonius, subito secta in lintres abierit. Interim totam Galliam, in primisque eam, quæ Rheno proxima primum hostium subitura impetum videbatur, noua, atque inusitata trepidatio, ac pauor incessit, singulis sibi crudeles strages hominum, populationes agrorum, euersionesque oppidorum, quæ in Oriente factas audiuerant, se visuros animo destinantibus. & quidem iampridem ea cœlo signa apparuerant, quæ ingentem merito & horrorem pectoribus, & religionem animis piorum incuterent. contra quæ miræ multorum Sanctorum hominum virtutes miseris populorum temporibus affulsere. Quippe dum exercitus flumē transibat, cum aliæ ciuitates, tum in primis Parisienses, relicta Lutetia, se ad loca tutiora recipere instituerunt. tum S. Genouefa virgo ad vxores eorum conuersa dixit: Cur patriam, in qua natæ, atque educatæ estis, relinquere cogitatis, ac non potius vos, virosque vestros contra hostes, armaque eorum ieiuniis, & precibus communitis? sic enim, Deo opitulante, facilius euadetis. Quibus verbis auditis, multæ illarum, spe sua in Dei misericordia posita, se in Baptisterium ad vota Deo facienda proripuerunt. Inde viros virgo aggressa monuit, ne desperatione debilitati fortunas vrbe suas efferrent, sed Dominum suppliciter orarent, qui solus ipsos impendentibus eximere periculis posset: nam quas vrbes, tanquam munitiores, adire contenderent, eas maiorem calamitatem esse passuras, Lutetiam vero ex tantis malis incolumem emersuram. Quam vocem rei euentus postea comprobauit. Attila, Rheno traiecto, occurrentia omnia Germaniæ secundæ oppida infestus inuasit, ac præcipue Tungros, Coloniamque deleuit. Ceterum, cum Seruatio Tungrorum episcopus, vrbem illam euersum iri à Beato Petro apostolo didicisset, dum ad sepulchrum eius Romæ vota faceret, ne tantæ ruinæ interesset, ad Traiectensem vrbem confugit, atque ibi, prout ab apostolo acceperat, finem vitæ imposuit. Cum autem vndecim millia virginum Britannicarum à visitandis sanctorum apostolorum liminibus in patriam reuertentes, Vrsula duce, secundo Rheno deueherentur, apud Coloniam ab Attila interceptæ sacro martyrio coronatæ sunt. Inde in Belgicam primam ingressus, Metas pridie Paschatis occupatas diripuit simul, atque succendit. populo trucidato, templa omnia præter Oratorium S. Stephani inflammata. In Belgica secunda Attrebatum excisum. quod post Vedastus episcopus reparauit. In Senoniam inde ingressus, Tricassas accessit. verum virtute S. Lupi episcopi nullo maleficio vrbem prætergressus affecit. Dum autem Attila in Gallia sæuiebat, Aetius legiones secum Italicas ducens, Arelate peruenit. ibi ratus, Gotthos, quanquam fœderatos haud temere se tanto certamini commissuros, Auitum Aruernum ad eos euocandos mittit, atque ei, & ceteris regibus, & copiis Gallicis diem ad conueniendum edicit. Cum autem Anianus, Aureliani episcopus, Attilam ad Ligerim aduentare videret, de ciuitate sua solicitus ad Aetium Arelate contendit, ac præsens vrbis periculum demonstrauit. Ille vero Sangibanum Alanorum regem, qui eam vrbem tenebat, formidine consternatum, ac prope à Romanis alienatum audiens, ad se accersit, & se in tempore vrbi affuturum spopondit. Interim Attila obuia quæq; subuertens, Aurelianum ad Ligerim situm accessit, eamq; vrbem se dedere recusantem, ac victoriam suam inhibentem, omni mole oppugnare, ac variarum machinarum pulsu verberare instituit. Ea re territi ciues, cum quidnam consilij caperent, in incerto haberent, Anianum consuluerunt. ille monuit, vt spem in Deo defigerent, atq; opem eius suppliciter implorarent. Quod cum illi humi prostrati fecissent, tum ad eos conuersus dixit: Prospicite de muris, num subsidium Dei adueniat. putabat enim, Aetiū aduentare. prospicientes autem neminem viderunt. at ille: Orate iterum cum fide. vos enim dominus hodie liberabit. &, cum fecissent, Prospicite iterum, inquit. Nemine autē apparente, dixit illis, Si cum fide orabitis, dominus vobis sine dubio aderit. illi vero cum fletu magno misericordiam inuocare Dei cœperunt. inde ex sancti episcopi præcepto de integro prospicientes, nebulam, quasi de terra surgentem, viderunt. Quod renunciantibus sacerdos dixit. Atqui hoc Domini auxilium est. Atq; ita trementibus, ac fatiscentibus assiduis iam ictibus arietum muris, ecce Aetius, & Theodoricus, ac Thorismundus filius eius cum suis quisque exercitibus

prodeunt,

prodeunt, commiſſoq́; certamine Attilam ab vrbe propellunt. Hæc ita acta Turonenſis Gregorius refert. Sidonius vero Attilam vrbem etiam irrupiſſe, verum, Aëtio ſuperueniente, nõ diripuiſſe prodit: ſic enim ad Proſperum epiſcopum ſcribit: *Dum laudibus ſummis ſanctum Anianum Lupo parem, Germanoq́; non imparem vis celebrari, exegeras mihi, vt promitterem tibi, Attilæ bellum ſtylo me poſteris intimaturum. quo videlicet Aurelianenſis vrbis obſidio, oppugnatio, irruptio, nec direptio, & illa vulgata exauditi cœlitus ſacerdotis vaticinatio continebatur. cœperam ſcribere. ſed operis arrepti faſce perſpecto, tæduit inchoaſſe.* Attila inde ira feruidus, cum patentiſſimos, ac prœlio faciendo aptiſſimos non longe abeſſe campos Catalauni audiſſet, eo caſtra conuertit, atque Aetio ſeſe ſummi ibi prœlij copiam facturum oſtendit. neque illud Aetius detrectauit, verum ſtatim cum Gotthis, & Francis, Alanis, & Burgundionibus, & prouincialibus, Italicisq́; acceſſit; ſeque ad pugnam capeſſendam præſto eſſe ſignificauit. Attila, antequam prœlium iniret, cum exta conſuluiſſet, intellexit, à parte Romanorum ducem, à ſua exercitum periturum. interpretans autem, Aetium eſſe caſurum, cuius virtutem, ac prudentiam omnium maxime formidabat, de exercitu ſuo non laborauit, atque alacriter in prœlium hora nona proceſſit, eo conſilio, vt ſi acies ſua inclinaſſet, nox immines dirempto prœlio ſubueniret. Cum acies inſtruerentur, dextrum cornu Theodoricus, ſiniſtrum Aetius, mediam aciem Sangibanus obtinuit, vt qui ſuſpectæ fidei turba eſſet fidelium ſepiendus. apud hoſtes autem cornua multiplices populi, mediam aciem, quo tutior eſſet, ſibi Attila depopoſcit. Erat in campis tumulus quidam leniter accliuis, quem qui primus cepiſſet, plurimum ad victoriam momenti conſequutus fuiſſet. quo animaduerſo, Attila è ſuis aliquot miſit, qui locum occuparent, ſed Romani anteuerterunt, atque Hunnos euadere conantes facile deturbarunt. Qua de re Attila, cum exercitũ ſuum, tanquam infauſto rei auſpicio, perturbatum videret, oratione ſibi confirmandum putauit, atque ita diſſerere cœpit. Poſt tot victorias partas, orbemq́; prope terrarum edomitum, abſurdum ſane cenſuerim vos verbis ad prœlium conferendum accendere. quærat hoc aut nouus dux, aut imperitus exercitus. neq́; enim me decet vulgare aliquid dicere, neque vos oportet audire. quid autem forti viro iucundius eſſe poteſt, quàm vindictam manu ſuſcipere? inuadite igitur hoſtem alacres, vt qui bellum non excipitis, ſed infertis. aduocatos videtis tam diuerſi generis populos. quod aliud maius eſſe poteſt pauoris, ac trepidationis indicium, quàm caput ſuum ſociorum armis, ac lateribus tegere? en, antequam veſtrum impetum patiantur, ſæuis terroribus concitantur. excelſa loca quærunt, tumulos capiunt, atque ita in campis munitiones depoſcunt. notum eſt vobis, quàm leuia ſint Romanorum arma. primo non dico vulnere, ſed puluere perturbantur. ergo dum illi ordines inſtruunt, dum teſtudinem nectunt, vos confligite præſtantibus animis, vt ſoletis, contemnentesque eorum acies, Alanos, Gotthosque inuadite. his enim tanquam neruis eorum præſectis, repente totum corpus ad terram collabatur, neceſſe eſt. nunc iram, Hunni, nunc vires, nunc arma, nunc conſilia veſtra depromite. faciem illi veſtram ſuſtinere non poterunt, ſi vos fortiter pugnantes aſpexerint. Hac oratione perfecta, ſigno pugnæ dato, alacriter vtrinque concurſum eſt. atque vſque ad noctem tanto ardore, tantaq́; pertinacia depugnatum, vt maiore dimicari non potuerit, tanta porro cæde, ac ſanguine, vt fœdiorem, ac cruentiorem pugnam antiquitas nulla prodiderit. Feruente autem prœlio, Theodoricus, dum adhortas ſuos diſcurreret, ſiue equo forte lapſus, pedibusq́; ſuorum attritus, ſiue, vt alij tradunt, ab Oſtrogottho quodam confoſſus, interiit. Atq́; hoc fuit, quod Attilæ aruſpices de ducis apud Romanos caſu prædixerant. quod ille temere ad Aetium traxerat. Eo dolore Gotthi accenſi ab Alanis ſecreti, aciem Hunnorum inuadunt. quo impetu Attilam oppreſſiſſent, niſi ille prouidus ſe, & ſuos in caſtra, quæ plauſtris obuallata habebat, illico retuliſſet. Thoriſmundus autem, qui cum Aetio collem anticipans, hoſtes de ſuperiore loco depulerat, credens, ſe ad agmina propria accedere, nocte cæca ad hoſtium carpenta peruenit. itaq́; fortiter dimicans capite vulneratur, atq́; equo deiicitur. ſed, ſuis intercurrentibus, tandem in equum relatus liberatur. Aetius vero per tenebras noctis à ſuis diuiſus, cum inter medios hoſtes va-

garetur, numquid aduersi Gotthis accidisset, inquirens, cum ad castra sociorū peruenisset, noctem scutorum defensione transegit. postridie, luce orta, cum stratos cadaueribus campos esse, neq; Hunnos castris exire audere videret, atq; Attilam intelligeret propter cladem acceptam prœlium detrectare, suam esse victoriam arbitratus est. Attila vero, quanquam victum se cernebat, tamen tanquam victor, in castris strepitum armorum edebat, ac tubis canebat, & terrorem solitum commouebat. Quod vt sensit Aëtius hominem obsidione premere statuit, nimirum breui periturum arbitratus, quia paratam commeatuum copiam nō haberet. neq; enim propter crebros sagittariorum eius ictus propior ad castra dabatur accessus. Qua re cognita, Attila, salute desperata, rogum ex sellis equorum construxit, eo animo, vt si Romani castra cepissent, sese in eum ardentem coniiceret, ne Romanus aut se vulnerato gauderet, aut de capto magnifice triumpharet. Interim Gundicarium regem cum Burgundionibus suis deletum, est cognitum. Gotthi quoq; cadauer Theodorici diu quæsitum reppererunt. eorum vterq; à suis honestissimis de more exequiis est elatus. Hoc est memorabile prœlium Catalaunicum. in quo CLXII millia hominum cecidisse dicuntur, præter nonaginta millia Gepidarum, & Francorum, qui nocte, quæ prœlium præcessit, inter se armis congressi mutuis vulneribus concidere. Narrant, riuulum memorati campi humili ripa labentem peremptorum, ac sauciatorum sanguine concitatum fluxisse. quosque sitis intolerantia ad bibendum adegit, eos sanguinem, quem vulnerati fuderant, potauisse. Thorismūdus inde funus patris prosequutus, ad Aëtiū se contulit, &, quid sibi opus facto esset, consuluit. Aëtius veritus, ne, deletis, vt opinabatur, Hunnis, Gotthi nimia insolentia efferrentur, suasit, vt domum repetens, regnum, quod fuerat patris, adiret, ne illud forte minor natu frater arriperet. Ita ille, Hunnico bello relicto, rex à suis acclamatus, in Aquitaniam est reuersus. Pariter etiam Sangibanus cum Alanorum, & Meroueus cum Francorum reliquiis domum dimissi. Quod vbi Attila audiit, dolum parari putans, sese per aliquot dies intra castra continuit. at vero, postquam exploratam rem habuit, lætitia summa perfusus, bene de se sperare instituit, ac Romanum dissolutum iam cernens exercitum, securus è castris excessit, ac ducto secum vsq; ad Rhenum Lupo, Tricassino episcopo, atq; cum honore remisso, Rhenum traiecit, atque per Germaniam in Scythiam retro incolumis abiit. Hæc armis hoc anno in Occidente administrata. Orientem vero longe alia ratio certaminis occupauit. Marcianus enim Augustus, vt Leonis pontificis voluntati obtemperaret, Concilium Orientalibus episcopis Nicæam Bithyniæ ad Kal. Septembris indixit. ac X Kal. Iunii litteras ad eum misit, vt, cum quibus ei videretur episcopis, eo accederet, nam se itidem affuturum, nisi publicis rationibus in expeditione fuisset occupatus. inde aliis scriptis episcopos monuit, se publicis belli necessitatibus impediri, quo minus adesse posset. proinde ipsi absentiam suam æquo animo paterentur. Leo vero V. Kal. Marciano rescripsit, se ad Concilium venire non posse, mittere autem legatos, qui suas partes implerent, atq; illum rationē habendi Concilii edocerent. ei se incolumitatem Nicænæ fidei commendare. XIIII vero Kal. Augusti ad Pulcheriam Augustam scripsit, votis se omnibus expetisse, vt Conciliū intra Italiam haberetur, quo, si securitas suppeteret, Occidentales episcopi cōuenirent, voluntatē tamen Marciani non ita aspernatū, quin legatos miserit, & rationem habēdi Concilii demōstrarit, ne quid fieret, quod legibus repugnaret. X inde Kal. Octobris Marcianus, cum esset Heracleæ, ad episcopos Nicææ cōuocatos misit, vt Chalcedonem aduenirent. nam ibi se quoq; præsto futurum. Quod cum illi impigre, obediēterq; fecissent, tum Concilium VIII Idus Octobris est inchoatum in æde S. Euphemiæ martyris, præsentibus legatis Leonis, Paschasio, & Lucētio episcopis, & Bonifacio presbytero, Marciano Imperatore, & Pulcheria Augusta, cum adessent item Anatolius episcopus Cōstantinopolis, Dioscorus Alexandriæ, Maximus Antiochiæ, Iuuenalis Hierosolymorum, & episcopi eorum alii amplius sexcenti. Ibi considentibus omnibus, Paschasius legatus Leonis denunciauit, se mandatum habere ab episcopo vrbis Romæ, quæ esset caput omnium ecclesiarum, ne patiantur Dioscorum sedere in Concilio, sed intromitti audiendum. exigentē inde senatum

caussam

caussam Lucentius excepit, iudicium sibi illi subeundum esse, quia sine auctoritate sedis apostolicæ synodum ausus esset conficere. quod fas non fuisset. Iussu deinde senatus, Dioscoro residente in medio, Eusebius Dorylæensis episcopus intulit: Læsus sum à Dioscoro, læsa est fides, occisus est Flauianus sanctus episcopus. iubete preces meas perlegi. iubente senatu, Betonicianus à secretis sacri Consistorij eas recitauit. quibus absolutis, inde quæ acta in proximo Concilio Ephesino erant, vtriusq; partis voluntate perlecta sunt. Ex quibus apparuit, Leonis pontificis ad Flauianum epistolam, in qua quæstionem hanc decidebat, fuisse neglectam, multosq; episcopos cum exceptione subscripturos fuisse, nisi ab amicis Dioscori prehensis digitis impulsi fuissent, aliosq; aut dolo, aut vi abdicationi Flauiani consensum adhibuisse. Interrogatus porro Eutyches, vtrum duas in Christo naturas assereret, respondit, se scire, Christum ante cōiunctionem diuinitatis cum humanitate ex duabus constitisse naturis, ac post copulationem vnam in eo esse. Rogati vero episcopi cur Flauiani abdicationi subscripsissent, succlamarūt, Omnes peccauimus, omnes veniam poscimus. &, cum sententia contra Flauianum, Eusebiumq; recitaretur, iidem subiecerunt; Anathema Dioscoro, Imperator Dioscorum vlciscere, viuat Leo multos annos. Postridie eius diei de fide multo accuratius est quæsitum. Ibi magistratus dixerunt: Quoniam declaratum est, neq; Flauianum, neq; Eusebium hallucinatos in fide esse, ac propterea iniuste damnatos fuisse, nobis æquum videtur, vt Dioscorus, Iuuenalis, & alij, qui primas in Concilio partes obtinuerunt, dignitate episcopali ex legibus abdicentur. quibus acclamatum est, iustū illud esse iudicium. Inde iusserunt, vt singuli episcopi fidem suam expromerent, vt qui scirent, Imperatorem Concilij Nicæni, Constantinopolitani, & prioris Ephesini constitutionibus assentiri. Alio inde die cum conuocati fuissent, Eusebius pro se, ac Flauiano libellos obtulit, Dioscorum accusans, quòd eodem, quo Eutyches, errore implicitus esset, & quòd se iniuste abdicasset, & quòd fucum in subscriptionibus obeundis fecisset; postulauitq;, vt omnia secundi Concilij Ephesini acta abrogarentur, & ipsi sacerdotio restituerentur, & vt Eutychetis dogma condemnaretur. Dioscorus inde per Aëtium primicerium notariorum citatus respondit, se teneri à custodibus, quò minus adesse posset. inde rursus requisitus post alia respōsa, se impediri aduersa valetudine dixit. Interim laici quidam Alexandrini introducti varia in Dioscorum crimina cōgesserunt. Itaq; placuit, tertio citari Dioscorum. quo item tergiuersante, & quid meritus esset, percontante, responsum est, eum legibus esse factum obnoxium. Quibus rebus peractis, legati Leonis ita constituerunt: *Cum Dioscorus Eutychetem ab episcopo suo Flauiano legitime abdicatum propria auctoritate in communionem receperit, epistolam Leonis ad Flauianum legi non permiserit, atque ita ecclesiis offensionem, & detrimentum attulerit, Leonem episcopum Romanum communione interdixerit, libellis aduersus se prolatis ter citatus non obtemperauerit, quiq; varijs concilijs erant abdicati, receperit: ob eas res Leo Romanæ vrbis episcopus per vos, & præsens Concilium cum beatissimo apostolo Petro ipsum omni dignitate episcopali dispoliat, & omni sacerdotali ministerio abdicat.* Qua sententia ab Anatolio, & reliquis episcopis approbata, Decisio Fidei recitata est, qua Decreta Cōcilij Nicæni, Cōstantinopolitani, & Ephesini primi, & epistola Leonis ad Dioscorum confirmabatur. eaq; Marciano sunt tradita. Quippe anathemate percussi sunt, qui filios duos statuerent, & diuinitatem passibilem esse assererent, quiq; confusionem duarum in Christo naturarum sentirent, ac duas naturas in Christo ante vnionem, aut vnam post vnionem confingerent, quiq; formam ab eo ex nobis assumptam alterius esse naturæ statuerent. decreuerunt autem perfectum esse in diuinitate, & perfectum in humanitate, vere Deum, & vere hominem, eiusdem cum patre naturæ secundum diuinitatem, eiusdem naturæ nobiscum, excepto peccato. eundem in duabus naturis citra confusionem, citra mutationem, citra diuisionē, citra separationem agnosci, seruatis vtriusq; naturę proprietatibus, in vnam personam, atq; hypostasim conspirantibus. Hæc III Idus Octobris acta. Cum autem aduersarij hęc decreta, tanquam potentia Imperatoris extorta, reprehenderent, ac suam sententiam adhuc corroborare contenderent, tum Anatolius, Quoniam opinionē vestram adhuc mordicus tenetis, nosq; tanquā Nestorianos,

accuſatis,qui duas naturas prædicamus, vtraq; citra cõfuſionem proprietates ſuas retinente, huius quæſtionis diiudicatio diuino numini permittatur: ſcribatur ſententia veſtra in vno libello, & noſtra in altero; atq; ambæ in ſepulchro S. Martyris Euphemiæ collocentur, eiq; veritatis iudicium permittatur. Hæc cum hæretici probaſſent,ſcripti ab vtraq; parte libelli,elato lapide ſepulchri, ſuper pectus ſanctæ martyris deponuntur. ac lapis demiſſus ab vtraq; parte diligentius obſignatur: deinde precationes ad Deum ſuppliciter effunduntur,vt ſigna edat,vtra ei ſententia cordi ſit.Inde poſt triduum,præſente Marciano,conueniunt,atq;,aperto ſepulchro , libellum hæreticorum ad martyris pedes inueniunt , alterum vero in manu eius dextra,quem ſancta virgo Marciano, Anatolioq; porrexit,omnibus,qui aderãt facti nouitate ſtupentibus,ac plane attonitis. Ex quo ingens plauſus,& gratulatio à Catholicis facta eſt,hæreticis præ pudore, mœſtitiaq; muſſantibus. Inde ſæpius eo menſe epiſcopi coierunt ad hæc,atq; alia huc pertinentia ſancienda. in quibus epiſcopi etiam Theodorus Mopſueſtenus laudatus, Theodoritus Cyrenſis, & Ibas Edeſſenus Concilio Epheſino prædatorio tanquam hæretici condemnati ; cum palam Neſtorio,& Eutycheti renũciaſſent,ſuis eccleſiis reſtituti. quæ tria capita pôſt magnum ſeditionis incendiũ concitarunt. Quin etiam,inſtante Anatolio, decretum Conſtantinopolitani Concilij confirmatum eſt,vt ſedes Conſtantinopolitanã proximũ locum poſt Romanã teneret. Quibus rebus expletis,Marcianus Cõſtantinopolim, epiſcopi ſuas quiſq; eccleſias repetierunt. Dioſcorus in Paphlagoniam relegatus eſt. Per eoſdem dies Euſebius Mediolanẽſis archiepiſcopus, ſuis ad conuentum aduocatis epiſcopis. ex eorum auctoritate Deciſionem Leonis de fide ad Concilium Chalcedonenſe miſſam probauit. epiſcopi fuere Fauentius Regienſis, Maiorianus Placentinus,Cyprianus Brixellenſis,Quintinus Derthonenſis,Criſpinus Ticinenſis,Maximus Taurinas, Floreius presbyter ab Eulogio Eporœdienſi epiſcopo ęgrotante miſſus,Gradus presbyter ab Euſtaſio Auguſtano,Cyriacus Laudenſis,Abundantius Comenſis pro ſe , & pro Aſimone epiſcopo Curienſi Rhetiæ primæ,Paſchaſius Genuẽſis,Paſtor Haſtenſis,Simplicius Nouarienſis,Ioãnes Cremonenſis,Octauianus Brixianus,Iuſtinus Vercellenſis,Quintius Albingaunenſis, Præſtantius Bergomas. Nono autẽ Kalendas Nouembris Leo pontifex ab archiepiſcopo Rauennate Neone conſultus, num baptiſma impertiendum eſſet iis, qui domos capti ab hoſtibus reueniſſent,cum ſe ſacro lauacro tinctos nõ meminiſſent, reſpõdit,tribui poſſe,ſi modo nemo exiſteret,qui ablutos illos fuiſſe aſſereret. Sub eoſdem dies,Placidia Auguſta,cuius potiſſimum conſilio reſpublica nitebatur, eſt mortua.de qua ſic Caſſiodorus: *Placidiã mundi opinione celebratam, principũ aliquorum proſapia glorioſam purpurato filio ſtuduiſſe percepimus. Cuius dum remiſſe adminiſtrat Imperium,*
452 *indecenter cognoſcitur imminutum.* Herculano inde,Sporatioq; cõſulibus,Marcianus Auguſtus VII Kal.Februar.edicto ſanxit,ne quis diſcederet à decretis Chalcedonenſi Concilio conſtitutis.Alexandrię vero Proterio epiſcopo in locum Dioſcori ablegati ſublecto,ingẽs ſeditio excitata,cum alii Dioſcori deſiderio angerentur,alij Proterio ſtuderent. eaq;, niſi militari manu ab Imperatore miſſa, nõ potuit coerceri. Eodem anno Italia ſæuo nouarum calamitatum laborauit incendio.ſiquidem Attila cum immenſo, ac formidabili illo ſuo barbariæ coëuntis exercitu in ipſam demum ferox,ac truculẽtus iniuit. Quæ irruptio cum omnium,quas barbari intulerint,noſtrorum ſermonibus celebratiſſima,ac vulgo maxime decantata ſit,nõ aliud tamen eſt in tota antiquitate ab veterum annalium ſermone deſertius. vt mihi videantur in tanti periculi magnitudine non Imperator ſolũ, ac duces eius ad tãtam peſtem,clademq; propulſandam elanguiſſe , ſed ipſi etiam ſcriptores, neſcio quo modo, ad eandem commemorandam obtorpuiſſe. Neque enim hæc quiſquam accurate litteris conſignauit præter vnum Priſcum hominem Græcum. quem magno huius hiſtoriæ detrimento amiſimus; fortuna vſqueadeo antiquam dignitatis gloriam Italicis inuidente , vt vetera florentis Italiæ decora labefacere non contenta, præclara eorum etiam conſignata litteris monumenta obliterare ſtuduerit. Quod quando,ita Deo volente,cõtigit, Priſci iacturam æquo animo patiemur,quæq; tantorum malorum teſtimonia apud Iornandem,ceteroſque,quaſi

minorum

minorum gentium ſcriptores, ſuperſunt, quàm ad memoriam inſignia, tam ad cautionem vtilia, tanquam aliquas ex ſecundo naufragio tabulas, colligemus. Attila igitur in campis Catalaunicis in Gallia ſuperatus; cum, amiſſo magna ex parte exercitu, languens ſeſe in Scythiam recepiſſet, haudquaquam ſibi quieſcendum exiſtimauit, actum de gloria, ac nomine ſuo ratus, ſi quem ex aduerſis rebus timorem oſtendiſſet, aut vllum fracti animi ſignum, afflictarumq; virium indicium edidiſſet. Itaque Valentiniano ante omnes infenſus, per quem non ſolum Gotthos non deleuerat, ſed memorabilem etiam in Gallia calamitatem acceperat, ipſum armis vlciſci Italia inuadenda, ac Roma inflammanda decreuit. Accedebat, quòd, ſi voti ſui compos factus fuiſſet, & prædam vberiorem, & victoriam certiorem ſe relaturum videbat, quòd Italiam omnium regionum ditiſſimam, atque opulentiſſimam neque Gotthi, neque Alani, neque Burgundiones, neque Franci fœderati ſuis eſſent armis, ac corporibus protecturi. Igitur eiſdem nationibus, quas antè, ſolicitatis, exercitum ſuperiore maiorem contraxit, eumq; ad ſe ſequendum ingentis ſpe prædæ, ac promiſſis accendit. Quo nuncio accepto, Italici maiore, quàm vnquam aliàs, formidine, ac trepidatione concuſſi ſunt. veniebant enim in mentem varia; quibus nuper ab Alarico, & Radagaiſo conflictati fuerant, mala. quibus adiungebatur etiam præſentium amplior numerus hoſtium, tetrior feritas gentium, maior conſtantia militum, ac demum famoſa ipſa Attilæ cum militaris rei peritia, tum immanis quædam ſupra omnem memoriam ingenij, atque naturæ ferocia: qui ſe Flagellum Dei, & Terrorem hominum appellabat, & ad id in mundum à Deo miſſum iactabat, vt tanquam iuſtæ illius vindex iræ terras omni malorũ genere permiſceret, & crudelitatem, ac libidinem ſuam non niſi ſanguine, & incendio terminabat. Augebant etiam hunc pauorem cœleſtia multa, quæ nunciata in vulgus erant, prodigia, haud dubie ſolicitis ſemper rerum futurarum mentib. triſte aliquid portendentia. nam ad cetera, vt ſcribit Marcellinus, tres ingentes lapides è cœlo cecidiſſe (res raro audita, aut ægre credita) ferebãtur. ſuberat prӕterea ſingularis rerum ad victum opportunarum inopia, ac fœda ex ea ſuborta, ac paſſim diſperſa peſtilentia, mala pacatis etiam, compoſitisq; rebus aſperrima. Ob eas res omnibus ad ipſum modo Attilæ nomen horrentibus, Venetiæ populi, qui æſtuarium maris Adriatici accolebant, quòd primam tam immanis, & tetri hoſtis impreſſionem ſe excepturos videbant, paſſim patrias ſuas in cõtinenti ſitas relinquere, ac familias cum precioſa ſupellectile tranſportare ad inſulas, ſi vis hoſtilis ingrueret, ſtatuerunt, ea ſpe ducti, Attilam aut inopia lintrium eò non peruaſurum, aut, ſi copia ſuppeteret, has inſulas, intento Romam verſus itinere, neglecturum. dicuntur autem Aquileienſes Gradum animo deſtinaſſe, Cõcordienſes Caprulas, Altinates Torcellum, & Maurianum, Patauini Riuumaltum, Opitergini Equilium, Ateſtini, & Monſſilicenſes Philiſtinam, Metamaucum, & Clodiam. Reliqui vero aſpera alpium, & Apennini iuga, & ſyluas, quibus ſe ignorantia hoſtium tegerent, ſibi cogente neceſſitate depopoſcerunt. Ceterum in tanta populorum conſternatione Valentinianus omnino animum non deſpondit, ſed ad ſolita Italiæ præſidia nouas Gothicas gentes auxilio euocauit, quarum duces Procopius Alaticum, & Anthalam nominauit. ac, Iuliis Alpibus, per quas è Pannonia in Italiam erat tranſitus, nouo præſidio communitis, Aquileiam, quæ prima erat ſuperatis Alpibus occurſura, rurſus militibus, turribus, commeatibúſque firmauit. neque ceteras, per quas ad Padum amnem rectus eſt aditus, rebus neceſſariis communire neglexit. Aëtium autem ad vrbis Romæ defenſionem, & ad omnem arripiendam aduerſus Attilam occaſionem citra Romam paratum cum validiſſimo adeſſe exercitu iuſſit. atque ipſe ſe in Vrbe continuit. ſiquidem III Kal. Iulias inde ad Firminum præfectum prætorio ſcripſit: *Non miramur, inter bellicas curas, & obſtrepentes lituos ordinatione viri magnifici, Patriciique noſtri Aëtij formam publicæ diſpoſitionis in meliorem ſtatum fuiſſe mutatam.* Cum igitur hoc ſtatu res Italiæ eſſent, Attila, traiecto per hiemem Danubio, appetente vere è Pannonia infinitam illam ſuarum colluuionem gentium mouit, atque indè recto curſu ad fauces Alpium Iuliarum acceſſit. vnde milite Valentiniani haud magna admodum mole deiecto, Italiam ingreſſus ad amnem Sontium, trepidanti-

bus, ac profugientibus ex agris omnibus, venit, eóq; transmisso, exercitum ad Aquileiam adduxit. quæ à Valentiniano omni, vt diximus, genere munitionum instructa, portis occlusis, se illius auersari imperium, atque impotentem despicere potentiam declarauit. Itaque ira inflammatus, quòd vrbem tam validam, atq; opulentam sibi resistentem, ac progressui suo moram iniicientem esset nactus, simulq; prædæ, quam opimam sperabat, intentus, vniuerso exercitu circumiecto inuasit, primo se potiturum impetu credens. verum vbi mœnia sæpius aggressus, ipsam validis expugnare conatibus acriter se tuentem non potuit, diuturna ad vrbem sessione domare constituit. Possum vere affirmare, nullius vrbis obsidionem, atq; expugnationem in Italia vulgari hominum sermone tam tritam esse, quàm Aquileiæ. verum vsqueadeo priscorum scriptorum silentio inuolutam, vt neq; per quos duces defensa, neque quibus casibus oppugnata sit, apud locupletem vllum scriptorem inueniatur. Si Prisci, vt dixi, historia superesset, non laboraremus. qui, sicut inquit Euagrius, docuit, quemadmodum Attila Orientem, atque Occidentem inuaserit, & quàm multas, quasq; vrbes exciderit, & quibus denique rebus nobilitatus ex hac vita migrarit. Iornandes autem, domo Alanus, qui Priscum hunc legit, vrbem diu obsessam fuisse scribit. quod spacium Paulus Diaconus, quasi Iornandem interpretans, triennium continuum fuisse exposuit. quem deinde omnes sequuti sunt. quod vnde ille eruerit, equidem dispicere adhuc nō potui. siquidem Cassiodori, Marcellini, & Iornandis ipsius, qui omnes his proximi fuere temporibus, testimonio satis liquet, Attilam superiore anno in Gallia rem gessisse, hoc Aquileiam in Italia euertisse. Ceterum Attila vrbem per aliquot sine dubio menses, homo eius artificij rudis, obsedit. itaq; ad exercendum in tanto otio militem non longe ab Aquileia montem Vtinum in modum aggeris struxit. sic enim suo quoq; tempore Venetos prædicasse, Ottho Frisingensis, scriptor sane vetustus, rettulit. Pòst autem, cum exercitum insolita ad vrbem obsidendam mora frementem, ac prope tumultuantem videret, vehementer angi animo cœpit. nam ad cetera, quibus exercitus ex incondita turba conflatus premebatur, incommoda pestilentia quoque illum inuaserat eò vehementius, quàm ceteros Italiæ incolas, quòd fœdus barbarorum, ac iumentorum in vno loco per æstatem consistentium odor eam vulgabat. Itaque, desperata quasi victoria, castra inde mouere in animo habuit, atque in posterum diem profectionem indixit. interim autem oblato permotus auspicio restitit. quippe ciconiam quandam pullos suos è turri subinde mœnium exportantem, & contra morem suum in agrum deferentem notauit. Quod visum ille continuo militibus abire parantibus indicauit. atque, vt erat auguralis disciplinæ peritus, Videtis ne auem illam, inquit, quæ nidum suum contra naturam destituit? prò certo habetote, illam tacito naturę sensu imminentem vrbi ruinam præcipientem sibi, natisq; suis consulere. vos autem, si viri eritis, paulisper resistetis, ac certum, qui instat, expugnatæ opulentissimæ vrbis fructum haurietis. Neque vero illud inane fuit augurium. Nam Aquileienses, (vt posteriores tradiderunt, quibus fidem neque addidisse, neque abrogasse voluerim.) crebris demum eruptionibus fusi, rei frumentariæ ad summam difficultatem adducti, atque omnibus denique malis vsque ad desperationem afflicti, consilium effugiendi ex vrbe, eamq; vacuam hostibus relinquendi cepere. Itaque, vt minore cum periculo ex vrbe excederent, sub noctem statuas ligneas armatas in stationibus murorum ad decipiendos inani defensorum specie hostes disposuerunt. atque, imprudente Attila, à parte ad mare vergente euaserunt, & in Gradum insulam cum archiepiscopo Niceta se receperunt. Attila vero, postquam, luce orta, aues hastis, capitibusq; armatorum in muris consistentium hærere securas, ac sine metu conspexit, errorem suum, atque hostium dolum agnouit. ac, signo exercitui ad vacuam inuadēdam vrbem dato, mœnibus scalas admouit. ac statim eam mœnium partem, in qua nidus ciconiæ hæserat, sua sponte labentem animaduertit. itaque impetu præcipue ab illa parte facto vrbem intrauit. ac bona ciuium, qui remanserant, militibus diripienda, ipsosq; pro cuiusque libidine conflictandos permisit. Discurrentibus autem temere ad prædam, cædem, stuprumq; militibus mulier summo loco nata, Digna nomine, facinus,

nus, si animi magnitudinem intuemur, in primis memorabile edidit. nam, cum esset, vt formæ excellentis, sic pudicitiæ singularis, ne in manus hostium veniens ludibrium fortunæ perferret, ex edita turri, quæ ædibus suis imminebat, se in subiectum amnem Natisonem capite obuoluto proiecit, studiumq; muliebris conseruandi pudoris memorabili in primis exitu declarauit. Direptis bonis, templis inde, tectisq; publicis, ac priuatis incendium est illatum, vrbsq; ad deterrendas exempli fœditate finitimas ad solum euersa. ex ciuibus alij captiui in potestate hostium remanserunt, alij tormẽtis excruciati vitam misere finierunt. reliquos & quidem copiis, ac nobilitate præstantiores incolumes insula Gradus excepit. Atq; hic quidem vrbi nobilissimæ, & quæ ad id vsque temporis claustrum Italiæ aduersus irruptiones barbarorum firmissimum, & semper inuictum extiterat, Augusto mense exitus contigit. Aquileia capta, atque deleta tantum inde proximæ prouinciæ pauoris iniectum, est, vt vrbium eius potiri, haud magni admodum negotij fuerit. Quamobrem Concordia, Altinum, Opitergium, Patauium, & Ateste, quæ prope tum æstuarium, eximiæ, atque inueteratæ nobilitatis oppida, attingebant, ciuibus plerisque ad insulas, quas diximus, properantibus primo aduentu, præsidiis deditis, in potestatem cesserunt. captaq;, ac direpta, subiectis facibus, diro, ac prope hostibus etiam ingrato spectaculo conflagrarunt. Maritimis his oppidis expugnatis, non recto cursu, sicut opinio fuerat, ad Padum processit, vt Romam, quod in sermone iactabat, appeteret; credo, quod Aëtium armatum ibi obuium extimuerit, verum ad dexteram conuersus sese intra Padum continuit, atque vni prædationi, ac vastationi, vt videbatur, vrbium deditus mediterranea Venetiæ oppida Taruisium, Vicetiam, Veronam, Mantuam, Cremonam, Brixiam, Bergomumq; petiuit, & capta, ac pariter militari populatione exhausta subuertit. Transmisso inde Abdua Liguriam ingressus eandem vrbibus eius intulit labem, Laudi, Como, Nouariæ, Vercellis, Eporœdiæ, Taurino, Mediolano, ac Ticino. quarum omnium populi formidine consternati relictis oppidis ad montes ferme, & loca situs difficultate munita confugerant. Inde, vt addit Diaconus, ineunte iam, vt opinor, hieme Padum sine impedimento traiecit. atque occurrentes Æmiliæ vrbes, Placentiam, Parmam, Regiumq; subinde adortus nullum item in eas exemplum hostilis feritatis omisit. Iam omnia, quæ intra Apenninum, & Alpes erant, fuga, populatione, cæde, seruitute, incendio, & desperatione repleta erant, nullaq; mali facies aberat, nefaria per omnes ordines, sexus, & ætates barbarorum auaritia, crudelitate, ac licentia peruagante, cum vir, illa tempestate vnicus, ac bello princeps Aëtius opportunum auxilium reliquæ iamiam perituræ Italiæ attulit. Is maximum iampridem exercitum ex Romanis, barbarisq; contractum habebat, ita vt ex æquo cum Attila iusto confligere prœlio posset, qui copias iam præda graues, ac fame, morbis, atque algore afflictas, & domum repetere cupientes, trahebat. Itaque, cum iam alter annus procederet, quo Opilio, Vincomalúsque consulatum gesserunt, cer- 453
nens illum recta per Æmiliam incitato Romam versus impetu contendentem, superiora Alarici tempora, quibus adhuc nihil fuerat tristius, auersatus, ad prouinciæ fines occurrit, summo prœlio, si opus esset, decertare paratus, atque Æmilienses campos, non minus, quàm Catalaunicos, clade Hunnica insignes posteris proditurum confisus. Attila interim, relicto Regio, Mutinam victorem, insolentemq; exercitum VII Kal. Februarias duxit. Expectabant ciues nostri suspensis, ac trepidantibus animis vltimum in horas ipsorum vrbis excidium, atque, omni humano deplorato auxilio, imminentem pestem auertere, supplicibus solis ad Deum fusis precibus, contendebant, cum repente, quasi cœlo auditi, præter opinionem omnium voti sui compotes sunt effecti. siquidem Attila vt Tricassibus in Gallia virtute episcopi S. Lupi pepercit, sic Mutinam in Italia meritis S. Geminiani intactam præteriit, neque hostili vllo detrimento affecit. Itaque Ecclesia Mutinensis merito hodie quoque festum accepti huius à sancto suo antistite beneficij diem, septimum Kalendas Februarias, solemni pompa concelebrat, præclaro pietatis, ac religionis exemplo iampridem à maioribus instituto. Haud longius inde progressus Attila, pedem, opinante nemine, retulit, atque exercitum ad Padum

reduxit, Aëtio acriter in tergis inſtante, atque extremum agmen cædibus, ac terrore premente. traiecit autem Padum, qua parte in ipſum Mincius influit. qui locus frequenti populorum vltro, citroq; commeantium tranſitu erat inſignis, ſine dubio maximis incommodis ab exercitu Aëtiano affectus. Cum autem caſtra ad Mincium trans Padum iam ſecurus ab Aëtio poſuiſſet; atq; adhuc ferocia de adorienda Roma verba iactaret, à ſuis circumfuſis ducibus, domum, vt dixi, ſpectantibus eſt admonitus, vt conatu illo, conſilióque deſiſteret; memor, Alaricum regem Gotthorum, poſtquam Romam diripuiſſet, fœdo naufragio deformatum paucos dies ſuperuixiſſe. Interim Valentinianus, receptu Attilæ cognito, paulisper reſpirare, ac quaſi ex cæcis ſeruitutis tenebris lucem aliquam libertatis cœpit aſpicere. itaque legationem de pace mittere ad Attilam, tanquam omnia æquioribus iam auribus accepturum, conſtituit, ac Leonem pontificem, hominem non maieſtate ſolum, ſed etiam ætate venerabilem ad id muneris legit, adiectis mandatis, vt quacunque conditione poſſet, Attilam non ſolum à progreſſione auerteret, ſed etiam ad Italiam primo quoque tempore relinquendã impelleret. Haud reſpuit in tanta rerum aſperitate laborem vllum egregius pontifex, ſed, comitatu honeſtiſſimo ſumpto, quàm maxima potuit, ad eum celeritate contendit. nactúſque ipſum ad Mincium, vt proxime, conſidentem, ac ſæua adhuc ſecum de petenda Roma conſilia volutantem, ſe veniſſe à Valentiniano legatum oſtendit. Non potuit homo non minus moribus, quàm genere barbarus, tam ſancti, támque venerandi antiſtitis aſpectu non grauiter commoueri. itaque benigne, atque honorifice illum excepit, & libere, quæ peteret, expromere iuſſit. Quibus tum verbis pontifex non ſolum optimus, ſed etiam diſertiſſimus cauſſam Italiæ, Vrbis, atque Eccleſiæ Romanæ orauerit, ac quemadmodum regis barbari pectus dicendo verſarit, nemo prodidit antiquorum. neque ad ea ex ingenio confingenda, (quod quidam nuper poetarum more fecerunt,) nobis veritatem conſectantibus ſuppetit animus. cum hactenus nihil, niſi ex vetuſtis ſumptum auctoribus, attulerimus. quod conſtat, ille hominem ferum, atque ab omni religione auerſum graui diuinæ iuſtitiæ commemoratione adeo permulſit, vt ipſum adhuc quibuſdam quaſi facibus inflammatum ad cupiditatem ſcelerati facinoris obeundam, promiſſo annuo tributo, ab eiuſmodi conſilio reuocarit. Additur res auditu mirabilis, Attilam non tam grauiſſima Leonis oratione placatum, quàm aſpectu alterius viri Leoni à tergo aſſiſtentis, atque ipſi gladium, ni obedientem ſe gereret, intentantis, fuiſſe perculſum. quod ipſe poſtea diſerte confeſſus eſt. nam, cum à ſuis reprehenderetur, quòd tam facile pontificis Romani nutui, auctoritatique ceſſiſſet, reſpondit, non ſe illum fuiſſe reueritum, ſed alterum pone illum in habitu ſacerdotali aſtantem, forma auguſta, & canicie venerabili præditum, & diſtricto gladio ſibi mortem, ni dicto audiens eſſet, acerrime minitantem. illum autem Petrum principem apoſtolorum fuiſſe noſtri merito crediderunt. Vulgo etiam inter Hunnos ſermo increbuit, Attilæ ferociam à duabus tandem feris fuiſſe perdomitam, Lupo in Gallia, & Leone in Italia, cum Lupum Tricaſſinum epiſcopum, & pontificem ſignificare Leonem vellent. Ita, motis à Mincio caſtris, Noricum verſus iter ſuſcepit, ne per loca ruinis ſtrata, agróſque recenti adhuc igne fumantes, atque ab omni genere alimentorum inopes exercitum precioſa potius, quàm neceſſaria præda onuſtum reduceret. atque inde, tranſmiſſo Danubio in Scythiam ſuam peruenit, fama ſæui prædatoris potius, quàm conſtantis bellatoris, relata. Hæc, quæ de irruptione Attilæ in Italiam ſcripſimus, paucis verbis Iornandes in Annalibus attigit: *Attila*, inquit, *recollectis viribus, Aquileiam vi magna diu obſeſſam capit. ac circumquaque prædis, & cædibus furibundus bacchatur. ad quem Valentinianus Imperator papam mittens, pacem cum eo fecit. exercitusq́; eius fame, peſte, morbo, cædibusq́; inſuper ab Aëtio attritus, eum reuerti fecit.* pluribus vero in eo libro tradidit, quem de rebus Geticis ſcripſit. Ceterum hæc vt noua, ſic miſerabilis admodum Venetiæ, Liguriæ, atque Æmiliæ, quæ adhuc ſub Imperij tutela omnibus bonis floruerant, calamitas accidit. neque enim Alaricus citerioris, ſed vlterioris Italiæ vrbes attigerat, quas hac impreſſione Attila contuſas prorſus, laceratáſque reliquit. Quare, profecto illo, populi tanta barbaro-

barorum mole leuati, alacres statim omne suum ad accepta supellectilis damna resarcienda, & tectorum iacturam quoquomodo reparandam studium contulerunt. Nam qui ad montes, insulásve diffugerant, alióve quò dilapsi formidine fuerant, reuocati vrbes pristina frequentia celebrarunt, & captiuos, quos potuerunt, vel ingenti pecuniæ magnitudine redimere deinde conati sunt. in Venetia tamen Aquileia, Concordia, & Altinum, licet episcopis ad ecclesias suas administrandas reuersis, nequaquam; Opitergium, Patauium, & Ateste, ægre admodum, restituta sunt. Id autem, (quis tandem occulta Dei consilia prouideret;) bono quodam quasi Italiæ fato euenit. Etenim hoc pacto vrbs clarissima Venetiarum est condita, difficillimis aliquando temporibus veterem Italiæ dignitatem repræsentatura; ac fortiter sæuissimum aquilonarium hostium impetum exceptura. Harum namque ciuitatum primores, qui ad insulas confugerant, tam crebris, & tam sæuis barbarorum impressionibus consternati, cum patrias sedes suas crematas, agrósque vastatos viderent, domicilia in insulis sibi perpetua statuerunt. ac, communicatis consiliis, non solum rationem inierunt, qua se aduersus immanem incursantium hostium libidinem tractanda re maritima tegerent, sed etiam creatis magistratibus, quos Tribunos, Cassiodoro teste, vocarunt, certam inter se rempub. instituerunt, quam vsque ad Caroli Magni tempora tenuerunt. à quo armis petiti ex omnibus insulis in vnam ferme, quam nunc incolunt, Riuum altum migrarunt. Quo casu egregie, prosperéque defuncta ciuitas belli, pacísque studiis pro temporum ratione colendis ad eam opum amplitudinem creuit, vt iam cum potentissimo quoque rege æquo marte terra, marique armis confligere non solum possit, sed etiam ausit. His exceptis, reliquæ ciuitates suis quæque episcopis auctoribus, atque adiutoribus sacras, & profanas ædes restituere, & pristinum eis decorem reddere properarunt. ex quibus præcipue mira Eusebij archiepiscopi apud Mediolanenses opera, atque industria prædicatur. Eodem anno XVII Kalend. Maij Leo pontifex litteris Marcianum Augustum rogauit, vt Eutychetem ex iis locis, in quibus exul nefariam de Christo doctrinam tradebat, in remotiora, & secretiora loca retruderet, quò minore Ecclesiam detrimento vexaret. Vbi vero Attila in Scythiam rediit, quietis, otiique impatiens noua moliri, sed occulta, vt antè, consilia cœpit. nam palam Valentiniano, & Marciano Augustis minas intendit, occultè autem aduersus Sangibanum regem Alanorum arma parauit. quia, Theodorico, & Gundidicario interemptis, & Valentiniano ad extremam prope desperationem adducto, ipsum incolumem superesse, tanquam participem eiusdem culpæ, dolebat. Itaque ad Valentinianum misit, denuncians, se grauioribus Italiam incommodis affecturum, nisi Honoriam sororem cum parte regalis opulentiæ ad se misisset; ad Marcianum vero, se Illyricum nouo bello fatigaturum, nisi promissa à Theodosio stipendia persoluisset. & cum hæc minabundus iactaret, exercitum tamen ad diem conuenire iussum iterum in Galliam duxit, vt Alanos ad Ligerim confidentes inuaderet. Qua re cognita, Thorismundus rex Gotthorum, id ad se quoque pertinere existimans, qui proximas Alanis sedes haberet, paratis continuo rebus Alanorum subsidio venit, atque, altero cum eo edito prœlio, victum in Scythiam se referre coegit. Huius pugnæ vnus Iornandes est auctor. Aëtium, quò minus Thorismundo auxilium tam asperis temporibus ferret, fœdus cum Attila modo ictum, credo, continuit. Ob id Thorismundus incensus, Aëtio iam, 454
Studióque consulibus, quòd dubiis suis in rebus fuisset ab Aëtio destitutus, bellum Romanis in Gallia mouit, atque exercitum Arelate adduxit, &, cum adortus manu expugnare non potuisset, obsidionem admouit. Qua cognita, Aëtius propere cum copiis, quas in promptu habebat, accurrit, ac prœlium acre commisit. neque tamen Thorismundum ab vrbe depellere potuit. Quod vt animaduertit Ferreolus, tum prætorio Galliarum præfectus, homo propter singularem prudentiam, atque excellentem humanitatem inter paucos apud Gotthos gratiosus, ad Thorismundum accessit, ac blande appellatum, ac conuiuio comiter exceptum ad eam relinquendam obsidionem induxit. Quod Sidonius sic in epistolis rettulit: *Ferreolus, qui Gallias administrauit, tum cum maxime incolumes erant, Attilam Rheni*

hostem, Thorismundum Rhodani hospitem, Aëtium Ligeris liberatorem; sola dispositionum salubritate tolerauit. & propter prudentiam tantam currum eius prouinciales cum plausuum maximo accentu spontaneis subiere ceruicibus. quia sic habenas Galliarum tractauerat, vt possessor exhaustus tributario iugo releuaretur. Rex Gotthiæ ferocissimus affatu eius inflexus est. eúmque ab Arelatensium portis remouit conuiuio, quem Aëtius non potuerat prælio. Attila inde domum reuersus summo sese otio tradidit. itaque post multas vxores ductas, vt moris erat illius gentis, puellam nomine Hildiconem, specie præstantem sibi matrimonio copulauit, ac nuptias magna hilaritate animi celebrauit. quo facto vino, cibóque grauis in omnem libidinis intemperantiam se effudit. subinde fatigatione resolutum somnus adeo altus oppressit, vt cum sanguis è naribus manare cœpisset, ipse nihil sentiens faucibus, ac spiritu interclusis extinctus sit. postridie mane illustri iam procedente sole cum ministri regem contra morem cubare viderent, tristius aliquid suspicati cubiculum ingrediuntur, atque ipsum sine vulnere sanguine mersum, puellámque demisso vultu sub velamine lacrymantem offendunt. Quo dolore perculsi milites gentis ritu crinium parte recisa ora vulneribus lacerarunt, amissum regem ingenti gemitu, eiulatuq; deflentes. atque inde funus apparatu regio instruxerunt. quippe in mediis campis, & intra tentorium sericum cadauer posuerunt. lectissimi autem equites circumcursantes facta eius magnifica cantu lugubri cecinerunt, in hanc sententiam: Attila rex Hunnorum Mundzucci filius, fortissimarum gentium dominus. qui solus, primusq; Scythica, & Germanica regna obtinuit. atque vtrumq; Imperium captis vrbibus terruit, & ne prædæ reliqua subiicerentur, placatus precibus annuum vectigal accepit. cumque hæc omnia singulari felicitate gesserit, non vulnere hostium, non fraude suorum, sed gente incolumi inter gaudia lætus sine sensu doloris occubuit. Quibus carminibus absolutis strauam, quam vocabant, super tumulum eius magna comessatione concelebrarunt, ac luctum gaudio temperarunt. Inde silentio noctis cadauer sepulturæ mandatum, idque auro, argento, ferroq; munitum est. scilicet, vt ferro gentes edomitas, auro, argentoq; vtrumque spoliatum Imperium indicarent. addidere inde arma hostibus adempta, ceteraq; preciosa fortibus viris erepta insignia. Marcellinus Aëtij impulsu Attilam à muliere confossum hoc anno notauit, alij in priorem rettulerunt. Thorismundus etiam rex per eosdem dies est mortuus. nam Tolosæ morbo oppressus, cum eius curandi gratia sanguinem mitteret, à cliente inimicos falso adesse nunciante, armis subtractis, occisus est, ita tamen, vt scabello arrepto, antequam opprimeretur, nonnullos ex insidiatoribus strauerit. Eius mortui locum Theodoricus secundus frater obtinuit. cuius mores egregios pluribus verbis Sidonius epistola secunda descripsit, qui hoc tempore florere cœpit. His funeribus regiis simul etiam Pulcheriæ Augustæ obitus est adiunctus. Eodem anno, filij Attilæ de diuidendo inter se regno agere cum cœpissent, contentione orta eò descenderunt, vt populos subiectos in sortem conijcerent. Quod vbi Ardaricus rex Gepidarum audiit, indignum esse ratus, bellicosissimas gentes, tanquam viles pecudum greges, sorti committi, contra eos exercitum duxit, ac defectione sua non populares solum suos, sed alias etiam nationes ad libertatis studium excitauit. ac prœlium in Pannonia iuxta flumen Netad aduersus Hunnos, & eorum amicos iniuit. Ibi Ellace filio Attilæ natu maximo cum triginta suorum millibus strato, reliqui fratres eius ad littus Pontici maris, vbi vetustas Gotthi sedes habuerant, abire compulsi. Ita Hunni, quorum opes terra capere non potuerat, tristi dissidio distracti subito conciderunt. Populi vero, qui illorum imperio obtemperauerant, sedes à Marciano, & Valentiniano Imperatoribus impetrarunt, Gepidæ quidem Daciam, & munera strenuis viris honoris caussa tribui solita; Ostrogotthi vero Pannoniam, quæ Attilæ fuerat, à Sirmio ad Vindibonam; Sarmatæ, & quidam Hunni in Illyrico ad castrum Martenam; Scyri, & Satagarij Alani cum suo duce Candace, cuius notarius fuit auus Iordanis harum rerum scriptoris, Scythiam minorem, & Mœsiam inferiorem accepere; Rugi vero, aliique quidam Scandiopolim. Interim Valentinianus, vbi ab instantibus curis laxatus est animus, res duas omnium maxime improbatas, ac reip. sibiq; demum perniciosissimas, est aggressus,

quarum

quarum vna fuit turpioris libidinis, altera stolidæ cuiusdam temeritatis. Vxorem
ille Petronij Maximi perdite deperibat. erat autem Maximus senator, idemque
Patricius, nepos illius Maximi, quem Theodosius Gratiani vlciscendi caussa sustu-
lerat. Hanc igitur forma excellentem cum misere amare cœpisset, blanditiis pri-
mum ad sui obsequium allicere nixus est. vbi vero pectus eius munitum pudicitiâ
repperit, ad artem se contulit. quippe Maximum ad se accersiuit, & de industria lu-
dere cum eo talis instituit, certoq; auro proposito, annulo eius ludi victor potitus
est. quem statim Maximi nomine clam ad illius coniugē misit. eamq; iussu mariti,
signo accepto, properare in Palatium ad salutandam Eudoxiam Augustam præ-
cepit. Mulier, annulo mariti cōspecto, nulla de re suspicans adiit, ac statim in gyne-
ceum à paratis ad id mulieribus deducta est. Neque ita multo post Valentinianus,
Maximo relicto, libidine ardens accessit, atq; amorem testatus, castissimæ mulieri
stuprum nefarium intulit, Sex. Tarquinium imitatus, qui violatione Lucretiæ re-
gnum ex vrbe deiecit. Dimissa inde mulier, vt iniuriā violatæ pudicitiæ vindicaret,
viro rem prodidit, ipsumq;, vt qui tanto probro occasionem aperuisset, prope de-
testabunda increpuit. ac mox rei indignitate per se satis accensum quibusdā quasi
furiarum facibus ad tantam persequendam contumeliam incitauit. Maximus in-
de, cum se Valentiniano vitam eripere sine certo periculo non posse, viuente Aëtio
animaduerteret, ipsum ante de medio sibi tollendum existimauit. Itaque rem ag-
gressus, eunuchos regij corporis custodes spe, præmiisq; corruptos induxit, vt Va-
lentiniano persuaderet, Aëtium rebus gestis inflatum nouas res in Gallia meditari.
Quod cum princeps credidisset, continuo cogitare de illius delendi ratione insti-
tuit. cum autem in hanc curam animnm intendisset, forte ex amico quodam quæ-
siuit, num Aëtij mortē vtilem fore reip. iudicaret. cui ille, Minimè vero, inquit. im-
mo si illum sustuleris, tu tibi dextram manu altera desecabis. Qua voce haudqua-
quam deterritus, Aëtium Romam acciuit, & satellitibus in palatio collocatis, vbi
accessit, per eos incautum vna cum Boetio amico fœdissime trucidauit. Quo ex-
tincto, simul omne Occidentalis Imperij præsidium concidit. tanta fuerat in eo vir-
tutis indoles, tanta auctoritas, atq; ad omnes res consulendas, atq; agendas consilij
promptitudo, animiq; alacritas. In eius locū substitutus est Ricimer Sueuus, vt in-
quit Sidonius, nam alij Vandalum prodiderunt. qui genus maternum ad Valliam
Gotthorum regem proximū referebat. Valentiniano inde Augusto VIII, & An- 455
themio, qui postea Imperauit, consulibus, Marcianus Kal. Augusti edictum edi-
dit, vt qui Concilio Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi
assensum abnuerent, & cum Eutyche facientes Proterij episcopi Alexandrini con-
suetudinem deuitarent, ij omnibus pœnis, quibus Apollinaristæ hæretici, teneren-
tur. Cum duces Ostrogotthorū Valemirus, Theodemirus, & Vindemirus fratres
diuersis in locis in Pannonia habitarent, filij Attilæ eis irati, vt qui, tanquam manci-
pia, à legitimo domino profugissent, aduersus Valemirum, Theodemiro, & Vin-
demiro inscientibus, contenderunt. quorum impetum tanta ille virtute sustinuit,
vt eos acie fatigatos prostrauerit, & cum exigua suorū parte Scythiam petere trans
Istrum coegerit. Quo die Theodemirus tam insignis victoriæ nuncium à fratre
accepit, eodem illi natus est puer ex concubina, quem Theodoricum vocauit. qui
postea regnum Gotthorum in Italiam introduxit. Maximus, cum ad perimendum
Valentinianum, vt certo iam vltore desertū, animo esset erectus, Ostilam, & Tran-
silam fidos quondā Aëtij satellites, indignitate domini necis iniecta, ac muneribus,
& pecunia in præmium periculi ostentata, impulit, vt Valentiniano parum ab eis
caventi manus afferrent. Nec consilium fefellit euentus. XV Kal. Aprilis conue-
nerunt, atq; hominem inermem, neq; de eiusmodi insidiis cogitantem, in campo
Martio pro tribunali concionantem nacti circunsteterūt, & per Ocillam Aëtij bu-
cellarium ex aduerso venientē gladio confoderunt, ac vita exuerūt. in eo tumultu
Heraclius eunuchus cecidit, cum pro domini salute suum caput offerret, fidemq;
in extremo etiam casu præstare contenderet. Tota inde non solū regia, sed etiam
vrbe tanti facinoris magnitudine consternata, nemo extitit, qui se Maximi cona-
tibus aduersariū exhibuerit. Obiit Valentinianus anno Imperij sui tricesimo, æta-

tis vero tricesimo quinto. Eo Imperante, Occidentale Imperium, quod desidere sub Honorio cœperat, labi, vt dixi ab initio, cœpit. Vnus tamen Attila ad terrorem hominum natus modo fortiter acie victus, modo afflicto exercitu cum pace dimissus, perennem ipsi apud posteros conciliare beneuolentiam potuit.

CAROLI SIGONII HISTORIARVM, DE OCCIDENTALI IMPERIO,

LIBER XIIII.

MAXIMVS SECVNDVS IMPERATOR.



ALENTINIANVM inde Imperatores illi per tempora exceperunt, quibus dominantibus fœda, ac miserabilis ipsa demum Occidentalis Imperij labes est subsequuta. Hi sunt enim, qui ipsas prorsus Occidentis prouincias amisserunt; hi sunt, qui Romam iterum, atque iterum, à barbaris captam, atque incensam viderunt; hi, qui Italiæ Dominatione exuti nomen, gloriamque Romanam funditus euerterunt; hi denique, qui clarissimum Imperij Romani lumen, atque inueteratam populis nobilissimæ gentis auctoritatem penitus extinxerunt. Nam, barbaris iam late omnia ditione, libidineque tenentibus, non solum antiqua Imperij maiestas, sed vetus etiam litterarum, atque ingenij dignitas omnino euanuit. neq; enim in tanto bellorum ardore, ac quotidiana seruitutis, necisque formidine pristinis doctrinæ, atque eloquentiæ studiis vacare hominibus licuit. Itaque fœcunda illa eruditorum, disertorumque virorum propago, quæ vsq; ad primam Gotthorum in Italiam impressionem cum maxima omnium admiratione floruerat, tetro ipso barbariæ transitu, tanquam infesto rapidi cuiusdam aquilonis impetu, prorsus exaruit. Quamobrem non erit mirandum, si nos etiam quæ sequuntur, veteribus eo magis rerum destituti scriptoribus parcius, ac tanquam earum, quas describemus, cladium atrocitate perculsi, quodammodo languidius attingemus. VALENTINIANO Imperatore perempto, Maximus non solum dolori suo se iniuria vlciscenda satis fecisse, sed etiam occasionem ad Imperium occupandum sibi aperuisse putauit. neque enim Valentiniani proles virilis vlla extabat, cui iure hereditario id fastigium deberetur, & ipse satis se paratum non solum ad inuadendum, sed etiam ad tuendum tantum dominatum arbitrabatur. Itaque eademmet hora, qua Valentinianus occisus est, ex campo digressus, furore, ac scelere ardens, cum magna armatorum satellitum manu in Palatium iniit, atque Eudoxiam Augustam adeptus per vim, vxore paulo antè amissa, sibi matrimonio sociauit. quo facto, parati ad id, promissis muneribus, milites ipsum Imperatorem acclamantes leuarunt. Augustalibus inde insignibus exornatus totum se tradidit fluctuanti Imperio componendo. Hic, vt inquit Sidonius, præfectura prætoriana, Patricij dignitate, ac consulatu semel, atque iterum functus fuerat, ac moribus, pecunia, litteris, patrimoniis, & clientelis ita floruerat, vt nemo illo in vrbe conspectior, nemo in rep. beatior putaretur. postquam autem Augustus appellatus, ac per eam caussam Palatinis inclusus liminibus, fuit, ante lucem vehementer ingemuit, quòd voti compos factus sui fuisset. vsque adeo vt Imperij pondus perosus sæpe dixerit: Felicem te Damocles, qui regni necessitatem non vno longius prandio pertulisti. neque id iniuria. nam vno tempore & palam, & occulte nefarias imperio, & capiti suo comparatas insidias sensit. Etenim, nuncio in Galliam de Valentiniani cæde perlato, barbari omnes male iam pridem erga remp. animati repente ad arma sunt conciti. siquidem & Saxones piratæ tractum Aremo-

Aremoricum infeſtum habere cœperunt, & Franci, atque Alemani more patrio Rhenanas prouincias diuexarunt, & Gotthi ſubita defectione arma ceperũt. Quod Sidonius his verbis in Auito expreſſit:

Quin & Aremoricus piratam Saxona tractus
Sperabat. &
Francus Germanum primum, Belgamq́; ſecundum
Sternebat, Rhenumq́; ferox Alemane bibebas
Romanis ripis, & vtroque ſuperbus in agro
Vel ciuis, vel victor eras.

Francus autẽ Hildericus rex fuit, qui, teſte in Annalibus Iornande, hoc anno Merouco patri vita functo ſucceſſit. ac patrij regni prolatandi libidine ſtimulatus per hanc occaſionem Germaniam primam, & Belgicam ſecundam inuaſit. quarum in vna continebantur Magonciacum, Argentoratum, Nemetes, & Vangiones; in altera vero Rhemi, Sueſſiones, Catalauni, Veromandui, Attrebates, Camaracenſes, Tornacenſes, Siluanectæ, Bellouaci, Ambiani, Morini, & Bononienſes. Hęc vero damna vbi Maximus trepido nuncio deferente accepit, ſubito Auitum Aruernum, de quo ſuprà dictum eſt, magiſtrum vtriuſq; militiæ legit. eumq; turbatis rebus Galliæ pro ſua conſulere prudentia iuſſit. quem honorem vt ab Auito ſuſceptum certus in Gallia rumor increbuit, omnis ſtatim Alemanorum, Saxonumq; motus obtorpuit. Quare Auitus ad Gotthorum ſedandos motus conuerſus, Meſſianum, qui animos eorum exploraret, præmiſit, ac mox ipſe non armatus, ſed legatus, proceſſit. & Toloſam vna cum rege Theodorico iniuit. Dum hæc autem aguntur, Maximus nouo alio, & magis tetro ſcelere eſt appetitus. quod non ipſi ſolum, ſed vrbi etiam Romanæ præſens, ac memorabile exitium attulit. Is prima nocte cum Eudoxia cubans, illud in ſermone imprudenter iniecerat, ſe nimio illius amore incenſum viro eius Valentiniano inſidias tetendiſſe. eaq; vox altius, quam opus fuiſſet, in pectus Eudoxiæ penetrarat. itaque mulier ſiue propriæ contumeliæ impotens, ſiue alienæ vltionem iniuriæ appetens, ſtatim animum ad perniciem Maximi appulit. ac mox, aliis auxiliis deſperatis, occulte nunciũ ad Genſericum regem in Africã cum litteris, ac muneribus ampliſſimis amiſit, magnopere obteſtans. vt ad ſe, ciuitatemq; Romanam infeſta Maximi tyrannide liberandam, ac ſimul ad Valentiniani mariti necem iniuſtiſſimam vindicandam accederet. id enim ipſum fœderi, amicitiæq; debere, quo nuper ſe cum eo per Honoricum filium obſidem aſtrinxiſſet. His litteris acceptis Genſericus erectus, optatam potius, quã ſperatam occaſionẽ vltro oblatam arripuit, ac ſubito ſpe ingentis, atq; opimæ prædæ illectus claſſem ad expeditionem Romanam inſtruxit, ac trecentis millibus Vandalorum, Maurorumque impoſitis, curſum Romam verſus prope fatalem intendit, vt quod Alaricus ſummis votis expetitum, ac maximis viribus tentatum vix extorſit, id ipſe vltro quaſi à fortuna porrectum acciperet, id eſt, vt Romam à principio originis ſuę ab hoſtili clade prope intactam ſecunda irruptione affligeret, ac Vandalicæ feritatis veſtigia ad omnem poſteritatis memoriam in ipſo quoque Imperij domicilio impreſſa relinqueret. Itaque dum Maximus aulam, atque Imperium inter ſæuos militum, popularium, fœderatorumq; tumultus nihil ex Africa aduerſi metuens regit, ecce de improuiſo pridie Idus Iunias, nec opinantibus omnibus, Genſericus claſſem valido milite, atque omni bellico apparatu refertam ad littora Romana appellit, atque exercitum ad omnem vrbis oppugnationem inſtructiſſimum repente exponit, atq; explicatis ordinibus ducere ad mœnia eius inſtituit. Qua re cognita, tantus eueſtigio ciuitatem pauor inuaſit, vt eodem momento vrbs capta omnibus videretur. Itaq; populares iuxta, ac nobiles de ſua ſalute ſoliciti vrbe ſe tumultuoſe proripuerunt, atq; in montes, ſyluaſq;, vt tutiores futuri latebris, profugerunt. Qua trepidatione animaduerſa, Maximus & ipſe formidine anxius, ac prope ab omnibus auxiliis deſtitutus, ex vrbe exceſſit, ſeq; ceteris non tam fœdæ, quã periculoſæ fugæ ſocium præbuit. Fugientem autem, ac ſolum vbi ſenatores quidam inimici eius viderunt, veteres ſubito offenſionum acerbitates animo reuocarunt, atq; iracundia incitati per occaſionẽ lapidibus inceſſerunt, ac mox tractum, laceratumq;

per Vrſum Romanum militem in Tiberim proiecerunt. Quæ poſtquã Genſericus accepit, poſt triduum vrbem neceſſario prǽſidio vacuam, nemine reſiſtente, iniuit. Cum in his anguſtiis res eſſet, Leo pontifex priſtinæ haudquaquam virtutis, ac pietatis oblitus, iterum ad patriæ, Eccleſiæq; ſalutem, quantũ apud barbarum hoſtem ſiue gratia, ſiue auctoritate valeret, in extremo experiri periculo voluit. itaq; ſacra procerum caterua ſtipatus Genſerico ad vrbem aduentanti ſeſe obuium tulit, atq; ipſum in limine portæ adeptus, per omnia Chriſtianæ religionis ſacra, quibus ille magna ex parte eſſet addictus, orauit, vt ei ciuitati vellet parcere, cui nuper inimiciſſimus, ac ſæuiſſimus omnium Attila peperciſſet, cum ab ea adeunda ardentem animi ſui impetum temperaſſet. Non flexere ſanctiſſimi antiſtitis preces regem Chriſtianum, quæ paganum infregerant. nam vrbem ingreſſus, non tam profanas domos, quam ſacra templa, contrà quàm Eudoxiæ ipſi vocanti promiſerat, libidini, auaritiæq; militari permiſit. Ita Roma poſt annum quadrageſimum tertium, quàm à Gotthis capta, ac ſpoliata fuerat, iterum à Vandalis occupata, ac fœdiſſima populatione vaſtata eſt. neque enim priuatas, ac profanas ſolum opes abegerunt, ſed ſacram etiam ſupellectilem ſolido auro, atque argento, & lapidibus precioſis ad auguſtorum templorum ornamenta conſtantem, cui pepercerat Alaricus, eripuerunt. inter quæ aurea, atq; argentea magni ponderis vaſa, quæ Titus Hieroſolymis quondam attulerat, aſportata. quin etiam omnia Auguſtalia ornamenta, &, ſi qua erant antiquæ vrbis decora, ablata. ex quibus Iouis Capitolini tegularum ex ære auratarũ pars dimidia, ac ſtatuæ pleræq;, quæ egregij operis erant, auectæ. Iam vero hominum innumerabilis multitudo captiua facta. neque enim ciues ſolum paſſim in ſeruitutem abſtracti ſunt, ſed ipſa etiam Auguſta Eudoxia, huius memorabilis cladis auctor cum duabus filiabus Eudocia, Placidiaq; abductæ. Ex iis, qui vrbe ceſſerunt, alij alio incolumitatis cauſſa dilapſi ſunt. ex quibus Olybrius vir nobilitate inſignis, cui Placidia deſponſa erat, Conſtantinopolim abiit, atq; inde poſt aliquot annos ad accipiendum Imperium rediit. Euagrius vrbem non ſolum direptione, ſed etiam incendio deformatam ſcribit. Itaq; Varronis comprobata tum demum ſententia eſt, qui ex Vectij auctoritate prodidit, quando conditori vrbis Romulo duodecim vultures augurium effeciſſent, ipſam ad mille ducentos annos manſuram, neq; ita multo pòſt ruituram, ſi quidem hic milleſimus ducenteſimus annus vrbis conditæ numeratur. His actis, Genſericus, modo militari populationi impoſito, poſt quartum decimum denique diem vrbe exceſſit, ac Romanam prædam in naues impoſitam in Africam deportauit. quarum quæ ſtatuas deuehebat, aduerſa tempeſtate vexata interiit. reliquæ incolumes portus Africæ tenuerunt. Cum autem opes infinitas, ac populum ingentem in Africam deuexiſſet, prædam inter Vandalos, & Mauros, Victore teſte, ita diuiſit, vt maritos ab vxoribus, liberos à parentibus ad cumulandam miſeræ captiuitatis acerbitatem magna inclementia ſepararet. Quod vbi Deogratias Carthaginis epiſcopus paulo antè precibus Valentiniani creari ab eo permiſſus audiuit, vehemẽti dolore ſolicitatus vaſa ſacra emenda ingenuos redimendos, parentibus liberos, viris vxores reſtituendas curauit. atq; eis baſilicas duas Fauſti, & Varij cum lectulis, & ſtramentis ad cubandum attribuit. ægrotisq; quæ neceſſaria erant, miniſtrauit, medicis cibisq; ac medicamentis opportunis exhibitis. verum & hæc ſubſidia poſt biennij ſpacium epiſcopi mors immatura ſubduxit. Eudocia puella à Genſerico nuptui Tranſamundo filio data. Hac tam inſigni clade accepta, quę vberes etiam Italiæ vniuerſæ lacrymas elicuerat, Romani poſtquam hoſtem è finibus exceſſiſſe, ac, conſcenſis nauibus, perueniſſe in Africã didicerunt, alacribus, vt in tantis calamitatibus, animis patriam receperunt; prǽter eos, quos hoſtilis libido captiuos abduxerat, quia pecuniæ ad ſe redimendos facultas defuerat. ac mox ſæuis vrbis vulneribus mederi, quæ populatio, ac flamma intulerant, inſtiterunt. in primis autem Leo pontifex, ſumma homo ſolertia, ac pietate ornatus omnia Titulorum vaſa ad vſum rei diuinæ ſpectantia ex argento refecit. prǽterea hydrias binas argenteas baſilicæ Conſtantinianæ, binas baſilicæ S. Petri, binas baſilicæ S. Pauli, quas Conſtantinus Magnus quondam obtulerat, renouauit. atq; eiſdem cameras etiam aut addidit, aut ornauit, aut inſtaurauit. reliqui

vero,

vero, vt quisque potuit; priuata ædificiorum, ac supellectilis damna resarcire conati sunt, lapidibus etiam, cum alia deessent, ex vetustis nobilium operum monumentis, quibus vrbs adhuc, vel inulta barbaria, honestabatur, assumptis. atque huic quidem studio & hoc, & sequentibus deinceps annis est inseruitũ. Nondum Auitus Tolosæ positus impositam sibi à Maximo legationem confecerat, cum interempti Imperatoris, Romæque captæ fœda in Galliam fama perlata est. Tum vero Theodoricus rex, Gotthorum consilio aduocato, Auito potestatem dicendi fecit. qui ita differere cœpit: maluisse se patriis in agris stipendiis emeritis, & honoribus decursis gaudentem reliquum vitæ spacium in quiete, ocioque traducere. verum postquam Maximus Augustus ignarum se, atque absentem ad militaria munia reuocasset, prompto id officium animo recepisse, vt legatus ad ipsum adiret, petitum, vt fœdus à patre suo ictum confirmaret. quod nimirum pater eius, si superstes esset, iam pridem concessit, vt qui quondam sua sequutus consilia à Narbonensi obsidione se remouisset. Cui rex ex patrum auctoritate respondit: absurde illum facere, qui illud rogaret, quod imperare pro suo iure posset; ac se paternæ comitatis inuidia oneraret, qui à se nihil vnquam postulandum putasset. Pacem, quam petis, inquit, vltro dabo, atque ad abolendam eam, quam Alaricus Roma capienda contraxit, inuidiam arma pro Romanis sumam. si modo ego te ad nomen Augusti recipiendum inducam. Quod tibi magnopere suadeo faciendum. Etenim

regnum non præripis vlli,
Nec quisquam Latias Augustus possidet arces.
Quæ vacat aula tua est.

Atque his dictis quæ spopondit data dextra confirmauit. Profecto inde in Aruernos Auito ciues his cognitis gaudio alacres occurrerunt, atque ignoro tribunal constrauerunt, & conuocata nobilitate ipsum ad Augustalia sumenda insignia cohortati sunt. satis meritorum in eo dicentes hærere, in quo virtutis plurimum eluceret. rogare, vt difficillimo Galliæ tempore tribunal ascendat, quæ hac opinione imbuta sit, se illo principe libertatem, dignitatemque veterem posse recuperare. Ita suborta omnium acclamatione dies ad deferenda insignia destinatur.

AVITVS IMPERATOR.

POST diem vero tertium proceres Galliæ citis euocati nunciis, cum in consilium conuenissent, Auitum militibus circunfusis

Aggere composito statuunt, ac torque coronant
Castrensi mæstum, donantque insignia regni.

ac mox secundis clamoribus Augustum, atque Imperij vindicem semel, iterumque appellant. is dies VI Idus Iulias fuit. Auitus inde, vt erat summa rerum gerendarum solertia præditus, statim senatum Romanum de dignitatis suæ prouectione commonefecit, seque ad iura ex æquo moderanda, & remp. viribus defendendam paratum esse ostendit. ac mox Messiana Patricio lecto Egidio magistro militum, & Patricio tutelam earum ciuitatum, quæ trans Ligerim à Romanis tenerentur, aduersus Francos tegendas commisit: Ecdicio vero filio Comiti militum, quæ cis Ligerim essent, aduersus Gotthos. Hispaniæ vero partem, quam Romani tenebant, cum vastari à Riciario rege Sueuorum incursante audiret, Theodoricum regem orauit, vt pro fœdere secum inito sibi tuendam assumeret, atque incursibus Sueuorum obuiam iret. quod bellum Theodoricus libenter suscepit. In Oriente Marcianus Augustus Valentinianum occisum, & Romam captam, ac direptam postquam senatus Romani litteris didicit, vehementer pro eo, ac debuit, verũ pro insita ingenij tarditate, quam etiã grauis ætas, ac naturalis senectutis languor intenderat, opportunũ tantis malis subito, vt res ferebat, afferre auxilium haud potuit; neque quod à senatu Romano rogabatur, consilium de successore ipsi Valentiniano substituendo expedire in tempore valuit. Eodem anno VI Idus Iulias Pannonia sæuo adeo terræmotu concussa est, vt vrbs Sabaria tota prociderit. Ioanne inde, & Va- 456
rane consulibus, Auitus Augustus, rebus Galliæ ex sententia constitutis, in Italiam

ad ineundam iusti Imperij possessionem sibi transgrediendum putauit. Itaque Gotthicis suffultus auxiliis, superatis alpibus Romam accessit, atq; ab omnibus benigne exceptus res tractare pro ipso Imperij iure, nemine contradicente, instituit. quibus perfectis, tanquam ab omni periculo seditionis securus Gotthos domũ remisit, ac sese Romanorũ præsidio tradidit. Quare animaduersa, senatus, siue luxuriosa eius vita, vt quidam tradidere, permotus, siue Marciani imperio obsequutus, paratis occulte auxiliis, repente in eum inuasit, ac nullo negotio vrbe deiecit. In hoc rerum articulo deprehensus Auitus, quòd pares ad resistendum vires non haberet, Aemiliam sibi repetendam decreuit. Itaque languido, atque infirmo admodum comitatu iter ingressus, Placentiam adiit. Ea tempestate Ricimer Sueuus magister militum in locum Aëtij à Valentiniano, vt diximus, factus suis humeris totum prope sustinebat Imperium. cum autem Auitum Placentiam progressum audisset, tanquam officij caussa ad eum accessit, ac iussu Marciani tumultu concito ipsum comprehendit, ita vt Messianum etiam Patricium eius strenue se pro principe suo gerentẽ prostrauerit. ac XVI Kal. Iunias Imperio se abdicare coëgit. Auitus autẽ, Imperio dimisso, ne priuatã vitam ex tanto fastigio, vnde repẽte detractus admirabili fortunæ inconstantia erat, ingressus omnino contemptui haberetur, ecclesiam Placentinam, quæ vacabat, accepit, & pro Imperatore episcopum induit. mox autem cum sensisset, senatum adhuc iratum sibi, licet iam episcopo, insidiari, inde discessit, atque ad basilicam S. Iuliani martyris in Aruernos ire contendit. verum in via morbo intempestiuo oppressus, ne id quidem assequi morte præuentus potuit, vir propter egregiam animi indolem, virtutisque præstantiam, à Sidonio præcipue celebratam, hoc rerum, & vitæ exitu indignissimus. XV inde Kal Octobris Remiscus ex eadem parte Patricius in Palatio Classis apud Rauennam occisus est. Theodoricus rex Riciarium regem Sueuorum ex Callecia, & Lusitania in prouinciam Romanorum irrumpentem Auiti rogatu monuerat, vt suis se continere finibus vellet, atq; superbũ ab illo responsum tulerat. quo Theodoricus accensus, arma aduersus eum parauit, Gunderico, & Hilperico regibus Burgundionum in societatem ascitis. transgressusque Pirenæos, atque ad illum profectus, signa cum eo contulit ad amnem Vrbium, qui non longe ab Asturica fluit. ac Sueuos prœlio superatos pene ad internecionem deleuit. Riciarium vero è prœlio fugientem, cum, nauicula concensa, salutem sibi quærere contendisset, aduersante austro reiectum in potestatem adduxit. eoque multari capite iusso, veniam Sueuis concessit, & pro Riciario Acliulfum clientem suum regem attribuit ex Varnorum stirpe longe à Gotthorum sanguine procreatum. Sueuisq; ea de re tumultum agentibus, Calleciam, & Lusitaniam hostiliter peruastauit. Gensericus rex, postquam semel capienda Roma fœdus cum Romanis ictum violauit, ei sceleri nouum adiecit scelus. quippe partem Africæ, quam Valentiniano in diuisione permiserat, repente contra fœdus inuasit, ac, præfectis Romanorum expulsis, imperij, ditionisque suæ effecit. neque Romani posthac iuris aliquid in Africa habuerunt, donec eam per

457 Iustinianum Augustum pòst felicissima victoria receperunt. Sequenti anno, Constantino, & Rufo consulibus, Marcianus Augustus, cum adhuc consilia de successore Valentiniano sufficiendo tractaret, repente VI Kal. Martias vita cessit, maiorem laudem ex Catholicæ fidei, quàm ex rei publicæ defensione adeptus. statimque in eius locum Leo Thrax Asparis Patricij suffragatione suffectus, atque ab Anatolio Constantinopolitano episcopo coronatus est. Ille vero noui principio Imperij cum alia multa, quæ emendatione egere videbantur, constituit, tum præcipue Imperatorem vacuo Occidenti dare decreuit, ne rursus ea sedes ab aliquo temere, atque inuito senatu, occuparetur. Itaque Maiorianum eximiæ virtutis, ac spectatæ prudentiæ virum nactus eum, de quo antè commemorauimus, pridie Kal. Martias militum magistrum effecit, ac Ricimerem Patriciatus dignitate ornauit. ac primo quoq; tempore Maiorianũ in Italiam ad accipiendũ Imperium cum litteris, & comitatu honestissimo misit. Interim Burto à Maioriano equitũ magistro præmissus paucorum militum opera Alemanos deuicit, qui in Rhætos inuecti Caninos campos infesta populatione vastabant. Marciani morte audita, qui acrem se

Chalce-

Chalcedonensis concilij vindicē exhibuerat, Alexandrini nouā statim seditionem mouerunt, ac die Paschatis Timotheum Aelurum concilij eius inimicum episcopum declararunt, Proterio Catholico, qui Dioscoro suffectus fuerat, interfecto, ac per vrbis vias fœdissime tracto. Hac de re Leo pontifex ab Anatolio certior factus v Idus Iunij ad Leonem Augustum litteras misit, quibus Imperij celsitudinem gratulatus monuit, vt Concilij Chalcedonensis tutelam susciperet, quod ab ecclesia Alexandrina conuelleretur, & vt ei ecclesiæ Catholicum antistitem daret.

MAIORIANVS AVGVSTVS.

INTERIM Maiorianus secunda nauigatione vsus post dies triginta in Italiam adiit, ac Rauennam progressus Kal. Aprilis sexto ab vrbe lapide in loco, qui ad Columellas dicebatur, Imperator exercitu approbante leuatus, atque Augusti nomine insignitus est. inde vrbem ingressus Ricimere Patricio in consiliorū, rerumq; omnium societatem accepto rebus consulere necessariis cœpit. Versabantur in primis ante omnium oculos graues Genserici iniuriæ, qui in summa pace vrbem Romam cepisset, & captam, direptamq; cremasset. quas etiam augebant recentia eius maleficia. nam vt superiore anno Africam subegerat, sic hoc Italiam, & maxime Campaniam sibi deprædandam assumpserat. Ea de caussa Maiorianus, vt tantam audaciam coerceret, atq; Africam, si posset, recuperaret, classem supero mari construxit. cui rei Gallia quoque, quanquam assidua fessa tributis, sumptum summo studio contulit, vt Sidonius scriptum reliquit. ac dum tacite bellum in alterum annum parauit, firmissimā militum manum ad tuendam Campaniæ oram immisit. itaque, cum Gensericus littori classem applicuisset, conatu irrito se referre coegit. Nam cum Mauri expositi relictis in nauibus Vandalis repente securos agricolas inuasissent, Romani ex insidiis, in quibus se condiderant, erumpentes in eos impressionem fecerunt, atque palantes ad colles refugere compulerunt. qua re conspecta Vandali arreptis armis, atque equis expositis ad liberandos Mauros accurrerunt, ac prœlium acre cum Romanis fecerunt. quo demū pulsi ad mare, nauesq; se rettulerunt, atq; liberum eis campum cum spoliis reliquerunt. In Hispania pars Sueuorum rege à Theodorico dato non contenti Maldram sibi constituere regem. quibus Theodoricus bellum ita facere institit, vt multis templis, oppidisque vastatis demum Emeritæ vrbi opulentissimæ obsidionem admouerit. Maiorianus inde Augustus consulatum vna cum Leone Augusto Kalen. Ianuariis iniit, atque 458
Idibus epistolam ad senatum in hæc verba scripsit: *Imperator factus sum P. C. vestris, militumq; suffragiis. adsit cœptis omnium propicius Deus, qui regni nostri augeat pro vestra, & publica vtilitate successus. qui ad capiendum principatum non voluntate mea, sed obsequio publicæ deuotionis accessi, ne aut mihi soli viuerem, aut ingratus reip. cui natus sum, iudicarer, si recusauissem. Kal. Ianuarijs suscepti feliciter consulatus fasces ereximus, vt præsens annus nascentis Imperij nostri incrementa suscipiens, nostro etiam nomine signaretur. Fauete nunc principi, quem fecistis, & tractandarum rerum curam communicate nobiscum, vt Imperium quod mihi, vobis annitentibus, datū est, studiis communibus augeatur. & nostris temporibus iustitiam, ac virtutes valituras putate. nemo delationes metuat, quas & priuati in aliorum moribus improbauimus: nemo calumnias reformidet, nisi quas ipse cōmouerit. Nos cum patre, Patricioq; nostro Ricimere rei militaris curam geremus, & Romanæ reip. statum, quem communibus excubiis & ab externo hoste & à domestica clade liberauimus, Deo bene iuuante, tuebimur. atque auctoritate principis, & obsequio collegæ, vt vestrum in me vobis non possit displicere iudicium, enitemur.* Post Romam à Gotthis vastatam praua consuetudo incesserat, vt ad publica ædificia reparanda saxa ex antiquis operibus sumerentur. eaque ratio sensim post Vandalicam cladem ad priuatas etiam constructiones erat translata. Quod cum magno cum vrbis veteris dehonestamento committeretur, in qua vetusta illa monumenta vulgo ab aduenis cum aliqua priscæ non tam magnificentiæ, quàm industriæ reuerentia visebantur, Maiorianus rem non ferendam ratus, vi Idus Iulias edictum ad Æmilianum præfectum prætorio tale misit: *Nobis rempubl. moderantibus, volumus emendari, quod iamdudum ad decolorandam vrbis venerabilis faciem detestabamur admitti. AEdes siquidem publicas, in quibus omnis ciuitatis consistit ornatus, passim dirui, plectenda vrbani officij suggestione mani-*

festum est. Dum necessaria publico operi saxa finguntur, antiquarum ædium dissipatur speciosa constructio, &, vt paruum aliquid reparetur, magna diruuntur. Hinc iam occasio nascitur, vt etiam vnus quisque priuatum ædificium construens per gratiam iudicum in vrbe positorum de publicis locis necessaria transferre non dubitet, cum hæc, quæ ad splendorem vrbium pertinent, studio ciuium debeant etiam sub reparatione seruari. Idcirco generali lege sancimus, vt cuncta ædificia, quæ vel in templis alijsq; monumentis à veteribus condita propter vsum, vel amœnitatem publicam surrexerunt, ita à nemine destrui, atque contingi, vt iudex, qui hoc fieri statuerit, quinquaginta librarum auri illatione feriatur. apparitores vero, atq; numerarij, qui iubenti obtemperauerint, & sua neutiquam suggestione restiterint, fustuario supplicio, subditos, manuum quoque amissione truncandos, per quas seruanda veterum monumenta temerantur. Post hæc Rauenna ad classem profectus, exercitum, quem ex omnibus barbarorum nationibus ingentem contraxerat, in naues imposuit, ac res omnes ad bellum Africæ faciendum necessarias comparauit. Ligurnum inde progressus, vt Vandalorum, & Genserici apparatum bellicum exploraret, & an Afri bono erga Romanos animo essent, exquireret, clam in Africam sibi contendendum putauit. Itaque quasi legatus ab Imperatore ad conciliandam concordiam mitteretur, alio vultu, ac nomine induto, ne quo forte agnitus detrimento afficeretur, ad Gensericum peruenit. exceptusque ab eo occurrente, vt amicus, atque in interiorem domum perductus, in qua arma, ceteraque preciosa erant disposita, oculis omnia perlustrauit, ac demum animo suo satisfactum existimans, ad classem, exercitumq; reuertit, solertissimi ducis magis, quàm prudentis Imperatoris officio functus. atque inde terrestri eum itinere ad columnas Herculis duxit. Quo vbi accessit, tanto studio, tantaque alacritate militum Mauritaniæ littus, freto transmisso, obtinuit, vt sperarent omnes, se armis, consilio, atq; auspiciis eius Africam esse recuperaturos. Ex Mauritania inde transgressus, in Africam classem Carthagini appulit, atq; vrbi oppugnationem admouit. Quo minus autem eam ceperit, morbus grauissimus, in quem incidit, moram iniecit. ex quo recreatus classe à Vandalis incumbentibus afflictata inani incœpto discessit. Rauennam autem regressus VII Kal. Nouembris ad præfectum prætorio Basilium scripsit de sanctimonialibus, & viduis, & successionibus earum. & VIII Idus Nouembris, vt intra triginta annos curiales ad ordinem suum, quem deseruerant, reuocarentur. Ceterum, progrediente in Hispaniam Imperatore, Theodoricus rex nescio qua caussa offensus, relicta obsidione Emeritæ, in Galliam rediit, atq; infestum exercitum in Romanorum prouinciam ita induxit, vt neque profanis, neque sacris ædificiis abstinuerit, sed agros, vrbesque vastatione, atque incendio lacerarit. Iam res Italiæ in commodiorem erant statum redactæ, multique captiui ab Attila pridem facti redierant, & domos velut postliminio repetierant. Itaque Leo pontifex à Niceta episcopo Aquileiensi super vxoribus eorum, qui redibant, consultus XII Kal. Aprilis ita respondit: *Cum per bellicam cladem, & per grauissimos hostium incursus ita quædam dicatis diuisa esse coniugia, vt, abductis in captiuitatem viris, fœminæ eorum remanserint destitutæ, quæ viros proprios aut interemptos putarent, aut nunquam à dominatione crederent liberandos, & ad aliorum coniugium solitudine cogente transierint; cumq; nunc statu rerum, auxiliante domino, in meliora conuerso, nonnulli eorum, qui putabantur perijsse, redierint, merito caritas tua videtur ambigere, quid de mulieribus, quæ aliis iunctæ sunt viris, à nobis debeat ordinari.* Inde statuit, vt prioribus nuptiis starent. postridie vero ad Leonem Imperatorem scripsit, se legatos ad eum mittere, qui fidem Nicænam, & Chalcedonensem docerent. Ille vero Concilium Chalcedonense ad singulos Catholicos episcopos misit. atque eorum de illo sententiam percontatus, ab omnibus conspirãtia adeo inter se responsa accepit, vt vno tempore, & vnius viri ore edita viderentur. Ricimere inde Patricio
459 consulatũ sine collega gerente, Theodoricus, bello in Gallia cum Romanis continuato, arma ad Rhodanũ vsq; omnia subigendo produxit, ac Lugdunũ, oppidum opulentũ tanta demum mole inuasit, vt sub ius, potestatemq; redactum populatione, atq; incendio deformauit. Inde, cum Achiulfum regem Sueuis à se tributum defectionem fecisse comperisset, nouum aduersus Sueuos exercitũ in Hispaniam misit, ac, prælio facto, ipsum comprehendit, ac statim pœna capitali mulctauit.

Qua cla-

Qua clade compulsi Sueui, missis ad Theodoricum oratoribus, pacē postularunt. quibus ille benigne acceptis non solum impunitatem dedit, sed etiam regem, vt ex gente sua pro arbitrio sibi crearent, concessit. illi Rosimundum asciuerūt. eo bello Callæciæ, & Beticæ damna grauissima importata. Leo pontifex pridie Nonas Martias episcopos Campaniæ, Samnij, & Piceni admonuit, vt à baptismate in diebus martyrum impartiendo cauerent, sed id honoris tantum diei Paschatis, & Pentecostes haberent. Leo vero Augustus à Catholicis rogatus iudicium de Timotheo Æluro episcopo Alexandrino Chalcedonensis Concilij inimico permisit. qui eum non tam male de fide sentire, quàm iniuste sedem Alexandrinam obtinere cum iudicassent, in exilium proiecerunt. atque ei Timotheum alterum cognomine Solofaciolum, virum Catholicum, suffecerunt. Iam erat annus à Christi ortu quadringentesimus sexagesimus, quo consulatum gesserunt Magnus, & Apollonius. 460
Eo anno ineunte, Maiorianus Augustus Gallica clade permotus, aspera adhuc hieme, magno labore cum exercitu Alpes transcendit, credo, vt Galliam armis pacaret primum, deinde afflictam beneficiis recrearet. itaq;, acri inito bello, Gotthos ex omnibus, quæ occupauerant, oppidis expulit, ac pace data, prouinciā perlustrauit. Quo facto, Sidonius, qui tum pangendis carminibus excellebat, ipsum victoria ouantem nobili Panegyrico salutauit, in quo præsidium rebus Galliæ afflictis, atque in primis Lugdunensi poposcit, inquiens:

Et quia laxatis nimium spes vnica rebus
Venisti, nostris, petimus, succurre ruinis,
Lugdunumq; tuam, dum præteris aspice victor.
Ocia post nimios poscit te fracta labores.
Qui pacem das, redde animum. boue, fruge, colono,
Ciuibus exhausta est. Stantes fortuna latebat.
Dum capitur, væ quanta fuit! post gaudia princeps
Delectat meminisse mali. popularibus, igni
Etsi concidimus, veniens tamen omnia tecum
Restituis. fuimus vestri quia caussa triumphi,
Ipsa ruina placet.

Ceterum Maiorianus, cum in animo bellum Vandalicum parum prospere paulò antè tentatum haberet, Gotthos ex fœdere auxilio aduocauit. qua re præcepta, Gensericus sibi timens & ipse pacem à Maioriano petiuit. Eo anno Sueui in Hispania bello externo soluti, arma inter se contulerunt, atque vna pars, Maldra rege, Lusitaniam; altera, Rosimundo, Callæciam peruastauit. Quo in bello dum illi occupati fuerunt, Heruli Bæticā hostili populatione dilacerarunt. Maiorianus autem cum esset Arelate, v Kal. Aprilis litteras ad Ricimerem dedit, vt videret, ne quis inuitus ad clericatum proueheretur. Index litterarum, vnde honores Ricimeris agnosci possunt, hic fuit: *Ricimeri viro illustri, Comiti, Magistro vtriusque militiæ, & Patricio.* Neq; vero solum hunc annum Maiorianus in Gallia ordinanda traduxit. sed etiam insequentem, quo Seuerinus, & Dagalaiphus consulatum administrarunt. 461
in quo ludos Circenses, atque in ipsis ludis epulum magnificentissimum edidit. cui Seuerinus consul, & Magnus ex consule vna cum Sidonio affuerunt: *Venio,* inquit hic, *Arelate. ac, principe Maioriano post diem viso, in forum ex more descēdo. postridie iussit Augustus, vt epulo suis Circensibus ludis interessemus. primus iacebat cornu sinistro consul ordinarius Seuerinus. iuxta eum Magnus olim ex præfecto, nuper ex consule, par honoribus persona geminatis.* Sic tum fortuna Rom. tulit Imperij, vt quo celerius caderet, bonus, ac strenuus nemo Imperator quinquennalia vota persolueret. verū cito si non morte naturali periret, at violenta, & per suorum coniurationē conflata occumberet. Quod tum Maioriano immerito vsuuenit. Etenim, dum rebus Galliæ disponendis intentus abest, Ricimer, & Seuerus, ambo Patricij, conspiratione inita, inter se pepigerunt, vti Ricimer Maioriano vitā adimeret, Seuerus Imperij fastigium vsurparet. neq; enim barbarus eos adhuc spiritus, eamq; impudentiā sumpserat, vt ornamēta attrectare Augustalia sustineret, quę ille prope sancta, & sibi indecora existimaret. Interim Maiorianus, ne ociosus in Gallia versaretur, Alanos inde pellere,

vt qui infirmioribus opibus essent, quàm aut Burgundiones, aut Franci, contendit. cuius impetum cum illi sustinere non possent, Italiam se petere, eamq; vastare velle ostenderunt. atq; ita illum ex Gallia ad tuendam redire Italiam coegerunt. Ea res Ricimeri destinati facinoris perpetrandi occasionem aperuit. Cum enim Maiorianus Derthonam oppidum peruenisset, Ricimer siue vltro profectus siue ab illo accersitus, cum exercitu propius accessit, IIII Nonas Augusti ipsum nihil aduersi suspicantem per dispositos satellites cōprehendit, atq; Imperio abdicare coactum protinus VII Idus ad fluuium Hyram occidit. Quo ictu resp. ingens sane vulnus accepit. nam, si vita suppeditasset, nemo dubitauit, quin ille consilio, ac viribus suis Occidentales prouincias fuisset recepturus, ac væsanam barbarorum audaciam compressurus.

SEVERVS AVGVSTVS.

HIs actis, Ricimer inde Rauennam repetiit, ac XIII Kal. Decembris Seuerum Imperatorem, militaribus paratis antè studiis, iniussu Leonis Augusti declarauit. Gensericus, vbi Maiorianum morte extinctum accepit, simul fœdus, quo cum Romanis tenebatur, euanuisse interpretatus, animū ad insulas Africę obiectas adiecit, Siciliam, Sardiniam, Maioricam, & Minoricam. easq; anniuersariis fatigare latrociniis instituit. cui Seuerus tanta virtute, atque armorum mole occurrit, vt imperium eius alioqui iustum, ac moderatum in primis constans ipsa littorum, insularumq; defensio illustrarit. Maioriano ex Gallia profecto, Childericus rex Francorū propter intoleranda tributa, & nefarias libidines populis suis inuisus ab eis regno depellitur. ille auxilij inops in Thuringiā veterem patriā se recepit, ac Vindomalum fidum amicum, qui sæuientes erga se Francorum animos mitigaret, ac sibi reditum in tempore compararet, reliquit, signo dato, quo se moneri volebat, quando tuto domum repetere posset. is fuit aureus nummus in duas partes dissectus: quarum vnam ipse secum detulit; alteram, qua moneri volebat, apud amicum reliquit. Eo profecto, Franci regio Imperio assueti Egidium magistrum militum, qui pro Romanis Suessione sedebat, magno animorum consensu sibi regem depoposcerunt. atq; vltro se illius arbitrio subiecerunt. In Hispania vero Sueui, Maldra rege amisso, magnis à Gotthis cladibus afflictati demum pacem à rege Theodorico postularunt. Eodem anno III Idus Aprilis Leo Pontifex naturæ concessit, propter vitæ sanctitatem numero Diuorum ascriptus, propter scientiæ magnitudinem Magni cognomine insignitus. Prosper Aquitanus, qui illi fuerat ab epistolis, paulo pòst ecclesiam Regiensem in Æmilia accepit. vbi propter sanctitatem item suam ab Ecclesia inter Confessores relatus summis honoribus in hunc vsque diem à vicinis nostris Regiensibus colitur. Hilarius diaconus, natione Sardus, patria Caralitanus, professione monachus, XIII Kalen. Maij Leonis locum obtinuit. In Gallia XVIII Kalen. Decembris episcopi quidam Turonibus conuenere, ac de moribus Gallicanæ ecclesiæ decreuere. extant cum decretis nomina episcoporum, Perpetuus Turonensis, Veturius Cænomanus, Leo Bituricensis, Eusebius Nanneticus, Amandinus Catalaunicus, Germanus Rothomagensis, Anthemius Rhedonicus, & Mansuetus Britannorum. Proximo anno, Leone iterum, & Seuero consulibus, Gensericus insulas Imperij, eadem, qua cepit, libidine diuexauit. atque ei Ricimer Seueri iussu, quacunque potuit, ope occurrit. Theodoricus autem quietis, quæ rebus suis perniciosa esset, impatiens Rauennium Seueri Comitem ad defectionem solicitauit. atque ab eo nobilem, & opulentam Narbonensium vrbem accepit. Quo facto, magnum rursus in Gallia bellum est ortum. cuius tenuis ad nos vix fama manauit. Per eosdem dies, vt Iornandes in Annalibus prodidit, crebris in Gallia portentis est laboratum. villæ, homines, pecudes passim de cœlo tacti; &, quod horrorem maiorem incussit, duo iuuenes adusti cadaueribus concretis inuenti, Viennæ mœnia frequentibus terræmotibus conquassata, ignibusque accensis caducæ culminum cristæ superiecto fauillarum monte sepultæ. quin etiam lupi, accerui portas vrbis ingressi, atque impune per forum vagati terrorem ingentem in hominum mentibus excitarunt.

Quæ ma-

Quę mala, quòd cœlestem ostentare iracundiam viderentur, expiare cupiens Mamertus vrbis episcopus, vir sanctissimus, vetere Niniuitarũ exemplo ad Dei opem suppliciter implorandam confugit. cum autem sæuientibus adhuc prodigiis populus ferme totus ex vrbe formidine consternatus cessit; ac Resurrectionis diem, tanquam certum eorum malorum terminum, suspensis animis expectaret, factum est, vt in Vigiliis, dum res diuina perageretur, repente Palatium vrbis exarserit. quò pauore perculsis, ac templo egressis qui aderant, omnibus, quòd plane sibi persuaderent, aut vrbem totam hoc incendio flagraturam, aut dehiscentẽ terram omnia vno haustu esse deuoraturam, rursus Mamertus ante altare prostratus cum gemitu, & lacrymis Dei misericordiam inuocauit. Itaq; quod incendium ingens vis aquæ certatim allatæ lenire non potuerat, repente ipse piarum lacrymarum vbertate restinxit. Ea de caussa, aduentante Ascensione, in qua supplicationes Deo pro impetrandis imbribus, aut serenitate adhiberi, sed frigide, ac plane oscitanter, lapsa vetere disciplina, solebant, easdem populo indixit, sed nouam orandi, ieiunandi, & erogandi rationem, prisco ritu reuocato, inuexit. Qua religione diuinum numen placatum finem tandem cœlestibus prodigiis, ac territamentis imposuit. quod Sidonius ad ipsum Mamertum scribens prodidit. Constantinopoli portentum aliud memorabile editum. Pictori cuidam Christum Iouis forma pingere auso repente manus exaruit. eumq; scelus suum cõfessum Gennadius episcopus, qui iampridem Anatolio successerat, precatione ad Deum facta, sanauit. In Oriente etiam bellum nouum à Gotthis est cõcitatum. etenim Ostrogotthorum reges in Pannonia confidentes, cum munera à Marciano sibi dari statuta, vt pacem tuerentur, non mitti à Leone viderent, legatis ea de re Constantinopolim missis, animaduerterunt, Theodoricum Triarij filium genere Gotthũm, cum suis prosperitate florentem, & Romanorũ amicitiis insignem annuis muneribus onerari. qua re commoti, quasi ipsi dignitate inferiores iudicati fuissent, repẽte arreptis armis, Illyricũ inuaserunt, ac prædas inde multas impune egerunt. Leo vero eiusmodi bellum, vt rebus suis perniciosissimũ, auersatus, legatione missa, & præterita & præsentia dona persoluit, & in posterum diligenter soluturum promisit. pacisq; renouatæ obsidem Theomiri filium Theodoricum, iam octo annos natum, cum petisset, accepit. Viuiano 463 inde, Basilioq; cõsulibus, Seuerus Augustus Romam ad ciuitatem ex superioribus cladibus Augustali præsentia recreandam processit. atque ibi x Kal. Martias Basilium præfectum prætorio, eundemque Patricium monuit, vt legem proxime à Maioriano latam de viduis, & sanctimonialibus emẽdaret. ac Genserico insulas, & Theodorico Galliam infestam habentibus per constitutos duces acerrime restitit. In Oriente vero Leo Augustus Zenonem generũ suum vniuerso Orienti præfecit. Is Petrum quendam Gnapheum Chalcedonis presbyterum habuit in comitatu, qui Apollinaris errorem sequutus, eos, qui Deum patrem crucifixum negarent fuisse, damnauit, & seditione in populo Antiochiæ cõcitata hymno *Sanctus Sanctus Sanctus* adiecit, *Qui propter nos crucifixus est*. Quod auide ac hæreticis Theopaschitis arreptum magnas deinde in Ecclesia turbas exciuit. Interim, quieta ab armis barbarorum Italia magnus repente terror ab Gallicis Alanis obiectus est. Rex eorum, nomine Beorgor, siue à Theodorico rege Gotthorum, late regnum in Gallia extendere cupiente adactus, siue cæca prædandi libidine stimulatus summa hieme, qua Rusticus, & Olybrius consulatum gesserunt, exercitum ex Gallia eduxit, ac 464 superatis alpibus, in campos subiectos degressus, Liguriam late populari, atq; effuse vastare more barbarico instituit. Qua re cognita, Seuerus Ricimerẽ cum firmissimo delectu ei iussit occurrere. Nihil felicius illa expeditione per multos antè annos cõtigit Romanis. nam Ricimer Alanum sæuientem ad Bergomum oppidũ nactus VIII Idus Februarias ad prælium sic adduxit, vt non solum exercitũ profligarit, sed regem etiã congressum acie interemerit. Qua victoria elatus magnificos inde adeo spiritus sumpsit, vt Seuerum etiam ipsum cõtemnere cœperit. Hilarius pontifex in ipsam Ecclesiam decessorum suorum exemplo fulciendam, atq; ornandam intentus, quod Leo perficere aut temporis, aut rerum angustiis impeditus non potuit, ipse cumulatissime præstitit. Nam sacris basilicis preciosa ornamenta à Genserico,

vrbe capta, detracta ex ære, auro, atq; argento, quod ad vſum, & decus neceſſarium eſſet, in toto ſuo pontificatu reſtituit. atque Oratoria multa, pluresq; baſilicarum Confeſſiones laminis argenteis ſtrauit. inq; ea re prioris ſeculi magnificentiam ſuperauit. adeo breui Roma, dato pauliſper ad reſpirandum ſpacio, ex tenebris captiuitatis, ac deprædationis, priſtinæ fortunæ apparatu magna ex parte recepto, emer-
465 ſit. Inſignis inde annus, Hermenerico, & Baſiliſco conſulibus, fuit Conſtantinopolitanæ vrbis incendio, ac Seueri Imperatoris exceſſu. Euagrius ignem hoc modo conflatum ſcribit. Dæmon quidam mulieris pannoſæ, ac ſtipem corrogentis ſpeciem gerens, ea hora, qua lychni accendi ſolent, lucernam in forum detulit, quaſi aliquod ſalſamentum empturus, ac, relicta ibi lucerna, diſceſſit. Flamma inde lucernæ ſtupa erumpens, horribile fudit incendium, quo ædificia circunforanea ſubito correpta flagrarunt. inde, proximis comprehenſis ædibus, paſſim ad vniuerſam vrbem ea calamitas ſerpſit. in quo deſperata ſalus vſq; adeo laborauit, vt Aſpar Patricius aquam ad id reſtinguendũ humeris ſuis attulerit, & ſingulis opem ferentibus nummos aureos pro mercede promiſerit. Quattriduo vrbem flãma depaſta eſt. in primis curia arſit, quo ſenatus conuenire ſolebat, & Nymphæum, in quo qui propriis ædibus carebant, ſponſalia celebrabant. regia, templaq; vrbis celeberrima, ac nobilium ædes magnificentiſſimæ multæ item incenſæ. Seuerus autẽ Imperator VIII Kalen. Septembris eſt mortuus, ſeu veneno occulte Ricimeris ſcelere miniſtrato, ſiue, quod Sidonius prodidit, morbo. Hilarius pontifex ſeditionibus, quæ propter aſſiduas hæreſes mouebantur, offenſus, XVI Kalen. Decembris conuentum epiſcoporum Galliæ, atq; Italiæ in baſilica S. Mariæ habuit. inq; eo hæreſes omnes, quibus fides conuellebatur, in primisq; ipſam adhuc furentem Eutychianam damnauit. ac Concilium Chalcedonenſe nouo Concilio confirmauit, ac multa præterea ad mores clericorum pertinentia ſanxit. quæ qui cognoſcere ſtudeat, ex ipſo, quod adhuc extat, Concilio hauriat.

INTERREGNVM.

SEVERI Imperatoris mortem magno dolore Italia tulit. nam licet iniuſſu principis creatum ſciebat, tamen cum domeſtica Imperij laude capiebatur, quod ille domo Lucanus erat, tum remp. præſenti indigere Auguſti præſidio ſentiebat. quòd Genſericus oram Italiæ aſſiduis vexare latrociniis non deſiſtebat. neq; ſolus Ricimer aduerſus fugitiuum hoſtem, & manum conſerere detrectantem ſatis valebat: quod Sidonius his verbis expreſſit:

Imperij fortuna rotas hinc Vandalus hoſtis
Vrget, & in noſtrum numeroſa claſſe quotannis
Militat excidium.
Præterea inuictus Ricimer, quem publica fata
Reſpiciunt, proprio ſolus vix Marte repellit
Piratam per rura vagum, qui prælia vitans
Victorem fugitiuus agit.

Et quidem Genſericus poſt Romam captam claſſem, vt ſignificauimus, quotannis eduxit, ac modo in Italiã, modo in Siciliam vrbibus maritimis partim diripiendis, partim etiam diruendis curſum intendit. Inde ad Orientis conuerſus Imperium Illyricum omne, huicq; adiacentes inſulas cum tota Græcia incurſauit. ad Italiam inde, Siciliamq; reuerſus, ſiquid reliqui erat, abraſit, atq; ipſam pòſt etiam Sardiniam, & Maioricam, ac Minoricam occupauit. adeo vero temere in obuios quoſque rapi ſolitus fuit, vt, cum è Carthaginis portu, velis paſſis, ſolueret, rogatus à nauclero quorſum iter dirigeret, reſpondere ſolitus fuerit: Quo Deus impulerit. Hac igitur de cauſſa ſenatus Seueri mortem, qui acriter ei reſtiterat, animo iniquo accepit. ac propterea Leonem Imperatorẽ primo quoq; tempore de illius obitu docuit. ipſumq;, vt Occidenti Imperatorem difficillimis eius in rebus daret, orauit. ni princeps Maioriani ſimilis ſummæ rerum præeſſet, breui nomen Imperij Romani in Occidente ad nihilum recaſurum. Res explicatu difficilis diu Leonis animum
466 torſit. Itaq; proximum annum totum ipſe tertium conſul in hac deliberatione in-

certa consilia voluendo consumpsit. Interim Ricimer & latrociniis Vandalorum occurrit, & totam remp. pro suo arbitrio administrauit. Erat tum apud Leonem Anthemius Procopij filius, Anthemij, qui cum Stilichone consul fuerat, nepos, ac modo Marciani Augusti gener. Hic vtriusq; militiæ magister, & Patricius bellum cum Hunnis haud incommode gesserat. & opibus tum longe ceteris excellebat, & summo apud Leonem in honore erat. quamobrem dignum eum iudicauit, cui vel virtutis, vel generis gratia dignitatem Imperij Occidentalis deferret. ac postero anno, Pusæo, & Ioanne consulibus, ipsum ex Patricio Cæsarem designauit, ac 467
protinus in Italiam ire ad Augustalia insignia capienda præcepit.

ANTHEMIVS AVGVSTVS.

ITAQVE pridie Idus Aprilis Anthemius ad vrbem Romam progressus, tertio ab ea lapide ab occurrente exercitu excipitur. atque Imperator omnium consensione leuatus Augusti nomine decoratur. Vnde in Panegyrico eius dixit Sidonius:

Facta priorum
Exuperas Auguste Leo. Nam regna superstat
Qui regnare iubet. melius respublica vestra
Nunc erit vna magis, quæ sic est facta duorum.

Quibus actis, ad stabiliendum Imperij statum, & proprias confirmandas opes ex Leonis auctoritate Ricimeris gratiam sibi vinculo affinitatis astrinxit. ac filiam ei in matrimonium collocauit. Nuptiæ Romæ per multos dies eximia ludorum pompa, ac summa populi lætitia celebratæ. eoq; primum tempore post tot publicorum malorum tenebras pristinam splendoris, ac dignitatis lucem intueri Romana sibi ciuitas visa est. His nuptiis Sidonius Aruernorum legatus forte interfuit, vt ipse in epistola ad Herennium scribit: *Interueni,* inquit, *nuptiis Patricij Ricimeris, cui filia Perennis Augusti in spem publicæ securitatis copulabatur. Igitur hoc ipso tempore, quo hæc mihi exarabantur, vix per omnia theatra, macella, pratoria, fora, templa, gymnasia thalassio Fescenninus explicabatur. atque etiam num è contrario studia silent, negotia quiescunt, iudicia conticescunt, differuntur legationes, vacat ambitus, & inter scurrilitates histrionum totus actionum feriarum status peregrinatur.* & alibi: *Post nuptias Patricij Ricimeris, id est, post Imperij vtriusque opes euentilatas tandem reditum est in publicam serietatem, quæ rebus actitandis ianuam, campúmque patefecit.* Marciano item Anthemij filio Leo Augustus Leontiam filiam connubio copulauit. Itaque tantis propterea septus opibus Imperator Anthemius fuit, quantis haud scio, an quisquam alius nuper ad Imperij tractationem accesserit, nimirum vltimus Occidentalium principum, in quo roboris, ac lacertorum aliquid fuit. Cum tanto igitur amoris, ac concordiæ vinculo res vtriusque Imperij tenerentur, Leo Imperator immanem Genserici in Oriente, atque Occidente deprædandi licentiam haud vltra ferendam ratus, bellum ei interneciuum indixit. atque ea de caussa classem mille centum tredecim nauium ex Græcia vniuersa contraxit, quibus totum consternere mare potuit, atque exercitum centum millium hominum comparauit, atque in milites, & remiges sumptus ingentes impendit. & summæ rerum Basilisco Verinæ vxoris suæ fratre præposito, Anthemio Imperatori mandauit, vt ex Italia necessaria omnia ministraret. Quo apparatu audito Gensericus exterritus ad Olybrium senatorem potentissimum sese contulit, &, si partes tueri suas vellet, se illi Placidiam pridem desponsam redditurum, atq; Occidentis Imperium paraturum spopondit. atq; inde annuentis eius potentia fretus grandiores spiritus gerere, & insolentius se iactare perrexit. Eodem anno Rauennæ terræmotu grauissime laboratum. Romæ Hilarius pontifex, & Theodoricus in Gallia rex mortui. illi Simplicius Tiburtinus, huic frater Euricus successit. Postero Anthemius Augustus secundum consulatum sine collega 468
iniuit. quem Sidonius à Paulo viro præfectorio rogatus, vt gratiam legationi suæ conciliaret, nobili, de quo sæpe diximus, Panegyrico celebrauit. Ceterum Leonis iussu duces Marcellinus, Heraclius, & Basiliscus bellum Genserico facere instituerunt. Marcellinus in Dalmatia quondam Aëtium, cui iunctus amicitia erat, audiēs

interemptum, ad Valentinianum accedere veritus, tantas opes in ea prouincia sibi quæsiuerat, vt nemo ei resistere posset. Itaque virtute eius allectus, atque potentia Leo territus hominem omnibus modis sibi conciliauit, atque in Sardiniam, vt eam Vandalorũ imperio eximeret, misit. quod ille in eam profectus egregie præstitit. Heraclius autem à Basilisco in Africam cum parte classis præmissus apud Tripolim cum Vandalis acie congressus bene pugnauit, ac Tripolim ipsam recepit. inde, dimissis nauibus terra, cum exercitu Carthaginem versus ire contendit. Neque ita multo pòst Basiliscus totam classem ad paruum oppidum CCLXXX stadiis à Carthagine remotum applicuit, vbi Mercurij templum antiquitus fuit. ac tantum Genserico trepidationis incussit, vt si Carthaginem euestigio perrexisset, ipsam sine cunctatione in potestatem fuerit adducturus, Vandalosq; seruitute pressurus. Gensericus, postquam Sardiniam, Tripolimq; receptas audiuit, simulq; ingentem Basilisci classem littoribus inductã Africanis cognouit, tum demum Leonis Imperatoris formidare opes instituit. mox Basilisci siue ignauia, siue tarditate, siue improbitate erectus omnes, quas potuit, naues armauit, atque alias militibus impleuit, alias in speciem vacuas produxit, vt prope consistentes munitiones, atq; instrumenta necessaria ministrarent. ac simul legatos ad Basiliscum misit, rogatum, per dies quinque prœlium prorogaret, vt interim consilium expediret, cedere ne Imperatori, an repugnare deberet. idq;, præbita, vt fama fuit, pecunia, impetrauit. Vbi vero sextus dies destinatus illuxit, copiæ pugna facta, in aciem prodiit, ac, conserto prœlio, fortiter dimicare instituit. Tum vero in ipso certaminis ardore Basiliscus primus cum prætoria naui se dedit in fugam. quo facto, suorum animos, licet pugnandi auidos, ita debilitauit, vt statim exemplo eius pugnam intermittere, ac de fuga cogitare incœperint. Quibus rebus animaduersis Gensericus, eo ferocius in hostes inuectus, plerosque aut captiuos fecit, aut occidione occidit. præda nauium, hominumq;, atque instrumentorum ingens parta. Marcellinus etiam è Sardinia in Siciliam transgressus, ibi à Vandalis est oppressus. Ita res vtrobique bene gestæ mirum in modum Genserici animum paulo antè ex Romano nauium apparatu prope portentoso abiectum excitauerunt, atque ad maximum quodque audendum facinus accenderunt. Eodem anno magnum inter Gotthos prodigium est notatum. quippe Tolosæ in media vrbe sanguis è terra repente ita prorupit, vt
469 integro die cum incredibili omnium stupore manarit. Postero vero, Marciano Anthemij Augusti filio, & Zenone, qui pòst Imperium tenuit, consulatum geretibus, Ostrogotthi reges munerum Rom. haud satis habentes, suam in vicinas gentes libidinem conuertere, ac Satagas in media sitos Pannonia inuasere. quibus Dinzio Attilæ filius cum expedita Hunnorum manu occurrit, atq; ad Bassianam progressus, agros effusa populatione diripuit. Qua re cognita, Ostrogotthi, Satagis omissis, in illum se tanto impetu rettulerunt, vt, fuso exercitu, interfecerint, ac recisum caput Constantinopolim miserint. ab illo die Gotthorum arma Hunni exhorruerunt. Eo anno Romæ insigne maiestatis iudicium de Aruando perfectum est. is, (vt inquit Sidonius,) præfecturam primam gesserat cum magna popularitate, secundam vero cum maxima populatione. onere inde alieni æris oppressus, metu creditorum successuros sibi optimates æmulabatur, omnium colloquia deridebat, consilia explorabat, officia contemnebat. donec odio publico flagrans, & prius cinctus custodia, quàm potestate discinctus, capi ab Imperatore, & Romam duci est iussus. quò vbi peruenit, apud Fl. Asellium hospitem, Comitem sacrarum largitionum in Capitolio custodiendus est datus. Interea legati prouinciæ Galliæ Tonantius Ferreolus Præfectorius Afranij Syagrij consulis è filia nepos, Thaumastus, & Petronius, homines summæ prudentiæ, atque eloquentiæ opinionem habentes, atque Aruernorum primores Aruandum publico nomine accusaturi sequuntur. hi inter cetera, quæ sibi prouinciales agenda mandauerant, interceptam epistolam deferebant, quam Aruandi scriba exceptus dominum dictasse profitebatur. hæc ad regem Gotthorum epistola mittebatur, pacem cum Leone Imperatore dissuadens, Britannos super Ligerim sitos oppugnari oportere demonstrans, cum Burgundionibus iure gentium Gallias diuidi debere confirmans, & ad hunc ferme

modum

modum plurima insana complectens, quæ iram regi feroci, miti pudorem accenderent. Hanc epistolam ad læsæ maiestatis crimen pertinere iurisconsulti dixerũt. Hoc ei intendi periculum Aruandus ab Sidonio, Auxanioq; admonitus respondit, se conscientia sua munitum vix aduocatos in repetundarum defendendo crimine admissurum. Interim reus aream Capitolinam albatus percurrebat, ac fictis salutationibus, atque occurrentium adulationibus studebat, ac serica, gemmas, & preciosa quæq; inuolucra, quasi mercaturus, explicari iubebat. & inter agendum præcipue de legibus, temporibus, senatu, & principe querebatur. Post paucos dies senatus in tractatorium frequens conuenit. Eò reus, accusatoresque citati intromittuntur. ac suis quisque locis pro dignitate sedere iubentur. cum patres consurrexissent, legati post prouinciale mandatum epistolam, protulerunt. quæ cum sensim recitaretur, Aruandus vltro se dictasse imminentis periculi ignarus asseruit. idque bis, terq; pòst repetita confessione rogatus respondit. Itaque statim à iudicibus, atque ab accusatoribus acclamatur, reum eum læsæ maiestatis teneri. Quo consensu perspecto, Aruandus exanimatus expalluit, sero intelligens, posse reum maiestatis etiam pronunciari eum, qui non affectasset habitum purpuratorum. Subito igitur iure geminæ præfecturæ, quam per quinquennium repetitis fascibus gesserat, spoliatus, & plebeiæ familiæ redditus publico carceri adiudicatus est. Inde iudicio comperendinato capite mulctatus in insulam est coniectus, vbi vsque ad inimicorum dolorem deformatus ex senatusconsulto Tiberiano triginta dierum vitã post sententiam traxit, vncum, & gemonias, & laqueum carnificis in horas expectans. Hæc de iudicio Aruandi scripsit Sidonius, quod in hunc annum factum prodidit Cassiodorus. Narrat idem alio loco, duos hoc tempore in vrbe Romana viros post principẽ in toga præcipue floruisse, Gennadium Auienum, & Cæcinam Basilium, quorum Auienus ad consulatum felicitate, Basilius virtute peruenerat. Vtrumq;, si forte domo exibant, ingens clientum caterua stipabat. sed Auienus in filiis, generis, fratribus, atque nepotibus prouehendis occupabatur; Basilij benignitas tota in alienis promouendis, atque ornandis explicabatur. & si vtrumque coluisses, facilius ab Auieno familiaritatem, à Basilio facilius beneficium consequutus fuisses. Eodem anno, qui octauus erat, postquam Egidius pro Childerico inter Francos regnabat, Vindomalus à Childerico quondam in Gallia ad reconciliandos sibi Francorum animos constitutus, nuncios ad Childericum cum nummi parte misit, atq;, vt bono animo regnum repeteret, signo inter se composito docuit. quo accepto, ille gaudio gestiens in Galliam se recepit, ac benigne à Francis Egidium iam perosis acceptus regno illum eorum vsus auxilio deturbauit. atque inde prospere multos annos illud obtinuit. Quadringentesimo inde septuagesimo à Christo nato an- 470
no, Seuero, & Iordane consulibus, Romanus Patricius, cum affectatæ tyrannidis esset compertus, pariter cum Aruando capitali supplicio ab Anthemio est affectus. Euricus autem, rex Gotthorum coniurationem Aruandi patefactam conspiciens, quod occulte assequi non potuit, palam sibi aggrediendum putauit, ac finium prolatandorum caussa more patrio exercitum in agrum Romanorum induxit. Qua re percepta, Anthemius, licet Ecdicium Comitem Auiti quondam Imperatoris filium, egregie impetum eius sciret sustinere, tamen Riothimum regem Britannorum, qui etiam Brittones super Ligerim siti dicuntur, quos Aruandus Eurico adoriendos suaserat, auxilio accersiuit. eumq; cum XII millibus hominũ mari venientem in oppidum Bituricum accepit. Euricus autem antè eum sibi inuadendum, quàm cum Romanis copiis iungeretur, existimans, castra aduersus Bituricum promouit, atq; in aciem tractum primo certamine superauit. Ex quo Riothimus maiore suorum parte desiderata cum paucis fugiens, ad Burgundiones Romanis fœderatos se contulit. Gregorius auctor est, Britannos Biturico à Gotthis expulsos esse, multis apud Dolensem vicum occisis. Inde data opera ab Anthemio est, vt Euricus finibus suis contentus pristinum fœdus, veteremq; pacem seruaret. Hunnimundus rex Sueuorum, traiecto Danubio, magnum pecoris numerum ex Pannonia Ostrogotthorum auertit, atq; populabundus in Dalmatiam vsque processit. vnde se recipiens à rege Theodomiro ad lacum Pelsodis captus, & pòst pace data dimis-

ſus eſt. Et hoc anno Genſericus claſſem aduerſus Baſiliſcum in Sicilia ſtationem habentem eduxit. cui Baſiliſcus decoris amiſſi recuperandi auidus alacri ſeſe animo obtulit, ac tanta mole, prœlio commiſſo, pugnauit, vt Genſericum victum Car-
471 thaginem ſe præcipiti fuga referre coegerit. Leone inde Auguſto quartum, & Probiano conſulibus, vtrumque Imperium vt inteſtinis, ſic periculoſis ſeditionibus laborauit. In Oriente Aſpar Patricius Leoni Auguſto inſidias moliens, filio ſuo Ardaburio Cæſare declarato, non dubia affectatæ tyrannidis exhibuit argumenta. cuius rei certior Leo factus ſtatim victorem è Sicilia reuocauit exercitum, atq; Aſparem cum filio vtroque adortus, omnes in poteſtatem adduxit, ac ſupplicio capitali pro rei atrocitate multauit. illud in primis veritus, ne ſi ſuperſtites ſibi fuiſſent, deſpecta Leonis nepotis ſui, quem Cæſarem deſtinauerat, pueritia, Imperij ſibi faſtigium vindicarent. Hæc in Oriente. Occidentalis autem peſtis auctor fuit Patricius Ricimer, qui, alter in Italia Aſpar, Anthemium, poſthabito affinitatis vinculo, primum deſpicatui habere, pòſt etiam iniuriis aliquot non erubuit onerare. Itaq; accenſis inter eos ſimultatibus, quas etiam vtriuſque familiares de induſtria irritarunt, res ad prauam tendere certaminis contentionem videbatur. quæ ſi contracta eſſet, nemo erat, quin deteriore conditione Anthemium pugnaturum putaret, atque ea res maximam Italiæ allatura perniciem eſſet. Hunnimundus rex accepti beneficij immemor, gentem Scyrorum, quæ ſuper Danubium conſidebat, ad arma ſolicitauit, atque, irruptione in Pannoniam facta, Valamirum regem Oſtrogotthorum occurrentem, commiſſo prœlio, ſtrauit. Quo detrimento accepto, Gotthi accenſi bellum collectis viribus inſtaurarunt, ac Scyrorum gentem omnē præter eos, qui ex acie fuga dilapſi ſunt, conciderunt. Quorum exitium metuentes Hunnimundus, & Alaricus, Sueuorum reges, accitis Sarmatarum auxiliis, aduerſus Gotthos mouerunt, ac collectis Scyrorum reliquiis, & Gepidarum, Rugorúmque fulti præſidiis caſtra ad Bolliam amnem Pannoniæ locauerunt. Contra quos Theodomirus, & Vindemirus reges profecti ſummo prœlio conflixerunt, tantámque ſtragem eorum ediderunt, vt campus ſanguine manauerit, & arma, ac cadauera aggeſta collis altitudinem plus, quàm decem millium, adæquarint. Ita Valamiro occiſo egregia eſt victoria parentatum. Eodem anno Aruerni Seronatū Gotthis prouincias Romanorum prodentem accuſarunt. quo facto, Sidonius Ecdicium Comitem, ciuem ſuum, ſumma auctoritate virum auxilio aduocauit. *Exultat enim*, inquit, *Seronatus Gotthis, inſultat Romanis, illudit præfectis, colludit numerariis, leges Theodoſianas calcat, Theodoricianas proponit, veteres culpas, noua tributa perquirit. te expectat palpitantium ciuium extrema libertas. quidquid ſperandum, quidquid deſperandum eſt, fieri de medio placet. ſi nulla à republ. vires, nulla præſidia, ſi nullæ, quantum rumor eſt, Anthemij principis opes, ſtatuit, te auctore, nobilitas ſeu patriam dimittere, ſeu capillos.* Damnatum autem fuiſſe idem ſignificauit ad Græcum epiſcopum ſcribens: *Aruerni amore reipubl. Seronatum barbaris prouincias propinantem non timuere legibus tradere, quem conuictum deinceps reſpubl. vix præſumpſit occidere.* Conſtantinopoli Gennadio epiſcopo ex humanis rebus exempto Acacius ſubrogatur. cuius inconſtans in tuenda fide Catholica ratio pòſt Eccleſiæ ſtatum vehementiſſime per-
472 turbauit. Feſto inde, & Marciano conſulibus, cum flagrantibus Anthemij, & Ricimeris inter ſe odiis ſuſpenſis omnes animis, quis tandem futurus eſſet ſuſcepti certaminis exitus, expectarent, Ricimer Mediolani poſitus multorum pacem ſuadentium precibus fatigatus, denique ſe paratum eſſe ad reconciliandam cum ſocero concordiam dixit, ſi quis eſſet, qui tantæ ad eum legationis onus ſuſciperet. cui omnes vno ore reſponderunt: Non deerit, qui legationem hanc ſubeat. adeſt enim Epiphanius, Ticinenſis epiſcopus (hic modo Criſpino ſucceſſerat.) vir ore venerando, moribus ſuauiſſimis, & eximia perſuadendi facultate inſtructus. Tum Ricimer, Iampridem hunc virum, ab omnibus audio commendari. ite igitur, & rogate illum, vt hanc legationem ſuſcipiat. Illi Ticinum profecti, Epiphanio Ricimeris voluntatem expromunt, quibus ille reſpondit: Quamuis tantæ rei neceſſitas probatiſſimæ perſonæ pondus requirat, atque ego ad id muneris parum idoneus ſim, ſtudium tamen, quod debeo patriæ, non negabo. atque, his dictis, ad Ri-

ad Ricimerem perrexit,&,mandatis acceptis,Romam iter intendit. Vbi vero Anthemius audiit, legatum ad ſe à Ricimere venire ſingularis eloquentiæ hominem, dixit: Qui alios laceſſit iniuriis,diſertos ad ſupplicandum homines mittit.introducite tamen antiſtitem, qui, ſi facilia poſtulabit, morem geram; ſi difficilia,cum excuſatione dimittam. vereor tamen, ne Ricimer nihil à me impetret, quòd ſcio, illum nimis in petendo procacem eſſe. In conſpectum inde progreſſus principis Epiphanius ſic diſſeruit. Diuino conſilio factum eſt, vt is remp.teneat, qui per Catholicam fidem Deum omnis pietatis auctorem agnoſcit, per quem bellicus furor pacis armis infringitur, & quod à fortitudine non poteſt,à concordia ſuperatur.Sic Dauidem illuſtriorem reddidit certa clementiæ opinio, quàm prompta animi ad vindicandum propenſio. & optimi reges ſupplicantibus indulgere diuino oraculo ſunt edocti. nam diuinum imperium exprimit, qui dominatum ſuum pietate extollit. Hoc igitur iudicio Ricimer Patricius ad te orandum me miſit, haud dubia ſpe fretus, Romanum pacem Dei munus daturum, quam poſtulet barbarus. erit enim egregius triumphus, ſi ſine ſanguine viceris. quanquam neſcio quæ ſpecies fortitudinis illuſtrior poſſit eſſe, quàm iracundiam temperare, & fortiſſimi Getæ pudorem beneficiis onerare. vehementius enim afficietur,ſi poſtulata obtinuerit, quàm hactenus puduit, cum ſupplicauit. Tum Anthemius: Inexplicabilis profecto nobis erga Ricimerem cauſſa doloris eſt. neque enim quidquam eximiis eum beneficiis ornando profecimus. quem etiam, (quod non ſine ſummo & regni, & ſanguinis noſtri pudore dicendum eſt,)in familiæ ſtemma aſciuimus (quis enim ſuperiorum hoc fecit Imperatorum,vt inter munera,quę pellito Getæ tribueret,pro quiete communi filiam collocaret?) neſciuimus parcere ſanguini noſtro, dum ſeruimus alieno. Neque vero hoc formidini noſtræ quiſquam aſcribat. neque enim noſtram vicem ſolliciti fuimus, ſed populorum, haudquaquam ignari, Imperatorem amittere laudem virtutis, niſi pro periculis expalleat alienis. atque vt tuæ Venerationi ad liquidum conatus eius aperiamus, quò maioribus eſt à nobis muneribus exornatus, eò acriorem ſe nobis hoſtem exhibuit. nam quæ bella reip. comparauit? quantum in Italiam gentium externarum inuexit? poſtremo vbi nocere non potuit, nocendi tamen fomenta ſuffecit. Huic igitur pacem dabimus? hunc inteſtinum hoſtem amici ſpecie ſuſtinebimus, quem fœdere concordiæ nulla affinitatis vincula tenuerunt? magna cautio eſt, aduerſarij animum perſpexiſſe. verumtamen, ſi tu his omnibus ſponſorem te interponis, qui potes ſpiritali indagine conſilia nefanda eruere, erutaq; comprimere, pacem, quam poſcis, non nego. quòd ſi ſolita calliditate te ipſum quoq; fefellerit, me tamen, ſtatumq; reip. fidei tuæ commendo; & gratiam, quam ſupplicanti Ricimeri negare ſtatueram, per te vltro reſtituo. quis enim audeat tibi beneficium abnuere poſtulanti, cui oportuerat ante preces offerri? Tum epiſcopus, Gratias, inquit, omnipotenti Deo, qui principis menti pacem ſuam iniecit, quem præeſſe mortalibus voluit. Atque, his dictis, Ticinum cum pace propere rediit. (nam dies inſtabat Reſurrectionis.) ac, lætantibus omnibus, legationem renunciauit. Haud diu tamen Ricimer in hac concordia manſit, credo, quòd ſe in hac cauſſa viribus multo ſuperiorem videret, & ſocerum ſe,ſi non fraude,at vi ſaltem capturum ſperaret. Itaque,cum ſeditio vehementiore flamma recruduiſſet,ipſe eum magno,eoq; infeſto exercitu Romam perrexit,atq; obſidendæ vrbis cauſſa apud Anienis pontem caſtra fecit. Qua re perſpecta, Romani in magnas rerum anguſtias rurſus adducti, alij Anthemio, alij Ricimeri ſe adiunxerunt,ac ciuitatem inteſtino diſſidio diſtraxerunt. Cum autem in longum obſidio traheretur, grauius fame laborare, & poſt famem premi peſtilentia incœperunt. ſpes vna erat in auxiliis Gotthorum ex Gallia accerſitis. quæ & ipſa repente præciſa eſt.nam Bilimerem cum firma manu ad vrbem profectum Ricimer aggreſſus, inito ad pontem Hadriani certamine,nō ſolum vicit, ſed etiam interemit. quo ſucceſſu erectior, atque audacior factus v Idus Iulias vrbem, toto vrgente exercitu, magna mole inuaſit, ac demum, repulſis defenſoribus, in poteſtatem redegit. atque ingreſſus, eandem, quam Alaricus, & Genſericus antè attulerant, trepidationem,ac tumultum inuexit.nam & Anthemium captum morte affecit,nulla ne-

que soceri pietate, neque Imperatoris reuerentia ductus, & vrbem, quæ famis, ac pestilentiæ acerbitate afflicta erat, militibus misere populandam, diripiendamq; permisit. Itaque præter duas regiones, in quibus ipse cum suis consederat, omnia immani sunt prædatorum libidine lacerata. Inde Olybrius senator Constantinopoli paulo antè reuersus insignibus Augustalibus exornatus.

OLYBRIVS IMPERATOR.

HVIVS tamen direptionis, quæ Romanæ vrbi tertia contigit, diuturnum ille fructum non tulit. siquidem mox sæuissimis corporis doloribus cruciatus XV Kalend. Septembris excessit è vita, vir is, qui post Valentiniani obitum, tanquam alter Stilicho, prope in republ. imperauit; in illo etiam Stilichone felicior, quòd non plures Imperatores creauit, quàm sustulit. Eo sepulto, Olybrius Imperator referendæ gratiæ cupidus Gundibarium nepotem eius Patricium subdidit, ac mox Romæ X Kalen. Nouembris vix ipsam imperandi suauitatem expertus morbo decessit. Interim Leo Imperator rebus, quæ ad vrbem acciderant, in primísque Anthemij nece audita commotus, de sufficiendo successore cogitauit. ac Iulium Nepotem Nepotiani filium, collocata ei in matrimonium nepte sua, per Domitianum clientem suum Cæsarem designauit, eique Occidentale Imperium destinauit. Eodem anno Vesuuius mons in Campania intimis æstuans ignibus, viscera exusta euomuit. nocturnisq; in die tenebris incumbentibus, omnem Europam minuto cinere cooperuit. Itaque eius portenti memoriam annuam Constantinopolitani instituerunt VIII Idus Nouembris. Ea re Leo Imperator exterritus vrbe excessit, atque ad S. Mamantem consedit. In Pannonia rex Ostrogotthorum Theodemirus summa hieme conglaciatum Danubium nactus, exercitum flumen transmisit, atque improuisa in Suecuos impressione inuectus & ipsos, & socios eorum magna edita strage concidit. ac victor domum reuersus, Theodoricum filium obsidem à Leone remissum cum regalis opulentiæ muneribus lætus excepit. qui iam annum octauum decimum erat natus. Ille vero fortitudinem parentis imitatus, sociis militibus assumptis, Danubium, ipso inscio parente, transiuit, ac Sarmatarum regem victoria ducis Romanorum furentem prostrauit. reuersúsque ad patrem Singidonem, quam Sarmatæ Romanis ademerant, cœpit, ac iuris sui effecit. Leo-
473 ne autem Augusto consule solo quintum, cum per quattuor, & amplius menses Occidens sine Imperatore fuisset, neque Iulius Nepos Cæsar ab ipso designatus in Italiam adueniret, Gundibarius Patricius aui Ricimeris exemplum, auctoritatémque sequutus, principem pro arbitrio sibi designandum suscepit, ac III Nonas Martias Rauennæ Glycerium Comitem domesticorum Imperatorem per milites leuandum curauit.

GLYCERIVS IMPERATOR.

ITA Olybrius, & Glycerius, vt inuito Leone, sic iniustis comitiis, sedem Occidentalis Imperij tenuerunt. quamobrem eorum rationem non habuere, qui successerunt. Gensericus post superiorem cladem acceptam Leonis arma formidans vt omnia, quæ potuit, ad securitatem præsidia conquisiuit, sic etiam omnia, quæ valuit aduersus eum arma commouit. In primis vero Ostrogotthos ad vtrumque Imperium inuadendum, magna spe præmiorum ostentata, solicitauit. Quibus inductus Theodemirus iam recepto filio tutus in hunc modum ipsa suscipiendi belli consilia expediuit. Glycerium tenuissimis opibus Italiæ regnum adeptum audiens, Vindemiro fratri negotium dedit, vt arma Italiæ inferret, quam nullo negotio aut subacturus, aut populaturus, quippe exiguis tectam præsidiis, esset. ipse verò Illyricum, vt ad expugnandum difficilius, sibi assumpsit. Vindemirus igitur cum ingenti Ostrogotthorum manu populabundus in Italiam venit, verũ repente morbo oppressus interiit, filio sibi cognomine Vindemiro relicto. Hac irruptione Glycerius, Imperio nondũ firmato, perculsus, sese tanto offerre discrimini non est ausus. verum, missis obuiam legatis, hominẽ donis aggressus orauit, vt exercitũ in Galliam abduceret, in qua ei locus inter populares suos defuturus nõ esset. Paruit voluntati

eius Vindemirus,ac,ſublatis caſtris,in Galliam adiit,ac ſeſe Viſgotthis adiunxit. ex quo mire eorum in Gallia,atq; Hiſpania opes adauctæ. Ita tum Italia ingẽti calamitate leuata,quæ ſi ad ceteras acceſſiſſet,mirificis ipſam ſine dubio ad ſeſe erigẽdum vulneribus afflixiſſet. Theodemirus autem bellum Sarmatis Limigantibus intulit, neque vllum præ metu obuium habuit. hac proſperitate inde elatus, vrbem Illyrici primariam Naiſſum adortus in ditionem adduxit, atque ibi cum Theodorico filio moratus, militum partem ad Vlpianam per Caſtrum Herculis miſit. qui eam cum aliis locis imperuiis occuparũt. ac tum demum in Theſſaliam progreſſi, Heracleam, Lariſſamq; ceperũt. Qua re cognita, Theodemirus Naiſſo egreſſus, Theſſalonicam petiit, quam Clarianus Patricius cum exercitu obtinebat. ille vero cum vrbem defendere ſtatuiſſet, poſtquam eam circumuallari, nec ſe cœpta hoſtium morari poſſe cognouit, legatos ad regem cum muneribus miſit, atque ita illum ab oppugnatione auertit. inde nouo inito fœdere, noua Gotthis loca ad incolendum in Illyrico Orientali conceſſa. Ex quo apparet, quo veteres nerui, animique Romanorum euaſiſſent Imperatorum, cum ſalutem vtriuſque Imperij precibus, ac pecunia redemptam non armis, ac fortitudine defenſam haberent. Conſtantinopoli Leo Auguſtus Leonem nepotem ſuum ex Zenone & Ariadna filia genitum Cæſarem eſſe iuſſit. Tunc etiam veſtis Deiparæ virginis Hieroſolymis Conſtantinopolim eſt allata, & magna religione recepta. quæ apud virginem Hebræam erat inuenta. Proximo anno Leo Auguſtus conſul ſextum ſine collega vita exceſſit, 474
ac, genero ſuo Zenone præterito, nepotem ſuum Leonem puerum, à ſe paulo antè Cæſarem conſtitutum, teſtamento Imperatorem reliquit, qui mox patrem Zenonem ſibi conſortem aſſumpſit, & cum eo hunc annum Imperauit. Iulius autem Nepos, cui traditum fuiſſe à Leone ſene Imperium diximus, cum illud à Glycerio occupatum teneri audiſſet, vehementiſſime perturbatus eſt. atque ipſum per vim inde detrudere cum ſtatuiſſet, ope Imperatoris ingentes omnis generis copias in naues impoſuit, atque, intento Italiam verſus itinere, claſſem tandem ad littora Romana applicuit. Quod vbi Glycerius tum Romæ agens cognouit, opibus ſuis nimium attenuatis diffiſus vrbe exceſſit, atque in oppidum ſuburbanum, nomine Portum, ſeceſſit, ibique communitus impetum Nepotis ſibi excipiendum decreuit. Nepos autem, expoſitis, atque ad vrbem adductis militibus, cum primo aduentu eam ad deditionem adduxiſſet, acri inde Portum obſidione circundedit, quem cum cepiſſet, ſimul etiam Glycerium Imperij deponere inſignia compulit. eaq; mox ipſe VIII Kal. Iulias induit. atq;, rebus Romæ compoſitis, inde Rauennam in regiam ſe recepit, Glycerio, ne priuatus ludibrio haberetur, eccleſia Salonenſi in Dalmatia attributa.

IVLIVS NEPOS AVGVSTVS.

DVM hæc agerentur, Euricus rex Gotthorum in Gallia aduerſis Italiæ rebus, ac nouis Oſtrogotthorum auxiliis excitatus, fines Romanorum habere infeſtos variis populationibus cœpit. Qua re cognita, Nepos nihil ſibi prius duxit faciendum, quàm vt cœptis eius occurreret. cumq; Euricum lites quaſdã de finibus in ſpeciem ſerentẽ audiſſet, habito principum Liguriȩ Concilio, ex omniũ ſentẽtia Epiphanium Ticinenſem epiſcopum legatũ ad eum miſit, qui lites cõponeret, pacemq; firmaret. quod ille ſumma cum cura expleuit. Profecto inde ex Gallia Epiphanio, Euricus nihil eorũ, quæ promiſerat prȩſtitit, immo ſub nomine pacis agere hoſtilia cœpit. nam in fines Romanos inuectus cum agros ciuitatum vaſtauit, tum maxime eccleſias, atq; earum epiſcopos, vetere Arriana labe corruptus, afflixit. ac Ruthenos, Cadurcos, Lemouicos, Gabalitanos ex Aquitania prima cepit, ac deniq; vrbem ipſam Aruernorũ militari corona circumſtetit. neq; ex omnibus Gotthicis in Gallia bellis vllum hoc fuit aſperius. Erat tum in vrbe Aruernorũ Ecdicius Comes, Auiti quondã Imperatoris filius, itemq; epiſcopus ipſe vrbis Sidonius, quorum alter ſtrenuis ex vrbe eruptionibus faciẽdis, alter ſupplicationibus ad Deum inſtituendis & litteris ad amicos mittendis, tantã ab vrbe propellere tempeſtatem annixi ſunt. Ac Sidonius quidẽ de ipſa hoſtium in agrum Romanũ impreſſione ad

Mamertum episcopum Viennensem sic scripsit: *Rumor est, Gotthos in Romanum solum mouisse. Huic semper irruptioni nos miseri Aruerni ianua sumus. namq; odiis inimicorum hinc peculiaria fomenta subministramus, quia nec dum terminos suos ab Oceano in Rhodanum Ligeris alueo limitauerunt, solam sub ope Christi moram de nostro tantum obice patiuntur. circumiectarum vero spacia, tractumq; regionum iampridem regni minacis importuna deuorauit impressio, sed animositati nostræ tam temerariæ, tamq; periculosæ non nos aut ambustam murorum faciem, aut putrem sudium cratem, aut propugnacula vigilum trita pectoribus confidimus opitulata. solo tantum inuectarum, te auctore, Rogationum palpamur auxilio, quibus inchoandis, instituendisq; populus Aruernus, & si non effectu pari, affectu certe non impari cœpit initiari. & ob hoc circunfusis nec dum dat terga terroribus.* deinde ad Basilium episcopum in hæc verba: *Euarix rex Gotthorum, quòd limitem regni sui, rupto, dissolutóq; fœdere antiquo, vel tutatur armorum iure, vel promouet, nec nobis peccatoribus accusare, nec vobis sanctis hic discutere permissum est. Sed, quòd fatendum est, præfatum regem Gotthorum, quanquam sit ob virium merita terribilis, non tam Romanis mœnibus, quàm legibus Christianis insidiaturum pauesco. tantum, vt ferunt, ori, tantum pectori suo Catholici intuitio nominis acet, vt ambigas, ampliúsne suæ gentis, an suæ sectæ teneat principatum. Ad hoc armis potens, acer animis, alacer annis, hunc solum patitur errorem, quòd putat sibi tractatuum, consiliorumq; successum tribui pro religione legitima, quem potius assequitur pro felicitate terrena. Propter quod discite cito Catholici status valetudinem occultam, vt apertam festinetis adhibere medicinam. Burdegala, Petrogorij, Rutheniq;, Lemouices, Gabalitani, Helusani, Vasates, Conuenæ, Auscenses, multoq; iam maior numerus ciuitatum, summis sacerdotibus ipsorum more truncatis, nec vllis deinceps episcopis in defunctorum officia suffectis, per quos vtiq; minorum ordinum officia subrogabantur, latum spiritualis ruinæ limitem traxit, quem fere constat sic per singulos dies morientium patrum proficere defectu, vt non solum quoslibet hæreticos præsentium, verum & hæresiarchas priorum temporum potuerit inflectere. ita populos excessu pontificum orbatos tristis intercisæ fidei desperatio premit. Nulla in desolatis cura diœcesibus, videas in ecclesiis aut putres culminum lapsus, aut valuarum cardinibus auulsis basilicarum aditus hispidorum veprium fructicibus obstructos. ipsa, proh dolor, videas armenta non modo semipatentibus iacere vestibulis, sed etiam herbosa viridantium altarium latera depasci. sed iam nec per rusticas solum solitudo parochias, ipsa insuper vrbanarum ecclesiarum conuenticula rarescunt.* Postquam autem vrbs Aruernorum obsessa magnis premi difficultatibus cœpit, Sidonius sic rebus suis perditis opem à Græco episcopo postulauit: *Nostri hic nunc est infelicis anguli status. cuius, vt fama confirmat, melior fuit sub bello, quàm sub pace conditio. facta est seruitus nostra precium securitatis alienæ, Aruernorum, proh dolor, seruitus. qui, si prisca replicarentur, audebant se quondam fratres Latio dicere; si recentia memorabuntur, hi sunt, qui viribus propriis hostium publicorum arma remorati sunt. cui sæpe populo Gotthus non fuit clauso formidini, cum vicissim ipse fieret oppugnatoribus positis intra castra terrori. hi sunt, qui sibi aduersus vicinorum aciem tam duces fuere, quàm milites. de quorum tamen sorte certaminum si quid prosperum cessit, vos secunda solata sunt, si quid contrarium, illos aduersa fregerunt. Illi amore reip. Seronatum barbaris prouincias propinantem non timuere legibus tradere, quem conuictum deinceps resp. vix præsumpsit occidere. Hoccine meruerunt inopia, flamma, ferrum, pestilentia, pingues cædibus gladij, & macri ieiuniis prœliatores. propter huius tamen inclytæ pacis expectationem auulsas muralibus rimis herbas in cibum traximus, crebro per ignorantiam venenatis graminibus infecti, quæ indiscretis foliis, succisq; viridantia sæpe manus fame concolor legit. Pro his tot, tantisq; deuotionis experimentis nostri, quantum audio, facta iactura est. Pudeat vos, precamur, huius fœderis nec vtilis, nec decori. Per vos legationes meant. vobis primum, quanquam principe absente, non solum tractata reserantur, verum etiam tractanda committuntur. Veniabilis sit quæsumus ad aures vestras veritatis asperitas. cuius conuicij inuidiam dolor eripit. parum in commune consulitis, &, cum in consilio conuenitis, non tam cura est, publicis mederi periculis, quàm priuatis studere fortunis. Adhuc si necesse est obsideri, adhuc pugnare, adhuc esurire delectat. si vero tradimur, qui non potuimus viribus obtineri, inuenisse vos certum est, quid barbarorum suaderetis ignaui. Sed cur dolori nimio frena laxantur? quare potius ignoscite afflictis, nec imputate mœrentibus. Namq; alia regio tradita seruitium sperat, Aruerna supplicium. Sane si medicari nostris vltimis non valetis, saltem hoc efficite prece sedula, vt sanguis viuat, quorum*

est

est moritura libertas. parate exulibus terram, capiendis redemptionem, viaticum peregrinaturis. Si murus noster aperitur hostibus, non sit vester clausus hospitibus. Dum autem Sidonius precibus Deum, atque homines fatigabat, Ecdicius Comes, qui vrbem tuebatur, multa egregia fortitudinis suæ documenta dedit. quippe quodam die cum duodeuiginti equitibus vrbe meridie egressus, tota ex mœnibus semirutis aspectante ciuitate, medio campo aliquot Gotthorum millia, præteruectus hostes sui numeri incertos, atq; ad sui conspectum, nominisq; rumorem perterritos, noctu in proximum collem se subducere compulit, ac nouissimi agminis aliquot occisis, incolumis cum omnibus suis in vrbem reuertit, læto plausu totius ciuitatis exceptus, cumq; iam Zeno Augustus consul iterum sine collega iniisset, priuatis opibus 475
publici speciem contraxit exercitus, ac liberos hostium discursus populationibus castigatis coërcuit. inde aliquot superuenientibus turmales cuneos strauit, vix binis, ternisve ex numero suorum desideratis. Gotthi vero, vt cæsorum numerum præ pudore occulerent, quos nox sepulturæ subtraxerat, abscissis capitis reliquere, tanquam minoris indicij foret, dimisse truncatum, quàm villis agnosci crinitum. Postquam autem, illucescente die, cognouerunt furtum ruinæ suæ crudeli vilitate patuisse, tum demum iusta mortuis magna festinatione soluerunt, ac debitas exequias tribuerunt. cum autem corpora vndique plaustris conuecta iacerent, Ecdicio repente rursus exterritis incumbente, raptim succensis domibus incluserunt ac regalibus culminum superlabentium fragmentis operuerunt. Has res paucis Iordanes in historia attigit, Sidonius vero in epistola ad ipsum Ecdicium scripta, multis explicuit. Ad extremum Ecdicius, vrbe hostium multitudine circunfusa, ac magna ex parte mœnibus nudata, cum tuendæ facultatem non haberet, vltro tradidit, atq; ad loca tutiora se contulit. quod audiens Nepos Augustus, ipsum ad se vocauit, ac Patricium designauit. (Vnde ad Papianillam Ecdicij sororem Sidonius scripsit: *Hoc sanctè Iulius Nepos armis pariter summus Augustus & moribus quod decessoris sui Anthemij fidem fratris tui Ecdicij sudoribus obligatam, quo citerior, hoc laudabilior, absoluit. siquidem iste compleuit, quod ille sæpissime pollicebatur.* atq; in Galliam Orestem magistrum militum, & Patricium misit. Erat autem Orestes genere Gotthus, ac Gotthicorum auxiliorum in Italia Comes, magnam ob multas res bene gestas in re militari auctoritatem adeptus. quare nouis dignitatum insignibus auctus subito à Nepote aduersus Euricum, ne tota ab eo Gallia pelleretur, est destinatus. Ille vero contra Nepotis imbecillitatem, ac potestatem suam extraordinariam conspicatus, eodem, quo ceteri barbari, perfidiæ morbo cœpit agitari, eademq; Imperij occupandi libidine conflictari. itaque Gotthos, qui præsidio Italię erant, tertia agrorum parte promissa illectos ad omnia secum audenda incendit, & cum iis Roma profectus se in Galliam aduersus Gotthos contendere simulauit. postquam autem Rauennam peruenit, vrbem officij caussa ingressus, Nepotem ipsum imparatum, atq; ac insidiis eius incautum v Kalen. Septembris eiecit. ac paucis pòst diebus, nempe pridie Kal. Nouembris, filium suum Romulum Momyllum, adhuc puerum, Imperatorem, exercitu suffragante, leuauit. Nepos autem non minus consilij, quàm auxilij inops, spe Imperij retinendi, aut recuperandi prorsus abiecta, Salonam in Dalmatiam se recepit, vbi Glycerius nuper Imperator episcopatum administrabat. Ita Augusta Imperij dignitas, dum ruit ad interitum, antequam efferretur, per dolum, atq; insidias ad barbari ditionem, potestatemq; peruenit, credo, vt ex summissiore loco præcipitata minore cum doloris, atq; acerbitatis sensu periret.

MOMYLLVS AVGVSTVS IMP.

TVRBATO autem in hunc modum Occidente, atq; ad præsens exitium prope fatali quadam necessitate ruente, haud dissimiles in Oriente quoq; tumultus exorti sunt. Basiliscus enim, mortuo Leone puero Augusto, Zenonem despiciens, collecta valida satellitũ manu, seditionẽ aduersus eum in vrbe Constantinopoli cõcitauit. cuius reĩ subita formidine Zeno perculsus, ad Isauros se cõtulit, atq; ibi arcem tuendæ salutis gratia occupauit. Basiliscus autem vrbe potitus, cum se Augustum declarandum curasset, Marcum filium Cæsarem appellauit. Hoc ad

Imperij culmen euecto, iterum Eutychianæ hæreseos caussa Ecclesia perturbata
est. vt enim Basiliscus à Chalcedonensi Concilio erat auersus, sic omnes eius fauto-
res est persequutus. quamobrem Timotheum Solofaciolum, qui iampridem ec-
clesiam Alexandrinam in Catholica disciplina, & Chalcedonensis auctoritate
Concilij continuerat, ecclesia pepulit, atq; ei Timotheum Aelurum dudum pro-
pter perfidiam Eutychianam expulsum suffecit. quin etiam litteras ad episcopos
Asiæ misit, iubens, vt Leonis pontificis insignem de duabus Christi naturis Deci-
sionem, & Chalcedonensia decreta damnarent. quibus litteris plerique Asiæ epi-
scopi subscripsere. Acacio inde episcopo Constantinopolitano hoc factum acriter
increpante, ac monachorum ordinem aduersus Basiliscum solicitante, magnope-
re Basiliscus extimuit, ac litteras alteras prioribus prorsus contrarias scripsit. Basi-
476 lisco autem Augusto iterum, & Armato consulibus, incendio in vrbe coorto, quo
maior ipsius pars deflagrauit, senatus, inuidia eius in Basiliscum coniecta, occultis
nunciis Zenonem ex Isauria reuocauit. qui propere cum validissimo exercitu re-
uersus, atque vrbem ingressus, Basiliscum, qui in ecclesiam salutis caussa confuge-
rat, intercepit, atque Imperij insignibus detractis, in Cappadociam relegauit, atq;
ibi trucidandum curauit. cuius nece audita, continuo episcopi Asiæ sibi timere
cœperunt, ac culpam deprecati ad fidem Chalcedonensem redierunt. Timotheo
Aeluro haud ita multo pòst mortuo, Petrus Mongus clam in sedem subrepsit.
cuius perfidia agnita, Zeno ipsum pòst loco mouit, atque iterum Timotheum So-
lofaciolum subrogauit. Atque hæc quidem in Oriente. At vero in Gallia Euricus
rex, bello cum Romanis continuato, duas primarias vrbes Arelate, & Massiliam
occupauit. atque, omni vsque ad Rhodanum Gallia in ditionem adducta, sedem
Arelate locauit. In Italia vero Orestes, Imperatore filio constituto, vt se facilius
aduersus Gotthos, Burgundiones, & Francos Galliam incolentes tueretur, fœdus
cum Genserico rege Africæ renouauit, atque Italiam in summa pace administrare
pro arbitrio cœpit. Hoc vero eius, vt immeritum, ocium subito perturbauit, non
eorum aliquis, quos ipse iure suspectos habere tanquam vicinos Italiæ, potuit, sed
quidam alius longe terrarum, quippe trans Danubium, positus. Hic vero fuit O-
doacer Herulorum, & Turcilingorum regno potitus. is fama rerum, quæ seditiose
gererentur in Italia, percitus, vehementius ad illius cupiditatem exarsit. animum
vero accendit, ac prope certa victoriæ fiducia incitauit primum ipse Imperator
Momyllus. cuius in magna populorum dissensione opes infirmissimas esse com-
periebat, deinde Zeno, qui eodem tempore à Basilisco expulsus, omnes cogitatio-
nes, opesque suas merito ad recuperandum Orientem contulerat. accessit, quòd
ne ipse quidem Italiam prorsus, vt qui Orestis armiger fuerat, ignorabat. His igitur
de caussis haud operosam fore victoriam, si de improuiso cum paratissimo se intu-
lisset exercitu, arbitratus Herulos, Turcilingos, Scyros, ac Rugos interioris Ger-
maniæ populos, qui nuper inter valida Attilæ sæuientis auxilia fuerant, excitauit,
ac magnorum spe præmiorum solicitatos haud ægre, vt sese in eam sequerentur,
induxit, ac diem ad profectionem præstituit. Quæ vbi vere nouo aduenit, cum his
omnibus ex finibus egressus, Danubium traiecit, atque in Noricum penetrauit.
Erat tum in iis locis Seuerinus, qui Noricorum appellatur apostolus, iam inde ab
Attilæ temporibus ex Oriente profectus. qui magnam opinionem apud omnes
sanctæ habebat integritatis. ad hunc igitur Odoacer sacram benedictionem peti-
turus accessit. ceterum, cum, ea accepta, è cella sancti viri pedem efferret, & caput
inclinasset, ne superliminari ostij, (nam proceræ admodum staturæ erat,) allideret,
hæc à diuino vate verba accepit. Perge Odoacer in Italiam vilissimis nunc pellibus
tectus, verum multis propediem preciosa multa dilargiturus. Profectus inde, alacri
animo ex Norico in Italiã per Alpes Tridentinas, ac fines Veronẽses intrauit. quod
postquam Orestes non dubiis nunciis comperit, extemplo, quàm maximas potuit,
ex Italia copias equitum, peditumq; conscripsit, easq; conuenire ad Laudem in Li-
guria iussit. Ceterum Odoacer, hoste, qui transitum moraretur, in Venetia nullo
reperto, protinus, traiecto Abdua, in Liguriam transiit, atque ad Laudem, vbi con-
sedisse Orestem audiebat, castra conuertit. atque eo sine cunctatione progressus,
summo

summo ipsum certamine prouocauit. Orestes autem, cum se & multitudine armatorum inferiorem esse, atque in dies magis à Gotthis deseri animaduerteret, quòd tertiam eis agrorum partem promissam non tradidisset, motis inde castris, Ticinum recessit, ibique se pro tempore, quoad potuit, confirmauit, tantam belli procellam murorum potius, quàm militum præsidio, subiturus. Quod postquam Odoacer persensit, ipsum propere insequutus, exercitum Ticinum adduxit, vrbemque magnis viribus oppugnare instituit. neque ita multis pòst diebus, toto incumbente exercitu, ipsam cum Oreste in potestatem redegit. captamque militibus diripiendam concessit. Ex quo vt noua, sic miserabilis clarissimæ vrbis est vastatio subsequuta. vt enim quisque diuitiis excellere existimatus est, sic ad prædam maxime requisitus. inde, vt eosdem ad prodendas, si quas occuluissent, pecunias cogerent, alij tectis faces subiecerunt, alij ad necem dominos euocarunt, alij ad episcopium nefaria sacri diripiendi thesauri inflammati libidine concurrerunt. atq; opes Ecclesiæ è terra quoque, vbi abscondita fuerant, eruerunt, Epiphanium episcopum, quo plura daret, plura habere putantes. demum tanta clades illata, vt per multos antè annos oppidum nullum aut fœdius captum, aut miserabilius expugnatum sit. quippe, ciuibus passim aut seruitute, aut morte multatis, vrbs direpta vno cum duobus templis prope arsit incendio. Epiphanius vero cum in ceteris caritatis officiis se sanctissime gessit, tum in primis germanam suam, ceterasque mulieres, quæ libidini hostili præcipue obnoxiæ videbantur, seruitute exemit. His x Kalend. Septembris gestis, Odoacer rex Italiæ à suis est acclamatus. quo fauore superbus inde Placentiam prodiit, atque ibi v Kalend. Orestem captiuum, exercitu ipso inspectante, ac gratulante, occidit. tum in Momyllum Augustum intentus, motis castris, Rauennam contendere maturauit. cum autem illum metu exanimatum Romam recepisse se reperisset, pridie Nonas, vrbe in potestatem adducta, Paulum Orestis fratrem, qui relictus in præsidio fuerat, interfecit. dimisso inde per Italiam exercitu, omnes vrbes, quæ Momylli studio deditæ suum auersabantur imperium, aut vi, aut metu, aut beneuolentia suæ ditioni adiunxit. ex quibus, quoniam, vt inquit Diaconus, multæ, extinctis habitatoribus, ad solum vsque euersæ sunt, fit, vt ad suspicandum adducar, præcipue ipsam hac ruina Mutinam concidisse, quæque væsanum Attilæ furorem euaserat, eam Odoacris, cum pro Momyllo staret, molliorem effugere impetum nequiuisse. Huius certe, vt etiam finitimi Regij, nulla in sequentibus Gotthorum bellis memoria celebratur. Citeriore Italia ad auctoritatem, obsequiumque suum adducta, Romam inde accessit, atque vrbem corona circundedit, ipsam, ni se dederet, expugnaturum denuncians. populus autem dira vrbium aliarum calamitate edoctus, deditione repente facta, obuiam extra vrbem effusus ipsum magna hilaritate excepit. quod vbi vidit Momyllus, metu, vt in extremo vitæ periculo, consternatus, vt saluti suæ consuleret, purpuram statim deposuit, ac sese tandem infausto à patre sibi parato Imperio abdicauit. ac vita ab Odoacre hoc modo impetrata, iussu eius in Lucullanum Campaniæ castrum, tanquam in exilium, abiit. Atque his quidem variis, atque ancipitibus rerum, temporumque successibus Roma iam quartum pòst Christi annum quadringentesimum capta, Italiaque à barbaris firmo tandem possideri imperio cœpta est. Imperium autem Romanum, quod in Augusto initium sumpsit, in Augustulo, (sic enim Momyllus est appellatus.) finem accepit. neq; enim posthac hic titulus in Occidente, dum rerum potiti barbari sunt, est auditus.

CAROLI SIGONII HISTORIARVM, DE OCCIDENTALI IMPERIO, LIBER XV,

Qui regnum Herulorum in Italia continet.

ODACER REX.

INSTITVENTI mihi ea mandare litteris, quæ post Romanum extinctum Imperium, ac libertatem Italiæ miserando quodam quasi funere elatam in Occidentis partibus euenerunt, faciendum esse videtur, vt à re proposita parumper abscedam, & te iterum, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, appellem. Neque enim dubito, quin, cum ipse ad hunc locum legendo perueneris, quæ tua est erga solum Italicum caritas, nonnulla animi commotiuncula quatiaris, cum ex quibus in quæ clarissima hæc deuenerit prouincia, cogitaris. indigne autem feres, vt opinor, primum terram illam, quæ tot annos amplissimi sedes Imperij, atque illustris domicilium gloriæ fuerat, vltimorum barbarorum ditioni, potestatique subiectam; deinde virtutem illam, quam nulla Pœnorum, Cimbrorum, ac Teutonum terrere quondam arma potuerant, afflictam demum, atque debilitatam. Sed, si recte sensus tuos noui, & præclaram istam animi indolem exploraui, multo vehementius etiam præstantem illius militiæ disciplinam, quæ sola formidini, atq; excidio vniuersæ barbariæ fuerat, corruptam, ac dissolutam quereris. vt qui totus in studium rei militaris insistes, nihil aliud quotidie mediteris, quàm vt veterem eius laudem instaures, atque in vsum præsentium, si res patiatur, bellorum producas. vsque adeo vt huius rei caussa summos viros, atque in hoc genere exercitatos tecum assidue habeas, & cum iis, quæ ex veteribus hauriri monumētis possunt, eliciens egregie ad nostrorum temporum rationem traducas; haudquaquam ignarus, quibus ille se obstringere studiis debeat, qui summos à Pōtifice maximo, & Rege Catholico delatos militarium honorum, & præfecturarum titulos gerat. Et, licet hæc tu mala omnium grauissima, atque acerbissima duxeris, mox tamen leuia omnia, & quodam modo ferenda putabis, cum quæ clades hos casus proxime sint consequutæ, cognoueris. Neq; enim his se finibus calamitates Italiæ tenuerūt, sed tristi illius fato longius, latiusq; manarunt. Etenim tantam iacturam Imperij, & tantum artis bellicæ detrimentum misera ruina vrbium, fœda vastatio agrorum, ac lacrymabilis Italicæ extinctio prolis excepit. quæ spiritus illos, quos vix extremus terrarum olim ambitus ceperat, magna ex parte infregit. neq; vero id omnino eorum, qui his pòst præfuerunt regionibus inclementia, sed naturali ipsius fortunæ potius inconstantia. quę regionem illam, quam semel ad maximum in terris fastigium, gloriámve, admiranda quadam incolarum accedente virtute, prouexerat, quasi tristi aliquo rerum humanarum ludibrio instituto fœdis omnibus seruitutis, ac vastitatis exemplis afflixit. Verum vt tum diuinæ voluntati sic patienti obuiam ire non licuit, sic ne nunc quidem eam vocare in iudicium libet. quamobrem, his querelis omissis, ad propositæ narrationem historiæ redeamus. vnde præcipue egregiam horum conditionem temporum agnoscemus. quibus, sedente GREGORIO XIII Pontifice maximo, solida, ac perpetua pace, omnibus iterum artibus florente Italia, fruimur.

IMPERIO igitur post multas barbaricarum irruptionum, bellorumque procellas attrito tandem, atque ad extrema redacto, simul etiam florentissimum ipsum Imperatoris nomen exaruit. atq; vt prouincia vna ex eo integra relicta erat Italia,

Italia, sic ipsius quoque Italiæ nomine tota ferme se vis Imperij angustata conclusit. Etenim Odoacer, Momyllo Imperij dignitate se abdicare coacto, Occidentis dominationem ille quidem inuasit, sed honesta maiestatis Augustalis verecundia captus, haudquaquam se Imperatorem, sed regem tantum Italiæ nominauit, atq; Occidenti Imperare nomine regio, sed sine purpura, cœpit. Inde consiliis agitatis regnum ad Imperij, pacisque conseruationem ita formauit. in primis Gotthos, qui in Italiam erant iampridem à Valentiniano aduersus terrores Hunnicos aduocati, ad studium suum conuertit, tertia agrorum parte, quam promissam ab Oreste obtinere non potuerant, persoluta. Italis noua tributa ad propulsandos externos hostes imposita. Romanis senatus auctoritas, & consulum dignitas ad feroces contundẽdos spiritus dempta. reliquis in rebus vetera reip. instituta, & magistratuum iura, nominaq; retenta. ecclesiis, atq; episcopis suus honos seruatus. Eurico Gotthorum regi pars Galliæ ab Alpibus ad Rhodanum, quæ hucusque Romanorum in potestate fuerat, pacis habendæ caussa remissa. & cum Gundobado rege Burgundionum fœdus percussum. atque, his rebus actis, Basilio præfecto prætorio, ac Patricio, qui vices suas gereret, Romæ relicto, Rauennam repetiit. atq; ibi instituto iam ab Augustis exemplo regni sedẽ locauit. Quas res vbi Zeno Imperator non dubia in Orientem deferente fama cognouit, vsqueadeo indigne tulit, vt nullam Imperij cum eo societatem sibi habendam esse statuerit. ex quo regnum Odoacris pro iniusto est habitum, atq; ipse tyranni potius, quàm regis, famam obtinuit. Proximo inde anno, quem post consulatum Basilisci, Armatiq; dixerunt, idem, vt ho- 477
mo non insulsi erat in rebus administrandis ingenij, quæ præsenti obesse rerum statui possent, accurate contendit remouere. itaq;, vt opportunum omnium animis metum incuteret, & populos insigni aliquo seueritatis exemplo promptiores ad obsequendum efficeret, Brachilam Comitem imperium suum ratione aliqua detrectantem v Idus Iunias interfecit. quibus de rebus non solum metui, sed etiã coli ab Italicis, atq; exteris cœpit. Quare Gensericus rex Africę in admirationẽ virtutis, & fortunæ illius adductus oratores ad eum de pace misit, atq; illius impetrãdæ gratia Siciliam ei tributario iure concessit. Interim Epiphanius templa Ticini incensa restituere animo maiore, quàm viribus, properauit, diuino numine egregium eius consilium in summis rerum necessariarum angustiis adiuuante. nam præcipuo ab Odoacre rege colebatur honore. Nitebant hoc tempore miraculis ossa sanctorum martyrum Vitalis, & Agricolæ, Bononiæ apud ædem S. Stephani sita. quæ res cum frequenti hominum sermone in Italia, Galliaq; celebraretur, Namatium Aruernorum episcopum, eximiæ sanctitatis virum, impulit, vt nouam à se constructam basilicam ornamentis eiusmodi honestare studuerit. itaq; presbyterum Bononiam, qui aliquid earum peteret, & ad se referret, legauit. vbi vero eum voti compotem sui factum ad quintum lapidem peruenisse audiuit, continuo, ciuibus euocatis, cum crucibus, & cereis in earum occursum venerabundus processit. ac presbytero monenti, vt oculis optatum tandem sanctarum reliquiarum fructum hauriret, honestam recusationem adhibuit, malle se fide, quàm oculis, niti adiiciens. Quod autem præcipuam tum omnibus incussit religionem, venientibus martyribus, obductis repente cœlo nubibus, largissimus imber effusus à sanctis tamen reliquiis sic abstinuit, vt ne iugeri quidem circum spacium gutta vlla tetigerit. mox, procedentibus illis, pluuia quasi de industria prosequuta populum sic aspersit, vt prorsus gestatoribus ipsis pepercerit. Qua re animaduersa, Namatius, Gratias tibi ago, Domine, inquit. & conuocatis ciuibus basilicam cum maxima religione, ac lætitia dedicauit, vt Gregorius Turonensis in libris de gloria martyrum prodidit. Ceterum has reliquias ex æde Sancti Stephani pòst in basilicam Sancti Petri magna ex parte translatas, ac, longo deinde annorum spacio interposito, in cleri, ac populi Bononiensis ignorationem adductas GABRIEL PALÆOTVS Romanæ Ecclesiæ presbyter Cardinalis, ac Bononiensis episcopus, cum basilicam illustriore, ac magnificentiore opere instauraret, in Confessione sub altari ipsius Sancti Vitalis inuenit. Qua re vehementius ille pro summa sua pietate lætatus, re cum Gregorio pontifice communicata, ex eius auctoritate tantum bonum ciuitati proden-

dum existimauit. itaque constituto quadragesimalis ieiunij die, præstantissimos viros, ac principes ciuitatis, pontificis fratrem, fratrisque filium, præfectum vrbis, magistratus, & senatores adhibuit, atque, ipso astante clero, orationem ad eos super hac re tempori aptissimam habuit, in qua de ipsorum gloria martyrum, & venerandis eorum reliquiis accuratius egit. qua perfecta, cum omnium, qui audierant, animos sancta quadam religione, ac pio visendi studio incendisset, demum lapidem tolli ab altari mandauit, ac preciosissimum hunc ecclesiæ Bononiensis thesaurum aperuit, facultate omnibus nobis (nam & ego quoque ab illo accitus accesseram) intuendi concessa. erant autem ossa aliquot cum pannis sacro adhuc cruore, vt res docere videbatur, infectis. Quod quia, dum hanc partem historiæ edebam, euenit, res mihi digna visa est, quæ huic loco propter inclytam harum reliquiarum antiquitatem intexeretur. sic enim priscis scriptorum euoluendis monumentis comperiebam, (quod & ipse Cardinalis in sua oratione non prætermisit,) has reliquias primum à S. Ambrosio Mediolanensi episcopo in solo Iudæorum repertas, deinde à S. Paulino Nolano egregia cum laude commemoratas, tum à S. Namatio Aruernio, ingenti animi studio expetitas. vt mirandum non sit, diuino demum numini placuisse, easdem ab eo potissimum antistite ex obscuris ignorantiæ tenebris erui, quem nos videmus mirabiliter cum antiquissimo quoque sacerdote prudentiæ, eruditionis, solertiæ, ac religionis laude, atq; opinione certare. Eodem anno per quadraginta dies continuos Constantinopoli terra horrendo plane motu tentata est. quo pleraq; ædificia publica, ac priuata procubuerunt, ac ruinis magnã vim hominum oppresserunt. Præcipue VIII Kal. Octobris statua Theodosij Magni in Foro Tauri super cochlidem columnam posita corruit, duobus etiam fornicibus eius Fori collapsis. Per eosdem dies corpus quoq; S. Barnabæ in Cypro inuentum est, euangelium S. Matthæi sua manu descriptum super pectore gestans. quæ res Cypri laudi vsqueadeo fauit, vt propterea ea ecclesia ad metropolitanæ dignitatem euecta sit. Eodem anno Childericus rex Francorum fines prolatare ditionis suæ in Gallia cupiens, bellum cum Odoacre Saxonum duce suscepit. quo, Saxonibus in fugam actis, ac cæsis, insulas, quas possidebant, ademit, ac demum, fœdere cum Odoacre percusso, communibus armis Alanos inuasit, eosque ex Galliæ finibus exturbauit. ex quo Francorum in Gallia opes auctiores factæ in dies metui vehementius cœptæ. Hæc scribit Gregorius Turonēsis eo anno gesta esse, quo
478 mense Septembri terra contremuit. Sequenti anno, quo Hillus consulatum in Oriente gessit, Simplicius pontifex nouam Romanæ ciuitatis, atque adeo etiam Italiæ vniuersæ quietem admirans, eamque constantem esse, ac perpetuam cupiens, Basilium vrbis vicarium monuit, vt videret, ne, se hominem exuente, propter noui pontificis lectionem, ardentibus cupiditate summæ dignitatis hominibus, seditio aliqua moueretur, qua præsens ciuitatis ocium turbaretur. itaque Basilius episcopos in basilica Vaticana opportune à pontifice in alios vsus ecclesiæ conuocatos nactus, accedens sic dixit: *Quanquam studij nostri, & religionis interest, vt in episcopatus electione concordia præcipue conseruetur Ecclesiæ, ne per electionis occasionem status ciuitatis in dubium reuocetur, tamen admonitione beatissimi papæ nostri Simplicij, quam ante oculos semper habere debemus, hoc nobis sub obtestatione scitis esse mandatum, vt propter illum strepitum, & venerabilis ecclesiæ detrimentum, si eum de hac luce transire contigerit, non sine nostra consultatione eiuslibet celebretur electio.* Hæc constitutio quanquam fortasse in præsens ciuitatis concordiæ apta, tamen quia libertati Ecclesiæ officere videretur, ac nullius episcopi subscriptione firmata reperiretur, pōst à Symmacho pontifice est abrogata. Vix dum martyris templum ab Epiphanio erat perfectum, cum alterius ecclesiæ paries insigni columnarum ruina cecidit. quem cum reficere euestigio maturaret, factum est, vt opifices cum ingenti machina è templi tholo præcipitauerint. verum nemine eorum detrimentum corporis aliquod passo, res in religionem versa, & sanctis episcopi precibus attributa est. Eodem anno Gensericus rex Africæ post Romanum Imperium diminutum, & religionem Catholicam laceratam vitæ suæ finem imposuit, Honorico filio rege relicto. is initio regni magnam æquitatem,

atque

atque animi moderationem adhibuit, ac plane se à paterna abhorrere in colenda
pietate ratione ostēdit. siquidem Catholicos in locis etiam à patre interdictis con-
uentus habere, & rogatu Zenonis Imperatoris episcopum Carthaginis Catholi-
cum creare concessit, qui per viginti quattuor annos nullus extiterat. Eugenius
magno Catholicorum plausu est declaratus. qui deinde vsqueadeo integre, ac mo-
derate se gessit, vt eximiam famam tulerit sanctitatis. Iampridem Orientalis Ec-
clesia nullis fatigata seditionibus quiescebat, cum, Zenone Augusto consulatum 479
sine collega gerente, more suo nouo misceri tumultu sic cœpit, vt Occidentalem
quoque in multos annos variis fluctibus agitarit. quippe Acacius episcopus Con-
stantinopolitanus certiorem pontificem Simplicium fecit, Petrum Mongum, qui
ecclesia Alexandrina à Zenone fuerat deturbatus, perfidiæ Eutychianæ veneno
esse imbutum, idq; se certis testibus habere compertum. Addidit etiam Timo-
theus Alexandriæ episcopus, eundem necis Proterij episcopi Alexandrini deces-
soris sui fuisse participem. quæ vbi Simplicius audiit, quanquam pro rei magnitu-
dine stomacho vehementer exarsit, tamē nihil vltra processit, quàm vt eum à com-
munione repelleret, dato spacio, quo, si vellet, ad saniora consilia se referret. Epi-
phanius, postquam templa restituit, vt ciues quoq; ad priuatas domos resarciendas
alliceret, ab Odoacre rege tributorum, quæ in fiscum referrentur, vacationem in
quinquennium petiit, eamq; facile impetrauit. Odoacer autem odium aduersus
Romanos ita mitigauit, vt consulem ciuitati, atque Occidenti reddiderit. is honos
Basilio delatus est. quem magistratum ille proximo anno solus gessit, qui fuit à 480
Christo nato quadringentesimus octogesimus. Eo vero anno Simplicius ponti-
fex comperto, Petrum Mongum haudquaquam erroris sui pœnitentia duci, la-
ta demum sententia condemnauit. Odoacri interim regi ab armis in Italia quie-
scenti leuis belli in Dalmatia gerendi est materia præbita. Sextus agebatur annus,
cum Iulius Nepos, qui Imperium in Occidente tenuerat, in Dalmatia Odoacris
prouincia quietus, atque ab omnibus popularibus procellis remotus degebat,
Odoacre non solum non aduersante, sed etiam saluti eius diligentissime consu-
lente. Ne vero hoc ille ocio diutius frueretur, nefaria quorundam hominum
improbitate perfectum est. siquidem Viator, & Ouida Comites priuatis, vt pu-
to, odiis, ac simultatibus inflammati insidias illi fecerunt, atque in villa sua quie-
scenti vitam eripuerunt. Hanc igitur necem vt indignam, & ne in humilis qui-
dem fortunæ homine tolerandam Odoacer acerbo vsqueadeo animo tulit, vt se-
quenti anno, in quem Placidum Consulem declarauit, militarem aduersus eos 481
manum miserit. quo facto, cum eorum vtrumque armis oppressit, tum vltimum
de Ouida supplicium sumpsit. Pelagius præfectus prætorio possessoribus Liguriæ
tributa coëmptionum gratia duplicauit. qua de re populi anxij, vt qui grauissimo
onere tempore alienissimo premerentur, capita contulerunt, ac, re agitata, Epi-
phanium Rauennam ad regem Odoacrem miserunt, ac per eum eiusmodi remis-
sionem oneris consequuti sunt. Eodem etiam anno in Gallia viri duo insignes ob-
iere, Egidius rex Suessionum, & Childericus Francorum. quorum ille Syagrium,
hic Clodoueum filios nactus est successores. Clodouei inde illustris bello, pace-
que gloria haudquaquam ipsius se Galliæ finibus tenuit, verum mox vniuersam
Europam latissime peragrauit. In Italia, episcopis Æmiliæ ab ecclesia Mediola-
nensi ad Rauennatis auctoritatem iampridem, Valentiniano vrbis eius dignitati
fauente, traductis, Ioannes Archiepiscopus maiores iusto gerere spiritus cœperat.
itaque postero anno, qui Tracondum, & Seuerinum consules habuit, eo vecordiæ 482
processit, vt Gregorium quendam inuitum episcopum Mutinensem, vi ad se attra-
ctum, sacrare, licet sacris legibus omnibus refragantibus, ausus sit. quod vt audiit
Simplicius pontifex, homo veteris disciplinæ retinentissimus, III Kalendas Iunij
ad eum ita scripsit, vt ad grauem obiurgationem acerbam etiam, & sedi apostoli-
cæ conuenientem comminationem adiecerit: *Denunciamus*, inquiens, *si posthac
quidquam tale præsumpseris, & aliquem seu episcopum, seu presbyterum, seu diaconum in-
uitum facere decreueris, ordinationes tibi Rauennatis, aut Æmiliensis ecclesiæ ademptum iri.*
ac rationem mollioris suæ sententiæ per Proiectum Forocorneliensem episcopum

ei edi iuſſit. Per eoſdem etiam dies idem multa in vrbe præclara inſtituit. nam & baſilicam S. Stephani protomartyris, & S. Andreæ apoſtoli dedicauit. & ſeptenos presbyteros ad baſilicas S. Petri, S. Pauli, & S. Laurentij collocauit, vt inuicem pœnitentiam, baptiſmumq; poſcentibus inſeruirent. quin etiam presbyteros in baſilicas quinque diuiſit. vnde regiones quinque ſunt factæ, S. Petri, S. Pauli, S. Laurentij, S. Ioannis Lateranenſis, & S. Mariæ maioris. Alexandriæ Timotheo epiſcopo mortuo, Ioannes Tabenneſiodes ſuffragio populi locum adeptus eſt. quod vbi Zeno accepit, offenſus eo, quòd ille iureiurando ſe nunquam in eius locum petiturum eſſe, ſibi promiſerat, illum ſede deiecit. atque epiſtolam ad Alexandrinos de componenda inter ſe concordia miſit, quam Henoticum appellauit, Petrum Mongum reſtitui iubens, ſi hanc epiſtolam cum Chalcedonenſi Concilio recepiſſet. Ioannes autem pulſus ad Simplicium Romam confugit, ſe idcirco exactum conquerens, quòd Concilium Chalcedonenſe defenderet. qua re commotus
483 Simplicius, Fauſto iam conſule, Zenonem per litteras obiurgauit. ille vero Ioannem non ob eam cauſſam, quam præ ſe ferebat, ſed quia fidem ſibi datam violauerat, loco motum reſpondit. atque inde ſexto Nonas Martias, pontificatu pro dignitate geſto, vita ceſſit. Cui Felix tertius eſt ſubſtitutus. Iampridem Theodomiro Oſtrogotthorum regi mortuo filius Theodoſicus Amalus ſucceſſerat. Iuuenem ſumma virtute, magniſque opibus ad res in Illyrico nouandas inſtructum adeptus Zeno, ad amicitiam ſuam alliciendum eſt arbitratus. itaque ad ſe venire Conſtantinopolim iuſſum omni genere honoris excoluit. nam & inter proceres ſui Palatij rettulit, & magiſtrum præſentis militiæ fecit, & filium adoptatum inſuper ſtatua equeſtri ænea ante Palatium poſita decorauit. quin etiam Ripenſi Dacia, Mœſiæque parte donatum in poſterum annum conſulem deſignauit. Itaque
484 Theodoricus proximo anno conſulatum Conſtantinopoli cum Venantio iniit, pacemque colere cum Romanis inſignibus ornatus beneficiis, honoribusque inſtituit. Seditionem inde in Orientali eccleſia ſæuientem grauiore tumultu Acacius epiſcopus Conſtantinopolitanus incendit, defectione ob leuitatem à Catholicis inita, ac Petro Mongo in communionem recepto. Qua de re Felix pontifex à Ioanne Tabenneſiode admonitus rem haud ſibi contemnendam exiſtimauit, ac protinus, Concilio in Vaticanam baſilicam conuocato, Petrum, Acaciumque, tanquam eiuſdem criminis reos, piorum communione remouit. quæ res inde per multos annos materiam ſeditionum prope inexpiabilium, aluit. Per eoſdem dies Eccleſia Catholica alterum etiam, & quidem atrocius ab Honorico in Africa rege accepit vulnus. Is, priſtina comitate depoſita, acrem demum hoſtem ſe Catholicis prodidit. ſiquidem die Aſcenſionis Edictum atrociſſimum Eugenio Carthaginis epiſcopo legendum in media eccleſia dedit: *Honoricus rex Vandalorum, & Alanorum vniuerſis epiſcopis homouſianis. Non ſemel, ſed ſæpius conſtat eſſe prohibitum, ne in Sortibus Vandalorum ſacerdotes veſtri conuentus celebrarent; ne ſua ſeditione animas ſubuerterent Chriſtianas. Quam rem ſpernentes plurimi nunc ſunt reperti contra interdictum Miſſas in Sortibus Vandalorum facere, aſſerentes ſe integram regulam Chriſtianæ, ac veræ fidei tenere. Et quia in prouinciis à Deo nobis conceſſis ſcandalum eſſe nolumus, ideo Dei prouidentia cum conſenſu ſanctorum epiſcoporum noſtrorum hoc nos ſtatuiſſe cognoſcite, vt ad Kalendas Februarias primas, omni omiſſa formidinis excuſatione, omnes Carthagini conueniatis, vt de ratione fidei cum noſtris epiſcopis decertetis. ac fidem homouſianorum, quam defenditis, diuerſis ſcripturis proprie confirmetis. quo poſſit agnoſci, num integram fidem teneatis. Huius autem edicti tenorem vniuerſis coëpiſcopis tuis per vniuerſam Africam conſtitutis direximus. Datum* XIII *Kalendas Iunias, anno ſeptimo Honorici.* Hoc edicto recitato, omnium, qui aderant, Catholicorum animos ſubito pauor ingens oppreſſit, magnum aut vitæ, aut religioni ſuæ diſcrimen imminere videntium. Ex quo mox recreatus Eugenius intulit, hoc idem tranſmarinis item epiſcopis, qui ſecum vna religione, ac communione deuincti eſſent, oportere indici. Cui ille reſpondit, ſi vniuerſum mihi terrarum orbem ſubieceris, tum demum explebo, quod po-
485 ſtulaſti. Vbi vero Kalendæ Februariæ venere, quæ, conſule Symmacho in Oriente fuere, Catholici ex regis edicto in locum ab Arrianis conſtitutum diſputationis

gratia

gratia coierunt. pro Arrianis principem ſe gerebat Cyrillus, qui ſe vltro Patriarcham vocabat. Eo vero criminante, Catholicos ſuperbe illud ſibi nominis aſciuiſſe, Catholici percontati ſunt, cur ipſe Patriarchæ titulum vſurparet? Tumultu autem orto, iuſſi ſunt omnes, qui aderant, Catholici centenis fuſtigationibus cædi, Euſebio incaſſûm inſignem ſibi fieri iniuriam exclamante. Cum autẽ Cyrillus rogatus, vt referret, ſe Latine ſcire negaſſet, Catholici tabulas de fide ſua ſcriptas ediderunt. quibus Arriani, clamore ſublato, præbere aures noluerunt. ac regi Concilium ſtrepitu à Catholicis interpellatum renunciarũt. Ob id Honoricus ira incenſus, omnes vno die Catholicorum eccleſias claudi iuſſit, atq; omnia bona epiſcoporum Catholicorum ſuis donauit, & omnibus eos vrbibus expulit, ac ſacra miniſtrare prohibuit. ac demum VI Kal. Martias hæc vniuerſa, nouo edicto propoſito, ſanxit. Inde cunctos veſtibus exutos, ac nudos fruſtra extra vrbem auxilium ac miſericordiam implorantes ſeſſoribus in equos impoſitis obterendos obiecit. ex quibus, qui incolumes euaſerunt, in vnam ædem coactis ita ſe ſalutem daturum oſtendit, ſi fidem Arrianam ſuſcepiſſent. quod illi inſigni conſtantię, fideiq; exemplo repudiarunt. Pœnę inde, mulctæq; acerbiſſimæ ceteris omnium ordinum hominibus irrogatæ, qui intra Kal. Iunias Arrianam religionem non aſciuiſſent. quo pacto infinita hominum multitudo, dimiſſis per Africam tortoribus, aut fuſtibus, aut ſuſpendio, aut ferro, aut igne necati ſunt. præcipue autem cõuertere oculos nobiles matronæ nudatæ, atque inſpectante populo, tortæ. viriq; nonnulli, quorum alios cernere erat ſine manibus, alios ſine pedibus, quoſdam oculis erutis, quoſdam linguis euulſis, partim naribus, auribusque deſectis, partim ſpatulis nimio ſuſpendio vulſis, caput, quod eminere ſolebat, in medio ſcapularum habere demerſum, dum in altis ædibus ſuſpendio cruciati, agitatis funibus, per aërem errantes inanem penderent. ex quibus nonnulli, diſruptis funibus, ex illa altitudinę procidentes, aut cerebrum cum oculis afflixerunt, aut confractis oſſibus vel ſubito, vel pòſt paululum expirarunt. Singulorum nomina apud Victorem extant deſcripta. Eorum aliquot ſe vidiſſe Conſtantinopoli refert Procopius poſt reciſas linguas priſtino eloquio reſtitutos. Nec multis pòſt diebus Honoricus, dum acerbitatem odij ſui inaudita aduerſus Catholicos crudelitate inflammat, vermibus ſcatens, miſere vitam amiſit, ac regnum Gundamundo Genzonis fratris filio tradidit. qui, teſte Procopio, Catholicos aſperioribus porro vexare ſuppliciis inſtitit. Eo anno Clodoueus rex Francorum ad dignitatem ſuam pertinere arbitratus, vt imperium à maioribus in Gallia partum amplificaret, primum Romanos ſibi appetendos duxit. quibus emotis, haud magni fore momenti putauit, Gotthos, & Burgundiones, ceteroſq;, qui Galliam inuaſerant, exturbare. Itaq;, Charatico, & Ragnachario propinquis ſuis Francorum regulis ad belli ſocietatem allectis, aduerſus Syagrium Romano in oppido Sueſſione ſedentem mouit, ac, campo ad conſerendam manum deſtinato, ipſum prœlio prouocauit. Syagrius haudquaquam tanta in ſe ruente mole perterritus, vltro cum ſuis in aciem prodiit, &, collatis cum eo ſignis, fortiſſime dimicauit. ad extremum, cum hoſtis impetum ſuſtinere non poſſet, in fugam actus Toloſam ad Alaricum Gotthorum regem, qui paulo antè Eurico fratri ſucceſſerat, vt ab eo ſeruaretur, ſe contulit. Quo cognito, Clodoueus integræ victoriæ cupidus, legatis propere miſſis, Alarico denunciauit, vt ſibi Syagrium traderet; ni pareret, arma ſe illaturum oſtendit. ob id Alaricus armati regis iracundiam veritus, Syagrium dedidit. quem Clodoueus ad capitale ſupplicium abſtrahi iuſſit, ac Sueſſione, ceteriſq; eius oppidis in fidem acceptis, regni fines vſq; ad Ligerim prolatauit. Eo in bello multę eccleſiæ fœda à Francis populatione direptæ ſunt. prę̀cipue epiſcopo cuidã vrceus mirificæ magnitudinis, ac pulchritudinis cum reliquis eccleſiaſticis ornamẽtis ereptus eſt. quod damnum ille grauiter ferens, nuncio miſſo, vrceum à Clodoueo repetiit. Clodoueus, nuncio ſe ſubſequi iuſſo, Sueſſionẽ adiit, atq;, expoſita in medio præda, petiit à militibus, vt illum ſibi vrceum extra ſortem concederent: cum ceteri & vrceum, & cetera omnia eius arbitrij, iuriſq; eſſe reſpondiſſent, vnus præfractiore ingenio præditus, ſecuri in illũ impacta, dixit: Atqui tu nihil hinc accipies, quod ſors non dederit. qua re commotus rex, iram tamen continuit, atq; vltionem

in tempus aliud reseruauit. Eo in bello Chararicus ancipitis prœlij euentum expe-
ctans, dubium se in acie sine certamine gessit. Atq; hic quidem finis Romanorum
Imperij fuit in Gallia, quam florente quondam populo præclara Q. Fabij primum,
deinde C. Cæsaris victoria in potestatem, ditionemq; redegerat. Interim Felix
pontifex certior factus, Acacium damnatum restitui cupere, antistitum conuen-
tum adhibuit, atq; episcopos duos Vitalem, & Misenum legatos in Græciam desti-
nauit, datis mandatis, vt, nisi Acacium, & Petrum à malis cõciliis recepisse se com-
486 perissent, nouo in eos iudicio animaduerterent. Hi, Cæcina, & Longo consulibus,
Zenonis iussu in itinere comprehensi litteris interceptis in custodiam dati sunt.
dimissi inde cum Heracleam peruenissent, caussam tentati pecunia prodiderunt.
Itaq; Cyrillus monasterij Insomnium præses litteris ad Felicem scriptis nimiam eo-
rum tarditatem, ac segnitiem accusauit. Quibus lectis, Felix ad legatos misit, præ-
cipiens, ne quid prius agerent, quàm cum Cyrillo loquuti essent. Zenonem vero de
obseruatione Chalcedonensis Concilij, & persequutione Catholicorũ ab Honorio
in Africa renouata edocuit. Legati vbi Constantinopolim peruenerunt, cum mul-
tis aliis in rebus ab officio decesserunt, tum in primis, se præsentibus, Petri nomen
ex tabulis Diptychis recitari more Ecclesiæ permiserunt, & communionem cum
Acacio inierunt. Ob eam rem Zeno collecto animo Felici respondẽs, Petrum ac-
curata oratione defendit, illum idcirco ecclesiæ restitutum, quòd iureiurando af-
firmasset, se à Nicænis decretis non discessurum. Acacius vero non ipse solum Pe-
trum in communionem admisit, verum etiam aliis, vt idem facerent, auctor fuit.
Legatis inde Romã re infecta reuersis, Felix de rebus Acacij litteris monachorum
edoctus iterum episcopos aduocauit, &, cum legatos accepisse pecuniam compe-
risset, ex omniũ sententia communione summouit. ex quibus Misenus peccatum
suum diserte confessus, spacium poposcit ad probrum suum pœnitentia expian-
dum. In eodem etiam conuentu Petrus, & Acacius iterum condemnati; litteræq;
ad Acacium de Miseni, & Vitalis, & ipsius cum Petro condemnatione sunt missæ,
criminibus eius aduersus Ecclesiam enarratis. ex quo exasperatus vterq;, ille Chal-
cedonensi Concilio infestior euasit, hic vero eo vecordiæ processit, vt ipsius etiam
Felicis, Romani pontificis, ex Diptychis nomen exemerit. Quæ dum aguntur, op-
portune ad minuendam seditionem vterq; eorum ex hac vita migrauit. itaq; Aca-
cio Flauitas, Athanasius Petro est subrogatus. quorum Flauitas, cum fallaces item,
atq; incertæ fidei litteras ad Felicem misisset, & ipse post tres menses extinctus est.
487 Seuerino inde Boëtio consule, Euphemius in eius locum sublectus, infausto deces-
sorum exemplo deterritus, vt sacerdotium iniit, manibus suis Petri nomen ex Di-
ptychis sustulit, ac pro eo Felicem reposuit. & recepto more synodicam ad ponti-
ficem misit. itaq; à Felice, tanquã orthodoxus, acceptus est ille quidem, verum in
communionem episcoporum non admissus, quòd Acacij, & Flauitæ nomina in
Diptychis reliquisset. quæ res atrociores inde seditionum fluctus exciuit, quòd Ec-
clesia Occidentalis Orientalem in communionem recipere nollet, nisi Petrum, &
Acacium, licet iam vita functos, damnasset, atq; eorum nomina ex Diptychis dele-
uisset. Sequuntur hanc tranquillitatem rerũ anni multiplici bello insignes. Odoa-
cer, cum nullam armorum materiam domi haberet, iterum rei foris gerendæ oc-
casionem est nactus. Rex erat Rugorum trans Danubium nomine Feleteus, siue
Febanus Flacitei filius. Hic patris instituta sequutus sanctum Seuerinũ in Norico
sedentem sæpe de regni sui incolumitate consuluit. vxor vero eius Gisa, mira homi-
nis reuerentia ducta, à Catholicis quidem rebaptizandis abstinuit, verum Roma-
nos, licet illo tristia omnia denunciante, vexauit. itaq;, cum quodã die in proximo
Fabianis vico consisteret, aliquos ad se adduci iussit seruituti vilissimæ destinatos.
quos cum dimitti Seuerinus petisset, illa subiecit: Oret sibi intra cellam suam Se-
uerinus, nobis vero de seruis nostris pro arbitrio statuere sinat. cui respondit Seue-
rinus: Confido in Domino, illam necessitate facturam, quod praua voluntate ne-
glexit. Neq; tanti viri irritum prorsus fuit oraculum. siquidem cum aurifices qui-
dam barbari in ergastulis positi Friderico puero eius filio ad se pueriliter adeunti
nefarias insidias comparassent, re cognita, repente magnitudine doloris adacta
supplex

supplex opem Seuerini poposcit, ac se præsenti plaga percussam propter contemptam eius auctoritatem, petita venia, confirmauit. Itaque, dimissis subito Romanis, & barbaris libertate donatis, Seuerini beneficio filium recepit incolumem. Cum ergo Feleteus hic Herulis finitimis suis esset infestus, Odoacer officij esse sui putauit, cognatum populum ab eiusmodi iniuria vindicare. Itaque exercitum aduersus regem trans Alpes eduxit, ac, prœlio in Rugia facto, fortissime dimicauit. & Feleteo capto, Rugisq; deletis, late regionem illam vastauit. inde, victore reportato in Italiam exercitu, XVIII Kal. Decembris vrbem triumphans iniuit, regémque ante currum captiuum duxit. quæ pompa iucundam florentis nuper Imperij memoriam cum aliquo demptæ libertatis dolore populo Rom. redintegrauit. neque ei post euersas pristinas opes ad colligendos ex tantis calamitatib. animos pulchrior alius dies illuxit. Ceterum decimus iam subibat annus, cum Italia sub regis Odoacris Imperio quieta magis, quàm læta, degebat, vt quæ præsidio magis firmo armorum aduersus futuras irruptiones, quàm dulci imperij solatio ad clades præteritas vteretur, cum fortuna eius quiescere nesciens, sed noua in dies in ceruices iuga seruitij moliens, rursus ægre se à pristinis casibus alleuantem oppressit, Gotthis ad eam aduersus Herulos inuadendam commotis. Quippe Osttrogotthi, qui in Pannonia considebant, cum propter pacem, quam nuper cum Imperatore contraxerant, vnde prædas agerent, non haberent, ad extremum inopiæ, ærumnarúmque peruenerant. Itaque doloris, ac lacrymarum pleni Theodoricum regem missis publice legatis Constantinopolim adierunt, atque ita verba fecerunt. Magnam rem esse, de qua querelas apud eum suas effuderent. nec vereri, quin animum eius offensuri essent, si taciti diutius dolorem suum continuissent. ceterum ad rem eius magnopere pertinere, ipsum non ignorare, se, dum ille luxuria apud Imperatorem difflueret, extremis angustiis rei familiaris oppressos, &, postquam ex Romano prædari agro desissent, ad summam egestatem, & rerum omnium difficultatem adductos esse. Ob eam rem orare illum, atque obtestari, vt res suas aliquando respicere, & gentis suæ rationem habere vellet, ne iniussu eius durius sibi consulere, atque alias propter penuriam sedes quærere cogerentur. Quæ cum iniquis auribus Theodoricus audisset, facile, vt qui Zenonis impertitis ad tempus honoribus iam pridem esset satiatus, iustis eorum est precibus obsequutus. itaque in Mœsiam reuersus, bellum Zenoni, calentibus suorum animis vsus, mouit. quippe Constantinopolim, & Melenthiadem exercitu infesto accessit, & vastatis, direptisq; circumquaque agris, præda grauis ad Nouas Mœsiæ oppidum, vnde discesserat, rediit. Per quos dies Odoacer rex Rugorum, vt dixi, paulo antè agro profectus, audiens, Fridericum Feletei filium domum ex fuga esse reuersum, Onulfum fratrem cum valida militum manu aduersus eum remisit. Qua re cognita, Fridericus ad Theodoricum tum Nouis morantem confugit. itaque Onulfus sine magno certamine rerum potitus, Rugos omnes iussit ad Italiam commigrare. Quo facto, Longobardi vacuam Rugiam nacti, rege eorum Gudeoco ducente nouis eam locatis sedibus occuparunt. Theodorici defectionem Zeno, vt qui maxime, reprehendit, sed, vt prudens, clementer, ac liberaliter sibi cum illo agendum putauit. ne, si asperius, duriúsve consuleret, vehementius præferocis iuuenis animum in sui perniciem incitaret. Itaque Dinamio iam, Sifidioq; consulibus, amice illum, ac 488
comiter ad se per litteras aduocauit. Paruit voluntati eius Theodoricus, & in conspectum progressus, ac rationem tam subitæ defectionis reddere iussus, se paupertate, penuriaq; suorum adductum ad extrema descendisse consilia dixit. veniaque petita, vt rebus consuleret suis, orauit. exigente inde Zenone, qua tandem ratione ærumnas leuare illius, ac miserias posset. Italia terra est, inquit, quæ nunc ab Odoacre Herulorum rege iniussu tuo tenetur. permitte, me ad eam occupandam cum mea omni gente contendere. nam, si ego Odoacrem vicero, tua gloria erit, qui me miseris; si cecidero, tu annuorum stipendiorum onere liberaberis. &, si victor ero, tuo beneficio Italiam obtinebo; si victus manum dedero, tu iacturam facies nullam, qui alienos amiseris. est autẽ æquius, me, qui cliens, & filius tuus sum, Italiam habere, quàm eum, qui senatum, ac remp. tuam iniqua seruitute tenet oppressam.

Quibus vocibus Zeno permulsus, haud grauate, vt Illyricum infesta, ac merito sibi suspecta Gotthorum multitudine exoneraret, assensit. itaque, re cum eo composita, Italiam ei, quemadmodum inquit Paulus Diaconus, per pragmaticum tradidit, ac, sacro velamine capiti imposito, confirmauit, & senatum, populumq; Romanum cum ipsa vrbe, ac tota Italia præcipue commendauit. Quibus rebus perfectis, Theodoricus inde alacri animo ad suos reuersus, eos sine cura esse, ac bene de reliqua vita iussit sperare. nam se Italiam regionem ceteris, vt constaret, nobilitate, atque opulentia præcellentem ab Imperatore præcipui loco beneficij, impetrasse. proinde accingerent se ad iter, & expeditionem illam, viderentq;, quemadmodum secum non solum arma, & instrumenta, sed etiam familias, ac bona cariora non profectionis, sed migrationis caussa, deferrent. Sub eosdem dies Sidonius, Aruernorum episcopus, obiit. hic ante mortem graui morbo vexatus deferri se in ecclesiam iussit. ad quem visendum cum infinita vis pij populi confluxisset, ipsum percontari obortis lacrymis institit, cur se desereret, aut cui se quasi orbos tuendos, custodiendosq; relinqueret? quibus antistes spiritu diuino instinctus respondit: Ecce frater meus Aprunculus viuit, qui sacerdos vester erit. atque inde animam sub has voces efflauit. Eo sepulturæ mandato, presbyter quidam, qui viuenti infestissimus fuerat, ecclesiam occupauit, & se gerere pro episcopo cœpit. verum mox, cum solemne epulum populo daret, repentina & ipse morte occubuit. interim Francis late in Gallia rerum vsque ad Ligerim potientibus grauis rumor increbuit, plerosque omnes eorum imperium exoptare, remq; ad defectionem spectare. Itaque Apruncul us Lingonicæ ciuitatis episcopus, tanquam Francorum amicus apud Burgundiones cœpit haberi suspectus, ac propterea gliscente odio furtim occidi est iussus. qua re præcepta, ille nocte ex vrbe Diuionensi per murum demissus Aruernum se contulit, atque ibi episcopus declaratus diuinum S. Sidonij oraculum con-
489 firmauit. Eusebio inde, & Probino consulibus, Gotthis omnibus se ad Italicum iter summa animorum alacritate parantibus, repentinum bellum contra opinionem omnium interuenit. quod profectionem aliquantulum retardauit, ac paulisper ardorem Italiæ petendæ repressit magis, quàm aut consilium impediuit, aut facultatem ademit. nam Transilla Gepidarum, & Busa Bulgarorum reges siue sua sponte impulsi, siue ab Odoacre rege tantam molem à se auertere cupiente solicitati, insidias Theodorico regi pararunt, atque ipsum, antequam iter ingrederetur, adorti ad prœlium deduxerunt. Theodoricus repente tanta armorum tempestate oppressus animo haudquaquam defecit, sed, conuerso in eos impetu, summa non solum virtute, sed etiam felicitate pugnauit. nam vno prœlio Transillam, altero Bulgaros strauit, gentem nouam, atque ex Scythia paulo antè profectam. Ita, via sibi ad profectionem munita, protinus sese ad cogitationes Italicas rettulit. Inde Fau-
490 sto, & Longino consulibus, qui fuit annus à Christo nato quadringentesimus nonagesimus, rebus omnibus, quæ ad eiusmodi migrationem erant necessariæ, comparatis, extrema hieme è Mœsia excessit, vniuerso ferme Gotthorum populo subsequente, ac liberos, coniuges, arma, & supellectilem, quam ferre poterant, secum in plaustra imposita deuehente. iter pedibus per Sirmiensem Pannoniam est susceptum. neque enim ad maritimam traiectionem nauium copia suppetebat. His auditis Odoacer nequaquam exterritus, vere nouo cum ingentibus Herulorum, Italorúmque copiis ad fines Italiæ venit, transitum pro viribus obsepturus, & de Italiæ possessione extrema, si necesse esset, prœlij contentione dimicaturus. Tria erāt loca, quæ præcipue barbaris in Italiam inuadentibus moram afferre, aut claustrum obiicere poterant, Alpes Iuliæ, amnis Sontius, & vrbs Aquileia. Odoacer autem, quoniam Alpes, vrbémque communitas superioribus bellis ad victoriam parum profecisse cognouerat, Aquileiam desolatam transgressus, ad amnem occurrit, eiúsque traiectionem sibi impediendam suscepit. atque ad pontem progressus, ibi castra muniuit, vbi nunc Goritiæ oppidum esse putatur. Theodoricus autem, ingenti Pannoniæ flumine Sauo traiecto, quod immensa in nos semper agmina barbarorum infudit, ad Alpes prodiit. quibus superatis, mox ad ripam Sontij è regione castrorum Odoacris accessit. ac pascuis, quæ propter vernum tempus tum

lætis-

lætiſſima erant, fatigata ex longitudine viæ iumenta refecit. Demum, recreatis ſuis, tranſitum fluminis omni ope tentauit. idq; demum, fruſtra ſeſe obiiciente, ac reſiſtente Odoacre, tranſmiſit. neq; ita multo pôſt, inſtructo ad pugnam exercitu, manum cum eo ita conſeruit, vt prœlio pulſum trepida fuga in caſtra ſe referre coegerit, mox ſubſequutus ea protinus oppugnare omni militari apparatu inſtituit. Nullum proximũ erat tum in iis locis oppidum aut præſidio, aut munitione firmatum, veſtigiis adhuc paſſim Attilanæ crudelitatis hærentibus. Quare Odoacer caſtra ſe tueri poſſe aduerſus Theodoricum diffiſus, captato tempore, retro inde abiit, ac Veronam vſq; contendit. quod vt Theodoricus ſenſit, caſtra v Kal. Aprilis nullo negotio cepit. atq; ita primam Italiæ poſſeſſionem iniuit, vt ipſe in epiſtola quadam ſcripſit ad Caſſiodorum: *Ex quo*, inquit, *Deo propicio Sontij fluenta tranſmiſimus, primum Italiæ nos ſuſcepit imperium.* Dum autem Odoacer in finibus Italiæ grauiſſimo Theodorici bello implicitus abfuit, Gundobadus rex Burgundionum deluſum ſe ab Odoacre fœderis ſecum icti ſpecie præferens, occaſione nocendi arrepta, quòd, Odoacre in Theodoricum auerſo, Italia extrema frugũ inopia vexaretur, maximam ſuorum manum ex Gallia in Liguriam, Æmiliamq; immiſit, quæ vtramq; prouinciam effuſe populata captiuos omnis generis plurimos fecit (neq; hæc leuis plaga fuit inſigni perfidia Burgundionum ſociorum accepta.) vbi vero Theodoricum victorem Italiam audiit iniiſſe, trepido ſubito agmine in Burgundiam cum captiuis receſſit. Vnde Caſſiodorus ſcripſit: *Cum Æmilia, & Liguria Burgundionum iuſſione quateretur, gereretq; bellum de ciuitate furtiuum, ſubito præſentis Imperij, tanquam ſolis ortus, fama radiauit. expugnatum ſe hoſtis ſua præſumptione congemuit, quando illum cognouit nominatæ gentis eſſe rectorem, quem ſub militis nomine probauerat eſſe ſingularem. Quoties ſe optauit de finibus ſuis non exiſſe Burgundio, ne principe noſtro pugnaret aduerſo. cuius licet præſentiam releuatus euaſerit, felicitatem tamen præcipitatus incurrit.* Theodoricus inde, omnibus ad Sontium, quæ in rem videbantur eſſe, compoſitis, Odoacrem per veſtigia inſequutus, exercitum Veronam adduxit. quo comperto, Odoacer, qui copias ſuas diſſipatas ex fuga collegerat, ac nouis etiam auxiliorum ſupplementis adauxerat, alacris ex vrbe ad prœlium eſt egreſſus. Verum neque tum virtuti fortuna reſpondit. nam, magna militum parte amiſſa, ſuperatus, eo quoq; loco cedere eſt coactus. qui pugnæ ſuperfuere, ad Atheſim præcipiti fuga compulſi pleriq; rapidis eius gurgitibus hauſti ſunt. Theodoricus autem, dum fugientes inſequitur, Veronam, ciuibus terrore inuſitato perculſis, intrauit. atq; ea pôſt paulo relicta, Odoacrem ad amnem Abduam aſſequutus, tertio ſecum cõfligere prœlio compulit. cuius idem fuit, qui ſuperiorum, euentus. Itaq; Odoacer in hoc rerum articulo conſtitutus cum iis, qui ſibi ſupererant, maturato itinere Romam contendit, ſperans, ſi Vrbem tenuiſſet, facile ſe totius Italiæ imperium ſeruaturũ. verum, cum ad vrbem acceſſiſſet, clauſis portis, à Romanis excluſus eſt, Theodorico, vt iuſto domino, (iãpridem enim ipſam Imperatoris voluntatem acceperant,) ſe obtemperare velle dicentibus. itaq; ira incenſus ſuburbana ædificia omnia, quæ potuit, repẽte aut hoſtiliter diruit, aut ſubdito igne combuſſit. ac Roma repulſus, quod ſecũdum erat perfugium, animũ ad Rauennam ſaltem in tam aduerſa fortuna obtinẽdam applicuit. Cum autẽ & hanc Libilla magiſter militũ, caſtris ante vrbem poſitis, pro Theodorico ſibi cuſtodiẽdam ſumpſiſſet, virtute ſuorum nixus, caſtra ea oppugnare adortus eſt. prœlioq; grauiſſimo facto, in quo multi ab vtraq; parte ceciderũt, ea cepit, ac Libilla interempto, inde Rauennam v i Idus Iulias iniit. Interim Theodoricus, Abdua relicto, Mediolanum proceſſit, idq; per dies aliquot oppugnauit. ac demum vi non ſine magno vrbis detrimẽto in poteſtatem adduxit, in primis Laurentij epiſcopi beneficio vſus. Qua re cognita, magna militum Italicorum pars ad eum, tanquam ad iuſtum, & legitimum dominum ſumma animorum alacritate ſe contulit, inter ceteros Epiphanius Ticinenſis, quem ille maxima comitate recepit, ac, virtutibus eius perſpectis, dixit: Ecce virum, cui parem vniuerſus non habet orbis. apud quem, ſi qua maior neceſſitas ingruerit, tutum erit matres, familiáſque Gothorum deponere. atque his ſolutum impedimentis liberis excurſibus bellum adminiſtrare. Pôſt paulo Italici, qui tranſierant, nouo capto conſilio, duce, atque

auctore Tuffa Liguriæ, atque Æmiliæ Consulari, sese ad Odoacrem de integro receperunt. Quæ res Theodoricum vsqueadeo perculit, tantumq; ei terroris iniecit, vt XI Kal. Septembris Mediolanum reliquerit, ac Ticinum profectus, ibi se, ac suos, vt in extremo rerum discrimine, confirmarit. itaque tanta multitudine vrbs referta est, vt vix terra sufficeret. Quo facto, Odoacer accessit, atque vrbem circumfuso milite obsidere, hostemq; prœliis, atque oppugnationibus creberrimis fatigare contendit. In has adductus angustias Epiphanius miram diligentiam adhibuit, vt vtriusque partis concordiam resarciret; &, si cuius liberi, aut vxores ab aliqua parte captiui essent facti, eos statim reddendos sine mercede curauit. ad extremum Odoacer virtute, ac felicitate Gotthorum, quibus etiam cœli tempestates seruire videbantur, exterritus, soluta obsidione, Rauennam se rettulit. Qua re animaduersa, Theodoricus, collectis animis, viribusq; receptis, consilium Odoacris aggrediendi, (quod vnum integram morabatur victoriam,) cepit. itaque relictis in vrbe matre, sororibus, impedimentisq; vulgi omnibus, eisq; Epiphanio commendatis, cum expedita Gotthorum iuuentute Rauennam processit, ac castra alia in Pineto tertio ab vrbe lapide, alia ad Palatiolum, alia ad Pontem Candidiani locauit. nam, cum Odoacrem fortuna sua diffisum prœlium in posterum detrectaturum putaret, ipsum, admoto vrbi exercitu, diligenter obsidere decreuit. neq; enim propter loci situm expedita admodum vrbis oppugnatio ostendebatur. erat namque Rauenna stadiis duobus à mari remota, neque nauibus, neque pedibus adiri facile poterat, quòd neque ad littus subduci licebat naues propter mare natura sua confragosum, atque vadosum; neque pedestri exercitui erat peruia, quòd palus, & alij amnes cum paludibus circumiectis vrbem complexi ex omni parte abluerent. accedebat etiam æstus maris, qui summo mane fluminis modo in continentem illatus terræ tantum ex æstuario corripiebat, quantum vna die itineris expeditus vir quispiam ad nauigandum efficeret. vespere autem, æstu recedente, emissas in se vndas reciprocabat. Cœpta vero Rauennæ obsidio est aut hoc anno exeunte, aut certe postero ineunte, quo Olybrius consulatum administrauit. Quanquam au-
491 tem Odoacer à certamine, incertam prœlij aleam metuens, abhorrebat, timiditatis tamen infamiam, atq; ignauiæ notam verens semel cum vniuerso exercitu prodiit, ac Theodoricum ad Pontem castra habentem inuasit. verum, cum illo quoq; se premi certamine cerneret, magna prudentia dimisso prœliandi consilio, in vrbem se rettulit. Theodoricus autem operis longitudinem, si fame domandus, non ferro frangendus hostis esset, prospiciens, exercitus partem ad vrbis obsidionem reliquit, atque ipse cum reliqua ad inimicas ciuitates adiungendas contendit. Arimino autem potitus, vt ex Agnello prodidit Blondus, quem nos non vidimus, dromones in statione captos ad ostium amnis Rauennatis obsepiendum, ne quid annonæ inuehi mari posset, immisit. atque inde ad alia oppida se conuertit. Quibus rebus compertis, rex Africæ Gundamundus legatis missis, pacem à Theodorico postulauit, atq; inde finem populandæ, vt cœperat, Siciliæ fecit. Eodem anno Clodoueus rex Francorum bellum Thuringis mouit, ac prœlio summo victos imperata sua facere compulit, ac mox Chilperici quondam regis Burgundionum filiam sibi matrimonio copulauit. Gundericus enim rex filios quattuor reliquit Gundobadum, Godigisilum, Chilpericum, & Godomarum. Gundobadus autem Chilpericum fratrem suum ferro vita exuit, vxorem vero in flumen præcipitem dedit. Cum autem legati Clodouei sæpius in Burgundiam cõtendissent, reuersi domum regi nunciarunt, regia in aula virginem se vidisse formæ, ac prudentiæ singularis. quorum verbis ille fidem habens, puellam, (hæc autem erat Crothildis Chilperici filia.) à Gundobado in matrimonium postulauit, atque concessam sibi connubio sociauit. quæ postea mulier insignis, ac summæ virtutis euasit, ad singularẽ sapientiam egregia quoque laude Catholicæ pietatis adiuncta. In Oriente Zeno Imperator VIII Idus Aprilis est mortuus, atque in eius locum Anastasius Dyrrachinus, Silentiarius Zenonis, est subrogatus. Is, licet Eutychiana perfidia maculatus, tamen, vt ab Euphemio episcopo consecraretur, se nihil rerum ecclesiasticarum mutaturum ipsi se Euphemio sacramẽto deuinxit. ac primis annis medium ingenium adhi-

adhibuit, aperte neq; fouens hæreticos, neq; oppugnans Catholicos. itaque, cum alij Chalcedonense Concilium constantissime tuerentur, alij prorsus aspernarentur, neutros sibi attingendos putauit, si veterem in eo consuetudinem conseruassent, qui vero res moliri nouas studuerunt, eis sese inimicissimum præbuit. Ipso inde Augusto, Rufinoq; consulibus, Rauennæ continuata obsidio est. atq; ibi multa 492
quidem, sed parua, prœlia edita, cum Odoacer partem militum quotidie emitteret, vt & vires suorum pugnis leuioribus exerceret, & Theodorici exercitum eruptionum crebritate, & lentæ sessionis ad vrbē diuturnitate fatigaret simul, ac frangeret. Theodoricus autem omnibus, quæ adiit, oppidis magna felicitate, vna Cæsena excepta, quæ firmissimo Odoacris præsidio tenebatur, potitus, III Kal. Septembris in castra ad Palatiolum posita rediit. eoq; familia ex Ticinensi vrbe traducta, artiore inde vrbem vrgere obsidione perrexit. Eodem anno, Felice pontifice mortuo, locum Gelasius tenuit. cuius memorabili solertia Romana ciuitas in summa frumentariæ rei difficultate, regiis curis omnibus in bellum, quod gerebatur, auersis, est subleuata. Ceterum & hic decessoris sui exemplo litteris ad Anastasium Imperatorem scriptis contendit, vt Orientalis ecclesia nomina Petri, & Acacij ex Diptychis aboleret. VII Idus Iunij sub gallicinium terra ingenti tremore concussa est. Seuerinus habitus Noricorum apostolus hominem exuit. Per idem tempus S. Michael archangelus in monte Gargano apparuit. ex illo ædes ibi sacrata fuit, quam sequens ætas miraculorum splendore fulgentem assidua piorum conuenarum frequentia celebrauit. Ob id in hunc vsque diem Apparitionis, & Consecrationis memoriam Ecclesia Maio, ac Septembri mense sanctissime colit. Ticini Epiphanius multis calamitatibus Gotthorum hospitum insolentia conflictatur. Albino inde consule, Odoacer post multas, sed inanes, eruptiones, ac certamina edi- 493
ta cum consumptis rebus ferme omnibus, quæ mandi poterant, extrema vrgeretur inopia, silentio noctis, auxilio à virtute petito, vniuersum aduersus Theodoricum eduxit exercitum. Quod vbi ille sensit, & ipse suos in aciem promouit. Ceterum, commisso prœlio, tanta vi Odoacer pugnauit, vt Theodoricum cum suis præcipiti fuga se referre coegerit. Cui castra ineunti mater in porta obuia, quo tendis, inquit, fili? neq; enim locus superest, quò te fugiens recipere possis, nisi ego vestem tollam, & eò te, vnde in lucem prodiisti, recipiam. Quibus verbis irritatus, ac pudore succensus iuuenis egregius, collecta suorum, quos nancisci potuit, exigua quidem, sed valida manu, inuectus in hostes, qui securi victoriæ late iacebāt in campo, reuertit. ac, magna eorum strage facta, Odoacrem in vrbem iterum se cōdere compulit. Crescebat inde cibariorum omnis generis in dies intus inopia, foris autem Gotthi diuturnæ ad vnam vrbem mansionis tædio languescebant. itaq; fessis vtrinque corporibus, animisq; haud grauate legati vltro, citroque missi audiri de pace sunt cœpti. Neq; enim Ioannes episcopus Odoacrem ad pacem accipiendam hortari, si honestæ, ac tolerabiles ferrentur conditiones, desinebat. nec præsentem vrbis cladem, & ciuium seruitutem proponere desistebat. Itaq;, cum Theodoricus petiisset, vt æquo cum Odoacre imperio Rauennam, & regnum Italicum obtineret, Odoacer assensus est. Ita, icto in hanc conditionem fœdere, Theodoricus III Kal. Martias obsidionem laxauit, ac primum Classem oppidum iniit, deinde III Nonas, episcopo cum clero, & Sanctorum reliquiis obuiam prodeunte, Rauennam, à suis rex acclamatus, intrauit, ac secum Odoacrem in Palatio, quod Hilautum appellabatur, amice, ac familiariter habuit. Post aliquot inde dies, vt appareret, quàm infida omnis regni esset societas, eundem, partem Italiæ ex fœdere pacto sibi attribui postulantem, ad conuiuium inuitauit. atque insidias sibi ab eo paratas criminatus, ibi ipsum cum filio, ac primoribus eius per dispositos sicarios interfecit. Italici, quàm versabilis esset rerum humanarum fortuna, semel, iterumque noua imperia patientes experti, haud immerito mitiores eius vices expectare, recenti illata in prouinciam gente, cœpere.

CAROLI SIGONII HISTORIARVM DE OCCIDENTALI IMPERIO, LIBER XVI,

Qui est regni Gotthorum in Italia primus.

THEODORICVS REX.

REGNVM inde Gotthorum in Italia exponere pergam, memorabili casuum in vtramque partem varietate nobilitatum. His enim dominantibus, Italia optatam aliquando pacem, ac quietem adepta primum omni genere prosperitatis effloruit, deinde nouis bellorum fluctibus agitata vsque ad extremam vrbium desolationem, gentisq; internicionem, miro quodam, ac præcipuo Fortunæ ludo, elanguit. Felicitatis autem materiam rex, de quo loquimur, Theodoricus, calamitatis reliqui deinceps præbuerunt. De quo Theodorico scribere, quàm copiosissime poterimus, in summo veterum annalium silentio, persequemur.

REM prospere ad Rauennam gestam vbi Gotthi nouerunt, qui se Ticini per triennium cum inutili fœminarum, puerorum, grauiorisq; ętatis multitudine continuerāt, alacres tandem inde, tanquam ex carcere, euolauerunt, & sese ad Theodoricum tantam gratulatum victoriam contulerunt. Qua re animaduersa, Rugi, qui Odoacri paruerant, occasione vsi, repentino impetu facto, vacuum oppidum occuparunt, ibiq; confirmati non vrbem solum, sed omnia etiam circumiecta vrbi loca fœda populatione vexarunt. quo tempore Epiphanius rursus maximum laboranti ciuitati auctoritate sua præbuit adiumentum. nam & ciues in extremā rerum suarum desperationem adductos bonum animum habere, spemq; in Deo collocare iubens erexit, & barbarorum animos insolentia elatos miti sermone, ac clara sanctitatis opinione ita leniuit, vt eis timori cœperit esse, qui regum non dubitabāt imperium fastidire. Theodoricus autem Rauenna potitus, reliquas Italiæ partes, sicubi aut auersus animus, aut suspecta fides erat, pacare, atque ad sui obsequium redigere instituit. Quo facto, Dalmatia, ac Rhætia, quæ Odoacris in potestate fuerant, ipsius se quoque Imperio subiecerunt. nam Siciliam obstinate tumultuantem opera Cassiodori in ea præfecti sine armis ad auctoritatem, fidemq; suam traduxit. ac deinde exercitum ad Ticinum ex Rugorum manibus extorquēdum im-
494 misit. quod postero anno, Asterio, Præsidioq; consulibus, prospero demum rerum omnium successu adeptus, prudenter victoriæ modum adhibuit, ac, triumpho de hostibus acto, gladium vagina recondidit. ac furorem sæuientis exercitus regia auctoritate compescuit. atque inde, cum quietam omnem haberet Italiam, ad regnum rite ordinandum accessit. Quod vt diligentius, ac clementius etiam faceret, inprimis præclaris Imperatoris Anastasij monitis est impulsus, senatum ei Romanum, atque Italiam totam per litteras assidue commendantis. Igitur Herulis, cęterisq; barbaris Odoacris sociis in Italia manere volētibus arbitrium benigne permisit, ac sedes, regesq; inter Subalpinos ad oppidum Augustæ concessit. agrum, quem Odoacer Herulis in omnibus Italiæ regionibus assignauerat, ipse Gotthis suis diuisit. Italis, qui constanter in fide manserant Odoacris, ita ignouit, vt aliquot etiam ad summos honorum gradus euexerit. sic enim pòst ad Senatum Rom. de Liberio scripsit: *Liberius sic Odoacri integerrimis paruit obsequiis, vt nostra pòst fuerit electione dignißimus, contra quos multa fecisse videbatur inimicus. non enim ad nos vilißima transfuga conditione migrauit, nec proprij domini finxit odium, vt alterius sibi procuraret affe-*

ret affectum. expectauit integer diuina iudicia, nec passus est sibi regem, nisi priuatus perdidisset. Vnde sic factum est, vt ei libenter daremus præmium, qui nostrum fideliter iuuit inimicum. Eos vero, qui turpi à se defectione semel adiuncti recesserant, iustissimo odio persequutus, testandi, ac legandi more Romano iure priuauit. Tributum porro ab Odoacre institutum conseruauit ex eo, quòd scripsit, se statuere, vt Grauasiani, sicut Odoacris tempore tributum soluerant, ita & suo pensitarent. & aliud nouum imposuit, quod Assem publicum appellauit. id quod afflictis etiam aliqua calamitate populis remittere pro summo beneficio consueuit. Lites porro in singulis prouinciis cognosci à Comitibus voluit, inter Gotthos à Gotthis, inter Romanos à Romano, inter Gotthum, & Romanum ab vtroque, quos ipse ea de caussa cognitores, ac iudices in prouincias destinauit, iusque ipse omnibus seuerissime dixit. Iam vero nullum Romanum institutum mutauit. siquidem & senatum, & consules, Patricios, præfectos prætorio, præfectum vrbis, quæstorem, Comitem sacrarum largitionum, Comitem priuatarum, & militiæ Comitem domesticorum, magistros peditum, & equitum, ceterósque, qui fuerant in Imperio, magistratus retinuit, eósque Romanis hominibus tantum mandauit, ac, licet Arrianus, mire sacerdotes, & templa Catholicorum excoluit. demum superiorum Imperatorum exemplo Rauennæ regni sedem firmauit, &, quòd Imperatoris munere, ac consensu, atque ipsius quoque senatus voluntate se dominari profiteretur, patrio vestitu posito, purpuram, ac regia insignia sumpsit. atq; omnino instituit regnum veteris Imperij ex omni parte simillimum. Interim Laurentius episcopus vrbem Mediolanensem, Epiphanius Ticinensem restituere maturauit, præstantissimo quoque viro ex dirutis Liguriæ oppidis eò accito. Gelasius pontifex sæpe à Ioanne episcopo Rauennate admonitus, quàm afflictus clericorum ordo ex superioribus belli, famisq; cladibus esset, decreta quædam ad illa reparanda officia fecit, eáque ad episcopos Campaniæ, & Siciliæ v Idus Martij misit. Eodem anno Benedictus Nursinus, qui pòst insigni floruit gloria sanctitatis, Sublaci à beato Romano abbate habitum monasticæ religionis accepit. Sequenti, Viatore, Æmilióque consulibus, 495
Theodoricus pacatum Italiæ regnum cum prouinciis Dalmatia, Sicilia, & Rhætia consequutus, ad stabiliendas opes suas vicinorum se regum præsidiis muniendum, atque affinitatibus obuallandum putauit, haudquaquam veritus, quin, si Odoacer idem consilij habuisset, haud dubie partam Italiæ possessionem retinuisset. Itaque Andefledam Clodouei regis Francorum sororem sibi despondit, filiam vero suam Teudetusam ex concubina susceptam Alarico regi Gotthorum, Amalabergam vero Amalafridæ sororis filiam Sigismundo Gundobadi regis Burgundionum filio collocauit. Hærebant interim duo grauissima in visceribus Italiæ mala; vnum, quòd, maxima incolarum turba à Burgundionibus trans Alpes, regnante Odoacre, in seruitutem abducta, ipsa Liguria cultoribus prope videbatur esse deserta: alterum, quòd, iustitio ob ius ciuile Romanum rebellibus à Theodorico ademptum prope Italia tota indicto, omnes in luctu, & squallore maximo versabantur. vtrisque autem vulneribus Theodoricus summa clementiæ laude opportunam adhibuit medicinam. ea vero res hac ratione confecta est. Rebus Liguriæ accisis, Laurentius episcopus Mediolanensis, & Epiphanius Ticinensis extremis precibus populorum impulsi legationem ad Theodoricum susceperunt, ac Rauennam progressi, & benigne ab omnibus excepti Liguriæ caussam, Laurentio ita differente, egerunt. Quibus rerum successibus Deus, Inuictissime Rex, virtutē tuam ad summum felicitatis culmen euexerit, si ordine percensere studuerim, dies me, ac verba defecerint. Illud vero te in primis considerare velim, nos apud te principem seruorum tuorum caussam orare in ea vrbe, in qua modo solium inimicus tuus obtinuit. cauendum autem tibi esse, ne Christum tanti muneris auctorem spernere videaris, si, quod ipse præstitit, non amaris. Meministi, credo, quibus te promissis obstrinxeris, cum mœnibus vrbis Ticinensis inclusus hostili exercitu confertissimo premebaris, cum hostes armis, numeroq; præstantes subsistere, sola tecum diuina virtute pugnante, non poterant, cum cœlum rationibus tuis noua, ac singulari aut serenitatis, aut pluuiæ opportunitate seruiebat, cum hostes mucronibus sodalium

suorum cadebant, cum tibi vincebat, qui pro hostium tuorum vtilitate certabat. quibus Dei muneribus gratiam referre ea maxime ratione potueris, si pietatem erga homines adhibueris, & lacrymas supplicantium non respueris. cogita, quibus successeris, nempe iis, qui propter scelus expulsi casu suo opportunum posteris præbere cautionis documentum queunt. His rebus freta Liguria nobiscum ad pedes tuos prostrata te obtestatur, ac supplicat, vt tua beneficia sic innocentibus tribuas, vt nocentes quoque absoluas. exigua enim misericordiæ laus est, si ab illis tantum abstineatur, qui culpa carent, cum iniurias condonare cœleste, vindicare vero terrenum sit. Quibus dictis sic Theodoricus respondit: Quamuis te, Venerabilis antistes, pro magnitudine meritorum suspiciam, & multis belli tempore beneficiis à te affectus de referenda cogitare gratia debeam, tamen propter regni rationes misericordiæ, quam suades, aditum patefacere nequeo. etenim pœnam meruit lenitas, quam noluit inferre seueritas; vimq; diuini iudicij spernit, qui, cum hoste potitur, indulget. vitiaq; posteris prodit, qui præsentibus culpis ignoscit. nunquam ægrū plenissime sanauit medicus, nisi postquam putrida ferro membra desecuit. qui impunitatem nocentibus tribuit, insontes ad peccandū accendit. Quare precibus quidem vestris, quibus diuina consentiunt, obsequutus, omnibus peccatum in vniuersum dimitto, paucos tamen, quos malorum comperi fuisse artifices, locorum suorum habitatione priuabo, ne forte exurgens necessitas domesticos nanciscatur insidiatores. Atq;, his dictis, Vrbico Palatij curatori vocato præcepit, vt generalis indulgentiæ tabulas promulgaret. quod ille tanta dexteritate obiuit, vt culpas illas etiam aboleret, quas sibi dominus reseruasset. His actis, inde secreto Epiphanium accersiuit, atque ita alloqui cœpit: Iudicij de te mei magnitudinem ex hoc cognosce, quòd, cum tot in regno meo pontifices sint, te tamen potissimum ad maximū tractandum negotium cum Gundobado rege Burgundionum elegerim. nam eos à me mitti oportet, quos ille summo animi studio audiat. Vides vniuersa Italiæ loca indigenis exhausta cultoribus, in primisq; ipsam, quæ frequentissima solebat esse, Liguriam noua solitudine deformatam, & cum agricolis, tum arboribus, vitibusq; nudatam. hæc quamuis Burgundio immitis effecit, nos tamen, nisi emēdemus, admisimus. Suscipe ergo, Deo bene iuuante, huius laboris onus, vt commune in cœlesti repromissione præmium cōsequamur. Gundobadus summo te visendi desiderio flagrat. mihi crede, magna merces redemptæ Italiæ tuus erit aspectus. polliceor tibi rediuiuum statum Liguriæ, reducemq; fœcunditatem, si, auro pro redemptione captiuorum accepto, hoc ipse munus exegeris. Quibus verbis auditis, Epiphanius, se libenter morem eius voluntati gesturum, respondit. ac Victore episcopo Taurinati sibi socio destinato, pecuniaq; accepta, Martio mense Ticinum repetiit, ac statim iter instituit. In Galliam inde transgressus, vulgo ab omnis ætatis, & sexus hominibus videndi eius cupidis celebratus est. quidquid habuit quisq; preciosum, obtulit, sin minus, aliunde coemit. vulgo dona congesta, quibus ille pauperes aluit. Lugdunum aduentanti Rusticius episcopus obuiam cis Rhodanum prodiit. vbi vero ad vrbem accessit, Gundobadus rex ingenti antistidis fama permotus, suis dixit: Ite ad hominem, Laurentio martyri & vultu, & virtute persimilem, & num nos affari velit, exquirite. &, si annuerit, adducite. Constituto inde die, regem cōuenit mira sui alloquendi cupiditate ardentem. atq; ita verba fecit. Summus amor vestri me Rex impulit, vt alienissimo anni tempore horrentes adhuc niue Alpes transmitterem. inter optimos reges testimonium in cœlo dicturus adhibeor, si, quam ille misericordiam postulat, tu benignus impertias. certate officiis inter vos, atq; inuicem præceptis diuinis exhauriendis superare contendite. in qua concertatione sic præmium victor accipiet, vt suum qui victus sit, non amittat. parete consilio meo, & ambo superiores, ambo pares eritis. Italicos redimere vult ille, captiuos, tu sine precio illos restitue. nemo maiorem mercedem accipiet, quàm qui nullam. diuites milites tuos faciet repudiata pecunia, recepta vero mendicos. audi Italorum fidem tuam implorantium voces. audi Italiam nunquam à te diuisam, & plurimum præsidij in tua clementia reponentem. quæ, si vna voce loqueretur, hæc diceret: Quoties pro me, si reminisceris, ferratum pectus hostib. obtulisti?

quoties

quoties consilio prouidisti, ne bella subreperent, ne aliquis mecum captiuus duceretur? quos nunc detines, tu nutristi. dolosum mihi virtus tua beneficium præstitit, si qui ab extraneis defendit, custos inuasit. cum matronæ, aut virgines tractæ, aut stupratæ sunt, illo vno solatio doloris sui contumeliam lenierunt, quòd te suarum vindicem iniuriarum sperarunt. viri capti sunt, qui fugam arripere noluerunt. agricolæ Burgundiones, à quibus vinciebantur, agnoscentes manus suas implicari vinculis querebantur, quæ tibi tributum contulissent. ac palam illa, te insciente, fieri testabantur. itaque multis æquitatis tuæ fiducia perniciem attulit, dum inclementius responderunt. Redde ergo residuos patriæ, redde penatibus suis, redde gloriæ tuæ. remitte ad alienam ditionem, qui se & ibi positi tuos esse confiteantur. parum enim gratiæ imperio illius tribuimus, cuius misericordiæ nihil debemus. purga Liguriam sontibus, & reple cultoribus. quæ quantum tibi debeat, tum demum intelliget, cum faciem suam pristinam recognoscet. consuesti supplices subleuare, contumaces autem obterere. atque ex vtroq; instituto clarissimos per fortitudinem, & temperantiam triumphos adeptus es. neque vero hoc beneficij hominibus alienis indulges. iam enim tibi rex Italiæ affinitatis vinculo copulatur. sit filij tui sponsalitia larga liberatio captiuorum. is sponsæ suæ munus benignius offerat, quod & Christus ipse accipiat. His dictis, ambo surrexerunt, & lacrymabundi ad pectus regium accesserunt, & cum omnibus astantibus capita submiserunt. Tunc rex sic respondit: Belli iura pacis suasor ignoras, & conditiones gladio pactas concordiæ auctor euertis. lex est bellantium, quem putas errorem. prœliis modestiam nemo imponit. retttuli regi iniuriam specie fœderis ab illo delusus. atque id egi, vt apertos inimicos agnoscerem. quoniam vero largitur Deus, vt fœdus inter nos in perpetuum sanciatur, inuenient partes illę constantem in amore, quem perniciosum senserunt in simultate. vos interim sancti viri domos vestras læti discedite, dum ego, animæ meæ, & regni rationibus ad disquisitionem adductis, quæ me conueniant præstare, pronunciem. His auditis, episcopi eum reliquerunt. Ille vero vocato Laconio, cui summam negotiorum omnium committebat, Quoniam Epiphanium, inquit, libenter audiuimus, & precibus permoti illius sumus, ob id mandamus tibi, vt tabulas scribas, quibus captiuis Italis omnibus gratis libertatem restituas, quos vbicunque nostra arma, famis necessitas, & periculorum timor in seruitutem abstraxit, itemq; quos consensus principis sui aut permisit, aut addixit. nam pro paucis, qui in ipso prœlij ardore sunt capti, precium reddi militibus volo, ne posthac ancipites certaminum casus horrescant, & quorum caussa pericula susceperunt, lucra non sentiant. Paruit ille mandato, & scriptas liberationis tabulas ad antistitem detulit. quas ille summa expectatione recepit. Ceterum tanta redemptorum hominum multitudo confluxit, vt passim rura Galliæ deseri viderentur. Ex sola Lugdunensi ciuitate quadringenti vno die dimissi sunt. item ex aliis ciuitatibus Sabaudiæ, aliarúmque regionum ad eum numerum, vt sex millia confecerint. Eorum vero, qui auro redempti sunt, numerus iniri non potuit, quia multos fuga abstulerat. pecuniarum autem ad omnes redimendos non suppetentium summam Syagria mulier sanctissima, itémque Auitus episcopus Viennensis expleuit. Epiphanio inde Geneuam profecto, Godigisilus fratrem Gundobadum imitatus, eos item, qui penes se erant, dimisit. quare breui tanta liberatorum hominum turba coiuit, vt itinera effusis agminibus complerentur. cum quibus Epiphanius tertio mense ita se cœpit recipere, vt honesti speciem triumphi præberet, lacrymis omnibus præ gaudio receptæ libertatis effuse manantibus. vt vero Tarantasiam venit, mulierem oblatam, quæ immundo spiritu vexabatur, in nomine Christi sanauit. In Italiam demum reuersus, vbi captiuorum quorundam, & præsertim generis splendore præstantium summas angustias, ac nimiam paupertatem animaduertit, ad Theodoricum progressus alimenta eorum inopiæ petiit, ac facile impetrauit. Hæc ad Epiphanium pertinentia Enodius memoriæ prodidit, qui huius legationis socius fuit. Interim Romæ Gelasius pontifex Misenum episcopum delictum suum iamdiu confitentem, ac veniam suppliciter deposcentem tandem recepit in gratiam, atque ecclesiæ restituit suæ. Anastasius autem Imperator, qui cum

Eutychete duas in Christo naturas confusas credebat, cum adhuc odium aduersus Catholicos à se dissentientes occuluisset, abhinc expromere aperte cœpit. siquidem, extortis ab Euphemio vrbis episcopo tabulis, quibus se hostem Catholicis fore, iureiurando negarat, ipsum cum Chalcedonensi Concilio duas distinctas in Christo naturas asserentem falsi criminis accusauit, atque iniquo iudicio condemnatum in exilium misit. & à Macedonio, qui in eius locum fuerat substitutus, inde se propter eandem caussam capitali quoque dissidio separauit. Ceterum, rebus Catholicorum in Oriente labentibus, præter spem omnium Africæ, & Galliæ pristina restitui religio cœpta. Gundamundus quippe rex Africæ rogatu Eugenij Carthaginiensis episcopi post decem annos episcopos Catholicos reuocauit, atque ædes clausas aperuit. In Gallia Franci à gentilitate ad Catholicos transierunt. ea vero res sic acta est. Clodoueus rex arma Alemanis trans Rhenum habitantibus inferens cum lectissimo Francorum robore aduersus eos ire contendit. qua re præcepta, Alemani egregie instructi & ipsi circa ripas Rheni se obiecerunt. Ita, commisso ad Tolbiacum oppidum prœlio, acriter à Francis, Alemanisque pugnatum est; ab illis, ne auitæ belli gloriæ, ab his, ne patriæ libertatis possessionem amitterent. Cum autem, flagrante certamine, ac multis vtrinque cadentibus, Clodoueus suam inclinare aciem cerneret, neque eius sustinendæ humanam vllam rationem iniret, tum, oculis in cœlum sublatis, lacrymabundus, Christe potens bellorum, inquit, polliceor, me sacra tua, quæ adhuc respui, cum meo populo suscepturum, ac tibi ex animo seruiturum, si tuo beneficio victoriam de hostibus Alemanis rettulero. qua oratione completa, repente Alemani infesto quodam quasi fulmine tacti Francis terga dare cœperunt, & victoriam, quam iam prope habebāt in manibus, tradiderunt. mox, cum regem suum in acie cecidisse animaduerterēt, pacem ab illo quoque supplices petierunt. Sigebertus Coloniæ regulus, genere Francus, cum adesset, vulnus in pede accepit, ex quo postea claudicauit. Hoc nuncio accepto, Theodoricus rex Italiæ re bene gesta Clodoueo his litteris gratulatus est, simul monens, vt victoriam temperaret. *Gratulamur*, inquit, *quòd gentem Francorum prisca ætate residem feliciter in noua prælia concitastis, & Alemanicos populos victrici dextera subdidistis. sed quoniam semper in auctoribus perfidiæ resecabilis videtur excessus, motus vestros in fessas reliquias temperate. quia iure gratiæ merentur euadere, quos ad parentum vestrorum defensionem respicitis confugisse. Memorabilis triumphus est, Alemanum acerrimum sic expauisse, vt tibi eum cogas de vitæ munere supplicare. sufficiat, illum regem cum gentis suæ superbia concidisse, sufficiat innumerabilem nationem partim ferro, partim seruitute subiugatam. Illa mihi bella feliciter euenerunt, quæ moderato fine peracta sunt.* ad extremum addit: *Quædam, quæ ad nos pro vestris vtilitatibus peruenerunt, per harum portitores verbo vobis insinuanda commisimus, vt cautiores effecti optata possitis victoria constanter expleri. Vestra siquidem salus nostra gloria est. & toties regnum Italiæ proficere iudicamus, quoties de vobis læta cognoscimus. Cytharœdum etiam arte sua doctum pariter destinauimus & expetitum, qui ore, manibusque consona voce cantando gloriam vestræ potestatis oblectet.* Hic autem cytharœdus iudicio Boetij præstantis hac ætate philosophi fuerat approbatus. Ita Clodoueus victoriæ modo imposito, ouans reuertit domum. ibi vero, quoniam ab vxore Crothilde sæpius ad religionem Christianam asciscendam rogatus eius voluntati semper abnuerat, rem, vt erat acta, exposuit. ac nouis eius precibus expugnatus sancti omnino baptismi accipiendi consilium expediuit. idémque, vt populus suus eadem secum voti religione obstrictus face-
496 ret, auctor fuit. quare proximo anno, cum Paulus consul esset, Tullum profectus Sanctum Vedastum, qui pòst Attrebatensem Ecclesiam rexit, conuenit, vt salutaribus Fidei ab illo documentis imbueretur, ac mox, illo comite, Rhemos ad Sanctum Remigium archiepiscopum petiit, &, sacro postulato lauacro, apud eum per aliquot dierum spacium mansit, vt rite prius pœnitentiæ lacrymis lauaretur, quàm aqua salutiferi fontis ablueretur. Inde die à sancto antistite constituta cum vniuersa Francorum natione ad Ecclesiam adiit; cum honoris caussa forum velis opertum, templum aulæis instructum, & baptisterium odoribus suauissimis esset perfusum. ac magna, & vere regia pompa ipse vnà cum optimatibus,

& popularibus suis manu summi sacerdotis est tinctus. ea fuisse tria hominum millia, Gregorius Turonensis scriptum reliquit. quin etiam sorores eius Albofledis gentilitate, & Lanthildis Arrianismo abiecto, ablutæ sunt. Ab eo die gens Francorum Christi Fidem, nomenq; tanto ardore, tantaq; constantia coluit, vt vsque ad nostram ætatem omnes hæreseos labes respuerit, & firma in Ecclesiæ Catholicæ disciplina, ac Romani pontificis auctoritate permãserit. vnde rex eius merito postea Christianissimi cognomen accepit. Gelasio inde pontifice mortuo, Anastasius secundus v Kal. Decembris est subrogatus. is, quoniam nihil tum erat, quod pontificis Romani curam vehementius exerceret, quàm detestatio Acacij, Petri, ac sociorum eius, vt primum iniit, cum ad Anastasium Augustum iterum consulem 497
de noua dignitate sua nuncios Cresconium, & Germanum episcopos mitteret, nihil antiquius habuit, quàm vt & ipse, quod decessores sui Felix, & Gelasius petere cœperant, impense contenderet; nempe vt nomen Acacij, sociorumq; eius, quos iam sæpius Ecclesia condemnasset, ex omnibus Ecclesiarum Orientalium Diptychis eximendum curaret. Liguria ad ceteras calamitates tributorum quoque magnitudine onerata non solum auxilij, sed etiam consilij inops ad Epiphanium episcopum Ticinensem confugit, atque opem eius apud principem implorauit. cuius iustis precibus victus Epiphanius rursus sine cunctatione Rauennam ad Theodoricum accessit, ac grauibus ærumnis populorum expositis, cum immunitatem in eum annum poposcisset, duas partes indictionis elicuit. Repetens inde domum, Parmæ leui tentari ægritudine cœpit. vnde Ticinum reuersus ex hac vita cum ingenti gloria sanctitatis, mœrentibus vniuersis, excessit. locum tenuit Maximus, cui postea successit Enodius diaconus, qui vitam eius memoriæ consecrauit. In Africa Gundamundo rege mortuo, frater eius Transamundus occepit regnum. hic, vt scripsit Procopius, Catholicorum suppliciis pepercit ille quidem, sed eosdem tamen præmiis, atque honoribus ad deserendam fidem illexit. ab aliis scriptum est, centum ab eo episcopos in Sardiniam relegatos. Paulino inde, & Ioanne consuli- 498
bus, Theodoricus rex præclarum item facinus, ac memorabile summæ æquitatis documentum erga Catholicos edidit. nam, cum ministrum præcipue sibi carum, ac Catholicæ Fidei studiosum haberet, eumq; in sui gratiam ad Arrianos defecisse videret, vsqueadeo iram non tenuit, vt manu sua illum confoderit, inquiens, eum sibi fidem præstare non posse, qui Christo fefellisset. Idem eodem tempore in suspicionem alienæ voluntatis apud Imperatorem Anastasium incidit, ita vt pax inter vtrumque Imperium instituta aliquantulum titubare incœperit. quod simulatque ipse animaduertit, propere oratores ad eum de resarcienda concordia destinauit, cum his litteris: *Hortamini me frequenter, vt diligam senatum, leges principum gratanter amplectar, & cuncta Italiæ membra componam. quo modo potestis ab Augusta pace diuidere, quem non optatis à vestris moribus discrepare? additur etiam verecunda Romanæ vrbis affectio, à qua segregari nequeunt, qui se nominis vnitate iunxerunt. Proinde illum, & illum legationis officio ad serenissimam pietatem vestram destinauimus, vt syncerit as pacis, quæ caussis emergentibus cognoscitur esse vitiata, desertis contentionibus, in sua deinceps firmitate restituta permaneat. quia pati vos non credimus, inter vtrasq; respublicas, quarum vnum semper corpus sub antiquis principibus fuit, aliquid discordiæ residere. quas non solum oportet inter se otiosa dilectione coniungi, verum etiam decet mutuis viribus adiuuari.* Ceterum ex legatis vnus Festus senator, & exconsul fuit. cuius missi Theodorus in Collectaneis meminit. Ille vero, postquam mandata, quorum caussa missus erat, exhausit, proprio nomine Anastasium obsecrauit, vt Constantinopoli sanctam apostolorum Petri, ac Pauli memoriam eadem, qua Romæ, veneratione, ac magnificentia celebrandam ediceret. idque obtinuit. contrà vero, cum Anastasius Macedonium vrbis episcopum synodicam ad Anastasium pontificem dare de Chalcedonensi Concilio approbando prohibuisset, idem rei componendæ caussa secreto illi promisit, se daturum operam, vt Anastasius pontifex Zenonis Henotico assentiret, eique manu sua subscriberet. quæ res dissidium ingens mox Romana in Ecclesia peperit. nam domum reuersus in ipsam Anastasij pontificis mortem incurrit, quæ XIIII Kalend. Decembris euenit. itaque, cum extinctum videret eum, à quo se

ſperabat impetraturum, quod Auguſto ſpoponderat, omne ſtudium ſuum ad ſucceſſorem creandum conuertit, quem promiſſis ſuis explendis idoneum iudicauit. & cleri, populique partem ad ſua fouenda ſtudia pecunia diſtributa traduxit. Ea de cauſſa comitiis habitis diuiſa eſt ciuitas, ac x Kal. Decembris alij in baſilica Conſtantiniana, alij in S. Mariæ baſilica coierunt. atque integrior quidem pars, ac maior Symmachum, corruptior vero, ac minor Laurentium presbyteros ad pontificatum euexit. Contentione vero inter partes exorta, diſſidióque in Eccleſiam introducto, placuit, vt ex lege Odoacris regis comitiorum iudicium ad Theodoricum regem reiiceretur. ita ſingularũ partium patroni, ſuſcepta legatione, Rauennam profecti, Theodoricum ſuper hac re vniuerſa conſuluerunt. qua cognita, ille pronũciauit, Symmachum, vt qui plurium ſuffragio declaratus, & priore loco conſecratus fuiſſet, in ſede apoſtolica reſidere. itaque, exempta controuerſia, Symmachus in poſſeſſione Eccleſiæ collocatus Laurentium abdicauit, &, ne priuatus degeret, eccleſiæ Nucerinæ præfecit, atque inde, Ioanne, Aſclepioq; conſulibus,
499 Kal. Martiis finitimos epiſcopos in baſilicam Vaticanam acciuit, atque ita ad eos diſſeruit: *Ego vos, neglecta hiemis aſperitate, ad Concilium aduocaui, vt epiſcopalem ambitum, ac popularem tumultum, quem per ſurreptionem diaboli vſurpatione aliquorum memoria mea conſtat eſſe ſubortum, in futurum communicatis conſiliis amputemus, ac quid de ordinatione Romani pontificis poſthac obſeruandum ſit, ſtatuamus.* Quam vocem cum omnes aſſenſu maximo excepiſſent, inde ita ſanxit: *Si quis igitur presbyter, aut diaconus, aut clericus, papa incolumi, &, eo inconſulto, aut ſubſcriptionem pro Romano pontificatu commodare, aut pittacia promittere, aut ſacramentum præbere tentauerit, aut aliquod certe ſuffragium polliceri, vel hac de cauſſa, priuatis conuenticulis factis, deliberare, atque decernere, loci ſui dignitate, atque communione priuetur. Item, ſi, quod abſit, tranſitus papæ inopinatus euenerit, vt de ſui electione ſucceſſoris, vt ſuprà placuit, non poſſit antè decernere, ſiquidem in vnum inclinauerit totius Eccleſiaſtici ordinis electio, conſecretur electus epiſcopus. Si autem, vt fieri ſolet, ſtudia cœperint eſſe diuerſa eorum, de quibus certamen emerſerit, vincat ſententia plurimorum, ſic tamen, vt ſacerdotio careat, qui captus promiſſione non recto iudicio de electione decreuerit.* Item omnes ſibi placere ſuclamauerunt. Huic conuentui ex epiſcopis Æmiliæ, Liguriæ, & Venetiæ nemo affuit. Regnabant adhuc inter Burgundiones duo Gundeuci regis filij Gundobadus, & Godigiſilus animis praua inter ſe diſcordia exulceratis. Godigiſilus autem, vt fratrem Gundobadum euerteret, clam legatos ad Clodoueum miſit, ſpondens, ſe illi tributum annuum ſoluturum, ſi ſe in opprimendo fratre iuuiſſet. quod Clodoueus pro viribus facturum oſtendit, ac ſtatim contra Gundobadum exercitum deſtinauit. qua re cognita, Gundobadus pactarum inſidiarum prorſus ignarus miſit ad Godigiſilum, obſecratum, vt ſibi aduerſus Clodoueum in ſe hoſtiliter irruentem adeſſet, & ſecum commune regnum à communis hoſtis impetu tutaretur, atque ab illo reſponſum ſpecie benignum accepit. Cum autem tres exercitus ad Diuionem oppidum conueniſſent, Godigiſilus, Clodoueo ſibi adiuncto, Gundobadum ſuper Oſcoram amnem inuaſit, atque in fugam conuerſum trepido agmine ſeſe recipere Auennionem coegit, &, regni parte Clodoueo conceſſa, Viennam proceſſit. Clodoueus autem Gundobadi tergo inſiſtens exercitum Auennionem promouit, atq; vrbem corona circumdedit. His de rebus Gundobadus in magnam conſiliorum difficultatem adductus, Aredium ex fidis amicis miſit ad Clodoueum, qui vtile ſe ei dixit daturum conſilium, vt agri vaſtationem, & vrbis oppugnationem, quæ magnam eſſet habitura difficultatem, omitteret, ac Gundobadum tributo annuo ſibi obnoxium faceret. quod cum ille probaſſet, Gundobado obligato, diſceſſit. ita Gundobadus regnum ſuum recuperauit. Hæc Gregorius. Procopius autem ſcribit, Clodoueum contra Burgundiones vltro contendiſſe, atque Theodoricum regem auxilio aduocaſſe, eiſque deuictis partam cum eo regionem ex pacto diſ-
500 tribuiſſe. Annus inde à Chriſto nato quingenteſimus, Patricio, Hypatióque ambobus in Oriente conſulibus, vt nouo, ſic optato Theodorici regis Romam aduentu fuit nobilitatus. Semper eiuſmodi quidem res magna Italiæ proſequentis frequentia, ac maiore populi Romani occurrentis lætitia ſolita eſt celebrari.

tum vero cuncti se ipsos in eiusmodi functione muneris superarunt. quippe quos non officij modo cura, sed etiam studium summi, atque omnibus iucundi regis inspectandi acueret. Itaq; Theodoricus cum magno, atq; illustri comitatu, tota ferme citeriore comitante Italia, Romam progressus, felicem illam veterum pomparum, ac triumphorum speciem, atque amplitudinem oculis omnium visus est rettulisse. neque enim magnifico eius ingressu Roma quidquam per multos annos vidit splendidius. Totius gratulantis, ac plaudentis ciuitatis occursu, incredibilique omnium alacritate, & splendido rerum omnium apparatu exceptus est, corpus regiæ indolis armis in primis insignibus honestantibus. In curiam inde cum venisset, Boëtius philosophus, & orator illa ætate clarissimus ipsum ornatissima oratione laudauit. cui ille respondens, senatum mira comitate appellauit, ac se dignitati, & commodis eius nunquam defuturum ostendit. Inde in circum progressus, ad locum, qui Palma aurea dicebatur, admirabili benignitate concionem habuit ad populum cum senatoribus in gradibus considentem. Paulo antè forte in vrbem ex Africa venerat S. Fulgentius monachus, noua Transamundi aduersus episcopos sæuitia exanimatus. Hic, postquam sacra martyrum loca venerabundus inuisit, omnesq; seruos Dei, quorum adipisci notitiam potuit, humili obsequio salutauit, ad eum locum, in quo Theodoricus populum alloquebatur, accessit. ibi cum Romani senatus amplitudinem, decus, ordinemq; distinctis gradibus aspectaret, & fauores liberi populi castis auribus exaudiret, qualis esset gloriosa huius seculi pompa, cognouit. neq; tamen aut immodica spectaculi eius voluptate captus, aut inani seculi delectatione lenitus, verum inde potius ad illam supernam Hierusalem expetendam incensus est. itaque in hunc modum eos, qui sibi proximi stabant, est alloquutus: Quàm speciosa debet esse Hierusalem illa cœlestis, si sic fulget Roma terrestris? & si in hoc seculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis honor, & gloria tribuetur Sanctis contemplantibus veritatem? Inde Roma profectus per Sardiniam ad monasterium suum in Africam reuersus, haud ita multo pòst episcopus Ruspensis ecclesiæ factus omni laude sanctitatis emicuit. Interim Theodoricus ex circo profectus senatoribus triumphale epulum dedit, ac plebi Romanæ frumentum donauit. vrbem inde per insequẽtes dies perambulans, atq; oculis omnia antiqua opera, quibus adhuc vrbs ad stuporem aspectantium enitebat, lustrauit, confessusq; est, *Traiani forum vel sub assiduitate videre, miraculum esse, Capitolia celsa conscendere, nihil aliud esse, quàm humana ingenia superata vidisse.* In Formis autem Romanis duo notauit, fabricam mirabilem, & aquarum salubritatem. nonnulla vero ædificia, in primisq; ipsa vrbis mœnia diruta cernens, ingentem ad ea reficienda summã pecuniç contulit. ex quo fiebat, vt ad præteritæ fortunæ fastigium nihil desiderari posse, exempta vrbis direptæ, atq; incensæ infamia, videretur. neq; vero id Romæ solum, sed etiam in tota fieri Italia statuit. Itaq; munitissimæ posthac arces in finibus Italiæ, & magnificæ regiæ in celebrioribus vrbibus iussu eius sunt excitatæ. quibus operibus ipse antiqua illa, vt dixit Cassiodorus, miracula superauit. hinc ad vniuersos Gotthos, ac Romanos scripsit: *Præcipimus vobis, vt si quis cuiuslibet generis saxa, in agris suis iacentia, muris habuerit profutura, libens animo sine aliqua dilatione concedat. qua tunc verius possidebit, cum hæc ciuitatis suæ vtilitati indulserit.* & ad Suram Comitem: *Sine vsu iacere non debet, quod potest ad decorem crescere ciuitatis. quia non est sapientia futura contemnere. Et ideo illustris magnificẽtia tua marmorum quadratos, qui passim diruti negliguntur, quibus hoc opus videtur iniunctum, in fabricam murorum faciat deportari, vt redeat in decorem publicũ publica constructio, & ornent aliquid saxa iacẽtia post ruinas, ita tamen vt metalla ipsa de locis publice corruisse, apud te manifestà ratione doceatur. quia sicut nolumus ornatum vrbis cuiusquam præsumptione temeraria violari, ita priuatis compendiis calumniam detestamur inferri.* Quanquam autem Romam adeo magnifecit, vt diceret, piaculum cõmittere, qui Roma diutius abesset, cum eam, collocatis laribus, incolere posset, tamen, rebus his constitutis, Rauennã se recepit. Eo vrbe profecto, statim seditio Laurentiana recruduit. nam Festus, qui præsente Theodorico quieuerat, deintegro mouere, atque insanire instituit, ac Probino exconsule socio ascito, Auieno, & Pompeio consulibus, Symmachum falsis 501

illatis criminibus accusauit, eo consilio, vt postquam damnasset, tanquã indignum, pontificatu deiiceret, & Laurentium, quem Nuceria euocarat, ei sufficeret. ac testes falsos instruxit, eosq; ad Theodoricum Rauennam interrogandos misit. Itaq;, priore redintegratâ seditione, alij cum Symmacho, alij cum Laurentio versabantur, Festo, & Probino certamina cum aliis senatoribus, in primisque cum exconsule Fausto miscentibus, qui Symmacho enixe fauebat. ex quo fœdus admodum ipsius vrbis erat aspectus. nam, Symmacho possessione pontificatus, & prædiorum pontificiorum exacto, cædes passim in vrbe fiebant, & sanctimoniales sedibus suis eiiciebantur, spoliabantur, ac misere cædebantur. & clericis interdiu, noctuq; insidiæ tendebantur, vt per vrbem incedere tuto non possent. multi etiam sacerdotes neci dati. ex quibus Gordianus, vir insignis, ad Vincula S. Petri occisus est. Theodoricus autem, vt his malis occurreret, potestate abusus, visitatorem ecclesiæ Romanæ Petrum Altinatem episcopum dedit, &, cum per eum præsentem sedare tumultum non potuisset, mox ex omnibus prouinciis episcopos Romam conuenire ad rem cognoscendam præcepit. quorum vtrumque contra leges, atque omnia vetustatis exempla est factum. Itaque, cum Liguriæ, Æmiliæ, & Venetiæ episcopi Laurentius Mediolanensis, Petrus Rauennas, Maximus Ticinensis, Æmilianus Vercellensis, Bassianus Mutinensis, Eustasius Cremonensis, Laurẽtius Bergomas, Tigredius Taurinas, Seruus Dei Veronensis, intento Romam itinere, Rauennam adissent, de Theodorico quæsiuerunt, cur se homines ferme ætate, viribusque confectos Romam contendere vellet? quibus ille respondit, multa ad se nefanda de Symmacho esse delata, quæ censeret illorum esset prudentia iudicanda. cui sacerdotes responderunt, oportuisse ipsum, qui insimularetur, conuentum aduocare, quòd ei sedi eximia Petri apostoli merita, & sancta superiorum Conciliorum auctoritas principatum dedisset. neque vnquam is episcopus minorum episcoporum iudicio subiectus fuisset. Tum rex, Atqui, inquit, huic quoque Concilio Symmachus ipse assensit; litterasque eius in testimonium protulit. Quibus rebus auditis, Romam episcopi decesserunt, ac x Kalend. Nouembris in basilica Iulij coierunt. Tum Symmachus priuatus accedens, primum maximas regi, quòd eos euocasset, gratias egit, ac rem ex voluntate sua confectam asseruit. deinde auctoritatem sacri ordinis corrigendi se eis dare adiunxit, sperans, fore, vt, (quod ipse postulabat) visitator, qui contra omnia instituta Ecclesiæ fuerat introductus, ex episcoporum sententia abrogaretur; & quæ ipse per insidias inimicorum amiserat, à conuentu recuperaret, & sedem suam rite reciperet, atque inde ad extremum accusatorum criminibus responderet. quam postulationem iustam esse episcopi iudicantes ad regem rettulerunt. sed legatorum, qui missi sunt, culpa æqui nihil obtinuerunt. iussit rex, vt Symmachus, antequàm patrimonium, & ecclesiam suam reciperet, cum accusatoribus iudicio decertaret. quod ille se facturum non recusauit. quanquam leges sibi darent, vt sola se conscientiæ suæ contestatione purgaret. Itaque, cum alio die conuentus esset in basilica Hierusalem Palatij Sessoriani, accusatores crimina edere iussi sunt. in quo duo sunt animaduersa maxime veritati contraria; vnum, quòd dicebantur ea crimina Theodorico esse perspecta, quæ tamen ille, vt obscura, cognosci ab episcopis voluisset; alterum, quòd se seruorum testimoniis eum posse conuincere contendebant, atque, vt ille seruos in quæstionem daret, poscebant. quod sacris legibus omnino refragabatur. Interea Symmachus ad caussam dicendam occurrit, verum in via ab inimicis appetitus ita est, vt vix manus eorum euaserit; presbyteri vero multi, qui in comitatu eius erant, vulnerati sunt, ac sine dubio necati fuissent, nisi vir illustris, Comes Aligernus, & sublimes viri Gudila, & Gideulfus magistri regiæ domus interuenissent. His cognitis episcopi perturbati litteras ad Theodoricum miserunt, nunciantes, Symmachum, ne ad caussam dicendam accederet, nefariis aduersariorum insidiis esse prohibitum; eundem regiæ voluntati obsequi paratum esse, verum per sacras leges ad caussam dicendam compelli non posse. Quibus respondit Theodoricus, Viderent episcopi, ac præscriberent, quid sibi consilij in tanto negotio capiendum esset. neq; enim aliquid ad se de caussis Ecclesiasticis præter reuerentiam pertinere. ipsi

vero seu caussam audire, seu secus, vellent, ex fide sua statuerẽt, dummodo pacem vrbi, atq; omnibus Christianis prętarent. qua potestate accepta, episcopi cõuocati, re cognita, decreuerunt, vt Symmachus ab omnibus, quorum arguebatur, criminibus liber, ac vacuus esset, quod ad hominum iudicium pertineret. atque vt idem Christianæ plebi in omnibus ecclesiis ad ius sedis suæ pertinentibus diuina mysteria traderet, & vt quidquid intra, aut extra iuris esset, reciperet. Huic sententiæ archiepiscopi Laurentius Mediolanensis, Petrus Rauennas, & post eos septuaginta episcopi, subscripserunt. Hæc ex Actis Concilij. Apud Anastasium præterea, & Nicephorum scriptum est, Petrum, & Laurentium, vt qui temere sedem apostolicam inuasissent, cõdemnatos fuisse. Ita Symmachus locum suum magna omnium 501
gratulatione recepit. Auieno inde iuniore, Proboq; consulibus, Theodoricus studiis pacis, & cultui Italiæ deditus aquam Rauennam perduxit, & Formam eius suis sumptibus instaurauit, quæ multis antè annis fuerat deturbata. Symmachus autem ecclesiam Romanam in antiquam libertatem restituere cupiens, rursus episcopos VIII Idus Nouembr. Vaticana in basilica cõuocauit. atq; ad eos de lege regis Odoacris abroganda rettulit, qua; inconsulto rege, comitia perfici pontificia vetebatur. Dictis sententiis, ex omnium auctoritate eiusmodi sublata constitutio est, vt quę aperte libertati Ecclesiasticæ repugnaret, & clero nouam seruitutis conditionem imponeret, vt regiam in legendo pontifice voluntatẽ respiceret. Non ignorandum tamen est, hanc Symmachi sanctionẽ obseruatã non esse. ac per multos pòst annos iniussu principis pro ratis ea comitia non fuisse; donec, quieta tandem, ac tuta à seditionibus ciuitate, hoc ius ab Imperatore Constantino vltro remissum est, Benedicto secundo Ecclesiam obtinente. Eodem in Concilio est cautum, ne prædia rustica ecclesiarum in perpetuum alienari liceret. iidem, qui suprà, episcopi subscripsere. Per eosdem dies memorabile illud in Græcia contigit, quòd Bulgari, gens, vt dixi, noua ex Mœsia in Illyricum, & Thraciam transiit, atq; Anastasio Imperatori nouos hostes horrenti non mediocrem perturbationem animi attulit. Dexecrato 503
inde, & Volusiano consulibus, iidem ex Thracia in Pannoniam penetrarunt, atq; hostili tumultu omnia loca occurrentia repleuerunt, & præcipue Sirmiũ oppidum occuparunt. qua re cognita, Theodoricus rex, siue vt gratiam ab Anastasio bellum cum Cabade Persarum rege administrante iniret, siue vt tantum hostem longe à domo repelleret, siue vt Pannoniam, suam quondam patriam, conseruaret, arma aduersus eos parauit, & Petzam Comitem eo cum idoneo copiarum numero destinauit. Interim bellum ciuile in Gallia à Burgundionibus renouatum est. Gundobadus rex, viribus ex superiore clade collectis, promissa Clodoueo tributa persoluere abnuens, exercitum aduersus fratrem Godigisilum duxit, eumq; Viennæ inclusum obsedit. Godigisilus, vbi interclusis in vrbem commeatibus famem imminere ingẽtem vidit, inopes, atq; egenos omnes emisit. quo facto, simul etiam architectus quidam, cui aquæductus cura mandata erat, egressus est. qui iratus, quòd vrbe expulsus esset, ad Gundobadũ se contulit, rationemq;, qua irrumpere in vrbem posset, ostendit. atq;, acceptis idoneis militibus, per spiraculum aquęductus ingressus, lapidem magnum, quo ille obsepiebatur, ferreis vectibus minuit, atq; ita, aditu patefacto, in vrbem milites introduxit. qui, defensoribus ex mœnibus deturbatis, signo dato, obsessores in vrbem vocarunt, atq; ita & populum interceptum strauerunt, & Godigisilum incolumitatis caussa ad ecclesiam Arrianam profectũ ibi cum episcopo confecerunt. Gundobadus Francos auxiliares in vnam turrim congregatos seruauit, ac Tolosam ad regem Alaricum in exiliũ misit; Burgundiones autem, qui Godigisilo studuerant, neci dedit, ac totum Burgundiæ regnum recepit. Pòst autem, cum Arrianos in fide labi sensisset, ad Auitum episcopum Viennensem accessit, & Christum filium Dei, ac Spiritum S. patri æqualem confessus, salutari se aqua tingi ritu Catholico in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti poposcit. verum ad seditionem populi deuitandam id clam populo fieri petiit. cui Auitus respondit: Si vere credis; quod nos Dominus edocuit, exple. id est, coram hominibus ipsum confitere, ac vulgi voculas despice. tu enim es caput populi, non populus tui: quod ille vt faceret, in animum inducere non potuit. atque ita in errore suo

504 perseuerauit. Proximo anno, quo Cetheus sine collega consulatum administrauit,
Petza dux Theodorici bellum in Pannonia magna felicitate confecit. siquidem
collatis signis regem Gepidarum Transaricum deuicit, & Sirmium oppidum haud
magno negotio cum prouincia vniuersa populo Bulgarorum ademit. quo in bello
Vitigis, qui post in Italia regnauit, opera præclara enituit. Hac re bene gesta, Petza
inde auxilio Mundi, qui in Illyrico cum suis in turri à Sabiniano militiæ magistro
obsidebatur, accessit, &, Sabiniani exercitu profligato, Mundum obsidione exe-
mit, atque ad Theodorici societatem, amicitiamq; traduxit. Pannonia Sirmiensi
recepta, Theodoricus Colosseum ei rectorem imposuit, his ad eum litteris datis:
*Prosperis initiatus auspiciis ad Sirmiensem Pannoniam quondam sedem Gotthorum profi-
ciscere illustris cinguli dignitate præcinctus, commissamq; tibi prouinciam armis protege, iure
compone, vt antiquos defensores recipere læta possit, quæ se nostris parentibus feliciter pa-
ruisse cognouit.* Scripsit etiam ad vniuersos barbaros, & Romanos Pannoniam in
summa discordia incolentes, se Colosseo, viro illustri, gubernationem eorum, de-
fensionemq; mandasse, eosque ad concordiam adhortatus est, illud præter cetera
inferens: *Res parua non vos ducat ad extrema discrimina. acquiescite iustitiæ, qua mundus
lætatur. Cur ad monomachiam recurritis, qui venalem iudicem non habetis? Quid opus est
homini lingua, si caussam manus agat armata? Imitamini Gotthos nostros, qui foris prælia,
intus norunt exercere modestiam.* Hinc in veteribus monumentis merito hisce titulis
decoratus est: *D. N. gloriosissimus, atq; inclytus rex Theodoricus, victor, ac triumphator,
semper Augustus, bono reip. natus, custos libertatis, & propugnator Romani nominis, domitor
gentium.* Sub hoc tempus in Gallia Licumannus Cæsarij episcopi Arelatensis nota-
rius Cæsarium ad Alaricum regem, orbis dominum, detulit, id moliri, vt vrbem
Burgundionibus proderet. quod etsi à vero prorsus abhorruit, tamen Cæsarius in-
dicta caussa à rege damnatus Burdigalam est relegatus. ibi cum nocte quadam in-
gens forte conflatum incendium esset, præclarum sanctitatis suæ specimen dedit,
quòd precibus ciuium fatigatus, ignem tum, cum maxime sæuiebat, precatione
ad Deum facta, restinxit. ex quo ingentibus ab omnibus cumulatus est laudibus.
cum autem interim ciues admonere, vt potestati regis obedirent, perfidiam vero
cauerent, quòd erat Arrianus, insisteret, Alaricus, sancti sacerdotis innocentia co-
gnita, eum domum reuocauit. Reditus eius ab vniuersa ciuitate, totoque clero
cum crucibus, & cereis obuiam effuso concelebratus illud præterea boni ciuibus
attulit, quòd terram diutina siccitate arentem excussus sub ingressum eius cœlo
imber largissimus irrigauit. Et hoc anno bellum ab Anastasio Augusto in Perside
505 gestum. Sequentis, Sabiniano, & Theodosio consulibus, parum clara est fama,
quòd nullis rebus memorabilibus, quæ proditæ litteris sint, fuerit illustratus. Mes-
506 salla vero, & Areobinda consulibus, Anastasius Imperator grauiorum bellorum
cura defunctus, conuerso in Catholicos impetu, Macedonium Constantinopolis
episcopum, Concilio Chalcedonensi neglecto, in partes traducere Eutychiano-
rum contendit. quo conatu lapsus episcopos alios, vt decreta Chalcedonensia im-
pugnarent, induxit. quin etiam pictorem quendam Syropersam Manicheæ sectæ
addictum Cyzico accersiuit, eumque imagines ab Ecclesiasticis diuersissimas pin-
gere imperauit. ex quo seditio grauis accensa est. Eodem anno Alaricus, qui in
Gallia diu cum magna iustitiæ laude Visgotthos in pace rexit, Theodosij Impera-
toris Codicem, qui extat, in compendium relatum III Nonas Februarias edidit.
quod ocium eius Clodoueus rex Francorum, bello internecino illato, perrupit.
nam siue hæresim illius insectans, siue regni libidine ardens, consulto litem nescio
quam, quo illum ad arma attraheret, intentauit. Theodoricus autem, postquam
accensa certaminis cupiditate vtrinque studia sensit, animi anxius, quòd cum am-
bobus vinculo affinitatis esset astrictus, legatos ad vtrumque cum litteris de conci-
lianda concordia misit. atque ad Alaricum quidem primum scripsit hoc modo:
*Quamuis fortitudini vestræ confidentiam tribuat parentum vestrorum innumerabilis multi-
tudo, & Attilam potentem reminiscamini Visgotthorum viribus inclinatum, tamen quia po-
pulorum ferocia corda longa pace mollescunt, cauete subito in aleam mittere, quos constat tan-
tis temporibus exercitia non habere. Sustinete, donec ad Francorum regem legatos nostros
mittamus,*

mittamus, & litem vestram amicorum iudicia amputent. Inter duos nobis affinitate coniunctos nolumus aliquid tale fieri, vnde vnum minorem contingat forsitan inueniri. non vos parentum fusus sanguis inflammat. non grauiter vrit occupata prouincia. adhuc de verbis parua contentio est. facillime transigetis, si non per arma vestros animos irritetis. deinde ad Lodoinum (sic enim Clodoueum appellat.) hoc pacto: *Miramur, animos vestros sic caussis mediocribus excitatos, vt cum filio nostro Alarico rege durissimum velitis subire conflictum. vt multi, qui vos metuunt, de vestra concertatione lætentur. ambo estis summarum gentium reges, ambo ætate florentes. non leuiter regna vestra quassatis, si data partibus libertate confligitis. Impatiens sensus est, ad primam legationem protinus arma mouere, à propinquis, quod quæritur, electis iudicibus expetatur. abiicite ferrum, qui in meum vultis pugnare opprobrium. iure patris vobis interminor, & amantis. ille nos, & amicos nostros patietur aduersos, qui talia monita crediderit esse temnenda. Quamobrem ad excellentiam vestram legatos nostros mittimus, per quos etiam ad fratrem vestrum filium nostrum regem Alaricum scripta nostra direximus, vt nullatenus inter vos scandala seminet aliena malignitas, sed in pace perseuerantes controuersias vestras amicis arbitris finiatis.* Vt autem Alaricus se in auctoritate illius futurum ostendit, sic Clodoueus omnino præcepta eius, litterasq; contempsit. Itaq; Theodoricus legatos alios cum his litteris ad Gundobadum Burgundionum regem misit, adhortans eum, vt operam sibi suam ad hanc dirimendam controuersiam commodaret. *Legatos nostros,* inquit, *ad fraternitatem tuam mittimus, vt si filio nostro Alarico visum fuerit, ad regem Francorum cum coniuratis nobis gentibus eant, vt caussa, quæ inter eos vertitur, amicis arbitris rescindatur. conuenit enim tantos reges non inter se lamentabiles rixas quærere, vt de suis nos possint casibus sauciare. Quamobrem fraternitas vestra adhibito mecum studio eorum nitatur reparare cōcordiam, quia nemo potest credere sine nostra voluntate illos ad hæc prælia peruenisse, nisi omnino pateat, nos potius, ne ad conflictum veniant, contendisse.* Item alios misit ad reges Herulorū, & Thuringorum, qui in Subalpinis regnabant: *Legatos vestros vna cum meis, & fratris nostri Gundobadi regis ad Francorum regē Lodoinū destinate, vt aut se de Visigotthorum cōflictu considerata æquitate suspendat, & leges gentium quærat, aut omniū patiatur incursum, qui tantorum arbitrium iudicat esse temnendum. Recolite Eurici senioris affectū, quantis vos iuuit semper muneribus, quoties à vobis proximarum gentium imminentia bella suspendit. reddite filio eius gratiam, quàm tantum agnoscitis vestris vtilitatibus attributam. nam si tanto regno aliquid præualuerit, vos aggredi sine dubitatione præsumet.* Legati missi apud Clodoueum nihil neq; auctoritate, neq; gratia valuere. ille enim caussis, quas diximus, stimulatus, ac viribus suis, quæ magnę erant, confisus bellū facere Alarico intendit. &, cum episcopos Aurelianū conuenire iussisset, litteris eos monuit, se exercitui suo, antequam in agrū Gotthorum ingrediatur, edixisse, vt sanctimonialibus, viduis Deo dicatis, & clericis, atq; ecclesiarum mancipiis parceret, neq; vllum eis detrimentum inferret. si quem eorū quis cepisset, statim dimitteret. Inde, traiecto Ligeri aduersus Alaricum, qui ad oppidum Pictauorum consederat, mouit. Ceterum, cum per agrū Turonensem transiret, verecundia S. Martini perfusus militibus suis pręcepit, ne quidquam ex eo, nisi panē, & aquam, assumerent. nō leui defunctorū pœna, qui hoc imperium detrectasset. itaq; cum miles quidam fœnum pauperi extorsisset, pectus ei gladio hausit, subiiciens: Ecqua spes victoriæ suberit, si Sancti Martini numen offenditur? missosq; aliquot ad basilicam eius viros attendere iussit, num auspicium aliquod victoriæ cernerent. ac, datis muneribus, quæ offerrent, dixit: Si tibi Domine cordi est, vt ego hanc gentem impiam, & nomini tuo inimicam vlciscar, fac, vt signum aliquod tuæ eluceat voluntatis. nuncij vero, qui missi erant, basilicam ineuntes primicerium incinentem hanc antiphonam audierunt: *Præcinxisti me Domine virtute ad bellum, & supplantasti insurgentes in me subtus me, & inimicorum meorum mihi dedisti dorsum, & odientes me disperdidisti.* idque, persolutis donis, regi ipsi renunciarunt. Cum autem lætus ille propterea, motis castris, ad Vigennam amnem peruenisset, ac flumini magno fortę effuso imbre tumescenti exercitum obiicere pertimesceret, per noctem supplex Deum orauit, vt vadum sibi ad traiiciendum illud ostenderet. ac postridie mane ceruam transeuntem sequutus, exercitum incolumem transportauit. Castris inde ad Pictauorum

oppidum positis, pharum igneam sibi videre visus est ad se è basilica Sancti Hilarij venientem. ex qua intellexit, se lumine Sancti Hilarij hæreticorum acies, quas ille verbo disiecerat, dissipaturum armis. quamobrem, ne quid inde à milite raperetur, edixit. Acies inde in campo Vocladensi decem ab vrbe millibus passuum vtrinque instructæ strenue concurrerunt. & post dubiam aliquot horarum pugnam tandem Gotthis in fugam conuersis Franci superiores fuerunt. inter ceteros, quos prœlij impetus perculit, ipse Alaricus rex cecidit, viginti duobus annis regno potitus. Clodoueus tamen ad extremum periculum venit. siquidem à duobus Gotthis infestis in latera eius incurrentibus appetitus vix se firmæ loricæ, & opportuno pernicis equi subsidio texit. præcipue multi Aruerni, in primisque senatores ipsi, qui cum Apollinare venerant, perierunt. Ex hoc prœlio Amalaricus Alarici filius puer, rebus Galliæ deploratis, in Hispaniam se proripuit. Gotthi, Gisalarico, siue Gisaleuco Alarici notho sublecto, ad regni defensionem se contulerunt. Theodoricus Clodouei filius iussu patris ad vrbes Gotthicas expugnandas profectus, Tolosam regni caput subito in ditionem cum omnibus regiis thesauris adduxit. inde exercitus ad alia oppida circunductus, Gotthis, qui intus erant, non minore pertinacia eorum possessionem tuentibus, quàm Francis oppugnantibus. Clodoueus, Burdigala capta, ibi hiemauit, atq; eo cunctos Alarici thesauros Tolosa auehendos mandauit. Interim Episcopi, qui Aurelianum à Clodoueo fuerant conuocati, perfecto Concilio, sic ad eum scripserunt: *Omnes sacerdotes, quos ad Concilium venire iussistis, de rebus necessariis tractaturos ex præscripto vestro de titulis à vobis propositis, quæ nobis sunt visa, decreuimus.* Hi vero fuerunt de incolumitate eorum, qui ad Ecclesiam confugissent, de officio, & iure episcoporum, clericorum, abbatum, & monachorum, de diebus festis celebrandis, de supplicationibus ante diem Ascensionis Dominicæ peragendis, ieiunio triduano præmisso, & seruis ab operum ministerio relaxandis. Subscripsere præter ceteros clari per hæc tempora Eufrasius Aruernus,
507 Licinius Turonensis, & Quintianus Ruthenus. Anastasio inde Augusto III, Venantioque consulibus, Clodoueus Burdigala profectus Engolismam accessit, ac, muris sub aduentum eius sponte sua labentibus, haud religione intactus vrbem sine vllo negotio occupauit. inde Turonos regressus multa basilicæ S. Martini munera intulit. Anastasius autem Imperator, cognitis rebus à Clodoueo gestis, virtutem hominis admiratus, eximia ad eum dona, & codicillos de consulatu ex ipsa, vbi bellum gerebat, Mesopotamia misit. quibus acceptis, Clodoueus filium Theodoricum accersit, ac Solemne Francis indixit. qui cum frequentes conuenissent, in basilica Sancti Martini semet muneribus Augustalibus, tunica blattea, chlamyde, & corona aurea preciosis gemmis distincta ornauit. inde, equo insesso, vrbem specioso suorum agmine comitatus perambulauit. ac communis lætitiæ caussa stipem auream, argenteamq; in populum sparsit, tanquam consul, & Augustus passim à populo salutatus. quo die nullus pulchrior Francis post festum diem Christianæ regenerationis illuxit. Addidit inde huic gloriæ insigne religionis decus. quippe eximiam illam coronam, quam missam ab Imperatore gestarat, parum sibi congruere arbitratus, Romam dono Sancto Petro misit. atq; ea caput regali longe augustius exornauit. ea corona postea Regnum, vt notauit Sigebertus, est appellata. Egressus inde Turonibus Parisios venit. atq; eadem Apostoli reuerentia ductus ibi basilicam nomini Sancti Petri construxit. ac regni domicilium collocauit. ex quo ab hominibus celebrari Pariensis ciuitas cœpta demum ad immensam opum magnitudinem est euecta. Interim Theodoricus rex Italiæ Amalarici orbitatem ex animo miseratus, vt calamitati eius, quoad posset, subsidium ferret, in Hispaniam Theudam armigerum suum, qui puero tutor esset, summisit, ac Galliæ ciuitates aut recuperare amissas, aut conseruare obsessas constituit. nam Carcasso, & Arelate præcipue à Francis circumiecto exercitu premebantur. itaq; litteras ad Gotthos suos, vt se ad hanc expeditionem accingerent misit: *Significanda magis sunt Gotthis,* inquit, *quàm suadenda certamina. quia bellicosæ stirpi est gaudium comprobari. Pro communi vtilitate exercitum ad Gallias constituimus destinare, vbi simul & vos prouectus occasionem habere possitis, & nos, quæ præstitimus, meritis contulisse videamur, atq; ideo Pernandium*

dium Saionem nostrum admonendum curauimus, vt ad expeditionem in Dei nomine more solito armis, equis, rebusq; omnibus necessariis sufficienter instructi VIII *Kal. Iulias primas modis omnibus, Deo fauente, moueatis.* Vbi vero dies præstituta venit, quæ fuit, teste Cassiodoro, Venantio, Celereque consulibus, exercitum, præfecto Hibba Comi- 508
te suo dato, in Galliam destinauit. Qui Alpes transgressus, Carcassonem, vt inquit Procopius, periculo obsidionis eripuit. hanc enim Franci omnibus viribus oppugnabant, quòd in ea conditæ opes erant, quas senior Alaricus capta Roma euexerat. in his Salomonis preciosa supellex, quam Romani Hierosolymis deportauerant. Inde ad Arelate liberandum contendit. in ea obsidione propinquus Cæsarij episcopi vrbi, & sibi timens, noctis silentio reste se de muris demisit, atque ad hostes transfugit. qua re cognita, populus, & Iudæi consilio id Cæsarij factum insimularunt, quòd vrbem hostibus prodere statuisset, atque exceptum in custodiam tradiderunt. inque eius contumeliam Episcopium, immissa Arrianorum turba, fœdarunt. sequenti nocte Iudæus quidam epistolam saxo alligatam in castra hostium iecit, monens, vt vrbem ab ea parte inuaderent, in qua ipsi excubias agitarent; nam sine controuersia potituros. proinde Iudæorum populo parcerent. mane vero, digressis forte à muro hostibus, ciuis quidam egressus epistolam deprehendit, eamque in vrbem delatam in concione recitauit. ita, Iudæo eius scriptore correpto, Cæsarius, probata innocentia sua, è custodia mittitur. reuersi inde in vrbem Gotthi Francos, quos ceperant, in Episcopium coniecerunt. quibus inopia laborantibus Cæsarius victum subministrauit, ornamentis etiam ecclesiæ in id pietatis genus exhaustis, ne illi Iudæis, aut Arrianis se addicere cogerentur. ad extremum Francis ab Arelatis obsidione cedentibus, vrbs longam perpessa famem, in Theodorici potestatem concessit, & pro Visgotthis Ostrogotthos accepit. inde etiam Arausicum, Tolosa, Massiliaq; receptæ. Ceterum Theodoricus, cum omnia recuperare non posset, partem, quæ ad Rhodanum pertinet, vt inquit Procopius, in eorum ditione reliquit. ac multa Francorum, & Gallorum millia capta Rauennam reuehenda mandauit. ac præfectis, & præsidiis, quæ regionem tenerent, relictis, prouinciam sibi pro nepote Amalarico asciuit, & principibus tributum ferre coactis, ex eo Ostrogotthis, & Visgotthis annua munera dare instituit. ab eo inde tempore connubia inter vtramque gentem communicata. demum Gallia, atque Hispania ad suam ditionem adiuncta, præfectos, qui vtramque aut ordinarent, aut regerent, eo cum litteris misit, quarum alias ad vniuersos Galliarum prouinciales dedit: *In antiquam libertatem reuocati vestimini moribus togatis, exuite barbariem, abiicite mentium crudelitatem, quia sub æquitate nostri temporis non decet viuere moribus alienis, proinde de necessitatibus vestris priuata fide nobis, & industria comprobatum ad componendam prouinciam credidimus dirigendum. quamobrem ordinationibus eius ex nostris iussionibus obedite, quia eum credimus vobis profutura decernere. recipite paulatim iuridicos mores, non sit nouitas molesta, quæ proba est.* Aliis vero Gemellum præfecturæ vicarium constituit, &, vt prouinciam sancte administraret, admonuit: *Hinc est, quòd præsenti tempore in Gallias nobis, Deo auxiliante, subiectas Vicarium te præfecti nostra mittit auctoritas. vnde perpende, qualia de te videamur habere iudicia, quando ad illos populos mitteris corrigendos, quos nostris laudibus specialiter credimus acquisitos. age mandata, si cupis, in te proficere nostra iudicia. turbulenta non ames, auara declina, vt talem te iudicem prouincia fessa suscipiat, qualem Romanum principem transmisisse cognoscat. Desiderat egregios viros coacta cladibus suis, effice, vt victam fuisse delectet.* Quin etiam ad Vinigem Spatharium ita scripsit: *Cum Gallias exercitus noster intrauit, si qua mancipia seruitium declinantia ad alios se, quàm quibus videbantur competere, contulerunt, prioribus dominis iubemus sine aliqua varietate restitui. Aliorum forte regum prælia captarum ciuitatum aut prædas appetunt, aut minas; nobis propositum est, Deo iuuante, sic vincere, vt subiecti se doleant nostrum dominium tardius acquisisse.* Et ad Hibbam ducem: *Definitam rem ab antiquo rege, quam tamen constet rationabiliter esse decoratam, nulla volumus ambiguitate titubare; atque ideo præsenti tibi auctoritate præcipimus, vt possessiones Narbonensis ecclesiæ secundum precelsæ recordationis Alarici præceptum à quibuslibet peruasoribus occupatæ teneantur, æquitatis facias contemplatione restitui.* Cum autem Hispaniæ

partem vnam Gisalaricus teneret, alteram vero Theuda tutor pucro Amalarico à Theodorico impositus, hinc factum est, vt idem pòst ad Ampelium, & Liueriam in Hispaniam hoc modo scripserit: *Decet prouincias regno nostro subiectas legibus, & bonis moribus ordinari. Multorum querela comperimus, in prouincia Hispania vitas hominum vaga præsumptione populari, & leuium occasione caussarum subire multos interitum. cui rei nos regali prouidentia succurrere cupientes, sublimitatem vestram per vniuersam Hispaniam loco muneris credidimus destinandam, vt sub ordinationis nostræ nouitate inueteratæ possit consuetudini nil licere.* Eodem anno Romanus Comes domesticorum, & Rusticus Comes scholæ cum centum armatis nauibus, totidemque dromonibus, VIII millia armatorum secum vehentibus, ad laceranda Italiæ littora accesserunt. qui Tarentum, sed frustra, adorti, turpem ex Romano agro prædam abegerunt id, quod priuatone, an publico consilio fecerint, parum compertum. Per eosdem dies Clodoueus regulis Francorum, qui secum Galliam obtinerent, remouendis animum, vt solum imperio potiretur, adiecit. atque ita ad Clodoricum Sigeberti Coloniæ reguli filium misit, inquiens: Pater tuus ætate confectus, & pede captus est. si ille vita cesserit, ego tibi regnum, & amicitiam meam impertiam. quibus verbis iuuenis regni cupiditate incensus Sigebertum patrem Colonia egressum, ac, traiecto Rheno, Burconiam syluam ingressum, ac somnum meridie in tentorio capientem, immissis satellitibus, interfecit. atque ipsi nunciari Clodoueo iussit, patrem suum mortem oppetiisse, seque thesauros eius in potestate habere; si ad se ministros suos mitteret, se illi partem esse daturum. Cui Clodoueus respondit: Mitto nuncios meos. tu fac, vt illis omnia patefacias, & vniuersa habebis. Paruit Clodoricus, & legatis venientibus penetralia aperuit. atque ita tibi, dum thesauros inclinatus erueret, securi elata percussus interiit. qua re accepta, Clodoueus populum eius ita est alloquutus: Dum ego per Scaldem fluuium nauigarem, Clodoricus patrem suum insequebatur, verbo præ se ferens, me illi eripere vitam velle. cumque ille per Burconiam syluam fugam arripuisset, immissis percussoribus interemit. neque ita multo pòst ipse quoq;, dum thesauros eius aperit, vitam amisit. quorum ego criminum insons sum. vobis autem suadeo, vt ad me transeatis, quo sub meo patrocinio sitis. Qua re audita, illi animis, vocibusque plaudentes Clodoueum super clypeum extulerunt, ac regem sibi esse iusserunt. hoc vero vtrum hoc
509 anno, an postero factum sit, quo Importunus consulatum administrauit, parũ compertum est. Huius compos voti factus Clodoueus inde aduersus Cararicum, qui bello cõtra Syagrium fidem ex fortuna suspenderat, castra mouit, ac dolo circumuentum vna cum filio in potestatem adduxit, atque ambos vinctos totondit. patre vero diram fortunæ suæ acerbitatem suppliciter conquerente, cum filius ferocius aliquid, procaciúsve loquutus esset, vtrumq; plecti capite iussit, ac ditionẽ eorum sibi vindicauit. inde aduersus Ragnacharium apud Camaracum agentem processit, hominem libidine perditum. & proditoribus comparatis, qui hostilem exercitum aduentantem socialem esse persuaderent, ad manum temere conserendam attraxit. ac summo prœlio pulsum in fugam coniecit. inde comprehensum, & ad se manibus post terga religatis cum Richario fratre adductum ita rogauit: cur hanc generi nostro maculam attulisti, vt te vinculis alligari permitteres? satius enim fuerat, mori. ac statim percuti imperauit. tum conuersus ad Richarium dixit: Si tu fratri tuo opem tulisses, in vinculis non hæreres. atque ei similiter caput amputari præcepit. inde tertius frater Rignomeres apud Cænomanorum ciuitatem, tanquam tertia victima, est mactatus. regnumq;, & thesauri eorum adiuncti. Tum, regulis aliis propinquis suis, à quibus sibi metuebat, deletis, regnum per omnem ferme Galliam prolatauit. In Italia Theodoricus rex ingentem Gepidarum manum mercede conductam in Galliam in præsentia destinauit, &, ne prouinciis Italiæ in transitu aliquid detrimenti afferret, enixe prouidit. siquidem ad Veranum Saionem sic scripsit: *Cum pro generali defensione felicissimus producatur exercitus, prouidendum est, ne aut ipse pecunia inconsulta fatigetur, aut vastationem nostræ videamur prouinciæ sustinere. & ideo tibi mandamus, vt Gepidas, quos iussimus ad Gallias custodiæ caussa properare, per Venetiam, atque Liguriam sub omni cures moderatione transire, quibus ne*

aliquid

aliquid excedendi preberetur occasio, per vnamquanq; hebdomadam sumptus eis tres solidos largitas nostra direxit. Cum autem hi per Cottias Alpes iter facientes aliquot maleficia prouincialibus intulissent, ea de caussa sequenti anno, qui fuit Boëtio philosopho consule, quingentesimus decimus, Assem eis publicum relaxauit. atque ita ad 510
Faustum scripsit: *Prouincialibus Alpium Cottiarum Assem publicum per tertiam Indictionem remisimus, quos transiens noster exercitus more fluminis, dum irrigat, oppressit. nam licet pro generali securitate frementi adunatione proruperit, prateriens tamē istorum culta vastauit.* Per eosdem dies Cæsarius episcopus Arelatensis apud Theodoricum Italiæ regem accusatus, quòd monasterium à se sorori, & sacris aliis virginibus conditum, ac deinde in obsidione vrbis euersum instaurare cœpisset, Rauennam sub custodia missus est. cum autem ad regem in Palatium accessisset, interrito illum animo salutauit. cui Theodoricus venerabundus aperto capite assurrexit. ac de labore itineris, de Gotthis, & Arelatensibus percontatus est. dimisso inde illo, cōuersus ad suos dixit: Malum eis, qui tam sancto viro hanc itineris molestiam præbuerunt. nam quantus hic sit, ex eo conieci, quòd ad primum eius ingressum prope totus cohorrui, & angelicum in eo vultum notaui. quamobrem nefas esse arbitror, durius aliquid in tam venerabilem virum consulere. misitq; ad eum in hospitium loco muneris discum argenteum magni precij. Cæsarius autem eo vendito, & redacta pecunia captiuos omnes Gallicos superiore bello factos redemit. erant autem fere ex iis, qui vltra Druentiam incolebant, atq; Arausicenses, quos liberare omnes Arelate nequiuerat. Ceterum, cum tanta ad eum pauperum cōflueret multitudo, vt vix pateret accessus, senatores, ac nobiles certatim ad eum dispēsandas pecunias contulerunt. eo factum est, vt Symmachus pontifex, & clerus Romanus vniuersus miro tanti visendi antistidis flagrare desiderio cœperit. itaq; Romam accitum benigne cuncti exceperunt, gratias Deo agentes, quòd sanctum virum suis demum oculis subiecisset, de quo sæpissime antè auribus accepissent. præcipue vero Symmachus, qui eum non solum metropolitani honore, sed etiam pallij dignitate ornauit. itaque Arelate regressus, qui in exilium in Italiam venerat, captiuos redemptos reduxit, & dignitate auctus octo solidorum millia reportauit. quibus Carcassonem profectus reliquum captiuorum recepit. In Oriente res mirifica ad deterrendos, si sani fuissent, ab susceptæ impietatis pertinacia Arrianos, est facta. Deuterius eorum episcopus, cum Barbam quendam sacro fonte inficeret, ac ritu Arrianorum diceret: *In nomine Patris per Filium in Spiritusancto*, repente aqua ipsa exaruit. qua re Barbas exanimatus fugam arripuit, ac miram speciem oculis ostentatam obuiis omnibus enarrauit. Felix inde in Occidente, Secundinus in Oriente consulatum 511
ceperunt. Felix fuit domo Gallus. quem Theodoricus ad honestandum summæ virtutis hominem, & Galliam beneficio deuinciendam prouexit. itaque sic de illo ad Imp. Anastasium scripsit: *Admonet nos consuetudo solemnis, dare Fastis nomen, ornatum proprium Romæ, terrenam curiæ claritatem, vt per annorum numerum decurrat gratia dignitatum, & beneficius principum sacretur memoria seculorum. Felix à consule sumat annus auspicium, agnoscat curia Transalpini sanguinis decus, quæ non semel coronam suam nobilitatis eius flore vestiuit. Atq; ideo vos, qui vtrisq; reip. bonis indiscreta potestis gratia delectari, iungite fauorem, adunate sententiam. amborum iudicio dignus est eligi, qui tantis fascibus mereatur augeri.* & ad Felicem ipsum hoc modo: *Redit per te Transalpinæ familiæ consulatus. sacram vrbem aspice tuis votis candidatam. sume per Indictionem quartam consulatus insignia.* Quin etiam Argolicum in eandem quartam Indictionem præfectum vrbis constituit. scripsitq; ad eum, vbi Paulinum Patricium vetusta horrea reædificare, Ioannem cloacas reparare permitteret. &, se caussam Basilij, ac Prætextati, qui artem magicam tractasse accusati aufugerant, quinque Senatoribus cognoscendam commisisse, id est, Patriciis viris Symmacho, Decio, Volusiano, Cœliano, & Maximiano. scripsit etiam ad senatum Romanum, se accepisse, aquam Formarum ad molas exercendas, & hortos irrigandos esse deriuatam, mancipia Formarum seruitio, mandato principum, attributa in priuatorum potestatem traducta, æs, & plumbum de ornatu mœnium esse sublata, templa, & loca publica, quæ multorum postulatu restituenda locasset, subuersioni potius esse addicta. eaq; quia turpia, atque

intoleranda sint, se Ioannem virum spectabilem ad inquirendum misisse. Iamvero Comitem etiam Maradum misit in Galliam ad securitatem Massiliensium ciuitati præstandam. Prouincialibus item Galliæ, quos bellum afflixerat, per quartam indictionem tributariam functionem remisit. Apud Francos anno centesimo duodecimo post S. Martini episcopi Turonensis excessum Clodoueus rex mortuus est, cum annos triginta regnum obtinuisset, ac res magnas, & memorabiles, tàm regno, quàm fide Catholica propaganda gessisset. Regnum eius adeptus est Childebertus filius, qui ipsum cum fratribus est partitus. Childeberto Parisij, Clothario Suessiones, Clodomiro Aurelianum, Theodorico notho Mediomatrices euenerunt. In Oriente, Anastasio, homine non solum leuis animi, sed etiam praui ingenij Imperante, Eutychiani maiorem Chalcedonensis Concilij oppugnandi licentiam nacti, in multas hæresum sectas sunt distributi. quarum duæ præcipue excelluerunt, vna Acephalorum, altera Aphthardocitarum. pro illis stetit Seuerus. qui in aula versans Anastasij, pòst ad ecclesiam Antiochenam ascendit, atq; vnam verbi, & carnis naturam esse asseruit; pro his Iulianus Halicarnassensis, qui corpus Christi à conceptione expers corruptionis fuisse putauit. vtraq; pòst hæresi Ecclesia vehementius afflictata est. nam priorem hoc anno Anastasius, posteriorem inde Iustinianus Augustus ebibit. Anastasius autem à Seuero, ceterisq; Eutychianis corruptus Macedonium vrbis episcopum Chalcedonense Concilium amplexantem in
512 exilium misit, atq; ei Timotheum cum Seuero sentientem suffecit. ac sequenti anno, Paulo, & Muschiano consulibus, multa in eos incommoda intulit, qui pro Macedonio, & Cōcilio depugnabant. quin etiam Seueri auctoritatem sequutus, principio Nouembris Platonem Logothetam, & Præfectum vrbis, iussit suggestū conscendere, ac coram populo, hymno: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, addenda illa, quæ diximus, verba mādare, *Qui crucifixus est propter nos.* Sic enim Seuerus docuerat, cum Christus diuina tantum natura esset præditus, omnino fieri, vt Deus pro hominibus esset passus. quibus verbis auditis, populus sic offensus est, vt, seditione concitata, fœda in Anastasium conuicia iecerit, aliumq; Imperatorem substituendum edito clamore subiecerit. neq; eo contentus, monachū quendam inclusum, in primis Anastasio carum, necauit, ac, capite eius hastæ præfixo, vociferari cœpit: Hic, est amicus hosti S. Trinitatis. & monacham itèm inclusam, quam ille magnifaciebat, iugulauit, & cadauer vtrumq; raptatum cremauit. Per eosdem etiam dies, cum Alamundarus Saracenorū princeps à Catholicis salutari fonte esset ablutus, idem Seuerus duos ad eum misit episcopos, qui illum hæresi sua inficerent. quos Christum Deum tantummodo esse docentes ille eleganti commento non refellit magis, quàm delusit. dixit enim, eo ipso die se litteras accepisse, Michaëlem archangelum esse mortuum. cum autem illi subiecissent, angelum morti nō esse obnoxium, at, quemadmodum, inquit, Deus purus potuit crucifigi, quod vos asseritis? In Italia Theodoricus castellum Verucæ ad Athesim positum muniri iussit, vt claustra Italiæ teneret, & feris gentibus inuadere cupientibus moram iniiceret. Transamundo Africæ regi sororem Amalafredam, Herminfrido Thuringorum regi neptem collocauit. Symmacho Patricio theatrum restituendum, quod magna se mole soluebat, commisit. & Campanis, quorum agrum Vesuuius mons exæstuans peruastauerat, tributum remisit. Ceterum illius exæstuationis huiusmodi fertur fuisse natura. Mons ille hiatum ingentem edebat. inde spiritus quidam ater adeo, ac densus erumpebat, vt lucem solis caligine, tenebrisq; inuolueret, strepitu ita horrendo, vt vicina loca tremore cōcuteret. cinis inde tātus effundebatur, vt prouincias quoq; Transmarinas obrueret. in Campania vero quidam quasi puluerei amnes fluebāt. & arena impetu feruente more fluminis decurrebat, qua plana camporum vsque ad arborum cacumina tumescebant, & virescentia omnia protinus arescebant.
513 Probo inde, & Clementino consulibus, Eustorgius secundus ad ecclesiam Mediolanensem gubernandam ascitus ad fontem Baptisterij à se constructum mirifico artificio aquam per tectum templi adduxit.

Cum Hispaniæ, vt dixi, partem vnā Gisalaricus, alteramq; Amalaricus teneret, Theuda, qui Amalarico à Theodorico rege tutor datus summæ rerum præerat, contracto

contracto cum Gisalarico defectionem ineunte certamine, apud Barcinonem deuicit. ille vero ad Transamundum regem Africæ progressus, benigne ab eo receptus. & pecunia subleuatus est. quod vt Theodoricus audiuit, ira percitus litteras ad eum has misit: *Quanuis multis regibus filias, aut neptes nostras adfirmandam concordiam connubio sociauimus, nemini tamen tale aliquid impertiuimus, atq; cum germanam nostram singulare generis Amali decus tibi despondimus. quamobrem miramur admodum, quòd Gisalecum* (sic enim appellat) *qui inimicis nostris, dum à nobis foueretur, adiunctus sit, in tuam defensionem receperis. & rerum omnium inopem subsidio subleuaris, cum nobis affinitate coniunctus sis. quare legatos ad quærendam huius facti rationem mittendos duximus.* Transamundus, his litteris lectis, comiter respondit, nec solum verbis, sed etiam muneribus missis iram Theodorici mitigare contendit. Theodoricus autem, excusatione accepta, ingenti animo dona remisit, eumq; vt in posterum sanctius amicitiam coleret, monuit. Theuda totum Hispaniæ regnum pro puero Amalarico administrare Theodorici iussu perrexit. In Oriente interim res in dies deteriores Catholicorum fiebant. etenim Anastasius Imperator Flauianum episcopum Antiochenum, hominem decreta Chalcedonensia propugnantem ecclesia deturbauit, ac Seuerum, qui ipsum deprauarat, suffecit. auxilij tamen nec opinati, vnde minime sperabatur, lux quædam affulsit. Vitalianus nanque Scytha, assumpto Romanorum equitum auxilio, Constantinopolim adiit, &, castris ad Septimum positis, ad Auream portam accessit, professus, se pro Catholicis, & Macedonio exilio indigne multato eam expeditionem sumpsisse. ea re Athanasius territus, ne in belli gerendi necessitatem incideret, promisit, se Concilium ad eam rem Heracleæ coacturum, atque adeo etiam pontificem Romanum adhibiturum. atque ita Vitalianus sine maleficio post dies octo discessit. Sequens annus consulem habuit Cassio- 514
dorum, cognomine Senatorem, eum, qui Fastos consulares, & epistolas Theodorici regis in quæstura, & magisterio scripsit. quorum ope nos hanc magna ex parte historiam contexuimus. hoc consule, Symmachus pontifex XIIII Kal. Augusti diem obiit suum, in primis laude piæ liberalitatis insignis, cum ad cetera beneficia episcopis, quos Transamundus post persequutionem in Africa renouatam in Sardiniam relegasset, assidue vestes, atq; alimenta suppeditasset. eo rite sepulto, clerus, ac populus, quos, illo viuente, praua animorum dissensio in diuersa studia traxerat, ad concordiam redierunt. atq; vna postridie conuocati magna consensione Cœlium Ormisdam Frusinatem ei subrogauerunt. atq; hoc est, quod Cassiodorus in Fastis notatum reliquit, *se consule, adunato clero, & populo, Romanæ ecclesiæ optatam rediisse concordiam.* Heracleæ Concilium est habitum, quo ducenti amplius episcopi conuenerunt. ac pontifex à Theodorico rege fatigatus legatos misit. Ceterum, episcopis ab Anastasio Imperatore, & Timotheo episcopo Constantinopolitano illusis, nihil est perfectum. Vitalianus autem, vbi sibi verba data ab Anastasio sensit ira incensus nouis Imperium afficere maleficiis institit, multosq; captiuos factos contumeliose, indigneq; tractauit. Per hos annos Theodoricus, bello cum Alemanis contracto, ipsos in potestatem adduxit. auctor est huius historiæ Procopius, cui assentiunt etiam Theodorici litteræ ad prouinciales, qui erant in Sueuia, datæ. certus tamen huius rei adhuc erui annus non potuit. Angebat Acaciana caussa Ormisdam, vt quæ vna hoc tempore ecclesiarum concordiam distineret. itaque decessores suos imitatus, vt salutare huic morbo remedium adhiberet, Florentio, 515
Anthemioque consulibus, episcopos ex Italia Romam acciuit, ac, relatione ad eos de Acacio facta, ex eorum sententia legatos Constantinopolim ad Anastasium misit, Enodium episcopum Ticinensem, Fortunatum Catanensem, Venantium presbyterum, Vitalem diaconum, & Hilarium notarium, qui & ipsi, re irrita, redierunt. Interim, dum Theodoricus Amalaricum nepotem in Hispania fouet, comperit, Eutharicum Viterici filium, Beremundi nepotem in ea prouincia degere. Beremundus enim Thurismundi filius, ex Amalorum familia natus, ex Scythia in Galliam ad regem Theodoricum Valliæ successorem contenderat, atque ab eo honorifice exceptus, filium Vitericum reliquerat. ex quo Eutharicus erat natus. in quo tum mira ætatis, prudentiæ, ac pulchritudinis species elucebat. quod vbi Theodo-

ricus audiit, magnopere lætatus eum ad ſe vocauit, ac iuuenis indole captus gene-
rum ſibi aſciuit, Amalaſuenta filia in matrimonium collocata. Eodem anno, Eufra-
ſio epiſcopo apud Aruernos extincto, populus Quintianum ſublegit, qui Aruernis
exulabat, à Gotthis nuper epiſcopatu Rutheno depulſus, quòd vrbis Francis tra-
dendæ ſuſpicionem non dubie præbuiſſet. ille vero Apollinari eam dignitatē am-
bienti permiſit. qui poſt quattuor mēſium ſpacium vita migrauit. quod vbi Theo-
doricus rex Francorum accepit, Quintianum epiſcopum iuſſit ſubſtitui, illum ni-
516 mio ſui ſtudio Ruthena eccleſia prædicans deturbatum. Proximo anno, quo Pe-
trus conſulatum adminiſtrauit, Theodoricus rex Italiæ Eutharico genero in ter-
tium poſt annum detulit conſulatum. ad quem ille inſignibus omnibus regiæ ma-
gnificentiæ muneribus illuſtrandum ſe præparauit. Anaſtaſius vero Imperator, vt
gratiam à Theodorico iniret, eundem tunica palmata donauit, ac per arma filium
adoptauit. Herminfridus rex Herulorum Bertharium fratrem expulit vita, ac,
Theodorico rege Francorum auxilio aduocato, inde alterum Baldericum extin-
xit. neq; Theodorico promiſſam acquiſitæ regionis portionem conceſſit. vnde ca-
pitales inter eos exarſerunt inimicitiæ. Per eoſdem dies Anaſtaſius audiens, epi-
ſcopum quendam præcipue ſermonibus hominum celebrari, qui omnes Deum
paſſum aſſerentes ita refelleret, vt reſpondere non poſſent, ad ſe accerſiuit, con-
greſſumq; ſecum vt partibus ſe dederet ſuis, contendit. cui ille: Quin tu potius,
inquit, ad Catholicos tranſi, ne dum impios homines Eutychetem, Dioſcorum, &
Seuerum amplecteris, æterno incēdio addicaris, ſimulq; chlamyde eius apprehen-
ſa, Hæc, inquit, veſtis nequaquā te poſt obitum conſequetur, ſed ſola virtus, ac pie-
tas. miſſam fac Eccleſiam, quam Chriſtus ſanguine ſuo redemit. indoctus es, & diſ-
ſerendi rudis, neq; vllum Eccleſiæ decretum probe intelligis. tantummodo ſcurri-
libus calumniis tuis homines fatuos, & nullo ſenſu præditos terres. ſatis habe, quòd
Imperator es. caue autem, ne antiſtides Eccleſiæ vexes. ad quæ Anaſtaſius rubore
perfuſus ne hiſcere quidem ſuſtinuit. Eodem inde Auguſto quartum, & Agapeto
517 conſulibus, Francorum reges bellum Burgundionum regibus intulerunt. Crothil-
dis mater eorum memor, parentes ſuos à Gundobado patruo interemptos, Clodo-
mirum, & reliquos filios alloquuta rogauit, vt domeſticam iniuriā vindicantes Si-
gimundum & Godomarū Gundobadi iam mortui filios armis inuaderent. quod
illi pietati maternæ obſequuti, ſummo animi ſtudio ſuſceperunt. atq; exercitu ad
eos adducto exercitum eorum fuderunt. ex regibus Godomarus eſt elapſus. Sigi-
mundus, cum ad ſaltus Agaunos fuga raperetur, vna cum vxore, & filiis captus, Au-
reliis in cuſtodiam datus eſt. Francis inde domum abeuntibus, Godomarus, rece-
ptis viribus, & recollectis Burgundionibus, regnum recuperauit. cōtra quem Clo-
domirus ire contendens, Sigimundum necari cum vxore, & filiis iuſſit. corporaq;
eorum in puteum iecit. atq;, Theodorico fratre ad opem ferendam accito, Bur-
gundiam petiit, &, cōiunctis copiis, in agro Viennenſi acie cum Godomaro decer-
tauit. verum fugientem inſequens, incautus in medios hoſtes delapſus occiditur.
cuius caput cum Burgundiones conto præfixū ſuſtuliſſent, eius rei ferre dolorem
Franci non potuerunt. atq; ira elati facto impetu in fugam Godomarum coniece-
runt, & pulſis Burgundionibus, regionem ſui iuris fecerūt. quæ poſtea à Godoma-
ro eſt recepta. Romæ Ormiſda pontifex de noua hæreſi à Seuero illata ſolicitus, vt
Anaſtaſium ad Catholicos traheret, iterum legatos ad eum miſit Enodium epiſco-
pum Ticinenſem, & Peregrinum Meſſanenſem, litteraſq; Catholicam fidem aſſe-
rentes, & libellum pœnitentiæ addidit. Anaſtaſius vero non ſolum ſalutaribus le-
gatorum verbis, monitiſq; non paruit, verum etiam eos corrumpere conatus, vbi
fruſtra ſe laborare animaduertit, exemplo vrbe, ne mandatis obediret, eiecit. atque
in fragilem impoſitos nauim dimiſit, adiectis cuſtodibus, ne oppidum Græciæ
vllum attingerent. Legati tamen tanta ſolertia fuerunt, vt ope monachorum epi-
ſtolas in omnibus ciuitatibus diuulgarint. quas epiſcopi ciuitatū metu Imperatoris
miſere Conſtantinopolim. quibus rebus Anaſtaſius inflammatus, eo indignatione
prouectus eſt, vt, litteris ad pontificem datis, auſus ſit dicere, ſe velle imperare,
non imperari. cuius, vt impiæ, vocis meritas breui pòſt pœnas perſoluit. Magno
enim,

enim, & Florentio consulibus, apparuit ei in somnis species terribilis hominis co- 518 dicem manu tenentis. qui, illo aperto, & nomine ipsius inuento, ei dixit: Ecce propter peruersitatem fidei tuæ annos de vita tua quattuordecim deleo, simulq; eos expunxit. Excusso autem somno confusus Anastasius somnium illud Amantio cubiculi præposito narrauit, qui se quoque alterum vidisse eodem pertinens addidit, nempe se coram illo astantem à porco dilaniari. quæ somnia Proculus coniector adhibitus ita interpretatus est, vt mortem vtrique impendere responderit. Anastasius vero cum ab oraculo didicisset, sibi igne pereundum esse, vt sortis necessitatem eluderet, cisternam in Palatio fabrefecit; quò in ipso, si contingeret, incendij periculo se reciperet. verum ea res frustra fuit. nam VI Idus Iulij, suborta sæua cœli tempestate, repente fulmine ictus interiit. eo inde sepulturæ mandato, Iustinus Thrax, tribunus, & Comes magno populi, militumque consensu ad Imperium est euectus. is vbi primum iniit, vt erat Catholicis deditus, extemplo legatum, nomine Gratum, Romam ad pontificem Ormisdam de redintegranda ecclesiarum concordia misit. quod vbi percrebuit, repente omnes in certam spem Ecclesiæ Catholicæ aliquando tandem recuperandæ venere. itaq; Idibus Iuliis, cum Ioannes Cōstātinopolis episcopus die Dominica rem diuinam fecisset, populus, qui in ecclesia astabat, vna voce, vt ambonem ascenderet, postulauit. &, cum ille morem gessisset, Seuerum communione moueri, patres in exilium temere actos reuocari, Concilium ad hanc rem haberi poposcit. postridie autem Macedonij, & Euphemij reliquias ecclesiæ restitui, ceteraq;, quæ pridie postulauerat, perfici, nouis clamoribus flagitauit. atque annuenti Ioanni subiecit: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.* Sacro inde perfecto, & ianuis clausis, & sancta lectione de more finita, hora Diptychorum ad altare accurrit, ac diacono nomina quattuor Conciliorum, itemq; Euphemij, Macedonij, & Leonis pontificis recitanti magno consensu, *Gloria tibi Domine*, succlamauit. Vbi vero episcopi conuenerunt, XIIII Kal. Augusti monachi Constantinopolitani eadem, quæ populus poposcerat, petierunt. clerici vero, ac monachi Antiocheni, hæresi, probrisq; Seueri expositis, auxilium rebus suis perditis implorarunt. quibus cognitis, episcopi cum cetera omnia confirmarunt, tum in primis Seuerum omni honore spoliatum anathemati subiecerunt, ac decretum ad Iustinum Augustum detulerunt. Postquam autē Gratus Iustini legatus Romam peruenit, atq; egregiam Imperatoris voluntatē de concordia ecclesiæ concilianda exposuit, Ormisda Rauennam lætus ad Theodoricum consulendum cōcessit. req; cum eo communicata, legatos Constantinopolim destinauit, ad recipiendos in gratiā eos, qui Acacij, Petri, Timothei, & Dioscori nomina ex Diptychis exemisēt. hi vero fuere Germanus episcopus Capuanus, Ioannes, ac Blandus presbyteri, Felix, & Dioscorus diaconi, & Petrus notarius, qui Grato Iustini legato redeunti se adiunxerunt. Eodē anno Amalasuenta Eutharici vxor puerum Athalaricum peperit, qui post Theodorici mortem regnum Italię tenuit. Iustino inde Augusto in Oriente cōsulatum administrante, Eutharicus ipse Romam ad 519 ineundum cōsulatum accedens, regio occursu ab omnib. ordinibus ciuitatis exceptus est. neq; enim ambigebatur, quin is, si post Theodoricū vita suppeditasset, regnum soceri testamēto gesturus esset. ille insigni liberalitatis splendore, & cū egregia omnium gratia eum magistratū administrauit. siquidem in senatum progressus, Gotthis, Romanisq; multos honores cōmunicauit. in amphitheatro munera magnifice edidit, feris ex Africa, quas Roma nunquā antea viderat, in arenā productis, Symmacho Iustini legato, qui aderat, omnino in eiusmodi pompæ admiratione effuso. quibus reb. perfectis, Rauennam ad Theodoricū reuersus, multo etiā ampliora Gotthis, Romanisq; donauit, vsqueadeo vt semetipsum in eo liberalitatis officio superarit. Interim legati pōtificis Cōstantinopolim peruenerūt, atq; à Iustino Imperatore, & cōsule, simulq; à Vitaliano Patricio, & ab illustrib. viris, monachisq; Catholicis extra vrbē honoris caussa egressis, atq; ab ipso demū Ioanne vrbis episcopo benigne accepti sunt. qua re animaduersa, defensores Acacij præ pudore se in ædē S. Sophiæ abdidere. ac cōsilio agitato ad Iustinū misere, qui diceret, nisi reddita ratio fuisset, quare Acacius damnatus fuisset, se nunquā cum sede apostolica cōsensuros,

Iustinus libellum ab Ormisda missum accepit, & Seuerum, quem episcopi hoc etiam anno cum ceteris hęreticis anathemate iugulарunt, lingua multatum Septembri mense in exilium egit. cui Paulus est substitutus. Ioannes vero vrbis episcopus libellum prodidit, in quo se quattuor Concilia, & epistolas Leonis approbare, Nestorium vero, Dioscorum, Eutychem, Timotheum Ælurum, Petrum Alexandrinum, & Acacium Constantinopolitanum episcopos detestari, & in omnibus rebus decretis sedis Apostolicæ stare asseruit. atq; hanc Confessionem v Kal. Aprilis subscriptam Romam ad Ormisdam cum his litteris misit: *Redditis mihi litteris vestræ sanctitatis per Gratum clarissimum Comitem, & nunc per Germanum, & Ioannem reuerendissimos episcopos, & Felicem, ac Dioscorum sanctissimos diaconos, & Blandum presbyterum, lætatus sum de spirituali caritatis vestræ sanctitate, quòd vnitatem sanctissimarum Dei ecclesiarum secundum veterum patrum traditionem requiris, & dilaceratores gregis, Christi amore, propulsare festinas. certus igitur scito per omnia Sanctissime, quia, prout vobis scripsi, tecum cum veritate sentiens, omnes à te repudiatos hæreticos renuo, & ego pacem diligens, sanctissimas Dei ecclesias, id est, superioris vestræ, & nouellæ istius Romæ vnam esse accipio, illam sedem Apostoli Petri, & istius Augustæ ciuitatis vnam esse definio.* Inde quæ approbet, reprobétq;, adiungit, sic concludens: *Quapropter, sicut prædiximus, sequentes in omnibus sedem Apostolicam & prædicamus omnia, quæ ab ipsa decreta sunt, & propterea spero, in vna communicatione nobiscum, quam Apostolica sedes prædicat, me futurum, in qua est integra deuotio Christianæ religionis, & perfecta soliditas, promittens in posterum sequestratos à communione Ecclesiæ Catholicæ eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria.* Inde data opera est, vt reliqui episcopi Ioannis auctoritatem amplecterentur. Iustinus Vitalianum consulem declarauit, vt per speciem honoris in vrbe illigatum facilius circumueniret insidiis, quòd suspectas nimias illius in rep. opes habebat. neque ea, quæ aduersus Anastasium gesserat, approbabat. itaque, cum ille mox con-
520 sulatum vnà cum Rustico iniuisset, septimo eius die, anno Christi quingentesimo vicesimo, in Palatio cum aliis satellitibus eius occidendum curauit. Cum autem multas ecclesias Asiæ, Ponti, & Orientis inducere non potuisset, vt Acacij, & Petri nomina ex Diptychis tollerent, v Idus Septembris Chalcedone ad Ormisdam pontificem litteras hoc significantes dedit, eumq;, vt epistolam suam corrigeret, atq; in mitiorem partem mutaret, orauit. nam Anastasium pontificem quondam Anastasio Augusto scripsisse, satis habiturum, si nomen Acacij sileretur. Hoc etiam tempore Boëtius vir consularis opibus, atque auctoritate in vrbe florens, duos filios pueros ad consulatum extraordinarium extulit, atque inter eos medius & senatum appellauit, & populum congiario munerauit. qua de re sic ipse glorians scripsit: *Poterit ne illius memoria lucis quantalibet ingruentium malorum mole deleri, cum duos pariter consules liberos meos domo prouehi sub frequentia patrum, sub plebis alacritate vidi: cum eisdem in curia curules insidentibus regiæ laudis orator ingenij gloriam, & facundiæ meruit, cum in circo duorum medius consulum circumfusæ multitudinis expectationem trium-*
521 *phali largitione satiaui.* Inde Valerio, & Iustiniano, qui postea imperauit, consulibus, Ormisda IIII Nonas Aprilis, cum iam Agapetus secundum, sed extraordinarium consulatum iniisset, litteras ad Ioannem episcopum misit. quib. partes suas in caussa, quæ agebatur, commisit, his verbis: *Quia per insinuationem dilectionis tuæ huius est nobis via patefacta prudentia, remuneramus solicitudinem tuam, & seruatis priuilegiis metropolitanorum vices nobis apostolicæ sedis eatenus delegamus, vt inspectis, siue iis, quæ ad canones pertinent, siue iis, quæ à nobis nuper mandata seruentur, siue iis, quæ de ecclesiasticis caussis tuæ reuelationi contigerint nunciari, sub tua nobis insinuatione pandantur.* Qua potestate data, finis est tandem discordiæ diuturnæ impositus per legatos pontificis, cum iam Euphemius Ioanni mortuo esset suffectus. vt ipse Ormisda epistola ad eum missa gratulatur, significans, se ab eo, & legatis suis certiorem de re composita factum. Eodem anno, vt inquit cum Gregorio Iornandes, Theodoricus rex Francorum, veteribus simultatibus animo repetitis, assumpto Clothario fratre, & Theodeberto filio, exercitum in Thuringiam aduersus Herminfridum regem eduxit, ac superatis, quæ in campis Thuringiæ sibi paratæ erant, insidiis, prœlio congressus eum cum suis omnibus in fugam dedit, atque vsq; ad amnem Onestrudem insequutus,

tantam

tantam ibi ſtragem eorum edidit, vt alueus fluminis alta cadauerum congerie cumulatus ſit. per quam, tanquam per pontem tranſgreſſi Franci in poteſtatem Thuringiam redegerunt. Tum vero Clotharius Rodogundem Bertharij quondam regis filiam captiuam fecit, ſibiq; domum reuerſus deſpōdit. Theodoricus vero Herminfridum, fide incolumitatis data, ad ſe venire Tolbiacum iuſſit, eumq; de muris vrbis ſecum ambulantem deiecit. Dum autem Theodoricus in Thuringia erat, rumor Aruernis increbuit, ipſum morte eſſe abſumptum. quare Arcadius ſenator Aruernus Childebertum fratrem eius ad vrbem accipiēdam inuitauit, & progreſſum refracta porta recepit. quo facto, cum auditum eſſet, Theodoricum ſoſpitem domum eſſe reuerſum, Childebertus vrbe e veſtigio ceſſit. Inſequens annus conſules 522
habuit, ambos in Occidente, Symmachum, & Boetium iterum, ipſius Symmachi generum. Eo anno Clotharius, ac Childebertus in Burgundiam caſtra mouere, atque, Auguſtoduno obſeſſo, vniuerſam, Godomaro rege fugato, ſui iuris, ditionisq; fecere. Theodoricus vero contra Aruernos profectus, ad vrbem poſuit caſtra, Arcadio ſenatore Bituricas, quæ vrbs erat Childeberti, elapſo. atq; ipſa ſuburbana militi permiſit diripienda. ex quib. nonnulli baſilicam S. Iuliani, refractis oſtiis, violare ſunt auſi. quorum principes, à ſpiritibus immundis arrepti ſtatim infeſtis in ſemet dentibus irruerunt, clamātes, cur nos martyr ſancte ſic crucias? Quintianus autem epiſcopus interim per noctem pſallendo muros obambulabat, Deum orans, vt vrbi ſuccurreret. itaq; Theodoricus cum de excindendis mœnibus cogitaſſet, repente furore correptus eſt. qua re animaduerſa, amicus illum admonuit, vt conſilio deſiſteret. nam vrbem illam cum multorum aliorum Sanctorum, tum in primis ipſius Quintiani epiſcopi præſidio tectam eſſe. cui ille ita paruit, vt ſtatim edixerit, ne cui intra octo millia paſſuū iniuria fieret. Vrbe inde potitus Sigiualdum propinquum ſuum ibi præfecit, nihil relinquens, niſi terram vacuam, quam efferre non potuit. Idem etiam Quintianus, cum quodam tempore ciuitas ſiccitate nimia laboraret, ſupplicationes ante Aſcenſionem ad opportunam impetrandam pluuiam vetere ritu eccleſiæ celebrauit. die vero tertia portæ vrbis appropinquantem ciues rogarunt, vt ipſe precationem ad Deum pro impetrāda pluuia faceret. ſe enim confidere, illo orante, Deum extemplo aquam vberrimam effuſurum. tum ille proſtratus in hunc modum orauit: *Si clauſo cælo pluuia non defluxerint propter peccata populi, & conuerſi deprecati fuerint faciem tuam; exaudi Domine, & dimitte peccata populi tui, & da pluuiam terræ, quam dediſti populo tuo ad poßidendum.* Atq; his dictis, atris repente nubibus cœlo offuſis, ſalutaris pluuiæ humor excuſſus eſt, confitentibus omnibus, ſe tantum boni ipſius Quintiani meritis aſſequutos. Boetius conſul, homo non minore integritate, quàm eruditione ornatus memorabilē conſulatum adminiſtrauit, grauibus vt ipſe ſcripſit, cum improbis hominib. inimicitiis pro tuendo priuatorū iure, ſpreta potētiorum offenſione, ſuſceptis. ſiquidem Conigaſto in imbecilli cuiuſq; fortunas inuadenti occurrit, Triguillam regiæ domus præpoſitū ab incepta, & perpetrata iā prorſus iniuria reuocauit. miſeros homines, quos infinitis calumniis impunita Gotthorum auaritia diuexabat, obiecta periculis auctoritate, protexit. prouincialium fortunas cū priuatis rapinis, tum publicis vectigalib. peſſundari nō aliter, quàm qui patiebantur, indoluit. cum, acerba fame ſæuiente, grauis, atq; inexplicabilis indicta coemptio profligatura Campaniam videretur, certamē aduerſus præfectum prætorij cōmunis commodi ratione ſuſcepit, ac, rege cognoſcente, contendit, & ne coemptio exigeretur, euicit. Paulinum cōſularem virum, cuius opes Palatini canes iam ſpe, atq; ambitione deuoraſſent, faucibus eorum eripuit. ne Albinum conſularem virum præiudicatæ accuſationis pœna corriperet, inimicitiis ſe Cypriani delatoris oppoſuit. Veronæ autem cum rex maieſtatis crimen in Albinum delatum ad cunctum ſenatus ordinem traducere moliretur, maxima periculi ſui ſecuritate defendit. his de cauſſis cum regis, ac ceterorum in ſe odia concitaſſet, poſtero anno, 523
poſtquā conſulatu abiit, Maximo conſule, accuſatus eſt à Baſilio, Opilione, & Gaudentio. ex quib. Baſilius olim regio miniſterio depulſus ad eam poſtulationem æris alieni neceſſitate deſcendit. Opilio vero, & Gaudentius, cum ob multa flagitia exilio deſtinati ad ſacras ædes recuſantes imperium cōfugiſſent, rex edixit, vt, niſi intra

præſtitutum diem Rauenna diſcederent, frontibus inuſtis expellerentur. atque eodem tamen die deferentibus eiſdem Boetij nomen acceptum eſt. ſumma vero criminum fuit, ipſum ſaluum eſſe ſenatum voluiſſe, ac delatorem, ne documenta deferret, quibus ſenatum læſæ maieſtatis reum faceret, impediſſe. litteræ etiam falſæ prolatæ, quibus eundem Romanam ſperaſſe libertatem arguebatur. Hoc primum tempore Theodoricus à ſemetipſo defecit, atque nimiis aſpirantis fortunæ blanditiis captus prauo ſtudio optimum ingenium corrupit, ac priſtinam illam inter omnes æquitatis, moderationis, ac ſapientiæ laudem præcipiti quadam nefandi iudicij temeritate fœdauit. ſiquidem falſis accuſatoribus, & fictis criminibus fide adhibita temere inſontem hominem condemnauit, ac, publicatis bonis, Ticinum relegauit. vbi ipſe ſemet conſolans hæc ipſa, quæ diximus, de ſe memoriæ prodidit. Romæ VIII Idus Iulij Ormiſda pontifex Eccleſia poſt multos annos pacata, ex humanis rebus eximitur, atque ei Ioannes presbyter è Tuſcia ſubrogatur. Iuſtino
524 inde iterum, & Opilione conſulibus, Tranſamundus rex Vandalorum in Africa, Iornande teſte, deceſſit. cui ſucceſſit Hildericus ex Eudoxia Valentiniani Auguſti filia procreatus. is, licet à Tranſamundo ſacramento adactus, ne Catholicis parceret, longe aliud, quàm ſuperiores reges, ingenium induit. atque initio regni Catholicos ab exilio reuocauit, & epiſcopis eccleſias reddidit. vnde ſtatus religionis in Africa aliquando tandem eſt reſtitutus, qui poſt Genſerici irruptionem fuerat profligatus. Iuſtinus autem Imperator ad alia Imperij ſui illuſtria decora hanc quoque adiicere laudem voluit, vt Arrianos demum prorſus à ſe diſſipatos cõſtans poſteritas prædicaret. ſiquidem acerbiſſime ferens, perfidiam eorum tot Conciliorum ſententiis iugulatam, atque confoſſam adhuc tamen in Oriente ſpirare, edictum propoſuit, vt Arrianorum eccleſiæ vbique Catholica religione conſecrarentur. quod vt Theodoricus accepit, dolorem ferre non potuit, ac prauum alterum conſilium Catholicos inſectandi in Italia cepit. itaque Ioannem pontificem ad ſe accerſitum legatum ad Iuſtinum pro imperio contendere iuſſit, admonitum, vt ſuas Arrianis eccleſias redderet, neque negotium vllum faceſſeret; ſin minus, ſe eadem mala Catholicis in Italia moliturum. Afri, cum Hilderico, & Vandalis bellum facere ſtatuiſſent, Theodoricum in ſocietatem armorum inuitarunt. quod Theodoricus repudiauit, diffiſus, ſe poſſe, claſſem, quam rei magnitudo poſtulabat, in
525 Africam tranſportare. Proximo inde anno, quo Probus cum Philoxeno conſul fuit, Ioannes pontifex, comitantibus ſenatoribus, Theodoro, Importuno, & Agapeto excõſulibus, & Agapeto Patricio, vrbe egreſſus Græciam verſus iter arripuit. cum autem Corinthum adiiſſet, ac terra inde pergere vellet, manſuetum equum quærens, vnum à nobili quodam viro, quem in vxoris manſuefecerat vſum, accepit, ea conditione, vt poſtquam ad certum locum veniſſet, eum remitteret. quod cum is præſtitiſſet, res incidit ad admirationem inſignis. quippe equus, qui ſanctum pontificem detulit, poſtea nunquam dorſo ſuo inſidentem mulierem paſſus eſt. qua re animaduerſa, ille equum remiſit, orans, vt poſſideret, quem ſuum ſedendo feciſſet. huius hiſtoriæ S. Gregorius eſt auctor. Aduentus inde eius nuncium vbi Iuſtinus accepit, incredibili lętitia elatus pontificem Romanum maximo ſibi honore ſuſcipiendum vel ad pietatem apoſtolicæ ſedi præſtandam, vel ad prodendum poſteritati exemplum, putauit. neque vero Imperator ſolus, ſed vniuerſa quoque Græcia in eiuſmodi ſpectaculum erat erecta. neque enim per vlla ante ſecula Romanum pontificem incolumem terra vlla, præterquam ipſa religionis Catholicæ mater Italia, viderat. ſiquidem Liberius ærumnis, atque exilio deformatus in iis regionibus inuitus fuerat obuerſatus. Conſtituto igitur die aduentanti ad vrbem Ioanni Iuſtinus obuiam cum tota ciuitate proceſſit, clero cum crucibus, cereiſq; prægrediente. eumq; vt vidit, continuo tacita religione perfuſus ad pedes venerandi cauſſa procubuit. atque per Auream portam in vrbem induxit. vbi pontifex cæco aſtanti, atque opem imploranti in nomine Ieſu Chriſti aſpectum, lucémque reſtituit. inde in templum deductum dextrum dextro in ſolio ſibi aſſidere iuſſit. his tantis officiis illud ſubinde Iuſtino Ioannes benigne rependit, quòd apud eum diem Dominicæ Reſurrectionis clara voce Romanis precibus, ac riti-

bus

bus celebrauit. atque in ipsis sacris Iustinum magna ceremonia insignibus Augustalibus nouo, atque in posterum memorando exemplo decorauit. itaque ab eo contrà patenam, calicem, & pallia aurea, gemmatáque accepit. caussam inde exponere susceptæ legationis ingressus, non solum ipsum ad ecclesias Arrianis reddendas non impulit, verum etiam ipse omnes, quas potuit, vbique ritu Catholico conscerauit. ac demum Romam reuersus, munera Iustini tribus basilicis S. Petri, S. Mariæ, & S. Laurentij dispertiuit. Eodem anno Constantinopoli, & Antiochiæ terræmotu vehementissimo laboratum. Theodoricus rebus Ioannis in Græcia gestis exacerbatus crudelitate ingenium suum, alioqui mite, ac placidum, incitauit. itaque Maximo, Olybrioq; consulibus, ipsum cum sociis legationis Rauennam venire 526
imperauit, ac grauissima Catholicis comminatus in carcerem condidit, atque ibi omni humanarum ærumnarum genere conflictauit. & Symmachum Boetij socerum comprehendit, atque ambos arctiori custodiæ tradidit. neque enim (quod quidam tradiderunt,) cum Boetio fuerat relegatus. siquidem ipse scribit in Consolatione: *Viget incolumis Symmachus socer, ac suarum securus, tuis ingemiscit iniuriis. viuit vxor. quid dicam liberos consulares, quorum iam vt in id ætatis pueris vel paterni, vel auiti specimen elucet ingenij?* Ioannes autem, dum fuit in carcere, caussam tueri Catholicorum non destitit. itaq; III Idus Iunij ad episcopos Italiæ sic scripsit: *Hortor vos, ac moneo contra Arrianam perfidiam, quæ olim non semel, sed sæpe damnata est, & modo in quibusdam reuiuiscit, armari gladio Spiritus sancti, vt eam ita, adminiculante diuina gratia, opprimere, & extirpare valeamus, vt nec radix eius in posterum inueniatur. Ecclesias vero Arrianorum vbicunque inueneritis, Catholicas eas diuinis precibus, & operibus absq; vlla mora consecrate. quia & nos, quando fuimus Constantinopoli tam pro religione Catholica, quàm & pro regis Theodorici caussa negotij, suadente, atque hortante, Arrianosq; extirpante piissimo, atque Christianissimo Iustino orthodoxo Imperatore, quascunque illis in partibus eorum ecclesias reperire potuimus, Catholicas eas, domino opem ferente, consecrauimus. Et quanquam Theodoricus eorum peste tactus intrinsecus & obuolutus extrinsecus nos, & omnem regionem nostram perdere gladio, & igne consumere minetur, nolite tamen propterea deficere.* His scriptis, haud multis pòst dieb. fame, siti, & ceteris carceris incommodis maceratus XV Kal. Iulias expirauit. corpus eius Romam delatum VI Kal. sepulturæ mandatum est. in locũ eius Felix quartus VIII Kal. Augusti suffectus est. Ioanne extincto non contentus Theodoricus, inde Symmachum, & Boetium asseruatos in fasit, atque eorum vtrique caput desecari crudelissime iussit. cuius temeritatis eum pòst breui, sed frustra, pœnituit. nam paucis pòst dieb. cœnans, cum ingentis piscis caput à ministris appositum aspexisset, caput Symmachi sibi videre visus est, eminentibus inferiore è labio dentibus, & toruum oculis intuentibus furibunde sibi, atque aspere minitari. cuius spectaculi fœditate perculsus subito horrore correptus est. itaque in cubiculum regressus, lecto decubuit. atque adhibito Elpidio medico re exposita, patratum à se in Symmachum, Boetiúmque facinus acerbe flere instituit. tantúmque ex ea re dolorem concepit, vt morbum propterea exitialem contraxerit. ex quo cum se moriturum videret, Gotthos Comites, atque optimates ad se acciuit, ac, præsentibus eis, Athalaricum Amalasuenta filia, & Eutharico pridem mortuo natum regem declarauit, eósque palam ipsum tanquam regem colere iussit. & vt senatum, populúmque Romanum amarent, atque imperatoris amicitiam, gratiámque fouerent, admonuit. cuius auctoritatem illi non solum verbis, sed etiam sacramento probarunt. neque ita multo pòst animam efflauit, die nonagesimo octauo pòst Ioannem, anno regni sui tricesimo, ætatis septuagesimo secundo; non minorem hostibus terrorem, quàm populis suis desiderium sui relinquens; quòd iustitia, fortitudine, sapientia, atque omni denique regia laude præstiterat. quo factum est, vt Italia per multos antè annos, reuocato in pristinam securitatem, ac prope etiam splendorem Imperio, aut pace firmiore, aut otio vberiore, quàm ipso regnante, non sit vsa. siquidem & à finitimorum barbarorum incursionibus, & à domesticis seditionibus fuit tranquilla. sed has omnes laudes vna Arrianæ perfidiæ temere cultæ insignis labefactauit infamia. siquidem narrat Sanct. Gregorius, solitarium magnæ virtutis virum apud Liparas

habitantem, qua die ille excessit, Gottho cuidam nobili dixisse, visam à se regis Theodorici animam, quæ à Ioanne pontifice, & Symmacho Patricio in ollam Vulcani mergenda portaretur. Mortem ei imminentem portendit statua eiusdem Neapoli posita, cui caput per eos dies fortuito decidit. Theuda præfectus Theodorici in Hispania, muliere nobili, & locuplete, & multorum oppidorum domina in matrimonium ducta, duo millia hominum confecerat, ac verbo Theodorici permissu Gotthis præerat, re tyrannidem exercebat. Theodoricus autem ante obitum veritus, ne sibi cum præfecto suo certandum esset, & Francos, ac Visgotthos aduersos haberet, exercitui eum præesse permisit, tantummodo dum bellum gereretur, verum per amicos admonitus curauit, vt ad se salutandum veniret. quod cum ille in diem differret, Theodoricus est mortuus. quo facto, Theuda regnum inde, aut certe partem eius pro suo arbitrio gessit. Eodem anno Longobardi Gotthis aliquando in Italia successuri ex Rugia in Pannoniam, Andoino rege ducente, pulsis Ostrogotthis transierunt.

CAROLI SIGONII HISTORIARVM, DE OCCIDENTALI IMPERIO, LIBER XVII,

Qui est regni Gotthorum in Italia secundus.

ATHALARICVS REX.



VSTIS Theodorico solutis, Athalaricus puer octo annos natus extemplo regni hereditatem adiuit. atque ex præscripto Amalasuentæ matris omnia pro sua voluntate, iudicióque curantis, legatis, litterísque missis, senatum, populúmque Romanum, ac Romanos, Gotthósque in Italia, Dalmatia, & Gallia constitutos certiores de sua prouectione fecit, iurans, se omnibus, qui in sua, atque aui sui auctoritate mansissent, ius æquabile redditurum. Omnium litterarum exempla sunt apud Cassiodorum in hãc sententiam: *Scire vos volumus, nos nuper ab auo nostro Theodorico in extremo vitæ discrimine posito regni heredes maximo animi studio institutos. proceres autem, qui aderant, iudicium eius tanta consensione probasse, vt diuina in ea re voluntas agnosceretur. Quos imitati Romani, & Gotthi non solum suorum nobis studiorum alacritatem, sed etiam iurisiurandi religionem continuo præbuerunt. Quorum vos etiam vestigia sequuturos non dubitamus. itaque, vt primordia nostra, nostramque erga vos humanitatem perspiceretis, legatos ad vos nostros misimus, vt vobis item nomine nostro iustitiam, & æquabilem clementiam interposito sacramento sponderent.* Ipsius porro Amalasuentæ reginæ ingentia corporis, animíque decora referuntur. primum tanta in ore dignitas, vt nemo eam sine summa veneratione spectaret; tanta in dicendo vis, vt cum Græce, Latinéque sciret, verba faciens, omnium ad se voluntates, animósque conuerteret. ingenium deinde virile, ac prudentia maior, quàm sexui conueniret. itaque, Athalarico per ætatis imbecillitatem ad regni gubernacula tractanda nondum idoneo, ipsa tanta iustitiæ, ac sapientiæ fama administrauit, vt omnes in summam admirationem adduxerit. nam non modo Romano cuipiam vitam, aut bona non ademit, sed etiam liberis Symmachi, & Boetij, quæ fuerant erepta, restituit. inprimísque vniuersam Romanorum nationem aduersus inhiantem Gotthorum libidinem texit. Amalarico vero regi Hispaniæ sororis suæ filio Galliæ vltra Rhodanum

danum portionem, citeriore sibi retenta, concessit, & res à Theodorico patre Carcassone ablatas reddidit, atque impositum ab eo vectigal remisit. quin etiam ipsius citerioris partem Theodorico regi Francorum arma sibi intentanti tradidit ad leuandam Francico bello in tanta suorum infirmitate Italiam. puerum porro Athalaricum contra instituta Gotthorum more Romano rectis ad omnem humanitatem litteris informandum curauit, ac præceptorum, seniorumque humanitate, prudentiaque præstantium custodiæ seueriori commisit. qui nunquam ab eius latere discedentes mores, vitamq; pueri Romana disciplina imbuerēt. Per hæc tempora publica erat Romæ schola, in qua eloquentia, iurisprudentia, & reliquæ ingenuæ artes per eruditissimos homines publica mercede instituto vetere tradebantur. cum autem stipendia hoc tempore à senatu professoribus aut non penderentur, aut lente, ac fastidiose persoluerentur, eadem huius rei certior facta per litteras senatoribus nomine Athalarici præcepit, vt eis plenissime satisfacerent: *Nuper cognouimus*, inquit *doctores eloquentiæ Ro. laboris sui constituta præmia non habere, & aliquorum nundinatione fieri, vt scholarum magistris attributa summa dematur. quapropter cum perspicuum sit, præmium artes nutrire, nefas iudicauimus, doctoribus adolescentium aliquid subtrahi, qui sunt potius commodorum incrementis ad gloriosa studia prouocandi. prima enim grammaticorum schola fundamētum est litterarum, mater facundiæ, magistra verborum, ornatrix humani generis, quæ per exercitationem pulcherrimæ lectionis antiquorum nos cognoscitur iuuare consiliis. hac non vtuntur barbari reges. apud legales dominos permanet singularis. Arma enim & reliquæ gentes habent. sola reperitur eloquentia, quæ Romanorum dominis obsecundat. Qua de re P. C. hanc vobis curam, hanc auctoritatem largimur, vt successor scholæ liberalium litterarum tam grammaticus, quàm orator, & iuris expositor commoda sui decessoris ab eis quorum interest, sine aliqua imminutione percipiat, ne cogantur de alieno pendere fastidio, cui piaculum est vel horarum vacasse momento.* Mauortio inde 527
consulatum administrante, Iustinus Augustus finem sibi vitæ imminere ex lethali contracto morbo intelligens; successorem sibi exemplo Theodorici substituit. quippe Kalendis Aprilis Iustinianum, sororis filium, egregium animo, atque virtute iuuenem, Imperij sibi consortem asciuit: & Kal. Augusti vita cedens Imperatorem reliquit. Hic est Magnus ille Iustinianus, quem merito posteri iuris conditorem, libertatis restitutorem, barbarorumque profligatorem linguis, scriptisque consentientibus celebrarunt. ille vero, inito Imperio, præclarum auunculi exemplum rep. domi, forisque iuste gerenda sibi proposuit. itaque & Concilij Chalcedonensis, vindicem se futurum denunciauit, & bellum Persicum ab Anastasio institutum, atque à Iustino exceptum summa ope continuauit. hunc vero vbi ad Imperium peruenisse Amalasuenta percepit, statim regis nomine oratores de fœdere cōfirmando, & renouanda amicitia misit, cum his litteris: *Iure possem reprehendi, Clementissime princeps, si pacem vestram quærerem tepide, quam patres meos constat ardentius expetisse. Vos auum nostrum in vestra ciuitate sellis curulibus extulistis. vos genitorem meum in Italia palmatæ claritate decorastis. desiderio quoque concordiæ factus est per arma filius, quia vnus vobis pene videbatur æquæuus. hoc nomen adolescenti congruentius dabitis, quod nostris senioribus præstitistis. quamobrem ad serenitatem vestram legatos nostros misimus, vt amicitiam nobis illis conditionibus concedatis, quas cum auo nostro decessores vestros constat habuisse.* Eam vero societatem, vt ad res gerendas nō inutilem, Iustinianus summo studio confirmauit. postero autem anno, cum esset vna cum Athalarico rege 528
iterum consul, domi quietus, ac prorsus in studia pacis intentus opus longe bellicis laudibus omnibus præponendū instituit. Animo namq; ad vetus ius ciuile emendandum, supplendum, & componendum adiecto, iuris peritos illa ætate ingenio maxime, doctrinaq; præstantes adhibuit ex nobilissimis Beryti, & Cæsareæ gymnasiis euocatos. eisq; consilio suo communicato, præcepit, vt nouum Iuris Codicem decreta Augustorum principum complectentem Theodosij Augusti imitatione conficerent. Eo etiam anno sæuus terræmotus miserabiliter Antiochiam afflictauit. siquidem, ingenti cœli prope mugitu edito, ædificia omnia, quæ priore non ruerant, deturbauit, atque hominum ferme quinque millia ruinis allisit, quo casu perculsi ciues ad diuinam opem implorandam se contulerunt, ac sine calceis

cum flebilibus vocibus Deo supplicatum ierunt. cum autem vir quidam insigni pietate prædictus se in quiete diuinitus monitum esse assereret, vt ad tantam auertendam calamitatē in foribus ædium inscriberetur: *Christus nobiscum, state*, eo facto, repente cœlestis ira consedit. Iustinianus inde, & Theodora coniux eius, ingenti suppeditata pecuniæ summa, vrbem instaurarunt, ac nouo nomine pro Antiochia Theopolim appellarunt. Interim Athalaricus rex præcepta materna sequutus, varios amicos virtutis caussa ad honorum gradus euexit, atq; ad frequentanda Bruttiorum oppida possessores, & curiales rura relinquere, & in vrbes se referre præcepit. eosq;, datis fideiussoribus, spondere iussit, se maiorem partem anni in oppidis à se ad habitandum delectis agitaturos. cumq; Theodoricus aquam in vrbem Parmensium induxisset, ad Honoratos, possessores, & curiales ita scripsit, vt eis propterea cloacas etiam purgare mandaret: *Ciuitatem*, inquit, *vestram siccitate diutina laborantem auus noster saluberrima vnda rigauit. nunc vos cloacarū ora pandatis oportet, ne, sordium obiectione tardata, reciprocans vnda vestris ædibus illidatur, & quas debuit abluere, vobis inferre cogatur*. Eodem anno Benedictus Nursinus, abbas, sanctitate in Sublacensi monasterio florens, diuino instinctus spiritu, paucis monachis secū assumptis, Cassinum in Campaniā adiit, ibiq; simulachro Apollinis, quod vulgo ab agrestibus hominibus colebatur, euerso, lucoq; succiso, nouum sibi monasterium condidit, ac monachis Occidentalibus leges, quibus in hunc vsque diem vtuntur, seuerissimas dedit, & panis pondus, ac mensuram vini, quibus in summa victus tenuitate vescerentur, præscripsit. id monasterium deinde numero monachorum, dignitate abbatum, muneribus, ac priuilegiis principum tota Italia factum est celeberrimū. præcipue per aliquot pòst annos ipse ibi degens Benedictus signis multis in Christi no-
529 mine edendis locū peruagata fama suæ extulit sanctitatis. Decio inde consulatum gerente, Iustinianus Idibus Aprilis Codicem iuris antecessorum solertia concinnatum felicissime sub suo nomine edidit, atque ex eo in posterum ius dici præcepit. neque ita multo pòst, vt animi sui expressam de fide sententiam proderet, legem aliam tulit, nequis dissensisse à fide catholica vellet; siquis adhuc secus sensisset, is trium mensium spacium ad resipiscendum haberet. ex quo edicto varie inde in Oriente tumultuatum est, Arrianis in primis, atque Eutychianis superbe nimis, ac violenter in se consultum esse censentibus. Athalaricum regem iam decem annos natum iampridem Gotthi seuera seniorum disciplina educari moleste ferebant. nempe indolem regiam, ac virtutem auitam litterarum ocio, ac studiorum cultu existimantes effœminari. itaque, cum puer à matre correctionis caussa manu percussus ad nonnullos eorum lacrymans confugisset, dicere non dubitarunt; cupere ipsam puerum perdere, vt secundis nuptiis ad alterum virum regiam dignitatem transferret. ac, consilio agitato, vocibus eam haudquaquam obscuris increpuerunt, quòd regem non conuenienter educaret. nam, & litteras, & magistros à fortitudine, & magnitudine animi inserenda alienissimos esse. qui res maximas gesturus, & bellicam Theodorici gloriam æquaturus esset, eum armis operam dare, & rei militari studere, nec præceptores formidare, sed præceptoribus formidini esse debere. non ita Theodoricum Gotthorum filios educandos instituisse, immo vero ne ipsum quidem tot gentium domitorem hoc pacto educatum fuisse, quem constaret nullas prorsus litteras cognouisse. Athalaricus cum æqualibus in campo, atq; in solo laborare perdisceret, non autem cum maioribus natu in scholis, atque in vmbra langueret. quorum verba etsi minime omnium Amalasuenta probauit, ne tamen ipsos despicatui habere proceres videretur, illorum se parituram auctoritati respondit. atque ab illo die, dimissis senioribus, puerum iuuenum familiaritati commisit. Per idem tempus Hildericus rex Vandalorum Amalafredam Transamundi olim regis vxorem parum comperta de caussa necauit. quod vbi ad aures Amalasuentæ, siue Athalarici peruenit, iusta ira permoti graues ad eum litteras miserunt, & reddenda tanti facinoris caussa vt sibi satisfaceret, verbis his postularunt: *Quis nesciat, Amalafredam generis nostri decus violenta à vobis manu esse peremptam, & quam habuistis pridem dominā vos passos non esse, viuere nunc priuatam? Hæc si contra fas grauis esse videbatur, remitti ad nos cum honore debuit, quam magnis supplicatio-*

plicatio-

plicationibus petiistis.& ideo morali ratione commoniti per legatos ius à vobis poscimus, expectantes, qualis tanto facinori defensio præferatur. Lampadio inde, atque Oreste consulibus, anno Christi DXXX, Iustinianus, edito codice ad formanda, siue resti- 530
tuenda litium, caussarumq; iudicia non contentus, nobiles iterum iurisconsultos atque antecessores acciuit; ac, voluntate sua exposita, negotium alterum eis dedit, vt insignia veterum iurisperitorum decreta ex immensis eorum voluminibus secernerent, eaq; ordine ad intelligendum, & vtendum accommodato digererent. quod illi, collatis in vnum veteribus omnium de iure commentariis, magna cum cura, atque industria præstiterunt. atque Institutiones iuris, & Digesta legum, quæ nunc quoq; teruntur manibus, confecerunt, immortalem apud posteros industriæ gloriam parituri, nisi, dum breuitati fortasse nimiæ studuerũt, in miras obscuritatis angustias incidissent, ac disputationem, & litium, quas tollere voluerunt, interdum materiam præbuissent. In Thracia, duce Mundo militiæ magistro, res egregie gesta, Bulgaris populatibus ad internecionẽ deletis. Romæ Felix pontifex IIII Idus Octobris est mortuus. Comitiis nouo pontifici creando indictis, senatus, ac clerus in duas, vt antè, factiones est scissus. itaq; alij in basilica Constantiniana Bonifacium, alij in basilica Iulij Dioscorũ, vtrumq; presbyterum, designarunt episcopum. quæ seditio grauissime turbatura quietẽ Ecclesiæ erat, nisi biduò pòst subsequuta mors Dioscori omnem plane tumultus materiã sustulisset. eo verò extincto, Bonifacius locũ sine controuersia nactus, ac secundus in consecratione appellatus, clero aduocato, Dioscorum cõdemnauit, verum factionẽ eius, quæ maxima erat, in gratiã Ecclesiæ recepit. Inde post Lampadij, & Orestis consulatũ, vt praui in posterũ dissidij 531
occasionem adimeret, conuocato iterum clero, omnes ante Confessionem S. Petri in verba sua iureiurando adegit, se post excessum ipsius Vigilium diaconum pontificem sublecturos. idque sacramentum sanciri manu cuiusque voluit. Admonitus inde rem commisisse sacris legibus omnibus aduersantem, & libertati Comitiorum officientem, idem scriptum, accitis de integro omnibus, abrogauit, eoq; incenso, se reum esse maiestatis asseruit. (quare adducti senatores & ipsi decretum de ambito pontificiorum Comitiorum comprimendo fecerunt.) ac mox, cum in summa fame populum annona egregie subleuasset, mortem & ipse XVI Kal. Nouembris oppetiit. neque per competitorum contentionem illo anno successorem accepit. In Africa Gilimer Genserici quondã regis nepos, cum regni hereditatem, vel ipso Hilderico viuẽte, immatura, ac prope insana cupidine deuorasset, iniquum & ipse facinus est aggressus. quod mox ipsi vitam, Vandalis vero integrum in Africa imperium abstulit. Hildericum namque accusauit apud Vandalos, quòd rei militaris inscitia superiore bello cladem ab Afris maximam accepisset. & quòd, legatione missa, Vandalos Iustiniano prodere voluisset. quippe cui etiam, antequam ad Imperium perueniret, amicus, atq; iucundus fuisset. quibus rebus Vandali temere incitati ipsum conflata seditione corripuerunt, atq; in carcerem coniecto Gilimerem substituerrunt. Quod vbi Iustinianus audiuit, hominis misericordia percitus, subito legatos ad Gilimerem cum hac epistola misit: Impie facis, quòd Hildericum propinquum tuum in custodia retines, cuius regnum breui pòst tempore iuste excipere potuisti. nam, vt modicum tempus præuerteres, ius ipsum violasti, ac regni nomen in tyrannidem transtulisti. quamobrem magnopere tibi suadeo, vt ipsum, dum viuit, regni vsurpare imaginẽ patiaris, & aui tui Genserici de regni successione decretum, ac iudicium tuearis. qua epistola lecta, Gilimer iratus non solum legatos irrito postulato dimisit, sed etiam Hildericum custodiæ arctiori mandauit. itaque Iustinianus, nouis missis legatis, ita rescripsit: Quoniam stat tibi sententia regnum iniuste tenere, tibi habe. Hildericum vero ad me mitte solatium illud habiturum, quod frui poterit, qui regno suo exciderit. quod si facere abstiteris, necessitatem nobis impones, vt fœdere præterito, quod cum Genserico sanctum habemus, te non solum infesto bello petamus, sed etiam pœna, qua possimus, afficiamus. ad quę Gilimer respondit: Ego regnum Hilderico nequaquam eripui, sed eo propter nouarum rerum studium à Vandalis exturbato, iure ætatis ad me translatum suscepi. quod si tu, soluto fœdere, arma mihi inferenda statueris, dabo operam, vt vim pro-

pulsem, ac Zenonis, cui tu successisti, fidem implorem. Eodem anno Constantinopoli graui seditione tumultuatum est, Hypatio, Probo, & Pompeio, sibi vindicare Imperium molientibus. vrbe fœde direpta, ac multis in locis incensa, Hypatius, & Pompeius ad Palatium inuadendum, & Imperatorem delendum cum parata satellitum manu pergere contenderunt; verum Belisario, Mundo, & Narsete proceribus ad vim arcendã accurrentibus, in ipso seditionis incendio comprehensi, & ante pedes Iustiniani deducti pœnas capite persoluerunt. sociis bona proscripta sunt. ea seditio à tessera data Nica, seu Vince est appellata. Postero anno iterum post con-
532 sulatum Lampadij, & Orestis, comitiis pontificiis diuturna contentione prolatis, Ioannes presbyter XI Kal. Februarias pontifex Bonifacio est suffectus, ac secundus vocatus. Athalaricus à defensore Romanæ Ecclesiæ de comitiis nefaria quorundam ambitione turbatis, & pauperũ, Ecclesiæq; facultatibus dissipatis admonitus legem de ambitu coercendo superioribus congruentem cõstituit, deq; ea re Ioannem ipsum statim edocuit: *Nuper ad nos*, inquit, *defensor Ecclesia Ro. venit, expostulans, cum Apostolica sedi peteretur antistes, quosdam nefaria machinatione necessitatem temporis aucupatos ita facultates pauperum extortis promissionibus ingrauasse, vt, quod dictu nefas est etiam sacra vasa emptioni publica viderentur exposita. Hoc quantum fuit crudele committi, tanto gloriosum est adhibita pietate resecari. atque ideo sanctitas vestra statuisse nos prasenti definitione cognoscat, quod etiam ad vniuersos patriarchas, atque metropolitanas ecclesias volumus pertinere, vt à tempore sanctissimi Papa Bonifacij, cum de prohibendis suffragiis patres conscripti senatusconsulta nobilitatis sua memores condiderunt, quicunq; in episcopatu obtinendo siue per se, siue per aliam quancunq; personã aliquid promisisse declaratur, vt execrabilis contractus cunctis viribus efferatur. si quis autem in hoc scelere deprehendatur fuisse versatus, nullam relinquimus vocem, verum etiam si quid aut repetendum, aut quod acceptum est, non reddendum esse crediderit, sacrilegij reus protinus habeatur.* Iustinianus vbi nouum pontificem creatum comperit, statim, vt exemplo sui ceteros ad rationem fidei suæ prodendam alliceret, Hypatium Ephesinum, & Demetrium Philippensem episcopos legatos ad eum misit, qui tabulas Confessionis suæ deferrent, simulq; preciosa ex auro, gemmisq; mirifici operis vasa Sancto Petro offerrent. eæ tabulæ adhuc in Actis Conciliorum insertæ leguntur. in quibus ille quattuor œcumenica se probare Concilia profitetur. tria vero capita Concilij Chalcedonensis, nempe scripta Theodori Mopsuesteni episcopi, Theodoriti Cyrensis, & epistolam Ibæ ad Marim anathemate, licet auctoribus iam extinctis, feriẽda, tanquã à Catholica veritate remota contendit. quin etiã proximis Gilimeris litteris vehemẽtius irritatus Vandalicum bellum suscipere statuit. Consilium inde suum cum à plerisque improbari audiret, tristem Africanæ expeditionis à Leone, duce Basilisco, susceptæ exitum horrescentibus, & summam expediendi negotij difficultatem proponentibus aliquantulum de studio rei militaris instruendæ remisit. mox somnio quodam egregiam victoriam portendente in spem ab episcopo quodã erectus ad pristinas cogitationes, apparatusq; se rettulit. atq; omnia ad eam rem necessaria militũ, nauium, armorum, commeatuum, & instrumentorum subsidia expedire perrexit. ac totius belli summã Belisario tradidit, duci ea tempestate præclaro, nuper post pactas cum Persis inducias ex Oriente reuerso. Eodem anno, qui fuit Imperij ipsius quintus, nouum pestilentiæ genus Orientem inuasit, à Græcis bubonis, à Latinis inguinariæ dictæ. quæ orta in Æthiopia sensim inde totum terrarum orbem peruasit, quibusdam ciuitatibus ita prostratis, vt prorsus exhauserit; quibusdam vero ita affectis, vt afflatu tantum ipso terruerit, nulla certa ratione neque in adoriendo, neque in dimittendo seruata. nam alios ineunte hieme, alios senescente vere, alios adulta æstate, aut autumno inuasit. atque in quibusdam oppidis domos omnes attigit, in quibusdam nonnullas. quæque familiæ priore anno integræ fuerunt, solæ sequenti contabuerunt. quin etiam sæpe qui ex infectis vrbibus euadebant, postquam inter sanos venissent, soli peribant. neque vero eadem omnes ægritudo tentauit. in quibusdam enim morbus à capite incipiens oculos sanguine, & faciem tumore afficiebat; deinde ad guttur accedens vitam eripiebat. alij ventris profluuio interibant, in aliis bubones erumpebant, & febres vehementes accedebant. nonnulli

biduo,

biduo, aut triduo sana mente moriebantur, nonnulli vero de potestate deiiciebantur. erant qui semel affecti iterum incidebant. aliis morbum consuetudo attulit, aliis attactus, aliis solus fori aditus. Quin etiam quidam integri proximis exitium importabant, alij licet cum ęgris, mortuisq; versati morbum tamen, licet cupientes, nancisci non poterant. atque hac tanta malorum varietate hic morbus post orbibus quibusdam sæpius reuocatus homines in plurimos post annos misere lacerauit. Per eosdem dies Amalasuenta regina Theodoricum Francorum regem bello prouocauit, ac victoriam, rege mortuo, nobilem reportauit. quoniam autem & caussa, & series belli parum est explorata, verba ipsa Cassiodori. vnde hoc hausimus, afferemus; nihil neque de nostra coniectura addentes, neque de aliena narratione dementes. is, cum de virtute, rebusq; Amalasuentæ loqueretur, sic post multa intulit: *Franci etiam tot barbarorum victoriis præpotentes, quàm ingenti expeditione turbati sunt? lacessiti meruerunt cum nostris inire certamen, qui præcipitius saltibus prælia semper gentibus intulerũt. sed quamuis superba natio declinauerit conflictum, vitare tamen proprij regis nequiuit interitum. nam Theodoricus ille diu potenti nomine gloriatus in triumphum principum nostrorũ languoris potius pugna superatus occubuit, ordinatione credo diuina, ne nos aut affiniũ bella pollucrent, aut iuxta productus exercitus vindictam aliquam non haberet. macte procinctus Gotthorum omni felicitate iucundior, qui hostem regalem capite cædis, & nobis nec vnius vltimi facta subducis.* Addit inde, eandem etiam regem Burgundionũ ad obsequium adduxisse. sic enim subiicit: *Burgundio quin etiã vt sua reciperet, deuotus effectus est, reddens se totum, dum accepisset exiguum. elegit quippe integer obedire, quàm immunitus obsistere, tutius tunc defendit regnũ, quando arma deposuit. recuperauit enim prece, quod amisit in acie. Beatam, te, domina, laude multiplici. cui diuino beneficio necessitas tollitur cuncta certaminis. quando aduersos reip. aut cœlesti felicitate vincis, aut tuis imperiis spontanea largitate coniungis. Ecce felix domina, quod habet eximium vterq; sexus, impleuit. nam & gloriosum regem nobis edidit, & latissimum imperium animi fortitudine vindicauit.* Sequenti anno, Iustiniano Augusto iam tertium consule, Theodebertus rex Francorum, qui 533
Theodorico regi patri suo successerat, honestam belli in Hispaniam transferendi caussam nactus, non omisit. Huius sororem Crothildem Amalaricus rex Gotthorum in matrimonio habens, grauibus adeo contumeliis afflictarat, vt aliquando ad ecclesiam procedentem, quia Catholicæ addicta fidei erat, sordibus aspergendam curarit, atque ad extremum sæue adeo pulsauerat, vt vestem hausto sanguine macularet. quibus de rebus Theodebertus à sorore commonitus cum exercitu in Hispaniam transiit. atque, vrbe obsessa, Amalaricum fugientem, atque in ecclesiam se salutis caussa recipientem adeptus, vita exuit. ac thesaurum, & Crothildem secum abduxit. quæ in itinere periit. inde in Galliam reuersus, regionem trans Rhodanum, quam Amalaricus ab Athalarico receperat, sibi adiunxit, Gotthis victis in Hispaniam ad Theudam, qui tyrannidem exercebat, trepido agmine transeuntibus. Eodem anno Iustinianus bellum in Africa Vandalicum iniit. cuius principio opportune ad animos certæ spe victoriæ concitandos Pudentius præfectus Tripolim oppidum in Africa prodidit, & Godas se Sardiniam traditurum, si auxilia summitterentur, ostendit. cumque Eulogius magna cum manu militum accessisset, in ea imperium occupauit. Belisarius autem, paratis rebus in tempore omnibus, cum Antonina vxore Constantinopoli soluit, salutari precatione ab Epiphanio vrbis episcopo vna cum tota classe, atque exercitu ad felicem à Deo impetrandam victoriam expiatus, ac, locis aliquot in itinere tactis, tandem in Siciliam adiit. vnde aquam, equos, commeatum, & res alias necessarias ex fœdere sumpsit. & consilia hostium per Procopium Cæsariensem huius historiæ artificem explorauit. Ceterum certior factus, Gilimerem exercitum tantum aduersus Godam ad recuperandam Sardiniam comparare, ac, relicta Carthagine, apud Hermionem quattuor dierum itinere procul à littore agitare, erectiore animo è Sicilia cessit, ac tertio, quàm Constantinopoli discesserat, mense ad Africam classem applicuit. ac locum quinque dierum via Carthagine distantem egregie aduersus omnem hostilem impetum communiuit. inde, immissis militibus, Syllectum oppidum in littore Carthaginem versus loca-

tum per insidias cepit. mox vniuersum exercitum ad Carthaginem oppugnandam, (hæc enim sola muris cincta vrbs in Africa erat, reliquis præsidij caussa iampridem nouo consilio à Genserico nudatis,) ducere instituit, classe lenta se nauigatione subsequi iussa. ac Lecto, & Adrumeto præteritis Græsam oppidum tenuit. Gilimer, vbi hostilem adesse sensit exercitum, extemplo Ammatam fratrem, qui Carthagine erat, per litteras monuit, vt Hildericum occideret, ac sese cum Vandalis aduenienti Belisario ad Decimum suburbanum obiiceret. Gibamundum vero fratris filium cum alia manu à latere iussit adoriri. ipse sibi cum suis impressionem à tergo asciuit. itaque Belisarius, postquam ad Decimi angustias peruenisset, facile Gilimeris copiis intercipi, ac deleri consilio potuit, nisi Ammatas ante pugnandi horam, deteriore militum parte assumpta, cum Ioanne Belisarij duce præcedente immature congressus, partam victoriam, ac prope præsentem interpellasset. nam eius casu perterriti milites non ipsi solum præcipiti se fugæ mandarunt, sed reliquos etiam, qui subsequebantur, terga dare maioris mali timore perculsos compulerunt. quam cladem Gibamundus etiam cumulauit. qui cum Hunnis congressus, omnibus suis amissis, aufugit. Interim Belisarius locum septuaginta stadiis procul à Decimo confirmauit, atque, exercitu ad rem strenue gerendam verbis incenso, relicta in castris vxore, cum parte militum ad lacessendum prælio Gilimerem processit. qui vero primi Decimum peruenerunt, terram cadaueribus stratam aspicientes, & rei gestæ exitum audientes, Belisarium propere aduocarunt. Cum autem eodem tempore Belisarius, & Gilimer cum suis vterque copiis diuersis è partibus ad Decimum accessissent, leue de occupando interiecto colle iniere certamen. quo potiti Vandali, impetu facto, Romanos terga vertere, & in vicum se recipere septem inde distantem stadiis coegerunt. Gilimer autem vbi in campum degressus, Ammatæ fratris cadauer est conspicatus, ingenti dolore ictus animum ab hoste ad sepulturam auertit, ac, spacio Romanis ad se comparandum concesso, pulcherrimam alteram rei bene gerendæ occasionem amisit. quin etiam certamine à Belisario prouocatus impetum sustinere non potuit, atque vna cum Vandalis in Bulæ campum Numidiam versus abiit. Ea re Belisarius excitatus postridie Carthaginem cum omnibus suis intendit iter. & sequenti nocte, cum eo peruenisset, extra vrbem sub tentoriis mansit, quamquam comiter, vt introiret, à ciuibus inuitatus. nam & aduenienti exercitui portas aperuerunt, ac lumina, & ignes tota vrbe ad vias illustrandas accenderunt, Vandalis, qui remanserant, ad templa progressis; & classi aduentanti, ferreis cathenis retractis, liberum in portum aditum præbuerunt. inde cum iam dilucesceret, omnes suos sub signis, tanquam ad prælium instructos in vrbem induxit, ac, nullo, (quod timuerat,) sese hoste obiiciente, in regiam profectus, in sede Gilimeris consedit. tum in Delphico epulatus, prædam omnem iussit exponi, tanta in omni imperio modestia adhibita, vt in magna trepidatione, summoque tumultu ciuitatis nemo nihilominus tabernas occluserit, aut mercari volenti aliquid venale abnuerit. posthæc Vandalos ad templa profectos in fidem recepit, ac muros vrbis dirutos reficere, vrbemque munire aduersus omnem belli, quæ cieri posset, tempestatem instituit. Interim Zazon Gilimeris frater in Sardiniam cum classe inuectus Caralim tenuit, atque oppido repente capto Godam extinxit. ac Gilimerem de re à se prospere gesta per litteras docuit. quas qui attulerunt, à Romanis militibus capti in manus Belisarij peruenerunt. Cyrillus, qui Constantinopoli Godæ subsidio veniebat, Zazonis victoria cognita, Carthaginem cursum deflexit. Gilimer autem, cum victus in Bulæ campo consisteret, haudquaquam se deseruit. verum, petito à virtute præsidio, rusticos Afros ad Romanos, qui per agros dispersi vagabantur, opprimendos immisit, promisso aureo nummo pro cuiusque capite ad se delato, ac Vandalos, & Mauritanos, quos potuit, ad arma secum capienda conciuit, & Zazonem cum suis copiis ad se relicta Sardinia, euocauit. quæ cum ad tempus expleta essent, cum his omnibus aduersus Carthaginem iter suscepit, proditione se vrbe potiturum confisus, Hunnis, qui cum Belisario erant, ad transitionem faciendam magnis præmiis, & polli-

citationi-

citationibus inuitatis, quæ cum omnia Beliſarius certis nunciis explorata haberet, muros vrbis reficere maturauit. & Hunnos muneribus ab iniquis capiendis conſiliis auocauit. ac demum ſuis omnibus ad præſtandam in prœlio fidem, virtutemq; priſtinam incitatis, aduerſus Gilimerem contendit apud Tricaranum ſeptuaginta ſtadiis longe à Carthagine caſtrametantem. ibi Gilimer ſummo ſibi confligendum certamine ratus, puerorum, ac fœminarum impedimentis in medium munitionum coniectis, ſuos ad conſtantiam in pugna adhibendam hortatus eſt, pariterq; Zazon etiam ſuos. inde in vlteriore ripa amnis intercedentis aciem, Romanis parando prandio occupatis, inſtruxit. qua re animaduerſa, Beliſarius & ipſe in citeriore poſitus inſtruxit ſuos. Cum per aliquot horas prœlium à neutra parte inciperetur, demum Ioannes cum paucis equitibus Beliſarij iuſſu amnem tranſgreſſus, in hoſtes procurrit, verum à Zazone repulſus gradum rettulit. idem, cum maiore numero aſſumpto, iterum inſtitiſſet, iterumq; ceſſiſſet, ad extremum cum magna exercitus parte inuectus non ſolum Zazonis copias loco motas occidione occidit, ſed ipſum etiam Zazonem deleuit. qua re cognita, Beliſarius reliquum exercitum repente eduxit, ac Vandalos adortus fuga in caſtra compulit, ac, mortuis ſpoliatis, receptui cecinit. ſilentio inde noctis ad caſtra aggredienda profectus, tantum omnibus trepidationis incuſſit, vt Gilimer, aſcenſo equo, cum paucis Numidiam verſus fugam petierit: Vandali vero cum pueris, & mulieribus; quo cuique commodum fuit, abire contenderint. Romani caſtris potiti hoſtes, quotquot nacti ſunt, ferro ſtrauerunt, ſolis pueris, & mulieribus conſeruatis, quos in ſeruitutem abripuerunt. Ceterum tanta in caſtris pecunia eſt inuenta, quanta nunquam antea fuerat viſa, vt quæ ex diſpoliatis Romanorum prouinciis per nonaginta quinq; annos fuerat aceruata. Gilimerem inde fugientem Ioannes inſequutus, ac poſt dies decem, & octo adeptus, caſu ab amico fallenti infeſtæ ſagittæ ictu, dum autem peteret, interfectus ſpacium dedit ad elabendum. Beliſarius Gilimerem perſequens, Hipponem vſque progreſſus, poſtquam eum in montem Puppuam in extrema Numidiæ confugiſſe, nec facile expugnari poſſe amicorum Maurorum præſidiis fultum accepit, quòd hiems ingraueſcebat, & Carthagine res ſuſpenſas reliquerat, eo ſibi recedendum putauit. ac promptos milites cum duce Phara ad eum per hiemem obſidendum immiſit. Gilimer paulo antè, quàm claſſis Romana in Africam perueniret, rebus ſuis timens, legatos in Hiſpaniam deſtinarat, vt ſocietatem belli contra Romanos cum Theuda rege contraherent. eos in Hiſpaniam progreſſos Theuda benigne excepit, ac ſatin ſaluæ res Gilimeris eſſent? rogauit. nam oneraria nauis eodem die, quo Beliſarius Carthaginem introierat, è portu profecta, ac ſecundo vento delata clam totius eum rei geſtæ monuerat. Legatis inde ſalua eſſe omnia confirmantibus, ſui cauſſam aduentus exegit. inde, illis ineundæ ſocietatis gratia eum ſe adiiſſe dicentibus, ſubiecit, vt littus Africę repeterent. futurum enim, vt ibi quo ſtatu res Gilimeris eſſent, cognoſcerent. Ad id legati inepta, vt rebantur, oratione offenſi conticuerunt. poſtridie autem cum eadem petentes idem reſponſi tuliſſent, rati noui aliquid in Africa poſt ſuum abitum accidiſſe, nihil tamen aduerſi de Carthagine ſuſpicantes, diſceſſere, atq; in Romanorum manus non longè à Carthagine lapſi, atq; ad Beliſarium ducti omnia, vt acta erant, expoſuere. Iam iuriſconſulti mandata Imperatoris exhauſerant, ac Iuris inſtitutiones, & Digeſta legum confecerant. quibus operibus nihil aut ad vſum populorum vberius, aut ad gloriam Imperatoris eſſe magnificentius potuit. Id ita eſſe Iuſtinianus etiam arbitratus, tertium hunc conſulatum ſuum longe victoriæ Africanæ ſplendore fulgentem, ſimul etiam memorabili horum librorum editione inſignem poſteris relinquere voluit. ac menſe Nouembri Inſtitutiones, Decembri vero Digeſta vulgauit, edicto propoſito, vt hæ leges vim haberent à tertio Kal. Ianuarias, tertio conſulatu ſuo, quo ſibi Deus conceſſiſſet, vt victoriam nobiliſſimam, Carthagine, Africaq; recepta ex Vandalorum gente, referret. & vt illæ tantummodo Romæ, Conſtantinopoli, & Beryti exponerentur, quod, vt idem ipſe Iuſtinianus inquit, iam & à retro principibus fuerat conſtitutum. Per eoſdem dies in Italia regia Gotthorum diſcordia laborare, atq; inteſtinis ſeditionibus rem ad Iuſtinianum occulte inclinare

instituit. ex quo bellum exarsit, quo demum vniuersa Italia misere conflagrauit. Amalasuenta ab Athalarico puero praua iuuenum consuetudine deprauato, & à tribus proceribus Gotthis nimiam suam potentiam ægre ferentibus incitato iampridem non solum despiciebatur, sed occulte à Gotthis ad insidias petebatur. qua re præcepta, vt erat alto consilio prædita, ipsos antè de medio tollere, quàm tolleretur, constituit. itaq; primum eos, præfecturis datis, in Calabriam ablegauit, deinde fidos, promptosq; satellites, qui eos ferro opprimerent, destinauit. incertum autem facinoris exitum reformidans, nuncium ad Iustinianum misit, significans, se transire ad eum velle, filij pro arbitratu regendi desperatione adactam. ac nauim auro onustam in portum Dyrrachij misit eo consilio, vt si nex inimicorum suorum processisset, nauim continuo reuocaret, sin irritus conatus cecidisset, ipsa cum thesauro in Græciam properaret. vbi vero mox inimicos suos magna felicitate peremptos audiuit, subito nauim Dyrrachio reuocauit, ac Rauennæ se confirmauit.

534 Sequens annus Iustinianum Augustum IIII, & Paulinum habuit consules. Paulinum euexit Athalaricus. extat enim decretum eius, quo se illum per XII indictionem consulem constituere scribit. quin etiam per eosdem dies Cassiodorum præfectum prætorio fecit. Ioannes pontifex, cum VI Kal. Iunias migrasset è vita, Rusticum Agapetum archidiaconum nactus est successorē. Belisarius interim milites ad reliquā recuperandā Africam misit, aliosq; ad Sardiniā, & ad Ebusam, Maioricam, & Minoricā insulas, & in Siciliam ad Lilybeum recipiendū. omnibus omnia ex sententia processerūt, iis, qui missi fuerant Lilybeū, exceptis. hoc enim à Vandalis olim opera Amalafredæ mercatus habendi caussa occupatū Gotthi verbis Amalasuentæ edocti suum esse, non Vandalorum dixerunt. Græcosq; tanquam hostes, longe ab insula repulerunt. *Gilimeris fames.* Interim Pharas Gilimerem in monte Puppua diligenter obsedit, atq; à Mauris deiectus locum sibi custodiendum suscepit, vt, nullo alimento inuecto, hostes fame debilitati vltro ad deditionem accederent. ad quam etiam Gilimerem, fide incolumitatis data, & spe præmiorum ostentata, inuitauit. quod ille se facturum abnuit, atque ab eo panem tantum, spongiam, & cytharam postulauit. cuius postulati, vt noui, rationem curiosius inquirenti nuncius hanc reddidit; panem requiri dicēs, quòd postquam montem illum insedisset, panem coctum nullum vidisset; spongiam, vt Lacrymas, quibus conficiebatur, abstergeret; cytharam vero, vt præsentem calamitatem flebilibus modis, haudquaquam eius artis ignarus, leniret. *Gilimeris deditio.* quæ vbi cognouit Pharas, hominis miseratione permotus omnia misit. Gilimer inde, cum, appetente iam vere, expugnationem timeret, atque intestinorum dolore intolerabili laboraret, Pharæ se consilium sequi velle, vt se Iustiniano dederet, indicauit. Cuius rei nuncio Belisarius, vt qui hominem viuum ad Iustinianum ducere cuperet, eximie delectatus confestim Cyprianum ad rem conficiendam misit. ac, Gilimere per eum in potestatem adducto, propere Iustinianum admonuit, ac redeundi potestatem petiuit. nam maiestatis ab obtrectatoribus accusatus, eorum occurrere machinationibus exoptauit. Iustinianus, his cognitis, optionem ei dedit, seu redire domum, seu manere in Africa vellet. Ille vero, reuersionis consilio expedito, cum Gilimere, & Vandalis captiuis ex Africa soluit, Salomone aduersus tumultus, qui à prouincialibus mouebantur, cum magna exercitus parte relicto. eo vero vt venit, omnibus honoribus, qui victoribus vnquam tributi ducibus fuerant, est exceptus. præcipue spolia hostium per mediam vrbem incedens more triumphantium prætulit. atq; ex propria domo pedibus ad circum, & ex circo ad Palatium Imperatoris processit. erant autem spolia sedes regis, & vehicula reginæ, aurea pocula, & alia mensæ regiæ instrumenta, argenti magna vis, aliaq; supellex à Genserico nuper Roma ex Palatio Imperatoris auecta. in qua quoniam multa erant Hierosolymis captis quondam ablata, Iustinianus eodem *Gilimeris dictum.* reportari oblata religione pręcepit. Inter captiuos Gilimer purpurea veste indutus vna cum omnibus propinquis suis, & Vandalis, qui proceritate corporum, & oris pulchritudine præcellebant, præcipue spectaculum præbuit. is, postquam in circo constitit, & Iustinianum in celso throno sedentem, & populum circunsistentem aspexit, fortuna sua ad rationē reuocata, illud Salamonis effudit: *Vanitas vanitatum, & omnia*

& omnia vanitas. atque ipse pariter vna cum Belisario iussus ab iis, qui purpuram Imperatoriam sustinebant, Imperatorem suppliciter adorauit. ea perfecta pompa decretum est, vt Belisarius more maiorum triumphum iterum ageret, ac postero anno consulatum administraret. Gilimerem Patricium Iustinianus fecisset, si ab Arrianis deficere voluisset. ceterum summis aliis honoribus decorauit. Hilderici vero filios, & nepotes, tanquã ex Valentiniani sanguine genitos & ipse, & Augusta comiter, ac liberaliter habuerunt. Recepta Africa, lux aliqua recuperandæ Italiæ est obiecta, opportune illud quidẽ, si sine ipsius consequi exitio, ac pernicie potuisset. Præerat tum Etruriæ Theodahatus Amalafredæ olim reginæ filius, homo litteris egregie eruditus, atque imprimis disciplinæ Platonicæ studiosus. verum plus, quàm ferre Tuscorum animi possent, auarus, ac congerendæ, spoliandis populis, pecuniæ cupidus. hic, cum se odio flagrare apud Etruscos, atque Amalasuentam eo nomine intelligeret, cupiditate prodendę Iustiniano Tusciæ, atq; Italię relinquẽdæ, accensus est, eo animo, vt, cum ingentem vim pecuniæ recepisset, & consularem dignitatem adeptus esset, reliquum ætatis Constantinopoli degeret. Hæc illo animo volutante, opportune legati à Iustiniano ad pontificem nouum Agapetum venerunt, de concordia reconcilianda inter ecclesias missi. quibus ille occulte conuentis, voluntatem vt suam ad Iustinianum deferrent, mandauit. Per eosdem dies Athalaricus luxuriæ, ac temulentiæ deditus morbo læthifero est oppressus. cuius periculi Amalasuenta à medicis certior facta subito res circunspicere suas cœpit, &, quòd, mortuo filio, se Gotthorum odium sustinere posse diffideret, iterum salutis suæ caussa regnum tradere Iustiniano decreuit. Interim Alexander à Iustiniano legatus Rauennam multis de rebus missus accessit. ac, concilio impetrato, Gotthis spectantibus omnibus, litteras reddidit, quarum hæc erant verba; Lilybeum, quod nostrum erat præsidium, captum vi retines; milites, ac barbaros, qui à nobis in Campaniam transfugerunt, & ab Vliare Neapolis præfecto suscepti sunt, non restituis. Gratianam vero vrbem Illyricam nihil ad te pertinentem extremo milites tui incommodo affecerunt. hæc quo iure à te facta sint, scire auemus. ad quæ illa respondit; Imperatorem opibus, iustitiaque præstantem puero orbo, atque ægrotanti præsidium, non exitium ostentare oportet. Lilybeum ille, & transfugas repetit, ac militum nostrorum in hostes euntium iniuriam queritur ciuitati sociæ per imprudentiam factam. ego vero peto ab eo, vt in memoriam reuocet, quibus eum semper officiis prosequuti simus. nuper autem, quemadmodum classem eius aduersus Vandalos contendentem equis, commeatibus, atque omnibus rebus necessariis instruxerimus; quibus detractis, neque Africa adiri, neque tanta parari victoria potuit. simulque animo reputet, quàm æquum sit, Athalaricum, quem ob collata beneficia præmium aliquod victoriæ expectare oportebat, Lilybeo, quod ditionis est suæ, exuere properare. Hæc illa palam legatis Imperatori renuncianda respondit. clam vero quærentibus, (sic enim à Iustiniano acceperant,) cur ad se, sicut ostenderat, non transisset; se facturam, si filius vita cederet, atque Italiam illi concessuram, spopondit. Theodahatus autem Alexandrum Demetrij socium nactus, familiaritate contracta, & ipse intimum animi sui sensum aperuit, ac Tusciam Iustiniano traditurum, si sibi apud eum præmium esset, ostendit. vterque inde eorum domum reuersus Iustiniano renunciauit legationem. quibus rebus cognitis, ille mire lætatus, e uestigio Petrum natione Illyricum, hominem disertum, Thessalonica in Italiam iussit adire, atque hæc ipsa primo quoque tempore explenda curare. Interea Etrusci assiduis Theodahati rapinis exacerbati ipsum de repetundis apud Amalasuentam postularunt, atq; ab ea exerceri quæstionem eiusmodi poposcerunt. qua re cognita, Amalasuenta hominem coram adesse iussit, ac iudicio constituto conuictum ab accusatoribus condemnauit, ac sua cuiq; ablata restituere compulit. Subiit inde cogitatio animũ, præstare, vt post mortem filij, quæ, sæuiente morbo, non longe credebatur abesse, ipsum ad regnũ proueheret, atq; opes suas illius erga se studio cõfirmaret. itaq;, accersito illo, cum sibi infensum existimaret, hac oratione demulcere contendit: se, quòd illum iudicio condemnasset, iustã afferre caussam posse. ipsum

Theodahatus

enim Gotthis purgatum esse voluisse, vt filio mortuo, cum nemo præter eum ex Theodorici genere superesset, eum posset sine aliqua Gotthorum criminatione prouehere. id autem se pro explorato facturã, si ipse mores mutaret, & iureiurando affirmaret, se titulo regni contentum sibi administrationem imperij permissurum. quod vbi Theodahatus audiuit, extemplo in speciem omnem animo offensionem abiecit, ac, tanto beneficio accepto, perpetuo fore se in eius arbitrio, ac potestate sanctissimo se sacramento adegit. atq; ita Athalarico mortuo, iubente Amalasuenta, à Gotthis ad regnum est euocatus. Hoc anno, vt scribit Procopius, sol sine radiis, perinde, ac luna, prodigiose refulsit, ac magna ex parte deficere visus est. itaq; neque bella, neque fames, neque pestilentia hominibus defuerunt. Epiphanio episcopo Constantinopolis mortuo, Theodora Augusta in eius locum Anthemium, siue Anthimum episcopum Trapezuntis suffecit, hominem secum contra Chalcedonense Concilium sentientem. quæ res postea Ecclesiam non mediocriter perturbauit.

THEODAHATVS REX.

REGNO vero ad Theodahatum delato, Amalasuenta ad senatum Ro. litteras misit, in quibus ipsa se post filij obitum regnum ad Theodahatum transtulisse, significauit, virum non tam generis splendore fulgentem, quã virtutis, & doctrinæ laude præstantem. Theodahatus autem cum ceteris in rebus Amalasuentæ prudentiam extulit, tum præcipue in eo, quod antè se legibus, & iudicio subiecisset, quàm ad regni culmen eueheret, ac suam prius conscientiam expiasset, quàm censuram regni mandaret. eodem etiam modo vterque legatos cum litteris ad Iustinianum miserunt, nouum regem sublectum in ipsius orbitate regiæ nunciantes, ac pacem cum decessoribus suis constitutam iisdem sanciri conditionibus postulantes. Theodahatus autem magistratus aliquot in insequentes annos declarauit, atq; eis iuris æquabilitatem per litteras, quæ cum superioribus apud Cassiodorum leguntur, summo opere commendauit. inde, veteribus simultatibus animo repetitis, omne suum studium ad vlciscendam ipsam, cui omnia debebat, Amalasuentam, conuertit. itaque propinquos inimicorum eius reduxisse ab exilio non contentus, necessarios etiam morte affecit, atque ipsam demum per caussam conseruandæ inter Gotthos concordiæ in lacus Vulsiniensis insulam relegauit, ibiq; firmo custodiri præsidio iussit, cum nondum legati ad Iustinianum missi in Græciam peruenissent. veritus autẽ, ne eam rem Iustinianus iniquo animo ferret, Liberium, & Opilionem senatores summisit, qui se nihil durius in eam consuluisse, licet grauissime prouocatum, docerent. atque Amalasuentam in eandem, quam ipse, sententiam scribere, compulit. Petro legato proficiscenti Iustinianus mandarat, vt palam cum Amalasuenta de caussa Lilybei tractaret; secreto autem de ratione Italiæ prodendæ cum ipsa, & Theodahato conficeret. Petrus autem, cum in Græciam accessisset, obuius oratoribus Amalasuentæ factus de Theodahati prouectione, inde, cum Apolloniam peruenisset, legatis Theodahati de Amalasuentæ relegatione cognouit, quibus rebus Iustiniano nunciatis, ibi donec noua mandata acciperet, sibi subsistendum putauit. Iustinianus, his acceptis, Petro mandauit, vt Amalasuentam ad fugam in Græciam capessendam impelleret; Theodahato vero, & Gotthis vt iustam suam aduersus eos iracundiam aperiret. Ex legatis Theodahati vnus Liberius syncere, ac vere omnia, vt acta erant in Amalasuentam, exposuit, alter vero Opilio Theodahatum crimine frustra nisus est liberare. Interim Gotthi Amalasuentæ inimici Theodahato persuaserunt, præsens vitæ eius periculum imminere, nisi Amalasuentæ vitam eripuisset. itaque permissu eius ad insulam, in qua erat, venerunt, atque eam nece strauerunt. quæ res maximum Italis, Gotthisq; mœrorem intulit. erat enim fœmina, vt diximus, omnibus virtutibus ad alliciendos, & retinendos hominum animos ad miraculum exornata. Petrus in Italiam profectus, cum Amalasuentæ necem audisset, Theodahato, & Gotthis aperte denunciauit, Iustinianum nullam fœderis cum eo icti rationem in posterum habiturum, & necem Amalasuentæ armis persequuturum. Theodahatus

autem

autem tanta vaecordia fuit, vt cum interfectores eius in honore haberet, tamen id eos iniussu suo fecisse contenderet. Quibus de rebus omnibus Iustinianus vbi certior fuit factus; bellum aduersus eum parauit, quo deinde Gotthorum in Italia imperium concidit. atque ipsa Italia omnis atrocissimarum calamitatum exempla persensit, quarum expositione haec historia terminabitur, ac Mundum Illyrici praefectum Dalmatiam eorum prouinciam inuadere iussit: Belisarium vero consulem 535
cum classe, & copiis Africam versus cursum intendere; sed, vbi Siciliam attigisset, in eam commeatus petendi caussa descendere, &, si facultas daretur, insulam occupare, atq; in potestate retinere. quod si rem effici, aut tentari non posse censeret, in Africam occulto consilio maturare. Litteras deinde ad reges Francorum misit, quibus iniuriam Amalasuentae eorum affini factam, & cupiditatem vindicandi suam exposuit, eosq;, vt sibi communibus armis adessent, rogauit ad communes hostes Arrianos delendos, quos par esset credere, aliquando exẽplo Vandalorum concepti odij acerbitatem in Catholicos effusuros. simul etiam munera, praemiaq; ingentia, si in huius belli societatem venirent, promisit. quibus Franci illecti armis se affuturos spoponderunt. His rebus in hunc modum in Gotthorum perniciem constitutis, res inde prospere geri est coepta. Mundus in Dalmatiam progressus, secundo cum Gotthis, qui ibi erant, praelio decertauit, ac caput prouinciae Salonam in potestatem adduxit. Belisarius autem in Siciliam profectus primo aduentu Catanae oppidum cepit; deinde, translato Syracusas bello, vrbẽ haud magno negotio ad deditionem adduxit. quo facto, multae aliae vltro se dediderunt. Panormus, quòd munitione, praesidioq; valido teneretur, difficiliorẽ habuit expugnationem. ad extremum tamen & ipsa egregio ducis consilio venit in ditionem. nam, classe intra portum inuecta, & muro à parte maris, qui propugnatoribus erat vacuus, oppugnato, cum iactis anchoris, naues firmasset, sagittarios ad malorum fastigium sustulit, qui altitudine sua vrbis propugnacula superabant. vnde ex alto hostes sagittis vndique icti, atque languidiores, & timidiores desperatione tuendae vrbis effecti, vrbem, nulla mora interposita, dediderunt. ita insula breui in potestatẽ Iustiniani concessit. Belisarius cum ceteris in rebus secunda fortuna vsus est, tum in ea vel maxime, quòd, Sicilia in potestatẽ redacta, postremo consulatus die Syracusas ingressus est. magno plausu Siculorum exceptus ingentem vim nummorum acclamanti populo sparsit. atque ibi per hiemem mandata Iustiniani opperiens mansit. haec autem vbi Petrus legatus audiuit; instare acrius, & Theodahato grauiora minari, nisi Iustiniano satis fecisset. quo ille metu perculsus, atq; attonito similis, voce amissa, non aliter, ac si bello captus esset, remotis arbitris, Petrum seducit, & se, si pacem habuerit, haec omnia Iustiniano praestiturum promittit. in primis se Sicilia vniuersa cessurum, illique coronam auream trecentarum librarum in singulos annos daturum, Gotthorum tria millia ad eius arbitrium summissurum. ipsius, aut senatus iniussu neminem aut vita, aut facultatibus multaturum, neque ad Patriciatum, aliamve dignitatem aliquem producturum, sed eam potestatem ab Imperatore postulaturum. populum Romanum in solemnibus acclamationibus prius nomen Imperatoris, deinde Theodahati in omnibus locis, quibus res tulerit, prodi turum. statuam nullam sibi, nisi altera Imperatori ponatur, poni passurum, ita vt dextram Imperator, laeuam ipse obtineat. atq;, his compositis, Petrum dimittit. illo inde profecto, metus incessit, ne, si conditiones illas Iustinianus abnueret, bello se protinus oppugnaret. quare Petrum iam mare transgressum reuocauit, ac praesentem, num conditiones illas Iustinianum accepturum putaret, rogauit. Petro vero ambigere se dicente, Quod si non accipiet, inquit, qui rerum exitus erit? tum Petrus, Armis res erit decernenda. Theodahato vero id parũ aequum esse innuente, Atqui cur non est aequum, inquit, vt sua quisq; studia persequatur, & vt tu mortem hominibus insontibus infers, sic ille Imperio suo vicinas regiones adiungat? Quibus verbis Theodahatus permotus, Italiã sponte se dimissurũ ostendit, in idq; & ipse, & Gudila vxor eius sacramentum concepit. Petrumq; iureiurando adegit, vt prius primas cõditiones Iustiniano exponeret; deinde, si eas respuisset, ad secundas transiret. veritus inde, si sine magni viri auctoritate res ageretur, ab Imperatore

ne sperneretur, in eam legationem Agapetum pontificem destinauit. recusanti vero, ac difficultates domesticas afferenti & ipsi, & senatui ita scripsit, vt se eos, & vxores liberosq; eorum gladio pertemptурum minatus sit, nisi Imperatorem ab exercitu in Italiam traducendo auerteret. quamobrẽ Agapetus, legatione pro Italiæ salute suscepta, vasa sacra pro necessario comparando viatico oppignorauit; atque iter ingressus Græcia claudum, & mutum maximo astantium stupore sanauit. iisdẽ x Kal. Maij Constantinopolim adiit. ibi à Iustiniano, & cuncta ciuitate pro sedis dignitate receptus, comiter omnes ad se adeuntes tractauit, vno episcopo Anthimo excepto, quem propter hæresim à salutatione summouit. Post autem in colloquium cum Imperatore congressus, priores conditiones proposuit cum his litteris, quæ sunt apud Cassiodorum: *Quanto studio vestram amicitiam expetam, Serenissime Princeps, primum ex Petro legato vestro, deinde ex Agapeto, homine sanctissimo, cognoscetis. quem virum sacerdotio clarum, & doctrinæ laude conspicuum meam ad vos voluntatem deferre oraui, Deo confisus, fore, vt suis ille meritis & vobis maxime placeat, & mihi, quod peto, à vestra serenitate obtineat.* Quibus conditionibus à Iustiniano repudiatis, alteras has cum his litteris protulit, quarum Procopius meminit: *Ad regnum ego nõ alienus accessi. siquidem ex rege auunculo natus sum, verum rei militaris imperitus, ac bellicorum tumultuum insuetus, vt qui me diu in litterarum studiis exercuerim, atque in eis studiũ meum omne consumpserim, ex quo mihi turpe esse existimo, pro terrestris imperij possessione dimicationem vitæ, libertatisq; subire. Quamobrem si mihi prædia, vnde me alere possim elargieris, totius ibi Italiæ administrationem remittam, & cuitu iusseris, tradam.* Qua conditione accepta, Iustinianus Athanasium, & Petrum ad eum legauit; atque ita rescripsit: Sapientem te esse antea fama deferente acceperam: nunc re ipsa doctus intelligo, cum ancipites belli vitare casus decreueris, quos qui non horruerunt, plerumq; fortunæ ludibrium præbuerũt. quod vero nos amicos potius experiri, quàm hostes, volueris, haudquaquam tui te consilij pœnitebit. nam omnia, quæ postulas, impetrabis. tu cum Athanasio, & Petro pacta conficies, Belisario vero possessionem Italiæ trades. Legatis præterea mandauit, vt pactis sacramento firmatis, Theodohato prædia Imperatoris, quas Patrimonium dicerent, assignarent, eumq; in manus Belisarij Italiam permittere procurarent. Per eosdem dies rogatus Agapetus à Iustiniano, vt Anthimum ad salutationem admitteret, omnino se facturum negauit, nisi Catholicam ille confessionem exprомeret, ac suam sedem repeteret: neque enim fas esse, vt in sede Constantinopolitana, prauæ fidei, atque alienæ ecclesiæ episcopus resideret. Theodora vero Augusta pro eo se interponente, & varie preces, minasq; miscente, nunquã de suscepta dimoueri sententia potuit. quin etiam de criminibus eius ab episcoporum, & monachorũ libellis edoctus illum communione, atque officio, quousque resipisceret, exuit, eo nomine, quòd contra leges Ecclesiam inuasisset, & à Catholicis defecisset. atque eos libellos Iustiniano exequendos porrexit. quod vbi Anthimus sensit, pallium Imperatoribus reddidit. Agapetus vero Menam ei suffectũm fidẽ Chalcedonensis Concilij amplectentem, (quod adhuc Ro. pontifex nullus effecerat) manus impositione sacrauit. Inde, Pelagio diacono apocrisiario apud Iustinianũ instituto, dum profectionem adornat, aduersa tentatus valetudine x Kal. Iunij Constantinopoli obiit. Tum Augusta Anthimi, & Eutychianorũ vicem solicita Vigilium ipsius diaconum aduocauit, ac pontificatũ ei, & centenaria decem auri spopondit, si se Anthimum restituturum, fidemq; eius confirmaturum repromitteret. quod ille summo animi studio sanxit. atque inde Romam cum cadauere Agapeti discessit. Interim, dum hæc aguntur, Grippa, & Asinarius Gotthorum duces magnis cum copiis se in Dalmatiam contulerunt, ac cum Mauricio Mundi filio ex insperato occurrente congressi ancipiti prælio decertarunt. nam & Gotthorum primores, & fortissimus quisque occubuit, & Romani ferme omnes vna cum Mauricio duce desiderati sunt. qua clade audita, Mundus pater confestim accurrit, ac Gotthos in fugam actos facile profligauit, verum & ipse cupidius insequutus, vulnere à fugiente quodam accepto, interiit. quo tempore carmen Sibyllinum ad id vsq; ætatis obscurum est intellectum, quod erat, fore, vt, cum Africa reciperetur, Mundus cum sua prole periret. ita vtrinque

magna

magna clade diſceſſum eſt. Hoc autem vt Theodahatus accepit, oratores, qui à Iu-
ſtiniano miſſi cum acceptis conditionibus venerant, negligere cœpit, vel naturali
ingenij inconſtantia motus, vel à ſuis ſpe Italiæ retinendæ inflatus. Petro autem
iurganti, ac perfidiam identidem intonanti ferociter reſpondit, ſe tamdiu legatis
parſurum, dum legatorum officio fungerentur. legatum autẽ violare tum demum
fas eſſe, cum regem contumelia prouocaret, aut alienum cubile iniret. cui legati,
quæ in rem eſſe viſa ſunt, reſponderunt. (nam quod de tentata aliena pudicitia in-
iecerat, id non ad veritatem, ſed ad quærendam honeſtæ cædis occaſionem dixe-
rat.) ac mox Iuſtiniani litteras ad Gotthorum principes miſſas, ipſis iubentibus, re-
citarunt, in quibus maximæ ille ſibi curæ fuiſſe ſignificabat, vt eos ad ſuam remp.
moresq; traduceret; qua ex re illos non mediocrem voluptatis fructum capturos
confideret. quòd cum dignitatis amplificatione ad ritus ſibi notiſſimos tranſituri
eſſent. quibus auditis, Theodahatus omnino ſe nihil præſtare velle promiſſorum
ſubiecit, ac legatos cuſtodiri cum cura præcepit. Interim Iuſtinianus, rebus Dal-
maticis cognitis, Conſtantianum regij ſtabuli magiſtrum aduerſus Gotthos in Dal-
matiam miſit; Beliſarium vero primo quoque tempore tranſire in Italiam è Sici-
lia cum omni apparatu bellico iuſſit. Conſtantiano Dyrrachij delectum habente,
Grippa Salonam recuperauit. inde, eo in portum Epidauri inuecto, e veſtigio à ſpe-
culatoribus Conſtantianum cum infinita multitudine aduenisse eſt monitus. quo
nuncio perturbatus, cum mare in poteſtate Romanorum, & Salonam haud muni-
tam eſſe videret, nec ſatis oppidanorum fide confideret, exercitum inde eduxit,
& in campis inter Salonam, & Scardonam interiectis caſtra fecit. Conſtantianus
inde ex Epidauro Liſſum aduectus, rebus, quas Grippa geſſerat, cognitis, Salo-
nam verſus nauigauit, copiiſq; in terram expoſitis, aliquantum quieuit. inde quin-
gentis delectis militibus duce Sifila, miſſis occupare anguſtias iubet, atq; ipſe cum
reliquis ſubſequi pergit. & peditatu, ac claſſe in portum inducta, vrbem ingredi-
tur, muroſq; eius reficere, & propugnacula reponere ſtudet. quod vbi cognouit
Grippa, poſt ſeptimum diem, caſtris ſublatis, exercitum Rauennam reduxit. atq;
ita nullo negotio Conſtantianus Dalmatiam, Liburniámque omnem in ditionem
redegit, Gotthis, qui in iis locis relicti fuerant, ſe tradentibus. Romæ nuncio de
pontificis Agapeti morte accepto, XIII Kal. Septembris Theodahatus Silverio
ſubdiacono Ormiſdæ, de quo diximus, filio ad pontificatum ſuffragatus eſt, cum
mortem clero intentaſſet, niſi eius ordinationi aſſenſum præbuiſſet. ſacerdotes au-
tem quidam non ſubſcripſerunt, antequam conſecraretur, at poſtquam conſecra-
tum viderunt, & ipſi probarunt. Agapeti corpus Romam relatum XII Kal. Octo-
bris ſepulturæ mandatum eſt. Poſtero anno, quem poſt conſulatum Beliſarij ap- 536
pellarunt, Beliſarius, iuſſu Imperatoris, præſidio Syracuſis, Panormiq; relicto, cum
omnibus copiis Meſſana euectus Rhegium nauigauit, quò vbi acceſſit, e veſtigio
omnes ex vicis, qui nudati muris erant, odio Gotthorum, à quibus affligebantur,
deditionem fecerunt. quin etiam Ebrimius Theodahati gener vltro cum ſuis om-
nibus ad eum tranſiit. qui ſtatim ad Iuſtinianum miſſus præter cetera præmia et-
iam Patriciatus dignitate affectus eſt. hinc exercitus per Bruttios in Lucaniam ter-
reſtri itinere, claſſe ſubſequente, deductus. vbi vero in Campaniam ventum eſt,
Neapolis ſeſe obiecit, vrbs & natura munita, & præſidio Gotthorum valido confir-
mata. Eò poſtquam ille acceſſit, claſſem ex alto in portum iuſſit induci, ac, caſtris
ad vrbem poſitis, præſidium, quod in ſuburbano erat, ad ſe deditione traduxit. de-
inde iis, qui in vrbe erant, delectos ad ſe mittere viros conceſſit, vt ipſi & poſtulata
ſua cognoſcerent, & ciuitati ſententiam indicarent. Neapolitani Stephanum ſpe-
ctatæ moderationis virum miſerunt. qui ad Beliſarium progreſſus, grauiter con-
queri cœpit, quòd ipſe Neapolitanos nulla laceſſitus iniuria oppugnatum veniſſet.
ſe, Gotthorum præſidio arcem tenente, ita premi, vt deditionis arbitrio careant.
Gotthos autem, liberis, vxoribus, & precioſiſſimis rebus ſuis apud Theodahatum
relictis, ne id quidem ſine ſua pernicie poſſe moliri. cur non ille prius Romam recu-
peraret, qua capta nullo deinde negotio potiturus Neapolis eſſet? cui Beliſarius,
cauſſa ſui conſilij prætermiſſa, reſpondit, ſuadens, vt Neapolitani exercitum Impe-

ratoris pro ipſorum, totiusq; Italiæ libertate miſſum reciperent. Gotthi vero vt aut ad ſe tranſirent, honeſtiſſimo loco futuri, aut impune domos ſuas repeterent. quòd ſi has conditiones, inquit, ſpreueritis, ſcitote, me pro hoſte habiturum, quicunq; ſe mihi primus obiecerit. hæc palam renuncianda edidit. ſecrete autem multa Stephano pollicitus eſt, ſi Neapolitanos ad partes Imperatoris traduceret. Stephanus in vrbem reuerſus legationem expoſuit. inde vnà cum Antiocho Syro Neapolis inquilino Neapolitanos ad faciendam deditionem hortari cœpit. Paſtor autem, & Aſclepiodotus oratores, Gotthorum parte ſuſcepta, nihil nouandum eſſe cenſuerunt. itaque, conſultatione adhibita, Stephanum ad Beliſarium remiſerunt cum iis poſtulatis, quæ nunquam eum admiſſurum putarunt, petentes, vt ea iureiurando interpoſito confirmaret. quæ vbi ille cognouit, ſine cunctatione præſtiturum vniuerſa reſpondit. itaque Neapolitani in eam ſententiam inclinarunt, vt Siculorum exemplo exercitum Imperatoris in vrbem reciperent, ac ſeruituti Gotthorum libertatem Imperatoris præferrent. quod vt vidit Paſtor, in concionem aduocatos monuit, vt incertum eſſe belli Martem conſiderarent, viderentq;, ne ſalutem ſuam Beliſario maiora, quàm præſtare poſſet, pollicenti temere proderent. nam ſi penes Gotthos victoria erit, illi vos, inquit, tanquam hoſtes ſæuiſſimis tormentis excruciabunt, quòd nulla vrgente neceſſitate ab ſe defectionem feceritis, ſi penes Beliſarium, ipſe vos ſemper, tanquam lubricæ fidei homines, ſuſpectos habebit. ſin autem fidem Gotthis præſtiteritis, & à Gotthis maxima poſt victoriam beneficia expectare poteſtis, & ab Imperatore ſeruatæ fidei veniam ſperare debetis. neque vero Beliſarius ad has conditiones accipiendas veniſſet, ſi per vim vrbe ſe potiturum ſperaret, cui ad ſuam defenſionem nihil rerum opportunarum deeſſet. qui, ſi æquius agere vellet, Theodahatum, & Romam prius aggredi debuiſſet. nam tum Neapolitani ſine fidei iactura deditionem feciſſent. quibus dictis ſimul Iudæos produxerunt, qui nihil in vrbe deeſſe aſſeruerunt, quod ad eius defenſionem vſui eſſet, & Gotthos, qui ſe mœnia tutaturos dixerunt. quibus rebus Neapolitani inducti Beliſarium diſcedere ab vrbe iuſſerunt. quare Beliſarius vrbem oppugnare conſtituit. ac primum, ſcalis ad muros admotis, in vrbem tranſcendere contendit, verum, licet ſæpe tentaſſet, cum magno militum detrimento ſemper receſſit. neq; enim adiri vrbs à mari poterat, & à terra ſitus difficultas, atque accliuitas omnem proficiendi materiam adimebat. itaq;, oppugnatione omiſſa, aquæductum, qui aquam in vrbem deferebat, ad vſum eius impediendum intercidit. verum & ea re parum ciuitati nocuit, quòd vrbs puteis abundaret, vnde aquæ affatim hauriretur. Interim Neapolitani nuncios ad Theodahatum miſerunt, rogatum, vt ſibi primo quoq; tempore ſubueniret. quod ille ſiue propter inſitam ingenij tarditatem omiſit, ſiue propter victoriæ deſperationem, quam ex aduerſis rerum futurarum ſignis conceperat. his de rebus Beliſarius in magnis rerum anguſtiis verſabatur. neque enim Neapolitanos ad ſe defecturos ſperabat, & difficultatem expugnandæ vrbis in dies augeri videbat. ſimulq; verebatur, ne, ſi res longius traheretur, omittenda ſibi obſidio eſſet, vt in Theodahatum, Romamq;, ita vrgente neceſſitate, contenderet. itaque, multis irruptionibus fruſtra tentatis, exercitui profectionem indixit. quo minus vero remanſerit, noua oblata rei bene gerendæ occaſio attulit cauſſam. Iſaurus quidam, vt aquariam diſciplinam cognoſceret, aquæductum ab ea parte, quæ perrupta fuerat, ingreſſus, cum totũ oculis perluſtraret, in petram quãdam incidit ibi à natura locatam, quæ ab architectis tantũ perforata fuerat, quantũ ad labentis aquæ tranſitum ſatis eſſet. ea mole ſemota, animaduertit, per ipſum aquæductum viros incedere armatos commode poſſe. itaq; inde profectus, per amicum conſilium ſuum ad Beliſarium detulit. atq; præmiis ab eo ad rem aggrediendam impulſus ſilẽtio noctis cum miniſtris ad locũ reuerſus, petram illam ſenſim elimando, & abradẽdo, ne factũ ſtrepitu proderetur, ita conſumpſit, vt miles armatus ea trãſire facile poſſet. qua re perfecta, Beliſarius imminens vrbi exitium cernens, ſi armatus eam exercitus iniuiſſet, Stephanum euocatum ſic eſt alloquutus, vt incommoda omnia, quæ in expugnatione captarum vrbium, etiam inuito duce, patienda eſſent, exponeret, cædes, rapinas, incendia, ſeruitutes, contumelias,

melias, ceteraq; mala, quæ hostilis inferre libido in victoria solet. ea vero cum Neapoli imminere videret, se misericordia tangi, atq; eos magnopere ad deditionem hortari. Stephanus, quæ audiuerat, suis lacrymans rettulit. verum, obstinatis ad fidem Gotthis præstandam animis, nihil profecit. qua re cognita, Belisarius cõsilium irruptionis cum strenuis ducibus contulit, atq; ipse omnia ad vrbem inuadendam necessaria præparauit. Primis ergo tenebris præfecti, quibus hoc negotium datum erat, cum quadringentis armatis ad os aquæductus venerunt, verum à plerisq; periculo agnito derelicti, re irrita, ad Belisarium redierunt. quibus increpitis ducentos ille alios dedit, qui magno animo se omnia facturos, quæ strenuis viris essent digna, dixerunt. Interim Bessas sermonem cum Gotthis, qui proximam aquæductui turrim custodiebant, instituit, vt eo colloquio animos eorum ab omni incedẽtium per aquæductum strepitu auocaret. atq; vt ad Belisarium multa præmia relaturi se conferrent, clamare; illi vero Bessam illudentes Belisario, & Iustiniano probra ingerere. Romani, cum iam per aquæductum in vrbem peruenissent, quòd superne intectus esset, & cocto ex latere celsos fornices haberet, vbi nam essent, ne coniectura quidem assequi poterant, neq; inde descensus patebat. vlterius inde progressi ad locum venerunt, vbi aquæductus aperta testudo erat, domui cuidam humiliori subiecta à sola anicula paupere habitatæ. ibi, agitatis de inuadendo consiliis, miles vnus, armis positis, manibus & pedibus enitẽdo in eam peruenit, ac mulierem clamorem edere volentem mortis periculo intentato exterruit, ac restem validam ad oleæ superstantis truncum alligatam militibus ipsis porrexit. qua illi statim arrepta ad vnum omnes incolumes euaserunt. ac quarta vigilia ad muros vrbis progressi, custodes duos incautos obtruncant, atque, vt compositum fuerat, tuba signum rei perfectæ edunt. quo accepto, Belisarius in id intentus scalas statim muris à terra applicuit, atque eos euestigio capit. inde ad eos, qui ad mare pertinebant, conuersus, Iudæis acriter resistentibus, nihil profecit. vbi vero illuxit, qui intrauerant, Iudæos à tergo adorti exterritos fugarunt, atq; apertis portis Romanum exercitum receperunt. qui vero ad portas Orientales dispositi fuerant, cum scalas non haberent, fores portarum à custodibus destitutas incenderunt, & pariter vrbem ingressi sunt. Vrbe ex omni parte capta, passim cædes, incendia, direptionesq; sunt factæ, quousq; Belisarius edixit, vt ab Neapolitanis iam ditioni suæ subiectis abstinerent, & qui Gotthos vicissent, ne se vinci ab iracundia sinerent, bona sibi haberent; vxores, & liberos, quos cepissent, viris, & parentibus redderent. ita omnes statim sine iniuria restituti sua domicilia cum auro abscondito receperunt. Gotthi benigne tractati. Pastor vrbis defendendæ auctor supplicio acriore repentina morte correptus est. Asclepiodotum socium eius populus conuiciis impetitum, deinde obtruncatum fœdissime lacerauit. atque eodem furore adactus cadauer Pastoris palo suffixit. hunc exitum Neapolitana obsidio post diem vicesimum habuit. His rebus cognitis Gotthi, qui circum Romam erant, mirari primum, quòd Theodahatus adeo ignauia obtorpuisset, vt nullo modo his tantis malis occurreret; deinde suspicari, ne is Italiam Belisario prodere cogitaret. itaque, consilio capto, in locum non longe à Circeiis se contulerunt, ibiq; cõuocati, omnibus probris in Theodahatum congestis, Vitigem regem sibi depoposcerunt, virum non summo loco natum, sed rebus militiæ bene gestis spectatum. qua re audita, Theodahatus exanimatus repente Roma Rauennam se contulit. Vitiges autem extemplo Optarum Gotthum priuata Theodahato simultate infensum cum parata satellitum manu immisit, qui illum aut viuum ad se adduceret, aut morte afficeret. is profectus, atque illum in itinere in solo resupinatum adeptus, tanquam victimam, interfecit. Eodem anno Iustinianus, prout pontifici Agapeto promiserat, damnationem Anthimi sibi confirmandam suscepit. itaq; Orientis episcopis aduocatis, cum nonnulli etiam ex Italia ab Apostolica sede prius missi adessent, Concilium habuit in ædibus S. Mariæ Dei genitricis prope magnam ecclesiam, cui Menas episcopus vrbis præsedit. ibi VI Nonas Maias, cum episcopi, & abbates Orientis eosdem libellos, quos Agapeto aduersus Anthimum obtulerant, edidissent, placuit, vt Anthimus adesse intra certos dies iuberetur, negotiumq; eius conquirendi certis episcopis datum est.

Pridie nonas, conuocato iterum Concilio, cum epiſcopi ſe reperire illum potuiſſe negarent, nouus ad ſe ſiſtendum dierum terminus eſt præſcriptus, aliisq; epiſcopis eius inquiſitio data, atq; hoc idem tertium, cum VI Idus conueniſſent, eſt factum. Ad extremum, cum XII Kal. Iunias iam quartum conuocati nuſquam Anthimum reperiri, neq; ad dicendam cauſſam iam ter citatum occurrere animaduerterent, ſententiam in eum tulerunt, in qua Agapeti auctoritatem ſequentes, ipſum communione, Eccleſia, & nomine Catholico ſpoliarunt, eo nomine, quòd contra ſacras leges Eccleſiam inuaſiſſet, & decreta Catholica reſpuiſſet. præcipue autē Menas ſententiam in eum tulit, cui reliqui ſubſcripſerunt. Inde pridie Nonas Iunias, cum iidem epiſcopi in eodem loco coiſſent, Theodorus Imperatoris Referendarius quoſdam libellos epiſcoporum, abbatumq; contra Seuerum, Petrum, & Zoaram hæreticos Eutychianos Iuſtiniano porrectos protulit. quibus recitatis, patres ſummo conſenſu eos anathemate perculerunt, Mena item epiſcopo ſententiam pronunciante. quibus rebus cognitis, Iuſtinianus VIII Idus Auguſti edictum & ipſe edidit, in quo ſententiam Agapeti, & Concilij primum contra Anthimum, deinde contra Seuerum, Petrum, & Zoaram confirmauit. atque Anthimum in vrbe eſſe Conſtantinopolis vetuit. Ex quibus rebus declaratur, falſos eſſe eos, qui Iuſtinianum Eutychis hæreſim approbaſſe, & pro Anthimo cum Agapeto iurgaſſe, memoriæ tradiderunt, aduerſus ipſa Conciliorum acta, quæ illi aut non legerunt, aut lecta certe poſthabuerunt. Inde III Kal. Octobris Petrus Hieroſolymorum epiſcopus, ſuorum epiſcoporum Concilio habito, hæc eadem omnia confirmauit.

CAROLI SIGONII HISTORIARVM, DE OCCIDENTALI IMPERIO, LIBER XVIII,

Qui eſt regni Gotthorum in Italia tertius.

VITIGES REX.



NTERIM Vitiges rex cum Gotthis, qui ſecum aderant, Romam perrexit. ibi, nece Theodahati perſpecta, Theodiſclum filium eius ſtatim in cuſtodiam tradit, atque oratione ad Gotthos habita docet, ſe Rauennam petere velle, & bellum in Gallia cum Francis conficere, vbi maior pars Gotthorum ſit occupata; atque, eo finito, in Beliſarium ſe conuertere. quod iter pro fuga non eſſet accipiendū, cum commodi, non metus cauſſa ſuſcipiatur. De Roma non eſſe, cur laboretur. nam Romanos fidelem operam præſtituros, & ſe firmo Gotthorum præſidio relicto ad eam aduerſus omnem impetum defendendam celeriter reuerſurum. Hoc à Gotthis conſilio collaudato, Siluerium pontificem, & ſenatum, ac populum ad fidem erga Gotthos tuendam hortatus eſt, iuſtiſſimo Theodorici Imperio memorato, atque, eis in hæc verba ſacramento adactis, & quattuor Gotthorum millibus cuſtodiæ vrbis cum Laudere præfecto relictis, cum cetero exercitu Rauennam contendit, multis ſenatorij ordinis obſidum loco ſecum adductis. quò vbi peruenit, vt Imperium magis ſtabiliret, Mataſuentam Amalaſuentæ filiam, virginem eximiæ pulchritudinis, vxorem ſibi deſpondit, & Gotthos ex omni Italia contractos armis inſtruxit. Paulo antè Theodahatus, cum citimam Galliæ portiunculam Francis ſe remiſſurum, & aureorum viginti millia traditurum, ſi ſibi aduerſus Beliſarium

auxilio

auxilio essent, spopondisset, rebus nondum absolutis, erat mortuus. itaque Gotthi adhuc, duce Martia, illam regionem tenebant. Hos igitur Vitiges cum se nec tuto suis subsidio venire, neque satis aduersus Francorum impetum roboris videret habere, si ipse Romam cum vniuerso exercitu se reciperet, primoribus adhibitis ita disseruit; præstare, vt Francis Galliam, & promissam à Theodahato pecuniam darent, quàm committere, vt se cum Belisario iungerent. facile enim post partam victoriam amissa recuperari omnia posse. atque ita extemplo legatos, qui Galliam, & pecuniam traderent, ac societatem cum Francis componerent, misit. hi fuere reges Childebertus, Theodebertus, & Clotharius, qui, partitis inter se pecuniis, amicitiam pepigerunt, ita tamen, vt clam se summissuros ex alienigenis subsidia dicerent. nam aperte arma aduersus Romanos sociare non posse, quòd paulo antè promisissent, Imperatori se auxilia præstituros. quibus rebus confectis, legati Romam redierunt. & Vitiges Gotthos, ac ducem Martiam ex Gallia reuocauit. Dum hæc à Gotthis aguntur, Belisarius Neapolim, itemq; Cumas præsidio confirmauit. neq; enim vllus alius munitus erat in Campania locus. Romani vero eundem Romæ exitum fore, qui fuerat Neapoli, veriti, Siluerio pontifice cohortâte, Fidelium Mediolanensem, Athalarici quondam quæstorem, ad Belisarium miserunt, monitum, se, si propius accessisset, vrbem tradituros. quo nuncio accepto, ille via Latina iter ingressus est, Appia ad læuam dimissa. Hoc cognito, Gotthi, qui se propter paucitatem defendere vrbem non posse videbant, permittentibus Romanis, Rauennam abierunt, Leudere præfecto præ pudore præsentis fortunæ manente. contigit autem, vt eodem die Gotthi porta Flaminia exirent, & Belisarius Asinaria exercitum induceret. is vero fuit IIII Idus Decembris, vt Euagrius, & Anastasius scripsit. Belisarius ingressus Leuderem præfectum, & claues portarum vrbis ad Iustinianum propere misit, atq; e uestigio mœnia multis in locis collapsa sarcire instituit. & propugnaculis prominentioribus factis à læuo latere muri structuram aliam excitauit, &, ne ab ea parte, dum sui cum hoste contēderent, ab iis, qui ad sinistram mœnia oppugnarent, peti posset, fossam circa muros altiorem perduxit. Romani vt singularem Belisarij in extruendis propugnaculis solertiam mirifice collaudabant, sic maxima admiratione afficiebantur, si obsidionem timeret, cur sibi vrbē ineundam putasset, & quonam pacto in angustiis rei frumentariæ in vrbe longe à mari remota obsidionem laturus esset, in tam lato præsertim murorum ambitu, & vrbe hostilibus tam facile incursibus patente. Quæ vbi Belisarius accepit, omnia ad tolerandam obsidionem necessaria præparauit. nam & frumentum ex Sicilia aduehendum curauit, atque in publica horrea contulit. & Romanos ex agris in vrbem omnia comportare coegit, ac murorum ambitum ad Tiberim vsque muniuit. Interim Samnium, Calabria, & Apulia, ac demum etiam Beneuentum in potestatem Belisarij deditione venerunt. quo pacto Italia tota à freto Romam vsque iuris Romani effecta est. Tuscia inde eius iussu per Massagetas duces, Narnia per Bessam, Spoletum, & Perusia, & alia circumiecta loca per Constantinum recepta. quibus nunciis exterritus Vitiges, Vnilam, & Pissam præfectos cum valido exercitu eis obiecit. qui non longe à Perusia cum Constantino congressi, post ancipitem pugnam, amissis omnibus, in potestatem eius venerunt. Vitiges, dum Martiam cum Gotthis ex Gallia opperitur, Asinarium, & Vligislaum præfectos in Dalmatiam cum maximis copiis misit, datis mandatis, vt ex locis Sauo propinquis barbaros excirent, & Salonam inuaderent, ac classe summissa oppidum terra, marique circumsederent. Asinarius in Sauiam profectus barbaros conscripsit, Vligislaus, solis Gotthis adhibitis, in Liburnia apud Scardonam cum Romanis cōflixit, & in oppidum Burnum fuga se referre coegit. Constantinus autem de apparatu Asinarij certior factus Salonæ timens, omnes, qui in præsidiis erant, monuit, vt se fossa munirent. atq; ad ferendam, si admoueretur, obsidionem se comparauit. Asinarius inde cum Vligislao coniunctus accessit Salonam, &, castris ad vrbem locatis, & militibus in naues impositis vrbem terra, mariq; cœpit oppugnare. Romani vero, eruptione ex vrbe facta, in naues inuecti alias in fugam egerunt, alias demerserunt, quasdam etiam vnà cum militibus in potestatem redegerunt. quare Gotthi obsidionē vrgere eò acrius

537 instituerunt. Postero inde anno, quem post consulatum Belisarij secundum appellabant, Vitiges cum vniuerso exercitu equitum, peditúmque centum quinquaginta millibus iter Romam Februario mense intendit, tanta vrbis potiundæ fiducia, vt obuios rogaret, num Belisarium Romæ deprehensurus esset. neque enim illum se expectaturum putabat. eius aduentu cognito, Belisarius Bessam, & Constantinum ad se venire, relictis in oppidis Tusciæ præsidiis, iussit. ob id Constantinus, paruo Perusiæ, & Spoleti præsidio constituto, mature discessit. Bessas autem, dum lentius agit, in suburbanis Narniæ à præcursoribus Vitigis deprehensus prœlium conserit, mox ab ingruente multitudine pressus Narniam se recipit, ac, militibus quibusdam custodiæ relictis, cum reliquis Romam ire contendit. Vitiges vnum Belisarium petens, Perusiam, Spoletum, & Narniam sibi non putauit attingenda, ac per agrum Sabinum ad pontem Anienis accessit, tribus passuum millibus ab vrbe distantem. ad quem Belisarius turrim constituerat, ac præsidium imposuerat, vt aliquantisper incursum hostium retardaret, quoad Romani ex agris in vrbem necessaria comportarent. noctu vero qui in præsidio pontis erant, multitudinem Gotthorum conspicati, clam eruptione facta, in Campaniam secesserunt. itaque sequenti die Gotthi, refractis turris foribus, transierunt. Belisarius autem huius irruptionis ignarus cum mille equitibus ad pontem pergere cœpit, locum exploraturus, vbi castra commodius collocaret. atque ita ex inopinato in hostes incidit pontem traiicientes, atque inuitus cum nonnullis eorum manum conseruit. cum autem equo insigni veheretur, Gotthi à transfugis eum Belisarium esse edocti, omnes in eum iaculari, hortantibus se inuicem singulis, instituerunt. ille vero se in omnes partes conuertens, quos obuios habebat, obtruncabat. quo minus autem hostium telis obrueretur, armigeri eius prohibuerunt, qui prælatis clypeis conuolantes vndiq; sagittas exceperunt, & superuenientes Gotthos vmbone propulsauerunt. hoc in certamine Gotthi non minus mille hominum, eorumq; fortissimorum desiderarunt. Belisarius etiam multos, eosq; præstantes, in primisq; Maxentium armigerum perdidit, fortuna in eo secundissima vsus, quòd ab omnibus petitus nullo vulnere sit affectus. Romani Gotthos equites vsque ad castra fugarunt, inde à peditibus integris, equitibusq; adiunctis repulsi sese in collem proximum receperunt. atq; inde deiecti equestri prœlio facto, Gotthis in terga hærentibus, ad portam Salariam peruenerunt. quam custodes aperire detrectarunt, veriti, ne simul cum suis hostes reciperent. neq; enim Belisarium, vt qui cruore oblitus esset, internoscere despiciendo è turribus poterant. præsertim vero cum eum in acie cecidisse, primi nuncij detulissent. Cum autem Gotthi, confluentibus auxilio suis, fossam transire, & Romanos inuadere statuissent, Romani sub murum, & in citeriore parte fossæ globum fecerunt, ac, Belisario duce, vno agmine in hostes incurrerunt, atque repentina per tenebras impressione adeo perculerunt, vt omnes in fugam se dederint. quos Belisarius non magno spacio insectatus, in vrbem ilico se recepit. prœlium oriente Sole cœptum in noctem vsq; productum est. Belisarius, militibus omnib. in muros contractis ignes multos fieri, & per totam noctē vigilias agi iussit, ac mœnia lustrans, singulis portis aliquem è primorib. præfecit, &, ne loco iniussu suo mouerētur, præcepit. Inter hæc Vitigis iussu Satrapa quidā ad portam Salariam progressus, Romanis perfidiam, & imprudētiam obiectauit, quòd à fortissimis Gotthis ad imbelles Græculos defecissent, qui se tueri non possent. Belisarius vero Romanos hortatus est, vt bonū animum haberent, & Gotthos celeriter euersum iri sperarent. in quo multis risum exciuit, cōsiderantibus, ipsum ægre ex eorum manibus euasisse. &, cum multum noctis processisset, atq; adhuc ieiunus esset, vix ab Antonina coniuge, & suis, vt aliquid cibi sumeret, est inductus. Postridie Gotthi obsidionem vrbis instituerunt mēse Martio, Procopio, atq; Anastasio testibus. habebat ambitus vrbis portas quattuordecim, & portulas quasdam. hanc cum Gotthi pro magnitudine circumdare vniuersam nō possent, sena castra ad portarū intercapedines posuerunt. septima vero vltra fluuium Neronianis in campis fixerunt. his Martia dux prępositus est, ceterisq; singulis singuli. His actis, omnia opera, quib. aqua in vrbē inducebatur, intercidi sunt cœpta. Belisarius autem custodes in muris disposuit, muros ab vtraq; parte

Tiberis

Tiberis extruxit, ac sibi Pincianam, & Salariam portam custodiendam assumpsit, quòd ab ea parte facilior esset vrbis oppugnatio, & Romanis inde in hostes exitus pateret. Prænestinæ Bessam, Flaminiæ Constantianum præfecit. quam prius inædificatam ingenti mole obstruxerat. intercisis aquæductibus, non solum vsus aquæ ad potum, sed etiam ad molenda frumenta ademptus est. accedebat, quòd neque iumenta ad versandas eius muneris caussa molas suppetebant, quòd vix necessarios ad bellum equos tolerarent. huic incommodo Belisarius hoc remedij attulit. Sub fornice pontis ad Ianiculum pertinentis lembos cum molis collocauit, easq; vi aquæ per angustum decurrentis volui instituit. qua re animaduersa, Vitiges magnos arborum stipides, & cadauera Romanorum nuper interfectorum flumine demisit, atque eis in scaphas deferendis molarum machinas labefecit. Belisarius autem, ne detrimentum ex ea re acciperet, ferreas cathenas à ponte suspensas in vtrasque ripas transmisit, atque ita omnia, quæ flumine deuoluebantur, aggerata detinuit, ac postea in terram attraxit. atque ita hostium conatus elusit. Balnearum tamen vsui, & aquæ potui non potuit subueniri. itaque, cum neque curari, neque lauari, neque potare multitudo posset, ac præterea mœnibus custodiendis inuigilare assidue cogeretur, atq; agros, & tecta sua vri à Gotthis ex mœnibus prospectaret, ægre ferre cœpit, quòd tantis malis insons afficeretur. itaque Belisario liberius maledicere, quòd sine idoneo præsidio ausus esset cum Gotthis bellum suscipere, atque eadem etiam senatores ei exprobrare. quibus rebus cognitis, Vitiges, vt res Romanas maiore tumultu misceret, oratores in vrbem misit, qui ad Belisarium, præsentibus senatoribus, & exercitus ducibus, ita loquuti sunt: Si viribus suis confisus hoc bellum intulisset, posse eum è muris Gotthorum copias cum suis comparare, si audacia, fore, vt breui temeritatis suæ pœniteret. proinde ne Romanos diutius miseros haberet, quos Theodoricus florentissimos esse & beatissimos voluisset. nec regi Italorum, atque Gotthorum resisteret, cum ipse inclusus, ac de se solicitus Romæ sederet. Vitigem liberam ipsi abeundi potestatem permittere, Romanis, venia proditionis facta, pristinam benignitatem spondere. quibus Belisarius, belli arbitrium non in eorum esse potestate, sed sua. se autem daturum operam, vt Gotthi vix locum inter senticeta ad caput occulendum reperiant. se, cum Romam cepit, alienum nihil occupauisse. Gotthos prædonum more eam cepisse, atque, inuitis pristinis possessoribus, tenuisse. falli autem, si se eam recuperaturos sperent. eius certe voti, viuente Belisario, compotes non futuros. Romanis tacentibus, neque ad ea, quæ de proditione illi dixerant, respondentibus, Fidelius vir antiquæ virtutis Gotthos irrisit, & ea, quæ dixerant, refutauit. Legati in castra reuersi roganti Vitigi, quo animo esset Belisarius, nunquam eum metu cessurum asseruerunt. hac ille spe destitutus animum ad oppugnationem vrbis adiecit. itaque turres ligneas construxit, quæ murorum altitudinem adæquabant, atque eis ad angulos rotas subiecit, à bobus quocunque ipse vellet, adducendas. scalas multas parauit, quæ ad pinnas vsque pertingerent, arietes ingentes expediuit, quibus admotis muros vehementius verberaret. ligna, arundines, & cetera eiusmodi congessit, vt fossas æquaret, & per eas ad muros machinationes adduceret. inde post viginti dies has promouere machinas cœpit. ac Romanos conspicantes ipsarum nouitate, ac magnitudine obstupefecit. Belisarius vero instructam aciem cum machinis aduentantem prospectans, in risum prorupit, ac quiescere milites, donec signum accepissent, præcepit. postquam illi fossæ appropinquarunt, ipse primus in armatum quendam hostium ducem arcum intendit, ac, gutture iaculo traiecto, ad terram strauit, inde in alterum iaculatus pariter morte affecit. ex quo animus Romanis, & spes futuræ victoriæ ex tam felici principio accessit. inde, signo dato, sagittas iacere exercitum innuit vniuersum. itaq;, cadentibus repente bubus, machinæ constiterunt. ex quo Gotthorum consilium ludibrio fuit, qui se boues impune ad muros putarunt posse adducere. hac ratione propulsus à mœnibus Vitiges, ingenti Gotthorum manu ibi relicta, quæ telis in propugnacula iaciendis Belisario recedendi potestatem adimeret, ad alteram muri partem circa portam Prænestinam, quam Viuarium appellabant, reliquos duxit, machinis,

arietibus, ac turribus aliis eo secum adductis. quæ dum aguntur, alia manus ex altera parte portam Aureliam, quæ S. Petri iam tum dicebatur, inuasit, hoc modo. Erat extra portam moles Hadriani ad lapidis iactum procul à mœnibus, quæ porrectis muris eorũ quasi pars effecta turris altissimæ speciem referebat. hanc leui præsidio Constantianus tenebat, quòd murus subterlabente flumine non poterat oppugnari. Cum autem audisset, hostes flumen transire velle, muro diffisus, qui ad fluuium erat, cum paucis eo accurrit, maiore parte ad portam, & molẽ custodiendam relicta. Gotthi vero portam, & molem sine machinis inuaserunt. scalas inde afferentes multitudine sagittarum custodes deterruere, prætentisque scutis Persicis, ad mœnia successere, & sub porticum ædis Sancti Petri furtim venere. inde, cum de improuiso apparuissent, ita rem aggrediuntur, vt Romani ne balista quidem vti in eos possent. tum validius incumbere, ac crebris sagittis propugnacula lacerare, & scalas admouere. ita circunuenti qui de mole pugnabant, ac de se soliciti, statuis ipsius molis diffractis, ingentia fragmenta in hostium capita deuoluerunt, atque ita oppugnationem remittere coëgerunt, atque ingenti clamore propellentes, ac tormentis insectantes in magnum tumultum coniecerunt. Constantianus autem, fugatis eis, qui transitum amnis tentarant, pedem rettulit. Ad portam Pancratianam cum Gotthi peruenissent, propter loci accliuitatem nihil profecere. Flaminia non est tentata, vt præcipiti loco sita. Non longe à Pinciana erat muri pars lapidum laxata compage soluta, ab imo ad summũ scissa, & reliquo muro modo prominentior, modo retractior. quam cum instaurare Belisarius vellet, restitere Romani, S. Petrum eius curam suscepturum asseuerantes. ea pars à Gotthis intacta miraculo omnibus fuit. Apud Salariam Gotthus quidam proceræ staturæ haudquaquam inter suos obscurus arbori propinquæ insidens, cum sagittando propugnacula diuexaret, notabili casu oppressus est. siquidem tormento à Romanis ad læuam turris ex improuiso locato traiectus arbori, veruto in stipitem altius descendente, affixus est. quâ re conspecta, Gotthi exterriti extra sagittæ iactum recessere, neq; amplius molesti propugnaculis extitere. Bessas autem, Paraniusque, vbi Vitigem acrius è regione Viuarij insistentem videre, Belisarium statim sui auxilio euocauerunt. cuius aduentu, & oratione milites recreati sunt. erat ab ea parte locus planior, & ad inuadendum opportunior, muro ita dissoluto, vt lateres haud multum in sua compage consisterent. huic vero muro alium veteres sine propugnaculis adiecerant, atq; intra eum leones, & alias bestias coniecerant, vnde Viuarium dicebatur. hunc igitur exteriorem murum suffodi Vitiges iussit, quòd, eo occupato, facile se potiturum mœnibus vrbis inualidis confidebat. quod vt Belisarius sensit, paucis in propugnaculis relictis, quidquid roboris erat, apud se tenuit, & ensibus tantum instructos ad portas traduxit. & Cyprianum in Gotthos Viuarium irrumpentes immisit, quibus obtruncatis, ac reliquis in angustiis, dum euadere tentarent, tumultum agentibus, Belisarius apertis portis copias vniuersas emittit, atq; omnes in fugam præcipites agit, & postremos carpendo concidit, ac, ceteris in castra compulsis, machinis incendium intulit. quæ flamma altius excitata maiorem hostibus pauorem incussit. eadem fortuna ad portam Salariam dimicatum est. ex ea enim erumpentes Romani, fugatis, cæsisq; hostibus, etiam machinas incenderunt. ita ab omni parte à muris abscessum est. ex Gotthis triginta millia desiderati, multo plures vulnerati. nocte sequenti vtrinque vigilatum. Gotthi mœsti pro castris stationes habuerũt. Romani in muris alacres triumpharunt, & partis hostium spoliis Belisarium in cœlum laudibus extulerunt. Belisarius litteras ad Iustinianum misit, in quibus, rebus, quas gessisset, expositis, (quoniam maiorem partem in Siciliæ, & Italiæ præsidiis reliquisset,) sibi tantum quinque hominum millia relicta esse docuit, se vero oppugnari ab hostibus hominum sexaginta millibus. rogare, vt arma, & supplementum mitteret, quo paribus viribus aduersus hostes posset consistere, idque eum cum dedecoris fugiendi caussa, tum Romanorum salutis gratia enixe facere oportere. Romæ vrbis amplissimum ambitum esse, neque nisi maximo hominum numero custodiri posse Romanos, obsidione procedente, facile animos mutaturos aut necessitate, & fame adactos ad hostem transituros. se vero non nisi

morte

morte cessurum. Postridie vero edixit,vt Romani vxores,& liberos, & imbellem multitudinem, ac seruos ad vrbis custodiam non necessarios Neapolim transportarent.non enim se posse ex diutina obsidione consuetudinem in præbendo commeatu seruare, sed dimidiatam solummodo annonæ portionem in dies singulos diuisurum,pro reliqua vero pecuniam præbiturum.omnes paruerunt, atq; alij mari, alij via Appia in Campaniam contenderunt. neq; enim vllum ab hostibus periculum erat, cum totam vrbem non cingerent, nec parua manu abscedere à castris auderent.alij ex Campania in Siciliam,aut quo cuiq; commodius fuit, sunt auecti. inde cohortes militibus semiplenas ex ciuibus licet imbellibus suppleuit, & onera custodiarum subire vigilando præcepit. Theodora Augusta à Vigilio de Siluerio pontifice ante suum aduentum creato certior facta, quòd à Vigilio elicuerat, id ipsum à Siluerio quoq; contendere non dubitauit,vt,Mena episcopo deiecto, Anthimum restitueret. quod vbi Siluerius accepit, licet horroris plenus,nequaquã se commissurum,vt hominem legitime condemnatum reduceret,dixit.quo responso illa incensa mandata ad Belisarium misit, vt Siluerium de sede excogitata caussa deiiceret, atq; ei Vigilium subrogaret.ita, dolo in caput Siluerij composito, Marcus scholasticus, & Iulianus prætorianus repente crimen in Siluerium detulere, nempe ipsum litteras ad Vitigem scripsisse, vt ad portam Asinariam iuxta Lateranum veniret,nam se ei vrbem cum Belisario traditurum. quibus productis, Belisarius, cum VI Idus Maias XV indictione in ædes Pincianas se contulisset, eo nomine Siluerium ad se vocauit, sed clam in auctoritate esse Augustæ præcepit. Siluerius autem,imperio eiusmodi detrectato, abiens, in basilicam S. Sabinæ se contulit.deinde Photio Antoninæ filio misso, interposito incolumitatis sacramento, reuocatus,licet dissuadentibus amicis,repetiit. VI inde Kalen.Iunias iam tertium accersitus,licet apertas iam cernens insidias, adiit. verum tum solus ad Belisarium, & Antoninam est intromissus. eo vero vbi venit, dum ab Antonina de proditione conflata interrogatur, subdiaconus primæ regionis pallium de collo eius abripuit, &,pontificio ornatu detracto, monachi vestimentum iniecit. quo facto, Sixtus regionis sextæ subdiaconus egressus foras clero nunciauit, Siluerium pontificatu se abdicasse,& monachum induisse. proinde se ad alium pontificem subrogandum pararent.inde post sex dierum spacium Vigilius Belisarij suffragatione suffectus est. Siluerius autem Pataras in Lyciam relegatus est. huius mali auctorem Vigilium fuisse sensit Siluerius,cum biduo antè,id est, VIII Kal.Iunij scripsit ad eum, ipsum, Bonifacio viuente, sedem eius ambisse, tum vero nouum scelus in sedem Apostolicam inducere tentare,vt,se depulso,locum suum inuadat. IX inde Kal.Decemb. Amatori episcopo de statu suo querenti sic respondit: *Quibus malis affectus sim, exponere omnia nequeo. in primis Patricia mihi infesta erat, quòd non restituebam Anthimũ suis meritis ab Agapeto decessore meo ecclesia Constantinopolitana depulsum. iussu etiam eius exorti sunt testes, qui ea mihi crimina intulerunt, quorum insons sum. Cum autem multi de illa accusatione laborarent, timuit Belisarius, & me ad se pacate adire iussit pro quibusdam Ecclesiæ negotiis in Palatium Pincianum & ad primum, ac secundum velum retinuit omnem clerum, ac populum, qui mecum erat, & me solum, ac Vigilium diaconum meum introire permisit. quem retentum, & ante Patriciam deductum miserunt in exilium, in quo ego sustentor pane tribulationis, & aqua angustiæ. ego propterea non dimisi, nec dimitto officium meum, sed cum episcopis, quos congregari potui, eos, qui talia erga me commiserunt, anathemate perculi. & vna cum eis Apostolica, & synodali auctoritate statui, ne quis eo modo decipiatur, quo ego deceptus sum. similiter sanctorum patrum decreta cõfirmans, decreui nec falsos, nec inimicos accusatores, aut testes aduersus episcopos admitti oportere. neque eis obesse posse.* Hoc crimen proditionis, quod in Siluerio fictũ fuit, in quibusdam senatoribus locum inuenit. quos vt suspectos, teste Procopio, Belisarius eiecit. claues portarũ, atq; custodes earum in singulos mẽses mutauit, & singulis noctibus alios, aliosq; vigilibus ipsis præfecit. & milites ad fossas excubituros canes secum habere voluit, vt nemo vel è longinquo mœnia inuasurus lateret. Per eosdem dies fuere, qui Gentilium reuocare consuetudinem voluerunt. vt Ianum in bello aperirent. qui ad pœnas conquisiti deprehendi non potuerunt. his incommodis Vitiges inflammatus Rauennæ sena-

tores Romanos, quos obsidum loco habebat, interimi iussit. ex quibus nonnulli in Liguriam euaserunt. hinc Portum oppidum nullis stationibus custoditum occupauit, &, mille hominibus in præsidio relictis, ad castra reuertit. ita, cum ab ea parte per Tiberim commeatus sublata subuectio esset, (neque enim ab Hostia nauigatio idonea erat,) naues ad Antium onera exponere cogebantur, quod iter vnius diei distabat ab Hostia. atque inde magno labore ad vrbem referebantur. hæc viginti diebus Vitiges ab vrbis oppugnatione perfecit. Interim Martinus, & Valerianus Constantinopoli militum supplementum adducentes, ad Belisarium peruenere. quorum maxima pars Hunni erant, Sclauini, & Antæ trans fluuium Istrum habitantes. eorum aduentu erectus Belisarius Gotthos leui excursione lacessendos putauit. ac Traianum ducem cum ducentis equitibus scutatis aduersus eos iussit exire, & ad eum progressos proximum tumulum occupare; & si ab hostibus peterentur, sagittis eos propellere; quibus deficientibus, fugam capessere, & sese ad vrbem recipere. nam tormenta, & artifices in muris paratos habebat, qui illos auidius insectantes sagittis conficerent. Traianus egressus mandata omnia diligenter expleuit. ita ex Gotthis ad vrbē procursantibus non minus mille occisi. Paucis pòst diebus Mundilam, & Diogenem cum trecentis equitibus egredi, atq; hostem ad se attrahere eodem artificio iussit. atque ita non minus tum quoque hostium ex mœnibus interfecit. tertio Oilandum cum trecentis delectis emisit. atq; ita tum quoq; rem ex sententia gessit. his tribus eruptionib. Gotthorum quatuor millia absumpta sunt. hunc morem Vitiges imitatus, equites quingentos emisit. quibus ad locum editiorem non longe ab vrbe progressis, Belisarius Bessam cum mille delectis viris obiecit, atque à tergo adortus, multis obtruncatis, ceteros in campum descendere compulit, & aduerso prœlio pugnantes cæcidit. pauci, qui in castra redierunt, ab Vitige tanquam ignaui, socordesque increpiti. post tertium inde diem trecentos delectos ex omnibus castris emissos Martinus, & Valerianus cum mille, & quingentis egressi exceperunt, &, prœlio equestri facto, in fugam versos ad vnum occiderunt. quibus ex cladibus ingens in castris Gotthorum pauor est ortus. Romani vero Belisarium laudare, ac pro miraculo virtutes eius suspicere, quòd paucis multos deleret. inde Gotthi neque muris insultare, neque Romanos insequi, sed eos tantum à castris arcere. Posthæc Belisarius Romanorum id petentium voluntate commotus vniuersi prœlij fortunam experiendam censuit, atque idem etiam Gotthi tot aduersis eruptionibus fessi cupiebant. itaque, re vtrinque constituta, Belisarius Romanos ita est alloquutus; se, non quòd hostium vires timeret, aut militum virtuti diffideret, hucusque prœlium distulisse, sed quia ex incursione agendo res prospere succedebat. nunc quoniam eos summa pugnandi cupiditate ardere videret, se eorum studium non moraturum. ac satis se scire, maximas copias ab exiguis virtute sæpe deuictas. orare, ne pristinam militiæ gloriam, & spem victoriæ alacritate sua ostentatam minus constanter, fortitérve pugnando corrumpant. atq;, his dictis, inter portam Pincianam, & Salariam exercitum eduxit, paucis in campos Neronianos cum Valentino equitum præfecto præmissis, qui initium pugnæ facerent, neque hostium castris appropinquarent. sed tantum se assidue impetum facturos ostenderent. opifices autem, & rei bellicæ rudes cum reiecisset, ne in medio pauentes certamine omnia perturbarent, hos tamē omnes vltra portam Pancratianam supra Tiberim collocauit, vt ibi quiescerent, donec signum accepissent. Ab altera parte Vitiges ad suos loquutus, mala omnia, quæ illis patienda essent, si penes Romanos victoria esset, exposuit, atque exemplum eis Vandalorum proposuit, qui, regno amisso, in seruitutem vna cum coniugibus, & liberis essent abstracti. victoriam eos relaturos, si virtutis pristinæ memores morti libertatem prætulerint. nam ipsos non solum multitudine, sed etiam fortitudine longe præstare. Græcos autem maiora viribus Gotthorum inflatos malis audere. atque, his dictis, inde aciem ad prœlium instruit, peditibus in medio, equitibus in cornibus collocatis. Prima luce vtrinque concursum est. vbi Romana res superior fuit, & Gotthi sagittis icti cadebant, sed tamen, in locum cadentium succedentibus propere aliis, nulla inclinatio fiebat. demum Gotthi, multis amissis, in castra compulsi

se re-

se receperunt. In Neronianis autem campis Gotthos sæpe Romani, Valentino duce, lacessiuerunt. verum illi haudquaquam se commouerunt, turbam opificum imbellem timentes, ac milites strenuos, qui opifices essent, rati, eosque insidiarum tempus quiescendo expectare arbitrati. inclinante in meridiem sole, à Romanis repente irruentibus tandem pulsi in proximos colles se subduxerunt. atque inde, cum aliquantisper quieuissent, Romanos in castra se recepisse sua cõspicati, ex improuiso eruptionem fecerunt, & in turbam inconditam, atq; in auehenda præda impeditã incurrerunt. eamq; partim conciderunt, partim castra sua deserere compulerunt. Dum hæc in Neronianis campis geruntur, alter Gotthorum exercitus quàm proxime castra scutis munitus, dum se ab inuadentibus Romanis tuetur, magnam equorum edidit stragẽ. qua ex re Romani alij vulneribus acceptis, alij equis amissis, prœlij ardorem remiserunt. qua re animaduersa, Gotthorum equites ex dextro cornu in hostes inuadunt, & Romanos ad peditatum se referre compellũt. quem impetum cum sustinere pedites nõ possent, vno cum equitibus agminẽ diffugere, atq;, hostibus incumbentibus, cecidere. Pigripio duce in acie post multas res fortiter gestas occiso, Tarmutus dux alter vulneribus plenus aufugit. atque ad portam Pincianam progressus, ibi procubuit. & sublatus à commilitonibus post duorum dierum spaciũ expirauit. ea re perculsi Romani custodias intentius egere, & portas occlusere, & suos tumultuosius ad portas refugiẽtes, ne simul hostes reciperent, exclusere. quos insequuti vsq; ad fossas Gotthi, vbi Romanos suorum iam pereuntium auxilio exire viderunt, in castra se receperũt. Romani inde ab summo prœlio abstinentes, ad equestres collusiones se rettulerunt, atq; ita felicius rem gesserunt, cum equitatum pedites sequerentur. hoc modo Bessas, cum in medium processisset, tres equites Gotthorum fortissimos strauit, reliquos in fugam dedit. Constantinus, cum sub vesperam cum Hunnis in campos Neronianos exisset, hostium multitudine circunuentus ad pedes cum suis descendit, atq; in angustas ad Stadium ferentes vias se recepit. vnde Gotthis magnam impune cladem intulit. nam, dimidia suorum parte amissa, fugæ se dare sub occasum solis coëgit. Post aliquot dies Peranius per Salariam portam egressus, cum, fusis Gotthis, ipse conuerso impetu fugaretur, Romanus miles in foueam profundã delabitur. vnde, cum nec vocem edere, quia in proximo Gotthi erant, auderet, neq; vllo pacto suo nixu euadere posset, ibi noctem vnam animi anxius mansit. postridie, Gotthis rursus in fugam actis, Gotthus simili casu in eandem fossam est lapsus. ibi ambo in communi periculo socij facti fidem inter se dederunt, se inuicem seruaturos. deinde ambo vociferari validissime instituerunt. quibus auditis, cum proximi ad foueam accurrissent, cuius nam ea vox esset, rogarunt. tum Gotthus, Romano de industria subticente (nam ita vtrique placuerat) patria lingua respondit, se nuper in eam ex fuga foueam decidisse, & vt restem demitterent, obsecrare. Illi, demisso fune, cum Gotthum se attrahere ducerent, Romanũ traxerunt. ac, caussa calamitatis accepta, inde etiam Gotthum eduxerunt. qui cum suos de fide Romano data docuisset, eum impune dimittendum curauit. hinc sæpe vtrinq; equites exire, & prœlium cõmissum ad singulare certamen deducere, fortuna semper Romano fauente. Iam Romani ab re frumentaria laborare incipiebant. itaq; Gotthi enixe curare cœperunt, ne quid rerum necessariarũ in vrbem inueheretur, præsidio equitum inter duos aquæductus, qui via Latina sunt, posito, atq; munito. cum autem frumenta iam maturescerent, Romanorum audacissimi equis insidentes, & alios vacuos secum trahentes, noctu in segetes haud procul vrbe ruebãt, desectasq; iumẽto imponebant, atq; hostium præsidium fallẽdo in vrbem deferebant. ingentiq; precio primoribus Romanorũ vendebant. ceteri humiliores homines ex herbis vitã quærebant, quales intra mœnia sponte nasci solent. quibus etiam abunde suppetentibus equos alebant. quidam etiã farcimina ex carne morientium iumẽtorum confecta vendebant. quibus præsidiis deficiẽtibus, Romani, ineunte autumno, non solum inedia, sed etiam pestilentia laborare cœperunt. qua re cognita, Gotthi à prœlio cum eis committendo se abstinuerunt. Per eosdem dies Attalus cum militari stipendio Constantinopoli Tarracinam accessit. qua re audita, Belisarius Martinum, &

Valerianum in campis Neronianis, & à Pancratiana porta equites sexcentos emisit, qui cum occurrentibus Gotthis manum conseruere. cumque vtrisque laborantibus subsidia subuenissent, acriore pugna facta Gotthi saucij in castra compulsi. quæ dum fiunt, Attalus cum pecunia Gotthis in certamen auersis, incolumis ab equitibus Belisarij exceptus in vrbem peruenit. Duobus malis, quæ humana superare natura non potest, fame, ac pestilentia fatigati Romani, petiere à Belisario, vt prœlio vno de summa rerum decerneret, neminem ei se subtracturum. neque enim ad tantas vltra perferendas miserias, aut vires, aut animum superesse. Belisarius eos consolatus, pugnam se differre in aduentum exercitus, & classis, quam Constantinopoli expectabat, respondit. ac proinde, vt malorum acerbitatem subirent, & pugnæ ardorem in id tempus continerent, orauit. inde Procopium, à quo hanc historiam scriptam tanta diligentia sumpsimus, in Campaniam ad frumentum deuehendum, & milites, equitesque colligendos misit. equitesque emisit, vt rerum necessariarum in hostium castra conuectionem, atque excursionem impedirent, & laxata in vrbe penuria eos obsiderent potius, quàm obsidionem perferrent. Antoninam coniugem Neapolim, vt à tumultu remotior esset, Magnum, & Sinditem duces Tibur, aliosque Albam in præsidium destinauit. Valerianum cum Hunnis prope ædem S. Pauli à Gotthis inuiolatam, atque iuxta fluminis ripam considere ad hostium excursiones coërcendas præcepit, atque muros tueri sine eruptione constituit. igitur, cum Gotthi necessaria conuehere in castra non possent, & ipsi in pestilentiam inciderunt, quæ magnam vim hominum sustulit. Procopius in Campania milites quadringentos contraxit, & frumenti maximum numerum in naues imposuit, & vna cum Antonina classis curam suscepit. Constantinopoli vero Neapolim peruenerunt tria millia Isaurorum, Paulo, & Conone ducibus; ad Hydruntem vero Thraces equites octingenti, Ioanne duce, quos vt incolumes in vrbem Belisarius adduceret, prœlio sibi lacessendos hostes à porta maximè auersa putauit. itaque; Flaminiæ portæ mole summota, per Pincianam Traianum, & Diogenem cum equitibus mille emisit, iussos, vt hostes irritarent, atque ad se insequendum vsque ad muros attraherent. quo facto Gotthi prouocati è castris omnibus prodiere, atque hos simulatam fugam capientes insequuti, vsque ad muros venere. quibus conspectis, Belisarius repente exercitum Flaminia porta eduxit, atque inopinantes adortus ad castra præcipites egit. quæ quo minus caperet, magna intercedente fossa effectum est. Gotthi inde de victoria desperare cœperunt, partim à pestilentia, partim à Romanis ita afflicti, vt ex magna multitudine ad paucos essent redacti, & verius iam obsidionem paterentur, quàm inferrent; omnibus rebus necessariis interclusi. vbi vero auxilia Romanis Constantinopoli venisse didicerunt, maiora etiam, quàm essent, fama referēte, futuros casus reformidantes; de soluenda obsidione consilium habuerunt, atque ea de re legatos ad Belisarium miserunt, qui in hunc modum verba fecerunt: Hoc bellum neutri parti prosperè cecidisse, si clades vtrinque acceptæ, & viri strenui amissi spectarentur. duces autem propriæ gloriæ salutem subiectorum præferre debere, atque ita omnes è medio difficultates remouere. se venisse, vt de bello dissoluendo agatur, ea præbendo, quæ vtrisq; sint profutura. Iussi inde dicere, quę peterent, addiderunt, se iniuriam passos à Romanis, quòd cum societate cum eis copulati fuissent, armis sint appetiti. Gotthos Italiam Odoacri, non Romanis eripuisse, idque Zenonem Imperatorem iussisse partim, vt terram suam exoneraret, partim, vt Odoacrem alienis armis, ac viribus vindicaret. Italia in potestatem adducta, se leges, ac Rempubl. Romanam seruasse. Theodoricum leges nullas nouas tulisse, neque religionem violasse, templa Romanorum in summo honore habuisse, atque omnibus, qui ad ea confugerint, pepercisse. magistratus Romanis tantum, Gotthorum nemini detulisse. Gotthos consularem dignitatem, licet donati ab Imperatore fuissent, respuisse. contrà vero Romanos iniuste facere, qui Odoacri Italiam inique possidenti permiserint, Vitigi vero optimo iure tenenti adimere velint. quamobrem æquum censere, vt ipsi abeant, & quæ sua sunt, sibi relinquant. Quibus Belisarius, falli eos vehementer, atque errare. nam Zenonem Theodoricum misisse, vt Odoacrem Italia pelleret,

non vt sibi Italiam vindicaret. neque enim eiusmodi ingenio fuisse, vt tyrannum tyranno præponeret, atque eam prouinciam tyrannide liberatam sibi subiiceret, Theodoricum parta victoria ingratum se præbuisse. in eodem crimine esse qui aliena eripiunt, & qui erepta non reddunt. se Italiam Imperatori traditurum, non alteri proditurum, neq; iniussu eius de bonis eiusdem statuturum. mitterent legatos ad eum, qui hæc deferrent, atq; interim res in induciis essent. se ad hæc paciscenda esse paratum. His acceptis, legati ad Vitigem redierunt. inde, legatis vltro citroque sæpius missis, de induciis agitatum. Interea Isauri classem ad portum applicuerunt, & Ioannis milites Hostiam peruenerunt. atque vtrique ibi se aduersus infestos incursus hostium confirmarunt. cum autem flumen ab hostibus seruaretur, per flumen onera subuehi non poterant. accedebat, quòd bobus labore confectis, neq; via quæ est à Portu Romam, trahendi facultas erat. nam altera, quæ est ab Hostia propter paludes adiri nullo modo poterat. itaq; maiores lembos delegerunt, & altius circunquaque contabularunt, vt nautæ, vectoresque sauciari non possent, ac sagittariis, oneribusq; simul impositis, prosperum nacti ventum nauigarunt, simul militibus, qui in altera erant ripa trahentibus, atq; Isaurorum nauibus subsequentibus. vbi vero ad locum quendam spirare ventus desiit, remis nixi rem prosperè confecerunt. His repetita sæpius nauigatione inuectis, nautæ discessere. iam enim hyems imminebat. Datis inde inuicem obsidibus, trium mensium induciæ pactæ, cum eo, vt interim ab excursionibus ocium esset, & legati Constantinopoli expectarentur. Eo anno Constantinopoli Iustinianus templum magnum Sanctæ Sophiæ dedicauit. quod olim à Constantino Maximo ædificatum, & nuper conflato in seditione incendio consumptum ipse tanta operis magnificentia restituerat, vt se vicisse in eo officio vel ipsam Salomonis gloriam prædicaret. Theodora vero Augusta Romam misit, qui Vigilium pontificem monerent, vt Anthimum, quemadmodum promiserat, ecclesiæ suæ restitueret. Cui Vigilius respondit, se haudquaquam adduci posse, vt hominem hæreticum, & ab Agapeto, ac Siluerio decessoribus suis damnatum restitueret. quod illa ægre tulit, sed vltionem in aliud tempus reseruauit. Postero anno Ioanne, & Volu- 538
siano consulibus, dum res in induciis erat, Antoninæ gener Hildigerus cum magno equitatu ex Libya Romam peruenit. Gotthi vero, Vitige non inuito, oppida Portum, & Centum cellas ad mare, & Albam in continenti vltro deseruerunt, quòd, mari à Romanis occupato, vnde alerentur, non erat. Quibus locis statim à Romanis occupatis, Vitiges per legatos se per inducias iniuria affectum expostulauit. eaque nisi redderentur, se impunitam rem non permissurum ostendit. quos Belisarius illusos dimisit. &, cum circa vrbanos vicos equites in hiberna misisset, Ioannem Vitaliani sororis filium cum suo equitatu Albam in Picenum ire iussit, monitum, vt, postquam solutas audisset inducias, repente in agrum Picenum excurreret, & Gotthos cum familiis in seruitutem adduceret, ac loca munita occuparet. Per eosdem dies Dacius episcopus Mediolanensis, atque eius ciuitatis primores ad Belisarium venerunt, petentes, vt modicum ad se præsidium mitteret. nam Mediolanum, & totam Liguriam ad eum defectionem esse facturam. Constantianus Maxentio preciosum pugionem abstulerat. qua re Maxentius ad Belisarium delata ius sibi reddi postulabat. Cum autem Constantianus ea de caussa Romam profectus pugionem reddere iuberetur, vsqueadeo ira est incitatus, vt acinace Belisarium appetierit. quare comprehensus iussu Belisarij est occisus. Manentibus adhuc induciis, Gotthi insidias occulte moliti sunt, quippe silentio noctis homines per aquæductum intercisum immiserunt. qui, cum ad medium vrbis venissent, & locum eum, vnde alias in curiam descensus erat, Belisarij prouidentia obstructum reperissent, lapide quodam extracto, infecta re, discesserunt. Quoniam autem lumen per aquæductum visum à vigilibus Romanis audiuit, licet illi lupi oculum se vidisse iactarent, explorari aquæductum præcepit. speculatores, cum lucernarum, & facum vestigia reperissent, & locum natassent, vnde lapidem extraxissent, dolum hostium retulerunt. itaque post aquæductus intentiore cura est custoditus. Vbi

dolus Gotthis non processit, vis tentata est. quippe hora prandij præter opinionem ad Portam Pincianam venerunt, vt, dum omnes auersi in cibum essent, muros inuaderent, quos vbi vidit Hildigerus, cum suis occurrit, eosque in fugam conuertit. clamore autem excepto cum Romani ad muros aduolauissent, Gotthi in proxima castra se receperunt. Ne vi quidem felicem euentum adepta, Vitiges iterum ad fraudem se contulit. Fratres duos Romanos, qui ædes prope Sanctum Petrum habebant, pecunia data, corrupit, vt vinum custodibus eius loci donarent, & potantibus eis singulis poculis medicamentum ad soporem inducendum, quod ipse dedisset, infunderent. & in altera fluminis ripa lembos cum militibus præparauit, qui, custodibus somno captis, flumen traiicerent, & admotis scalis in muros ascenderent. atque in eam occasionem exercitum vniuersum instruxit. sed res ab altero fratre Belisario prodita effectum non habuit. alter frater naso, & auribus desectis ad castra Gotthorum dimissus spem eorum infirmauit. His rebus solutas inducias Belisarius interpretatus, ad Ioannem in Picenum misit, vt mandata conficeret. ita ille cum equitibus mille circumuagatus vniuersa populari, liberos, vxoresque Gotthorum in seruitutem abducere, atque omnia ferro, flammaque vastare instituit. & Liteum Vitigis auunculum ad hæc mala prohibenda progressum occidit, eiusque copias deleuit. Inde præterito Auximo, & Vrbino, quòd munita oppida essent, Ariminum accessit, idq; Gotthis metu abeuntibus, cepit. qua re audita, Vitiges in timorem Rauennæ amittendæ adductus, (iam enim trium mensium induciæ exierant,) Roma discedere, & se Rauennam referre constituit, ac, castris omnibus incensis, legatorum reditu non expectato, abire cœpit. Procopius, & post eum omnes anno continuo, & nouem dies vrbem obsessam scripserunt. Quo constituto, cum cœpta obsidio Martio mense fuisset, sane apparet, eandem Martio quoq; mense solutam esse. quod monui, quia verba Procopij ingentibus inuoluta tenebris sunt. Belisarius, vbi dimidiam hostium partem pontem Miluium transisse animaduertit, Pinciana porta egressus, eos, qui nondum transiuerant, inuasit, ac, prœlio commisso, multos occidit. Quo tumultu dum primus quisq; pontem euadere nititur, in angustias adducti grauissime confligantur, & à Romanis impulsi flumen sese ex ponte demittunt. Tandem his elapsus angustiis Vitiges item Rauennam versus intendit, & cum præsidia in oppidis Tusciæ imposuisset, Clusio, Vrbeueto, Tuderto, & in Piceno Petra, Auximo, Vrbino, & Monteferetro ad recuperandum Ariminum maturauit. quo cognito, Belisarius Hildigerum, & Martinum cum mille equitibus præmisit. qui in itinere, Petra expugnata, Anconem accesserunt, &, præsidiariis assumptis, tertio die Ariminum peruenerunt. & Ioanni mandata Belisarij ediderunt. atque, ibi relicto peditatu, cum armigeris recesserunt. Non multo pòst Vitiges Ariminum progressus oppugnationis caussa ligneam turrim vrbis mœnia altitudine superantem instituit, eamque non boum, vt antè, sed hominum auxilio mouit, ac proxime muris admota per noctem quieuit. ea nocte Ioannes vrbe cum fabris egressus, fossam è regione turris effodit, & terram muros versus egessit. quod vbi postera Vitiges sensit, eam fascibus adductis expleuit, & turrim promouit, sed fascibus subsidentibus, &, loco ex egesta terra accliui facto, ad muros admouere non potuit. hac re animaduersa, Ioannes milites suos eduxit, ac tanto Gotthorum cum detrimento cum eis conflixit, vt posthac Gotthi à murorum oppugnatione destiterint. Interim Belisarius iis, qui ad se Mediolano venissent, mille militum, duce Mundila, dedit. qui cum Portu soluissent, Genuam peruenerunt. inde, lembis in plaustra impositis, vt iis Padum traiicerent, terra iter fecerunt. quo traiecto, ad Ticinum accesserunt, & cum Gotthis occurrentibus adeo prospere conflixerunt, vt, eis, fugatis, oppido prope potiti sint. Inde Mediolanum cum tota ferme Liguria concessit in ditionem. qua re cognita, Vitiges maximas copias in Liguriam misit, & Theodebertus rex Francorum mille Burgundiones, qui se sua sponte venisse dicebant, summisit. nam Francos mittere noluit, ne fœdus cum Imperatore fregisse diceretur. Ab his omnibus Mediolanum obsideri est cœptum, & cōmeatus in vrbem comportatio impedita. Mundilas, quas secum adduxit copias, in vicina Liguriæ oppida Comum, Nouariam,

& alia, quæ deditionem fecerant, misit, ipse vero cum trecentis tantum Mediolani substitit. ex quo ciues ipsi murorum custodias agere inuicem sunt coacti. quo cognito, Belisarius Martinum, Vliaremque cum non modica militum manu subsidio misit. Inde, cum se æstas in autumnum vertisset, paucis Romæ ad custodiam relictis, aduersus Vitigem Ariminum obsidentē contendit; atq; in itinere Tudertum, & Clusium deditione recepit. Vitiges autem milites ad obsidendam Anconam misit. quibus vt se Canon præfectus vidit circumsederi, vrbe ad prœlium egressus non sine magno damno se recepit, ac Gotthos mœnia adortos vix reppulit. Interim venit Narses homo eunuchus, sed acer, ac prudens, cum quinque Græcorum millibus, & duobus millibus Herulorum à Iustiniano Belisarij auxilio missus, & cum eo ad oppidum Firmum copias iunxit. quo facto, Belisarius Aretium Auximum misit, quod à Gotthis tenebatur, iussum, vt intra castra se contineret, neque prœlio hostem lacesseret. ac litteris Ioannis certior factus, omnium rerum necessariarum summam Arimini penuriam esse, consilio habito, ex Narsetis auctoritate cum exercitu terra Ariminum iter intendit, ac classem mari subsequi iussit. Hunc vero vt Gotthi, qui in obsidione erant, ex collibus descendentem videre, & ab altera parte classem aduentantem audiuere, soluta obsidione, fuga Rauennam se contulere. Castris statim ab Hildigero captis, Ioannes, & socij macie confecti occurrerunt. qui cum accepissent, se Narsetis consilio obsidione exemptos, Narseti se, non Belisario vitam debere fatebantur, eumque eximiis laudibus, Belisario exæquantes ferebant. quos Belisarius ita appellauit, vt nihil adhuc effectum esse doceret. nam Vitigem cum multis hominum millibus Rauennæ consistere, Vraiam Mediolanum acrius obsidere, Auximum firmissimo præsidio teneri, Francos in Liguria cum Gotthis societate coniunctos versari. quamobrem placere, vt copiæ aliæ Auximum, aliæ Mediolanum mittantur. Narses autem, qui fauore militum Ioannis inflatus obedire Belisario detrectabat, vtilius sibi videri respondit, vt Rauenna, & Æmilia recuperaretur. Qua re Belisarius indignatus litteras Iustiniani protulit, quibus ipsum pecuniæ custodiam habere, non exercitibus præesse iubebat, ac sibi soli belli administrationem mandabat. Qua re constituta, Peranium ad Vrbeuetum obsidendum misit, ipse Vrbinum accessit, & se Narsetem, ac Ioannem subsequi imperauit. eo vero vbi venit, legatis, quos de deditione miserat, repudiatis, vrbem oppugnare constituit. quod consilium Narses ita respuit, vt protinus inde Ariminum se rettulerit. Tertio post die, aqua ex fonte, qui vnicus Vrbini erat, repente euanescente, Gotthi exterriti, subito deditionem fecerunt, ea conditione, vt, incolumitate accepta, Iustiniano stipendia facerent. Qua re audita, Narses Ioannem Cæsenam ducere iussit. qui ab ea depulsus Forum Cornelij prodiit, ac, cedentibus Gotthis, Æmiliam vniuersam recepit. Belisarius ineunte hieme, Vrbino recepto, & Auximo, vt ad expugnandum difficillimo, relicto, Aretium cum magna parte exercitus Firmum hibernatum dimisit. ipse vero Vrbeuetum processit, Peranij verbis inductus, qui Gotthis eum locum tenentibus necessaria defecisse nunciabat. ex quo in spem venerat, si ad eam necessitatem Belisarium quoque in se venientem vidissent, sese e uestigio dedituros. Belisarius autem, castris positis, vrbem lustrauit, vt cognosceret, sicunde oppugnatio institui posset. quam rem magnam habere difficultatem iudicauit. ratus tamen, eos fame domitos in ditionem esse venturos, substitit. at Gotthis non omnino necessaria deerant, tametsi parcius iis vterentur, quàm naturæ necessitas postulabat. nam in singulos dies tantum cibi sumebant, quantum satis valeret, ne inedia interirent. postquam autem cibariorum inopia premi cœpere, madefactis aqua coriis vesci instituere, vana spe à præfecto Arbila sustentati. Interim Martinus, Vliaresq; à Belisario Mediolanum missi, cum ad Padum peruenissent, de transitu cōsultantes, tempus consumebant. Hoc cognito, Mundilas Mediolano Paulum quendam ad eos destinauit, qui hostes frustratus, cum ad ripam venisset, nullo inuento lembo, amnem tranauit, atq; eos ad flumen traiiciendum sine intermissione conciuit, quantum momenti in ea vrbe ad victoriam esset, ostendens. Martinus autem se statim subse-

quuturum esse pollicitus, non tamen loco se mouit, excusans, quòd exercitus multitudinem Gotthorum, & Burgundionum, quæ erat in Liguria, extimesceret, & vt ad se Ioannem, & Iustinum cum suis copiis ex Æmilia mitterent. nam coniunctis viribus hostes non reformidaturum. Belisarius id præcepit, sed Ioannes, & Iustinus nihil se Narsetis iniussu facturos dixerunt. itaq; cum Narses rogatus à Belisario mandasset, vt irent, Ioannes nauibus ex maritimis locis contrahendis se tradidit. atq; interim in morbum incurrit. Dum autem Mediolanenses auxilium frustra sibi mitti expectant, interim propter ciborum inopiam canibus, & muribus, & ceteris obscænis, quæ nunquam esui fuere mortalibus, vescebantur. quo cognito, Vraias legatos ad Mundilam misit, pollicens omnibus incolumitatem, si se dedere vellent. cui ille respondit, se facturum, si eadem ciuibus quoq; impunitas foret. ac militibus ad concionem vocatis ita loquutus est, vt eos ad prœlium fortiter capessendum, & mortem pro libertate obeundam adhortaretur, quam orationem cum miles nemo acciperet, conditionibus, quæ ferebantur, acceptis, deditionem fecerunt. quarum nullam Gotthi seruarunt. nam & milites cum Mundila præfecto in custodias tradiderunt, & vrbem solo æquarunt, & trecenta millia virilis sexus, nulla ætatis ratione habita, occiderunt, & fœminas seruorũ loco Burgundionibus donarunt. Reparatum autem, qui fuerat auctor defectionis, minutatim cõcisum vorandum canibus obiecerunt. Burgentinus eiusdẽ culpæ particeps, cum in Venetiam, atque inde in Dalmatiam profugisset, postremo ad Imperatorem se contulit. Martinus, Vliaresque Romam se recepere. Eodem anno Vitiges verens, ne Belisarius, ineunte vere, Rauennam inuaderet, Bacchem Longobardorum regem pecunia oblata ad socianda arma solicitauit. eaque re non impetrata, legatos ad Chosroëm Persarum regem de renouando Iustiniano bello misit, atque obtinuit. itaque Belisarium Iustinianus sibi reuocandum putauit, &, legatis Vitigis dimissis, se legatos missurum de fœdere componendo promisit. quos Belisarius, cum ad se prius venissent, non antè dimisit, quàm Gotthi Iustiniani ad se legatos dimisissent. Eodem anno frumentum in agris Italiæ sua sponte maturauit, sed minore, quàm antè, copia, vt quod neque satum, neque humo contectum esset, sed propter nimiam maturitatem in terram excidisset. Hinc inopia Mediolani subsequuta, Cassiodorus Vitigis regis nomine scripsit ad Dacium Mediolanensem episcopum: *Sanctitatem vestram petimus, vt de horreis Ticinensibus, & Derthonensibus panici speciem, sicuti à principe iussum est, tertiam pensionem esurienti populo ad viginti quinque modios distrahi sub nostra ordinatione faciatis.* scripsit etiam Dacius ipse, tanta tum in Liguria ciborum penuria laboratum, vt matres famis impotentes rabiem eius in liberos exercuerint. Hæc penuria cum Æmiliam quoq; oppressisset, incolæ, propriis sedibus relictis, in Picenum abierunt, maiorem ibi copiam propter maris opportunitatem se inuenturos sperantes. Tusci eadem de caussa inopia pari afflicti in montibus panẽ è glandibus commolitis cõfectum esitarunt. vnde vulgatis morbis pleriq; absumpti sunt. In Piceno non minus quinquaginta millia hominum perierunt, & extra Ionicum sinum multo plures. nam, deficiente cibo, omnes maciem, ac pallorem eximium contrahebant. fel autem nimium abundans, cum corpora ipsa vi sua infecisset, haudquaquam sinebat suo pristino cursu venas defluere. cutis præterea obdurata corio persimilis erat, vtpote ossibus ipsis inhærens, & colore liuoris in nigredinem commutato. vnde homines facibus exustis similes videbantur. eorumq; facies stupida, & toruus, ac furiosus aspectus erat. passim igitur moriebantur partim inedia, partim saturitate. nam, calore omni extincto, quẽ natura intus exusserat, siquis eos fortasse ad satietatem expleuisset, quòd ingestos minus digererent cibos, celerius interibant. Fuere qui, fame cogente, se inuicem conficerent. Fœminæ etiam duæ viros septemdecim interfectos absumpserunt. hæ nanque, cum solæ domi, ceteris mortuis, superfuissent, diuertentibus ad se peregrinis, & per noctem dormientibus interfectis vescebãtur. cum autem eum numerum oppressissent, octauus decimus somno excitatus, conatis earũ præcognitis, eas necauit. Vigilius pontifex monitus est à Belisario, vt Anthimũ restitueret, & duo promissa centenaria redderet. quorũ alterum timore Romanorum, alterum auaritia occæcatus se facturum negauit.

Iustinia-

Iustinianus autem precibus episcopi Patarensis adductus, iussit, vt Siluerius Ro-
mam reduceretur, & iudicio de litteris ab eo scriptis constituto, si veras eas fuisse
probatum esset, in quacunq; ei ciuitate esse liceret, si falsas, vt sedi suæ, expulso Vi-
gilio, redderetur. Siluerio in Italiam reuerso, Vigilius ne sedem amitteret, verius se
omnia, quæ promiserat præstiturum, Belisario affirmauit, si sibi Siluerium tradidis-
set. ita Belisarius Siluerium duobus Vigilij defensoribus tradidit. à quibus in Pal-
mariam, siue Pontiam insulam deportatus ibi inedia maceratus XII Kal. Iulij ex-
pirauit, vt Liberatus in libro de Conciliis tradidit. Appione inde consule sine col- 539
lega, Belisarius ignarus eorum, quæ in Liguria accidissent, exacta hieme cum in Pi-
cenum duceret, cladem Mediolani cognitam magno dolore animi tulit, & Vlia-
rem in suum venire cōspectum vetuit, remq; vt acta fuerat, ad Iustinianum scripsit.
qui postea, Narsete reuocato, solum Belisarium bello præfecit. Heruli vero, profe-
cto Narsete, negantes se militare Belisario velle, cum abirent, in Vraiæ exercitum
inciderunt, ac pro pace redimenda captiuos, ac prædam reliquam tradiderunt, ac-
cepta pecunia iurantes, se nunquam in posterum Gotthos oppugnatum venturos.
Posthæc Belisarius, consilio Auximi, ac Fæsularum recipiendarum explicito, Cy-
prianum cum idoneo militum numero ad Fæsulas misit, ipse Auximum sibi depo-
scens Ioanni negotium dedit, vt curaret, ne Vraias Mediolano egressus in se redi-
ret. qui Derthonam nullis mœnibus cinctam nactus, ibi castra posuit, Auximum
vero, vbi robur Gotthorum in præsidio erat, profectus Gotthos ex alto in suos di-
spersos sub noctem, dum castrametatur, se inferentes cum magno vtriusque partis
detrimento sustinuit. &, quoniam expugnari vrbs non poterat, obsidionem admo-
uit. multa inde, eaq; euentu vario prœlia facta, dum Gotthi ad pabulandū in agrum
non longe à muris ierunt, quo nec carere illi, nec prohibere hi poterant. Cum au-
tem post aliquot dies inclusi ad alimētorum inopiam deuenissent, nuncium dece-
pto hac arte Belisario emisere. quippe clamorem, vt in capta vrbe, maximum edi-
derunt, ac Romanos, quid id rei esset, incertos ab exploratione viarum ad custo-
dienda castra traxerunt. sic nuncius Rauēnam profectus Vitigi, vt sibi subsidio ve-
niret, litteras reddidit. quibus ille se mature venturum spopondit. sed tamen non
præstitit; Ioannem, ne se à tergo adoriretur, metuens, simulque Belisarium, penes
quem Romanorum esse robur sciebat, neq; propter inopiam necessaria submini-
strare exercitui poterat, cum Romanis mare obtinentibus ex Ancona, Sicilia, &
Calabria commeatus abunde suppeterēt. Fæsulis à Cypriano, & Iustino circunses-
sis, Gotthi eruptione facta repulsi sunt. inde inclusi adeo diligenter asseruati sunt,
vt exire non possent. sed tamen frustrati custodias, nuncium ad Vitigem implo-
rantes auxilium emiserunt. Vitiges Vraiæ mandauit, vt cum exercitu, quem habe-
bat in Liguria, in Picenum transiret. qui, traiecto Pado, proxime Romanis conse-
dit. nec tamen ab vllo prœlij initiū factum est. Interim Franci afflictas Gotthorum
vires audientes, cupiditate occupandæ Italiæ exarserunt, ac fœderis cum Gotthis,
& Romanis icti obliti, cum centum hominum millibus, Theodeberto rege duce,
in Liguriam descenderunt, ac, Pado transmisso, ad castra Gotthorum venerunt, qui
eos tanquā socios auxilio venisse rati, hilariter exceperūt. verum mox castris exuti
Rauennam se trepido agmine contulerunt. Franci binis castris, sed sine milite, po-
titi, res necessarias inuentas breui absumpserunt, & carne bouilla, & aqua Padi re-
pleti, (neq; enim aliud in iis locis esculentum, aut potulentum erat,) statim dissen-
teriæ morbo correpti sunt, ac tertia pars perierunt. Belisarius vbi Francos adesse, &
Ioannem, Martinumq; victos fugam cepisse audiuit, litteras ad Theodebertū scri-
psit, moneus, vt fœdus seruare, neq; Imperatorem bello lacessere vellet. quibus le-
ctis, Theodebertus pudore captus, multis ex suis amissis, domum repetiit. Gotthi,
qui Auximi obsidebantur, Burgentio Romano custode corrupto, alteras ad Viti-
gem litteras miserunt, necessitates suas exponētes, quòd ne herbam quidem circa
pomœriū attingere sine sanguine possent. quibus Vitiges respondit, se adhuc Fran-
corum incursione deterritum subuenire non potuisse, verum se in tempore non
defuturum. quo venire cunctante, iterum Burgentiū miserunt, se tātum ad quinq;
dies sustinere posse significantes. quibus idem quoq; responsum est datū. Belisarius

autem miratus, hostes tandiu sine deditione se sustinere, Valeriano exploranti negotium dedit, qui Sclauinum quendam virum acrem, ac validum aliquem ex hostibus capiendum misit. ille vero in collem, vbi quotidie pro pabulo pugnabatur, profectus, Gotthum pabulatum egressum ex insidiis comprehendit, ac robore superior in castra vel reluctantem detulit. qui rogatus, qua spe Gotthi dedere se recusarent, quæ per Burgentium Romanum acta essent, aperuit. cuius indicio Burgentius captus, atq; confessus in conspectu hostium est crematus. Erat fons procul ab vrbe lapidis iactu, vnde Auximates aquam hauriebant. hunc eis vsum adimere inde cupiens Belisarius, simulata oppugnatione vrbis architectos cum dolabris ad demoliendum opus immisit. hostes vero vbi se illudi senserunt, in eos, qui fontis opus deturbabant, se conuerterunt, & cum Romanis auxilio suorum accurrentibus prœlium atrox commiserunt. in quo multi vtrinq;, sed plures ex Romanis ceciderunt, & ferme Belisarius vulnus accepit. dirempto prœlio, compertum est, ne lapidem quidem vnum ex structura fontis esse excisum propter miram artificum in ea compaginanda solertiam. Inde Belisarius, vt eos fame conficeret, vigilias agi diligentius iussit. ex quo ad extremam eos rerum omnium difficultatem adduxit. Interim Fæsulani inopia cibariorum compulsi, & auxilij desperatione debilitati, pacta incolumitate, Ioanni, & Iustino se tradiderunt. qui, præsidio ibi relicto, Auximum contenderunt. Quo facto, Belisarius Gotthorum duces, qui, Fæsulis captis, ad se transierant, Gotthis ostendit, &, vt tandem insanire desinerent, monuit. qua re exterriti petierunt, vt, saluis corporibus, ac fortunis, sibi Rauennam abire permitteret. quod illo abnuente, demum eo descenderunt, vt, parte bonorum tradita, Iustiniano stipendia facerent. atq; in hæc fide data, partitisq; rebus, Auximum Romanis est deditum. Hac parta victoria, Belisarius inde Rauēnam animum contulit. ac primum Magnum cum modico exercitu præmisit, vt alteram ripam Padi asseruaret, ne Gotthi commeatum subuehere possent. deinde alteram Vitali custodiendam dedit, mox ipse Rauennam accessit. Interim Gotthi contractas in Liguria naues rebus necessariis repleuerunt, vt eas Pado Rauennam adducerent, sed deficiente, (quod nunquam antè acciderat,) aqua, detenti cum oneribus à Romanis oppressi sunt. inde flumen nauigabile factum. eaq; res miraculi loco est habita. Hac de re Gotthi flumine, mariq; interclusi statim laborare ab re frumentaria cœperunt. quibus rebus cognitis, Theodebertus rex Francorum legatos ad Vitigem misit, verbo, vt societatem iungeret, re, vt, eis deceptis, loca Italiæ occuparet. qua re prærepta, & suos quoq; Belisarius misit. tum, Concilio Rauēnæ instituto, Franci ita loquuti; se mittere Vitigis auxilio quinquies centena millia ex fœdere. petere autem, vt secum iungantur aduersus Romanos, qui pares esse non possint. Romanos barbaris omnibus esse infestos. si inter se cōuenerit, barbaros posthac summa concordia Italiæ imperaturos. Deinde Romani ita subsequuti; se multitudine Francorum non perterreri, vt qui scirent, virtutem haudquaquam multitudine superari. Imperatorem certe nunc militum numero antecedere. quàm sancte fidem colant Franci, Burgundiones, Thuringos, & ipsos demum Gotthos docere posse. rogare autem illum, per quē Deum fidem suam sint firmaturi, cum eum, per quem iurauerint, violauerint? Vtrisq; auditis, Vitiges ex suorum consilio cum Imperatore potius sibi paciscēdum, quàm cum Francis, putauit. itaq; Gotthi, & Romani pacis componendæ caussa inter se sine metu congredi cœperunt. Belisarius tamen diligenter cauere, nequid Rauennam commeatus inueheretur. &, cum horrea plena frumenti Rauennæ esse didicisset, ciue quodam corrupto, illi incēdium inferri curauit. fama tamen fuit Matasuentæ imperio deflagrasse. eo facto, Gotthi à Deo potius se, quàm ab hominibus oppugnatos duxerunt. His actis Gotthi, qui Alpes tuebantur, Sitige duce, ad Belisarium defecerunt. Varias autem, cum ex Alpium, & Liguriæ præsidiis quattuor millia collegisset, eaq; ad Vitigē adduceret, Sitigem, qui defecerat, & Romanos, qui receperant, circunsedit. qua re cognita, Ioannes, & Martinus circa Padum sedentes Romanorum auxilio accurrere, & ab Vraia exercitum auertere. Iam Belisarius Vitigem, & Gotthos in vrbē compulerat, cum legati Constantinopoli venerunt, vt cum Gotthis pax his conditionibus fieret; Vt

Vitiges dimidium opum̄ regiarum ſibi haberet,& Tranſpadanis locis præeſſet, alia omnia Imperator teneret. Vitigem hanc pacem ampleđentem Beliſarius ægre tulit, quòd hoc modo victoria integra è manibus eriperetur, & legatis ad ſe Rauenna reuerſis negauit, ſe ſua manu conditiones illas eſſe confirmaturum. ea re audita, Gotthi ſub nomine pacis inſidias ſibi conflari dixerunt. Qua voce offenſus Beliſarius, omnibus ſuis conuocatis, rogauit, num pacem hanc Gotthis dare, an bellum iam profligatum conficere, intereſſe magis reip. exiſtimarent? Tum principes in ſententiam Iuſtiniani deſcendentes iuſſu Beliſarij ſcripto mandarunt, pacem eſſe faciendam, quòd hoſtes expugnari non poſſent. Interim Gotthi fame conflictati à Vitigis ſe remouere imperio inſtituerunt, vt qui peſſime rem geſſiſſet, & ſuam ad Imperatorem defectionem differret.in primisq; timere cœperunt,ne victi tandem Rauenna Conſtantinopolim transferrentur. itaq;, conſilio habito, Beliſarium regem Italiæ appellare conſtituunt, & occulte ad eum, vt imperium ſuſcipere velit, mittunt. Beliſarius iniuſſu Imperatoris ſe id negauit facturum, vt qui à tyranni nomine abhorreret, & ſe nihil innouaturum ſacramento interpoſito promiſiſſet. atq; hoc idem etiam conſilium Vitiges approbauit. Tum Beliſarius conuocatos principes rogauit, num præclaram rem cenſerent eſſe, Vitigem, Gotthosq; in ditionem venire,& eorum bona prædæ eſſe, & Italiam Romanos recuperare? illi præclariſſimam eſſe reſponderunt, idq; vt expleretur, precati ſunt. itaq; Vitiges, & Gotthi, cum præ fame ſe diutius ſuſtinere non poſſent, legatos ad Beliſarium miſerunt,palam de deditione loquuturos,clam vero de fide ſalutis accipienda,&, vt Beliſarius, regno accepto, Rauennam iniret, acturos. Beliſarius, ceteris rebus omnibus pro Gotthorum arbitrio confirmatis, de Imperio ſuſcipiendo ſe apud Vitigem,& Gotthorum primores iuraturum oſtendit. atq; Beſſa,Ioanne,Narſete,& Aretio ſibi infenſioribus alio per ſpeciem parandi commeatus ablegatis, ipſe cum reliquo exercitu Rauennam contendens, naues frumento,& rebus neceſſariis oneratas confeſtim ad Claſſem Rauennæ portum deduci iuſſit, atq; inde vrbem intrauit. Gotthorum vxores,quæ Romanos corporis magnitudine excellere audierant,vbi eos exiguæ ſtaturæ viderunt, de eis contemptim loqui, & viros ſuos conſpuere, atque eis puſillos viros ad ludibrium oſtentare, & ſocordiam, atque animi molliciem identidem obiectare, quòd tantulis hominibus conceſſiſſent. Beliſarius Rauenna potitus, Vitigem honorifice cuſtodiri mādauit. Gotthos vero circumpadanos in agros ſingulos dimiſit, nihil inde hoſtile metuens, quòd maximam exercitus ſui partem ibi collocauit. Regiam pecuniam cum cura aſſeruauit, vt ad Imperatorem deferre poſſet. Gotthorum neminem ſpoliari permiſit. Gotthi ceteri ſua præſidia dediderunt. Ildobaldus Veronæ præfectus, cum ad tradendam Veronam miſiſſet. tamen hac de cauſſa non tradidit. Iuſtinianus enim ſiue multorum vocibus Beliſarium de affectata tyrānide criminantium motus, ſiue bello à Choſroe Perſarum rege renouato coactus per eos dies Beliſarium in Græciā reuocauit. atq; Italiam Beſſæ, Ioanni, & Conſtantiano adminiſtrandam conceſſit. Hac re audita, Gotthi, qui Beliſarium regnum ſuſcepturum putauerant, vbi diſceſſum parari, & ſe deſtitui cognouerunt,in Picenum ad Vraiam ex ſorore Vitigis genitum conuenerunt,&, præſenti complorata fortuna,ipſum ſibi regem delegerunt. Vraias eam dignitatem aſpernatus eſt,vel quia ex infortunata Vitigis familia, & apud Gotthos contempta eſſet, vel quia impietatis crimen horreret, ſi viuentis auunculi principatum inuaderet. ſuaſit autem, vt Ildobaldum Viſgotthum ad regnum eueherent, virum præſtantem,atque induſtrium,qui Theuda Viſgotthorum in Hiſpania rege auunculo vteretur. His dictis aſſenſi, Ildobaldum ad ſe Verona euocarunt, & ad ſe profectum purpura induerunt, & regem maximo cum plauſu ſalutarunt. Tum ille, ſe ſuadere dixit,vt legati ad Beliſarium mittantur,qui rogarent,num veteribus ſtare conditionibus vellet? & ſe ab eo deſtitui quererentur. ſi aſſentiretur, Ildobaldum ad eum acceſſurum, & veſtem regiam poſiturum, eumq; tanquam regem Italiæ veneraturum. quibus reſpondit Beliſarius, ſe, Iuſtiniano viuente, nunquam regium nomen laturum. atq; inde Conſtantinopolim cum Vitige rege, & Mataſuenta vxore eius, prædaq; ipſa regia redire contendit.

ILDOBALDVS REX.

540 POSTERO inde anno, qui fuit quingentesimus quadragesimus à Christo nato, Iustino Germani filio consule sine collega, Iustinianus Vitigem ad se deductum cum vxore honorifice excepit, & Gotthos pro eximia corporum magnitudine, ac specie miratus, gazas regias in curia senatoribus visendas exposuit. Belisarium omnibus honoribus prosequutus, triumphare non permisit. Erat tamen in omnium ore, vt qui duas victorias rettulisset, quales nemo antè vidisset, & reges duos captiuos adduxisset, & opibus ærarium locupletasset. itaque populus eum studiose intuebatur in forum quotidie prodeuntem, aut se de foro recipientem, Vandalorum, Maurorum, & Gotthorum ingenti caterua stipatum. ad hæc magnitudo, & pulchritudo corporis eum honestabat, & mira comitas, ac facilitas acceptiorem omnibus reddebat. Interim præfecti Italiæ omnia ad priuatam vtilitatem referre, & subiectos libidini militari permittere, nec milites dicto audientes habere: Ildobaldus autem, postquam audiuit, Belisarium Rauenna profectum esse, Gotthis, & Romanis rerum nouarum studiosis accitis, quæ ad firmandum imperium pertinerent, curauit, & dominationem Italiæ Gotthis recuperare constituit. cumq; à principio mille tantum milites haberet, Gotthos in Picenum ex Liguria, Venetiáque contraxit. Interim Alexander à Iustiniano missus in Italiam venit, atque Italos falsis quæstionibus de pecunia regia auersa, & fraudibus in Theodoricum regẽ commissis implicuit. ac militum labores etiam maximos præmiis exilibus compensauit. quo factum est, vt breui Italos Imperatori infensos reddiderit, ac milites à periculis in bello subeundis auerterit. Itaq;, cum odiis erga Imperatorem certarent, Gotthis occasionem crescendi dedere. quod videns Vitalis, qui in Venetia cum Romanis, & Herulis versabatur, veritus, ne Ildobaldus auctis viribus in se contenderet, ipsum adortus est. verum, pugna apud Taruisium parum secundo successu edita, multis amissis, in fugam conuersus est. Qua ex victoria mox Ildobaldi nomen apud Iustinianum, & ceteros celebrari cœpit. Inimicitiæ inde inter Vraiam, & Ildobaldum temere concitatæ rem Gotthorum exurgentem afflixerunt. Vxor Vraiæ balneum ingressa, vxorem Ildobaldi non tanquam reginam coluerat, quòd se ipsa minus culta, & ornata erat. itaque Ildobaldus ab vxore solicitatus Vraiam de maiestate coarguit, ac comprehendi iussum vltimo supplicio affecit. atq; ex ea re in odium Gotthorum incurrit, indignantium, quòd Vraias nimis leui de caussa esset extinctus. Accessit inde, quòd Ildobaldus Vraiæ vxorem Gottho cuidam coniugio copulauit, ac Bessam grauiter offendit. itaque Bessas, quòd mulierem deperiret, in sui factum contumeliam ratus, iracundia, ac dolore eò processit, vt, gratum se facturum Gotthis existimans, Ildobaldum inter epulas adortus necarit. Eodem anno Belisarius in Persidem profectus impetum regis Chosrois repressit. Constantinopoli Seuerus Antiochiæ, & Iulianus Halicarnassi episcopi, cum Alexandriam profugissent, quæstionem de corruptione corporis Christi primi intulerunt. quæ postea Ecclesiam per aliquot annos vehementissime, ipso etiam Imperatore infecto, exercuit.

ARARICVS REX.

541 BASILIO inde consule sine collega, Rugi, qui & ipsi cum Gotthis erant, vbi Ildobaldum occisum viderunt, reliquis inuitis Gotthis, Araricum regem extulerunt. Baduillas autem, cognomento Totilas, Ildobaldi nepos, homo summa solertia præditus, audita Ildobaldi morte, misit Rauennam ad Constantianum, traditurum se Taruisium pollicens, si sibi, & comitibus suis salus præberetur. Cui Constantianus iureiurando se fidem præstiturum respondit. Re composita, dies indicta est, qua milites Constantiani Taruisium reciperentur. Gotthi vero Ararici imperium iniquo animo ferebant, vt qui bello cum Romanis gerendo parum idoneus esset, ac magnarum rerum occasionem interpellasset. itaque omnes vno animo ad Totilam Taruisium mittunt, eumq; ad regnum suscipiendum accendunt, sperantes se, illo regnum obtinente, Italiam posse recuperare. quibus Totila respondit,

spondit, se defectionem ad Romanos constituisse. si vero Araricum in tempore sustulissent, illorum voluntatem non necturum esse. Quibus rebus auditis, Gotthi Ararico insidias compararunt. Romanis interim quiescẽtibus, & Gotthos quieturos arbitrantibus, neque propterea in eorum actiones obseruandas intentis, Araricus Gotthos conuocauit, & ad pacem hortatus, vt ad Iustinianum de prioribus conditionibus confirmandis mitterent, auctor fuit, atq; ex eorum consensu legatos misit, spondens, si se Patricium faceret, totam illi Italiam traditurũ. Legatis autem profectis, Gotthi, Ararico per dolũ extincto, regnum ad Totilam detulerunt.

CAROLI SIGONII HISTORIARVM, DE OCCIDENTALI IMPERIO, LIBER XIX,

Qui est regni Gotthorum in Italia quartus.

TOTILAS REX.

TOTILAM vero regem creatum, virum manu, consilioq; promptum, simul Ioannes, Bessas, Vitalis, & ceteri, qui relicti ad defensionem Italiæ fuerant, audiuerunt, Rauennam subito conuenerunt, vbi Constantianus, & Alexander sedebant. atque agitatis consiliis decreuerunt, Veronam extemplo ducere, eámque cum Gotthis ibi morantibus in potestatem redigere, deinde aduersus Totilam in Picenum redire. Sic igitur præfecti vndecim exercitum duodecim hominum millium Veronam adduxerunt, ac castra prope vrbem stadiis sexaginta locarunt in iis campis, qui Mantuam versus patent. Ibi vero cum essent, custodem portæ pecuniæ magnitudine ad exercitum in vrbem recipiendum inducunt. ac statuta nocte centum delecti viri, Artabaze quodam Armenio duce, præmissi portam, custode ex composito aperiente, occupant. ac mox milites, qui in muris custodias agebant, obtruncant, atque exercitum propere aduocant. Quod vbi Gotthi sensere, repentino casu perculsi per auersas portas vrbe se eiecere, atque in rupem imminentem euasere, vnde facile vrbem, & campos omnes, quæque in iis agerentur, despicere poterant. Pòst paulo præfecti Romani ab Artabaze acciti ad vrbem procedere cum copiis incœperunt. verum in itinere, altercatione inter illos de præda Veronensi dispertienda coorta, frustra temporis aliquid consumpserunt. itaque Gotthi, luce orta, ex alto paucitatem hostium, qui vrbem inierant, & longinquitatem eorum, qui ad eam accedebant, conspicati, animos, quos desponderant, colligunt, atque incitato cursu vrbem per easdem portas, vnde exierant, repetunt, ac Romanos trepidos in murorum propugnacula se referre compellunt, & se acriter tuentes non minore impetu, quàm iracundia, circumsistunt. Interim præfecti, diuisa, quam partituri non erant, præda, ad portam venerunt. verum, postquam eam clausam, & hostes summa se ope defendentes repererunt, nihil vltra tentandum rati, celeri inde se fuga proripuerunt. & suos de muris pugnantes, &, ne se desererent, obsecrantes, superante misericordiam metu, destituerunt. Illi vero, postquam suos abire, nec preces suas surdis in tanto periculo auribus, audire viderunt, firmato animo, saltu sese ex mœnibus deiecerunt. ex quibus qui forte molle in solum prolapsi sunt, corpore inoffenso, Artabaze duce, ad castra Romanorũ peruenere. quos vero loca aspera exceperunt, ad vnum omnes, membris prope collisis, interiere. His successu parum prospero actis, Romani traiecto Pado, sese Fauentiam rettulere. Quib. auditis Totilas

erectus, quos potuit, Gotthos acciuit, &, quinque hominum millibus confectis, aduersus eos ire contendit. vbi vero ad flumen, quod illi transeundum erat, accessit, suos sic alloqui cœpit: longe se diuersa ratione pugnare, ac Romanos. nam illos victos facile bellum posse redintegrare auxiliis ex Italia, atque ex Græcia accersendis, sibi si quid durius ea dimicatione contigerit, fore, vt nomen Gotthorum simul cum omni spe reficiendarum virium concidat, vt qui ex hominum centum millibus ad quinq; redacti sint. Ildobandum, cum arma Romanis intulit, nō plus, quàm mille hominum, & in Piceno oppidum vnum tot vndique hostium locis vallatum habuisse. Gotthis tamen eo bello victoribus nō solum milites, sed etiam Imperium accreuisse. si eadem vti virtute voluerint, pro certo habere, se Romanos funditus euersurum. quare hortari illos, vt patriam fortitudinem præstent, & constanter, vt in summa necessitate, decertent. Interim præfecti Romani diuersis inter se certando sententiis tempus terebant, Artabaze frustra suadente, vt hostes flumen transeuntes inuaderent. Totilas autem, trecentis viris trans amnem missis, qui in tempore Romanorum tergis insisterent, flumine sine impedimento traiecto, raptim in eos duxit. Romanis obuiam progressis, atque acie vtrinq; instructa, Vlaris Gotthus, vir vt corporis, sic animi robore nobilis, equo insidens, atque armatus in medium processit, & Romanos ad singulare certamen identidem prouocauit. cui, ceteris quiescentibus, Artabazes occurrit. ita, nulla interposita mora, equis vtrinq; concitatis infestis hastis inter se concurrerunt. prior Artabazes dextrum Vlari latus transfixit, atque equo labentem, sed hasta se, quæ à tergo petræ adhæserat, sustinentem, adacto sæpius in viscera ferro, confecit, sed dum incautius ferit, cuspide hastæ ferrea, quam Vlaris adhuc tenebat, in faucibus vulneratus, sanguine sine intermissione fluente, post triduum obiit. Commisso inde inter exercitus prœlio, in ipso tumultus ardore trecenti post terga Romanis apparuere, ac maioris multitudinis opinione allata, tantum terroris intulere, vt in fugam se dederint. quos insectati Gotthi alios promiscua cæde strauerunt, alios captos in custodias coniecerūt, & signa omnia, (quod aliàs nunquam acciderat,) ademerunt. præfecti, vt in summo timore, præsidiis, quæ quisque loca obtinuit, confirmarunt. Hac re secundo aduentu administrata, Totilas non multo pòst copias aduersus Iustinum Florentiam misit, hisq; Beldam, Rodoricum, Vliaremq; præfecit. qui eò progressi, vrbem obsidione cinxerunt. Hoc vbi Iustinus sensit, confestim, quia nullos conuectos commeatus habebat, Rauennam ad principes misit, rogatū, vt sibi necessario suo tempore opitulatum venirent. itaque Cyprianus, & Ioannes exercitum protinus Florentiam adduxere, ac Gotthos ab obsidione in locum diei itinere ab vrbe distantem, qui Mucialla dicebatur, recedere compulere. inde, Iustini copiis sibi adiunctis, & paucis ad custodiam vrbis relictis, in eos mouere. Ioannem ad lacessendos hostes præcedentem vt Gotthi viderunt, sibi diffisi continuo è campis se in collem proximum subduxerunt. Prœlio inde commisso, Romani fortiter pugnare cœperunt, insignem sine dubio victoriam relaturi, nisi falso rumore de Ioannis nece dispersoperculsi turpem fugam arripuissent. quo in tumultu desiderati multi sunt. reliqui, cum se in oppida coniecissent, ea, quasi obsidionem expectantes, neque in campum prodire audentes, præsidiis muniuerunt. Captiuos Romanos Totilas tam humaniter habuit, vt plerique illius se militiæ sponte deuouerint. Hæc hoc annò

542 apud Veronam, Fauentiam, & Florentiam acta. Proximo vero, qui, vt ceteri sequentes, post consulatum Basilij dicitur, (neque enim consules posthac creati facile inueniuntur.) Totilas rebus bene gestis elatus alia loca sibi adorienda putauit. itaque Cæsena, & Petra oppidis occupatis progressus in Tusciam, cum, multis locis tentatis, neminem ad se traducere potuisset, Italiam peragrare decreuit, ac Tiberi transmisso, neque finibus Romæ tactis, in Campaniam adiit. Ibi audita Sancti Benedicti abbatis sanctitate, &, vt prophetico spiritu plenus futura prædiceret, veritatis explorandæ consilio capto, spatharium suum regio ornatu, & comitatu præmisit, qui se regem esse assereret. Quem vt Sanctus Benedictus prospexit, dolo agnito, depone, inquit, fili quod geris. nam tuum non est. qua re sibi nunciata confusus ipse venerabundus accessit, atq; de rebus suis consuluit, & vaticinio ab eo accepto

cepto placatus discessit. Post paulo Benedictus, cum monachis leges, ac disciplinam dedisset, & Maurum, ac Faustum in Galliam, Placidum vero in Siciliam ad monasteria condenda misisset, XII Kal. Aprilis obiit. Totilas inde profectus in Samnium, Beneuentum nullo negotio redegit in potestatem, eiusq; diruit muros, ne forte exercitus ex Græcia veniens id oppidum occuparet, atq; inde Gotthos infestos haberet. animo inde Neapolim conuerso, cum multa Neapolitanis pollicitus nihil proficeret, vrbi obsidionem admouere decreuit, quam Conon cum Isauris, Romanisq; mille custodiebat. castris autem ad vrbem positis, militum partem ad Cumas, & alia loca recipienda misit. quibus cum numero ingenti pecuniarum potitus, præclari illud exempli edidit, quòd mulierib. nobilibus captis abstinuit, easq; libertati restituit. quo facto, eximiam sibi apud Romanos humanitatis famam, ac modestiæ comparauit. Bruttij inde, & Lucani, nemine resistente, subacti. Inde Apulia, Calabriaq; potitus, publica tributa diligẽter exegit, & vectigalia sibi asciscendo, omnia perinde, atque Italiæ dominationem adeptus, administrare pro arbitrio instițit. Exercitibus Italicis magnum stipendij numerum Iustinianus debebat. eaq; de caussa Romani milites bonis Italorum manus iniecerant, eosq; in extremam rerum priuatarum desperationem adduxerant. milites autem nec ducibus suis obediebant, & libentius in vrbibus, quàm in castris, agebant. Constantianus namq; Rauennam tenebat, Ioannes Romam, Bessas Spoletum, Iustinus Florentiam, Cyprianus Perusiã, & ceteri cetera, vti quisq; ex fuga opportuna salutis sibi præsidia comparatat. Quibus rebus auditis, Iustinianus solicitus Maximinum præfectum prætorio Italiæ in Italiam misit, vt ceteris ducibus præesset, & militibus stipendia solueret. & classem Thracibus, Armeniis, Hunnisq; plenam adiecit. qui in Epirum profectus, atq; otio, & desidiæ deditus idoneum rei gerendæ tempus contriuit. post eum vero Demetrium magistrum equitum destinauit. qui cum in Siciliam venisset, Cononemq;, & Neapolitanos arctius obsideri audisset, auxilium ferre conatus est. Itaq;, multis nauibus ex Sicilia contractis, frumentoq;, atque aliis rebus completis, ex insula soluit, hostibus speciem præbens, eas ingentibus copiis esse refertas, ac terroris inferendi caussa Neapolim cursum intendit, sed vrbem transgressus ad portum Romanum accessit, atq; ibi nouos conscribere milites studuit. verum omnes tanquam à Gotthis victi, atque ab eis timentes arma contra eos capere abnuerunt. quare cum iis tantum, quos ex Græcia duxerat, Neapolim se rettulit. quem Cononis iussu Demetrius alter, genere Cephallen, Neapolis procurator, celeri lembo aduectus, quantum potuit, ad rem gerendam incendit. Totilas autem de exiguitate copiarum Demetrij certior factus cum aliis nauibus antè præparatis occurrit, atque, impetu in eum repente facto, in fugam auertit. atq; alios occidit, alios viuos in potestatem adduxit. soli euaserunt, quibus in nauium lembos primo incursu licuit desilire. inter quos Demetrius fuit classis præfectus. naues autem omnes cum oneribus, & Demetrio Cephallene captæ; cui ob immodicã eius in Totilam verborum procacitatem lingua, manusq; præcisæ sunt. Tandem Maximinus classem quoque suam appulit Syracusas, atque ibi terroris incutiendi caussa quieuit. Quo cognito, Conon extemplo misit oratum, vt sibi primo quoque tempore ad opem ferendam, iam necessariis rebus egenti veniret. ille, quanquam præ timore Syracusis pedem efferre noluit, classem tamen Herodiano, Demetrioque, ac Phassæ cum copiis omnibus Neapolim adducendam concessit. classis, hieme iam sæuiente, vbi Neapolim appropinquauit, vehementi suborto vento, ad littus eiecta est, in quo hostes stationem habebant. itaq;, irruentibus eis, omnes aut occisi, aut capti, aut demersi sunt. Demetrius præfectus inter ceteros in potestatem peruenit. Herodianus, & Phassas, quia lõge à castris hostium eiecti sunt, euasere. Totilas Demetrium reste collo implicita ad muros vrbis adductũ monere Neapolitanos iussit, ne inani spe auxilij sustentati obsidionem diutius paterentur, sed statim vrbem dederent, & se tot ærumnis eriperent. neque enim Imperatorem vlla posthac submittere subsidia posse. & cum hac classe vires eius omnes infractas esse. Neapolitani rerum necessariarum inopia conflictati, ac Demetrium tam indigna patientem conspicati, spe omni salutis abiecta, sese ad luctum, & complorationem verterunt.

qua re animaduersa, Totilas iis, qui erant in propugnaculis, euocatis dixit, se ad eos venisse, non vt crimen eorum aliquod vindicaret, sed vt eos seruitute eximeret, & pro beneficiis sibi hoc bello datis, & calamitatibus acceptis gratiam referret. nam ipsos solos Italorum maximam erga Gotthos beneuolentiam ostendisse. ceterum pudore se maximo affici, quòd eos nunc obsidere vnà cum hostibus cogeretur. neque vero eos à Gotthis, quia ab eis obsiderentur, alienos gerere animos oportere, neque ab eis timere, qui ad liberandos ipsos, non ad perdendos accesserint. nam se in eorum etiam gratiam Cononem præfectum, & ceteros milites dimissurum, si, tradita sibi vrbe, discesserint. Hæc dicta & Neapolitani, & milites approbarunt. vt tamen fidem Imperatori seruarent, triginta dierum spacium ad deditionem faciendam petierunt: quo transacto, neque vllo subsidio misso, vrbem se tradituros spoponderunt. Totilas, vt spem auxilij omnem præcideret, trium mensium se daturum ostendit, dummodo pactis staret. quæ si fallerent, protinus se muris oppugnationem, à qua adhuc temperauerat, admoturum. His pactis, Neapolitani, quòd famem tolerare in dies magis sæuientem non possent, non expectato
543 spacio, Totilam cum Gotthis in vrbem receperunt. Iam annus alter inierat, cum Totilas Neapolim in deditionem accepit. tum vero mira benignitas eius erga captos eluxit. Nam Romanorum, qui inediæ diuturnitate afflicti erant, curam prope paternam suscepit. veritus enim ne, si se repentino cibo ad satietatem replessent, continuo interirent, ne quis vrbe abire posset, inhibuit, ac cibum parcius, quàm pro appetentia, præbuit. vbi vero vires eos recepisse vidit, patefactis portis abire, quò quisque vellet, permisit. Cononi pariter, & militibus animo suo obsequendi libertas data. ij naues ingressi, Romam iter intenderunt. verum, reflante vento, cum tenere cursum nequirent, rursus in magnam solicitudinem inciderunt, verentes, ne iterum in manus Totilæ deuenirent, atque ab eo quasi pactæ fidei sacramento soluto, aut pœnitentia tacto aliquid detrimenti acciperent. Quod vbi Totilas animaduertit, statim vniuersos ad se vocauit. & consolatus eos, noua fide data, securo esse animo iussit, & suo exercitui se immiscere, & quibus egerent, coemere permisit. sæuiente autem adhuc vento, equos, iumenta, & viaticum elargitus auctor fuit, vt terra contenderent, ac comites dedit, quò tuto adirent. Neapolis inde muros deiicere cum cœpisset, ne arx Romanis aduersus Gotthos in posterum esset, malens se campo cum Romanis, quàm dolo, confligere, tamen partem intactam reliquit. quendam virum strenuum, qui se virgini stuprum intulisse confitebatur, in carcerem, vt vltimo supplicio afficeret, condidit. qua re perspecta, Gotthi vicem eius soliciti ab eiusmodi proposito deterrere conati sunt. quibus ille respondit, eiusdem ingenij esse, delicto se obstringere, & delictorum supplicia impedire. omnino autem aut hunc pœnas dare, aut Gotthorum remp. interire necesse esse. postquam Theodahatus æquitatem diuitiis posthabuerit, Deum Gotthis minus propicium esse factum. præstantius autem esse, iustitiam custodire, quàm negligendo inuidiam concitare. neque enim qui virginem violauerit, probe se gerere in certaminibus posse. Quibus auditis, illi hominem repetere destiterunt. ipse vero, violatore necato, bona eius virgini violatæ largitus est. Hi tum erant Totilæ mores. Contrà vero Romani præfecti res subiectorum diripiebant, contumelias inferebant, in præsidiis scorta habebant, ac passim luxui, & temulentiæ seruiebant. quos imitati milites neque eorum imperatis obediebant, & se in omne flagitium demittebant. itaque miserrima euaserat Italorum conditio, vt qui ab vtroq; exercitu grauissime premerentur, agris à Gotthis, supellectile à Romanis exuti. ex quo Gotthorum iam teneri desiderio cœperant. Quibus rebus Constantianus, simulq; ceteri præfecti permoti litteras ad Iustinianum scripserunt, docentes, se non posse Gotthis resistere. Totilas autem litteras ad senatum Romanum misit, quibus, beneficiis Gotthorum, & iniuriis Romanorum erga illos expositis, absurde facere illos dixit, cum præsto sint, qui illorum vlcisci iniurias velint, non pati, se tantis incommodis liberari. eos debere occasionem quærere, qua veniam violatæ fidei apud Gotthos obtineant. eam vero optimam esse, si, fine belli non expectato, sibi consuluerint, &, emendatione adhibita, superiora delicta sarcierint. His litteris

per captiuum allatis Ioannes responsum dari prohibuit. quod videns Totilas, se-
cundas, itemque tertias misit, sanctissimo se iureiurando deuinciens, se nihil mali
Romanorum alicui allaturum. Litteræ incerto nuncio allatæ noctu publicis in lo-
cis affixæ sunt. quibus postera luce lectis, præfecti presbyteros quosdam Arrianos
eius criminis suspectos habuerunt, atq; vrbe continuo expulerunt. Qua re cogni-
ta, Totilas, exercitus parte in Calabriam missa, Hydruntem tentari, &, si non tra-
deretur, obsidione circumdari iussit, ipse vero cum reliqua ad circumiecta Romæ
loca ducere institit. &, vt addit Marcellinus, vrbes Campaniæ muris cinctas vasta-
uit, ac præcipue Tibur obsedit, pestilentia Italiam sæuissime populante. Hæc vero
vbi Iustinianus cognouit, licet Persico bello vrgeretur, tamen Belisarium inde euo-
cauit, atque ei iterum Italiam destinauit. Postero vero anno Belisarius, paucis mi- 544
litibus secum Constantinopoli eductis, omnem Thraciam circumiuit, pecuniaq;
effuse præbenda iuniores, ac voluntarios multos exciuit. Huic iussu Iustiniani Vi-
talis aderat Illyricorum præfectus, nuper ex Italia, militibus Illyricis ibi relictis, re-
uersus. Vtrique igitur, cum ad hominum quattuor millia contraxissent, Salonam
petierunt, eo consilio vt inde Rauennam contenderent, atque ex ea Gotthis bel-
lum inferrent. nam neq; per Romanum agrum tuto transire, neq; per Calabriam,
& Campaniam iter faciendo hostes fallere, neque eis inferre vim longe robore im-
pares poterant. Interim qui Hydrunte obsidebantur, commeatibus deficientibus,
de deditione colloquuti cum obsessoribus sunt. quæ cum conuenisset, dies ei rei
peragendæ est constituta. tum Belisarius, commeatibus in naues, qui satis ad an-
num essent, impositis, Valentinum Hydruntem misit, ac, primis custodibus abdu-
ctis, quos morbo, & fame contabuisse comperiebat, recentes, quos adduxisset, suf-
ficere alios iussit. sic enim, commeatu suppetente, vrbem facile in potestate man-
suram statuebat. Valentinus secundum, ac validum nactus ventũ, quarta antè præ-
stitutam deditioni diem nocte peruenit; &, portu sine custodibus inuento, nemine
resistente, oppidum init. Gotthi namque deditionem sequuturã pro certo haben-
tes, excubias segnius, ac negligentius agitabant. Itaque, vt classem aduersus se ve-
nire infestam viderunt, repente obsidionem trepidi reliquerunt. ac, translatis alio
castris, rem ad Totilam detulerunt. Inde Valentinus, imperio Belisarij expleto, Sa-
lonam cum exercitu rediit. His actis, Belisarius Polam classem applicuit, atque ibi
per aliquot dies lustrandi exercitus gratia mansit. Interim Totilas, vt Belisarij co-
pias ad liquidum exploraret, fidis nunciis litteras adulterinas Boni Genuæ præfecti
nomine scriptas ad eum perferendas dedit. atque, vt terrestrem, maritimumq; ap-
paratum eius cognoscerent, iussit. Petenti Bono, vt sibi auxiliatum in maxima ne-
cessitate veniret, Belisarius renunciari mandauit, se cum vniuerso exercitu prope-
diem affuturum. illi, lustratis omnibus, ad Totilam reuersi, nõ admodum magnas
eius esse copias rettulerunt. quæ dum aguntur, Totilas Tibur, quod ab Isauris te-
nebatur, proditione recepit. atq; in ciues omnia crudelitatis exempla edidit. inde,
Tiberi occupato, Romanos annona flumine deuehenda interclusit. Belisarius in-
terim cum vniuersa classe peruenit Rauennam, ac Gotthos, & Romanos, qui ibi e-
rant, sic appellauit: Non nunc primum quæ prudenter, ac fortiter gesta essent, ne-
quitia, & segnitie esse corrupta. quibus vt emendatio adhibeatur, in primis Iusti-
niano curæ esse. qui, victoria, quæ erat in manibus, de Persis omissa, se iterum in Ita-
liam miserit. Ceterum, cum ipse ad opem eis ferendam paratus sit, officij eorũ esse,
ne sibi tam necessario tempore desint, Gotthos amicos, cognatosq; suos ab Totilæ
amicitia reuocare debere. id si facere in animum induxerint, propediem eos, &
pace optatissima fruituros, & non minima præmia ab Imperatore consequuturos,
sin minus, haud dubie sibi hostium loco futuros. His dictis, Teramunthem armige-
rum cum Vitali, & Illyricis in Æmiliam misit, vt ea loca tentaret. qui Bononiam
progressus, præsidio se tradẽte, oppidum tenuit. verum mox ab Illyricis subita con-
sternatione domum abeuntibus est relictis, quòd dicerent, se stipendio, & reb. ne-
cessariis esse fraudatos. qua re cognita, Totilas magnam subito militum manum ad
recuperandam Bononiam misit. quos Vitalis cum Teramunthe in præparatas insi-
dias lapsos ita excepit, vt, magno numero interfecto reliquos in fugam coniecerit.

Teramunthes inde Auximum, quod à Gotthis obsidebatur, à Belisario missus, oppidum ingressus, præclara quædam egit. mox viribus suis diffisus consilium relinquendi oppidi habuit. itaq; Totilas rei non ignarus exercitum ita admouit, vt eorum ad ducentos, dum exirent, occiderit. Pisaurum, & Fanum initio belli Vitiges prope deleuerat, ne cui esse Romanis vsui possent. hoc cognito, Belisarius amicos Pisaurum immisit, qui portarum altitudinem, & latitudinem metirentur, mox fores ad eam dimensionem constructas, atq; eò nauibus missas portis aptari, præcepit. & muri quod dirutum erat, lapide, limoq; resarciri mandauit. Quam rem Totilas impedire conatus, vt frustra se tendere sensit, Auximum exercitum reduxit. ac, cognita tenuitate copiarum eius, partem militum in Picenum misit, qui Asculum Firmúmque circumsederent. Belisarius autem ex suis armigeris duos cum Bessa misit Romam, adiectis mandatis, vt vrbem intenti custodirent, neq; in hostem erum-
545 perent. sequenti vero anno, postquam sensit, se Firmanis, Asculanisq; opem ferre non posse, Ioannem Vitaliani filium ad Iustinianum cum litteris misit, rogatum, vt pecuniam, milites, atque arma mitteret, sine quibus se tanto bello finem imponere posse, diffideret. litteræ in hæc verba erant conscriptæ: In Italiam veni neq; viris, neq; armis, neque pecunia satis paratus. quibus demptis, rem præclarè nemo vnquam administrauerit. Thraciam, & Illyricum obeundo milites aliquot contraxi, sed inermes plane, atque imbelles. qui porro in Italia sunt milites, haudquaquam satis ad hoc bellum instructi sunt. nam & hostes, vt à quibus sæpe victi sunt, timent, neque propter contumaciam prioribus annis contractam imperatis nostris obediunt. nos autem neque propter debita eis stipendia acriter aliquid eis pro imperio mandare audemus, neque, occupata à pristinis hostibus Italia, pecunias exigere pro arbitrio possumus. Si Belisarium in Italiam tantummodo mittere animus fuit, bene habet. ego in media Italia sum. at, si victoriam de hostibus ferre, voluntas est, res ad id necessariæ sunt comparandæ. neque enim sine auxiliis bene res geri bellica potest. Ioannes cum his mandatis Constantinopolim profectus, vxore virgine nobili ducta, tempus nuptiis operam dando contriuit, ac nihil mandatorum peregit. Interea Totilas Firmum, & Asculum adduxit in potestatem, atque inde in Tusciam profectus, Spoleto, Asisioq; admouit obsidionem. Spoleto præerat Herodianus, Asisio Sifridus, homo genere Gotthus, sed Romanorum studio præcipue deditus. Herodianus cum hostibus colloquutus, triginta dierum inducias pepigit cum eo, vt si nulla interim à Belisario auxilia mitterentur, oppidum cum ciuibus, ac militibus traderet; filiamq; pro futura deditione obsidem dedit. vbi vero præscriptum tempus venit, neque auxilia Romanorum apparuerunt, ex pacto oppidum tradidit. Sifridus autē, facta cum suis in hostes eruptione, multis amissis, & ipse occubuit. itaq; Asisiates, duce amisso, consilij inopes statim deditionem fecerunt, Post hæc Totilas ad Cyprianum misit, rogans, vt Perusiam traderet. à precibus inde ad minas, nisi paruisset, se contulit. quas vbi negligi vidit, varie animū eius versando pecuniæ quoq; vim ingentem se daturum, si sibi obsequeretur, ostendit. ad extremum, vbi postulata sua recusantem vidit, Vliarem armigerū eius pecunia corrupit, ac per eum dolo necauit. atque, his rebus ex sententia administratis, Romam demum se contulit. eámque subito obsidendi caussa corona militum cinxit, interim agricolis per totam Italiam terram sine molestia colere, ac sibi tributa, fructus dominis dare permissis. Aduentum Totilæ cognitum præfecti Artasires, & Barbatio non tulerunt, ac statim, licet improbante Bessa, eruptione facta, compluribus cæsis, reliquos fugauerunt. verum cupidius eos multæ viæ spacio insequuti cum in insidias incidissent, maiore suorum parte amissa, vix euaserunt. quo factum est, vt in posterum ab eruptionibus, licet vehementer ab hostibus lacessiti, se abstinuerint. Interim vrbem fames, vt antè, ingēs inuasit. neq; enim vllæ per obsessores in vrbem inuehi fruges poterant, atq; omnino interclusæ res maritimę erant. nā Gotthi Neapoli potiti, minoribus nauigiis omnes insulas appetebant, ac quinam ea nauigarēt, diligentius obseruabant. & naues omnes è Sicilia in portum Romanum tendentes cum oneribus intercipiebant. Placentia, vt inquit Procopius, omnium tum vrbium Æmiliæ præstantissima, atq; ad Padū loco, præsidióq; munita sola erat in Romanorum

rum

rum poteſtate relicta. hanc igitur Totilas, tranſmiſſo exercitu, quacunque ratione capi mandauit. Gotthi vero, vbi Placentiæ appropinquarunt, per legatos, vt ſe dederent, comiter tentauerunt. poſtquam comitas non proceſſit, non procul ab vrbe caſtra poſuerunt, &, quòd Placentinos rebus neceſſariis laborare didicerant, obſidione circumſteterunt. Romæ multi in ſuſpicionem proditionis vocati. inter quos Cethegus ſenator egregius. qui ob id vrbe profectus adiit Centumcellas. Interim Beliſarius vicem vrbis Romæ, atq; adeo totius Italiæ anxius, vt qui Rauenna nihil eò afferre ſubſidij in tantis copiarum anguſtiis poſſet, Romam proficiſci conſtituit, & circumiecta vrbi loca occupare, vt ex propinquo ſuis laborantibus auxilium ferret. iam enim, quòd à principio Rauennam tenuiſſet, pœnitentia ſubibat, quòd, ſe ibi incluſo, hoſtes liberius Italiam peragraſſent. itaque, Iuſtino cum paucis in Rauennæ præſidio conſtituto, inde ceſſit, ac Dalmatiæ oram legens Dyrrachium adiit. ac, miſſis ad Iuſtinianum de præſentibus rebus litteris, ibi exercitum ſubmittendum expectauit. Iuſtinianus Iſaacem Armenium cum exercitu ex barbaris, Romaniſq; conſcripto Dyrrachium deſtinauit, Narſetem vero eunuchum ad ſolicitandos Herulos miſit. quare Herulorum multi Narſetem ſequuti, in Thraciam hibernatum venerunt, vt proximo vere ad Beliſarium ſe conferrent. Beliſarius autẽ Valentinum, & Phocam cum magna militum manu ad Romanum portum cuſtodiendum, & Gotthos crebris eruptionibus fatigandos miſit. Hi profecti Beſſæ, qui vrbem tenebat, clam nunciandum curant, ſe impreſſionem facere in hoſtem velle, proinde monere, vt fortiſſimum quemque ex vrbe emitteret, vbi primum ſe incurriſſe audiſſet. &, licet Beſſa hoc conſilium improbante, cum quingentis in caſtra inuecti paucos quoſdam interfecerunt, ac, nemine auxilio ex vrbe prodeunte, integri omnes, ac, nemine amiſſo, ſe receperunt. poſt paulo ad Beſſam eadem miſerunt, ipſum ignauiæ, quòd occaſioni defuiſſet, inſimulantes. quibus Beſſas reſpondit, ſe ob gratiam nequaquam in aciem cum hoſtibus proditurum. neque ſecius ſecundam irruptionem facere ſtatuerunt. verum, cum maiore animo, quàm conſilio, incurriſſent, ſeſe in inſidias immiſerunt, quas Totilas à milite alterius ducis Nocentij monitus præparauerat. ac magna ſuorum iactura mortem oppetierunt, pauci ſe in portum incolumes recepere. Ad cetera mala, quibus iampridem premebatur Eccleſia, hoc quoque nouum acceſſit. In Palæſtina doctrina Origenis olim condemnata reuiuiſcere cœpit. qui cenſuerat, animos ante corpora exiſtere, deq; corporibus in corpora commigrare, finem ſuppliciorum aliquem fore, dæmones in priſtinum ſtatum aliquando reſtitutum iri, corpora noſtra non eadem reſurrectura. Cum autem hanc peſtem ſerpere videret Euſtachius Hieroſolymorum epiſcopus, ſectatores huius opinionis omnes ex monaſterio, quod Noua Laura dicebatur, eiecit, ac Conſtantinopolim Rufum, & Cononem abbates hac de re miſit. quibus fautorem ſe præbuit Pelagius diaconus, Vigilij pontificis apocriſarius, cum peteret, vt is capita quædam ex libris Origenis, tanquam rectæ fidei contraria, condemnaret. id autem Pelagius ea re maxime fecit, vt Theodoro epiſcopo Cæſareæ Cappadociæ noceret, qui tum in aula Imperatoris gratia, atque auctoritate florẽs, has opiniones ſibi defendendas ſuſceperat. itaq;, iubente Iuſtiniano, damnatio promulgata eſt, cui Menas epiſcopus Conſtantinopolitanus ſubſcripſit. eáque ad Vigilium pontificem Romam miſſa, eius quoque ſubſcriptione firmata eſt. Damnato iterum poſt mortem Origene, Theodorus Cæſarienſis dolore incenſus quæſiuit, num fas eſſet mortuos anathemate iugulare? cui Eutychius diaconus pro Amaſienſi epiſcopo dicendi locum nactus, reſpondit, licere. nam regem Ioſiam non modo ſacerdotes, qui dæmones colebant, viuentes trucidaſſe, ſed etiam mortuorum ſepulchra effodienda curaſſe. Quo dicto Cæſarienſis exacerbatus damnationem in Theodorum Mopſueſtenum epiſcopum mortuum, atque à Catholicis Concilio Chalcedonenſi laudatum hoc modo molitus eſt. Subſcribente Iuſtiniano contra Acephalos pro Concilio Chalcedonenſi accedẽs Cæſarienſis dixit, poſſe eum Acephalos ad Eccleſiæ communionem adducere, ſi Theodorum Mopſueſtenum, Theodoritum Cyrenſem, & Ibam Edeſſenum à Concilio Chalcedonenſi receptos damnaret. nam hoc pacto eos ſine detrectatione Chalcedonenſe Con-

cilium tanquam purgatum approbaturos. Cui Iustinianus assensus, libello edito, eos damnauit. atque episcopos, qui tria capita Concilij Chalcedonensis respuerent, omnibus muneribus affecit, qui dissentirent, in exilium egit. vt Liberatus litteris prodidit. quæ res tantum in Ecclesiam tumultum inuexit, vt post aliquot annos generali disquirenda Concilio fuerit. Huic incommodo alterum est adiunctum. Romani quidam Vigilium pontificem apud Iustinianum accusarunt, quòd Siluerium decessorem suum abdicandum curasset, quòd Romanos male habuisset, & quòd mortem homini attulisset; nam notarium ipsius alapa ab eo percussum interisse, & filium cuiusdam viduæ obtritum calcibus expirasse. quibus criminibus auditis, Theodora, occasione vlciscendi arrepta, Anthimum scribam suum Romam misit, iubens, vt quocunque in loco Vigilium inueniret, præterquam in basilica Sancti Petri, comprehenderet, & impositum in nauim ad se adduceret. qui veniens, comitatu assumpto, Vigilium in æde Sanctæ Cæciliæ decimo Kalendas Decembris, (nam eo die sanctæ Virginis natalicia celebrantur,) munera populo erogantem offendit, & captum ad Tiberim extemplo deduxit, atque in nauim in Græciam auehendum imposuit. qua re animaduersa, populus magnopere doluit; ac continuo subsequutus est, vt precationem acciperet, eáque accepta, respondit: *Amen.* ac continuo nauis amota est. Hoc vnum inter maxima Iustiniani crimina fuit, quod exemplo plurimum Ecclesiæ in posterum obfuit. In Siciliam inde deuectus Vigilius, officium tamen suum non deseruit. nam & per mensem Decembrem, vt moris erat, sacris ordinationibus in vrbe Catanensi vacauit; & Ampliatum presbyterum, & vicedominum suum, & Valentinum Sanctarum Rufinæ, & Secundæ episcopum, vt Lateranum custodirent, & clerum administrarent, remisit, & cum iis magnum frumenti numerum impositum nauibus ad subleuandam ciuitatis inopiam destinauit. Harum nauium aduentu præcognito, Gotthi priores in Portum venerunt, & se intra mœnia condiderunt, vt eas accedentes inuaderent. quas custodes, qui erant in mœnibus, conspicati, è propugnaculis, veste alte sublata, signum nautis ad se prodeuntibus dederunt, ne prope accederent, sed alio cursum dirigerent. illi vero lætitiæ sui aduentus signum illud esse putantes, prospero flante vento, Portui successerunt. itaque barbari omnes repente ex insidiis erumpentes, naues cunctas, nemine defendente, ceperunt, & Valentinum episcopum cum Romanis correptum ad Totilam deduxerunt, ac, ceteris obtruncatis, nauibúsque remulco cum oneribus tractis, abierunt. Valentinus à Totila quibusdam de rebus rogatus, cum mendacij esset conuictus, ambabus manibus est multatus. Vigilius è Sicilia deductus Constantinopolim in Vigiliis dominicæ Natiuitatis vrbem ingressus est. quem obuius Iustinianus tanta comitate excepit, vt lacrymas, osculáq; reddiderit. plebs autem honoris eius caussa vsq; ad ædem S. Sophiæ psallens incessit: *Ecce aduenit dominator Dominus.* Po-
546 stero autem anno, solicitatus iterum ab Augustis, vt Anthimum restitueret, se facturum negauit, minantibusq; illis dixit: Video, me non ad Iustinianum, & Theodoram venisse, sed ad Diocletianum, & Eleutheriam. facite, vt libet. digna enim factis recipio. Hæc dicentem percussit eum alapa quidam, qui aderat, inquiens: Homicida nescis quibus cum loquaris? nescis, te Siluerium pontificem occidisse, & filium viduæ calcibus allisisse? Tum fugiens in ædem S. Euphemiæ columnam altaris amplexus est. Inde eiectus per totam vrbem tractus, atq; in carcerem traditus modico pane, & aqua vitam misere tolerauit. Clerus autem Romanus, qui cum eo erat, ad metalla effodienda est amandatus. Eodem anno Romani, qui Placentiæ erant, inopia rei frumentariæ vsqueadeo laborare fame cœperunt, vt carnes humanas esui adhiberent. quibus malis adacti semet cum vrbe hostibus dediderunt. Erat tum Romæ Pelagius diaconus, qui nuper Constantinopoli profectus cum ingenti pecunia à Iustiniano sibi donata Romam, antequam obsidione cingeretur, aduenerat, & in ipsa obsidione pecuniam eam comiter indigentibus elargitus, maximam beneficentiæ laudem pepererat. Hunc igitur Romani, cum famis impotentia durius sibi consulere cogerentur, Totilam rogatum miserunt, vt paucorum sibi dierum inducias daret, ea lege, vt si intra id tempus nullum Constantinopoli auxilium

acces-

accessisset, deditionem vrbis, suiq; perficerent. Quem vt Totilas vidit, vltro alloquutus monuit, ne tria hæc à se postularet; vt Siculis parceret, vt vrbis mœnia conseruaret, vt seruos restitueret. reliqua se liberius indulturum. Cui Pelagius respondit: Quoniam præ te fers, quem erga Romanos, qui aduersus te arma ceperunt, animum geras, qui in Siculos nihil tibi aduersatos acerbissimũ odij virus effundas, legationem ad Deum reiiciam, qui supplicum odisse contemptores solet. atq; his dictis discessit. quem vbi, irrita legatione, redeuntem Romani videre, repente dolore grauissimo exarsere. ac lacrymarum, sordiumque pleni Bessam, & Cononem appellauere, petentes, vt aut sibi tanquam seruis alimenta suppeditarent, aut, si id non possent, manus inferrent, neque honestam mortem inuiderent, atque vno ictu Romanos infinitis miseriis liberarent. quibus præfecti responderunt, neque commeatus dare, suæ facultatis, neque manus inferre, suæ pietatis esse. Belisarium autem affirmare, se propediem cum auxilio affuturum. Fames inde gliscens cibos quosdam absurdiores, & à natura alieniores assumere compulit. Præfecti vero frumenti maximum numerum sibi, fraudatis sua necessitate militibus, in vrbe sepositum primoribus ciuibus magna pecunia vendiderunt, nam medimnus septem aureis stetit. qui vero non tantas habuere facultates, quarta eius precij parte depensa, ac furfure empto, panem ex eo vt sordidum, sic in tanta necessitate suauissimum, confecerunt. Bos aureis quinquaginta à Bessa est venditus. alij equos, alij vrticas, atque herbas alias in locis incultioribus emergentes ederunt. qui pecunia caruerunt, domesticam supellectilem pro diurno cibo mutarunt. Vbi frumentum omnino consumptum est, cunctis ad vrticas, canes, muresque se contulerunt. Hinc macie extenuati colorem statuarum similem contraxerunt, atque aut incedentes, aut mandentes exanimati sunt. fuisse etiam dicuntur, qui ciborum loco excrementa corporum asciuerunt. Vir quidam à filiis quinque rogatus, vt panem præberet, dolore dissimulato, eos se subsequi, tanquam accepturos, iussit, vbi vero ad Tiberis pontem peruenit, in flumen se capite obuoluto præcipitauit, filiis, ceterisque regionis eius Romanis spectantibus, ac casus eius diritate attonitis. quidam etiam sæuos morsus in sua membra verterunt. quare præfecti ea ciuium desperatione perculsi iis, qui exire vrbe vellent, pecunias tradiderunt, ac, quò luberet, copiam abeundi fecerunt. ita, paucis exceptis, omnes exiere. quorum plerique, arescentibus præ inedia membris passim, nonnulli ab hostibus intercepti, periere. Interim Belisarius cum vniuersa classe Dyrrachio profectus, prospero vsus vento, Hydruntem accessit. inde in Portum Romanum prouectus Ioannem expectare cum exercitu cœpit. At Totilas omnes ad vrbem aditus intente obseruans, ne quid importaretur, quod obsessorum subleuare miserias posset, in parte angusta fluminis trabes longas in vtramque ripam pertinentes in modum pontis constituit, ligneasque vtrinque turres excitauit, in hisque pugnacissimos viros imposuit, ne lembis ex portu in vrbem aditus pateret. Dum hæc autem aguntur, Ioannes in Calabriam progressus, Gotthis, qui Brundusij erant, imprudentibus, capti exploratoris indicio, equorum hostilium greges auertit, atque ad castra hostium cursu citato profectus, atque imparatos, & dearmatos adortus plerosque occidit. inde, Calabris in fide Belisarij confirmatis, Canusium venit. ibi à Tulliano quodam Lucano, viro inter suos potenti, conuentus est, affirmante Italicos iniuriis Romanorum compulsos ad Gotthos defecisse, si pristinam eorum in se beneuolentiam recepissent, haud dubie ad auctoritatem Imperatoris se relaturos. neque enim vltro ad barbaros, & Arrianos concessisse. Ioanne autem curaturum se omnia, quæ peterent, pollicente, suas mox Tullianus copias iunxit. atque ita omnes Italos earum regionum ad auctoritatem Imperatoris redegit. Quibus rebus compertis, Totilas trecentos Gotthos delectos Capuam misit, iussos, vbi Ioannem illac transire viderent, occulte sequerentur, ita vt non sentiret, ac cetera sibi curanda relinquerent. Ioannes autem veritus ne ab hoste circumueniretur, in Bruttios, Lucanosque recessit, ac Ricimundum eius regionis custodem ex improuiso adortus, trepidum in collem auertit, ac, multis obtruncatis, ad deditionem adduxit. atque inde, transitu ad vrbem desperato, in Apuliam retrocessit. Belisarius autem,

tempore Ioanne expectando consumpto, veritus, ne Romani victus necessitate adacti facinus aliquod inexpiabile molirentur, commeatus quouis modo in vrbem intromittere nixus, talem machinationem instituit. naues duas ex iis, quas Græci acatas dicunt, patentiores inter se tignis reuinctis iunxit, ac ligneam turrim imposuit, altiorem iis turribus, quæ à Totila in ponte fuerant excitatæ. inde naues ducentas, quas dromadas appellant, in Tiberim iecit, circumuallatas ligneis muris, eisque vndique perforatis, vt ex foraminibus petere hostem possent. demum, frumento, rebúsque necessariis impositis, militibus manu promptis expleuit. inde pedites, equitésque circa fluminis ripas constituit, qui hostium in Portum impetum prohiberent. Isaaci autem intra Portum relicto vxorem Antoninam, & sua cetera commendauit. neque inde abire iussit, vt haberet, quò ab hostibus forte pressus refugeret, ceteris circumiectis locis late ab hostibus occupatis. His ita constitutis, ipse nauim vnam ingressus est, in qua turrim ligneam construxerat, ac lembum in fastigio collocarat, pice, sulfure, seuo, ceterísque ignis alimentis refertum. ac classem à terra trahi militibus imperauit. Ex altera Tiberis parte Portuensi via pedestri exercitu venire subsidio iusso, nuncium ad Bessam, vt postridie, eductis copiis, castra turbaret hostium, misit. quod ille exequutus non est, vtiliorem sibi videns esse obsidionem, cum adhuc aliquid frumenti haberet, quod senatoribus venderet. Belisarius, & Romana classis, cum propius ad pontem, nullis Gotthis occurrentibus, accessissent, in stationes hostium incidunt, qui ab vtroque fluminis latere ad pontis tutelam ferreas cathenas iniecerant, ne procedere ad pontem Romani possent. sed, custodibus partim stratis, partim auersis, ad pontem succedunt, atque hostes inuadunt, & pontem, defatigatis illis, capiunt. Tum Belisarius, nauibus, in quibus turres erant, ad pontem admotis, incendi lembos iubet, & in ligneam Gotthorum turrim materiam eam immitti. quo incendio turris correpta vnà cum ducentis militibus flagrauit. Ea re Romani alacriores effecti è castris opitulatum suis venere, atque hostibus acrius institere, ac metu territos in fugam egere. Ponte inflammato, iam aditus in vrbem erat patefactus, cum rumor ad Portus oppidum perfertur, Belisarium Gotthos superasse, & cathenam in flumine recidisse, & pontem cum turri succendisse. quo permotus Isaaces, ne tantæ expers victoriæ esset, spreto Belisarij imperio, in alteram ripam cum equitibus centum traiecit, & ad hostium castra profectus, Rodoricum ducem, & Gotthos repente adortus sic exterruit, vt castra relinquerent. qui mox animo collecto reuersi, Romanos prædæ colligendæ intentos inuaserunt, ac, pluribus cæsis, Isaacem cum paucis viuum cœperunt. Hac re audita Belisarius confusus, ac Portum vnà cum vxore in potestatem venisse hostium credens, tanto dolore effectus est, vt ne hiscere quidem posset. itaque exercitum protinus reduxit, atque ad Portum ire contendit, vt hostes imparatos opprimeret, & locum recuperaret, quem amissum putaret. vbi vero se opinione deceptum tantam victoriæ amisisse occasionem cognouit, graui repente febri oppressus est, quæ illum diuturnitate sua vsqueadeo macerauit, vt ad mortis quoque discrimen adduxerit. Post biduum, Rodorico ex humanis rebus erepto, Totilas tantum doloris concepit, vt statim Isaacem captiuum occiderit. Bessas interim frumentum impensius, precium egentium necessitate augente, vendebat, & murorum custodias negligebat. itaque, nemine muros obeundo custodias inuisente, Gotthi mœnibus liberius insultabant. Hac negligentia inuitati quaterni custodes Isauri stationes ad portam Asinariam nacti nocte concubia è pinnis ad terram reste se demiserunt, & Totilam adeuntes, excepturos se intra vrbem ipsius exercitum spoponderunt. atque promissis ingentibus onerati in vrbem per funem reuersi Gotthis, quos secum deduxerant, modum rei peragendæ ostenderunt, & custodibus conniuentibus remiserunt. Cum Totilas parum Isauris fidens rem differret, illi haud ita multo pòst eadem monentes reuerterunt, atque iterum duos alios ab eo datos, qui omnia perlustrarent, duxerunt. qui reuersi priorum simillima rettulerunt. Interea Romani milites multi exploratum, quid Totilas ageret, à Bessa emissi Gotthos decem captos in vrbem perduxerunt. qui à Bessa rogati, quid Totilas animo agitaret,

respon-

responderunt, Totilam in spem ingressum, se per Isauros quosdam vrbem occupaturum. sed tamen Bessas, & Conon omnia neglexerunt, neq; vrbis custodiendæ acriorem vllam curam propterea susceperunt. Interim tertium Isauri ad Totilam accesserunt, eumq; ad rem aggrediendam magnopere incitarunt. tum ille alium sibi cognatione coniunctum speculatum misit, qui reuersus eadem, quæ ceteri, confirmauit. Itaq;, expedito vrbis aggrediendæ consilio, primis tenebris vniuerso exercitu armato ad portam Asinariam prodiit. & quaternos Gotthos præualidos viros, Isauris ducibus, per funem in muros iubet ascendere. Hi, cum eadem nocte, qua Isauris ipsis custodia obuenerat, euasissent, dormitantibus ceteris, ad fores Asinarias aperiendas descendunt, &, ferreis claustris refractis, aditum patefaciunt, & patentibus portis Totilam cum vniuerso exercitu in vrbem recipiunt, eo die, qui XVI Kal. Februarij fuit, vt Marcellinus adiecit. Totilas ingressus, confestim in vnum locum copias omnes coëgit, neque eas vagari permisit, siue hostium insidias veritus, siue, vt inquit Anastasius, vt spacium Romanis daret, quo in templa confugerent. neq; enim auidus eorum sanguinis erat. Tumultu in vrbe, vt in tanto casu solet, exorto, Romanorum militum pars maxima cum ducibus ipsis, vt cuique commodum fuit, fugam arripuere. pauci quidam Romanis se ciuibus immiscentes, in templa perfugium habuere. soli Decius, & Basilius ex patriciis, cum præparatos ad id equos haberent, cum Bessa effugere potuerunt. Maximus, Olybrius, Orestes, & alij quidam in basilicam S. Petri se recepere. è plebe in vrbe tantum quingenti remanserant, qui templa adeuntes salutem sibi pariter quæsiuere. ceteri aut in alias terras, vt diximus, se contulerant, aut pestilentia interierant. Bessam fugisse cum audisset Totilas, neminem insequi voluit, nihil sibi acceptius ab hoste fieri asserens, quàm vt fugam capesseret. Vbi illuxit, nec vlla suberat insidiarum suspicio, idem orandi caussa templum S. Petri iniuit. Gotthi vero hostili more quos obuios habuerunt, nece strauerunt, milites quidem viginti, è plebe autem homines sexaginta. Ineunti Totilæ templum Pelagius diaconus occurrit, Christi euangelia in manibus gestans, ac genibus positis supplicabundus, Parce, inquit, ô princeps tuis. cui ille cachinnās respondit: Nunc mihi demum supplicaturus aduenisti Pelagi? tum ille, Maxime, inquit, quoniam tuum me seruum effecit Deus. verum ab his iam abstine manus, qui tibi in seruitutem cessere. His percitus vocibus Totilas, militibus edicto suis mandauit, ne quem posthac Romanorum occiderent, atq; vrbem ita diriperent, vt sibi preciosissima quæq; seruarent. Magna in ædibus nobilium præda est inuenta. sed quam Bessas reliquit magnitudine reliquam antecessit, vt qui nefarium illud frumenti diuenditi precium in Totilæ commoda cumulasset. Rusticiana Boëtij quondam vxor bonis omnibus spoliata eo mendicitatis adducta est, vt ab hostibus panem, ac cetera necessaria corrogauerit, seruilibus indumentis induta, quæ egentes sua beneficentia sustentarat. idem & multi alij primores Romanorum fecerunt. neq; ea res tum pudori fuit. Rusticianam etiam à Gotthis insimulatam, quòd per milites Romanos Theodorici regis statuas deturbasset, Totilas metu, periculoque mortis exemit, atq; vna cum ceteris fœminis conseruauit. quæ res effecit, vt nulla vim passa sit. Postridie Gotthis omnibus aduocatis ita disseruit: eos eadem se monere, quæ antea. nempe vt iustitiam, ac continentiam colerent. neque enim quidquam Deo acceptius esse. argumentum ex eo sumerent, quod, cum, æquitate posthabita, indigna aduersus Italos perpetrarunt, centum millia hominum à septem millibus victi, ac primum imperio, deinde rebus omnibus spoliati sint. postquam resipuerint, paucos, eosq; nudos, & ignauos triginta millia deleuisse. quamobrem hortari illos, vt in proposita sententia maneant. Inde, Romanis senatoribus accitis, exprobrauit, quòd Theodorico multis ornati beneficiis male gratiam retulissent, ac Græcos in vrbem inuexissent, identidem eos interrogans, nunquid mali à Gotthis, nunquid boni à Iustiniano tulissent? quo Imperante, satis constaret, ipsos magistratibus omnibus spoliatos esse, sępe ab exactoribus vapulasse, atque in pace non aliter, atque in bello, tributa contulisse. Tacentibus autem senatoribus, Pelagius, qui aderat, se interposuit, ac pro illorum salute supplex orare instituit. neque ante finem precandi fecit, quàm ille se erga ipsos

clementiam ſuam præſtiturum oſtendit. His actis, Pelagium inde diaconum & Theodorum rhetorem Conſtantinopolim ad Iuſtinianum cum litteris miſit, rogans, vt partes apud eum ſuas agerent, atq; omnibus viribus ab eo ſibi pacem, atq; amicitiam impetrarent. ne, ſi irrito poſtulato rediſſent, ipſe vrbem diruere, atq; in ſenatores animaduertere cogeretur. Hi profecti litteras reddiderunt, quæ erant in hanc ſententiam ſcriptæ. Quæ vrbi Romæ contigerint, ea te arbitror cognouiſſe. hos viros poſtulatum mitto, vt bona pacis tibi aſciſcas, & mihi tribuas. cuius fructus teſtes locupletiſſimos habes Anaſtaſium Imperatorem, & Theodoricum regem, qui, pace ſeruata, bonis omnibus ſua tempora cumularunt. ſi hæc præſtiteris, merito ego te parentem appellabo, & tu me in bello ſocium obtinebis. Iuſtinianus autem, litteris lectis, mandatisq; perſpectis, reſpondit, ſe rebus bellicis Beliſarium præfeciſſe, eiq; liberam poteſtatem rerum, quæ ad Totilam pertinerent, dediſſe. Interea vero, dum legati vltro, citroque commeant, Tullianus in Lucania, contracta agreſtium manu, ſaltum quendam anguſtiorem incedit, ne hoſtes Lucaniæ detrimentum illaturi ea peruaderent. cum Tulliano vero trecenti etiam Antæ erant, ob id ibi à Ioanne præfecto relicti. quæ vbi accepit Totilas, agreſtium & ipſe multitudinem conuocauit, ac, nonnullis Gotthis adiectis, anguſtias eas inuadere iuſſit. qui profecti, cum inferre vim voluiſſent, paſſi ſunt, magno ab Antis detrimento accepto. qua re incenſus Totilas vrbis partem tertiam diſturbauit. Pulchriora etiam, & magnificentiora ædificia incendio delere impetus cepit. quod vt Beliſarius audiit, has ad eum litteras miſit. Vt ſapientis fuit, ædificia, quæ antè nulla erant, ad vrbium ornamenta conſtruere, ſic quæ eas illuſtrant, euertere velle, hominis eius videtur, qui prudentia careat, & quem poſteris prodere ſuæ iniquitatis monumenta, non pudeat. Roma omnium vrbium, quæ illuſtrantur à ſole, magnitudinem, ac ſplendorem antecedere exiſtimatur. neq; enim vnius viri virtute, neq; parui temporis interuallo ad tantum faſtigium dignitatis aſcendit. ſed multi Imperatores, multis annis, multisq; copiis ex vniuerſo terrarum orbe opifices coëgerunt, qui eam paulatim ædificando virtutum omnium monumentum poſteris prodiderunt. Quare hæc tua comminatio ſempiternam mortalibus iniuriam inferet. nam & virtutis auctoribus, præclarum monumentum, & poſteris viſendum ſpectaculum adimet. Quin etiam illud conſideres velim, ex his duobus alterum neceſſario ſequuturum, vt ipſe hoc bello aut victus, aut victor diſcedas. ſi viceris, & Romam deleueris, non alterius vrbem, ſed tuam exciderîs; ſi victus eris, gratiam apud victorem, eamq; non mediocrem inieris. & qui in ceteros clemens fueris, facilius clementiam conſequeris, & iniquas illas hominum voculas deuitabis, meritas te pro tam egregia vrbe deleta pœnas dediſſe, dicentium. His litteris ſemel, atq; iterum lectis, totaq; re diligenter ad rationem reuocata, demum Totilas vrbi ſibi parcendum conſtituit. & remiſſis legatis, Beliſarij conſilio ſe pariturum reſpondit. Ac, maiore exercitus parte in Algidum miſſa, vt Beliſarij militibus vagandi poteſtatem adimeret, ipſe cum reliqua in Lucaniam aduerſus Ioannem contendit. & nobiles Romanos alios ſecum deduxit, alios cum coniugibus, & liberis in oppida Campaniæ diſpertiuit. Vrbs Roma, incolis omnibus amotis, prorſus eſt deſtituta, memorandum inter pauca exempla humanæ fortunæ ludibrium, ac ſpectaculum ipſis etiam hoſtibus, quanquam ab omni humanitate remotiſſimis, miſerandum. Ioannes, vt in ſe venire Totilam ſenſit, citato agmine ex Apulia Hydruntem ſe rettulit. Tullianus vero ad Ioannem cum Antis. Nobiles, qui in Lucaniam venerant, agreſtibus, qui cum Tulliano ſaltus anguſtias obſeruabant, Totilæ permiſſu, perſuaſerunt, vt ad agros ſuos colendos redirent. ita vlterior Italia ferme tota Gotthorum in ditionem reuertit. Tum Gotthi liberius vagari, atq; omnia prædando ſine metu circuncurſare cœperunt, quouſq; Ioannes, cohortibus aliquot emiſſis. pleroſq; eorum occidit. quo terrore captus Totilas copias omnes collegit, atq; inde Garganum ſe rettulit. Marcianus Cononis miles, cum à Beliſario ad Totilam ſimulata defectione tranſiſſet, ab eo benigne acceptus Spoletum cum aliis nonnullis eſt miſſus. Gotthi, Spoletum ab Herodiano ſibi proditum cum cepiſſent, muros diruerant, atq; amphitheatrum, quod erat in vrbe, ita munierant,

vt omnes aditus obsepirent, præsidiumq; ex Gotthis Romanisq; perfugis imposuerant. Marcianus autem, contracta cum nonnullis præsidiariis militibus amicitia, persuasit; vt illustre aliquod facinus aduersus barbaros molirentur, atq;, opera bene nauata, ad Romanos reuerterentur. ita, re composita, Perusiam ad eius præsidij ducem Oldigam Hunnum mittunt, eoq; de consilij sui ratione commonefacto vt Spoletum milites mitteret, rogant. Profectos vbi Spoleto appropinquare Marcianus cognouit, cum militibus quindecim, quos sibi adiunxerat, ducem præsidij occidit, apertis portis, Romanos intra oppidum recipit. Per eos etiam dies Belisarius cum delectis mille militibus Romam ad eius statum explorandum contendit, ac magnam Gotthorum manum, qui circa vrbem in insidiis consederant, in se erumpentem fortiter excepit, ac, plerisq; in fugam versis, multisq; interemptis, Portum repetiit. Ioannes Tarentum à ciuibus nonnullis introductus iniuit, & vrbem, quippe magnam, muro se munire posse diffisus, Portum fossa, valloq; firmauit, atq; intra id spacium oppidanos, incolasq; regionis reduxit. locoq; præsidio confirmato, Calabris ad transeundum animum addidit. Totilas, cum in Lucania oppidum Acherusiam occupasset, idq; trecentorum virorum præsidio communisset, barbaris quibusdam ad ea Campaniæ loca missis, quæ à Romana nobilitate incolebantur, cum reliquo exercitu Rauennam versus intendit iter. Interim Belisarius animum ad recuperandam Romam admouit. itaq;, paucis in præsidio Portus relictis, cum ceteris eo accessit, ac partem mœnium à Totila deturbatam lapidibus temere coaceruatis, ac nullo cæmēto interlitis sepsit, atq; exterius ingenti sudium ordine fulsit. vt quando instaurare non posset, saltem aliquam speciem ædificij daret. circa muros vero fossam profundiorem duxit, vniuerso per dies quindecim in id opus exercitu incumbente. Inde Romanos, qui circuniecta tenebant oppida, reuocauit. qui partim desiderio vrbis, partim copia rerum necessariarum, quas ille abunde inuexerat, summo studio redierunt. Nondum fores portis præ paucitate opificum imposuerat, cum Totilas hac de re certior factus superuenit, ac castra super Tiberim posuit. & postridie sub ortum solis ira fremens murum libere circuiuit. qua re animaduersa. Belisarius pugnacissimos quosque alios portis, alios muris custodiendis opposuit. Barbari clamoribus Romanos se perterrefacturos, vrbemque primo impetu capturos, sperarūt, sed Romani rei indignitate accensi, furore in audaciam verso, supra vires pugnantes ad omnem impetum fortiter excipiendum se incitarunt. atque ex superiore loco barbaros ferientes cædem ingentem fecerunt. Demum, vtrisq; labore, lassitudineq; confectis, prœlium sub occasum solis dirimitur. Noctem inde Gotthi traduxerunt sauciis curandis, Romani vigiliis in muris. & ad portas per vices agendis, ac tribulis extra portas disseminādis, vt subitam hostium impedirent impressionem. Postridie Totilas ad oppugnanda mœnia cum vniuerso exercitu rediit. Romani vero alacrius etiam, superiore elati prœlio, restiterunt. ac cedentes barbaros nonnulli insequi cœperunt. quos longius prolapsos Gotthi erant circunuenturi, ne se posthac ad vrbem recipere possent, nisi, periculo cognito, Belisarius, emissis aliquot è suis, eos seruasset. Hoc damno non contentus Totilas post aliquot dies tertiam oppugnationem instituit. turpiterq; item à muris repulsus, cum in fugam se contulisset, multos è suis desiderauit. vehementer à reliquis increpitus, quòd Romam semel captam non funditus deleuisset, ne quando à Romanis recipi posset, atq; ipsi in ea recuperanda tantum laboris exhauriendum esset, oblitis, quantis nuper eum laudibus extulissent, quòd murorū parte deiecta vrbi clarissimæ pepercisset. Soluta inde obsidione Tibur recessit, omnibus Tiberis pontibus deturbatis, Miluio excepto, quem propter vrbis propinquitatem demoliri non potuit. idque oppidum paulo antè à se euersum reficere cœpit. ibique omni deposita pecunia mansit. Belisarius ferratis foribus portis impositis claues earum ad Iustinianum cum litteris rem gestam significantibus destinauit. Postero anno Totilas magnum militum numerum Perusiam obsessum misit. Hi, cum 547
deficere Romanis necessaria accepissent, ad Totilam miserunt precatum, vt cum vniuerso exercitu propere ad se cōtenderet, quo maturius Perusia potiretur. Totilas autē cum suos eum defugere laborem videret, oratione habita eos cohortatus

eſt, ac ſimul rationem rerum à ſe geſtarum omnium reddidit. & miſſo Peruſiam
exercitu arctiorem eam obſidionem effecit. Ioannes cum fruſtra Acheruſiam ob-
ſideret, ſenatum Romanum, qui in Campania erat, ſibi ſeruandum putauit. quip-
pe cum delectis equitibus, ſuo haudquaquam enunciato conſilio, in Campaniam
neq; die, neq; nocte itinere intermiſſo peruenit. Hac re præcognita Totilas ad eos
eripiendos equites delectos immiſit. Hi cum Minturnas perueniſſent, equos de-
fatigatos curarunt, ac præmiſſis nonnullis Capuam, & vicina loca exploratum, eo-
dem forte die Capuam, quo Ioannis equites, acceſſerunt. Ibi commiſſo prœlio
penes Romanos victoria fuit. Gotthi pauci Minturnas ſe receperunt, qui in præſi-
dio erant, cum pleroſq; ſaucios, & cruore perfuſos viderent, repente fugam arri-
puerunt. & ad Totilam profecti innumerabilem eſſe hoſtium multitudinem ad te-
gendam fugæ ſuæ turpitudinem nunciarunt. Capuæ ſenatores pauci reperti, ſed
matronæ ferme omnes. nam vrbe capta Romani ciues Portum ſe contulerant,
mulieres captiuæ factę erant. Clementinus quidam nobilis redire noluit, quia præ-
ſidium quoddam Neapoli proximum Gotthis tradiderat. Oreſtes vir conſularis
præ equorum inopia vel inuitus remanſit. Ioannes nobiles viros cum ſeptuaginta
militibus, qui à Totila, ad quem tranſierant, ſe ad Romanos receperant, in Sici-
liam miſit. Hinc iratus Totilas magna mole aduerſus Ioannem contendit, paucis
militibus in præſidio eius loci, in quo erat, relictis. Ioannes in Lucanos regreſſus e-
rat ad contrahendos milites, ſpeculatoribus dimiſſis, ne qua in ſe repente irruptio
fieret, ſed Totilas per auios montes, & difficiles, qua ipſum venturum Ioannes ſu-
ſpicari non poterat, iter ingreſſus, nocte intempeſta ſuperuenit. ac repente adortus
ipſum in proximos colles refugere compulit, ſed Ioannes, centum militibus amiſ-
ſis, Hydruntem peruenit incolumis. Totilas, Romanis direptis castris, abiit. In-
terim ex multis ducibus, quos Iuſtinianus à Beliſario fatigatus in Italiam cum mi-
litibus miſit, Bacuuius, Sergiuſq;, & poſt hos Verus cum Herulis trecentis, Vara-
zeſq; cum militibus octingentis, venit. Verus autem omnium primus Hydrun-
tem cum acceſſiſſet, cum Ioanne morari noluit, ac, nauibus dimiſſis, terra Brundu-
ſium adiit, atq; ibi caſtra fecit. Qua re cognita, Totilas vires eius, aut veſaniam ex-
perturus ſuperuenit, atq;, impetu facto, ipſum cum Herulis in ſyluam proximam
compulit, ac mox cum reliquis inter ſenticeta deliteſcentem oppreſſurus fuit, niſi
forte Varazes dux in littus exceſſiſſet, quo viſo territus Totilas, ſublatis caſtris, inde
receſſit. Heruli inde cum Vero, & Ioanne Tarentum acceſſere. Valerianus autem
Armeniorum præfectus Conſtantinopoli cum haſtatis, peltatiſq; mille amplius
iuxta ſinum Ionicum veniens, miſſis trecentis militibus ad Ioannem, oſtendit ſe
primo vere ei affuturum. Beliſarius, Conone ad vrbis cuſtodiam conſtituto, in Si-
ciliam nauigauit, vt inde Tarentum iret, & ſe cum ceteris copiis iungeret. ſed à
tempeſtate Crotonem reiectus ibi cum coniuge manſit, ac milites ſaltus quoſdam
occupare ad parandum commeatum præcepit. qui milites Gotthos adepti in fu-
gam verterunt. mox à Totila, cum negligenter locum tuerentur, oppreſſi ſunt.
quorum fugientes quidam Beliſarium monuerunt, Totilam in propinquo eſſe.
quo nuncio ille ictus ſtatim conſcendit, ac, ſolutis anchoris, Meſſanam eodem die
peruenit. Totilas inde Romanos Roſciani, dedituros ſe rei frumentariæ difficulta-
548 te opinatus, obſidere inſtituit. Poſtero anno Iuſtinianus pedeſtres in Siciliam co-
pias miſit, & Valeriano, vt ad Beliſarium ſe conferret, mandauit. qui, traiecto freto,
ſtatim proceſſit Hydruntem. Per eoſdem dies Beliſarius Antoninam coniugem
miſit Conſtantinopolim, ad Theodoram Auguſtam orandam, vt bellum copiis
maioribus gereretur. Qui vero Roſciani obſidebantur rerum neceſſariarum ino-
pia conflictati, pacti cum Totila ſunt, ſe, rebus ſuis ſaluis, intra certum dierum ſpa-
cium, nullo ſubmiſſo Conſtantinopoli ſubſidio, deditionem oppidi eſſe facturos.
Milites, à Beliſario ad cuſtodiam vrbis Romæ relicti Cononem ducem, facta con-
ſpiratione, obtruncarunt, crimine oblato, quòd frumẽtum cum ſui iactura & mer-
caretur, & venderet. ſacerdoteſq; quoſdam ad Iuſtinianum miſerunt, petitum, ne
cui fraudi illius perpetratio facinoris eſſet, ſed eius in perpetuum memoria delere-
tur, & debita ſtipendia ſoluerentur. Interim Beliſarius cum Ioanne, & aliis duci-
bus,

bus,maiore iam contracta classe,Roscianum ad eam soluendam obsidionem contendit.præsidiarij vero vbi classem ex alto aduolantem viderunt, spe maturi auxilij fulti se dedere,licet die deditionis instante,abnuerunt.verum naues,sęua repente oborta tempestate,aliò auersæ,atq; adeò etiam dispersæ, cum capere littus nō possent,Crotonem delatæ sunt.Belisarius inde,postquam omnes naues ex salo,& fluctibus coierunt,iterum Roscianum nauigationem intendit,sed sagittis à Totila,telisq; à littore repulsus naues procul in mare reducere est coactus.itaq;,desperata egressione,iterum Crotonem accessit.ibi vero,consiliis de bello agitatis,decretum est,vt Belisarius Romam rediret,ac,constitutis rebus,annonam in vrbem inueheret,Ioannes,& Valerianus, equis, virisq; in terram expositis, terrestri itinere in Picenum concederent,atque hostes ab oppidorum obsidione auerterent. sic enim Totilam ab obsidione Rosciani se remoturum. Ioannes cum militibus mille profectus est. Valerianus terrestre periculum veritus,Anconā nauigauit.sed ne ita quidem Totilas Rosciani obsidionem reliquit, sed duo millia militum in Picenum suorum auxilio misit. qui vero Rosciani obsidebantur spe omni Romani auxilij deturbati misere ad Totilam,qui actorum veniam postularet, &, salute pacta, semet dedituros promitteret. eam conditionem Totilas accepit, supplicio tantum de vno duce Chalazaro sumpto, quòd pactis prioribus non stetisset. militibus, qui sibi nauare operam vellent,sua bona concessit,reliquos nudatos emisit.ex his octoginta Crotonem profecti sunt. Antonina Constantinopolim profecta Theodoram Augustam vita functam inuenit.itaque,Iustiniano conuento,petiit, vt Belisarium ex Italia reuocaret. idq; obtinuit. nam Iustinianus Persarum armis solito vehementius vrgebatur. Belisarius euocatus cum discessisset, in itinere Perusiam à Gotthis captam audiuit,hac re animaduersa, Vigilius pontifex cum omnibus Italicis episcopis,qui Constantinopoli erant,Iustinianum impensius obsecrauit, vt omnes vires suas conferre ad liberandam Italiam vellet. quibus ille respondit, id sibi præcipuè curæ fore.erat enim, vt inquit Procopius, tum sedandis seditionibus ecclesiarum Orientis intentus.Hæc dum à Gotthis,regnante Totila, pro retinenda Italia omnibus viribus gerebantur, alij quoque barbari diuersis in partibus Imperium lacerarunt.nam Franci multa in Venetia oppida occuparunt, cum neque Romani ea tueri possent,neque Gotthi tantas opes haberent, vt ea recuperare valerent.Gepidæ Sirmium,& quædam Dalmatiæ loca sibi vindicarunt,quę Imperator proxime Gotthis ademerat. Longobardi nonnullis castellis ab eo in Norico, Pannoniaq; donati,sedibus suis exciti supra Istrum,& prope Gepidas consederūt. ac Dalmatiam, Dyrrachium vsq; populabundi peragrarunt, multosq; captiuos fecerunt. Heruli, cum alia Dalmatiæ loca,tum maxime circa Singidonem habitarunt,& Illyricum omne incursauerunt. Demum Longobardi,& Gepidæ, collatis inter se armis,legatos ad Iustinianū amicitiam postulatū miserunt, illi rege Andoino,hi Chorisino.Longobardi obtinuerunt ea conditione,vt postquam auxilio suo Gepidas deuicissent,opē sibi aduersus Gotthos in Italiā ferrēt.Qua re cognita,Gepidę pacē cum Longobardis fecerūt.Sequenti anno Totilas vniuersum exercitum 549
Romā reduxit, eamq; corona cinctā obsidere incœpit. hanc Diogenes à Belisario relictus cum tribus hominū millibus tuebatur,qui vt erat vir acer,&prudēs,vrbem frumento,& aliis rebus necessariis repleuerat,& pòst diligenter Gotthos à murorū oppugnatione propulsauit. idq; eos sæpius conatos acerrime repulit. itaq; Gotthi Portū occuparunt,atq; inde arctiorē Romæ obsidionē fecerunt. Dum autem Iustinianus ducē in locum Belisarij mittere cunctatur,ac Liberiū vrbis præfectū designat,atq; aliis sese negotiis implicat, iterū Roma,quæ teneri potuisset,amissa est. Isauri quidā,qui ad portāCapenam excubabant,alij exemplo Isaurorū,qui Asinariā prodiderant,ducti,partim stipēdia debita sibi nō soluta caussati,quàm occultissime in colloquiū cūTotila venerūt,& vrbē se illi prodituros ꝓfessi sunt. Vbi vero dies ad rē cōstituta accessit,eiusmodi Totilas dolū molitur.In Tiberim prima noctis vigilia naues duas longas immisit, hisq; viros acres imposuit,monitos,vt aduerso flumine nauigarēt, & vbi quā proxime muros venissent, quanta vi possent, clangorē buccinis ederent.ipse interea hostē frustratus, ad portam Capenam paratum exercitum

duxit,atq; alios in inſidiis collocauit,ad eos, qui noctis tenebris tuti euaderent, capiendos,quos iuſſit interfici. Qui in nauibus erant,poſtquam muro appropinquarunt,tubis canere cœperunt. cuius rei nouitate Romani attoniti, & metu periculi maioris exterriti temere cuſtodiis relictis omnes eo conuolauere, eam muri partem ab hoſtibus inuadi arbitrati. Soli Iſauri in ſua ſtatione manſere, atq; hoſtibus portas aperuere. Tumultu hoſtili comperto multi Romanorum per diuerſiſſimas portas vrbe ſe effudere. ſed qui Centumcellas abierunt,ab inſidiatoribus trucidati ſunt. Diogenes ſaucius in tutum euaſit. Paulus Cilix cum Diogene cuſtos vrbis conſtitutus cum equitibus quadringentis ad molem Hadriani confugit, ponte, qui fert ad templum Sancti Petri præoccupato. Poſtridie autem ſub lucem Gotthi in ponte cum Romanis pugnam commiſerunt, & licet, Romanis acriter prœliantibus,ſuperiores erant,tamen propter anguſtias cum conferti, preſſiq; pugnarent, multi cadebant. qua re cognita, Totilas receptui cecinit,& ſuos quietem capere iuſſit,hoſtes ſe fame domiturum exiſtimans. Paulus inde cum quadringentis equitibus inedia laborans eam noctem inſomnem traduxit. poſtridie equos interficere,atq; eorum carne ſe ſuſtentare decreuit. ſed ſtatim inſoliti cibi nauſea affectus rem in ſerum diei diſtulit. Poſt autem,cum varia conſilia volutaſſent,hoſtem inuadere ſtatuerunt,ferro potius mori,quàm fame cupientes. Qua re præcepta, Totilas veritus,ne deſperatione adacti inſignem aliquam ſibi cladem afferrent,has conditiones obtulit,vt,relictis equis,armiſq;,Conſtantinopolim incolumes irent,neq; arma poſthac Gotthis inferrent, aut, iiſdem retentis, ſibi vna cum Gotthis ſtipendia facerent. Secunda conditio eſt accepta,quòd inſidias in itinere Conſtantinopolitano timerent. Paulus tantum, & Mindus Iſaurus, vxorem, liberoſq; ſe Conſtantinopoli habere affirmantes,viatico à Totila commeatuq; donati,abiere. Trecenti Romani,qui ad templa confugerant, fide accepta, ſeſe ad Totilam contulere. Totilas legatos ad regem Francorum miſerat, filiam in matrimonium poſtulatum. quam conditionem ille reſpuerat, eum neq; nunc regem Italiæ eſſe, neq; in poſterum fore,inquiens, vt qui vrbis captæ tenere poſſeſſionem nequiuerit, ſed à ſe deletam hoſtibus habendam permiſerit. Quo reſponſo permotus Totilas, recepta vrbe, commeatus importari, ſarcíriq; omnia imperauit, quæ à ſe vel incendio,vel ruina deleta fuiſſent. Romanóſq; & nobiles omnes, quos in Campaniam emiſerat, reuocauit. ac ludis equeſtribus editis luſtrauit exercitum, quem in Siciliam erat ducturus. ac quadringentas naues ad pugnam comparauit. lemborumq; vim magnam, quas ex Oriente venientes cum viris, oneribuſq; exceperat. Stephanum inde Romanum ad Iuſtianum miſit, oratum, vt ſecum fœdere iungeretur,atq; arma aduerſus alios hoſtes conuerteret. quem Iuſtinianus ne in conſpectum quidem admittere voluit. Qua re cognita,Totilas bellum ſibi redintegrandum putauit,ac Centumcellas obſidionem applicuit,ac,miſſis oratoribus, Diogenem præfectum, num ſe dedere vellet, tentauit. quo negato, milites ad prœlium prouocauit,monens eos, neq; ſubſidium ab Imperatore accepturos, neq; poſthac bellum cum Gotthis adminiſtraturos. nam vrbem captam in ſua poteſtate eſſe. itaq; iiſdem,quibus Gotthi, conditionibus ſecum militaret,aut quo vellet,incolumis ſe conferret. Diogenes neutrum horum probauit, ſed ſe miſſurum nuncium ad Iuſtinianum dixit. qui,ſi intra certos dies nullum auxilium ſummiſiſſet, ſe dediturum. Hæc conditio placuit, eaq;, obſidibus vtrinq; datis, firmata eſt. Totilas, obſidione ſoluta, in Siciliam iter ſuſcepit, Rhegium in Calabria pertentauit, ſed fortiter repulſus,exercitus parte in obſidione retenta, alteram ad oppugnandum Tarentum miſit, idq; negotio nullo recepit. eodemq; tempore Ariminum ab iis, qui in Piceno erant,Gotthis proditione receptum. His cognitis, Iuſtinianus Germanum ſororis filium ducem aduerſus Totilam deſtinauit. quæ fama in Italiam perlata vt Gotthorum animos conſternauit, ſic Romanorum erexit. nam eius nomen apud omnes erat celeberrimum. Inde,mutato conſilio, pro Germano Liberium,de quo diximus, ire decreuit. quem diſceſſum parantem pòſt etiam conſilio mutato retinuit. Quæ dum aguntur, Verus dux non longe à Rauenna cum Gotthis congreſſus, non paruo cum ſuorum damno in prœlio occubuit. Totilas vbi

vidit

vidit Rheginos fortiter pugnantes deditionem recusare, relicta in obsidione ad commeatus impediendos ingenti militum manu, in Siciliam traiecit, ac statim Messanam inuasit. cui obuiam extra mœnia venit præfectus Dometiolus, ac, certamine inito, pari virtutis laude in vrbem se recepit. Gotthi inde, nemine resistente, Siciliam populati sunt. qui vero ad Rhegium assidebant, tandem Rheginos fame domitos in deditionem acceperunt. quæ res Iustinianum impulit, vt statim classem cum pedestri exercitu Liberio rursus belli summa concessa summiserit: pòst autem, quoniam effœtæ ætatis erat, & rei bellicæ imperitus, ei reuocato Artabanem Thraciorum militum ducem substituit, eumque, classe à Liberio accepta, in Siciliam transire præcepit. summæ tamen belli gerendi Germanum præfecit, eumque ingenti pecunia data ex Thracibus, Illyriisque copias idoneas conscribere iussit. Germanus maxima cupiditate ardebat, quemadmodum modo Africam, Stoza tyranno res nouas moliente, seruarat, sic Italiam aduersus Gotthos vindicare. nam Matasuentam Amalasuentæ filiam, & Theodorici regis neptem, Vitige marito priore mortuo, sibi matrimonio copulauerat. &, cum secum eam duceret, Gotthos aduersus eam arma laturos non putabat. itaque & publica, & priuata pecunia magnis conscriptis copiis, ingentes vires in bellum attulit. nam præstantissimi bello viri ceteris ducibus fastiditis, eum sequuti fuerant, Germaniq; ipsius filij belli miro studio incitati: & barbari multi aut pecunia, aut amicitia nomina dederant. Quibus rebus in maius in Italiam nunciatis, Gotthi pauere cœperunt, atque animo hæsitare, vtrum aduersus Theodorici genus arma ferre deberent. Romani vero, qui cum Gotthis inuiti militabant, ad Germanum miserunt, qui nunciarent, se, vbi primum Italiam attigisset, ac castra locasset, nulla interposita mora, ad eum transituros. milites autem, qui Rauennæ, & aliis locis omnibus impositi fuerant, vt in spem bonam ingressi, omnia sibi diligenter custodienda duxerunt. quin etiam ceteri, qui ex fuga aduersorum prœliorum passim dissipati fuerant, postquam Germanum in Italiam tendere acceperunt, agmine vno se in Istriam contulerunt. ibique Romanum exercitum expectarunt. Diogenes, cum pacta dies adesset, quo Centumcellas tradere deberet, oppidum haudquaquam in sua esse potestate dixit, cum Germanus aduentaret ab Imperatore summissus. si suos sibi obsides non reddat, se quos ab illo accepisset, repente interempturum. atque ita ad oppidum tuendum se præparauit, Germanum expectans in diem cum exercitu affuturum. Theodebertum regem Francorum mortuum excepit filius Theodobaldus. Cum autem quingentesimus quinquagesimus iam 550
annus inisset, dum Germanus in Illyrico exercitum contrahit, Sclauinorum vis maxima, traiecto Istro, ad Naissum oppidum venit eo animo, vt quemadmodum ex captiuis eorum est cognitum, Thessalonicam penetrarent, atque ipsam cum finitimis locis omnibus occuparent. Quæ postquam Iustinianus accepit, periculi magnitudine territus, ad Germanum scripsit, vt in Italiam transmittere cunctaretur, sed Thessalonicæ, aliisq; locis auxilium ferret. Sclauini vero, mutato consilio, in Dalmatiam flexere. qua re audita recreatus Germanus in secundum ab illo diem Italicam expeditionem indixit. neq; ita multo pòst morbo tentatus interiit. Quo nuncio accepto, Iustinianus Ioannem vna cum Germani filiis exercitui illi iussit præesse. hi vero in Dalmatiam hibernaturi proficiscuntur; nam fretum traiicere Gottis mille naues habentibus arduum videbatur. Liberius nondum audito, successorem sibi mitti, classem Syracusas à Gotthis obsessas applicuit, atque, impetu in hostes facto, in portum descendit, & cum vniuersa classe muros subiuit. Artabanes inde, cum in Cephalleniam peruenisset, vbi Liberium Syracusas contendisse, accepit, eo cursum intendit. verum, postquam Calabriæ propior fuit, repentina tempestate coorta, ab aduersis ventis dispersæ ita sunt naues, vt aut littori appulsæ in hostium venerint potestatem; aut vi ventorum impulsæ in Peloponnesum, vnde discesserunt, sint reiectæ; aut certe, solutis compagibus, periere. paucæ tantum euaserunt. inter quas ea, qua Artabanes vehebatur, Melitam, diffracto malo, appulsa est. Liberius autem neque militibus, neque commeatibus satis instructus Syracusis Panormum, frustratus hostem, accessit. Totilas autem, Gotthiq;, omnibus

Siciliæ locis direptis, ingenti equorum, pecorumq; abacto numero, & frumento, aliisq; cuiuſuis generis frugibus exportatis, in Italiam ſumma celeritate ſe rettulit. Ioannes vero, dum hæc agerentur, & Imperatoris exercitus in Italiam venit, vbi hiemare conſtituit, vt exacta hyeme inde Rauennam concederet. Conſtantinopoli contentio de tribus capitibus Concilij Chalcedonenſis paulo antè à Iuſtiniano damnatis adhuc Eccleſiam fatigabat, neque res tanta componi poſſe ſine generali Concilio videbatur. harum turbarum concitor erat Theodorus epiſcopus Cæſarienſis, vt diximus, qui contra illa differendi finem non faciebat. neque monitis, atque obiurgationibus Vigilij pontificis, qui adhuc in vrbe erat, aures præbebat. itaque Vigilius, epiſcopis Africæ, Illyriciq; adhibitis, quos offenſos conſtabat, vna cum Iuſtiniano Concilium habuit, Mena epiſcopo Conſtantinopolitano, & Dacio Mediolanenſi, & aliis Græcis, Latiniſq; epiſcopis, atq; ipſo in primis Theodoro præſentibus. in quo ſtatuit, ne vſq; ad Concilij deciſionem quidquam de ſuprà dictis capitibus tentaretur. Venerat autem Conſtantinopolim ad Vigilium Dacius eccleſia Mediolanenſi propter fidem exactus, vt ſcribit in Dialogo S. Gregorius. Haud tamen propterea quieuit Theodorus, ſed libellum trium capitum damnationem continentem quibuſdam epiſcopis Græcis recitauit, vt ab eis aſſenſum eliceret. quare increpiti omnes à Vigilio ad promerendã ſimulata ſatisfactione
551 gratiam aduolarunt. Non deſtitit inde poſtero anno Theodorus Iuſtinianum aduerſus Vigilium incitare. quo factum eſt, vt Iuſtinianus edicta quædam contra Vigilium propoſuerit. quibus cognitis, Vigilius, cum in ædibus Placidianis eſſet, atq; vna epiſcopi Græci, & Latini, in primiſq; Dacius Mediolanenſis adeſſent, prohibuerunt, ne quis præuaricationi communis conſtituti prȩberet aſſenſum. Vigilius autem dixit: Rogate Iuſtinianum, vt, edictis ſublatis, cõmune decretum expectet, dum epiſcopi Latini hac re offenſi ad ſynodum veniant. ac, vi omni adempta, ſuas ſententias exponant. quòd ſi preces veſtras audire noluerit, vos nulli rei exhibete aſſenſum, quæ ad diuiſionem attineat. quòd ſi hoc forte feceritis, ſcitote, vos, tanquam prȩuaricatores beati Petri Apoſtoli, per miniſteriũ vocis meæ ſuſpenſos eſſe. Theodorus autem, & quidam alij epiſcopi, pontificia auctoritate neglecta, ad eccleſiam, vnde edicta pendebant, venerunt, &, adiectis aliis præuaricationibus, miſſarum ſolemnia celebrarunt. & quaſi patum eſſet, primȩ ſedis epiſcopum contempſiſſe, Zoilum epiſcopũ Alexandrinum ex Diptychis exemerunt, & Apollinarem peruerſorem intulerunt. Quibus rebus adductus Vigilius vna cum epiſcopis Italicis XIX Kal. Septemb. conuenit, Dacio Mediolanenſi, Ioanne Marſicano, Zachȩo Scyllaceno, Valentino Syluæ candidæ, Florentio Matellicatenſi, Iuliano Signino, Romulo Numanate, Dominico Calliopolitano, Primaſio Amiternino, Verecundo Lunenſi, Stephano Ariminenſi, Paſchaſio Arretino, Iordane Cortonenſi, atq; eos epiſcopos officio ſacerdotali, communione Catholica, & poteſtate epiſcopali priuauit. item Menam epiſcopum, & ſuffraganeos eius, qui his aſſenſiſſent, ſacra communione ſuſpendit, donec reſipiſcentes ſibi ſatisfeciſſent. Extat epiſtola Vigilij ad Theodorum in hanc ſententiam hoc anno data. Hæc vero non modo ab eis non emẽdata, ſed grauioribus etiam aliis aduerſus ſedem Apoſtolicam iniuriis cumulata ſunt. itaq;, cum in ædem S. Petri fatigatus confugiſſet, quæ in eos voce publice ediderat, IX Kal. Septemb. ſcripto confirmauit, ac Menam epiſcopali dignitate priuauit. alios vero communione ſuſpendit. ac tabulas damnationis cuidam tradidit conſeruandas, vt ſi quam ipſe vim paſſus eſſet, aut morte occubuiſſet, mox in celeberrimis locis proponeret. Ineunte autem vere, Ioannes Salona mouere in Italiam aduerſus Gotthos conſtituit, ſed à Iuſtiniano vetitus eſt, iubente expectari Narſetem. hunc namque ei bello præfectum deſtinauerat. erat autem is eunuchus ex cubiculo, & chartulario ad Patriciatum euectus, vir acer conſilio, belliq; peritus. Narſes igitur, ingenti pecunia, atq; exercitu à Iuſtiniano acceptis, iter ingreſſus in Thraciam venit. Philippis vero Hunnorum in prouinciam incurſu ſe tenere per aliquot dies coactus eſt. inde eo liberatus tumultu iter eſt perſequutus. Interim Totilas, hoc apparatu audito, res Romanas ita diſpoſuit. vrbis curam Romanis nobilibus, Gotthiſque nonnullis tradidit, reliquos ſuſpectiores in Campaniam miſit, pœni-

pœnitentiam præſe ferens, quòd antè aliquid ad vrbis euerſionem molitus eſſet. trans Tiberim vero multos, tanquam mancipia, ad habitandum traduxit, publicis, priuatisq; ademptis pecuniis. longas prætereа naues militibus impletas prædatum in Græciam miſit, quæ Corcyram, & circuniectas inſulas, & Epiri oram vniuerſam populatæ ſunt, & naues Romanorum multas, in primisq; quæ neceſſaria ad Narſetis exercitum deferebant, ceperunt. Milites item ad expugnandam Anconam cum peritiſſimis ducibus miſit, eisq; naues quadraginta ſeptem dedit, vt terra, mariq; Anconis obſidionem vrgerent. Obſeſſæ Anconæ poſt multos dies annona defecit. quod vt Valerianus, qui Rauennæ erat, cognouit, cum ipſe ſubuenire non poſſet, Ioannem, qui Salonæ erat, certiorem fecit. Ioannes, periculo Anconæ cognito, neceſſitatem eam Imperatoris mandato præuertendam ratus, triginta octo naues militibus, commeatibusq; repleuit, atque omnibus rebus ad bellum nauale pertinentibus inſtruxit. & Salona profectus ad Romanã claſſem acceſſit, ad quam non multo pòſt etiam Valerianus cum duodecim nauibus venit. qui duces, cum in in vnum coiſſent, cõmunicatis conſiliis, ad alteram partẽ Anconis, vbi Senogallia eſt, appulerunt. quorũ aduentu cognito, Gotthi naues longas quadraginta ſeptem, quæ ſibi ad manum erant, delecto milite complent. &, reliquis copiis ad Anconæ obſidionem relictis, in hoſtes ducunt. vbi vero in conſpectum venere, vtriq; naues à curſu parumper continuere, ac ſuos verbis ad prœlium accendere incœpere. Ioannes autem in primis, quantum momenti eſſet ad victoriam in eo retinendo præſidio docuit, præſertim ad commeatus inuehendos, ſine quibus bellum geri non poſſet. nam ab Hydrunte Rauennam nullum aliud prȩſidium ſupereſſe: in Ancona igitur ſpem omnem reſidere, vt ex Dalmatia ſoluentibus Romanis in Italiam traiicere, & tutum in locum egredi liceat. Gotthorum autem duces multa verba de temeritate, ignauiáque Græcorum fecerunt, & vt ſæpius ſuperati, nunc deintegro vinci facile poſſent. Quibus vtrinq; dictis, nauale prœlium eſt initum haud ſecus, quàm ſi pedeſtri decertaretur. nam proras in ſe conuerterunt, ſagittisq; iaciendis pugnarunt. & qui viribus præualebant, pede collato, manum conſeruerunt, atq; è tranſtris perinde, ac patenti in campo, confligentes comminus ſe gladiis petierunt. ſed Gotthi incompoſiti, & ſolutis ordinibus decertabant. nam aut naues ita diſiunxerunt, vt hoſti opportunas efficerent, aut ita inter ſe condenſarunt, vt ſemet pugnando impedirent. itaq; imperitia ſua victi cladem ingentem acceperunt. vndecim enim tantum naues euaſere. reliquæ in poteſtatem Romanorum venere. viri aut interfecti, aut cum nauibus ipſis demerſi, aut viui capti. qui in vndecim erant, ad terram appulſi, nauibus incẽſis, ad caſtra Anconem ſe contulerunt. ac, clade ſuis expoſita, tantum terroris incuſſerunt, vt repente caſtra reliquerint, & Auximum ſe receperint. Romani duces Anconam profecti, caſtra diripiunt, vrbemq; commeatibus complent, atq; inde Valerianus Rauennam, Ioannes Salonam repetunt. Interim, Liberio domum reuocato, Artabanes Gotthos in Sicilia relictos obſedit, eosq; aut in aciem tractos deuicit, aut in maximam rei frumentariæ difficultatem redactos ad deditionem adduxit. itaq; his territi Gotthi à prœlio abhorrebant, &, ſi quod Romanis ſubſidium veniſſet, plane de ſe actum exiſtimabant, neq; aut in Italia ſe permanere, aut à Iuſtiniano impetrare veniam poſſe. Totilam enim ſȩpe nuncios ad eum miſiſſe, ſignificatum, maximam Italiæ partem à Francis occupatam, reliquam ab humano cultu deſertam eſſe. Sicilia, & Dalmatia, quæ ſolæ integræ remanſiſſent, Romanis Gotthos ceſſiſſe. fœdere ſe cum illo, ſi id gratum ſit, iungi, & in omnibus rebus obſequi velle. Iuſtinianum autem, qui Gotthorum nomen inuiſum haberet, atq; eos ex Imperio Romano pellere ſtatuiſſet, legatos ſine reſponſo ad Totilam remiſiſſe. Interim Theodebertus rex Francorum Cottias Alpes, & loca Liguriæ, ac Venetiæ quædã ſibi ſubiecerat. nam, cum Gotthi oppida quædã in Venetia, & Romani quædã alia ad mare permiſiſſent, reliqua ipſe ſuæ ditionis effecit. feruente autem Romano cum Gotthis bello, inter Gotthos, Francosq; conuenit, vt interim ſua vtriq; pacate tenerent, nec quidquam hoſtiliter tentarent. quòd ſi quando cõtigiſſet, Iuſtinianum à Totila ſuperari, tunc vtriq; ſtatuere liceret, prout reip. expedire iudicauiſſet. Theodeberto inde mortuo Theodobaldus filius ſuc-

cessit. ad quem Iustinianus legatum Leontium misit, vt secum aduersus Totilam societatem iniret, & Italiæ locis abstineret, quæ ille occupandi libidine tenebatur. qui, cum multa disseruisset, nihil pro fecit. Theobaldus se fœdere Gotthico teneri, quo minus cum eo societatem coiret, respondit. loca Italiæ, quæ ille occupasse argueretur, non Romanis eripuisse, sed Totila possessore palam prodente accepisse. quarum rerum cognitionem iudicibus se permittere paratum, deque ea re legatos Constantinopolim missurum esse. Interim Totilas Gotthorũ primores cum classe emisit, qui primum Corsicam, deinde Sardiniam, nemine resistente, sui iuris fecerunt. Quam rem vbi didicit Ioannes, qui tum forte in Africa exercitui præerat, propere classem in Sardiniam cum militibus misit. qui profecti castra ad Caralim posuerunt, vt eam obsiderent. nam oppugnare, præsidio Gotthorum resistẽte, non poterant. verum, eruptione à Gotthis repente facta, magno detrimẽto accepto, in fugam coniecti sunt. Qui prœlio superfuere, receptu ad naues facto, Carthaginem redierunt. atq; ibi ineunte vere maiore cum apparatu reuersuri hiberna egerunt. Orto nouo inter Gepidas, & Longobardos bello, Iustinianus cum Longobardis petentibus societatem iniuit. atq; ex fœdere exercitum ei contra Gepidas misit. verum nemo, nisi Amalafrida, profectus cum suis accessit. nam ceteri Iustiniani iussu circa Vlpianam in Illyrico remanserunt seditionis comprimendæ caussa, quæ ab episcopis erat excitata. Gepidis superatis, ac prope deletis, Alboinus rex Longobardorum legatos misit ad Iustinianum, qui rem prospere gestam nunciarent, simulq; expostularent, exercitum ad se in tempore ab eo non esse missum, cum ipse ingentem suorum multitudinem ad Narsetem misisset. Terræmotu ingenti Græcia tota concussa est. Crotoniatæ vna cum præsidio, quod erat in arce, à Gotthis obsessi, cum necessariarum rerum inopia premerentur, clam ad Artabanem in Siciliam miserunt, se, nisi celerrime opem sibi latum venisset, hostibus ipsos, & præsi-
552 dium dedituros. neq; aliquid impetrarunt. Sequẽti anno Iustinianus omnibus de rebus, quæ ad Crotonem gererentur, certior factus Thermopylarum custodibus imperauit, vt confestim in Italiam nauigarent, & Crotoniatis auxilio essent. cuius imperio illi obsequuti, prosperum nacti ventum, de improuiso ad Crotonis portum peruenerunt. quos vbi Gotthi viderunt, soluta obsidione, alij in portum Tarentinum se receperunt, alij intra Scyllæ fretum delati mox abierunt. quo nuncio icti præfecti Tarenti, & Acherusiæ cum præfecto Hydruntis Romano colloquuti, ac salutem suam, militumq; suorum pacti, se suos, atq; oppida dediderunt. Narses, idoneis acceptis à Iustiniano pecuniis, quibus & milites conducere, & debita stipendia pendere, & alias belli necessitates sustinere facile posset, tandem Salona discessit cum eis mandatis, vt bellum, quod adhuc negligentius erat gestum, omni ope conficeret, & Gotthos Italia pelleret. quare magnas sibi virorum, armorum, pecuniarumq; copias comparat, atq; in eam expeditionem animum, atq; alacritatem ingentem afferebat. nam ad eum exercitum, quem adducebat ex Illyrico, ille etiam accedebat, cui Germanus præfuerat, & quem Ioannes regebat, & quem Alboinus Longobardus ex fœdere summittebat, præter Herulorum, atq; Hunnorum ingentem manum. multiq; alij liberalitate Narsetis eximia ad illum sequendum erãt inducti. vbi vero in Venetiam venit, ad Francorum duces misit, vt sibi per ea loca transitum darent. quod illi se concessuros negarunt, in speciem iactantes, quòd Longobardos Gotthis infestos secum adduceret. Ea de re hærente consilio Narses Italos præsentes, quid opus facto esset, consuluit. cui illi responderunt, nisi Franci eà transitum præbeant, neq; Rauennam, neq; Veronam posse contendere. nam satis constare, Teiam, virum acrem, cum delecto Gotthorum robore Veronam obtinere, vt quoad posset, ipsum transitum prohiberet. Et quidem Teias, vbi Veronam peruenerat, aditibus vniuersis obstructis, loca omnia circa Padum imperuia fecerat, ac sic seipsum cõpararat, vt inuasurus statim Romanũ exercitum esset, si forte transitum pertentasset. Hoc autẽ Totilas ita statuerat, satis certus, Romanos per Ionici sinus littora iter facere nõ posse, fluminibus ea tempestate exundantibus, nec traiectionem patientibus, neq; Narsetem eam copiam nauiũ habere, qua totum simul exercitũ transmittere in Italiam posset, &, si per vices exposuisset,

eos facile se à reliquis seiunctos posse delere. Tum Ioannes Vitaliani filius regionis eius peritus admonuit, vt cum vniuerso exercitu secundum æstuarium iter faceret, cum in sua fide essent, qui maritimam oram incolerent, & aliquot naues se subsequi iuberet, lemborumq; vim maximam, qua occurrentia flumina pontibus sternere, ac statim transmittere posset. Huius igitur sequutus consiliũ Narses, cum omnibus copiis Rauennam peruenit. in transitu vero ad insulam, quæ erat in ęstuario, nomine Riuoaltum adiit, atq; ibi Deum precatus, duo templa se facturum, si se huius victoriæ fecisset compotem, vouit. Rauennam vero vbi peruenit, cum duo Mediolani creati episcopi seditionem in vrbe cierent, licet Francis omnia tenentibus, vtrumq; adesse Rauennam iussit. ibi cum per nouem dies maneret, ab Vsdrila Gottho, qui Arimini præerat, litteræ ad Valerianum venere, quibus denunciabat Romanis, vt aliquando tandem æquo se campo Gothis ostenderent, neque se spe longiore suspensos tenerent, illud spectaculum summo animi studio expectantes. Barbari irrisa insolentia Narses, Iustino Rauennæ in custodia relicto, cum vniuerso exercitu Ariminum ire contendit. Quo vbi venit, pontem intercisum, & Gotthos ex altera parte ad resistẽdum paratos inuenit. verum, cum quidam ex iis, qui Narsetem sequebantur, in hostes protinus sagittam iecisset, & equitem quendam interemisset. tantum Gotthis terrorem incussit, vt trepida fuga intra vrbem se reciperint. inde, cum alia porta alij recentes exissent, Heruli se obiicientes primo congressu Vsdrilam præfectum occiderunt, & caput ad Narsetem rettulerunt. Narses, Vsdrila cæso, exercitum, flumine ponte constrato, Arimino non tentato, prouexit. neq; enim præsidiis expugnandis tempus terere, ac consilia suscepta interpellare volebat, & Flaminiam versus ad læuam iter flexit. nam ad dextram Petra erat ab hostibus occupata; quæ omnia ea loca Romanis infesta reddiderat. Totilas certior de iis, quæ in Venetia acciderant, factus Teiam, & eius copias expectando Romanorum in locis quietus se cõtinebat. vbi vero quæ expectabantur, aduenere, cum reliquo exercitu idoneum in locum hostibus occursurus contendit. quo in itinere cum Vsdrilæ casum cognouisset, & Romanos Ariminũ præteriisse audisset, Tusciam omnem hos conquirendo emensus ad Apenninum peruenit. atque ad Taginam vicum castra fecit. Quo eodem haud ita multo pòst Narses aduenit, ac non longe stadiis centum in ipsa planicie cõstitit ei loco propinqua, in quo Camillus quondam Gallos occidione occiderat, ita vt adhuc eius cladis monumenta extarent. ac statim nuncios ad Totilam misit, monitum, vt aut pace agenda sibi consuleret, aut, si belli auidior esset, vt diem prœlio constitueret. quibus Totilas iam insolens factus certare se velle respondit, atq; octauum diem pugnæ præstituit. His auditis, Narses dolum agitari suspicatus, perinde se parauit, quasi in aciem postridie descensurus. neque sua ipsum suspicio fefellit. nam ille proximo die cum vniuerso exercitu paratus ad confligendum in conspectum se dedit. cui sic statim occurrit Narses, vt, nisi duplici sagittæ iactu, ab eo abesset. erat ibi breuior collis, quem ambo occupare studebant, quòd vtrisque vtilis erat in pugna futurus. sed Narses anteuertit, ac nocte intempesta, missis quinquaginta peditibus, occupauit. quos, vbi diluxit, Totilas conspicatus, equitum turma immissa, propellere studuit. Romani vero in vnum conglobati loco scutis obstructo, vna constitere, ac Gotthos ter immissos propulere. Inde vtrique suos aduocatos cœpere alloqui; Narses quidem, Gotthos prædones esse, Imperatori rebelles, & vt numero, sic virtute inferiores, qui defectione ab Imperatore facta tyrannum sibi è turba constituerint, & Imperium Romanum latrocinio lacerarint. demum Romanos pro æquitate, proq; iustitia, illos, cum nihil posteris prodere possint, pro nulla republica, cum legibus inter se diffideant, certaturos. Totilas autem suos admonuit, se eo die summo certamine dimicaturum, neque amplius locum hortandi eos ad rem gerendam habiturum. nam ipsos aut victores, aut victos ex prœlio abituros; si vicerint, eum finem fore belli à Romanis patiendi; si victi fuerint, nullam spem futuram redintegrandi belli. quare eos nec sibi, neque rebus suis parcere oportere, vt qui victi nulli posthac sint futuri. socios Romanorum Herulos, Hunnos, Longobardos non constanter pugnaturos. neq; enim mercedẽ vitæ antelaturos. His dictis, inde acies vtrinq;

instructæ sunt. Narses profundissimam phalangem fecit, sed fronte extenuatam, & oblongam. Læuum cornu ipse cum Ioanne circa collem tenuit, & cum his simul quidquid erat in Romano exercitu roboris. sequebantur inde præter Hunnos hastati alij, peltatiq; milites. Dextro in cornu Valerianus, Ioannesq;, Fagas, & Dagisteus cum ceteris Romanis constiterunt. pedites sagittarij vtrinq; latera texerunt. in media acie Longobardi, Heruliq;, ac ceteri barbari collocati ex equis descendere iussi, & peditum officio fungi, vt ad parendum paratiores essent. in læuo autem cornu postrema Narses tenebat. & Romani positi in fronte erant, equitum in ea quinque millibus constitutis. è quibus mille, & quingentos præmonuit, vt Romanis auxilio essent, si qui forte terga vertissent. reliquis vero præcepit, vt cum primum peditatum hostium incitatum vidissent, tergis insisteret, ac dubios redderet. Eodem modo & Totilas suas copias instructas produxit. atque vterque suas acies obeundo verbis, vultuq; ad patriam virtutem præstandam accendit. cum autem aliquot horas ex aduerso acies constitissent, neutra tamen ex parte cœptũ est prœlium, vtrisq; ab hoste id primum iniri expectantibus. Interim ex parte Gotthorum miles, Ducas nomine, magnam bellicæ industriæ famam adeptus, equo in hostem incitato, proxime ad Romanos accessit, &, qui viritim secum confligeret, prouocauit. erat autem is ex eorum numero, qui ex Romano exercitu primi ad Totilam vltro cõcesserant. Tum Armenius quidam è Narsetis militibus ei se obiecit. quem vt Ducas vidit, prior equum impulit, vt ventrem illi lancea transfoderet. cuius impetum Armenius, equo subducto, vitauit. atque in eum conuersus dextrum in eius latus telum infixit, eumque moribundum ex equo deiecit. Tum Totilas medium in campum processit, non pugnaturus, sed rem extracturus, quousq; equitum duo millia, quæ in propinquo erant, aduenirent. cupiens autem se hostibus ostentare, qualis, quantusque esset, armis auro cælatis indutus, equoque insignis magnitudinis, & magnifice phalerato vectus, & purpurea, regiaque veste ornatus processit. in medio autem campo vt artem equestrem ostentaret, equum vario modo calcaribus concitando in orbem freno agiliter egit, obequitandoque telum in auras apte diuerberauit, & ipsum id rursum ad terram delatum, momentoque temporis exceptum vibrauit, & idem alternatim per manus transtulit, & se super equum supinauit, & vicissim ad terram, & in latera inclinauit, atque hæc ludicra peragendo à prima luce ad multum diei dedita opera tempus extraxit. inde ad Romanos misit, colloqui se cum præfecto velle, antequam prœlium iniretur. Narses autem illudi se ab eo hoc artificio arbitratus, colloquium recusauit. Interim equitum duo millia venerunt. quæ curare corpora Totilas iussit. quibus cibum capientibus, extemplo in aciem prodiit, incautos se inuasurum Romanos ratus. id quod eum fefellit. etenim Narses id ipsum suspicatus, quod euenit, suos, vt in armis parati starent, & armati cibum caperent, impetum expectantes hostium, imperabat. haud tamen eodem ordine constitere, quo antè. nam in speciem lunaris circuli se contraxerant. Gotthi vero post equites locati erant, vt si equites ab hostibus pulsi fuissent, intra peditatum reciperetur, vtiq; rursus in hostem redirent, mandato accepto, ne quo telo, præterquam pilo, vterentur; inconsulte, vt creditum est, cum Romani omni genere teli ferirent. Commisso prœlio, Romani equites, & pedites, vt necesse erat, in vnum coierunt, & alibi à tergo hostem circunuenerunt, alibi in se venientium impetum exceperunt, ac clypeis propulsarunt. Gotthorum equitatus, suo post terga peditatu relicto, pilis confisus, cum se temere in hostem inferret, mediaq; in acie versaretur, suæ temeritatis pœnas mox luit. nam, dum se in cõfertos hostes proripiunt, non aduertunt, se intra octo millium hominum peditatum peruenisse. vnde, cum sagittis vndiq; peterentur, iam de se desperantes, vt ab vtroque cornu sagittariorum inter se coëuntium circunuenti, paucis euadentibus, ceciderunt maxima vi hominum, equorumq; amissa. erat tamen par in omnibus studium, atque alacritas animi ad pugnandum. inclinante inde in vesperam die, repente vtriq; loco moti exercitus sunt, Gotthorum ad fugiendum, Romanorum ad insectandum. non enim Gotthi Romanis insequentibus cõuerso impetu restiterũt, sed præcipiti fuga, & suamet multitudine proturbati sibi consulere contenderunt. itaque, cum

equites

equites ad suos se pedites rettulissent, fugam, & pauorem auxere. &, turbatis eorum ordinibus, cum trepidanter omnia facerent, pleriq; ab Romanorum equitatu oppressi cecidere. nec pedites ad suos se equites receperunt, neque vno agmine constiterunt, vt eos seruarent, sed cum equitibus simul & ipsi effuso cursu se in fugam proripuerunt. Romani prӕterea milites fugientium pauore confisi passim obuios trucidarunt, ne oculos quidem prӕ terrore tollentes. Gotthorum sex millia desiderata sunt. multi se dediderunt. demum omnes necati non solum Gotthi, sed etiam omnes, qui ad eos vltro transfugerant. ceteri aut delitescendo, aut fugiendo euaserunt, vt quisque aut equum nactus est celerem, aut pedibus valuit, aut fortuna. cumq; iam nox omnia obtenebrasset, demum & Totilas cum quinque militibus fugit. quem insequuti sunt nonnulli, quanquam quis nam esset, ignari. ex quibus Asbadus Gepida ipsum adeptus, vt telo feriret, inuasit. quem vt vidit adolescentulus ex Totilӕ familia, Quò canis, inquit, irruis dominum tuum percussurus? at ille nil territus, quanta maxima vi potuit, in Totilam telum intorsit, & à Sipuardo Totilӕ comite in pede vulneratus consistere est compulsus. Sipuardum autem mox alter Asbadi comes percussit. reliqui quattuor Asbado in castra referendo intenti cursum intermittunt. Totilas lethali vulnere affectus, stadiis octoginta quattuor confectis, cum ad Capras venisset, mense Augusto ex vulnere moritur, atque à suis comitibus terra reconditur. Hic Totilӕ exitus fuit, postquam annos vndecim inter Gotthos regnauit, & res magnas, ac memorabiles gessit. qui vt repente à fortuna elatus fuerat, sic inopinato quoque ab ea ictu depressus est. Romanis occasum Totilӕ ignorantibus fœmina Gotthica indicauit, & locum, vbi sepultus fuerat, demonstrauit. itaque, effosso loco, cadauer extraxerunt, eoq; cognito, iterum condiderunt, & rem Narseti nunciarunt. Narses victoria lӕtus gratias Deo egit, deinde Longobardorum facinora sibi vindicanda putauit, quos constabat ӕdificia sociorum incendisse, & mulieres in templa refugientes constuprasse. itaque pecunia donatos ad proprios fines dimisit, Valeriano, & Damiano cum suis copiis ducibus datis, qui eos vsque ad fines Romanorum perducerent. Longobardis autem excedentibus, Valerianus ad Verronam castra posuit, vt eam in potestatem adduceret. Gotthi, qui in prӕsidio erant, subito casu perculsi polliciti sunt, se vrbē haud ita multo pòst dedituros. Qua re accepta, Franci omnia Gotthorum in Venetia prӕsidia occuparunt, ac pacta de Verona tradenda turbarunt. atque Romanos ex terra sibi debita pellere contenderunt. Ita Valerianus, re infecta, discessit.

TEIAS REX.

GOTTHI inde, qui è prœlio euaserunt, Pado traiecto, cum iis, qui in Piceno erant, Teiam sibi regem asciuerunt. qui, vindicatis sibi pecuniis à Totila in Piceno depositis, statim Francos socios sibi adiungere, & Gotthorum reliquias ad se contrahere instituit. Qua re cognita, Narses Valeriano negotium dedit, vt Padum diligentius custodiret, ac Gotthos coire vetaret. ipse cum cetero exercitu Romam iter intendit, atq; in itinere Spoletum, Narniamq; recepit. & prӕsidio relicto, muros refici iussit, ac, missa militum manu, Perusiam ad deditionem adduxit. Gotthi vero, qui Romam custodiebant, vbi Narsetem in se aduentare didicerunt, sese, vt strenue occurrerent, prӕpararunt. cogitantes inde se paucitate sua muros omnes tueri non posse, breue admodum ӕdificium circa Hadriani molē comprehensum, ac priori muro annexum in arcis formam mox redigunt. eoq; preciosissimis rebus collatis, diligentissime defensarunt, atq; vrbis muros destituerunt. mox inuadentium hostium facturi periculum, paucis in arce relictis, ad mœnia subierunt, quorum ambitum ne ipsi quidem Romani poterāt comprehendere. Quare, cum Romani sparsim, vt cuiq; licuit, aggrederentur, Gotthi pro virib. restiterunt. Sed dum Narses, sagittariorum vi magna promota, vnam murorum partem oppugnat, alteram Ioannes, aliam Philimutus cum Herulis suis inuasit. inde alij subsequuti, muros viriliter impugnabant. Gotthis autem ad eas partes, quӕ premebantur, accurrentibus, Dagisteus iussu Narsetis, ad partem vnam, quӕ vacua defensoribus erat, signa intulit, &, scalis muro admotis, nemine defendente, ascendit, & nullo negotio

cum suis ingressus portas pro arbitrio aperit. Quod simul Gotthi sensere, statim alij se in arcem, alij Portum recepere. Narsete inde ad arcem progresso, Gotthi, fide pro salute accepta, semet cum arce tradiderunt, vicesimo quarto Iustiniani Imperij anno. qua in potestatem redacta, Narses claues ad Iustinianum misit. Gotthi fugientes spe omni recuperandæ amplius Italiæ destituti Romanos, in quos in itinere inciderunt, crudelissime obtruncarunt, & è Romano exercitu, quos offenderunt, pro hostibus vsi necarunt. qui vero in proximis præsidiis erant, Romanis, qui è Campania in vrbem se referebant, manus intulerunt. Teias autem trecentos senatorum filios, quos Totilas obsidum loco trans Padum miserat, interfecit. Ragnares præfectus Gotthus, qui Tarentum tuebatur, à Bacuuio Romano Hydruntis præfecto victus Acherusiam elapsus: Tarentum in potestatem Romanorum redactum. Narses Roma potitus, Portum, atque inde in Tuscia Nepet recepit. Teias, vt qui se imparem viribus esse Romanis videret, ad Theodobaldum Francorum regem misit, qui magnam illi pecuniam polliceretur, si secū arma aduersus Romanos consociaret. quam ille conditionē respuit, Italiam sibi potius vindicare, quàm Gotthis, cupiens. Totilas cum magnam vim pecuniæ in Piceni oppido munito Petra condiderat, tum maximam Cumis deposuerat, quibus Aligernum fratrem cum Herodiano præfecerat. Harum pecuniarum potiendarum cupidus Narses exercitus partem ad Cumarum obsidionem misit, ipse Romæ, vt eam instauraret, remansit, atque alios ad Centumcellas recipiendas destinauit. Teias Cumis timens, Francorum desperatis auxiliis, perinde suos instruxit, ac, si esset protinus in hostem ducturus. Qua re accepta, Narses Ioannem Vitaliani, & Philimutum cum suis copiis in Tusciam contendere iussit, vt iter illud custodirent, quod in Campaniam ducit, & Teiæ transitum impedirent. Teias autem, breuiori omisso ad dextram itinere, longis circuitibus per Ionici sinus oram hostes frustratus in Campaniam venit. Cuius rei certior factus Narses Ioannem, & Philimutum è Tuscia reuocauit, & Valeriani copias, quæ Petram receperant, accersiuit. & alias aliunde contraxit, & cum vniuerso exercitu in Campaniam adiit. Ad Vesuuij montis radicem amnis est, nomine Dracon, cuius pontem Gotthi præoccuparunt, ac statim impositis turribus, & machinis munierunt. cum flumine interiecto comminus iniri pugna non posset, crebris tamen è ripis iaculationibus sagittarum se inuicem incessebant. Sæpe etiam singulari certamine res gerebatur, Gottho Romanum prouocante, & ponte transeunte. Ita duo ibi menses consumpti. sed, vt in loco maritimo, Gotthi ibi plurimum poterant. nam nauibus necessaria subuehebant. quas tamen naues Gotthi hominis proditione ceperunt. quibus aliæ ex Sicilia, aliisq; Imperij locis accesserunt. Narses inde turres contabulatas supra fluminis ripas construxit, quare Gotthorum animos vsque adeo fregit, vt rerum necessariarum inopia pressi in proximum montem confugerint, quem Lacteum appellabant. quos Romani præ loci iniquitate consequi nequiuerunt. Inde Gotthi, cum ciborum satis in monte non inuenissent, vno agmine omnes de improuiso in hostem eruperunt. Qua irruptione Romani perculsi, nondum instructis ordinibus, vt quisq; in re trepida potuit, obuiam iuit, impetumq; sustinuit. Gotthi, equis dimissis, in densiorem phalangem se collegerunt, quos imitati Romani & ipsi, globo facto, se instruxerunt, atque infestis animis concurrerunt. alij mortis contemptum, alij virtutis ostentare indolem cupientes. prœlium oriente sole incœptum. in eo Teias, prælato clypeo, vibratoq; telo, primus omnium ante aciem constitit. quem vt Romani viderunt, in eum omnes vno agmine ruunt, qui sibi virtutis aliquid, & virium vindicabant. eumq; partim telis, partim missilibus certatim petunt. ille clypeo se protegendo, & tela excipiendo in Romanos inuadens, multos obtruncat. cumq; præfixum vndique telis scutum videret, alterum, eo deposito, proximo armigero porrigente, arripit. sic vsque ad tertiam diei partem pugnans cum duodecim iam scuto affixa pila gestaret, nec mouere id posset, neque hostem propellere, haudquaquam loco motus dextra obuios feriens, læua in se venientes repellens, aliud sibi scutum dari clamauit. quod dum commutat, parte pedis inferiore nudatus ea vulnus accepit. quo statim moribundus procubuit. cuius caput nonnulli statim præcidunt, atq; hastæ præfixum exer-

citibus

citibus vtrisque ostendunt, vt Romanis animos adderent, Gotthis autem timorem inferrent. qui tamen ne hac quidem iactura territi vsque ad noctem pugnarunt. prœlio dirempto, vtrique in reparanda in diem pugna eam noctem egere. vbi illuxit, in certamen eodem modo reuersi vsque ad vesperam dimicarunt, nec tamen alteri eorum cesserunt, licet magna vtrinque clades esset accepta. sed crudelius efferati institerunt, Gotthis optime scientibus, vltimum id esse cum Romanis certamen, Romanis fœdum existimantibus, si non parta victoria discessissent. Demum Gotthi se victos confessi, primores ad Narsetem miserunt, affirmantes, se non dubitare, sibi cum Deo certamen esse, atque in posterum inter se malle, quàm cum Romanis, confligere, hisq; conditionibus pacem petere; vt liberi cum ceteris Gotthis viuerent, & libere suas terras regerent, & tributa Romanorum Imperatori dependerent. Narsetem super hoc consilio hæsitantem Ioannes Vitaliani admonuit, vt conditionem acciperet, ne cum desperatis hominibus nouum certamen iniret. satis ei esse debere, quòd victoriam ex Gotthis retulisset. itaque hæc accepta conditio est. Dum hæc geruntur, Gotthi mille numero è castris Ticinum, & loca trans Padum vicina vno agmine petierunt. ceteri iureiurando, fideq; interposita pacta confirmarunt. Agathias scribit, icto fœdere Gotthos, qui cis Padum incolerent, in Tusciam, & Liguriam, & quocunque tulit animus, contendisse. Hæc mense Fe- 553
bruario sequenti anno perfecta sunt.

CAROLI SIGONII HISTORIARVM DE OCCIDENTALI IMPERIO, LIBER XX.

Qui liberatam Gotthis, & constitutam Italiam continet.



HOc libro, qui fastigium huic operi diuino auxilio imponet, liberatam Gotthorum dominatione Italiam, eandémque Narsetis Patricij opera resurgentem, ac sese in antiquum statum, dignitatémque pristinam paulatim restituentem complectemur. Etenim, Gotthis à Narsete duobus insignibus prœliis superatis, ac post reges occisos ad accipiendas pacis, obsequiíque conditiones adactis, nullum postea regnum eorum in Italia fuit, rerum omnium summa ad Imperatorem Orientis delapsa. itaque ipsa posthac, tanquam Orientalis Imperij prouincia, per eundem Narsetem Iustiniani Augusti ducem est gubernata, per quem in libertatem quoque fuerat vindicata.

CETERVM dum hæc in Italia aguntur, Constantinopoli res Ecclesiæ, quæ diu fuerant cum maxima bonorum offensione iactatæ, demum ad aliquam concordiam sunt adductæ. quippe damnato, vt suprà diximus, Mena episcopo, Vigilius pontifex intempestiuam Iustiniani iracundiam veritus, in ædem S. Euphemiæ Chalcedonem, templi potius, quàm dignitatis, religione se defensurus confugit. Kalendis autem Februarias ab eodem per iudices missos rogatus, vt vrbem, accepto fidei sacramento, repeteret, respondit, se in eam ædem confugisse non pro ratione pecuniæ, sed pro offensione ecclesiæ. cui si pax redderetur, se, nullo sacramẽto interposito, exiturum, sin minus, inde vestigium non moturum. pòst autẽ in gratiam à Iustiniano receptus & ipse Menam in communionem recepit. quo tempore

Encænia templi apostolorum à Theodora refecti III Kalend. Iulias, nempe in ipsis apostolorum Nataliciis, celebrata, atque ipsorum reliquiæ à Mena in curru aureo circumuectæ sunt. Pòst paulo mortuo Menæ Eutychius est suffectus, quòd nuper Theodoro commode admodum respondisse fuerat visus. Inde Concilium, quod ad opiniones Origenis, & tria capita Concilij Chalcedonensis discutienda Iustinianus, Vigilio pontifice permittente, indixerat, est coactum. Præsedere in secretario Ecclesiæ Constantinopolis Eutychius episcopus Constantinopolitanus, Apollinaris Alexandrinus, Domninus Antiochenus, & Eustochius Hierosolymitanus, atque alij ad centum sexaginta quinque. Vigilius, licet in vrbe esset, noluit interesse. Ibi Iustiniani recitatæ litteræ sunt, quibus primum Origenis opiniones, deinde tria capita Concilij Chalcedonensis disquirenda proposuit. Etenim Concilium Chalcedonense, vt scripsimus, Theodorum episcopum Mopsuestenum laudauerat, & Theodoritum Cyrensem, Ibámque Edessenum episcopos, postquam Nestorio, & Eutycheti renunciarant, ecclesiis suis, vnde à Concilio Ephesino prædatorio pulsi fuerant, restituerat. Quæ tria capita cum nouo episcoporum iudicio essent commissa, illi, re cognita, dictisque sententiis, decretum in hæc verba fecerunt: *Si quis non anathematizat Arrium, Eunomium, Macedoniū, Apollinarem, Nestorium, Eutychem, & Origenem cum impiis eorum scriptis, anathema sit.* Item: *Si quis defendit Theodorum Mopsuestenum, qui dixit alium esse verbum Deum, & alium Christum.* Item: *Si quis defendit scripta Theodoriti, quæ contra rectam fidem exposita sunt, & primum Ephesinum sanctum Concilium, & S. Cyrillum, vel duodecim eius capitula.* Item: *Si quis defendit epistolam Ibæ ad Marim Persam, quæ negat Deum verbum de sancta genitrice, semperq; virgine Maria incarnatum hominem factum.* Atque ita, tribus capitibus præcipue condemnatis, in præsens Ecclesiastica est composita controuersia. Nominatur autem hoc concilium ab aliis Constantinopolitanum secundum, ab aliis Concilium generale quintum, ab aliis quinti Concilij actio quinta, ab aliis Concilium de tribus capitibus Concilij Chalcedonensis. De quo sic scripsit Sanctus Gregorius pontifex ad patriarchas: *Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo epistola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur. in quo Theodorus personam mediatoris Dei, & hominum in duabus substantiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse conuincitur. & in quo scripta quoque Theodoriti, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur.* & ad Secundinum: *Nos anathemate plectendos ducimus, qui de fide synodi Chalcedonensis aliquid minuere, vel aliquid in ea addere præsumunt. nam synodus, quæ post eam generaliter facta est, idcirco à nobis recipitur, quia eiusdem synodi in omnibus sequax honorem illius, auctoritatémque custodit.* Iuo etiam in decreto ex Beda hæc refert: *Sozomenus Theodoritum nimiis laudibus effert, atque ad diem obitus sui magnum doctorem Ecclesiæ perhibet. Quare si quis eius historiam recipit, synodo, quæ Iustiniani temporibus de tribus capitulis facta est, contradicit.* Atque de Constantinopolitano quidem Concilio secundo hæc hactenus. nunc ad Italiam redeamus. In Italia Gotthico bello confecto, statim consequutum est Francicum. Neque enim Narses solidam se liberatæ laudem Italiæ relaturum putauit, nisi, redactis ad obsequium Gotthis, Francos, qui partem Italiæ occupatam tenebant, aut Italia pepulisset, aut certe imperata facere coegisset. Hoc cum & ipsi Franci sensissent, haud inuiti fecerunt, vt se cum Gotthis, qui in Italia, tanquam Romanis obtemperaturi, remanserant, sociarent; pro certo habentes, Narsetem, victis Gotthis, arma in sui exitium idoneo tempore promoturum. Hi vero fuere Leutheris, & Bucellinus, genti Alemanorum Theodobaldo regi subiectæ præfecti. qui in spem adducti, fore, vt Gotthorum ope Italiam, ac Siciliam occuparent, cum eis petentibus fœdus, rege non prohibente, fecerunt, atque ad id exercitum hominum septuaginta duorum millium ex Francis, Alemanisq; conflarunt. Gotthi vero oppida, quæ tenebant, munire, atque alienati animi haud dubia signa præbere cœperunt. Hoc vero vt sensit Narses, licet prorsus Francici motus ignarus, continuo belli renouandi consilium expediuit. atq; exercitum Cumas adduxit. quod oppidum Aligernus Teiæ regis frater, supplemento conscripto, tenebat. Romani, cum in collem euasissent, extemplo tela iacere in hostes cœperunt, atque omnia instrumenta bellica oppugnationi idonea protulerunt.

runt. quibus Gotthi acerrime restitere, saxa, aliáque in eos missilia retorquentes, ac nullas machinas, quæ ad eos propulsandos valerent, reliquas facientes. deinde multis, sed leuibus, prœliis dubio vtrinque Marte pugnatum est. Narses autem, vt arcem oppidi deturbaret, fabros in speluncam oppido ad Orientem vergenti subiectam fatidicæ quondam Sibyllæ habitatione insignem immisit. ac fastigium speluncæ excindi, quo arcis fundamenta nitebantur, præcepit. atq; interim ipse cum exercitu vrbem inuasit, vt strepitu militari auerteret Gotthos à sensu eorum, qui speluncæ lapidem concidebant. Vbi vero murus, saxo comminuto, suffultus trabibus fuit, tum ignem trabibus ipsis implicuit, fulcrísque subtractis, partem oppidi superpositam cum turribus, & propugnaculis disturbauit. ac, valido impetu facto, oppidum inire contendit, sed, Gotthis strenue renitentibus, nihil profectum. Quare cum audisset, Leutherem, & Bucellinum ingentem ad Padum exercitum adduxisse, vt eorum præueniret aduentum, Centumcellas, Florentiámque concessit, exercitu non contemnendo ad Cumarum obsidionem continuandam relicto. Fulcarem vero Herulorum præfectum cum Ioanne Vitaliani, Valeriano, & Artabane ducibus, & maiore exercitus parte Apenninum traiicere iussit, ac circa Padum consistere, & locis munitioribus tenendis incursum hostium propulsare. Narseti aduenienti Florentini, legatis missis, vltro se tradiderunt, fide accepta, se nihil hostile passuros. Idem Centumcellenses, Volaterrani, Pisaniq; fecerunt. Lucenses autem, obsidibus datis, iureiurando promiserunt, se dedituros, si intra triginta dierum spacium sibi à Francis non fuisset subuentum. neque tamen, illo exeunte tempore, licet à Francis deserti, fidem præstiterunt. Itaque iratus Narses obsides eorum religatis manibus, & capite demisso produxit, ac ciuibus eorum ostendit, denuncians, se in eorum capita, ni se dederent, sæuiturum. vbi vero imminenti suorum morte non permoueri, sed in pertinacia permanere cognouit, cauens eos violare, à quibus nulla iniuria lacessitus fuisset, crudelitatis eos specie voluit deterrere. quippe tacito imperio iussit, vt carnifices ictum sine illorum pernicie ligno infligerent, quod collo eorum submissum veste contexerat, ne Lucenses rationem perspicere doli possent. quo facto, illi tamen, vt edocti fuerant, speciem morientium imitantes, proni ad terram de industria ceciderunt, ac pedibus, vt assolet, calcitrare cœperunt. Lucenses, rei veritate, vt ex longinquo non exacte perspecta, suos tanquam mortuos, complorarunt. (nam nobili loco nati erant.) & Narseti crudelitatem exprobrare cœperunt. Quibus inclamantibus ita Narses respondit, vt eos caussam dedisse tanto facinori diceret, qui sacramentum fidei neglexissent. quòd si vellent ad fidem redire, obsides se in vitam reuocaturum. Lucenses se illudi putarunt, cum illum loquentem de excitandis mortuis audierunt, sed tamen, vt æquitatis laudem aucuparentur in eo, quod effici non posse credebant, se illius arbitrio permissuros, si illos superstites cernerent, promiserunt. Tum Narses surgere omnes vno tempore iussit, atque integros, valentésque suis ostendit. neque tamen propterea Lucenses ad fidem præstandam adduxit. Itaque, tam væcordi pertinacia cognita à magnitudine animi consilium petiit, ac sine vlla mercede obsides eis remisit. Illis autem mirantibus, & caussam facti quærentibus non esse consuetudinis suæ dixit, vt vana quædam ad gloriam reuocaret, sed sine obsidibus se effecturum, vt armis in ditionem concederent. Obsides in vrbem reuersi Narsetem eximiis laudibus extulerunt, & se ab eo comiter, & liberaliter habitos esse dixerunt. eumq; virum esse, qui ad summam æquitatem incredibilem animi magnitudinem adiunxisset, asseruerunt. neq; tum tamen ciues perpellere ad eius amicitiam potuere. Præfecti, qui in Æmiliam missi fuerant, cum per aliquot dies in hostili agro ita fuissent, vt eximiam siue ad populandum agrum, siue ad tentanda oppida solertiam adhiberet, demum, re vna male gesta, omnem partam gloriam corruperunt. quippe Fulcares Herulorum præfectus, homo strenuus ille quidem, sed vani, præcipitisq; consilij, temere Parmam, quæ tunc in Francorum potestate erat, accessit. Hac re cognita, Bucellinus, qui stationem ad amphitheatrum non longe ab vrbe situm habebat, delectis militibus in insidiis collocatis, illum excepit; ac repentino impetu facto, Herulos perculsos in fugam coniecit. Fulcares autem,

cum fugam capessere posset, noluit, iustam Narsetis increpationem reueritus. atque ita vnà cum satellitibus suis oppressus interiit. Ioannes autem Vitaliani, & Artabanes præfecti, &, qui euaserant, Heruli, hoc detrimento accepto, sese Fauentiam recepere. Hac victoria elati Gotthi (quod adhuc metu intercedente non fecerant) aperte se hostes tulerunt, atque ex proximis ciuitatibus Parmam conuolauerunt. Quibus rebus cognitis, Narses ingentem animo dolorem concepit, atque ad suos, quos eo nuncio permotos, confusósque videbat, ita dixit; satis se scire, eos non alia de caussa angi, quàm quòd qui vincere consueuissent, aliquod incommodum accepissent, non animaduertentes, nimiam felicitatis præteritæ gloriam ea offensione esse emendatam, ceterum eos sibi persuadere oportere, vincere adhuc se posse. nam quamuis multitudine superentur, tamen prudentia antestare. proinde ita se pararent, vt Lucensibus obsessis ne respirandi quidem spacium darent. atque, his dictis, Lucam vrgere acrius cœpit. ad eos vero, qui Fauentiam se receperant, misit monitum, vt auctoritati suæ obsequuti, Parmam repeterent, ac Francorum impetum cohiberent. misit autem Stephanum Dyrachium cum ducentis equitibus, qui caute profectus docuit, nullo modo fieri posse, vt Lucenses subigerentur, si transitus Francis permitteretur, Narsetem in perpetuum iratum illis futurum, nisi se Parmam referrent. Illi necessitate adactos inde se discessisse, responderunt, quòd ex circumiectis locis tantum commeatus contrahere nō potuissent, vt satis alendo exercitui foret, ac præterea pecunia in stipendium defuisset. Tum Stephanus Rauennam profectus, magistrum militum ad eos adduxit, ac Parmam redire persuasit. & Lucam reuersus, Narsetem bono esse animo iussit. Iam Narses Lucensium pertinacia exacerbatus machinas, & tormenta Lucæ mœnibus admouebat, ac propugnacula sagittis, ignibúsque petebat, & vrbem omnibus detrimentis premebat. Quibus malis Lucenses permoti, simulq; obsidum suorum precibus fatigati facile ad deditionem animos inclinassent, nisi à legatis Francorum, qui aderant, ad obsidionem armis propulsandam, & rem prœlio experiendam incitati fuissent. Quare, patefactis portis, eruptionem in Romanos semel, iterumq; fecerunt, sed semper cum ingenti detrimento repulsi sunt. Vnde, fractis animis, viribúsque debilitatis, misere ad Narsetem, vt, venia commissorum concessa, vrbem iniret. atque ita post tertium obsidionis mensem dediti venerunt in potestatem. His actis Narses, refectis à labore militibus, Bono cum præsidio Lucæ relicto, Rauennam in hiberna concessit. nam, exeunte iam autumno, per hiemem bellare nolebat. quòd id erat commodius Francis futurum, quorum vires æstate eneruatas hibernum tempus confirmat, ac tribunos militum quiescere, vt ineunte vere præsto essent, præcepit: Rauennæ vero secum trecentos tantum homines domestici obsequij caussa retinuit. Interim Aligernus, qui Cumas tenebat, cum Gotthos passim ad Francos transire videret, ratus Francos per speciem societatis cum Gotthis initæ Romanos primum deuicturos, deinde arma in Gotthos cōuersuros, longe præstantius esse constituit, Narseti, quàm Francis, oppidum tradere, & cum Romanis patriis legibus, quàm alienis cum alienigenis viuere, & Italiam veteribus incolis reddere, quàm recētibus aduenis comparare. vrgentibus autem obsidionem Romanis dixit, se cum Narsete inire colloquium velle. Ita, permittētibus illis, profectus ad Narsetem, qui Classe castello agri Rauennatis erat, claues illi tradidit, & se fidelem ei operam nauaturum spopōdit. Eum vero comiter in primis accepit Narses, & se magnis præmiis compensaturum id beneficium dixit. atq; exercitum Cumis assidentem vrbem iussit inire, & pecuniam recipere, & locum custodire, & partem eius in hiberna concedere, Aligernum vero ad Forum Cassij misit, monitum, vt murum conscendens illi sic aperte incumberet, vt ab omnibus facile videretur. sic enim sperabat, Francos, vbi ea transeuntes ipsum vidissent, omnem spem potiundæ pecuniæ, quæ Cumis recondita esset, abiecturos, aut opportunis iam locis omnibus occupatis, aliud de summa belli consilium esse capturos. Aligernus vero, vbi Francos illac transeuntes aspexit, irrisit simul, atque increpuit, quòd serum nimis auxilium attulissent, Gotthorum opibus vnà cum ducibus iam in potestatem Romanorum adductis. illi vero probra in eum regesserunt, suæ gentis proditorem identi-

identidem appellantes. diuq; in incerto habuere, bellum ne in præsens omitterent, an cœptis insisterent. demum eo inclinauit sententia, vt progrediendum esse putarent. Herulis de duce in locum Fulcaris asciscendo inter se altercantibus, Narses item se interposuit. ac Sindualdum virtute, factisq; clarum suffragatione sua prouexit. Inde cum suo comitatu concessit Ariminum. ad quem Theodobaldus cum suis Varnis accessit, & cum eo societatem iniuit. Inter hæc Francorum pedites ad duo millia equitibus intermisti in agrum Ariminensem venerunt, eumq; diripere, ac passim bouum prædam agere, atq; omnia peruastare cœperunt. Quod Narses ex alto conspicatus, ira percitus cum omnibus, qui apti certamini erant, erupit. Quo conspecto, Franci in vnum coiere, ac sagittariorum procellam fortiter excepere, & in densiorem syluam refugientes, facto ibi globo, se acrius defendere. Ea re animaduersa, Narses Hunnos iussit simulatæ se fugæ mandare, vt eos insequentes extra vrbem liberos in campos eliceret. Quo facto, Franci verã eam esse fugam arbitrati, auidius insectari cœperunt, rati se Narsetem viuum in potestatem adducturos, & bello finem prospere posituros. vbi vero in campos vacuos, atq; à sylua remotos venerunt, tum Romani, conuersis equis, iussu Narsetis eos inuaserunt. ex quibus equites cursu incitato ad syluas se recepere. pedes relicti passim supra non- 554
gentos strati. reliqui sunt elapsi. Narses Rauennam reuersus, omnibus ibi rebus egregie constitutis, Romam demum, postero iam ineunte anno, se rettulit. atque veris initio milites vndiq; Romam excitos diligenter in armis exercuit. nam & decurrere eos coegit, & equum insilire, & armatos saltare, & tubæ clangori audiendo assuescere, ne fortè ex longo hibernorum ocio bellicæ consuetudinis obliti, in veris prœliis elanguescerent. Interim Franci liberius vagabantur, ab vrbe tamen Roma, locisq; finitimis abstinebant. postquam vero in Samniũ peruenerunt, ita inter se ipsa prædandi munera partiuerũt, vt Bucellinus Tyrrhenũ littus, & Campaniam peragrans, per Lucanos vsq; ad fretũ adierit, Leutheris verò Apuliam, & Calabriam populans, vsq; ad Hydruntem processerit. Franci templis parcebãt. Alemani verò, vt prorsus à Christiana religione auersi, in ea potissimũ sæuiebant, ac sacram supellectilem auertebãt, & mortuos ex sepulchris trahebant. Leutheris inde prȩda onustus consilium domũ redeundi cepit, ac, Bucellino fratre relicto, discessit. In Picenum autẽ cum venisset, ac castra circa Fanum posuisset, Artabanes, & Vldac Hunnus Pisaurensi oppido exierunt, atq; exploratores eius equites adorti cædere incœperunt. qua re perspecta, Leutheris exercitũ vniuersum in auxilium laborantiũ mouit, atq; ita occasionẽ captiuis, quos plurimos adducebat, aperuit, vt, laxatis vinculis, cum præda ab se parta abirent. Inde Franci itinere continuato in Æmiliã, ac, traiecto Pado, in Venetiam peruenerunt, & Cenetam vrbem suæ tunc ditionis tenuerunt, dolore summo incensi, quòd post tot exantlatos labores prædã, quam quæsiuerãt, amisissent. paulo pòst etiam pestilentia conflictati damnum grauius acceperunt. cuius caussam aëri corrupto, & inerti post labores ocio tribuerunt. Leutheris propterea insania correptus, atq; in rabiem versus, postquam dentibus carnem sibi dilacerauit, & manantem ex vulnere sanguinem degustauit, extinctus est; reliqui omnes aut æstu febris, aut dolore capitis, aut apoplexia, aut mentis excessu agitati periere. Bucellinus autem, qui remanserat, omnibus vsq; ad fretum oppidis peruastatis, per Campaniam rediens, Capuam versus contendit, vt cum Narsete, quem ibi versari cum exercitu audiebat, acie decertaret, quoniam exercitum item suum pestilentia in dies vehementius absumebat. quòd, ineunte autumno, milites vuis, & musto gulæ auidius indulgentes, tumores ventris insanabiles contraxissent, ac pleriq; repentino casu perirent. Cum autem in Campaniam peruenisset, castris in Casilini amnis ripa munitis, nec dum quæ fratri Leutheri acciderant, cognitis, vehementi admiratione capiebatur, quòd non ad se exercitum remitteret, atque interdum in suspicionem adducebatur, ne quid ei durius contigisset. sed tamen se sine illo auxilio victoriam de Romano relaturum sperabat, cum ipse triginta millia hominum haberet, Narses autem vix duodeuiginti. itaque alloquutus suos, ad prœlium est hortatus, monens, haud paruis de rebus esse certamen. nam

illa pugna aut Italia potituros, aut mortem oppetituros. His cognitis, Narses exercitum vniuersum ex vrbe aduersus eum eduxit, ac castra hosti adeo propinqua posuit, vt & strepitum eorum audire, & vallum prospicere posset. Duobus exercitibus in conspectum adductis, ordines vtrinq; instrui, præsidia locari, copiæ lustrari sunt cœptæ, spes, ac timor vtriusque animos versare, Italiæ ciuitates in eius prœlij exitum tacita animorum expectatione suspensæ, de futura vitæ conditione vehementius laborare. Cum autem Narses videret, Francos proximis vicis direptis necessaria importare, eam sibi coërcendam licentiam ratus, Charangem Armenium, virum strenuum, atq; prudentem ex vltimis castris in eos immisit. qui equo cum suis inuectus vehicula prædatoribus ac vitam ademit, & turrim à Bucellino super Casilini pontem constructam incendit, eisq;, qui in præsidio erant, fugientibus, pontem ipsum occupauit. Qua re incensi Franci protinus ad arma concurrunt, & prœlium inire decernunt, licet vatibus Alemanicis triste illius diei augurium prædicentibus. atque in id & ipse Narses suos instruxit. Cum autem equo inscenso in aciem esset proditurus, audiit, Herulum quendam seruo necem attulisse, ratusq; non antè rem prœlij discrimini committendam esse, quàm illud flagitij vindicasset, homicidam ad se vocauit, ac protinus scelus defendere contendentem morte affici iussit. inde licet iratis Herulis in certamen descendit. Cum autem Sindualdus Herulorum præfectus se expectari cum Herulis mille cupidis pugnæ iussisset, se opperiturum negauit, sed si illi serius ordines suos inirent, coacturum, vt maturarent. vt vero ad locum pugnæ destinatum accessit, aciem instruxit, loco vacuo Herulis, vt inire possent, relicto. interim duo Heruli ad Bucellinum transierunt, atque ira suorum exposita, vt repente Romanos inuaderet, tanquam Herulorum præsidio destitutos, hortati sunt. Ea de re Bucellinus propere, ingenti clamore edito, in Narsetem incurrit, & partem Herulis destinatam irrumpens, haud magna cæde facta, vsque ad aciem postremam peruasit. Narses autem inflexo cornu equitibus sagittariis præcepit, vt vtrinq; sagittas in hostium terga conijcerent, quo facto, magna hostium subito strages est consequuta. Hac re animaduersa, Sindualdus, & Heruli sese hostibus acie excedentibus obiecerunt, atque in fugam actos in flumen præcipites impulerunt. Ita Bucellinus quoque cum toto suo exercitu est deletus. nam ex Francis quinque tantum elapsi. ex Romanis vix octoginta desiderati, qui primam in hostem impressionem fecerant. flumen refertum cadaueribus exundauit. Hunc exitum Francorum expeditio in Italiam habuit, qua post Gotthicum bellum ipsa est Italia lacerata. Narses, auditis eodem tempore quæ Leutheri in Venetia acciderant, tanquam bello Francico prospere absoluto lætus Romam se rettulit, ac veritus, ne militum virtus in tanta gratulatione ocio, ac lasciuia frangeretur, aduocatis eis præclaram orationem habuit, qua eos ad continentiam, & modestiam in secundis rebus adhibendam hortatus est, simulq; monuit, vt arma tractare ne intermitterent. neque enim verisimile sibi videri, Francos, licet victos, in posterum quieturos. Gotthi vero, qui Francos auxilio iuuerant, in timorem adducti, ne Romani superioris belli molem in se conuerterent, in oppidum Cassinum præcipiti in loco situm se receperunt, idque, Ragnare Brittone duce, communiuerunt. Qua re animaduersa, Narses extemplo cum vniuerso exercitu eo reuertit. cumque oppugnationem ex propinquo non posset admouere, obsidione circundedit, dispositis circumquaq; custodiis, ne cuiquam aut ingrediendi, aut exeundi pateret potestas. haud magno tamen incommodo eos affecit, quòd necessaria ad victum omnia in oppidum conuexissent. indignati tamen Gotthi se diutius muris includi, crebras eruptiones fecerunt, vt Romanos ab obsidione auerterent, sed, nulla re memorabili acta, hiemem transegerunt. Eodem anno ciues Romani desiderio Vigilij pontificis sui accensi per Narsetem Iustinianum orarunt, vt Vigilium, omnesq;, qui cum eo erant, episcopos, & clericos ecclesiæ tandem, patriæq; suæ restitueret. Qua re cognita, Iustinianus clerum, qui cum Vigilio erat, acciuit, ac dixit, se, si Vigilium habere pontificem vellent, permissurum, sin minus, rogare, vt Pelagium archidiaconum, qui inter eos aderat, subrogarent. illi se

Vigilio

Vigilio contentos esse, sed post excessum eius in sublegendo pontifice voluntatis ipsius rationem habituros, dixerunt. Ita Vigilius dimissus cum omnibus in Siciliam est reuectus. verum Syracusarum in vrbe cum esset, sæuo calculi dolore oppressus v Kal. Ianuarias obiit. Concilium Constantinopolitanum vt veteres Ecclesiæ discordias in Oriente sedauit, sic nouas, easq; maximas seditiones in Occidente conciuit. Multis enim propter inscitiam visum est, ipsum plurimum de Chalcedonensis auctoritate diminuisse, tribus eius, vt rebantur, capitibus infirmatis. itaque in Italia Liguriæ, Venetiæ, & Istriæ episcopi, quorum principes erant Macedonius Aquileiensis, Honoratus Mediolanensis, & Maximianus Rauenas, decretis eius acceptis, Aquileiæ conuenere, ac, re in consultationem adducta, Concilium illud non obseruandum esse statuere. Scriptum autem est hoc in Decreto Iuonis de auctoritate Conciliorum, ex Beda: *Synodus Aquileiæ facta*, inquit, *ob imperitiam fidei quintum vniuersale Concilium suscipere diffidit, donec salutaribus beati papæ Pelagij monitis instructa & ipsa huic cum ceteris Christi ecclesiis annuere consensit.* Sed hoc annis subsequentibus factum est. Ineunte inde vere, Ragnares Cassini obsessus à Narsete po- 555
stulauit, vt sibi colloquij copiam faceret, quòd semet ei dedere statuisset. Qua facta, cum verba superbię, atq; arrogantiæ plena iactaret, dignus, qui irrito colloquio dimitteretur, est visus. Ceterum, cum in collem reuersus non longe à muris abesset, illud iniqui admodum, ac scelerati in primis exempli fecit, quòd sagittam clam in Narsetem occidendi hominis gratia iecit: quæ quanquam irrita cecidit, plurimum tamen periculi secum attulit. Quam ob caussam Romani iracundia inflammati propere arcus omnes intenderunt, ac, sagittis in eum certatim contortis, ipsum lethali vulnere affecerũt. ex quo relatus in oppidum post biduum mortuus est. Illo duce extincto, Gotthi viribus suis diffisi haudquaquam sibi cunctandum existimarunt, quin sese euestigio dederent. itaq;, nunciis ad Narsetem missis, pacta salute, eius se fidei permiserunt. Ille vero omnes Constantinopolim misit, ne quam materiam relinqueret belli per eos in Italia renouandi. Hactenus res Gotthorum, & Francorum in Italia gestas Procopium, Agathiamq; sequuti, narrauimus. quorum vterq; his temporibus vixit, atq; eloquentiæ studio floruit; Procopius etiam huic bello interfuit; quibus duobus credere malui, quàm Guidoni, aut Agnello Rauennatibus, quos licet ætate multo inferiores Blondus arcte complexus hæc omnia longe aliter & rettulit, & digessit. pręsertim vero cum eos mihi legere nõ contigerit. Narsete victoria parta Romã reuerso, corpus Vigilij pontificis est relatum, ac solemni pompa via Salaria æde S. Marcelli sepultũ. Comitiis inde creando successori indictis, Pelagius diaconus haud dubiis totius cleri suffragiis est suffectus. &, cum non essent in clero, qui consecrare de more possent, nouo exemplo ab episcopis, Ioanne Perusino, Bono Ferentinate, & Andrea presbytero Ostiense XVI Kal. Maij consecrationem accepit. Cum autem plerique religiosi, sapientes, ac nobiles ab eius se communione secernerent, quòd seditionis contra Vigilium excitatæ auctorem fuisse dicerent, vehementer dolere, atque angi animo cœpit. itaque, consilio capto, vna cum Narsete à Sancti Pancratij æde ad Sancti Petri hymnos, ac cantica canens processit, ibiq; euangelia, & crucem domini super caput suum ponens, in ambonem ascendit, ac sanctissimum iusiurandum iurauit, se illius seditionis prorsus expertem fuisse. Inde illud à clero, populoq; astante sibi confirmari postulauit, nequis in Ecclesia ab ostiario vsque ad episcopum pecunia, aut promissis, sed doctrinæ tantum, ac vitæ meritis proueheretur. Eodem anno in Gallia, Theodobaldo rege Francorum mortuo, magni eius patrui Childebertus, & Glotharius hereditatem inierunt. Childebertus exactæ iam erat ætatis, ac sine liberis. Clotharius quanquam viridior, tamen admodum senex, & filiis præditus. itaq;, moriente mox Childeberto, totum regnum Francorum ad Clotharium est delapsum. Idibus Augusti Constantinopolis sęuissimo terręmotu quassata est, quo multæ ædes sacræ, priuatæ, & publicæ, & maxima pars mœnium procidit. & mare ad duo millia passuum, æstu quodammodo vndas absorbente, recessit, quo multæ naues absumptæ sunt. eaque calamitate magna pars Orientis afflicta est. In primis autem Nicomedia, Antiochia, & Berytus ingentia detrimenta ceperunt. Beryti peregrini, & in-

quilini fere omnes ruinis elisi, inter quos præcipue iuuenes illi, qui cognoscendarum legum caussa eo se contulerant. itaq; iuris interpretes, qui antecessores dicebantur, Sidonem se referrre coacti sunt. Proximo anno, cum in perpetuum quietura à Gotthis Italia videretur, nouo suborto motu, deintegro fluctuauit. quippe Vidinus, Gotthorum Comes, vt scribit Paulus Diaconus, à Narsete defecit, atque Amingum, siue, vt inquit Marcellinus, Omnirugum, qui Bucellini socius fuerat, auxilio aduocauit. Quam rem nec spernendam, nec vllo modo ferendam Narses arbitratus, exercitum aduersus eos eduxit, &, summo commisso prœlio, vtrunque in potestarem redegit. ac, Vidino Constantinopolim misso, Amingum gladio interemit. videndum est autem, ad hoc ne bellum illud pertineat, quod post Cædrenus memoriæ prodidit, nempe Viriam, & Brincas à Narsete de Gotthis esse receptas. neq; enim quo nos coniectura ducat, aliud habemus. nec quidquam videri prætermisisse temere in tantis præsertim rerum angustiis, volumus. Constantinopoli iterum mense Iulio terræmotu, fulguribus, tonitruis, & tempestatibus grauissime laboratum est. Iudæi & Samaritani, Cæsareæ Palestinæ conflata seditione, impetum in Christianos fecerunt, ac, multis peremptis, ecclesias combusserunt, &, Stephano præfecto in prætorio necato, bona eius diripuerunt. vxor autem eius elapsa Constantinopolim adiit, atq;, iniuria exposita, effecit, vt Adamantius magister militum ad eam rem inquirendam sit missus. qui, quæstionibus acriter habitis, alios suspendio affecit, alios obtruncauit, alios publicatione, alios relegatione, multauit. magnusq; ex ea re tumultus in Oriente est concitus. Gotthis, Francisq; Italia deturbatis, restabant Heruli, quondam à rege Theodorico in Subalpinis, victo rege illorum Odoacre, locati. Et his ex Italia deturbandis summa opportunitas est oblata. quippe Sindualdus præfectus eis à Narsete, vt diximus datus postero, vt Paulus significare videtur, anno eos ad defectionem solicitauit, atque ab eo victus perfidiæ pœnas luit. Sic autem ille scripsit: *Narses Sindualdum regem cum multis beneficiis affecisset, nouissime rebellantem, & regnare cupientem bello superauit, & captum celsa trabe suspendit: eodemq; tempore per Dagisteum magistrum militum vniuersos Italiæ fines obtinuit.* Atque hic quidem earum cladium exitus fuit, quas omnium atrocissimas ab anno quadringentesimo, vt suprà diximus, barbari, ac pręcipue Gotthi Italiæ intulerunt. per quas ipsa vrbibus, armis, viris, opibus, ac dignitate multata, ac passim igne, ferroq; sæuiente, vltima stragis, atq; immanitatis exempla perpessa, ex summo florentis fortunæ gradu ad infimum, ac prope miserabilem est deducta. Quorum casuum ea magnitudo, atque varietas fuit, vt vix inueniri posse quenquam tanto animi robore putem, qui tot fortunæ ludibria, clades vrbium, fugas hominum, cædes populorum assequi mente, nedum complecti oratione queat. Ceterũ, Italia singulari Dei beneficio post annum ferme centesimum sexagesimum liberata, Narses animum ad eam instaurandam, atq; à superioribus calamitatibus subleuandam conuertit, præcipue ne Belisario videretur inferior, qui ei studio, quo ad per hostes, bellumq; licuerat, diligentissime inseruierat, magnamq; ex ea re laudem rettulerat. Fuit enim vt inquit Paulus, vir summa pietate ornatus, religione Catholicus, erga pauperes benignus, in reparandis basilicis diligens, ac demum vigiliis, & precibus vsq; adeo deditus, vt plures victorias supplicationibus diuinis, quàm terroribus bellicis, obtinuerit. Addit Nicephorus, eum tantum Virgini Dei genitrici cultum adhibuisse, vt ab illa manifeste apparente tempus committendi prœlij expectarit. neque eum antè in aciem descendere consueuisse, quàm ab illa opportunitatem rei aggrediendæ acceperit. Multa igitur ille posthac oppida bello labefactata restituit, multa Romæ, ceterisque in oppidis ædificia publica & sacra, & profana refecit, ac dispersas superioris tempestatis post fœdum naufragiũ colligere tabulas studuit. verum vt aliarum multarum, sic harum quoq; actionum explorata ad nos memoria non peruenit. Sunt enim qui sequuntur anni adeo ab omni litterarum commemoratione inopes, vt nihil in tota ferme Occidentis, atque Italiæ antiquitate incultius, nudiusve reperiatur. Eadem, quæ Narsetem, Pelagium quoq; pontificem cura incessit. nam & ipse omnia sua studia contulit ad ecclesias Romæ reparandas, & exornandas, moresq; clericorum, atq; episcoporum, qui lapsi fuerant, emen-

emendandos. Itaque ædibus sacris vasa aurea, & argentea, palliaque, quæ ante cladem Romanam habuerant, restituenda curauit, & Maximianum Rauennatum episcopum ad Romanæ Ecclesiæ auctoritatem reuocare contendit; res Ecclesiasticas ad proprios vsus vna cum altero episcopo nomine Thracio conuertentem. Qua de caussa Petrum presbiterum, & Proiectum notarium ad ea loca, vt hæc piacula tollerent, misit, eosq; Narseti Rauennæ agenti, vt ipsius ope mandata sua perficerent, commendauit. verba epistolæ adhuc extant: *Quali nos de gloria vestra studiis iudicio gratulemur, non solum, vestram, sed multorum, etiam, ac pene omnium credimus habere notitiam. & idcirco nunc de iis, quæ, vobis præsentibus, ibi fieri stupemus, fiducialiter apud gloriam vestram duximus conquerendum. Thracius siquidem, ac Maximianus nomina tantum episcoporum habentes, & Ecclesiasticam ibi vnitatem perturbare dicuntur, & omnes Ecclesiasticas res suis vsibus applicare in tantum, vt contra vnum Maximianum vsque ad nos per tam longum iter, necessitate compellente, quidam infatigabiliter venientes preces offerant. ob quam caussam Petrum presbyterum Sedis nostræ, & Proiectum notarium ad eadem loca duximus destinandos, vt ea, quæ canonicis statutis à prædictis pseudoepiscopis compererint commissa, vel digna debeant ibi vltione compescere, vel eosdem ad nos vsque perducere. Et ideo salutantes paterno affectu gloriam vestram, petimus, vt præfatis, qui à Sede nostra directi sunt, in omnibus præbeatis auxilium, nec putetis alicuius esse pecati, si huiusmodi homines comprimantur.* Macedonio archiepiscopo Aquileiensi mortuo successit Paulinus ab Honorato archiepiscopo Mediolanensi contra vetera exempla sacratus. ille vero & ceteri Liguriæ, Venetiæ, & Istriæ episcopi, cum Concilium, vt diximus, Constantinopolitanum repudiantes, se ab Ecclesiæ auctoritate remouissent, & hos Pelagius reuocare siue litteris, siue nunciis missis conatus est. itaque postero anno, cum eorum nemo præceptis ponti- 558
ficiis obedientem se præbuisset, nouas ad Narsetem litteras misit, vt primos ad Iustinianum Constantinopolim mitteret, secundos vel principali, vel iudiciali auctoritate comprimeret, quemadmodum legibus cauereretur. verba hæc fuerunt: *Date operam, vt qui se ab Apostolica Sede seiunxerunt, ad piissimum principem sub digna custodia dirigantur. recolere enim debet Celsitudo vestra, quid per vos Deus fecerit tempore illo, quo Istriam, & Venetiam tyranno Totila possidente, Francis etiam cuncta vastantibus, non antè tamen Mediolanensem episcopum fieri permisistis, quàm ad clementissimum principem exinde rettulissetis, & quid fieri debuisset, eius iterum scriptis recognouissetis, & inter vbiq; feruentes hostes Rauennam tamen & is, qui ordinabatur, & is qui ordinandus erat, prouidentia culminis vestri deducti sunt. De Liguribus, Veneticis, & Istris episcopis quid dicam? quos idonea est Excellentia vestra & ratione, & potestate reprimere. ne dimittatis in contemptum Apostolicarum sedium de sua rusticitate gloriari, cum siquid eos de iudicio vniuersalis synodi, quod Constantinopoli per primam nuper elapsam indictionem actum est, forte mouebat, ad Sedem Apostolicam (quod semper factum est,) electis aliquibus de suis, qui dare, & accipere rationem possent, dirigere debuerunt, & non clausis oculis sanctam Ecclesiam lacerare. Nolite ergo dubitare, huiusmodi homines principali, vel iudiciali auctoritate comprimere. quia regulæ patrum hoc specialiter constituerunt, vt si qua Ecclesiastici officij persona, cui subiectus est, restiterit, vel seorsum collegerit, aut aliud altare erexerit, seu schisma fecerit, iste excommunicetur, atque damnetur. quòd si forte & hoc contempserit, & permanserit diuisiones faciendo, & schismata, per potestates publicas opprimatur.* Paruit pontificis auctoritati Narses, atque episcopos, quocunque modo Ecclesiæ mandata spernentes, cohibere pro potestate contendit. itaque ab eis propterea piorum communione secretus est. Qua de re cum Pelagium monuisset, eiusmodi ab illo responsum accepit: *Relegentes litteras Excellentiæ vestræ de iniuria, quam vobis iniquorum hominum præsumptio ingessit, valde doluimus. sed quia scimus, occulto Dei iudicio animam vestram, etsi per aliorum iniquitatem, & superbiam, à contaminatione schismatis custoditam, egimus omnipotenti Deo gratias, qui etiam de malis hominum actibus bona operari consueuit. nec enim sine illius prouidentia factum esse credendum est, vt insensati, & peruersissimi homines vsque ad hoc prosilirent, vt suam diuisionem Catholicam esse credentes Ecclesiam, à sua vos pol-*

lutione prohiberent. sic enim per misericordiam Dei, etiam nescientibus illis, hoc factum est, vt à schismaticorum communione eruti Catholicæ, quam diligitis, seruari vos contigisset Ecclesiæ. Quamuis igitur vestra per illorum scelus facta sit vtilitas, nolite tamen impunitam præsumptionem iniquorum hominum grassari permittere. si enim hoc, quod in vestram gloriam præsumpserunt, non fuerit vindicta compressum, quod in minoribus non valeant puniri, ambigi vltra non debet. Quales autem sint, qui Ecclesiam fugiunt, Eufrasij eos scelera euidenter infamant qui in homicidio nec hominis necessitudinem, nec fratris caritatem, nec sacerdotij reuerentiam cogitauit. Auferte tales ab ista prouincia. vtimini oblata vobis à Deo opprimendi perfidos occasione. quod tunc plenius fieri poterit, si auctores scelerum ad clementissimum principem dirigantur, & maxime ecclesiæ Aquileiensis inuasor, qui, & in schismate, & in eo maledictus nec honorem episcopi poterit retinere, nec meritum. Quod mandatum cum explere Narses differret, nouis, his Pelagij litteris est impulsus: *Iampridem à vobis postulauimus, atque adhuc postulamus, vt Paulinum Aquileiensem pseudoepiscopum, & Honoratum Mediolanensem episcopum ad clementissimum principem sub digna custodia dirigatis, vt iste, qui episcopus nullatenus esse potest, qui contra omnem canonicam consuetudinem factus est, alios vltra non perdat, & illum, qui contra morem antiquum ordinare præsumpsit, canonum vindictæ subiaceat.* Quibus præceptis armatus Narses alios episcopos, quos capere potuit, Constantinopolim misit, aliis fugam consciscentibus iustum exilium sanxit. ex quibus Vitalis Altinas, Maguncia cum abiit. Narses item per hos annos templa, quæ victoriæ caussa in Riuoalto insula vouerat, vnum S. Theodoro martyri alterum S. Geminiano confessori, Mutinensi quondam antistiti ædificandum iam voti damnatus curauit. quorum illud hodie Venetiis in æde S. Marci includitur, alterum è regione inuisitur in foro. Dum autem Italiæ status hoc pacto ad quietem, decoremque formatur, Oriens sæuis rursus, atque inauditis antè malis est diuexatus, illuuionis, pestilentiæ, tempestatis, terræmotus. nam mare limitibus naturalibus ad tria millia passuum Thraciam versus excessit, atque agris, hominibusque multis oppressis, in alueum pristinum rediit. sequuta est inde Constantinopoli tanta, tamque dira pestilentiæ lues, vt mortui triduum insepulti iacerent, non sufficiente propter multitudinem cadauerum libitina. mox, cum ne currus quidem à Iustiniano curari satis valerent, in littus eiecta ad sex dies inhumata manserunt, & fœtore intolerabili loca proxima infecerunt. Mensibus Iulio, & Augusto illa maxime clades accepta. Quin etiam per eosdem dies insolitæ cœli tempestates, atque horribiles extiterunt. erat autem continuus prope cœli fragor, & passim micantium fulminum species, quæ non solum oculis, auribusque attonitis terrore, sed etiam suspensis animis religionem incutiebant. quibus nonnulli etiam somnum capientes adusti sunt. Fulgura vero terræmotus adeo atroces, & sæui in omnibus terris sunt consequuti, vt merito homines vererentur, ne vno terræ haustu vrbes absorberentur. Quæ mala cum alia in Occidente loca vexarunt, tum in primis Italiam afflictarunt, vsqueadeo vt Romam satis constet plus etiam ab his terroribus detrimenti, quàm à barbarorum feritate, cepisse. Itaque, cum aliquando Canusinæ ciuitatis antistes cum S. Benedicto abbate de Totila rege sermonem ingressus dixisset, fore, vt per eum vrbs ita dirueretur, vt in posterum nequaquam incoleretur; respondit S. Benedictus, immo vero Roma ab hominibus non excindetur, sed à tempestatibus, fulguribus, turbinibus, & terræmotu fatigata exardescet in semetipsa. Id autem verum fuisse vaticinium scripsit S. Gregorius, affirmans, sua ætate, (vixit autem hoc tempore, monasteriis multis à se conditis, atque ipsius disciplinæ monasticæ à se diligentissime cultæ gloria clarus.) Romæ mœnia dissoluta, domos euersas, destructas ecclesias turbine fuisse, eiusque ædificia senio longo lassata increbescentibus ruinis prostrata ingratum sui spectaculum præbuisse. Hoc terræmotu sedato, rursus mare ad duo millia passuum extra fines excurrit. alterque terræmotus, iam ineunte hieme, priorem excepit, qui multo, quàm ille, non solum minacior, sed etiam perniciosior fuit. Præcipue Constantinopoli circa mediam noctem, ci-

ctem, ciuibus alto, & profundo somno sopitis, repente concuti omnium fundamenta ædificiorum cœperunt. isque motus vsqueadeo sæpe cum insigni incremento est repetitus, vt homines, somno discusso, periculi instantis magnitudine consternati altissimos eiulatus, & flebiles comploratione sediderint, supplicesque vota ad Deum effuderint. tum sonitus quidam grauis, ferusque stridor è terra erupit, qui sæuissimis ventorum agminibus quasi stipatus ipsum terrorem ingeminauit, quo territi homines mente prope attoniti ex ædibus sese in publicum effundebant, ac subdio votis faciendis manebant, omniaque niuis, algorisque incommoda sustinentes tectis succedere detrectabant. Licebat autem cernere mulieres nobilitate, & castitate insignes temere cum viris alienis, omni pudoris confuso discrimine, commisceri, viros virtute præstantes ab ignobilibus, dominos à seruis, magistratus à priuatis in ordinem redigi, omnibus mortem in proximo esse putantibus. multis in partibus ædes totæ procubuere, multis in ædibus tecta, compage ipsa soluta, ita diuulsa sunt, vt cœlum aspiceretur, ac mox ita coierunt, vt fractura non cerneretur. alibi columnæ ex superiore ædificij parte vi excussæ ad longinquas ædes, velut funda, emissæ fragore ingenti omnia contriuerunt. E plebe plurimi periere, è nobilitate solus Anatolius, vir consularis in lecto cubans, marmoris fragmento collisus est. Luce autem subsequente, ciues se inter se intueri, salutare, & complecti, perinde ac si desperata salute iam iam essent mortem oppetituri. Inde per decem post dies ipso continuato tremore, reliqua ædificia aut labefactata, aut certe tentata sunt. Quæ res homines coire coegit, & supplicationes Deo facere, & carmina expiatoria canere. Iustinianus autem religione perfusus in festo Nataliciorum, & Theophaniorum per vrbem, posita Au- 559
gustali corona, incessit. nec conuiuia solennia celebrauit, sed eorum impensas in egenos tolerandos transfudit. vulgo etiam æquitas in commerciis, & iudiciis coli cœpta, & omnes turpitudinis, ac flagitiorum labes reiectæ. alij, mutato viuendi more, honoribus, opibusque relictis, vel in sacra loca collatis, vitam sibi solitariam deposcebant. per noctem primores ciuitatis publicas vias obeuntes, mendicos atque egentes cibis oblatis, vestibusque leuabant. Interim non deerant, qui absurdas quasdam prædictiones in vulgus iactarent, huic mundi machinæ finem adesse monentes, quiq; res horrendas à se visas falso ferentes pauorem augebant. quorum alij quasi à dæmone insito edocti, alij quasi ab astris hoc portendentibus moniti hęc tradebant. Postquam vero, remittente tremore, discrimen est imminutum, tum ad pristinam vitæ consuetudinem plerique se rettulerunt, & caussas terræmotuum naturales inquirere, & de ventorum exhalationibus disserere cœperunt, tumidos, ac densos vapores terræ cauernis inclusos motus ciere huiusmodi concludentes. Iustinianus ædificia vel putrescentia vel imbecillia vel prolapsa instaurare contendens, præcipue trullam templi S. Sophiæ restituit. eamque viginti amplius pedibus supra templi tectum, quàm antè fuerat, extulit. aliasque ædis partes debilitatas magnificentiore, quàm erant, opere instaurauit. Hunc autem terræmotum tam insignem sequuta est altera insignior pestilentia, quæ integros quattuor menses vrbem attriuit. Moriebantur plerique repente, tanquam apoplexia correpti, neque vltra quintum diem superabant. morbus autem priori similis; nam febres ad bubonem intumescentem adiectæ eum, quem inuaserant, extinguebant. nonnulli vero nec febre occupati, nec dolore vllo vexati, dum secreto corpora curarent, & domi, & foris, vt cuique contingebat, cadebant. præcipue iuuenes vis illa morbi absumebat, & mares magis, quàm fœminas. nam illæ dissimili lue conficiebantur. Eodem anno noua gens Hunnorum, qui Abares dicebantur, ad ripas Istri venit, & amnem per hiemem conglaciatum nacta, flumine transmisso, in Mœsiam, prouinciam Romanam irrupit, ac varie populari agros hostili exemplo incœpit. Hi in omnibus rebus reliquorum Hunnorum cultui, præterquam in religatione capillorum, similes extitere. In Italia (quod ingentem omnibus horrorem incussit) memorabilia quoque prodigia apparuere, nempe signa per domos, ostia, vasa, & vestimenta, quæ nulla deleri ablutione potuerunt. hæc proximam, quæ se-

quuta est, pestilentiam portenderunt. Narses Mediolanum reparare conten-
560 dit. Pelagius pontifex ædem S S. Iacobi, & Philippi instituit. Anno inde quingentesimo sexagesimo à Christo nato Hunni ex Mœsia in Thraciam cum transissent, capto prouinciæ præfecto, magnam cædem fecerunt. cumque partes quasdam muri Anastasiani terræmotu prostratas inuenissent, ingressi sunt atque omnia vsque ad Dripeum, Nymphas, & Chiti pagum in suam ditionem abduxerunt. Qua re cognita, Iustinianus ciues multos ad Longum murum misit. qui, commissa pugna, plerique ceciderunt. itaque Belisarius, licet iam effœtæ ætatis, missus est. qui, equis ciuium sumptis, armata multitudine venit, ad Chiti pagum, fossaque facta, barbaros, quotquot cepit, occidit; palmites etiam arborum post se traxit, vt, excitato puluere, ingentis speciem multitudinis Hunnis præberet. qua opinione decepti vsque ad Arcadiopolin profugerunt, &, cum naues parari viderent, vt sibi tutus receptus daretur, postularunt. Iustinianus autem Iustinum Curopalatem sorore sua natum misit; qui eos traduxit, eum, qui pòst Imperium tenuit. Hoc anno pestilentia inguinaria, siue bubonis vocata, ex Oriente demum in Italiam transiit. cuius ratio fuit huiusmodi. Erumpebant in inguinibus hominum, & in aliis mollioribus partibus glandulæ instar nucis, quas mox ardentissimæ febres excipiebant, ita vt tridui spacio absumerent. siquis vero vltra spiritum produxisset, spem vitæ concipiebat. ita domus vbique deserebantur, singulis tantam vitare cladem studentibus, cum patres liberos, liberi parentes relinquerent; vt saluti suæ consulerent. nam siquis tanto pietatis ardore flagrasset, vt alteri officium præstare aut curationis, aut sepulturæ vellet, in eandem mox & ipse incidebat calamitatem. itaque lacrymis, & fletibus vbique omnia personabant. Hæc lues ad superiores Italiæ clades adiuncta vt populos prorsus exhausit, sic maximam instaurandis, quod cœ-
561 ptum erat, ædificiis moram iniecit. Proximo anno Pelagius pontifex, basilica apostolorum nondum perfecta, III Nonas Martij obiit. Inde IIII Kalen. Iunij Ioannes, cognomento Catelinus, est suffectus, quem tertium appellarunt, ac XVI Kalen. Augusti consecratus. In Sicilia Placidus S. Benedicti discipulus sacrum martyrium subiit. irruptione quippe à Sarracenis in insulam facta captus, ac variis suppliciis affectus constanter est mortuus, vna cum fratribus suis Eutitio, & Victorino, ac sorore virgine Flauia, & monachis triginta tribus. Dicitur autem cathenis vinctus fuisse, fame, & siti cruciatus, suspensus, tortus, verberatus, adustus, fumo afflatus, dentibus & lingua multatus, ac demum capite truncatus III Nonas Octobris apud Messanam. Maurus autem condiscipulus eius, monasterio in agro Andegauensi constructo, omni item laude sanctitatis effulsit. Rauennæ templa ab Arrianis fœdata ab Agnello episcopo hortatu Narsetis expiata, & multis donariis aucta. Iustiniano dolore capitis fatigato, cum in publicum non exiret, rumor in vrbe dispersus est, ipsum morbo esse consumptum. itaque tumultu suborto, tabernæ direptæ sunt. neque hora tertia venalis panis inueniebatur. prouectaque res esset longius, nisi hora nona præfectus vrbis luminaria per totam vrbem accendi iussisset, atque eo signo Imperatorem valere significasset. quo conspecto, omnis repente tumultus elanguit. Mense inde Decembri ædes à basilica S. Sophiæ ac Probi fortuito incendio conflagrarunt. Et hoc anno terræmotu, ac pestilentia multis est in vrbibus laboratum. Post res Ecclesiæ Concilio Constantinopolitano compositas Seueriani hæretici quiescere non potuerunt, ac nouam de immortalitate carnis Christi controuersiam intulerunt. quibus cum Catholici summa ope resisterent, re ad arma deducta, multas cædes fecerunt. Quod audiens Iustinianus, misso Timarcho Comite, innoxios vindicauit, aliis exilio, aliis bonorum publicatio-
562 ne, aliis vita multatis. Proximo anno Romæ Ioannes pontifex basilicam Apostolorum iam ad summum perductam dedicauit. Narses in pace Italiam administrare cum summa Imperatoris gratia instituit; ac pontes Romanos, & reliqua opera bello ab hostibus diruta reparare perseuerauit. In Gallia prodigium

digium ingens factum. Mons Rhodano fluuio imminens multos dies mugitum emisit, ac postremo ab alio monte sibi vicino diuulsus cum omnibus ædificiis, atque incolis præceps in Rhodanum ruit. Constantinopoli vero res nefanda in caput Imperatoris coniuratione turbatæ. quippe Nonis Nouembris Ablauius, Marcellus, & Sergius homines non ignobiles insidias Iustiniano moliti sunt, re composita, vt ipsum in triclinio sub noctem inuaderent. cum autem Ablauius consilium cum Eusebio exconsule, & Ioanne Logotheta communicasset, ex eorum indicio re detecta, principes coniurationis capti, & cum gladiis deprehensi sunt. quorum Marcellus statim sibi gladium intulit. Sergius autem interrogatus Isaacium, & Belisarium patricium coniurationis participes prodidit. idque Viti, & Pauli testimonio comprobauit. qui à Procopio præfecto comprehensi eadem affirmarunt. Hac de re Iustinianus Nonis Decembris horum confessiones enunciari per Eutychium vrbis episcopum iussit, ac missis, qui Belisarij familiam comprehenderent, ipsum domi suæ in custodia triumphalem hominem, ac sine dubio eius sæculi virtute, dignitateque principem, habuit. at vero postero anno, re ad liquidum explorata, 563
XIIII Kal. Aprilis tanquam innocentem emisit, ac bona, dignitatemq; pristinam reddidit. In Gallia Glotharius rex Francorum Gramnum filium iampridem hostiliter multa aduersus se in prouincia molientem è regnò expulit, atque in Britanniam insequutus captum cum vxore, ac filiabus necauit. Insequenti Narses ad arbitrium suum omnia in Italia administrans, Vitalem Altini episcopum, qui Maguntiacum profugerat, tandem in potestatem adductum retraxit, atque in Siciliam relegauit. Iustinianus autem, cum iam decrepitæ esset ætatis, religionis caussa Germaniciam vrbem Galatiæ prodiit, ibique nouam hæresim imbibit, eorum, qui immortalitatē carnis Christi opinabantur, vnde Aphtarthodocitæ appellabantur, quæ erat, Christum non mortalē carnem assumpsisse, sed postquam assumpta esset, immortalem euasisse, ac corpus eius prorsus expers mortalitatis, omniumque humanarum affectionum fuisse. itaque cibo, & potu ante resurrectionem perinde vsum esse, atque post ipsam resurrectionem fuerit. Quam opinionem ille ita hausit, vt, edicto proposito, asseruerit; atque Eutychium episcopum vrbis furentem, atque eam, tanquam à veritate Catholica alienissimam, refellentem Ecclesia deturbarit, eique Amasiam, vnde venerat, relegato Ioannem Scholasticum substituerit. quæ res magnam pòst decori eius infamiæ labem imposuit. Quo facto, Anastasius Antiochiæ episcopus caussam suscepit, ac libros ad hanc labefactandam hæresim scribere, atque fautores accersere instituit. atque omnium animos, quis nam futurus esset huius controuersiæ finis, magna expectatione suspendit. Proximo anno Narses pontem in Anienem, quem Totilas euerterat, à se refectum his verbis inscripsit: *imperante D. N. Piissimo, ac triumphali semper Iustiniano P P. Augusto, Anno XXXIX Narses vir gloriosissimus ex præposito sacri Palatij, excons. atque Patricius post victoriam Gotthicam, ipsis eorum regibus celeritate mirabili conflictu publico superatis, atque prostratis, libertate vrbis Romæ, ac Italiæ restituta, pontem viæ Salariæ vsque ad Aquam à nefandissimo Totila tyranno destructum, purgato fluminis alueo, in meliorem statum, quàm quondam fuerat renouauit.* Neque tot operum, quibus ille vrbem, atque Italiam instaurauit, aliud extat hodie monumentum. Iustinianus Idibus Februarij litteras ad Narsetem dedit, vt filiis L. Titionis, qui tribunus militum in prœlio contra Vitigem regem apud Rauennam ceciderat, bona, dignitatemque pristinam restitueret. Ceterum insignis annus trium clarissimorum virorum, ac principum obitu fuit, Belisarij patricij, Clotharij regis, & Iustiniani Imperatoris. Clothario mortuo, filij eius regnum ita distribuerunt, vt Chereberto Parisij, Sigeberto Metenses, Chilperico Suessiones, Guntranno Aurelianenses euenerint. Iustinianus, cum ad perdendum Anastasium edictum parasset, illo nondum promulgato, repentina morte perculsus est. obiit autem anno Imperij sui XXXIX, ætatis LXXXII, Idibus Nouembris, vir inter paucos merito numerandus. quippe princeps bello, paceque inclytus, ac veteris Romanæ gloriæ instaurator eximius, ac sine dubio bonorum simul, ac fortium Imperatorum Orientis extremus.

564 (margin, beside "Insequenti Narses ad arbitrium")
565 (margin, beside "Proximo anno Narses")

Iustiniani mors et elogium.

ATQVE hæc quidem ſunt, quæ ad Occidentale Imperium pertinentia cura, ſtudioq; diuturno memoratu digna collegi. & quod ad conſeruandam memoriam præſtantius fuit, in tempora, annosq; diſtinxi, ſumma veteris omnis renouandæ memoriæ cupiditate, cum mea ſponte, tum in primis tua, Excellentiſſime Princeps, præclara erga hæc ſtudia voluntate, incenſus. Poſt hæc, ipſo prorſus extincto Imperio, res Romana in multa regna eſt diſtributa, Francorum & Burgundionum in Gallia; Gotthorum in Hiſpania; Anglorum, & Scotorum in Britannia; Longobardorum, ac Normanorum in Italia; itemq; Sarracenorum in Africa. itaque ſi quis continentem his annis hiſtoriam litteris illuſtrare voluerit, næ illæ multo elegantius, atque commodius fecerit, ſi ſingula regna ſingulis voluminibus comprehenderit, quam, ſi confuſam illam omnium molem in vnum quaſi corpus congeſſerit. Hoc ego triennio antè experiri inſtitui, regnum Italiæ mox à Longobardis inuectum litteris, vt dixi, commendare aggreſſus, initio à Iuſtiniani exceſſu, in quo hæc Occidentalis Imperij deſinit hiſtoria, ducto. Quare ſiquis hos illis annales prætexuerit, aut illam huic lectioni adiunxerit, perpetuam annorum prope mille, omniumq; memorabilium actionum, quæ comperiri hac demum ætate potuerint, contextam narrationem habuerit. Vtrumq; autem opus à me Bononiæ orſum, atq; cõfectum eſt, illud anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quarto; hoc vero ſeptimo. Quod idcirco ſcribo, vt ſi quid priſcæ memoriæ poſt hunc annum è tenebris educetur, qualia multa quotidie eruuntur, eius me notitiæ compotem eſſe nequiuiſſe, intelligatur. ſi quid autem exierit, profecto eius adiiciendi mihi, ſi cum valetudine vita ſuppeditauerit, cura non omittetur, vt hoc opus, quod abſolutiſſimum eſſe cupio, aliquando tandem in communem hominum vtilitatem perficiatur.

DE OCCIDENTALI IMPERIO XX LIBRORVM FINIS.

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM MAXIME NOTABILIVM EORVM, QVÆ IN LIBRIS XX DE OCCIDENTALI IMPErio Caroli Sigonij continentur.

Arriana

Constan-

D

E

Franci

M

Martianus

N

Nouatiani

Surus

Imita-

FINIS.

HISTORIAE
MVSVLMANAE
TVRCORVM, DE MONVMENTIS IPSORVM
EXSCRIPTÆ, LIBRI XVIII.

Opus Jo. LEVNCLAVII *Amelburni, lectu dignissimum; quod gentis originem, progressus, familias & principatus diuersos, res Osmaneas a Suleimane Schacho, ad Suleimanem II memoria nostra, cum aliis maxime raris, & hactenus ignotis, continet.*

ACCESSERE COMMENTARII DVO,

LIBITINARIVS INDEX OSMANIDARVM, quo fides historiæ gentiliciis e thecis, ac titulis eorum funebribus, adstruitur; & Apologeticus alter.

Cum ONOMASTICO *gemino, &* INDICE *copioso.*



FRANCOFVRTI

Apud heredes Andreæ Wecheli,

Claudium Marnium & Ioann. Aubrium.

M D XCI.

Cum S. Cæs. Maiest. priuilegio.

Serenißimis Principibus,
Io. Caſimiro Adminiſtratori, et
Friderico heredi Palatinatus
Septemuiralis, Boiorum Ducibus,
Imperij Romani Dapifer. max.
Elector. et Vicar.

Chriſtiano Saxonum magno Duci,
Turing. Landgrauio, Marchioni
Miſenenſ. Burggrauio Magdeb.
Imperij Romani Mareſcallo max.
Electori et Vicario.

Io. Georgio Marchioni Brandeb.
I. Ro. Camerario max. et Electori: ac
Ioach. Friderico F. Admin. Magdeb.
Pruſorum, Pomeran. Croſnæ Ducib.
Norimb. Burggra. Rugiæ Princip.
Auguſti columnis regni, P. P.

Io. Leunclau. hiſtoriam Turcicam,
ſui fructum itineris, dedic. obt.

Procœmium

AD EXCELSOS IMP. RO. PRINCIPES HOSCE SEPTEMVIROS, ET DIGNITATIS EIVS HEREDES,

De præsenti rerum Turcicarum statu.

EDIDI non ita dudum Annales Turcicos, potentissimi principes, e barbarorum partim libris in nostratem linguam traductos, partim mea concinnatos industria; cum Turcici Pandectis adpendice, rebus ipsorum illustrandis accommodata: quibus, in hoc sane commentationis genere, si nihil antehac prodiisse vel accuratius, vel solidius, vel plenius dixero; vix a veri scopo aberrauerim, nec reprehendi iure merear. Nunc illa non contentus opera, quod iis vsu solet euenire, qui gustum alicuius insolentis, sed gratæ rei perceperunt; progrediundum mihi Turcorum ad historiam putaui, tentatum opus a Græcis, adfectum ab aliis, perfectum a nemine, cuius in lucem labor exierit. Terruit animum suscepti grauitas oneris, & laboris magnitudo, fateor; sed boni publici consideratio tergiuersantem impulit. Non caruit hactenus Germania nostra, vel ipsa potius Europa, quorumdam obscuris initio susurris, inde iactatis palam vocibus, hominum nouam sibi vanis pollicentium somniis in orbe terrarũ monarchiam, a paucis annis in acribus quidem illis, sed præ nimia sapientia deliris eorum cerebris natam, qui e ferrei sæuique dominatus scoriis, nescio quod exoriturum sibi finxere regnum aureum; cuius in diem magis ac magis, cum admiratione mortalium, spes omnis in fumos abire cepit, ac euanescere. Cur in ista rerum totius orbis immutatione nobis ab hoc ventoso partu metuamus, nulla subest idonea plane causa; nec quæ crudeles illi pariter, & ambitiosi, vafriq;, seuerunt hactenus, & serunt, & serere porro conabuntur discidia & bella, velut optato partui felicem obstetricis adhibitura manum, vllo modo vereamur: vna nobis ob oculos perpetuo versator barbarorum potentia, qui ceteras Christiani nominis gentes haud extimescunt, Germaniam solam in oculis & animis circumferunt: vnius Germaniæ libertati, victoribus

Annales præmissi.

Hist. Turcor. hactenus imperfecta.

Cur necessaria.

omnium Romanis indomitæ, non desinunt insidiari: hanc ab se sub iugum missam optant: ab huius ruina, monarchiæ suæ celsissimum culmen, aliorum orbis Christiani regnorum facilem in primis occupationem, sibi promittunt. Quo magis eorum historia nobis expetenda, qua nationis haud vna de causa stupendæ genius ad viuum exprimatur, & res a barbaro, sed tot imperiorum, tot principatuum victore populo gestæ, non perfunctorie, sed integre, sed sollerter exponantur: cuius quidem historiæ fructum rectius vt æstimare Historiæ fructus, ex collatione. *possimus, videamus sane, quid a Turcis ob ea, quæ adsunt ipsis aduersum nos tela, & adiumenta, formidandum nobis sit; quid ex aduerso non de tuenda dumtaxat salute fortunisque nostris, sed etiam de frangendis ipsorum conatibus, si sancte, religiose, sincere nos coniungamus, habere spei possimus. Quippe boni officium imperatoris hoc modo facturi sumus, qui & hostis, & suas prudenter metitur vires; nec solum in omnem paratus est gerendi belli occasionem, & prœliorum euentum: sed etiam vigilantia, sollicitudine, consiliis, belli præsidiis & adparatu, quam maturrime se munit; vt cum modica, vel impari quoque militum manu, copiis occursare maximis haud dubitet.*

Pro Turcis. I. Vna religio. *Faciunt igitur a Musulmanis, (sic auent adpellari) religionis vnius & eiusdem inter ipsos vinculum, nec vllis diuisa sectis sententia; cultusque numinis, & cerimoniæ, tam lato in regno, prorsus eadem. Magnum & illud momentum habet, a superstitionis suæ propagandæ nimium quantum studiosis nullos alioqui subditos, hoc* II. Libertas relig. Christ. data. *nomine dissentientes a se, vel singulos, vel quietos puniri; nullos extrahi, nullos inquiri: tantum abest, vt carceribus perpetuis, ferro, laqueis, culleis, flammis, in homines ceteroqui non sceleratos, religiosæ conscientiæ causa, sæuiatur. Hæc animos oculosque plurium sic perstringit & cæcat moderatio, minus vt ab illorum subeundo* III. Prudentia. *iugo abhorreant; quum quæ fiant alibi, non ignorent. Est in hisce barbaris & prudentia quædam minime barbara, tam ex vsu, quam* IIII. Rer. vsus. *memoria rerum comparata. Manifesta magni præbent vsus indicia Vezires in administratione regni, qui principi sunt a consiliis* V. Historia domestica. *secretioribus. Nec memoria rerum, quæ historia est, gentem destitui; testes hi libri sunt, de monumentis ipsorum hausti, quæ non ad gratiam fuere composita, sed ex vsu reipublicæ: vitiis quoque Sultanorum nequaquam silentio præteritis, aut omisso de rebus inique perpetratis iudicio liberiore. Ne quidem externis Turcos histo-* VI. Historia rer. exterarum. *riis, etiam ante hæc tempora caruisse, vel ex eo perspici potest; quod huius operis libro decimo legitur, a CC plus minus annis, imperante tunc*

te tunc Emire Suleimane, Achmetem Meulanam (Doctores suos Meulanas adpellant) vixisse: a quo liber de rebus ab Alexandro Macedone Magno gestis, in rhythmos linguæ vernaculæ redactus, & nomine dicti Suleimanis editus fuerit; qui vicissim Achmetem magnificis, ob elaboratum opus insigne, donis coluerit. Ac prius quoque notas ipsis fuisse Alexandri regis historias, e libro quinto paret; vbi de bellis huius Indicis aliquid recitatur, cuius & Q. Curtius Ruffus, & e nostris alij meminerunt. Etiam reliquæ doctrinæ præceptis imbuuntur, sed dumtaxat ad vsum. Non enim more nostro scholæ discunt, sed vitæ; iuxtaque veterem comicum, oderunt homines ignaua opera, philosopha scientia. Ne Deruislaros quidem, qui solitarij sunt, a vita, quæ in actu consistit, abstinere videas: sequius atque fieri constat apud nos Christianos, qui monachorum greges infinitos, graui cum onere reipublicæ, nec vllo fructu vel in togata, vel armata militia, ventres nimirum pigros alimus. Ponunt in eo quoque non leue præsidium suis rebus, quod optimatum, & populi statu reiecto, semper imperij forma prima, qui principatus vnius est, vsi fuerint. Hinc illæ voces, perquam ipsis familiares: Deus vnus in cælis, vnus in terris princeps. Electionis etiam dissidia præcipit Osmaneæ familiæ ius perpetuum, ex qua nati dumtaxat ad successionem imperij vocantur. Nec prorsus aberrant a fine principatus, dum vtcumque bono publico student, res & commoda priuata negligere videntur. Exempla, quibus & ipsi principes, & proceres subditis præeunt, ad virtutem militarem pertinent, quam solam colunt & admirantur. Justitiæ rigor illic potius regnat, quam clementia; velut inter barbaros, tam subditos, quam principes. Administrant vero iustitiam sibi subiectis æquabiliter, & sine cumulo legum, remotoque litium studio. Sicut enim iudiciorum Europæ nostræ pestis est, causidicorum & aduocatorum captiosa loquentia, mater filiæ non minus noxiæ, litium immortalitatis: ita Laconismus ipsorum, & in foro procedendi simplex quidam modus, ac planus, vereque strepitus omnis expers, & subitæ cum exsecutionis rigore singulari coniunctus, non paucis salubre remedium malis adfert. Illud etiam plurimum ad stabilitatem imperij conducit, quod & polliceri præmia sibi certa fere possunt, si recte se gesserint; & de suppliciis dubitare non debent, si præter officium fecerint, aut in eius aliqua parte deliquerint. Pœnarum genera diuersa sunt, ac pleraque sane diritatis immanis: præmiorum mare quoddam, & inter alia, functiones honorificæ pariter, & fructuosæ,

VII. Studia doctrinæ.

VIII. Monarchia.

IX. Ius regni hereditarium.

X. Studium reip.

XI. Virtus militaris.

XII. Rigor iuris.

XIII. Ratio iudiciorum.

XIIII. Præmia.

XV. Pœnæ.

tam intra seraium, siue priuatæ, quam extrinsecus in quibusuis administrationibus publicis; cuiusmodi sunt Vezirlucatus, Cadilescherlucatus, Beglerbeglucatus, Sanzacbeglucatus, Cadilucatus: alia denique munera, velut in amplissimo regno, propemodum infinita; cum diuersis honoribus, timariis, prædiis, opibus, donatiuis, annonis perpetuis.

XVI. Vis regni. *Quinetiam stare videntur adhuc imperij firmamenta, præsertim a vi pendentia: cuius sunt generis, militum copiæ, cum munimentis & arcibus. Beneuolentiæ populi rationem nullam ducunt.*

XVII. Auctoritas. *Auctoritatem rigide vsurpant, & eamdem adfectant impense, non solum ad subditos, sed etiam ad exteros. Parant hanc sibi tum potentia, tum forma imperij seuera & minaci. Nec a fortuna deest eis auctoritas, quam hactenus maxime blandam & propitiam experiuntur.*

XVIII. Fraudes. *Præterea suis fraudium artibus plurimum tribuunt, nec est quod dubitemus, ab his superari quosuis alios barbaros omni genere doli, perfidiæ, iniustitiæ; qua contra ius & æquum, se suaque student improbe potius augere, quam callide. Restat vltimum maximumque regni fulcrum, quo præcipue se iactitant, res militaris. Ea trium continentur rerum*

XIX. Adparatus bellici. *adparatus, ad bella gerenda necessariarum; pecuniæ, commeatuum, armorum. Quam vero nihil horum Turcis hactenus defuerit, res ipsa docet. Itidem constat, ipsos hodieque rerum ab earumdem copia nequaquam destitui; modo poscat vsus aliquis, & necessitas, vti promantur.*

XX. Exercitus. *Abundant præterea copiis terrestribus, equitum peditumque, numerosissimis; nec miles eis classiarius desit. Hos o-*

XXI. Disciplina militaris. *mnes delectu bonos efficiunt, & disciplina seuera, quæ decus & stabilimentum cuiusuis imperij censetur.*

XXII. Miles domesticus. *Externum quoque militem non desiderant, quum suus ac domesticus eis, quoties vel maximi cogendi sunt exercitus, sufficiat; ac Tataros etiam plerosque iamdudum referant inter suos, quotquot Osmanidarum maiestatem & imperium adgnoscunt.*

Quæ contra Turcos. *Hæc fere sunt in præsente Turcici regni statu, quæ fauere votis ipsorum, nostris aliquod malum minari rebus videntur. Nunc & illa recenseamus, quæ in florente quidem hactenus, & vegeto, sed paullatim ad suam progrediente metam periodumque Turcici regni corpore, vitia cum morbis inualescunt; si non interitum, saltim mutationem aliquam insignem ei portendentia.*

I. Hæreses. *Religionis vnius societate iungi putantur, fateor; sed Iezideos ipsis numquam defuisse scio, qua voce sectarij, more nostro, intelliguntur: & quam alte radices in ipsis etiam plerorumque Turcorum animis discidium illud Sofinum egerit, ignorare non debeo: quo*

supe-

superioribus annis proximis recrudescente, natum illud bellum fuit, quod grauissime vires Osmanidarum hactenus adtriuit. Taceo de motibus intestinis maximis, a triennio biennioque passim exortis in Musulmanorum imperio, quibus religio praetexitur; in Ægypto inquam, & Arabia, Suriaque, nonnihil iam sopitis; & in Africa, quos hodieque durantes extincturi armis Osmanidae, quorum & auctoritas, & regia potestas pedibus proteritur, anno sequenti proximo perhibentur. Multa sunt hominum centena millia, qui sub velo purioris Muhametanae religionis, Osmanei regni iugum excutere conantur: res profecto momenti singularis, & eo magis ad animos reuocanda, quod eodem hoc tempore, praecipuis in Europae regionibus, consimiles ob causas, excutiendi videlicet iugi, sub praetextu religionis mortalium conscientiis impositi, ciuilibus armis acerrime decertetur; non aliter, ac si eodem exorta tempore gemina tyrannis, eodem quoque tempore suum ad finem vtraque contendere velle videatur. Praeterea Zirsorum, Bulgarorum, Arnautlarorum, Graecorum, Armeniorum, Georgianorum, Iacobitarum, & aliorum Christianorum copiae, tam in Europa, quam Asia, tanto Musulmanos haud dubie numero superant: vt propitij fauore numinis magna clade semel horum prostratis viribus, modo pedem in vsurpatos ab ipsis fines vere Christiano coniuncti vinculo caritatis inferamus, (quod a confoederatis ante paucos annos, obtenta nobili ad Cyzzolaros victoria nauali, neglectum) belli reliquias illi ipsi Christiani, quos diximus, armis ceteroqui barbarorum astu tyrannideque spoliati, vel sicis ac spathulis suis sint confecturi: ne de mancipiis innumeris, deque traductis ad ipsorum superstitionem inuitis dicam, qui tali successu staturi a nobis essent, nouasque res formidabili Turcis euentu molituri. Quo denique diutius in ipsum caeli numen Musulmanae blasphema gentis impietas, nimirum fere ad mille fatales durauit annos: eo nunc tamdem, iusto Dei iudicio, celerius destinatum ad finem properat. Fatentur quidem ipsimet, imperium Muhameticum, profana cum superstitione, vltra mille annos haud duraturum, quorum exitus ante fores est. Hoc a moribundo Muhamete suis denuntiatum, vel ostensum potius indicio quodam, perhibetur. Iniecta namque mentione durationis eius cum religione regni, quod ipsius auspiciis inchoatum fuisset: decem manus vtriusque digitos sustulisse traditur, quod eius primarij sectatores initio de annis dumtaxat decem; post iis elapsis, de decies denis, hoc est centum; quibus itidem inter felices perpetuo rerum successus exactis, de mille tamdem annis interpretati feruntur. Haec

II. Christiani plures Turcis.

III. Duratio Muhametismi.

IIII. Muhametis praesagitio.

narrare Christianis aliis Armenij, nec ex ipsis barbaris quidam liberiores infitiari solent. Vezires etiam, qui clauum imperij tenent, non iam priscis illis virtute, consiliis, auctoritate pares sunt; ex cacutientis Sultani libidine, Sinanisque Vezir-azemis arroganti furore nupero, corrogati potius, quam iudicio delecti. Adscripsit quoque plures hic princeps isti collegio, quam maiores ipsius facere consueuerint: vnde confusionis noua quadam materies visa succrescere. Voluit illi malo non ita dudum restitutus honori pristino mederi Sinan, quem diximus, remotis ab officio pluribus: sed quod tumultuantibus in vrbe Spahilaris & Genitzaris, ita viluisse suam videret auctoritatem, vt solus iis coërcendis haud sufficeret; adiungere sibi quosdam coactus fuit, quibus alii paullatim accedent, & ad pristinam res formam redibunt. Nec interim factiones exauctoratorum aduersus Sinanem, & complices, occulte moliri quauis, ad hunc euertendum, desinent; idque cum eo maiori periculo rerum, quod hebes ac plumbeum principis ingenium idoneis remediis, ad sedandos illos motus, inueniendis nequaquam par est. Vnius principatu stabilita res Osmanea fuerunt hactenus, sed ita nunc rerum mutata facies est; vt vnus ille princeps aliorum plurium mancipium sit, non virorum modo, sed etiam muliercularum. Quid de fide, sacrosancto rerum humanarum vinculo, dicam? nullam apud Turcos inuenias, prasertim in exteros; nisi videant hanc insigni se cum emolumento suo seruaturos. Interdum fallax seruata specimen edunt, vt imposturis suis eo facilius inescatos circumuenire maiori fraude possint. Et plurimi pratextus ad violandam fidem latent in illis argutis, & barbare malitiosis ingeniis. Nimirum perfidos, vt e veteribus quidam dixit, numquam causa deficiet, cur pactione non stent. Omninoq; cum nouis perfidia et impietatis magistri Macchiauelli sectatoribus, hac in parte, consentiunt: quasi si vel huius illi lecythos omnes fraudulentia, perfidia, captiuncularum, exhauserint, vel Turcorum ipse vestigiis insistendum sibi duxerit. Miris vtuntur illecebris, quoties vel ambitionis, vel vltionis & vindicta, vel morbi alterius æstro percitis, ad se confugientibus, auxilia prolixe pollicentur. Portam scilicet Osmaneam adflictis omnibus tam principibus, quam populis, asylum esse tutissimum pradicant: isque fucus adeo prastrinxit Iouij quoque, fumos in historia vendentis, oculos; vt eum dicere non puderet, Ianusium Vaiuodam Erdelianum, Vngaria regem a Suleimane declaratum, eius Sultani dextram, virtute ac fide prastantem, (his verbis vsus est) osculatum fuisse. Sed a Ianusii morte, qua fides esset in Suleimane, tum Ianusii vidua, tum

V. Vezires alij, quam olim.

VI. Vezirum multitudo.

VII. Vezirazemis contemtus.

VIII. Factiones inter Vezires.

IX. Sultanus hebetis ingenij.

X. Princeps, mãcipium.

XI. Fidei violatio.

Perfidiæ prætextus.

Turci Macchiauellani.

XII. Asylum Portæ perniciosum.

tum pupillus ipse, mox regno spoliati, maximo cum malo suo didicerunt. Et obseruare licet in hac ipsa Turcorum historia perfidiæ singularis exempla sane rara, quæ circumuenti ob Osmaneis auxiliorum prætextu fuere principes, etiam Musulmani: dum mutuis in furorem acti, cæcatique dißidiis & odiis, apud asylum hoc perfugium quærerent; quod vna parte per vim ex voto supplicum & transfugarum oppressa, mox & alteri exitio plerumque fuit. Nullus itidem apud Turcos locus modestiæ, nec in sensu, nec in actione; nullus pudori, continentiæ, castitati. Apud alios hæ populos quærendæ virtutes, agunt omnia Turci pro libidine. Nec minimum heic clementiæ vestigium reperias, quæ amorem conciliat, ac prouenientem ex amore securitatem, & firmitatem imperij parit. Frustra barbaros e veterum præceptis sapientum moneas, sæuitiam plus addere timoris, quam potentiæ: metum ac terrorem, infirma caritatis esse vincula. Tam moderationis, quam clementiæ contemtum, maiestatis obtentu velant. Hinc omnem vsque adeo modestiam exuunt, vt & subditos suos, & clientes siue vasallos, qui tributariorum nomine veniunt, & fœderatos, nullo prope discrimine, pro mancipiis habeant. Hinc illos etiam clientes, qui Pannodacis, Carabogdaniis, Vngro-Vlachis præsunt, (Transsiluanos, & Moldauos, & Valachos nunc adpellamus) quique serenißimos salutari se volunt, ad Portam euocatos, & Sultani manum exosculaturos, pileo Bolucbassarum, qui vilißimi Genitzarorum centuriones sunt, vti cogunt; antica pilei parte, mediam ad frontem, surgente cono, quo erectæ auium pennæ continentur. A fœderatis munuscula primum certa, quum pactiones & fœdera contrahuntur, certis sibi temporibus offerenda stipulantur: quod adiri principem suum, eiusque vezires, vacuis debere manibus negent. Huic generi munusculorum Dostluci nomen indunt, quo amici honorarium significatur. Sed quæ hoc offeruntur titulo, statim Haratzum, siue tributum, tacite interpretantur: nec modeste, velut ab amicis, exspectant; sed ferociter, vt a tributariis, exigunt. Vsque adeo regnat apud homines perfrictæ frontis perfidia, pudor omnis exsulat. Et durare solent hæc aliquamdiu, cum ipsius contemtu Dei, fœderum præsidis ac vindicis: sed pedibus sera tamdem pœna tacitis venit. Ad eas quoque sordes prolapsæ res huius imperij sunt, vt ex auaritia, suæque rei studio, tam Vezires ipsi, quam alij quibusuis officiis publicis, maximis, mediocribus, infimis fungentes, præter morem maiorum & animos & manus venales gerant: unde non admodum æstimatu difficile, quid eis tamdem futurum sit; modo verum vetus illud verbum, vt

XIII. Modestia plane nulla.

XIIII. Crudelitas.

XV. Maiestas velum sæuitiæ.

XVI. Insolentia in omnes.

XVII. Perfidia in fœderatos.

XVIII. Contemtus Dei.

XIX. Studium rei priuatæ.

Omnia venalia.

est, fateri velimus; docere auaritiam, omnia habere venalia: item aliud, priuatas res offecisse semper, offecturasque publicis consiliis; addo etiam, saluti publicæ. Quin & illud ausim dicere, dominum mutaturam Turcorum potentiam, siquidem inueniat emtorem. Nec est, cur dubitem, adsensuros omnes sententiæ meæ, quibus

XX. Senatorum vitia. *hac cum gente negotium fuit. Libertas apud ipsos, sententiis dicendis, nulla; nec fortiter eas, sed obnoxie dicunt; adeoque ad illius se nutum accommodant omnes, quem pro tempore maximam obtinere vident auctoritatem & potentiam: vti pro libidine Sinanis vnius omnia nunc sursum deorsum voluuntur.*

XXI. Suæ fiducia potentiæ. *Fiducia virium propriarum innata genti est, consilia calida, & audacia; quæ solent*

XXII. Audaces conatus. *esse prima specie læta, tractatu dura, euentu tristia: quod vere dici, hoc bello Persico, insigni cum damno suo, pluribus annis didicere.*

XXIII. Immensa cupiditas. *Cupiditas in eis modum nullum habet, qua paucissima recte præclareque geruntur, vt circumspectione plurima. Rigidis etiam, sæuisque suorum animos exactionibus offendere incipiunt, dum inau-*

XXIIII. Exactiones immodicæ. *ditas excogitant, & exemtos antehac iure quodam priuilegiorum, ad easdem soluendas cogunt. Hinc illæ Spahilarorum, Genitzarorum, aliorumque militum, & sacerdotum quoque Musulmanorum*

XXV. Sultani exsecrationes. *exsecrationes & motus in ipsum Sultanum, & exactionum auctores, qui necdum adhuc sopiti sunt. Hinc odiorum exorta seges am-*

XXVI. Odium & contemtus principis. *plissima, iamque matura; quæ cum magistratus iuncta contemtu, tamdem vt in tyrannos exsurgatur, efficiunt; & vt exteri rapiant*

XXVII. Plures contemtus causæ. Murates trepidus. Infelix. Ignauus. *occasionem, aliquid in eos vicissim ex vsu suo moliendi. Nec aliæ contemtus causæ nunc desunt, vt ipsa præsentis imperij forma, priori remissior, ob trepidationem ignauiamque Muratis, & duces suos metuentis, & milites: vt eiusdem Muratis fortuna, bello Persico nouerca: vt mores ipsius, qui gynæconitidis intra septa degens, exiguam rerum curam gerit; abunde ratus eis ab se prouideri, si præsentibus fruatur, nec in longius consultet. Item honorum effusa temerariaque largitio magnorum, sine iudicio: veluti quum nuper Si-*

Expers iudicij. *nanem ab exsilio reuocatum, Vezir-azemem constituit, tanta cum potestate, quanta post natum illud imperium nulli vmquam tributa Veziri fuit: quum tamen ante, quam Masul declaratus exsularet, filio Muhameti studuisse contra patrem, & insidias regno patris occultas struxisse crederetur.*

Stupidus & epilepticus. *Adde tarditatem ingenij Muratis, & stuporem, & epilepsiam, qua laborat: vnde facies ei lurida, parumque decens, & imbecillior valetudo. Solent enim hæc*

Occiduo soli similis. *in animis subditorum plerumque contemtum principis gignere, qui speratum ad aliquem solem se vertunt, paullo post exoriturum.*

Nec

Nec parum periculi a filio Muhamete nunc imminere patri, facile periti rerum humanarum æstimatores intelligunt. Periculum a filio.

Habemus ergo, quod metuamus, ob pleraque satis adhuc in illo regno firma, deque priscis reliqua: nec deest, quod sperare nos iubeat, ob inchoatas subuersiones eorũ fulcrorum, quibus innixum hactenus ædificium illud amplissimum imperij Turcici stetit. Sed præstat in metu ac sollicitudine versari, quam vanas sibi spes fingere; quod e nostris hactenus plerosque perquam imprudenter factitasse, ficulni alieniq; fiducia præsidij, nimirum infelicis Turcorum aduersus Persas belli, videmus. Nam metus, magister optimus est comparandorum in tempore subsidiorum: fallax inanis imaginatio spei, mater securitatis; qua pessum imperia cum rebus publicis inere quondam, & ire cottidie perspicimus. Nec inter alia remedia melius quidquam, vel ad cauendum, vel consulendum sibi, quam rationes hostis omnes exploratas habere: quod præbet inprimis historia, præsertim ab hoste scripta, & quidem libere, ac sine fuco. Non enim vereor, ne qui me dicturi sint venales in Besestano Constantinopoli fabulas, mendaciorum plenas, hoc scripto publicare. Testimonium res ipsa, vel opus ipsum potius, de se præbebit. Quapropter partiendæ quodam modo nobis operæ vobiscum, o principes. Scribamus nos historiã, qui statum hostilis imperij coram inspeximus, & memoriam rerum ab ipsis gestarum nancti sumus: vos historiam, vobis potissimum scriptam, legite; pellecta, vires expedite; quum opus erit, arma sumite; nunc opus inprimis esse, certo vobis persuadete: & quia diuturno Turci contra Persas bello iam liberi, consilio & impulsu Sinanis, iurati Christianorum hostis, arma nobis ad primam occasionem, induciis ex Alcoraneo de Gauris siue Christianis decreto, moreque suo flocci factis & elusis, haud dubie sunt illaturi, reipublicæ saluti mature consulite: quid aliis populis acciderit, animis præcipite: malum hoc ingens a ceruicibus subditorum, a patria communi depellite: liberalitate vestra conatus illorum excitate, qui secreta barbarorum vobis ad vsum pandere publicum, gentisque genio viuis coloribus effingendo, salutarem cunctis operam nauare cupiunt. Ad vos, Augusti principes imperij, præsertim quibus more maiorum creandi Romani Imperatoris ius est amplissimum, hæc proprie sollicitudo pertinet, ob imminentia patriæ pericula, quibus orbis Christiani principes alij non adficiuntur, velut ab hoste longius remoti, & propterea bellis intenti ciuilibus, consiliis reipublicæ perniciosis, ambitioni, cupiditabus immensis. Quod ab illis temere, cum manifesto discrimine totius orbis Christiani, negligitur; ad vos, veros patriæ patres, spectat. Vos in illo rerum excelso culmine propterea diuinitus estis collocati. Ve-

Metus salutaris.

Securitas perniciosa.

Qualis hæc sit historia.

Cui sit vsui principibus.

Ad quos spectet cura de Turc. bell.

ſtra res agitur, Imperator Auguſte, Septemuiri principes, Archiduces Auſtrij. Vos iſta cura tangit, dum alij reges heic altum dormiunt. Si ceteræ cauſæ, graues alioqui proculdubio, nihil animos veſtros, aut parum mouent: auitæ ſaltim, patritæque gloriæ vos æmulos eſſe conuenit.

Ac de vobis quidem, veſtriſque partim maioribus, partim conſanguineis, Septemuiri principes, vt aliquid ordine dicam: tanto genti primum Palatinæ magis eſſe cordi debent hæc aduerſus Turcos, pro aris & focis, hoc eſt, pro religione Christiana, pro ſalute Germaniæ, pro ſua pariter, ac ſuorum incolumitate, bella; quanto plures in illa vere Auguſta, Karulina nimirum familia, ſe Turcicis armis admodum laudabiliter exercuerunt, deque barbaris illuſtres etiam victorias reportarunt. (Res a Palatinis in Turcos geſtæ.) *Annus hic ſexageſimus & ſecundus agitur, quum Vienna, nobilis Auſtriæ prouinciæ metropolis, a Suleimane Turcorum Padiſchacho, maximis obſeſſa copiis, cum præſenti totius Germaniæ periculo, quouis tormentorum & cuniculorum genere grauiter, vt æſtimari facile poteſt, oppugnaretur.* (Obſidio Viennæ.) *Eo tam neceſſario tempore, quid pro ſalute reipublicæ præſtitum fuerit a Friderico Principe Palatino, ſecundum hæc Septemuiro, eius nominis ſecundo, tunc auxiliorum ab Ordinibus Imperij Romani contra barbaros decretorum ſupremo duce, qui Wolgangum quoque fratrem, eius expeditionis comitem habebat; quid ab circumſeſſo intra Viennæ mœnia Philippo, fratris eorumdem Ruperti filio; notum eſt orbi celebrium in primis hiſtoricorum opera, maximeque plena recenſitum narratione, quam Turcico Pandecti noſtro, Germanice nuper edito, ſubiecimus.* (III Palatini contra Turcos militant. Fridericus. Wolgangus. Philippus.) *Idem Fridericus anno poſt illa tertio rurſus imperator exercitus, ab iiſdem Ordinibus Ferdinando regi ſubſidio miſsi, aduerſus eumdem Sultanum Suleimanem, Auſtriæ fines innumeris denuo cum copiis ingreſſum, profectus; vno prœlio XII CIↃ Turcorum occidione deleuit, ipſo cum duce Chaſane Michaloglio, qui ſuorum cladi ſuperſtes eſſe non potuit.* (Friderici victoria bello ſecundo.) *Eius nomen in hiſtoriis Chriſtianorum nuſquam poſitum, liber Muſulmanæ decimus & octauus, cum Beccanis Annalibus noſtris, exprimit. Ac memorabile, caſo tunc Chaſane Michaloglio, ſic & vetuſtiſsimam, & ſecundum Oſmanidas clariſsimam apud Turcos gentem Michaloglliorum, tot facinoribus etiam aduerſus Chriſtianos editis nobilitatam, in terris eſſe deſiiſſe: nulla deinceps vt eius apud barbaros inueniatur vſquam mentio, licet hodieque ſuis vtantur Akenzilaris, quorum iure quodam antiquo Michaloglij duces eſſe ſolebant.* (Michaloglíæ familiæ finis.) *Militauit etiam iuuenis aduerſus Turcos*

Fride-

Fridericus Septemuir, eius nominis tertius; vester, Casimire ac Friderice, pater & auus: militarunt expeditione Maximilliani Augusti longe splendidißima, sumtu suo copiis equestribus exquisitis vltro secum in Vngariam aduersus vltimos Suleimanis conatus adductis, Wolgangus Bipontinus adgnatus, & Richardus patruus ac propatruus vester, qui adhuc superstes est, insigni canicie venerabilis, & inter omnes gentiles suos, Palatinos ac Boiaricos Duces, ætatis iure princeps. Hæc tam insignia, tot Palatinorum principum, erga familiam suam merita, si principes Austriaci suos ad animos, vt eos facere par est, reuocauerint: haud dubie, quantum Palatinæ virtuti debeant, vt libenter adgnoscent, ita libere profitebuntur.

Fridericus alter.

Wolgangus alter.

Richardus superstes.

Ad te vero, potentißime Saxonum princeps Elector, vt transeam; maximus es Imperij Marescallus, quem prisci Præfectum Prætoriorum adpellabant. Ad te præcipue cura bellorum, pro salute reipublicæ nationis nostræ gerendorum, velut ad ducem exercituum in his, secundum Imperatorem, auctoritatis primariæ, pertinet. Quem more maiorum princeps Palatinus Septemuir, Imperij Vicarius, togatis in comitiis Ordinum, & administratione ciuili, proximum ab Imperatore gradum obtinet, vt harum periti rerum arbitrantur; is locus in procinctu, castris, acie, quoties Imperatore præsente, principes Imperij debellandis hostibus adesse tenentur, tibi ceu Præfecto Prætoriorum maximo, nec minus Imperij Vicario, debetur. Exempla quoque tibi domestica sunt, quum patruus Mauricius in hunc hostem copias bis duxerit, & expeditione priori iuuenis adhuc fortißime se gesserit: Augustus pater, procinctu in barbaros vltimo, eoque memorabili & magno, domesticis impeditus ipse tumultibus, non equitum modo copias subsidiarias insignes, cum clari nominis equitum tribunis, Aschemburgo, Gleitzentala, Schulemburgo, miserit; sed iisdem quoque regia liberalitate, Sebotendorfi quæstoris opera, de suo stipendia præbuerit.

Septemuiri Saxonis officium.

Dux Mauricius in Turcos militat.

Augusti VIIuiri merita.

Non minora sunt his decora, quæ meritis erga rempublicam suis, & expeditionibus in hunc hostem susceptis, longe lateque porrecto præpotens imperio Brandeburgica familia, non ab vno sibi sæculo peperit. Ad huius enim præcipuam laudem pertinet, quod expeditione prima nostrorum aduersus Osmaneos, tunc recens exigua parte quadam Europæ potitos, quibus Gilderun Baiasites præerat, Muratis F. Vrchanis N. Osmanis pronepos, Sigismundo regi Vngarorum, post Imperatori, fortem in primis operam nauarit.

Brandeburgensium in Turcos expeditiones.

):(

Ioan. Burggrauius ante CXCV an. in Turc. militat.

Quippe Ioannes Burggrauius Norimbergensis, vnus e maioribus vestris, Brandeburgici principes, anno CIↃ CCC XCVI non modo copiis suis castra Sigismundi regis, vt opem ei contra Baiasitem ferret, adauxit: verumetiam prœlio Nicopolitano, rebus Gallorum temeritate perditis, & iam deploratis, ipsum regem, in captiuitatis & vitæ discrimen adductum, consilio repentino seruauit, in nauim coniecit, Danubio secundo Constantinopolim vexit; vnde Caloioannis Palæologi, Græcorum Imperatoris, triremibus in Dalmatiam rex denique suam rediit. Egregium profecto facinus, & ingens in tantum regem beneficium, cuius fere nulla claros apud historicos exstat memoria. Sigismundum quidem Aug. arbitror, quum aliis maiorum erga se vestrorum officiis, tum hoc insigni permotum conseruatæ salutis merito, dignitatem Septemuiratus in Ioannis germanum fratrem, Fridericum Burggrauium Norimbergensem, primum Marchionem Brandeburgicum, & suum in eo principatu successorem, atauum tuum, Io. Georgi Elector, contulisse; quum Ioannes masculos, ex se natos, heredes nullos haberet. Patrum vero, nostraque memoria, Marchio Casimirus, Friderici I Septemuiri pronepos, auus Io. Casimiri Palatini maternus, vt causam Ferdinandi regis aduersus Ianusium Vaiuodam Erdelianum, Turcorum clientem, tueretur ac propugnaret; numerosas equitum peditumque copias in Vngariam duxit, ac summus eo bello dux declaratus, strenue se gessit. Frater autem Casimiri, Georgius Marchio, cuius filius, Georgius Fridericus Prusorum Dux, adhuc viuit, Vngarorum regibus, Vladislao auunculo, & Ludouico Vladislai F. consobrino, longe carissimus, & Ludouici præsertim adhuc adulescentis consiliorum moderator, ita de Vngarorum republica, quoties ipsius expromtis consiliis & auxiliis aduersus Turcos opus esset, meritus fuit; vt regni procerum numero, consentientibus Ordinum votis, adscriberetur. Atque vtinam paritum eius consiliis fuisset potius, quam insanis Pontificibus & monachis. Non Vngara mechristus, Vngara dico? non totius orbis Europæi respublica, cæso rege Ludouico, nobilitatis extincto flore, cladem hodieque deplorandam accepisset. De Ioachimi II Septemuiri rebus in Turcos expeditione tam prima, quam altera gestis, eo parcius agam; quo recentior est earum memoria. Priori quidem, vt Friderici maioris Palatini contra Sultanum Suleimanem commilito, sic etiam Michaloglio Chasane cæso, victoriæ particeps fuit. Altero deinde bello copiarum Imperij Romani maximarum imperator, licet ea non gesserit, quæ ab expeditione tali & tanta exspectabantur: ita tamen

Pugna Nicopolitana.

Sigis. rex a Ioanne seruatus.

Sigismundus se gratum declarat.

Casimirus Marchio Brand.

Georgius Marchio Brand.

Ioachimi II expeditiones duæ.

tamen de recte iudicantium opinione rem militarem aduersus barbaros id temporis administrauit, vt iis obthurari non difficulter os posit, qui de rectis prauisque consiliis & factis ex euentu sententiam ferre solent. Sunt enim certa temporum momenta quædam, quum omnibus in genere, tum maxime tyrannicis statuta diuinitus imperiis; quæ si necdum adpetierint, frustra tentare videmus heroicos etiam principes, quidquid vel ad tuendum suas subditorumque fortunas, vel ad repetendum ablatas iniuste prouincias, suscipiunt. Sin absoluto cursu, quasique periodo sua, fatales iam vices, metasque cælitus præfixas adtigerint: tum ipsa mole sua nutant, tum hostis etiam cunctorum opinione debilis impulsu præcipitata corruunt: vt orbis vniuersus mutationem prodigiosam non a viribus humanis, sed ab inadspectabili & præpotenti numine, mirifica res mortalium prouidentia gubernante, profectam adgnoscat. Periodi regnorum.

Quapropter exspectanda quidem mutationum momenta sunt, a quibus, tyrannidi prorsus immani finem adlaturis, haud procul abesse iam Turcos reor: non tamen e manibus interim iusta vobis arma pro defensione subditorum et reipublicæ deponenda, licet euentus institutis & consiliis honestissimis aliquando non respondeant. Imminent profecto fatales tyrannico vicissitudines imperio, tum aliis pluribus, tum iis etiam de caussis, quas digito superius indicauimus, & modo vel repeti, vel latius explicari, non est necesse. Saltim operi maturis consiliis, o magnanimi principes, & adparatu rerum, admouete manus; ac JOVAM opt. max. ceptis fauentem & propitium experiemini. Præclaram vobis pollicentur lauream, & huc inuitant etiam ea, quæ non ab vno sæculo iam in ore versantur omnium, oracula; Turcum ad amnem Rhenum tribus a regibus cæsum iri, vaticinantia. Non est, quod regum heic mortuorum opem & operam exspectemus, qui tres fuerint, & an omnino reges, maxime dubium est: vos isti reges estis, tum dignitate muneris, quo fungimini, tum potentia, non paucis regibus pares. Etiam pleraque vobis ad magnas eiusmodi molitiones necessaria tam præsidia, quam subsidia, parata sunt. Opibus firmi, copiis locupletes, gloria estis ampli, virtute honesti; a munitionibus, ab insignibus armamentariis instructi. Duces inauctoratos semper habetis, nec peditum vobis legiones, equitumue turmæ desunt. Potestis etiam plurimum ad excitandos ceteros Germaniæ principes, ex auctoritate, quam obtinetis ad omnes amplissimam. Quapropter in hanc curam incumbite serio, principes maximi, non perpetuo

Turcis imminet exitium.

Vaticinium de III regibus.

Quid possint aduersus Turcos hi VIIuiri.

dumtaxat beneficio vobis rempublicam deuincturi; sed etiam nomini vestro parituri famam ad posteros immortalem. Ego pluribus ab annis penitius cognoscendi res Turcicas auidissimus, excitante hoc in me desiderium illustri viro, Lazaro Suendio, Altæ Landisbergæ Barone, rebus aduersus Turcos sollerter & animose gestis æternam adepto gloriam, quocum diu mihi familiariter viuere contigit; & post obitum ipsius exanclata graui tam profectionis, quam lucubrationis Turcicæ molestia, voti mei compos factus; nunc tamdem elaboratum hoc opus XVIII *priorum historiæ Musulmanæ librorum, de caussis indicatis dedicare vobis potissimum volui, motus & alia ratione peculiari: vt quum iudicio vestro, & eorum, quos omni genere laudis & veræ sapientiæ magnos & illustres in senatu singuli vestro viros habetis, probatum hoc initium fuerit; alterum quoque deinceps eiusdem historiæ Musulmanæ volumen, auspicato sidere nomina vestra sublimia præferat. In primis vero tuum, princeps Elector Saxo, nomen hoc opere publicando præterire silentio minime debui. Nam, quod aliorum collegarum tuorum bona pace mihi dicere liceat, in tota Germania nostra vix principis comitatum nouimus, in quo plures, quam in tuo, ferendæ de monumentis huiusmodi sententiæ idonei reperiantur. Habes in aula tua, præter Ioannem Saxoniæ Ducem adgnatum, Adamumque Venceslaum Teschinium Ducem sobrinum, etiam inclutum, & excelsa natum prosapia, Christianum Principem Anhaldinum, Comitem Ascaniensem, simulacrum rediuiuæ virtutis Rudolfi principis illius Anhaldini, auorum memoria bellis Italicis famosi, planeque sui decus ordinis eximium, tam ob gentis vetustissimam dignitatem, quam raras heroici dotes animi: cuius sententiæ tanto plus in hoc genere tribuendum, quanto diligentius in itinere suo Turcico, solus inter æui nostri principes, barbarorum mores ac rationes inspexit & obseruauit. Idem secum in ea profectione sua nobilem virum habuit, Adamum Slibensem, nunc Electoris Brandeburgici consiliarium; quem non minus suo iudicio Turcicos hosce commentarios meos adprobaturum confido. Nec alij desunt aulæ tuæ Saxonicæ periti laboris huius æstimatores. Fecit ipsa quidem respublica, non sine dolore tuo, iacturam minime leuem, excedente rebus humanis Andrea Paullo Hartensi, consiliario tuo, quocum mihi non vulgaris amicitiæ necessitudo quædam intercessit. Eius præreptum mihi calculum, ob immaturam viri præstantis & clari mortem, ægro non abs referrem animo; ni superstites alij, quod modo dicebam, e tuis essent, & in his amplissimi, nobiles, & eximij viri,*

Ad Elect. Saxon.

Historiæ iudices idonei.

Christianus prin. Anhaldinus.

Adamus a Sliben.

Nico-

Nicolaus Crellius, Cancellarius tuus, ac senatus facile præses, Otho Starschedelensis, & Wolgangus Zundelinus; quibus equidem lubens arbitrium hoc censendæ historiæ Musulmanæ defero. Idem de Iusto Reubero V. C. Palatinici senatus & scrinij præside, ciue nostro, nobili terræ Saxonum occidentalis sidere, deque ceteris principum nostrorum tam logothetis, quam consiliariis, dictum volo; quum omnium mentio singulatim hoc loco fieri nequeat. Quod superest, maiorem nec reipublicæ, nec priuatim nobis precari felicitatem possum; quam si tribus verbis diu valere vos, diu viuere, diu vincere cælitus optem. Kal. Aug. anno CIƆ IƆ XCI.

Nico. Crell. Cancell. Sax.
Otho a Starsche-del.
W. Zunde-lin.
Iustus Reuber. Cancel. Palat.

Excelsæ gloriæ vestræ


deuotissimus

Io. Leunclauius
Amelburnus.

SERIES HORVM HISTORIAE

Musulmanæ librorum XVIII.

TYPI



TYPI SVCCESSIONVM ET GENEALOGIARVM ALIQVOT

insignium; ad illustrationem tam Musulmanæ, quam aliarum historiarum.

PRIMA MVHAMETIS GENEALOGIA, EX IO. THOMA MINADOI RHODIGINO; ET HISTORIA MVSVLMANA.

Abdul-Mutalib.

- Abdula.
  - Muhamet. cuius vxores præcipuæ:
    1. Chadiga.
    2. Aische, Ebubekiris F.
    3. Ofesa, Omeris F.
    4. Fara, Osmanis F.
    - Fatime, nata ex Aische.
- Abutalep. rectius Ebu-talib.
  - Ali, gener Muhametis, qui ex ipsius filia Fatime suscepit filios duos; auctoribus Musulmanis, Chaliphas.
    - Hasan, vel Chasan.
    - Husein, vel Chusein.

II.

SVCCESSIO CHALIFARVM MAXIMORVM, POST MVHAMETEM, EX LIBRO PRIMO HIST. Musulmanæ.

I. Ebubekir, Muhametis adgnatus & socer, Aischæ pater.
II. Omer, Muhametis adgnatus, vti creditur.
III. Osman, Muhametis adgnatus.
IIII. Ali, cognomento Imam siue præceptor, cui obœditur. Muhametis consobrinus & gener.
V. Hasan, vel Chasan Imam, Alis filius ex Fatime, Muhametis filia.
VI. Husein, vel Chusein, Alis alter ex eadem filius.
VII. Muauia.
VIII. Aziz, Muauiæ filius.
IX. Abdulla, qui & Abdul-Melich, Abbasis filius, Ebubekiris nepos, Azizis Chaliphæ socer & successor.
X. Suleiman, Abdul-melichis filius.
XI. Omer, Azizis filius, Muauiæ nepos.
XII. Aziz, Suleimanis frater, Abdul-melichis filius, Abbasis nepos, Ebubekiris pronepos.
XIII. Hacem, Azizis filius, Abdulmelichis nepos.
XIIII. Walid, qui & Evvelid, Hacemis frater.
XV. Meruen, Hacemis filius.
XVI. Iachia, vel Iaxi Abdulla, filius Alis Abbasidæ, hoc est, ex Abbasis & Ebubekiris familia nati, Meruanis propinquus.
XVII. Muhammad Abdulla, Iaxis Abdullæ filius.
XVIII. Harone Resid.

III.

EBVBEKIRIS CHALIPHAE POSTERITAS,

EX LIBRO PRIMO HIST. MVSVL. ET ALIIS.

Ebubekir Halife, Muhametis adgnatus, ſocer, & ſucceſſor proximus.

Abbas Turcis, noſtris Habbus.

Abdul melich Halife.

Suleiman Halife. — Aziz Halife.

Aziz Halife: Hacem, vel Hakem Halife, qui & Hequem, pronuntiatione Gallica, & El-Hecim cũ articulo, & Hocem. — Walid Halife.

Hacem: Meruan Halife, cum fratribus.

Walid: Halid, interfectus a Meruane, ſepultus Hamuſæ, vel Emiſæ. Hiſt. Muſ. lib. 6. & 7. Habuit & alios fratres.

IIII.

ALIS ABBASIDAE POSTERITAS, QVI Alimus alijs.

Meruanis ſucceſſor in Chaliphatu fuit Iachia, ſiue Iaxi, Alis F. qui Alis, Alimus alijs dictus, Muſulmanis Ali, & ipſe natus erat ex Ebubekiris poſteris; ſed quo gradu Meruanem contingeret, incertum. Et ab hoc Ali crediderim Sophinam ſtirpem ortam, nõ ab Ali primo, Muhametis genero. Quamquam ſi maxime de ſententia quorundam ab Haceme, vel aliorum Hocemo Chalipha, deducatur; non ab Ali primo, ſed Ebubekire generis originem hæc familia repetet.

Alis Abbaſides.

Salim, (nunc Selim pronũtiatur a barbaris) princeps Ægypti. — Iachia, vel Iaxi Abdulla, Halife.

Iachia: Muhammad Abdulla, Halife; qui alijs Mahadin, Græcis Madi.

Muhammad Abdulla: Iabel. Muſa. — Harone Reſid Halife.

Harone Reſid: Muhammad, Bagdatim condidit. — Abdulla.

V.

FAMILIA SELZVCCIA TOGRANORVM, ex Cedrino manu ſcripto, & hiſtoria Muſulmana.

Mikeil. Sic enim Græcis ſcribitur, e gente Selzuccia natus. — N. Mikeilis frater, cuius fuere filij.

Filii Mikeilis:

Togra, Cedrino Tagrolipix Mucalet, gente Selzuccius, non tamẽ Selducis aut Selzucis filius, ſed Mikeilis.

Axan. Sic Cedrinus in non editis. Turcis Ax-Han, rex albus.

Habramius Alim.

Melech.

Aſpam Sallazius.

ἀνώνυμός τις.

Aſan, cognomento Κωφὸς ſiue ſurdus.

Filii fratris:

Cutlu-Muſes. nõ recte Tagrolipicis filius Zonaræ.

Suleiman Schach, & fratres quatuor, auctore Cedrino. Hiſt. Muſul. lib. 1.

Abimelech.

VI.

SVLTANORVM ICONIENSIVM EIVSdem Selzucciæ ſtirpis, ſucceſſio.

Kei—Huſreu, Selzucciæ ſtirpis, Græcis Cai—Choſroës.

Aladin primus.

Azadin, Græcis Ἀζατίνης.

Iaſſadin ſecundus, expulſus a Tataris.

Iaſſadin, Græcis Γαθατίνης.

Iaſſadini ſecundo ſucceſſerunt Vlu-Chanis Tatari Gazanis auctoritate duo ſimul, cum annui tributi pacto, & ipſi Selzuccia ſtirpe nati.

Meſoot, Kei-Cubadis filius, noſtris Maſutus. heredes nullos reliquit.

Kei-Cubad, Feramuzinis filius.


Aladin ſecundus, ſolus antea diuiſi Sultanatus heres.

Sahib, Aladinis ſecundi ſucceſſor, eiuſdem antea Vezir ſive conſiliarius, vltimus Sultanus Iconienſis.

VII.

VII.

OSMAN-OGLIORVM GENEALOGIA, QVA NVLLA PERfectior, ex monumentis Prusæis, Amasianis, Sebastenis, Hadrianopolitanis, Constantinopolitanis, & historia Musul. præcipue.



VIII.

CARAMAN-OGLIORVM familia.

Caraman-beg, a quo Cilicia Caramaniæ nomen accepit.

Machmut-beg Caraman-ogli. Hist. Musul. lib. 5.

Muhamet-beg. Ibidem.

Aladin-beg. Regnauit imperante Murate primo, & Baiasite primo. Hist. Musulm. lib. 6.

Muhamet-beg, restitutus a Temure. Hist. Mus. lib. 6. & lib. 10. Bellum contra Sultanum Muhametem mouens, in prœlio capitur. Hist. Mus. lib. 12.

Ali-beg. Hist. Musul. lib. 6. & lib. 12. Cognomen habuit Bengi, tamquam apud nos Baccalaureus, siue Doctorculus, propter studia litterarum. Sic & Baiasitem II Genitzeri vocabant Bengi. Musul. lib. 16.

Mustapha-beg. cum patre captus in prœlio. dicto lib. 12.

Ibrahim beg. Muhametis primigener. Hist. Musul. lib. 14. Successor patris, auctoritate Sultani Muratis II. lib. eodem.

Aladin beg, gener eiusdẽ. Mortuus in exsilio Sophiæ.

Isa-beg, gener eiusdem, traductus ad Portam Osmaneam a Murate II. Ibidem.

Casum-beg. Vltimus suæ gentis princeps. Extinctus anno Christiano 1483. Hist. Musul. lib. 16.

Budac-beg, filius Caramanoglij, militauit Baiasiti secundo aduersus Aladeulem, anno Christ. 1490. Hist. Musul. lib. 16. Nomẽ Budac, ramum significat, siue brachium, vt in fluminibus.

IX.

GERMEAN-OGLIORVM familia.

Germean beg pater, sub Aladine primo. Hist. Musul. lib. 1.

Germean-ogli, siue Germeanēsis filius. Hist. Musul. lib. 3. sub Aladine secundo: & lib. 5. regnante Murate primo, velut admodum senex.

Iacup-beg, Ypsalam missus in carcerē a Baiasite, tamdem elabitur. Hist. Musul. libro 6.

Hatum, Baiasitis Gilderunis vxor.

Emir Iacup beg. lib. 8 in fine, & lib. 9. Vim Baiasitis metuens, ad Aladeulem fugit. Initio libri 6.

Iacup-beg vltimus, testamento regnum Sultano Murati secundo reliquit. Hist. Musul. lib. 14.

X.

AIDIN-OGLIORVM familia.

Aidin-beg.

Aidin-ogli, redactus in ordinem a Baiasite primo. Hist. Musul. lib. 6.

N. Aidinogli, huius filius, Aidinis nepos.

Isa-beg Aidin-ogli, timarium in aula Muratis secundi habuit. Hist. Musul. lib. 14.

XI.

ISMYR-OGLIORVM familia.

Ismyr-beg. Smyrnæ in Asia princeps, ex Aidin-ogliorum familia.

Ismyr-ogli, Isæ Zelebis, Sultani Baiasitis filij, defensor. Hist. Musul. lib. 9. Sultani Muhametis hostis. Eiusdem hist. lib. 11. natus ex Aidinensium familia. lib. 14.

Hamza-beg. fine lib. 11.

Cara Tzuneit beg. lib 13. occisus a Iaxi bego. libro. 14.

Curt-Hasan, id est, Chasan Lupus. cum patre necatus. Ibid.

XII.
CARASI-OGLIORVM FAMILIA.

Calam-beg, generis auctor, Laonico teste.

Carasibeg, Calamis filius, qui Carasinæ regioni nomen dedit.

Atzlan-beg, Carasi-ogli, regionis Carasinæ princeps. — Mentese-beg, Carasi-ogli, Calamis nepos, de cuius posteris mox dicetur.

(Atzlan-beg:) Tursun-beg. — N. beg, victus ab Vrchane, peste moritur.

XIII.
MENTESOGLIORVM FAMILIA, STIRPIS CARASI-OGLIÆ.

Calam-beg.

Carasi-beg.

Atzlan-beg, de quo dictum. — Mentese-beg Carasi-ogli, Mentesiæ ditionis princeps, de qua Pandect. cap. 13.

(Mentese-beg:) Iacup-beg Mentesogli. hist. Musul. lib. 14.

Ilias-beg, hoc est, Elias princeps. — Machmut-beg. Vixit adhuc anno Muhametano 828. hoc est, nostro 1426.

(Machmut-beg:) Achmet-beg. fugit e carcere Tocatensi primum ad Cara-oilucium, Mesopotamiæ principem, qui Laonico Carailuces est; deinde ad Persas. — Veis-beg.

(Veis-beg:) Ilias-beg. Vixit regnante Sultano Muhamete II.

XIIII.

OMER-OGLIORVM FAMILIA, QVI TVRcis etiam ſunt Iſſendiares, & Iſſendiar-oglij.

Omeroglios dico principes, qui Heracltam Ponticam, Caſtamonam, Synopen, & alias vrbes, cum ditione mari Pontico vicina, tenuerunt. Hactenus a noſtris dicti fuere Candelorij, vocabulo hauddubie corrupto. Nam a Candelori opidi nomine deductum Candeloriorum nomen, his quadrare non poteſt; quum eos in poteſtate ſua Candelorum nunquam habuiſſe cõſtet. Quippe ſitum eſt Candelorum in ſinu Sattaliæ, vel Attalico, e regione Cypri: quod per ſe verum, Spanduginus etiam confirmat. Laonicus ad Cariam refert. Et exiſtimatur dictum priſcis fuiſſe Coraciſium. Itaque Candelorum quærendum ad Aſpran thalaſſan, vel Album mare; Omerogliorum ditio, ad Mauran thalaſſan, ſiue Nigrum mare. Candeloriorum vero nomẽ vitiatum puto, vel ex Omerogliorum vocabulo, vel Caſtemoliorum; quum Caſtemoli ſit eadem vrbs, quę alijs Caſtamona, paullo vetuſtiori voce, nominatur.

Omer, a quo dicti poſteri Omeroglij, Græcis Amuris, vel Amurij, vel Omuris filij.

Cutrun Baiaſit Omerogli, princeps Caſtamonis, Sultani Baiaſitis Gilderunis tempore.

Iſphendiar-beg, Cutrunis filius. Laonico Scender, voce corrupta ex Spender. Sed poſtea proprio nomine vocat Iſmailem, Muſæ vel Moſis amicum, quem aduerſus fratrem Mulſumanem vel Suleimanem defendit. A morte patris in ordinem redactus a Baiaſite primo, reſtituitur a Temure. Hiſtor. Muſulm. lib. 7. in fine.

Caſim-beg, apud Sultanum Muhametem primum manſit. Hiſt. Muſul. lib. 11. Factus gener eiuſdem. lib. 14.

Hizir-beg, cum patre manere maluit, quam Sultani Turcici Portam adire, Caſimis fratris odio. Hiſt. Muſul. lib. 12. Cum huius filio nupta fuiſſe videtur filia Muratis ſecundi, anno Muhametano 844. Chriſti 1440. Hiſt. Muſul. lib. 14.

Iſmail-beg vltimus. Captus a Sultano Muhamete ſecũdo, & in Europam relegatus. A Laonico in expugnatione Conſtantinopoleos Scenderis filius vocatur, hoc eſt Spenderis, vel potius Sphenderis, & Turcico more Iſphendiaris. Vnde paret, Iſphendiares dictos a ditione, non proprio nomine. Pandectis cap. 1. & 13.

Murat-beg, legatus patris ad Sultanum Muratem. Hiſt. Muſ. lib. 14.

Ibraim-beg, gener Muhametis Oſmanidæ primi, Hiſt. Muſul. lib. 14.

XV.

DVLGADIR-OGLIORVM TVRCOMAnorum successio, ex Hist. Musulm. Propagatos a Durgut-Alpe, Pandectis 163 capite ostenditur.

Dulgadir-beg.

Nasradin beg filius. lib. 6. gener Casis Burchanedinis.

Dulgadir-ogli, socer Muhametis primi. lib. 9.

Dulgadir-ogli iunior, Muhameti sororio contra Musam militauit. Hist. Musul. lib. 11.

Hasan-beg, Dulgadirogli. lib. 14.

Suleiman-beg Dulgadir-ogli, cuius filia nupsit Sultano Muhameti II. Hist. Musul. lib. 14.

Aladeule-beg, Dulgadir-ogli, regnante Baiasite secundo, nunc ab Ægyptiis, nunc a Turcis stetit. Hist. Musul. lib. 16. Tamdem a Sinane bassa captus, & occisus. Hist. Musul. lib. 17.

- N. filius, cui a Turcis capto eruti fuerunt oculi. Ibidem.
- N. filius ab Ismaile Sofino in pugna occisus.
- N. filius. euasit in Ægyptū Iouius.
- N. N. cum patre capti & interfecti. Hist. Musul. lib. 17.

Schach Suar, frater Aladentis-begi.

Ali-beg Schach-Suarogli, Aladeuli patruo cæso, iussu Selimis, successit. Iouio, nomine vitioso, Saxouarolis, pro Schach Suuar-ogli, nominatur. Filios habuisse fertur quatuor, sed nominibus incertis:

N. N. N. N.

Omnes quatuor initio regni Sultani Suleimanis secundi, nefarie cum patre necati; regioque Dulgadirensis in prouinciæ, vel Turcico more loquendo, beglerbeglucatus formam plene redacta; quum antea tantum Osmanidarum libro contineretur. de quo alibi dicendum.

XVI.
PRINCIPVM CARACO-IONLV FAMILIA.

Hi sic a nigrarum ouium regione dicti fuerunt, Laonico Μαυροπρο-βατάδες, eodem significatu. Prorsus alij, quam Cara-oilucij, de quibus histor. Musul. lib. 14. Iosaphatus Barbarus hanc regionem tradit olim dictam Armeniam, nunc Turcomaniam: & Caracoionlu, (male Carocoilu apud ipsum legitur) verueces nigros reddit.

Muhamet-beg.

Cara-Iusuf, rex Caracoionlu. Schiltepergo simpliciter Iosephus. Mortuus anno Muhametano 822. id est, Christiano 1420. Hist. Musul. lib. 12.

Iskender, vel Alexander. Hist. Musul. lib. 12. & 14. Tamdem a filio & vxore negatus. Lib. 14. Laonico Tzani-sa, id est, Tzanic-Schach, vel Zenec-Schach, siue Tzanici rex, quæ Ponti prouinciæ regio Tzanorum est. Sic lib. 7. idem Laonicus: Tzani-sa pertinet ad nigros Mauroprobatantes. vbi scribendum Mauroprouatades. Obscuriuscule notant Turci, hos principes dominatu priuatos fuisse tempore Osmanis Sehidi siue sancti Muhametani. Tzuneites quidem ad hos refertur, familiæ Sofinorum auctor.

Tzihan-Schach, Schiltepergo Tzihangir. Historia Musulm. lib. 14. Factus Eiraci rex, hoc est, Assyriæ Bagdati vicinæ, pugnauit cum Saiid-bego, Sultano Misirensi. Hist. Musul. lib. 15.

XVII.

PRINCIPVM AC-COION-LV familia.

Hi principes Ac-coion-lu,non recte dicti fuerunt hactenus omnibus aliis Assimbeij,pro Ac-coinbegi,vel Accoionbegi.Laonico edito sunt Albi Probatantes,voce necdum a quoquam intellecta, vel explicata; sicuti nec regionis eorum mentionem vel Ortelius, vel alij Geographi principes huius sæculi fecerunt. Manuscriptus quidem Laonicus Ἀσπροπροβατάδας habet, ac vicinos Trapezuntiis imperatoribus vtrosque, tam Mauroprouatadas, quam Asproprouatadas, facit. Ac-coion-lu significat regionem Albarum ouium, cui nomini Græcum quoque respondet. Illam verò regionem intelligimus esse regnum Armeniacum Erzintzanis & Tocati, quam in titulis suis etiam Sultanus Suleiman secundus Tatarorum regnum vocare solebat; scilicet alborum, vnde vocabulum videtur ortum. Apud Iosaphatum Barbarum vitiose scriptum nomen Accorlu reperitur,& ipse verueces albos interpretatur. Putat etiam factionum hæc fuisse nomina, sicut apud Anglos erant factiones Rosæ Rubræ, & Albæ Rosæ; vel apud Italos Guelforum & Ghibelinorum. Accoionlu quoque vocabulo Persarum & Zagataiorum Tatarorum regiones vult accipiendas, in quo ab ipsius equidem opinione discedo.

N. Tatar-beg, Destensium vel Alborum Tatarorum princeps. —————— Eretin-beg, huius Tatari frater, Asiæ superioris imperator. Histor. Musul. fine lib. 6.

|

Tachretin-beg Turcis, Laonico Scender, hoc est Alexander, Eretini patruo successit; occisus vxoris insidiis, vt idem Laonicus refert.

|

Tachretin-ogli, sic generaliter dictus, vt Tachretinis filius; planeque diuersus a Carailuce, vel Cara-oilucio Turcorum, Mesopotamiæ (quæ Turcis est Cara-oiluc, id est nigra meridies, a solis ardoribus, vel a nigro regionis solo, Schiltepergo Turcia nigra, Laonico m. s. Ilucaria, vitiose Leucaria in edito) partisque mediæ principe. In his quidem aliqui mirifice hactenus alucinantur. Ceterũ Tachretinoglius hic castra Temuris secutus est, donec restitueretur.

Vsun-Chasan, cuius filia Chaidari Erdebil-bego in matrimonium data, Mauroprouatades & Asproprouatades in vnam coaluere familiam Sofinorum Persicorum.

Vali-beg, frater Vsun-Chasanis, auctore Iosaphato Barbaro, qui Valibech scripsit; quod esse dico Valid-beg, aut Velid-beg. Erat vrbis Orses in Armenia, versus Merdinem siue Martyropolim sitæ, fratris nomine gubernator, ann. 1472.

Tzihangir-beg, fundator Imareti sumtuosissimi Merdinensis siue Martyropolitani, de quo Ios. Barb. in itinere Persico.

XVIII.

VSVN-CHASANIS POSTERITAS, & successores.

Tachretin-ogli.

Vsun-Chasan, vel Hasan-beg, Azemiorum siue Persarum rex primus ex Asproprouatadum familia. Mortuus 1478. v. Ianuarij.

- Zeinal, occisus in prœlio contra Sultanũ Muhametem II. anno Christ. 1474. Hist. Musul. lib. 15.
- Vgurlu Muhamet, Gorde matre natus, vt A. Contarenus scripsit, Gurlu-Muhametẽ vocans. Ogurlu Iosaphato Barbaro, male Vngher aliis. Patris iussu necatus.
  - Imirze-beg, Vsun-Chasanis nepos, non ex Iacupe, sed ex vno de tribus aliis natu maioribus filijs.
- Chalil, tamdem necatus a fratre minori Iacupe bego, teste Iosf. Barb. Patre motiente 35 annorum erat.
- Iacup beg; extinctus anno Chr. 1485.
  - N. filius cũ patre venenũ hausit & perijt. Musf. 16.
- N. frater vterinus Chalilis & Iacupis, patre moriente septennis.
- Masut beg, necatus a fratribus an. 20 ætatis, ea nocte, qua pater exspirauit. Natus erat diuersa matre.
- Martha, coniux Haidaris, mater Ismailis Sofi, qui tamdem cõsobrino Imirzæ successit, & regnum posteris suis reliquit.

Mortuo Iacupe tradunt Turci graues tumultus in regno Azemiorum exstitisse, ac seditiones periculosas: quibus factum, vt si quis ad regnum adspiraret, mox ab alio necaretur. Feruntur autem hi talibus in turbis inuicem sibi successisse:

I. Iulauer-beg, Iacupis adfinis, & successor. Regnauit annis tribus, videlicet à 1485 ad 1488.

II. Bai-Suncur-beg, annis duobus.

III. Rustem-beg annis septẽ. Tunc quorumdã opinione Chaidar Erdebil-begus necatus, cuius cædis auctorem alij faciunt Iacupem begum; dum Chaidarem pro Chalile accipiunt, qui a fratre Iacupe dubio procul occisus fuit.

IIII. Achmet-beg. præfuit tantum sex mensibus.

V. Cara-ben. Id nomen filium nigrum significat. Sed vitiose Carabei scriptum, pro Cara-beg, qui princeps niger est.

VI. Eluan-beg, Aluantes Iouio, consanguineus Iacupis. Non diu regnauit, & in pugna periit, ab Ismaile Sofi cæsus.

VII. Mara-beg. Sic eum nominat Aug. Curio, Muratem alij. Fugit ad Baiasitem secundum, eiusque filiam duxit vxorem. Ad suos in Persidem reuersus, & regno pœne iam potitus, occiditur. Est enim hic dubio procul Imirza begus ille, de quo Hist. Musul. liber 16 ex Turcorum monumentis pleraque commemorat: inter alia referens, fuisse nepotem Vsun-Chasanis; sed non addens expresse, cuiusnam filius fuerit, e tribus filiis prioribus. Nam Iacupis nec filius, nec frater esse potuit, quem Turci absque liberis mortuum aiunt, contra Iouij & aliorum somnia.

VIII. Ismail Sofi, successit Imirzæ bego consobrino.

XIX.
SOFINORVM FAMILIA.

Primum creditur familia principum Cara-coion-lu ab Hakeme vel Haceme Chalifa descendisse, quem ex Ebubekiris Chalifæ nepotibus ortum ostendimus libro Histor. Musulman. primo, & heic paullo ante, in Ebubekiris posteritate. Deinde tradunt historiæ Persarum & Turcorum, Tzuneitem Erdebilis regulum, natum ex familia principum Cara-coion-lu, siue regionis nigrarum ouium, genuisse filium Chaidarem, patris in religione Sofina pariter, & Erdebilensi regione successorem. Is ducta Vsun-Chasanis, a principibus regionis Ac-coionlu vel albarum ouium orti, filia Martha; familias ambas principum Cara-coionlu & Ac-coionlu coniunxit, auctor hodiernæ Sofinorũ stirpis. Hist. Musul. lib. 16.

Scheich Tzuneit, Erdebil-beg.

Scheich Haidar, Erdebil-beg. —— Martha, regis Vsun-Chasanis & Æcaterinæ Comneniæ Trapezuntiæ Despinæ filia, coniux.

Schach Ismail Sofi, & Kisul-bassa, rex Azemiorum siue Persarum primus e Sofinis. Obiit anno 1526.

Schach Techmas, patris in regno successor. Mortu⁹ x i Maij, 1576, vt Minadois; vt alij, 1575.

Ercas Imirsa, princeps Siruani. Hist. Musl. lib. 18. Helcas Iouio.

Rustẽ Mirisẽ, rex in Candahar, filius vnius e fratribus Schachi Techmasis, sed incertum cuius.

Schach Mirisé. Iouio Somirza.

Bairam Mirisé. Nomen Bairam, priscis regib⁹ Persicis erat Varan, vitiose Vararanes. Agathias m. s. Iouij quoque Becram corruptum ex Beiram.

1 Peria Conconа, filia primogenita.

2 Muhamet Hodabẽdé. Tertio loco patri successit. Mortuus anno 1586. mense Decembri.

3 Ismail maior. Successit secundo loco, extinct⁹ 24 Nouẽb. 1577.

4 Haider. Primus patri successit ad paucos dies.

5 Machmut.

6 Suleiman.

7 Mustafa.

8 Emãgurli.

9 Ali-chã.

10 Achmet.

11. Ibrahim.

12. Ismail minor.

Hamze-beg interfectus noctu ab eunucho custode suo, patre viuo.

Abas Mirisé, Cheriæ primo regulus, nunc Schachus Persarum.

Techmas.

XX.

TEMVRIS, QVEM LANCVM SIVE CLAVDVM DIxere, posteritas; ex historia Musulmana, Laonico notæ melioris, & Schiltepergo m.s.

Sangales.

Temur Han.

Schach Ruch. Sacruchus Laonico. | Miram Schach. | Abdulla-Trife, vel Terife. | Ilias, hoc est Elias. Vlies Laonico. | Paiangur.

Miram Schach: Ebubekir, qui & Abubakir, & Abubartir, vitiose. | Mensur Schiltepergo m.s. Aliis Mansur.

Paiangur: Tzokie. | Paiangur.

Tzokie: Giausa Iosaphato Barbaro, & Ambrosio Contareno Zaussa, id est Siaus Schach. Aliis Zensas, (quod corruptum ex Zeusa) nonnullis denique Genusa, non minus vitiose. Necatur ab Vsun-Chasane. A quibusdam cum Zokie confunditur. | N. filia, nupta Cara-Iusufi, de quo dictum in familia principũ Caracoionlu.

N. Siausis Schachi F. captus ab Vsun-Chasane, viuus aliquamdiu seruatur, quasi dimittendus, vt in officio Persæ continerentur. Sed occupato Tebrizio, cum ceteris vrbibus, occiditur.

XXI.

SVLTANORVM MISIRENSIVM, QVOTQVOT ad hanc historiam Musulmanam pertinent, successio.

I. Sultan Barac-Gog. Turcis Borec aut Barec Gug.

II. Sultan Matlas, aliis Mathas. Barac-Gogo subiicitur in Schiltepergo manuscripto, excluso Iusufe, qui ab aliquibus inseritur, & idem fuisse cum sequenti videtur.

III. Sultan Iusuph, id est Iosephus. Ita Schiltepergus m.s. Aliis INSVPH vitiose.

IV. Sultan Zecham, aliis Zachan dictus.

V. Sultan Schyachin, aliis Syachin. Turcis Sultan Seichi. Historiæ Musulm. lib. 14.

VI. Sultan Tatar. Male scribitur apud Schiltepergum Salbmander pro Sultan Tater. Et cognomen ei dat Melec-Seraf. quo βασιλεὺς ἀγλαὸς siue rex splendidus significatur. A Turcis etiam Tatar-beg dicitur. Hist. Musf. lib. 14.

VII. Sultan Pars. A Turcis Pars-beg nominatur. Hist. Musul. lib. 14. Cyprum in potestatem redegit. Vnde paret, hunc esse Melechellam quorumdam aliorũ. Et recte conuenit numerus redactæ in potestatem Cypri Muhametanus 827, cum 1424 Christiano: si non belli principium, quod in 1423 annum incidit, sed finem pro more Turcico, Pandectis 141 capite declarato, spectemus. Bella cum Mesopotamiæ siue Cara-oilucio principe (Carailuces est Laonico) qui Turcis Habil-beg, & Cara-oiluc-ogli dicitur, gessit. Ibidem.

VIII. Sultan Pars-ogli, sic a Turcis generali nomine dictus, vt Pars-begi filius. A successore captus, & regno deiectus.

IX. Sultan Tzaemac, prius Emir-hor, siue præfectus stabuli; post, hero capto, princeps. Musulmanæ lib. 14.

X. Sultan Ali-Seraf, hoc est Ali splendidus.

XI. Sultan Said, qui Turcis est Saiid-beg, rex Zincani, siue Zinganorum, hoc est Ægyptiorum, vel gladiatorum, id est Mameluchorum. Nostris Habuc Sat dicitur.

XII. Sultan Cait-beg, qui bellum Tarsense vel Caramanicum feliciter aduersus Baiasitem secundum gessit. Hist. Musul. lib. 16.

XIII. Sultan Muhamet, Cait-begi filius.

XIIII. Sultan Canseu Zercas, hoc est, Zercassorum gente natus.

XV. Sultan Tzan-balat, Iouio vitiose Giapalatus; aliis Zamballat.

XVI. Sultan Tuman-bai.

XVII. Sultan Canseu Gauri. Hist. Musul. lib. 17.

XVIII. Sultan Tuman-bai secundus, & vltimus rex Misirensis ex Mameluchis, a Selime Osmanida captus & suspensus, anno Christ. 1517.

XXII.

REGES BOZINENSES, EX HISTORIA Musulmana, & aliis.

Sarutze Iuni, vel Ioannes flauus. Hist. Musul. lib. 5. Teggiur Turcis, siue præses; Bonfinio Banus Bossenensis, Martino Cromero rex Bosnẽsium Stephanus; cuius filiam Elisabetham duxit Loysus rex Vngarus, mortuus anno 1382. Stephanum ait idem Bonfinius Decadis 2 libro 10, ea tempestate in Illyricum & Macedoniam vsq;, late regnum propagasse: de quo colligitur, eum in hac familia primum regem fuisse.

Iuni, siue Ioannes filius. Interfuit iuuenis, ac necdum rex, prœlio Cosouano, 1390. Lib. Hist. Musulm. v. in fine.

Thomas, qui diutissime regnauit.

Radiwor, siue Ratiborius, fraternę cædis auctor. Gregor. Duzanes.

Stephanus paricida, patre viuente Dux S. Sabæ, postea rex. — coniux, Despina Sirforum, Lazari Despotæ postremi filia.

Ladislaus. moritur exsul apud Vngaros. auctor Spandug.

Stephanus, Duzani & Laurẽtio Howarto Ladislaus, musulmanissat; & postea dictus Achmet--beg Hertzec-ogli, vel Ducis filius.

Vaticus, Valaccæ & Castelli noui Dalmatiæ regulus.

Ioannes. Vixit adhuc in exsilio Venetiis, anno 1533. auctore Daniele Ludouicio, reipub. Venetę a secretis, qui tunc Constantinopolim missus a suis fuit; vti me Iacobus Maripetrius V.C. monuit.

XXIII.

XXIII.

VVLC-OGLIORVM ET LAZ-OGLIORVM, Seruiæ vel Sirfiæ Despotarum, genealogia.

Bulcus, seu Vulcus. Sic a Turcis recte nominatur, hist. Musul. lib. 5. sub finem. Male Laonico Latine publicato Brancus. Confer inter se scripta Græce nomina, Βούλκος & Βράγκος, ac facile perspicies e comparatis inter se litteris, alterum e priore vitiatum.

Lazarus Vulc-ogli, siue Bulci filius, a Turcis dictus; vt est videre sub fine lib. 5. hist. Musul. Sirfice Vulcowitz.

Stephanus Vulcowitz, Turcis Laz-ogli siue Lazari filius. Hist. Musul. lib. 11.

Georgius Vulcowitz. — N. Despina, Baiasiti Gilderuni nupta.

Stephanus, candenti ferro cæcatus a Murate II.

Lupus Despotes, a Matthia rege dono Feiezcoŭ castellum accepit. Nomen Latinum Lupi, factum ex Sirforum Vulco, quod lupum significat.

Gregorius ab eodē Murate visu priuatus. aliis Georgius.

Lazarus, patris successor.

N. Despina, Bozinensis regina.

Ioannes Razziæ Despota, Berizloi dominus in Vngaria.

Martinus Berizlouius. Meminit huius Cōcordia Vngarica, siue pacis tabulæ, factę anno 1491. Banum vocat Brodericus, sicut & Turci patrē Vulc-banū dixere, lib. 14 hist. Musul.

Ioannes Berizlouius. cuius mentio fit in Concordia Vngarica. 1491.

Franciscus Berizlouius, a Gregorio Duzane nominatur in consultatione belli Turcici, anno 1501. ceu Ioannis frater. Vixit adhuc anno 1522. Annal. Vngar. m. s.

Petrus Berizlouius, episcopus Vesprimiensis apud Vngaros. auctor idem Brodericus.

Maria, Sultano Murati secundo nupta.

XXIIII.

VALACHIÆ MINORIS SIVE TRANSALpinæ Vaiuodarum successio, Turcorum historiis accommodata.

Alexander, Transalpinæ Valachiæ Vaiuoda. Loyso Vngarorum, post etiam Polonorum regi se summisit, anno 1342.

Laicus, eodem Loyso regnante, qui eum subiugauit. 1371.

Stephanus, vtriusque Valachiæ Vaiuoda. 1390. Victus a Sigismundo rege, rursus deficit 1392, & Turcorum auxilia primus cum suis sollicitat. In carcere a suis inclusus, Myrxen successorem accepit. Laon. lib. 2.

Marcus, Merches Bonfinio, Merkes Schiltepergo, Mircius Cromero, Myrxes Laonico, Turcis Murze, Baiasitis Gilderunis tributarius, lib. 6. hist. Musulm. Sigismundo regi adfuit Nicopolitano prœlio, quod Schiltepergus scripsit. Musam, Baiasitis filium, contra Suleimanem fratrem adiuuit; & generum adsciuit, data ei filia. lib. 10. Hist. Musul. ad annũ 1411. Aduersarium, & regni competitorem habuit Daanem siue Gdanem, 1415. vterque genere natus erat eodem. Ille Sigismundum, hic Turcos arcessiuit.

Wladus Dracula, Turcis Diracul, Myrxis filius Laonico. Huius Draculæ mentio fit anno 1444. Cromerus anno 1445 interfectum ait ab Ioanne Huniade, quem a clade Varnensi redeuntem ceperat. lib. 22. idem etiam referente Laonico.

Danus, vel Daan Vaiuoda, Draculæ necato substitutus ab Huniade, Laon. Chalcocondyle auctore; qui Masarampæ filium facit, expulsum a Tepio (scribe Stepano. sic Stephanum illi dicunt) & Myrxe. Masarampæ nomen corruptum ex Mpasarampa. Sic Basaraba more Græcorum scribitur, nimirum Basarabiæ regulus.

Wladus Dracula, Turcis Casuclu Diracul-ogli, Wladi prioris filius. Armis Sultani Muhametis II petitus, in Transsiluaniã fugit, & a Matthia rege capitur. 1462. Decem annis in Vngaria captiuus fuit. Dimissus, in prœlio contra Turcos occiditur. Crudelis pariter, & iustus admodum fuisse prædicatur.

Dracula iunior, a Sultano Muhamete fratri sufficitur, a Matthia rege Vngaro confirmatur. 1462. Radulo nominatur a Cromero, Radul ab alijs. Cum Stephano Vaiuoda Moldauo bellum gessit, anno 1470. Ab eodem victus anno 1474.

Radul alius, quem Broderithus adhuc anno 1526 imperasse tradit. Nec equidem adfirmo continuam in his successionem. Magis etiam pacatæ res semper in hac fuere Valachia, quia mature sub Turcorum venere iugum, quibus ea de causa sunt obsequentiores; quum impune fidem mutare nequeant, ob Turcicorum militum in opposita Danubij ripa, per Seruiæ Bulgariæque fines, viciniam. Eadem causa, cur rarius hi dominos mutent, quam Moldaui.

XXV.

CARA-BOGDANIÆ, QVÆ VALACHIA MAIOR, ET MOLDAVIA, VITIATO EX MORIDAVIA NOMINE, tamquam Maura Dauia, siue Nigra Dauorum Dacorumue regio dicitur, Vaiuodarum successio; Turcicis historiis intelligendis seruiens.

Bazaradus, Valachorum Vaiuoda, Karolum primum hoc nomine regem Vngarorum, bello petitus, vicit anno 1330. Equidem Basarabum fuisse dictum puto, veluti Bessarabiæ regulis oriundum.

Stephanus Vaiuoda, circa 1350 annum Christi. Huius fuere filij duo

Stephanus. ad Casimirum II, Poloniæ regem, cognomine magnum, cofugit. 1358.

Petrus, fratri natu maiori regnum præripuit.

Bogdanus, Loyso rege Vngaris & Polonis imperante; qui Loysus, siue Ludouicus, mortuus anno Christi 1382.

Petrus, regnante apud Polonos Iagellone, qui postea Vladislai nomen in baptismo accepit. Circa Christi 1388 annum.

Stephanus, vtriusque Valachiæ Vaiuoda, circa 1394 annum Christianum.

Alexander, cum Iagellone Polono se coniunxit in Sigismundum regem Vngarum, post Imp. Romanum.

Stephanus, Alexandri successor. Iagelloni sacramẽtum fidei præstitit, anno 1412.

Alexander, Iagellonis clientem se professus est. A Murate secundo, filio Muhametis, hostiliter inuaditur anno 1425. Auctore Cromero, Golubecia (Columbatziũ vocant Vngari, Gugerzinlic siue Columbarium, a colũbis, Turci) obsessa Christi anno 1428, subsidia Sigismundo Cęsari nulla mittere voluit. Mortuus anno 1431.

Elias, cui nupta Maria, soror reginæ Polonorũ Sophiæ Kiouiensis, ex qua Iagello Vladislaum & Casimirum FF suscepit. Exsul & captiuus fuit in Polonia. Tamdem Bessarabiam consecutus est.

Stephanus, Eliã fratrem paterno imperio deiecit. Initio Vladislai III Poloniæ regis, a Polonis confirmatur. 1434.

Petrus, quem Cromerus cum Petro, Elię filio, confundere videtur, libro 22. Sed 23 aliud statuit. Nec in his ipse sibi constat.

Bogdanus nothus, Alexandrum vel Romanum, fratris filium, puerum eiecit. Interfectus ebrius a Petro, senioris Alexandri filio notho; qui vi successit, & frustra Romani quoque vitę struxit insidias.

Romanus, patri successit. Alicubi Cromerus Alexandrum quoque nominat. Et confusæ sunt huius de his narrationes. Eiectus a Bogdano patruo notho, quum paruus esset, & a Casimiro rege Polono cõsobrino restitutus, tãdem veneno perijt.

Petrus, fratri mortuo successit anne Græco ab orbe condito 6963. a nato Christo 1455. Crom. lib. 22. Exsulem capite plexum narrat idem in Polonia, anno 1501.

Stephanus, Petro succeſſit, Eliæ filio; non Eliæ, Petri filio: quod Cromerus lib. 30, forte memoria lapſus, tradit. Et Petrum refert ab hoc Stephano per vim eiectum, eodemque auctore de imperio Petrus & Berendeius cum Stephano cōtenderunt. In Caſimiri Poloni verba iurauit 1 4 6 2. Cuius filius fuerit, ipſe dubitat. Si Iouio credendum, qui libro 40 nepotem huius Petrum, Draculæ pronepotem facit; Draculæ filius fuerit, Wladi iunioris frater. Turcos Stephanus grauiſſima clade fudit anno 1475, cuius & Turci meminerunt. Kilian ei, nō Draculæ, (quod Iouius eodem libro ſcripſit) cum Bialogrado, Baiaſites ademit. 1484. Ioannem Albertum, regem Poloniæ, cum Ruſſis & Podoliis ſuis fraude vicit, anno 1496. Hiſt. Muſul. lib. 16.

Bogdanus luſcus, Stephani filius, patri ſucceſſit 1 5 0 4.

Stephanus, ad Sigiſmundum, Poloniæ regem, legatos miſit, anno 1 5 2 4.

Petrus, victus a Ioanne comite Tarnouio Polono, 22 Auguſti, 1530. Ludouicum Grittum, Tranſſiluanis auctoribus, ad Meggieſum obſedit anno Chr. 1 5 3 4. Oppugnatus a Sultano Suleimane 1538. Captus, libertati & regno reſtituitur anno 1539. vt Turci quoque commemorant. Hiſt. Muſul. lib. 18. Draculæ maioris pronepos fuit, ſi Iouio fides habenda, lib. 40.

Stephanus, Petri frater, ſurrogatus a Suleimane. Hiſt. Muſ. lib. 18. Maritus fuit Ludouici Gritti filiæ nothæ. Necatur a ſuis. Iouius lib. 40.

Alexius aut Alexis, Iouio Alexes, adoleſcens regiæ Valachicæ ſtirpis, vt aiebant, Stephano a ſuis ſubſtitutus, ab iiſdem occiditur, quum a Turcis Petrum inaudiſſent reduci.

Alexander. eiectus a ſucceſſore 1 5 6 1.

Iacobus Deſpota Sami, Marchio Pari, a Polonis introductus, a ſuis necatus, anno 1563.

Demetrius Viſnouecius, exiguo tempore regnum deguſtauit.

Thomſa, quē Alexander redux eiecit, Polonus rex Sigiſmūdus capite multauit.

Alexander tyrannus, iterum imperat.


Bogdanus, Alexandri filius, eiicitur. Ad Ioan. Ruberum, ducem generalem in Vngaria primum, inde comite Ioachimo Eichelo Sileſio, militari viro, amico meo, ad Fridericum Daniæ regem, & ad Ioannem Baſilidem Moſcum, regis ope, ſe contulit: vbi celebris ille Ieſuita, pater Poſſeuinus, eum ſe reperiſſe narrat.

Ioannes, ſuis I-Wan, vel IWonia, qui ſe Stephani proximi filium ex concubina ferebat.

Petrus, Valachiæ Tranſalpinæ principis frater, quem recens & alij ſecuti ſunt.

IO.





IO. LEVNCLAVII
HISTORIAE MVSVLMANAE TVRCORVM, DE MONVMENTIS IPSORVM EXSCRIPTÆ, LIBER PRIMVS.

DE TRIBVS IMPERIIS MVSVLMANICIS, AGARENICO, TOGRANO, ALADINIO.

Es a Turcis ab illius initio geſtas imperij, quod hactenus non religioni dumtaxat, regniſq; Chriſtianorum, ſed orbi propemodum vniuerſo fatales adtuliſſe mutationes experimur, reliquiſque nominis Chriſtiani populis vel triſte ſeruitutis iugũ, vel interitum minari videmus, in lucem proferre de commẽtariis ipſorummet barbarorum inſtitui: opus ipſo magnum & memorabile argumẽto, propter amplitudinem tyrannici dominatus, rerumque varietatem; & atrocibus exemplis inauditæ ab omni æuo perfidiæ, fraudulentiæ, ſæuiciæ plenum, qua maiorẽ generis humani partẽ gens orbis excidio nata, grauiſſimis calamitatibus adflixit; admiſtis interim & iuſticiæ rigidioris, & aliarum quoque virtutum ſpeciminibus haudquaquam barbaris: vnde multiplicem haurire fructum, & priuatim vtilia ſingulis, ſalutaria publice vniuerſis ſumere lectores documẽta poterunt: quantumuis æqua lance laborẽ alienum examinantes, libenter (opinor) adgnoſcẽt; auctorem tali ſcribenda hiſtoria, non leue ſuis humeris onꝰ impoſuiſſe. Nihil enim in rebus humanis, hoc quidem tempore, toto terrarum orbe maius aut ſplendidius Turcorum imperio: nihil admirabilius eiuſdem origine, progreſſu, incrementis, continua ſæculorum aliquot felicitate: nihil ipſa rerum perplexius expoſitione, quam hactenus a Græcis, & noſtris hominibus, confuſam & tenuem admodum accepimus. Amplitudinem imperij licet æſtimemus ex inſigni nobilium tam Aſiæ maioris, quã minoris, & Aphricæ, Europæque prouinciarum numero: ſplendorem faſtumq; barbarum norunt, qui nõ ſolum eos adiere, verumetiã paulo interius ipſorũ rationes & inſtituta perſpexerũt. Quippe cetera, de pręſcripto legiſlatoris ſui Muhametis, vt plurimũ abſtemij; mero tamen illo ſecundatis eorũ vota fortunæ, proſperoſq; rerũ ſucceſſus blande quaſi propinantis, adeo ſunt ebrij: non iam ſe ipſos vt amplius intra moderationis ſobriæ fines cõtineant, ſed inſolenti luxuriantium animorum elatione ſupra nubes (vt dici ſolet) euecti, ſua dumtaxat admirentur, aliena velut ex alto deſpiciant: rationi locum nullum relinquant, vim ſolam in ore habeant: non adhibitis conſiliis temperatis agenda ſuſcipiant, ſed in vna præpotentis imperij ſui mole certam ſub iugum mittendi orbis vniuerſi ſpem collocent. Ac ſunt profecto pleraq;, ſi recte conſideretur, in hoc populo pæne prodigioſa. Primum exordia gentis perquam humilia, quæ initio trãs Tanaim, nulla ſede ſtabili, nullis certis perpetuiſve domiciliis vſa, ſed longe lateque patentes campos, cum familiis, & armentaria pecuariaque re, paſſim ſolita peruagari, tamdem propius ad Pontum Euxinum, & Iberas veteres, quos ibidem adhuc habitantes, Curgginos

vel Georgianos adpellamus, accessit: vbi partem eorum, stipendiis oblatis inuitatã, Flauius Heraclius Augustus, aduersus Persas id temporis per Pontũ Euxinum nauigans, copiis suis adscripsit; vt apud exaratum manu Symeonem, Magistrum officiorum, hoc est, agminũ palatinorum ducem, memoriæ proditum legim⁹. Hinc vlterius in Armeniam, ad Araxim fluuium progressi, suas ibidem sedes, necdum priscis Nomadum moribus exutis, habuerunt: donec imperãte Constantino Monomacho Augusto, de Cedrini Græci sententia, vel secundũ ipsorũ rationes paullo ante, sub Romano Argyro, Monomachi decessore, quodam a rege Persarum, Saracenicæ originis, quem Turci Machmutem Sebictaginem; Cedrinus, Curopalates, alij Muchumetem nominant, muneribus & annonis ad belli societatẽ aduersus Indos, & Bagdatinum Chalipham, pellecti; Araxe trãsito Persidem, Togra Selzuccio duce, quẽ Græci Tagrolipicem adpellant, intrarũt; & extincto in pugna rege, q euocatos in seipsum cõuerterat, Chorasanem primum, deinde reliquas regni Persici prouincias, & maiorem Asię partem occuparunt. Longo post interuallo successit ingens rerum mutatio, Zengi Tatarorum principe maximis cum copiis in Aiemiam, siue Persarũ regiones irruẽte; qui Turcos partim grauiter adflixit, partim Aiemiæ finibus excedere coëgit. Sed enim vexari, deprimi, Persicis exui prouinciis Turcorum natio potuit a Tataris; extingui nõ potuit. Quippe nouum in Asia minori, Sultano Aladine Selzuccio duce, regnum condidit; quod a regia principum, Iconiense vocant; Aladinium nobis, ab auctore, licebit adpellare. Hoc deinceps perpetuis Tatarorũ incursionibus debilitato, partimq; pulsis, partim absque liberis decedentibus Aladinis primi successoribus; peropportuna semet obtulit Oguziis, Selzucciorum gentilibus, exiguas opes amplificãdi occasio, nouiq; principatus fundamẽta iaciendi. Quod enim Tataris oppugnandis fortem, complurib⁹ ab annis, operam principibus Aladiniis nauassent; prædiis & agris quibusdã in Bithynia vicinaq; Phrygia donati, carpere paulatim vicinos Christianorũ fines ceperant, deque die in diem pomœrij proferre limites; eo quidem liberius, quod suis aduersus Scythas occupati bellis Aladinij, nõ admodum solliciti de alienis essent; & Oguzios, tam origine generis, quam Musulmanę superstitionis vinculo sibi coniunctos, & imbecilles adhuc, regno suo vicinos habere, quam Christianos, mallet. Hinc Oguzij, præsertim ex quo ducẽ nancti fuissent Osmanem, virum astutum, animosum & impigrum, prædis rem domi familiarẽ collocupletarunt, latifundia foris auxerunt; terrori fuerunt hostibus, pręsidio suis; perpetuo deniq; in armis exerciti, non multo post deficientibus Aladiniis, de successione spes animis maiores conceperunt. Nam quod vsuuenire plerũq; solet, vt magni principatus, legitimis heredibus orbati, quorumuis inuolantium prædæ ac libidini exponantur: id vel in primis in Aladinio regno, post Aladinis secũdi, vel vltimi potius obitum, accidisse videmus. Licet enim Sahibus, Aladini superstiti primus a cõsiliis, quem id tempoirs, vt nũc quoq;, Vezir-azemem dicere Turci solebant, ab heri morte ad se raperet imperium, cuius iam ante, viuo adhuc principe, clauum tenuerat: tamen nec ipse diu potestate regia frui, nec suos ad posteros eam trãsmittere potuit. Quippe non deerant alij quoq;, præcipuis nati familiis, & auctoritate pręstãtes in Aladinio regno viri; qui eam dignitatem sui similibus inuiderent, nec æquis animis dominatũ æqualium ferre possent. Itaq; tamdem discerpto plures in ditiones regulorũ tam pulchro & amplo imperio, suum Cilicia principem Caramanem accepit; Ionia maritima, Sarachanem; Lydia, Carasim; Isfendiares, Omeris filios, Pontus & Paphlagonia; Troadis & Mysiæ regio, ad Cariam vsq;, Aidinem: alias alij deniq; prouincias inuaserunt, ac pro ratione virium & armorum, magnas aut exiguas sibi satrapias adquisiuere. Græci sane scriptores, Gregoras & Chalcocondyles, septẽ ordine duces recensent; & in his tradunt Osmanem, Ertogrulis filium, Bithyniã, cum regionibus Olympo mõti vicinis, & cum Tekie, quam Turci Teken nominant, mediterraneis Phrygiæ maioris inclusam, consequutum fuisse: quib. terminis circumscriptã prouinciam, deinceps Osmanidis ab eo nomẽ accepisse, constat.

Et ce-

Et ceteri quidē horum populorum noui duces ab iis erant Turcis orti, quos cum Sultanis Musulmanorum Selzucciis & Aladiniis, e Perside pulsos a Tataris, in Asiam hanc inferiorem venisse diximus: solus Osman, gente licet ortus eadē, non tamen aliis acceptus erat; nec in has prouincias tātum habere iuris existimabatur, quantum illi priores sibi vindicabant; vt qui longioris temporis quasi præscriptione niteretur, & Osmanis virtuti, præclarisq; successibus inuiderent; adeoq; nescio quo præsagio formidare viderentur, ne sibi suisq; posteris adeo feliciter augescens huius viri, gentisq; potestas Oguziæ, tamdem aliquando fatalē interitum pareret. Hinc semper & Osmani, & successoribus eius, infestos hos fuisse, præsertimq; cum Caramanidis Germeanos, & ipsos quasi maiorum gētium Selzucciæ clientelæ proceres, sed indicatorum septem ducum numero non comprehensos, multoties in historia sua Turci referunt, & suo loco de nostris etiam narrationibus parebit. Sed nihil hæc eis profuit æmulatio, nihil perpetua de mature redigendis in ordinem, vel exstirpandis, si fieri posset, Osmanidis valuere cōsilia. Mutationes rerum maiores, & sua potius, aliorumque fata præcipitarūt: quemadmodum fieri plerumq; videmus, vt quo magis homines impedire progressus eorum nituntur, quos cælestis prouidētia magnis destinauit imperiis; eo faciliorem ipsis, ad præfixam diuinitus metam perueniendi, viam efficiāt. Quippe quum foris occupatos gerendis aduersus Christianos bellis Osmanidas prouocare, suscitatis domi turbis, & iniuriis illatis iritare Musulmani principes hi, quos diximus, non desinerent: iustas eis occasiones & causas prębuerunt, vt omissis ad tēpus Christianis, ab ipsorū religione alienis, quos Gauros, veluti gentiles aut paganos, dicere solēt, in suæ tam nationis, quam superstitionis homines arma conuerterēt; eisq; feliciter aut domitis, aut extinctis, late fines imperij per Asiam sui proferrent. Ita sub iugū venere, tamdemq; de medio fuere sublati reguli (Begos Turci dicunt) Carasinij, Saruchanes, Aidinoglij, Germeanij, Techretines, Ismyroglij, Mentesij, Caramanoglij, Burchanadines, Isfendiares: ita præpotentes illos Sultanos e collegio Mamelucorum Ægyptios, cum Aladeuliis, & Aphricanis, Tataricisque nonnullis principibus, partim deletos, partim redactos in seruitutem videmus; qui quidem omnes, se Musulmanos profitebātur. Ita iam Persarum regnis inhiant, quos in Musulmanorum numero ponendos, ob sectæ diuersitatem, infitiari solent; Muhametanos esse, negare non possunt. Quid ego nunc amplissima Christianorum regna, eum prouinciis opulentis, ab his intercepta commemorem? imperia Græcorum duo reperiemus, Constantinopolitanum & Trapezuntium: regna Thessalorum, Macedonum, Peloponesi, Epirotarum, Bulgarorum, Seruiorum, Bozinensium, Valachorū, Georgianorum, Armeniorum, Cypriorū, & Pannonum. Admirandi sane progressus, & eo quidem magis, quod alios alij non magnis temporum interuallis sequuti sint: quorum causas si considerare libuerit, inueniemus duplices; externas nimirum, & internas. In externis commemorandæ veniunt pœnæ scelerum, quas infligere populis enormium flagitiorum reis iratum numen per alios immites quasi carnifices, suæq; vindices iustitiæ, & voluntatis exsequutores, solet: itemq; rerum humanarum inconstātia, quæ variis obnoxiæ mutationibus, semper in eodem manere statu nequeunt; sed velut a ventis oceanus, ita & ipsæ perpetuis diuersorum motuum, vicissitudinumque fluctibus agitantur. Accesserunt in nostris hominibus, hoc est Christianis, curæ de republica segniores, eiusque tuendæ remissa studia; continuæ dissensiones animorum, & intestina tam odia, quam bella; quib⁹ distracti, numquam solide suas aduersus hostem communem iunxere vires; & semetipsos debilitando, fores ad opprimēdos singulos Turcis aperuere; qui consociatis armis vniuersi non tantum eis resistere, sed etiam possessores iniustos occupatis eiicere ꝓuinciis nullo pæne labore potuissent. Ita nobilis illa Græcorū natio, suismet exhausta discidiis, periit; quū susceptis inter se grauissimis inimicitiis, parentes aduersus liberos, soceri cōtra generos, liberi generique vicissim aduersus parentes, fratres aduersus germanos fratres, Turcorum subsidia, q̃ fortunis omnium insidiaban-

tur, ad perniciem mutuam arceſſerent. Ita deſerti per ignauiam ſecordiamque vicinis a regibus, aliisq; principib. Chriſtianis, Epirotæ, Bulgari, Seruij, Valachi, Bozinẽſes, Rhodij, ſub iugum miſſi fuerũt. Ita florentiſſimũ Pannoniæ regnum partim per occaſionem exſecrandę ambitionis, ciuiliſque diſcordiæ, dum qui viribus imbecillior erat, cũ internecione patriæ totius & ſua, grauiq; rei Chriſtianæ detrimẽto, Turcica ſollicitat auxilia; partim etiam veterno noſtrorum, ad reſtinguendum vicini parietis incendium non ea concurrentium fide, ſtudio, alacritate animorum, quæ merito eſſe debebat in omnibus, peſſum ire nemo non videt. Mitto recenſere prolixius cauſas alias, vnde noſtri (quod aiũt) fundi calamitas hactenus exſtitit: in quibus ſunt priuatorum ſtudia commodorum, publicæ neglectus rei: libertas prope nimia, nonnunquam ſuperiorũ imperia detrectans: animorum acerbitas & diffidentia mutua, ſuperioribus ſæculis inter Græcos & eccleſiæ Romanę adhærẽtes, deinceps inter nos ipſos, ex opinionũ in religione diſcidiis nata; dum pars vna quibuſcumque poteſt præſidiis ſeſe munit ad vim, a qua iampridem ſibi metuit, propulſandam; altera pacandis animis propria non quærit, nec adhibere vult, remedia; ſed externis innixa conſiliis & auxiliis, excitatas in pectoribus aduerſariorũ ſuſpiciones cottidie magis ac magis accendit. Mitto fœdum in quouis hominum genere luxum, crapulam, faſtum; quibus patrimonia priuatorum exhauriuntur, vt publicis ſubuenire difficultatibus nequeant: mitto ſalutaris illius, & accuratæ maiorum noſtrorum diſciplinæ militaris abolitionem, quæ noſtri contemtum in animis hoſtium excitat: ad eas Turcicorum ſucceſſuum cauſas accedo, quas internas dicere propterea volui, quod in ipſorum induſtria ſitæ, non ab aliena vel imperitia, vel oſcitantia pendeant. Hæ vero ſunt, primum acres & perpetui quidam ambitionis immenſæ ſtimuli, qua totius orbis imperium ſibi iamdudum animis deſpondent: concordia quædam rara, qua res ſuas ſtabiliunt, fortunas alienas euertunt; vnde ſemetipſi nominare conſueuerunt Islamos, hoc eſt vnanimes, & inter ſe pacificos; Deumq; precari nõ ceſſant, vt inter ſe diſcordes perpetuo Gauros eſſe velit. His adiunge de ſuperiorum temporum ſucceſſibus audaciam, captandis occaſionibus propagandi regni vigilantiam ſummam, in victu potuque frugalitatem ac temperantiam, ſtudium ſeruandæ militaris diſciplinæ, ſpontaneam & incredibilem quamdam obœdientiam, qua ſuis hactenus ita paruere principibus; vt nulla cum eis, hac quidem in parte, comparari natio mortalium potuerit. Eædem hæ cauſæ ſunt, quamobrem tam diu ſtabile manſerit ipſorum imperium: ſed adde propoſita virtuti præmia, qua vilis admodum originis homuncionibus, etiam caſtratis, ad ſupremos honores, ad illuſtres magiſtratus ciuiles & caſtrenſes, ad opes prope regias, ad ipſam denique Sultanorum adfinitatem vel infimæ fortunæ mancipiis aditus patet. Ex aduerſo conſiderandus etiam rigor, & ſuppliciorum diritas, quibus apud eos ſemper adfecti fuere, quicumque ſuo non ſatisfeciſſent officio, vel pro republica mortem obire formidaſſent. Vnde conſtat, captiuis apud Turcos ſuperioribus ſæculis nullum poſtliminij ius fuiſſe: quod ipſis incitamentum erat, vt animam profundere, fortiter in acie pugnando, mallent; quam hoſtibus ſe dedendo, deinceps a patria, liberis, vxoribus, cariſſimis quibuſque per omnem vitam exſulare. Sic apud Gregorium Duſanem Orzegium memoriæ proditum legimus, eos Turcos, qui Sultani Muhametis II iuſſu * Hydruntem occupauerant, quum a Chriſtianis principibus obſeſſi, Muhamete mortuo, deſperatis ſuorum, ob ciuile Baiaſitis Zemiſque bellum auxiliis, dedere ſe tamdem cogerentur; aut Pontificis Romani ducibus, aut Neapolitano regi, aut Gallis, aut Hiſpanis, maiori vero ex parte ſemet Vngaris vltro perpetuam in ſeruitutem addixiſſe: quod ipſorum mos & conſuetudo ferret, vt ſi qui fuiſſent in præſidiis vrbium caſtrorumve collocati, eaque loca non ad extremum halitum vſque defendiſſent, ſed vitam cum fortunis incolumem pacti, hoſtibus ceſſiſſent; numquam deinde vel eius delicti veniam, vel ad ſuos redeundi, exiſtimatione ſalua, facultatem

impe-

impetrarent. Ideoq; refert hos, quod eis vitę reliquum fuerit, apud Vngaros exegiſſe: Matthiæ tamen regis benignitate, qui virorum fortium vicem doleret, annonas cum domiciliis in Vngaria conſecutos. Huic expoſitioni de cauſis tã diu durantis hactenus imperij barbari, adiiciamus ipſorum paradoxa duo, portẽtis ſimilia. Nã primum aiunt, perfidiam ſuis vtilem fuiſſe rebus; qui ex vſu ſuo fidem datam fallẽdo, pactaq; conuenta pro lubitu violando, ſæpe condicionem ſuam meliorem effecerint, & aliquando magnis hoſtiũ potiti prouinciis hac via fuerint: opinione longe diuerſa Muhametis illius a ſentẽtia, qui Saracenorum regis Abdulmelichi dux, cõfuſis ab imperatore Iuſtiniano II fœderibus, in perſuaſione certa, vindicaturũ haud dubie numen hanc Iuſtiniani perfidiam, pacis tabulas, ſumma vexilli haſta (flamulium dixit Cedrinus) p̃fixas, ad prœlij locum, & ipſam in aciem præferri iuſſit, & inſignem de periuro principe victoriã obtinuit: cuius narrationẽ memorabili Græcus hiſtoriæ ſcriptor, manu exaratus, epiphonemate claudens: Omnia, inquit, illa grauia mala, quæ in hodiernum vſq; diem nobis euenerunt, fœderum leges & pacta, cum hoſtibꝰ inita, minime violari debere docent; etiamſi cum iis ſancta fuerint, qui a religione noſtra ſunt alieni. Verum Oſmanidę lege ſua Muhametana, quam Coranum adpellant, permitti ſibi volunt; vt in rebꝰ ad incrementa regni ſpectantibus, ex commodo ſuo metiantur, an hoſti data fides ſeruari debeat; & vt promiſſorũ, Gauris factorum, nullã pro ſua libidine rationem habere poſſint. Alterum paradoxum priori etiam inſolentius eſt, quo perſuadere nituntur, non tam durabile futurum fuiſſe ſuum illud Oſmanidarum imperium; ſi nõ inauditis apud alias gentes paricidiis, ſemper vnus aliquis, vt ſolus rerum potiretur, reliquos ordine fratres, & fratrum filios, in ipſis auſpiciis regni de medio ſuſtuliſſet. Hoc ſui fundamẽtum dominatus, hoc in terris vnicũ diuinæ rerum adminiſtrationis exemplum arbitrãtur. Videmus igitur ex hac cõmemoratione rerum, ceteroqui magnis imperiis inuſitatarum, quam vere ſint in hoc populo pleraq; prodigioſa, multiſq; de cauſis digna, quæ plenius conſignata litteris, ad vſum reipublicæ multiplicẽ exhibeantur. At tametſi fatear, aliquanto plus in hoc genere ſcriptionis a me pręſtari poſſe, quam fortaſſis ab alio quouis, qui de libris hactenus editis vſum aliquẽ Turcicarum rerum ſe conſecutum exiſtimat; quod ſuſcepto ad ipſos itinere, non ſolum ſpectator eorum fuerim, quæ in illo imperio magnopere nobis exteris admirabilia ducuntur, ſed etiã penitius indaganda putauerim; quæcumque ad ipſorum hiſtoriam pertinere viderentur; accedente non leuis etiã momenti ſubſidio de barbarorum commentariis, qui libros Chalcocondylis, & aliorũ, longo poſt ſe relinquunt interuallo: non multum tamen abfuit, quin difficultas operis ipſius me deterreret, in cuius elaboratione ſalebroſam admodum viam mihi tenendam, ab initio ſtatim animaduerterem. Quippe de Turcorum monumentis hauriendam maiorem hiſtoriæ partem videbam, in quibus pleraque familiari quadam ipſis breuitate notari potius, quam perſcribi ſolent; eaque de cauſa non parum obſcuritatis habent. Nec minus in illo quoq; moleſtiæ, quod Turcicæ narrationes ab hiſtoriis Græcorum, & noſtris, in non paucis locis ita diſcrepant: vt vel nulla ſit, vel difficilis inuentu conciliatio. Ne dicam, mutata plurimũ cum ipſo imperio nomina prouinciarum, vrbium, caſtrorum, montium, fluminum, tam in Aſiatica Gręcia, quam Europæa, & in aliis regionibus: quæ niſi declarentur, & priſcis cum adpellationibus conferantur, aut torquere legentium animos, aut tædio adfectos, eo voluptatis fructu, quem e lectionibus hiſtoriarum exſpectamus, priuare ſolẽt. Hęc vero quam difficilis & ipſa ſit explicatio, qui volent, experiundo cognoſcere poterunt. Sed tamdem illius ope fretus, qui magnorum in genere humano regnorum auctor eſt, non ſalutarium tantummodo, ſed illorum etiam, quæ pœnis comparata ſunt irrogandis; & qui opera conſiliaque ſua, diuinæ plena maieſtatis, in excitandis, augendis, ſtabiliendis, ac ſuo tempore viciſſim proſternendis imperiis conſiderari vult; ſpretis hiſce moleſtiis & impedimentis omnibus, ingredi peramplum hoc commentationis laborioſæ pelagus, tam prædicandæ ipſius infinitæ ſapientiæ, quam

vtilitatis publicæ causa, non dubitaui: suppliciter eum precatus, vt absoluendæ prospero cursu nauigationi, secundas ipse nobis auras cælitus adflaret. Quamuis vero nullum est dubium, ante promulgatam a Muhamete Corani legem, Turcicæ gentis notum fuisse nomen, vt e Cedrino superius etiam ostendimus: ordiri tamen eorum historiam ab illo tempore volui, quo Muhameticis infecti deliriis, † Musulmanos se, vel orthodoxos, plausibili vocabulo, sed falso ac temere vsurpato, profiteri cœperunt: eaque de causa libuit operi nostro dare titulum historiæ Turcorum Musulmanæ, ne quis a nobis antiquiora quædam exspectet, ipsis etiam Turcis, vt opinor, ignota. Nequit autem historia Musulmana contexi, præterita Muhametis, Musulmanæ legis & cærimoniarum conditoris, eiusque successorum, quos dixere Chaliphas, mentione; quam ne Turci quidem in historiis suis omiserunt. Quorum vestigiis sic insistemus, vt ea tantum de his delibanda censeamus, quæ ipsi memoriæ prodiderunt; ne propugnatorum Muhameticæ superstitionis præcipuorum series ignota sit, ac præterea conspici possit, quonam modo Chaliphis Arabibus, & Abbasiis, vel Abbasileris, in Musulmanorum imperio Selzuccij Tograni; Togranis Aladinij, gentis & stirpis eiusdem; Aladiniis Oguzij, vel principes horum potius Osmanæi, successerint. Recitabimus autem hæc de Chaliphis, vt alia pleraque rara nostræ huius historiæ, de duobus sumta potissimum libris; quorum ope nos, in perficienda tanti laboris lucubratione, plurimum adiutos, perlubenter & ingenue fatemur. Horum vnum mihi concessit vtendum vir nobilis & amplissimus, Faustus Verantius, Cæsareæ regiæque maiestati a secretis, in archiuis regni Vngariæ repertum inter cetera, quæ patruus ipsius, reuerendissimus & illustrissimus antistes, Antonius Verantius, primum Agriensis Præsul, inde Strigoniensis Archiepiscopus, aliquot legationibus ad Portam Osmaneam, magna cum laude obitis, bene de republica Christiana meritus, post se reliquit. Alterum nobilis viri, Philippi Haniualdi Eckerstorfiani, qui serenissimo principi, Ernesto Archiduci Austriæ, præcipuos inter aulicos operam nauat, singulari erga nos, fraternæque beneuolentiæ debemus. Is Constantinopoli, qua in vrbe cum dignitate vixit annis aliquot, Muratem begum, natione Vngarum, primarium superioribus annis Osmaneæ Portæ Dragomanum, mihi notum in itinere meo, linguarumque plurium, Arabicæ, Persicæ, Turcicæ, Latinæ, (sed barbaræ, quod adulescens in seruitutem abductus, apud barbaros consenuisset) Vngaricæ, Crouaticæque peritum, largitionibus cottidianis impulit; vt ex Turcorum historiis selecta quæque transscriberet, & secum communicaret: in quo sane deprehendi reipsa quiddam ab eo præstitum, quod esset operæ pretium, & illustrandæ Turcorum historiæ non exiguum posset adiumentum adferre.

† Pandect. Turc. cap. 22. & 59.

Tradunt ergo Turci, nominatim citatis auctoribus, Zeineli Arabe, Tirmedi, & Curtubi, prophetam ipsorum Muhametem exortum Flauio Heraclio regnante, qui Herchil ab ipsis dicitur, & principis iusti, clementis, benigni, beneficique laudibus ornatur. Editus autem Muhametes in lucem (sic enim adnotant) tempore nocturno fuit, ad lunæ diem pertinente, qui tum duodecimus erat mensis † Rebiul-euel. Ea nocte fastigium formæ rotundæ, siue cuba palatij regis Aiemiorum Hosireuanis (Chosroën Græcorum historiæ vocant) in vrbe Mudaine corruit, & a terra fuit absorpta: & in eadem Aiemiæ, siue Perside, sacer ignis ille perpetuus, quem ea gens Orimasdam sua lingua dictum, antiquissimo ritu Solis adorare loco solebat, ita sua sponte fuit extinctus; vt ex eo tempore numquam amplius accensus arserit. Hunc tamen ignem historiæ Christianæ tradunt illo ipso tempore ab Heraclio Augusto, in expeditione contra Chosroëm Persica, deletum. Eædem auctore Cedrino referunt, ab Heraclio tunc etiam deiectum fuisse Chosrois simulacrum, quod regij palatij cubæ, siue tholo globi formam referenti, veluti cælo insidebat: sole, luna, sideribus circum imaginem effictis, & angelis sceptrigeris adstantibus; machinis etiam excogitatis, quæ instar pluuiæ guttas emitterent, ac tonitrua cæli æmularentur: ad cuius operis euersionem hæc fabellæ Saracenicæ fortassis adludunt. Itidem pa-

† Pandect. cap. 11.

lus Saua, longe lateque patens, (aliis Zaua flumen est) in eadem Perside, siccata prorsus exaruit. Ingens etiam tot nobilitatæ scriptorum historiis Iustiniani magni fabricæ templi sanctę Sophiæ, siue Dei Sapientiæ Christi, (quæ Turcis Aia Sophia, corrupto de Hagia Sophia vocabulo nominatur) tectum illud in orbem fastigiatum, siue cuba concidit: ac præterea diuersis in locis & regionibus, indicata nocte nati Muhametis, mille plus minus, & vna, templorum Christianorum cubæ, neminis impulsæ vi, sponte sua collapsæ fuerunt. Addunt Saraceni fabulam manifestam, non potuisse deinceps illa mille cum vno templa Christianorum instaurari, excepto solo Sophiano ædificio: quod quum variis modis reficere Christiani molirentur, nec conatus succederet; intellecta causa, missos ad Muhametem cum muneribus fuisse legatos, qui ab eo restaurandi facultatem impetrarent: nec aduersatum postulato Muhametem propterea, quod futurum sciret, vt hoc Sophianum tẽplum tamdem populo, suæ legis sectatori, cederet. Adfirmant etiã, Heraclium imperatorem fuisse Musulmanum: sed præpeditum metu furoris Christianorum aduersus se, professionẽ hanc Muhameticæ religionis dissimulasse. Hoc equidem inde ꝓfectum crediderim, quod Heraclius Monothelitarum sectæ adhæserit: cuius vel auctor, vel propugnator, Sergius Abbas mansionis Callistrati Constantinopolitanus (Pseudabbam Græci scriptores, & exsecrabilem dicunt) hanc ipsam ob hæresim vrbe pulsus, in Palęstinam & Arabiam profugisse tradatur; factusque Muhameti familiaris, eidem pleraque blasphema suggessisse, de quibus ille monstrosam deliriorum suorum Chimæram confinxerit. De filio Heraclij, & successore, scribunt; Imaniam siue religionem Muhametis eum non suscepisse: quod cum nostrorum historiis consentit, qui referunt, Heraclium minorem, cognomento Constantinũ, de religione Christiana recte sensisse; paternique dumtaxat imperij, non etiam peruersę opinionis heredem fuisse. Denique Muhametem prophetæ munus annis XXIII gessisse, LXIII vixisse, memorant.

Posteaquam ex hac vita Muhametes migrasset, quatuor in administratione, legisque ꝓpagatione successores, quorum vnus alterum ordine sequutus est, post se reliq̃t. Hos ipsi dixere Chaliphas aut Helifes, voce denotante vicarios ipsius, vel locumtenentes in terris, vt vulgo loquuntur.

Primus inter hos, sacrorum siue cærimoniarum (quæ ipsis Mumini dicuntur) antistes, Ebubekir fuit, cognomento Sidik, quod intime fidelem interpretantur. Scriptores Christiani corruptum nomẽ eius edunt Abubachar, vel Eubocara, vel Beberce; cognomẽ Abdalla, quod Theodulon siue Dei seruũ denotat. Functus hoc officio fuit annis II, mensibus IIII: vixit annos LXIII, domi suæ non morte violenta, sed humanitus extinctus.

In eius locum successit Omer, Christianorum historiis Aomar, & Vmar, & Haumar; filius Hatabi, qui & ipse vel Al-hata, vel absque articulo Chata, vitiose scribitur. Præfuit annis X, mensibus VI, vixit annos LXV: pugione, quem Hantzer adpellant Turci, confossus a quodam Ebululu, cui nomen Almagra nostræ dant historiæ. Seruum ipsius Omeris eædem faciunt, Agareni satellitem siue circumpedem, vel œconomũ, vnde dict⁹ Ebu-Lulu, vel Lala, velut familiæ pater, fuit. Eiusdem scelere factus, vt ipsi loquuntur, Sehid; vt nostri, beatus, aut sanctus, aut martyr. Addunt etiam, Omerem propter monumentum ipsius Muhametis fuisse sepultum.

Post Omerem Chalipha factus est Osman, cuius pater a quibusdam Saracenis Accan, ab aliis Affan; Christianis auctoribus partim Alphen, (velut Al-Aphen) partim Tuphan nominatur. Equidem Aphan ꝓbo, vel Affan, quod Murates begus posuit. Annis XI, mensibus X administrationi rerum præfuit, & LXXXVI annos vixit; occisusque domi suæ, Sehidorum in numerum relatus fuit.

Osmani trucidato successit Alis, Abitalibi vel Ebutalibi filius, Græcorum historiis Alimus. Muhametani plerumque hunc Imamem solent adpellare, vocabulo pręceptorem significante, cui debetur obœdientia: videturque nomen Imamiæ sectæ, quam Ali huic addictissimi Persæ ac Sophini hodieque

profitentur, hinc originem suam habere: licet in genere putem hac voce doctrinam significari. Die xxv mensis Silchizæ suam auspicatus est administrationem, anno xxxv a migratione Muhametis; & IIII annis, IX mensibus ea functus, ætatis anno LXV periit. Quippe quum die quodam Veneris, qui tunc illius ieiunij dies erat, quod Vrug a Muhametanis adpellatur, opidum Giofen vel Kiofen (sic Turci scribunt, Basræ mentionem alij faciunt, quæ Arabum est Bostra) precum matutinarum causa fuisset ingressus; a quodam Ibni-Mulzeme, quod Murates nomẽ edidit, aliis Melzumen adpellantibus, improuisa cæde mactatus, in Sehidorum siue sanctorum canonem, qui nostris loquendi mos est, refertur. Addo de Kiofe, q̃rendam itinere bidui a Bagdate, nobilitatam monumentis ipsius Alis, & Hasanis Huseinisque, filiorũ eius; iuxta quæ Persarum reges ab imaginariis Halifis Bagdatinis inangurari certa cærimonia, gladioque adcingi solebant. Natus Alis octauo die mensis Zumasiul-euel, decimoquinto mẽsis Ramasanis die res humanas reliquit. Scientia rei militaris excelluit, & infinitas etiã sua manu Christianorum cædes in prœliis edidisse perhibetur. Hinc illæ Muhametanorum fabellæ de ipsius sulficare, (sic Alis acinacem nominare consueuerunt) quem narrant, quoties vagina educeretur, ita se diuisisse, vt geminus efficeretur, cubitos XVIII longus: & Alim eo contra Gauros vtentem, ab vtroque latere non aliter ipsos, ac segetem messores, prosternere solitum; ac† montes etiam, siue scopulos eo dissecuisse. Mos indidem inoleuit, vt in militaribus signis Musulmanorum hic Alis acinax, siue sulficar, velut inauspicatus Christianis, faustus ipsis, exprimatur. Solent præterea quædam amoleta, tam pro se quam pro suis equis, confecta per Hozzas & Talismanos, siue sacerdotes, equorum collo adpẽdere, quum in hostem ituri sunt: certo persuasi, se tutos iis aduersus hostiles ictus esse. Schidæ oblongæ sunt, & instar rotularum, quas vocãt, conuoluuntur; precesque magicas & superstitiosas continent, & Alis mentione nunquam carent. Huius generis amoletum (Hamaili & Nusca Turcis dicitur, Ludouico Bassano Iadrensi Chamalie) apud magnificum virum, Hieronymum Beck a Leopoldstorf, Cæsari nostro a consiliis, videre memini, cui verba sequentia sermone barbaro erant inscripta: Iafeta, iafeta, illa Ali ia seise illa sulficar: quorum sententia est, prodire de vagina debere acinacem, qui Alis acinax siue sulficar sit. Tantum Ali suo, virtutis bellicæ causa, tribuunt.

† Pandect. 155. sub finem itineris Meccani.

A patris obitu Chaliphę munus transiit ad Imamem Chasanem vel Hasanem, Alis e filia Muhametis Fatime filium; qui Al-Haten, addito articulo, pro Hasen vel Hasan, sic ab aliis ex consuetudine vulgi dicitur; vt Osmanis loco ab aliquibus pronuntiari Otman solet. Vicaria potestate dumtaxat IX mẽsibus, & XI diebus frui potuit; in opido Medina, sepulcro Muhametis nobili, veneno propinato extinctus, ætatis anno XLV, & Sehidorum in numerum receptus.

A morte fratris Chasanis, Imam Chusein vel Husein, Alis & ipse filius, Muhametis nepos, Chaliphatum obtinuit; a nostris Al-huacin, per Arabici adiectionem articuli, vitiataque nonnihil adpellatione, dictus. Omnino nullam nostrorum historiæ mentionem huius in Chalipharum catalogo faciunt. Nihilo minus e Muhametanorũ scriptis constat, eum IIII annis sacrorum siue Muminorum, vt ipsi loquuntur, antistitem fuisse; quumque vixisset annos LI, in cãpo Gerbela, siue Kerbela necatum; idque promeritum honoris, vt Agareno more canonissaretur. Iidem meminerunt in historia Temuris Chanis Tatari, quemdam Iezidem, qui Agarenicus Emir siue princeps fuerit, interfecisse Muhametis e filia nepotes, Hasanem & Huseinem, (Græci cum aliis, Chasanem & Chuseinem scribunt ac pronuntiant) Alis filios; multasque contumelias prophetæ posteris intulisse. Sed has iniurias Temur, occupata Damasco, quum istic esse sepulcrum Iezidis accepisset, vlcisci voluit. Nam perquiri monumentum, & reperti cadaueris ossa flammis exuri, sepulcro stercoribus humanis oppleto, iussit. Videri sane posset alicui, Iezides hic filius fuisse Muauiæ, qui Chuseinem sequutus est in Caliphatu, sicut & Muauiæ successor a nostris quibusdã

Iezides

Iezides datur: quaſi ſi iuſſu patris, qui poſt mortem Oſmanis Chaliphæ, tam Alis, quam filiorum eius, non æmulus modo, ſed hoſtis etiam fuiſſe ſcribitur, Chaſanem & Chuſeinem Iezides interfecerit. Verũ ex ipſa paret hiſtoria, tam Saracenorum, quàm noſtra, Muauiæ ſucceſſorem non Iezidis, ſed Azizis habuiſſe nomen, Ezidem adpellante Cedrino, permutatis Arabico more D & Z litteris: Iezidemque hunc ab Agarenis ob ea, quæ diximus, in Muhametis nepotes edita facinora, pro latrone, parricida, & hæretico fuiſſe habitum: adeoque deinceps hæreticos quoſcumque, Iezideos fuiſſe adpellatos; vt Lutherani modo dicũtur, qui a Pontificia ſede diſcedunt.

Secundum hos Chaliphas, ſuſcepit adminiſtrationẽ vicariæ poteſtatis Muauia, primarius inter prophetæ ſectatores id temporis, poſt migrationem Muhametis anno XLIII. Hic inſtructa claſſe, Rhodum expeditione nauali petiit; obſeſſamque ciuitatem oppugnando, tandẽ ad eas redegit anguſtias: vt abiecta ſpe defenſionis, & externorum auxiliorum, deditionem Rhodij facerent, cum pacto ſoluendi quotannis tributi, quod Haratzum Agareni dicunt. Regię loco ſibi Muauia delegit vrbem Suriæ Scham ſiue Sam, quæ priſcis Damaſcus adpellabatur. Anno ſequenti proximo, videlicet a Muhametis obitu XLIIII, vezirem ſiue conſiliarium ſuum, (Græci Protoſymbulum dixerunt) Artalim, cum claſſe CC nauium [illegible] XLCIↃ exercitu, belli Chriſtianis inferẽdi cauſa, Conſtantinopolim miſit. Hoc Græci ſcriptores accidiſſe notarũt anno XIII Cõſtantis imperatoris, Heraclij nepotis; præfectumque claſſis Abu-lauarem vocant, Artalis nomine Græcis ab hominibus, & Arabicæ ignaris, in Lauar commutato. Nam prius illud Abu, vel Ebu Saracenica lingua, referri non debet ad nomen ipſius proprium, ſed tituli potius honorarij loco duci. Significat enim patrem, ac venerationis cauſa ſic adpellabatur, qui Chaliphæ conſiliarius eſſet. Omnem is agrum Conſtantinopoli finitimum depopulatus, flammis & ferro vaſtauit; & infinitam hominum multitudinem, copioſa cum prędа, ſecum abduxit. Sequuti ſunt diſcedentem Franci, (ſic nominare Turci populos occidentales, & Italos in primis ſolent, qui maiori ex parte, cum vrbe Roma, tunc temporis adhuc Byzantinis imperatoribus parebant) & Græcorum exercitus. Quum aduenisset hoſtium claſſis, Artal etiam Vezir cum ſuis e portu ſoluit, & Giafiros ſiue Chriſtianos adortus; prælio nauali victos occidit, & in mare præcipitauit. Chriſtiani ſuperſtites fugam Conſtantinopolim verſus arripuerunt, cuius Artal capiendæ quum nullam eo tempore ſibi ſpem polliceri certam poſſet: victoria nauali contẽtus, opimis cum ſpoliis Damaſcum reuerſus eſt. Græci tradunt, hæc ad Lyciæ portum Phœnicem, qui noſtris a nautis hodieque Finichus adpellatur, fuiſſe geſta; non ſine Chriſtianorum ingenti ſtrage, quorum ſanguine tinctũ mare rubuerit. Conſtãs Auguſtus ea nocte, quæ prœlij diem anteceſſit, in ſomnio viſus ſibi fuerat eſſe Theſſalonicæ. Coniector θεσσαλονίκην audiens, mox diuiſis vocibus portendi reſpondit, θὲς ἄλλῳ νίκην, alteri cede victoriam. Itaque victis poſtridie ſuis, imperator alium quemdam trabea iuſſit indui ſuo loco; ſumtaque vili veſte, vix faſelo periculum euaſit, & Conſtantinopolim cum paucis rediit. Nono ſecundum hæc anno, quia morte Muhametis LII erat, ſectator prophetæ (diſcipulum dicere Saraceni ſolent) Ebu-Ezubi-Enſar, vel Zuui-Enſar, (nomen idem eſt, Ebu tantum addito, de cauſa ſuperius indicata) cum exercitu IↃↃↃ, & quingentarum nauium claſſe, Conſtantinopolim adpulit; eamq; cum ſuis obſedit. Habebat expeditionis ſocios, illuſtres duos apud Arabas viros; quorum vnus erat Abdulla, filius Abbaſis, qui noſtrorum hiſtoriis Habbus eſt, adgnatus Muhametis, Ehubekiris Chaliphę filius, Aiſchæ frater, vxoris ſecundę Muhametis, ex qua Fatimen filiam, Alis Chaliphæ coniugem, ſuſcepit. Alter erat Abdulla, filius Zubeiris, quem tamen alij filium Zeidis adpellant. Hanc vrbis obſidionem anno XXII vel XXIII Conſtãtis ceptam, ipſa temporum ratio probat; licet Græci primũ anno quinto Conſtantini Pogonati, Conſtantis filij, mentionem eius faciant. Durauit enim totos VII annos, vt ipſimet fatentur. Quumque Conſtãtinopoli temere tentata, di-

Φοῖνιξ. porto Finicho.

scessuri domum Arabes essent: ipso reuersionis initio Cyzicum opidum cum portu ceperunt, indeque singulis annis cum classe verno tempore prodeuntes, in vrbis obsidione menses æstiuos consumpsere; quoties autumnus adpeteret, Cyzicum in hiberna se recipiendo: donec tamdem copiis præliorum ac velitationum frequentia deminutis, nauibus Callinici architecti mirifica quadam arte parato igne maritimo, vel humido, (Græcũ vocare solemus) succensis & demersis; anno Constantini quinto vel sexto, compositionis & pacis initium aliquod fecerunt, & obsidione soluta, cum dedecore patriam repetiere. Pax vero iusta deinceps, Mardaitarum motu in Libano monte vexatis & adflictis Agarenis, confecta cũ nominis Romani gloria fuit. Dux Arabũ Zuui-Ensar, a Græcis Suphian, filius Aph, nonnihil vitiatis vocabulis nominatur; quorum hoc posterius Aph vel Aff, ex Abu factum videtur, alterum Suphian ex Zufi-Ansar mutilatum. Nec nouum est, ab exteris propria peregrinis in linguis mirifice corrumpi nomina. Suphian, auctore Cedrino, cum Floro, Petrona, & Cypriano, ducib. Romanis, prælio congressus fuit; in quo Arabum XXX CIↃ cæsa perierunt. Hæc Græcorum est de septennali Arabum expeditione narratio. Nos & alia quædam adiiciamus, a Muhameticis tradita. Quum in angustum, inquiunt, redactæ Christianorum in vrbe res essent, tamdem die quodam Veneris oppugnatio fuit instituta; quadum hi superare muros, & in vrbẽ perrumpere conantur, illi seque suosque summa contentione virium defendunt, hostemque reiiciunt: ictu sagittæ vulnerata Zubi-Ensaris vel fronte, vel manu, (nam vtrumque traditur) infecta re Saraceni ab oppugnatione discedunt, & in locum quisque suum se conferunt. Zubi-Ensar animaduerso, sibi moriendum istic ex eo vulnere: supremo voluntatis elogio militibus suis præcipit, acinaces dextris nudos arriperent, & vrbem oppugnatum redirent. Hoc vero durante conflictu, ea corpus suum industria terræ mandarent; vt hostes, quid ab ipsis ageretur, minime deprehenderent, nec adgnoscere sepulturæ locum possent. Illi, post hæc verba mortuo duce, quod imperatum erat, faciunt. Princeps autem Constantinopolitanus, quum resciuisset, apud Islamos (hoc Muhametani nomen sibi tribuere solent, quasi qui concordes inter se pacem colãt) virum eximium, & vsu rerum prestantem, periisse: misit ad proceres Arabum, qui dicerent: Certo sibi cõstare, quemdam e numero magnatum in castris ipsorum interiisse, quacumque tamdem id arte dissimulare conarentur. Quibus auditis, quum cognouisse Christianos Saraceni viderent id, quod acciderat: pacem cum hoste fecerunt. Imperator etiam magni pretij vestes proceribus, honoris causa donatas, misit. Itaq; Damascum redituri, ad iter partim mari, partim terra faciundum se comparant. Iurgis (hoc imperatori nomẽ, ex rerum Græcarum ignoratione, tribuunt; Constanti nimirum, Heraclij minoris filio, maioris nepoti) nauibus armatis, duos e proceribus suis (filios ipsi vocant, ex alienarum, vt dixi, rerum imperitia) magno cum militum numero persequi abscedentes iussit. Hi quum accelerata nauigatione, classem hostilem adsequuti fuissent: pugnatum nauali prælio maxime terribili, continuo diei noctisque spatio; quo quidem ingens vtrimque mortalium multitudo partim cæsa, partim maris fluctibus obruta periit. Abdulla Sarchæ filius, (Zargar a nostris quibusdam adpellatur) qui Sarcha sobrinus Osmanis Chaliphæ fuerat, ipsius propatruo natus, ita se tam inuadendis hostibus, quam suis ad dimicandum excitandis, fortiter hac pugna gessit: Vt ipsa maris superficies, prę sanguinis effusi copia, purpureum colorem indueret. Erat enim hic Abdulla, Sarchæ filius, magni vir animi, rebusque gerendis in primis strenuus: qui sæpius iniectis in hostium naues harpagonibus, mox cũ suis in eas insiliit, nec manꝰ cõserere desiit, donec & vectorib. interfectis, & defensoribus, expugnatas in potestatem redegisset. Is deniq; sagitta de duobꝰ illis Christianis proceribus alteri oculum eruit. Quod vbi factum Christiani vidissent, fuga saluti consulendũ censuerunt. Eius autem ineundæ quum nulla mari via pateret, suis ab hostium classe nauibus obseptis: in terram exscensione facta, quod a fugientibus fieri solet, hinc inde dispersi sunt.

ſunt. Abdulla quoque, Sarchæ filius, in terram cum ſuis ſe contulit: & fugientes inſecuti, nō exiguam gladiis ſuis eorum ſtragem ediderunt. Proceres illos duos captos, in crucem egere: ceteros Chriſtianos partim occiderunt, partim vita condonata ſeruituti manciparunt. Infinita denique cum præda ſoluerunt, Damaſcum reuerſuri: quo in itinere templa Chriſtianorum ab eis CX, cum XIIII caſtris, fuerunt euerſa. Imperator Chriſtianorum tantæ cladis accepto nuntio, præ animi dolore ac iracundia, ſibi manus adtuliſſe traditur a Muhametanis: quod a vero diſcrepare, de noſtris liquet hiſtoriis.

Quippe Conſtans Auguſtus id temporis in Siciliam, Conſtantinopolitanis infeſtus, commigrauerat: & poſtea Syracuſis in balineo, capiti ſitula grauiter impacta, per inſidias interemtus periit. Sed alius ei filius erat, inquiunt Turci, cui nomen Conſtantinus. Is paterno in regno ſucceſſit. Hoc ab eis recte traditur. Habuit enim Conſtans filiū Conſtantinum, natu maximum; qui a morte patris, vt ortos in Sicilia motus componeret, genis prima lanugine veſtitis Cōſtantinopoli ſoluens, barbatus rediit: ideoque Pogonati, ſiue Barbati nomen, a populo Conſtantinopolitano tulit. Sed addunt Agareni hoc loco fabellā, quam equidem non illubenter referam lectoribus: vt adpareat, quā id temporis homines efficaci quadam erroris vi cæcati, non ſolum apud Græcos, & noſtros, verumetiam apud Muhametanos excogitandis anilium fabularū deliriis, & commēticiis ſanctorum quorumdam miraculis, totos ſe dederint: propemodum vt in hoc etiam genere cum noſtris, vtri ſuperiores eſſent, contendiſſe videantur. Regnum, inquiunt, adepto Conſtantino, lux quædam ad ignotum Chriſtianis Zubi-Enſaris ſepulcrum radios ſuos emittere cepit: qua Conſtantinus animaduerſā, prodigioſi ſplendoris eam loco habuit, & ibidem quoddam ædificium, cuba ſiue tholo globi formam referente tectum, conſtrui iuſſit. Statim huius prodigij viſendi gratia, magnus hominum concurſus exſtitit; ac nouo quoque præpotentis & iuſti Dei miraculo (verba Muhametanorū referimus) aquæ viuæ, ſuauis, & ſalutiferæ fons iſtic repertus fuit: cuius quidē fontis aquam illorum locorum homines ampullis, aliiſque vaſis exceptam, ſecum in Franciam, (ſic Turcos Italiam dicere monuimus) & quaſuis alias in regiones deportabant. Quippe Panacea quædam, curandis omnis generis morbis, erat. Itaque propter inuſitatæ lucis radios, & aquæ fontis huius efficaciam, magno in honore ac veneratione monumentum Zubi-Enſaris habebatur. Non ouum ſimilius ouo, quam hæc gemina pleriſque noſtrorum narrationibus eſt fabula. Sed audiamus & aliam expoſitionem, quæ tamen in vno dumtaxat a me reperta eſt Verātiano codice: cuius interpres fuiſſe videtur Græcus aliquis, linguæ quidem Turcicæ gnarus; ſed Italicæ, qua vſus eſt in reddendis Turcorum commentariis, admodum rudis. Eos X libris diſtinctos, ipſemet ad initiū codicis adnotauit ſcriptos Sultani Baiaſitis II tempore, videlicet a centum plus minus annis. In Haniualdana vero hiſtoria, quam Murates begus, primarius Portæ Dragomanus, e Turcicis monumētis ceteroqui pleniorem, ſed admodū barbare tranſſcripſit, omnino non legitur. Videamus ergo, quæ a ſuperioribus diſcrepātia, de morte huius Zubi-Enſaris, hic nobis auctor referat. Quum Zubi-Enſar, ait, Conſtantinopolim adpuliſſet, & vrbem partim claſſe, partim militum corona cinctam, non exiguas ad anguſtias adegiſſet: vſuuenit, vt pariter & Iſſlami foris ſuas experirentur moleſtias, & obſeſſos intra vrbem Giaferos, præter incommóda cetera, fames ac rerum inopia neceſſariarum premeret. Giaferi coacto concilio, ac deliberatione inſtituta, tamdem in eam diſceſſere ſententiam, vt ad hoſtēm legati cum mandatis huiuſmodi mitterentur: Chriſtianos ſcire cupere, cur tā ptinaciter vrbis obſidionem vrgerēt, cuius ipſi deditionē prius facturi non eſſent, quā ad vnū omnes interiiſſent. Numquā vero ad extremum illud diſcrimē obſeſſos adductum iri. Si quid aliud ſibi propoſuiſſent, quod conſequi cuperent; id ipſum ad vrbanos referrent. Habituros de re conſilium; ſuamque ſententiam viciſſim renuntiaturos. Minime cogitarent, ignotam ſibi eſſe condicionem rerum omnium in caſtris & claſſe hoſtiū, & quibus iam

πανάκεια.

cum difficultatibus cōflictari cepiſſent; quum tamen hactenus vrbem capere non potuerint. Si perſeuerarēt temere, creſcentibus indies incommodis, multo minus vrbe potituros. His intellectis, Zubi-Enſar proceres ſuos ad ſe conuenire iuſſit: vbi conſultatione propoſita, nemo non fatebatur, vere dici a Giaferis, difficiliorem in poſterum futuram vrbis occupationem: quod in caſtris annonæ pænuria laboraretur, & ipſi milites exhauſti variis ærumnis eſſent. Nihilo tamen minus conſtare, Giaferos etiam valde debilitatos intolerabilia pæne mala perpeti. Quamobrem placuit, ſignificādum obſeſſis; nihil aliud Muſulmanis adeo in votis eſſe, quam vt eis in templo ſanctæ Sophię duos hymnos, inuocandi numinis cauſa, pronuntiare fas eſſet. Futurum quoq; ſperabant, vt huic ipſorum deſiderio Chriſtiani nō admodum aduerſarentur. Exiſtimaturos non magni rem momenti, ſi conceſſa Muſulmanis facultate duos hymnos intra Cōſtantinopolim dicendi, ſe pariter ac ſuos tam graui obſidione liberaſſent. Simul aiebant iiſdem indicandum, hoc in ipſis inde proficiſci deſiderium; quod accepiſſent a propheta ſuo, paradiſum ei patere, cui duos hymnos in templo ſanctæ Sophiæ Conſtantinopolitano profari licuiſſet: idque quum ipſis ad animum acciderit, rem adeo factu facilem, & ſanctam, ab eis petere voluiſſe. Quum hoc reſpōſum Chriſtianis datum fuiſſet, imperator ipſorum, aduocato Senatu, dicere ſententias ordine iuſſit; an e republica fore videretur, Agarenos in vrbē, & ſacræ ſanctæ Sophiæ tēplum, ad concipiendas preces, admitti. Tum vero omnes vno ore dicere, non committendum, vt hæc cōſeruandæ vrbis & imperij tam optata occaſio ipſis e manibus elaberetur. Nihil factu facilius. Abſque hoc ſit, actum de republica videri. Miſſus igitur ad Zubi-Enſarem, qui nuntiaret: Nimis magnas Chriſtianis Agarenorum copias videri, quarum in vrbem ad dicendas preces ingreſſus, nec periculo cariturus, & finem nullum habiturus eſſet. Delecti dumtaxat ex omni Saracenorum numero præcipui venirent. Eis ſe poteſtatem tum in vrbem intrandi, tum voti ſoluendi facturos. His auditis, abunde ſatisfactum iri deſiderio ſuo reſponderunt Iſlami, ſiquidem ex omni multitudine totius exercitus mille tantummodo ſelectis aditus in vrbē, & nobile delubrū illud Sophianum pateret. Quum id ſignificatum imperatori fuiſſet, vltro permiſit; vt ex illis mille, fas eſſet quingentis ſimul in vrbem ingredi. Placuerunt vtrique parti condiciones, ſed adiecta tamen etiam ea lege, vt Agareni ad vrbem mari accederent. Itaque Zubi-Enſar cum quingentis ſuorum, ętatis maturę, & exiſtimationis pręcipuę, naues ingreſſus; mari traiecto, quādam ad vrbis portam adpulit, quam id tēporis Portam Pectinis ex eo nominabant, quod in aduerſo litore trans ſinū Ceratinum ſiue Cornutum, †Barbyſes amnis exiguus; quem nunc quoque Pectinem vocant, propter S. Mamantis ædem antiquam, in ipſum ſinum e regione huius portæ ſemet effundat; & quod eorū locorum incolæ, tam emporij Mamantiani, quam proximi vici Pectinochorij, ſinu tranſmiſſo, per hāc portam in vrbem venire ſoleant. Ab ea porta deinde recta itur ad S. Sophiæ fanum. Per hanc igitur ingreſſuris adempta fuerunt arma, quęcumque ſecum adtulerant: dicentibus vrbanis, ea ſe reddituros, quum exituri eſſent. Tradiderunt arma ſua non inuiti Muſulmani, deductiq; recta per vrbem fuerunt a Giaferis ad ędem Sophianam: quam ingreſſi, ad temporis interuallum non magnum ibidem hæſerunt, dū preces ſuas abſoluerēt, ipſumque templum hinc inde obambulando inſpectarent. Ab altera parte Chriſtianos iam pœnituerat, in vrbem Muſulmanos, & in ædem Sophianam admiſiſſe: tandemq; de dolo malo, & circumueniendis ipſis, cogitare ceperunt. Erat id temporis in vrbe Calogerus ſiue monachus quidam, auctoritatis eximiæ: cuius verbis, quidquid diceret, maxima fides ab omnibus tribuebatur. Is intra vrbem, e regione oppidi Galatæ, quodam edito in loco manſionem monaſticam, operis & ſtructuræ magnificæ, in qua degeret, habebat. Sultanus quidem Muhametes, quum aliquot ſecūdum hæc ſeculis elapſis, Conſtātinopoli potitus eſſet; †Eski-ſaraium, ſiue palatiū vetus exſtructurus, a Genizaris templum illud dirui iuſſit: in quo deiiciendo dum occupati eſſent, ruina quædam fani ſubita ſic eos oppreſſit, vt non

non exiguus ipsorum numerus interiret. Calogerus igitur ille, quum quid actũ esset, accepisset: indignitate rei, velut ipse quidem arbitrabatur, grauissime commotus, e mansione sua prodiit, vt imperatorem cõueniret. Imperator vero cum vniuersis militũ suorum copiis iam arma ceperat, & aciem suorum struxerat; quod cum pænituisset admissorum in vrbem Musulmanorũ, metuentib⁹ vniuersis, ne quid illi ex improuiso turbarum darẽt. Vbi propius hic ad eos Calogerus accessisset, comarum & barbæ pilos euellens, vt comati barbatique sunt monachi Græci: Quid hoc fœdæ rei est? clamitat. Itane profanos illos Agarenos in sanctissimum religionis nostræ fanum, polluendi eius causa, immissos oportuit? Ad ea Christiani, qui cum principe suo istic aderãt: Quid aliud faciamus? inquiunt. In magnis rerum difficultatibus versamur. Si hac via non remouemus istos a nobis, parum profecto ab interitu absumus. Quippe nobis etiam inuitis per vim occupabunt vrbem. Præstat igitur hoc fieri, quam nos, coniuges, liberosque nostros, in seruitutem abduci. Tum Calogerus ille: Non potest quidem, ait, quod factum est, infectum fieri: mea tamen opinione nequaquam committendum, vt hi Muhametani ex vrbe salui & incolumes euadant. Imperator, his auditis: Tu vero nobis, o Calogere, subiicit, quid tibi videatur, exponito: quo nos intellecto consilio tuo, & ab hisce proceribus nostris adprobato, tibi pareamus. Et Calogerus: Hi Arabes, ait, qui nostram in vrbem intrarunt, inermes sunt. Exeundi ad mare facultatẽ eis ne concedamus, sed ad visendam vrbem nostram ipsos inuitemus. Interea portę vrbis omnes occluduntor, & ad singulas armatorũ numerus aliquis collocator. Inde nudatis eos gladiis adoriamur, & ipsi ad portas vrbis cõfugientes, in nostros illic armatos incident, & trucidabuntur. Hoc modo vniuersos ad vnum vsque necabimus, vt nullus supersit, q̧ vel nuntium in castra referat. Mox obtemperatum Calogeri consilio, nec permissum Musulmanis, vt ad mare recta redirent: sed inermes circumducti per vrbẽ fuerunt. Quum puentum esset ad templum Calogeri eius, de quo diximus: mox ille cũ armatorum manu quadam erupit, qui subito cum gladiis suis Musulmanos inuaserunt. Hi vero se tueri, ac prœlio cum eis cõgredi cupiebãt: sed armis idoneis destituebãtur. Itaque correptis alij saxis, alij lignis, aliis alij reb⁹ obuiis, etiã pugnis quidam se defendere ceperunt. Vi quærendum clamant exitum, seque mutuo quacũq; possent via iuuantes, ad vrbis portas pedetẽtim cedendo cõferunt. Sed reliquas ad portas inuentis hominibus armatis, qui recta in accedentes Saracenos pergebãt; tamdem ad † portam perueniunt, Imperatorio palatio vicinã, Egri Capi nũc nominatam, vocabulo significante portam obliquam: infra quam turris est, & exterius in vrbis fossa, columna marmorea. Priscis vero temporibus aiunt magnum quemdam, & iustum imperatorem fuisse, qui propter illam turrim, vbi est indicata iam columna, * palatium ingens habebat, in quo plerumque solebat degere, subditorumq; suorum caussis & querellis cognoscendis operam dare. Ad illam quoque marmoream in vrbis fossa columnam, catena quædam erat, cuius extremitas altera pertinebat intra palatium augustale, de quo dictum. Siue igitur alicui facta fuisset iniuria, siue quæ lites alioquin, & controuersiæ inter subditos exstitissent: huc concurrebant omnes, vt eas ad imperatorem deferrẽt, qui libens vniuersos audiebat. Si qui vero non reperissent eum loco solito, catenam columnæ adligatam mouebant: quo facto, prodibat imperator, & causa cognita, cuique ius suum tribuebat. Eorum temporum principes, inquiũt hoc loco Turci, cognoscendis finiendisque litibus ipsimet operã dabãt, nec vlli hominum iniuriam fieri permittebant: q̧ sibi persuasum haberent, hoc modo se nullis futuros in altera vita pœnis & cruciatibus obnoxios. Nunc tamen comitatus, vel aula, siue Porta principum illic esse nõ solet, sed in ædificiis ruinosis mera solitudo est. Quũ igitur ad obliquam portam Musulmani venissent, versus arcem Pentepyrgum siue Quinque turrium descenderunt; vbi paullo inferius est alia quædam porta, quam Islami nostri, ait auctor, diuino beneficio apertã inuenerunt. Hac vero exeuntibus, occurrit foris & alia: per quam dum Zubi-Ensar cum suis egreditur, ab iis hostib⁹,

† *Quære portam vrbis xij. cap. Pandect. 200.*

* *Magnaura vel Pentepyrgus intelligitur. Vide portam xj. dicto cap.*

qui cōsistebant in mœnibus vrbis, adeo graue pondus in humeros eius deiectum fuit, vt in faciem subito collaberetur. Heic dum illi Musulmani, qui cadenti proximi erant, sub alis adprehensum erigunt; rursus cum hostes e turri vicina letali sagittæ vulnere feriunt, quo statim extinctus, & Sehidorum siue beatorum numero fuit adgregatus. Quum autem Musulmani viderent, se cadauer Zubi-Ensaris secum auferre non posse: sic terra defossum tegere statuerunt, vt a Christianis minime res animaduerteretur, nec iniuriæ causa refoderetur. Itaque dum confertim geminos intra muros vrbis dimicant, terram aperiunt, ac mortuum celeriter abdunt; nullum vt sepulturæ vestigium, solo pugnantium pedibus admodum conculcato, exstaret. Inde fuga saluti suæ pro viribus quisque consuluit, & maxima tamen pars tam in vrbe, quam illic ab hostibus cæsa, pro lege sua felici fato quodam occubuit. Reliqua multitudo militum in castris, quod annonæ pænuriam, ceteraque diutius incommoda tolerare non posset; conscensis nauibus, & obsidione soluta, discessit. Christiani, quod exhaustos plane Musulmanos existimarent, armata classe discedentes a tergo sunt insecuti. Quid autem gestum deinceps inter eos fuerit, quum vna classis ad alteram peruenisset; hoc loco repeti non debet, quando superius est expositum. Refert tamen idem auctor, hoc etiam tradi ab aliis; eum, qui duos intra muros vrbis cōditus sit, Zubi-Ensaris fratrem fuisse. Nā captus, inq̄t, hoc ille conflictu, & in carcerē turris coniectus, q̄ huic est portæ vicina; tamdē a Christianis e fenestra turris p̄cipitatur, & quo ceciderat loco, morit̄ ac sepelitur. Sed Vlemæ (sic doctos & historiæ peritos adpellāt) plerique oēs adserunt, intra geminos vrbis muros Zubi-Ensaris esse sepulcrū. Hoc autem loco satis multa fuere conspecta prodigia, quorum causa monumentum illic exstructum fuit, ad excitandā mortalium religionem. Dei quoque nutu, ait, supra caput eius enata cupressus, & fons exortus est, iuxtaq; fontē effossa cisterna. Populi vero numerosa multitudo huc adcurrens, partim se aquis illis abluebat, partim febrium inde remedia q̄rebat. Sultanus etiā Muhametes, capta Cōstantinopoli, post aliquod tēpus hoc monumentum refici iussit: quo quidem tēpore vox audita fuit ab operis ex abdito loco, q̄ illis cōpellatis diceret: Quousque tamdem pedibus nos conculcatis? quasi si nō vnus, sed ambo simul istic essent. Habent lectores hanc quoq; narrationem, quę cuicuimodi sit, (ex parte fabulosam esse, nemo nō videt) ob indicatas antea causas omitti non debuit. Nūc ad historię seriem redeamus. Post expositā hactenus vrbis obsidionem, elapsis annis XL, quum a migratione prophetæ XCII numerarentur anni: Suleiman, Abdullę filius, qui rerū id tēporis apud Musulmanos potiebat̄, Vezirē siue consiliariū suū p̄cipuum, Omerē Azizis filium, (q̄ & Abdul-Aziz adpellabat̄, veluti seruus Dei Aziz) e sorore sua natum, cum LXXXCIↃ exercitu cōtra Christianos misit. Hoc rō tēporum docet accidisse Philippico Bardane Augusto imperāte. Nā ab anno quinto Constantini Pogonati, quo septennalē vrbis obsidionē desiisse diximꝰ, ad hunc Philippicū Bardanē annorum XL spatiū effluxisse cōstat. Omer igitur, expeditione suscepta, multoties in hostē pugnauit, & aliquot Græcorum cū opidis regiones cepit. Inde Constantinopolim obsidere instituit, & qua terræ vrbs iūgitur, occupatis omnibꝰ locis, extremā vastitatem intulit. Quumque nullam eius expugnandæ viam inuenirēt, castella cum opidis, & omni agro finitimo depopulati, versus † Castamonē ac Sinopen abductis copiis, discesserūt. Castamon integri obsidionem & oppugnationem anni sustinuit, cuius capiundæ spe abiecta, Damascum reuersi sunt. Quinq; secundum hæc abierunt anni, a Muhametis vt obitu XCVII numerarent̄: quū Suleiman, Abdullæ, vel Abdul-melici filius, (nomē idē est, altero regē Abdullā significante) Omeri sororis suæ filio, duciq; suo Muslimi, q̄ Masalma vel Maslama Græcis nominat̄, CXX millia militū tradidit. Hoc illi accepto exercitu, in hostem p̄fecti, tamdem in Aidin-Zico sibi locū ad hibernandum delegerunt. Vbi vernum tempus adpetiisset; vlterius progressi, Cōstantinopolim obsidione tam arta cinxerunt: vt omnium rerum pænuria pressi, qui erant in vrbe Christiani, stercoribus humanis vescerētur: Musulmani vero manducādis herbis

† Confide Pan. cap. 6

herbis ægre vitã ſuſtinerent, vt ipſi quidem ſuis in monumentis memorię prodiderunt. Nam Græci, qui ſtatim in ipſis auſpiciis imperij Leonis Iſauri Auguſti (Muhametanorum hiſtoriæ nominant Ilianem) hanc obſidionem volunt inchoatã, & alterum in annum continuatam ſcribunt, adeo grauem in Arabum quoq; caſtris exortam famem meminerunt: vt non extinctorum dumtaxat animalium, ſed humanorum etiam cadauerum carnes, & excrementa propria; cõtritis & immiſtis herbarum radicibꝰ; coquerent ac deguſtarent: eamque famem ſequutum referunt peſtilentem morbum, quo infinita mortalium multitudo perierit. Neq; tamen hę tam dirę difficultates eos impellere potuerunt, vt infectis rebus ab vrbis obſidione diſcederent. Omer denique, Abdul-Azizis filius, trans ſinũ maris, e regione Conſtantinopoleos, opidum Galatam ædificauit, vnde Cõſtantinopolim premeret; eiq; Medinæ nomen ab illo indidit opido, in quo ſepulcrum Muhametis eſt. Ea res vrbi aduerſæ graue damnum adtulit, & animos eorum, qui obſidebantur, non parum fregit. Inde Suleiman, Abdul-melici filius, ad obſidionẽ duobus illis ducibus relictis, Omere ſororis ſuæ filio, & Muslime, Damaſcum rediit. Quum autem obſidendi finem hi nullum facerent, & vrbani ad extremã rerum omnium inopiã redacti eſſent: certis tandem condicionibus & pactis bellum compoſitum fuit, vt obſeſſi LCIↃ hummûm aureorum ſoluerẽt, totidemque ſingulos in annos tributi nomine Saracenis penderent. Ex aduerſo Muſulmani mancipia, Chriſtianorũ e terris, vel Tripolim, vel Damaſcum, vel Cairum abducta, viciſſim reuocata collectaque Chriſtianis reſtituerent. His legibus inita pace, Damaſcũ Saracenorum exercitus reuerti cepit. Miſerat iam ante Conſtantinopolitanus imperator in Italiam, ſuo parentem imperio, ſignificatum populis eorum locorum, quo in ſtatu res Orientis eſſent. Illi magnis militum coactis copiis, claſſem armarunt, quæ ſuo principi ſuccurreret, eamque ſine mora dimiſerunt. Hæc Francorum vel Italorũ claſſis, vbi iam Saraceni obſidione ſoluta Cõſtantinopolim reliquiſſent, ad eorum claſſem adpulit: & obſeſſo mari, vias omnes occupauit, quibus in Suriam redeundum erat. Omer cõiunctis cum duce Muslime copiis, in Chriſtianos prouehitur; totumque triduum cum trinoctio, præliis acerrimis aduerſus Chriſtianos dimicat. Interea Conſtantinopolitanus etiam imperator, violata pacis, & initorum non ita pridem fœderum religione, cum c nauibus aduolat. Eo conſpecto, duces Arabum, Omer ac Muslimes, ſuas in terram expoſuere militum copias. Idem mox a Chriſtianis etiam factitatum. Hinc velitationibus continuis alteros alteri toto triduo exercuerunt, in quibꝰ ſemper Muſulmanorum potior erat cõdicio. Tamdem Omer ac Muslimes occepto tegbire, (ſic Agareni clamorem ſuum militarem vocare ſolent, quo pugnæ principium facturi, ter vnius Dei nomen lingua ſuã repetunt, Alla Alla Allahu, idq; Allã tegbir, vel Egbir adpellant, voce ſignificante, Deum vnum eſſe) cum ſuis in hoſtem irruunt, acies aduerſas perrumpunt ac diſiiciunt, obuios quoſque vel trucidant, vel in mare fuſos adigunt, captos Chriſtianorum proceres Bagdatim ſecum auehunt. His Imaniam, ſiue religionem ac legem Muhametis acceptandam Muſulmanorum princeps obtulit: quã illi quum ſe negaſſent amplexuros, in cruces acti fuere. Muslimes a pugna, de IↃCC nauibus Chriſtianorum, quas ceperat, CCC exuſſit: reliquas, repetito Damaſcũ verſus itinere, ſecum abſtulit. Hęc Agarenorum eſt, de hactenus expoſita Suleimanis & Omeris expeditione, narratio. Sed Græci rebus omnibus ab hac diſſidentia tradunt, quorum in editis hactenus hiſtoriis quũ tenuiores ſint expoſitiones: libet e manu exarato libro, Græce luculenter elaborato, ſed propter amiſſum initium, auctoris incerti, pleniora quædam hoc loco Latine deſcripta ſubiicere. Maſalmas, ait, quum Abydum adpuliſſet, infinitaſque militum copias in Europam traieciſſet; verſus vrbem duxit. Simul ad Solemanẽ, Protoſymbulum ſuum, ſiue primum a conſiliis, litteras dedit: quibus ei litteris mãdabat, vti cum claſſe quãprimum accederet. Itaq; xv menſis Auguſti die propter vrbis terreſtrẽ murum cõſedit, valloq; mœnib. obiecto, vicina Thraciæ loca grauiter infeſtauit. Alterius ab hoc

mensis die primo, cum classe Soleman (Cedrinus Suphiam, corruptum ex Suleimane nomen habet) adpulit. Habebatis prægrandes,& ad vsum belli factas naues,& dromones admodum magnos. Imperator his instructas igne naues immisit,& tam numerosa formidabiliaque nauigia succendit, quorũ alia dum flammis absumerentur, ad maritimos vrbis muros reiecta, cum ipsis alia vectoribus in profundum mare demersa, nonnulla sic, vti conflagrabant, ad Oxeam Plateamque (Propontidis insulillæ sunt, in vrbis cõspectu sitę) delata fuerunt. Hinc aucti magnopere ciuibus animi. Verno secundum hæc tempore, lues eos cum fame pestilens inuasit, & infinitam ipsorum multitudinem extinxit. Qui superstites mansere, prœlio cum Bulgaris in Thracia congressi, XXIICIↃ suorum amiserunt. XV mensis Augusti die, quum ventus longe vehementissimus flaret, quidam ad Prœconesum, (haud procul a Calliopoli sitam in Hellesponto insulam) & ad alia litora perierunt: alij nube quadam grãdinosa & exitiali superueniente, cum impetuoso vento, simul omnes submersi fuere. De mille nauibus, & octingentis, quinque cũ admiratione dumtaxat euaserunt incolumes, ac domũ suis rei gestæ, Romanæq; salutis & victoriæ nũtium pertulerunt. Hęc ergo sunt, q̃ Græcorũ in historiis recitãtur. Vtrorũ narratio verior sit, facile prudẽtiores æstimare possunt. De ceteris vt nihil addam, confundere profecto Saraceni videntur ad vrbem ab Omere gesta, cum iis, quæ vel ante, vel post obsidionem, & alibi contigerunt. Hinc illud de Christianis ad Imaniæ, siue Muhameticæ legis professionem inuitatis, nostrorum etiam historiæ, sed paullo aliter referunt: Vmarum videlicet, (sic Omerem vocant) edicto proposito, Christianos in regni sui prouinciis impietatem Muhameticam amplecti iussisse. Qui paruissent, a soluendis tributis fuisse liberatos: qui nõ paruissent, occisos. Secundum hæc, iamdudum mortuis Musulmanorum principibus, Omere filio Abdul-Azizis, & Azize filio Abdullæ, quum ab exposita Constantinopoleos obsidione XXX plus minus anni præteriissent, iamque CXXV anni a migratione prophetæ numerarentur: ad Meruanem, Hacemis filium, rerum apud Musulmanos administratio peruenerat. Is expeditione cum CLCIↃ hominum contra Christianos suscepta, Constantinopolim adpulit, eamque sex mensibus terra marique, admota classe, quam maximam adduxerat, obsedit. Erat, de sententia Muhametanorum, id tẽporis imperator Herchil, filius Ilianis; quem Gręci Leonis filium Cõstantinum, cognomine Copronymum, vel Cauallinum, ab excrementis in baptismi lauacrum reiectis, adpellant. Debilitatis tamdem Christianorum viribus, compositionis quædam, ac pacis inita ratio fuit, & inter alia transactum, vt in vrbibus messitæ siue templa, Musulmanorum ad vsum, exstruerentur; & preces eæ, quæ Nemasi dicuntur, & quinquies haberi statis interdiu noctuque temporibus solent, in iisdem, celebrarentur. Id intra Constantinopolim quoque permissum vt fieret, a Musulmanis quidem traditur; at Græcorum in historiis nusquã reperitur. Sane consentaneum vero videtur, Muhametanos id magno, pluribus a sæculis, non adfectasse tantum, sed etiam vrsisse studio: sicut & †Græcorum in historiis legitur, sub Palæologis principibus, cogente Sultano Baiasite primo, nõ admissos dũtaxat in vrbẽ fuisse Musulmanos, sed ẽt cõcessum, vt Cadio, vel episcopo, siue ꝑtore suo, q̃ ius eis tã in rebus sacris, quam politicis diceret, vteretur. Impudentia vero Saracenica factum, vt in id, quod ipsi tam diu tãto flagitassent opere, Christianos deniq; cõsensisse scriberent. Ita nimirum hodieq; pangẽdis induciis & fœderibus magna quædã, more barbarorũ, & quidẽ insolenter postulare solent: ac modicis impetratis, ea captiose interpretando, largissime distendunt. Iisdem temporibus, sed non paucis ante Meruanis regnum annis, potiente rerũ apud Musulmanos Haceme, (Hisamum Gręci vocãt) Meruanis patre, capta fuit a Saracenis Caisaria Rumilię, qua q̃dem expeditione thesauros, ꝑpemodũ infinitos, cũ pacto tributi LCIↃ nummũ, in annos soluẽdi singulos, cõsequuti fuerunt. Hæc a Græcis ẽt cõmemorant, indicãte Cedrino, Masalmã Hisami ducẽ, Cæsaream Cappadocię metropolim ann. x. Leonis Imperat. expugnasse. Post illa vero, q̃

de

de Meruane paullo ante dicta sunt, elapsis XIIII annis, quũ a migratione Muhametis ageretur annus CXXXIX, (imperij Copronymi secundum Græcos vigesimus quartus) regnãtib. apud Musulmanos Abbasileris, Abbasis illius posteris, quẽ supra Muhametis adgnatum & adfinẽ fuisse diximus, Ebubekiris Chaliphæ filium: natus hac Abbasia gente Iachsis; (Iachiã alij nominãt) Alis filius, cũ LCIↃ hominum Christianos inuasit, & vrbem *Malatien, (Melitinã Græci dicũt, & ante hoc tempus a Copronymo recuperatam fuisse referũt) totũq; Malatiensem agrum in potestatẽ redegit. Prętereα captos mille vastauit pagos, & hominũ vltra XXCIↃ seruituti mãcipauit. Inde cum suis Constantinopolim perrexit, & frequenter in hostẽ pugnando, supra XCIↃ Christianorũ occidit. Quum vrbis denique capiendæ conatus in irritum cecidisset, abductis copiis, ad sua reuersus est. Hunc Symeon Officiorum Magister Audalam, principem Arabum vocat, & XXI annis imperasse scribit, ac tributorum pensitationem Christianis imposuisse grauiorem: quum monachis omnibus, & inclusis, & sessitãtibus in columnis, aliisque gratam Deo vitam exigentibus, immunitate tributorum ademta, cogi ad eorum solutionem vniuersos iussisset. Ecclesiarum etiã archiua, quibus illarum thesauri cum cimeliis continerentur, obsignauit: & indidem ea rapta, Hebræis obtulit, ac distraxit. Habdallam vocant alij, quod potius esse cognomen videtur, a ficticia pietate sumtum; quasi Dei seruus esset, qui Abdulla Saracenorum lingua dicitur. Nomen equidem verũ id puto, quod Muhametani tradunt: quib. pater etiam rectius Alis, quam Alimus nostris, adpellatur. Abierunt hinc anni XVI, & CLV numerabantur a morte Muhametis, quum extincto Herchile, siue Cauallino, Græcorum imperatore, filius ei succederet, quem Ilianem Turcicæ, nostrorum historiæ Leonem vocãt. Eo tempore Musulmanorum dux Harone-resides, cum exercitu CLCIↃ, expeditione instituta, Constantinopolim venit, & IIII eam mensibus obsedit. Quumque Christianorum in angustum redactæ res essent, pax inita certis fuit legibus; & inter alias, vt in vrbe pro Musulmanis messitæ siue templa conderentur. Id factum fuisse nugantur hoc quodam modo, fabellam de poëtarum extraneorum figmentis mutuati. Nam cur eam non referamus? e Græcorum deinde monumentis illa subiecturi, quæ magis veritati sunt consentanea. Lex pacis, inquiũt, a Seidi Zafere Gasi, (nomen est viri proprium Zafer, Seidi dominum significat, Gasi bellicosum vel strenuum) Christianis hæc data fuit; vt ei tantum in vrbe loci concederetur, quantum bubulæ pellis esse spatium posset. Quum adnuissent Christiani, pellem bubulam Zafer in minuta lora cõscindit, ac loris extensis, non exiguam vrbis partem occupat. Inde iussis migrare Christianis, plus minus mille pro Musulmanis ædes, cum X messitis, exstructę fuerunt. Quumque tributum X annorum præteritorum a Christianis fuisset exactum, deque soluendis in posterum L CIↃ aureorum quotannis, inter eos iterum conuenisset: Bagdatim cum exercitu Harone-resides reuersus est. Vix annus abierat, quum violato fœdere, coacti fuerunt ab Iliane Musulmani, quotquot in vrbe degebant, vt ei tributum penderent. Simul ex ipsis non paucos interfecit. Qua de caussa graui exorto tumultu, vicissim magnus Christianorum numerus a Musulmanis cæsus fuit: adeoque pugnatum pertinaciter in Aia vel Hagia Sophia, riuus vt quidam humani sanguinis e templo manaret. Ac licet ad V vel VI millia Christianorum interiissent, tamen his tamdem victoria potitis, vel occisi fuere, Sehidique seu martyres facti Musulmani, vel in seruitutem abrepti. Secundum hæc, inquiũt, exiguum tẽpus intercessit, quum Ilianis filio † Iegfure patris in imperio successionem adepto, rursus Harone-resides, Zafere sibi adiuncto, classem instruxit, & maximis cũ copiis supra Constantinopolim irruit: tamdemq; victor, multis hominum millibus interfectis, & viginti mancipiorum millibus abductis, Bagdatim cum exercitu rediit. Hæc ordine recensere volui, quemadmodum ab Agarenis partim suæ superstitioni & gloriæ fauentibus, ideoque sibi non vera quædam adrogantibus, partim recte commemorata sunt: vti sane rationem temporum satis apte constare, certum est. Nunc de iisdem Græcorum expo-

sitiones, præsertim solidiores e libris nostris manu scriptis, inspiciamus. Expeditio prior Harone-residis, computatis XVI annis a vigesimoquarto Copronymi, qui trigesimum sextum imperij annum adtigit, in Leonis, Copronymi successoris & filij, quartum annum incidit: quo tempore necdum Harone-resides Agarenorum regno potiebatur, sed paternas copias ductabat. Patri nomen erat Madi, secundum Græcos, quod ex Muhammadi, prioribus syllabis duabus detractis, mutilatū paret. Quippe Iachsi, Alis filio, successisse traditur Muhammad, trito admodum apud Arabas cognomento Abdulla: cuius filius Harone-resid, Græcis in historiis Aaron nominatur. Hic igitur, vt in Symeoniis perscriptū legimus, quum a patre contra Leonem Augustum missus, prouincias Romanas grauibus detrimentis adficeret: vicissim concitatus ad defensionem suorum, iustamque vindictā Leo, collectis reipublicæ Romanæ exercitibus, ad centum millia suorum in Suriam contra Saracenos ire iussit; ducibus horum constitutis, Michaële cognomento Lachanodracone, Thracesiorū prætore, (sic Bithyni tunc, ab incolis huc e Thracia profectis, de sentētia quorumdam adpellabantur: quum Constantinus Porphyrogennetes Imper. nomine Thracesij thematis totam minorem accipiat Asiam) & Artauasdo Armenio, prætore Anatolicorum vel Orietalium, quo nomine Phryges, Lycaones, Isauri, Pamphylij, & Pisidæ intelligebantur, vt idem Constantinus ait. His in Arabes ducentibus, quum acerrime confligeretur; vno prœlio V ceciderunt Amirades Arabum, (sic Emires Græci vocant) ac militum Arabicorum ad XVI millia. Græci vero (qui se dici tunc, vt in hodiernum adhuc diem, Romanos auebant) pauci desiderati fuerunt, & ij non alicuius nominis: adeoque victoriam illustrem ac famosam obtinuerunt. Alium ergo finem hæc habuit expeditio, quam Muhametani tradiderint: ac multo minus ad infames illas Græcorum nomini pactiones descensum, vt Muhametani magnam vrbis partem incolerent, & ibidem suis in templis fœdæ superstitionis cultum exercitarent. Consentanea sunt his & illa, quæ

Qui Thracesij dicti.

deinceps fuere gesta. Nam Arabum principe Madi, tam aduerso Marte pugnati prœlij causa, graui quadam iracūdia succenso, sicut idē Symeon memoriæ prodidit, quū Leone Augusto mortuo, mater Constantini adhuc impuberis Irene copias Asiaticas vniuersas misisset ad obsidēdas clisuras, vel angustos montium meatus, & obseruandos Arabum excursus, præfecto suis Ioanne Sacellario: numerosus etiā ab ipso missus fuit Arabum miles, Ceuere duce, qui Muhametanis Zafer est. Quumq; Dorylæum vsq; progressis Arabibus, occurrissent inuicem sibi exercitus in loco, qui Moromilium dicitur, (Phrygiæ Philomilium prius fuisse nominatum videtur) & ad pugnam ventum esset: victi Arabes, multis suorum occisis, cum ignominia reuersi sunt. Ergo ne hoc quidem bello Muhametani prospero rerum successu fuerunt vsi, nedum vt a Græcis extorserint ea, quæ dubia fide de se iactitant. Accedamus ad eiusdem Aaronis expeditionem tertiam, qua quidem ex tam propinquo interuallo Constantinopoli copias admouit, vt castris ad Chrysopolim positis, quæ vrbi ex aduerso sita, Scutarium modo nominatur, solius Bospori perexiguo freto ab ea dirimeretur. Hanc opinor vrbis obsidionem dici a Muhametanis, qua tantopere Christianorum res adflictas fuisse scribunt. Ac non caruere profecto, propter insignem Græcorum imprudentiam, inopinato quodam, minimeque leui periculo, sicut ex eiusdem historia Symeonis intelligemus. Dum populus, inquit, Romanus (Græcos vult dicere) tumultu Siculo, aduersus Elpidium perduellem, occupatur: Aaron, Madis filius, ad bellum gerendum prodit, nimium quantis cum armatorum, & omnis generis instrumenti bellici, copiis; quas e Maurophoris, (Scythas accipe, sic dictos quasi nigriferos, voce recentioris linguæ Græcæ qua veteris Melanchlæni redduntur. Meminit & Cedrinus, Chrysaronitas eis adiungens, qui voce recte scripta Chorosanitæ sunt, extremi Persidis populi, Scythis siue Tataris illis nigrilænis vicini. Ortelius in Thesauro geographico genus hoc hominum non adgnouisse vr) & ex vniuersa Suria, Mesopota-

ſopotamia & Arabia deſerta collegerat. Cũ his Chryſopolim venit, relicto poſt ſe Vunuſo, qui Nacoliam Phrygiæ maioris obſideret, & a tergo tuta pſtaret omnia. Miſerat & in Aſiam quemdam Vurnichem, cum exercitu XXXCIↃ, vt Lachanodraconi, Thraceſiorum prætori, bellum faceret: qui manus etiã conſeruerunt in loco, Dareno dicto, non procul a Keſtandri fluminis fontibus: ſuperatuſque Lachanodraco fuit, cæſis in eius exercitu XV fere millibus hominum: & ipſe fuga inita, Caſtelium ſaluus euaſit. Imperatrix autem Irene, miſſo Domeſtico Scholarum Antonio, cum palatinis agminibus, amnis Sangarij regiones ad Ibanen vſque, vel Iuanen paludem, occupauit; cum † Pentegephyro Iuſtiniani: & hoſtibus hoc modo itinera præcluſit. Confugit id temporis ad Arabes Tatzatius, Buccellariorum prætor, (hoc eſt, incolarum Galatiæ) impulſus odio contra Stauracium, qui patricius, & rationalis curſus erat, inter eunuchos palatinos omnium primus, & qui res omnes adminiſtrabat. Hic Tatzatius Arabibus auctor fuit, vti fraudulenter pacem peterent. Quod quum Romanis gratum eſſet, exierunt in caſtra, nullis ab hoſte prius acceptis obſidibus, pacis ineundæ cauſa, proceres; Stauracius ille rationalis, Petrus Officiorum Magiſter, (id eſt, dux agminum Palatinorum) Antonius ſcholarum Orientis Domeſticus, vna cum primatum liberis: nec caute ſatis inter arma ſecuritati ſuæ conſulentes, capti fuerunt, & ad pacem componendam vi coacti: qua inita, multis Auguſta & Aaron ſe inuicem muneribus coluerunt. Inter alia conuenit, vt ſtatis temporibus talenta decem Arabibus penderentur; q hac pace facta, & obſidione caſtri Nacoliæ ſoluta, diſceſſerunt. Tatzatius etiam a Romanis vxorem ſuam, cum liberis, & omni ſuo patrimonio, rerumque ſoli pretio, recepit. Hæ ſunt igitur illæ clades vtrimq; datæ & acceptæ, ſed in prouinciis, non in vrbe Conſtantinopoli. Nec alterius expeditionis Arabum aduerſus Chriſtianos, Græcis in hiſtoriis mentio fit, dum Irenæ durauit imperium: niſi quod ſub Aaronis illa Chaliphatu, quum filio Conſtantino crudeliter excæcato, ſola iam rerum potiretur, (Symeonis verba refero) priſcæ illi Semiramidi, cæde mariti pollutæ ſimilis; mox Dorotheum, monaſterij Chryſopolitani præſidem, (Higumenon Græci dicunt, vt abbatem vel priorem noſtri) & Conſtantinum maioris eccleſiæ Conſtantinopolitanę Chartophylacem ſiue Chartularium, ad Abimelechum, depopulantem Cappadociæ regiones, pacem petitum miſit. Abimelechus vero adſentiri noluit, & in hæc verba legatis reſpondit: Cum proterua furenteque femina, quæ ſuo cum filio pacem colere non potuit, quonam modo pacem ipſe conſtituam? Sequuntur geſta ſub imperio ſucceſſoris Irenæ, qui falſo Muhametanis, per ignorationem rerum alienarum, Ilianis ſiue Leonis filius fuiſſe creditur, & Iegfur adpellatur, corrupto de Nicephoro nomine: quo regnante, tradunt Aaronem rurſus inuaſiſſe Conſtantinopolim. Sed rectius eum dixiſſent in Græcorum prouincias irruiſſe, maximiſque damnis eas, immo grauioribus, quam heic ab ipſis referatur, adfeciſſe. Nam conſtat, Aaronem cum CCC millibus Romaniam ingreſſum, nominatim Tyanis, & aliis in vrbibus ædes impietati Muhameticæ dicatas condidiſſe. Præterea quum aliorum, tum Symeonis noſtri commemorãt hiſtoriæ, Nicephorum infelici conatu aduerſus Arabes in Phrygiam duxiſſe copias: commiſſoque prœlio, multis amiſſis, ſuperatum fuiſſe. Quinetiam ad tam fœdas & ignominioſas eũ Muhametani redegere pactiones, vt XXXCIↃ nummũm in annos ſingulos prouinciarũ imperij cauſa ſe penſitaturum reciperet; in ſuum vero caput, inaudito cum dedecore, tria millia nummũm, ac totidem in caput filij, iam imperatoris deſignati, cenſus annui nomine conſtitueret.

ἐν τῷ καλουμένῳ Δαρηνῷ. Darium eſt Phrygiæ Stephano.

† Nomen a V montibus factum.

ἡγούμενος.

Hæc igitur eſt illa Chalipharũ maximorũ ſeries, cum pcipuis per eos aduerſus Chriſtianos geſtis rebus: quã a Turcis expoſitam, minime ſilentio præterire, nec omittere debui: quũ non pauca, Muhametanis & Turcicis rebus intelligendis idonea, cõtineat. Quinetiam lectorib⁹ adfirmare pro certo poſſum, veram Chalipharum ſeriem nos hactenus ignoraſſe. Id vero quũ ex aliis cauſis, tũ vel in primis inde profectũ; quod Chalipharũ in numerũ a noſtris pleriq; rece-

pti sint, qui nomen Emirum in historiis habet. Ego vero libens fateor, omnibus Chaliphis Emirum nomen competere: sed omnes Emires pro Chaliphis accipiendos, pernego. Sic Muauiæ titulus Emiris multo ante tribuitur in historiis, quam ad Chaliphatum peruenisset, etiam sub Omeris & Osmanis imperio. Sic a Zonara dicitur, Mohametem quemdam, qui Tiberio Apsimaro regnante, Arabibus imperarit, Armeniam recuperasse, quæ defecerat. Is autem minime Chalipha fuit, & Emir tamen, ac dux adpellatur: nimirum is, qui aliquot annis ante, pugnaturus in hostem fœdifragum, pacis initæ tabulas summa hasta præfixerat. Sic anno secundo Leontij mentio fit Alidi apud Cedrinum, (Vlid a quibusdã scribitur) qui ditionem Romanam cum exercitu inuaserit; nec tamen Chaliphę magistratu functus fuisse perhibetur. Ita Masalmas haud dubie apud suos Emir audiebat, quum etiã Saracenorum ἀρχηγὸς siue princeps, a Græcis dicatur: sed Chaliphæ potestatem nusquam adeptus fuisse legitur. Sic Abimelechus, Irena rerum potiẽte, de quo paullo ante dictum, Emir quidem erat, & dux Arabum: sed Aaron Chaliphatus interim augustiore potestate fruebatur. Plura, quæ possem, in medium exempla proferre desino; ne nimius lectori videar. Ex ipso cetera Chalipharũ catalogo parebũt, quem breuibus heic repetemus, adiectis annis imperij singulorum, & iis ipsis ad annos Christianorum imperatorum collatis: vt qui veri Chaliphæ fuerint, qui per errorem irrepserint, qui adhuc lite quasi pendente sequestrandi veniant, manifesto perspici possit.

Primus igitur a Muhamete, (quem Græci vigesimo primo Heraclij Augusti anno mortuum volunt, & inter Chaliphas equidem aliorum more non recẽseo, quum Muhametis respectu Chaliphę siue successores & vicarij dicti fuerint) officium Chaliphatus seu vicariæ potestatis Ebubekir, nostris Eubocara, gessit. Is quum biennio dumtaxat, cum mensibus IIII, res Arabum administrarit; extinctus anno Heraclij XXIII, vel initio XXIIII, fuit. Ipso nomine, pater Bekir, significatur.

Successit Omer, nostris Haumar, & Aomar regnoque potitus annis X, mensibus VI, ad initium fere Constantis Augusti vitam cum regno produxit.

Eum sequutus est Osman, nostris Ozmen, & peius Hoamen, & Themen pro Ethmen, transpositis commutatisq; litteris. Quumq; de sententia Muhametanorum ei tribuantur XI anni, cum X mensibus: vero consentaneum est, extinctum XI dicti Constantis anno.

Post Osmanem Chalipha factus est Alis, qui Græcis historiis Alim nominatur. In magistratu IIII annos, & IX menses exegit, occisus anno Constantis eiusdem XVI.

Filios Alis duos heredes regni fuisse, Muhametani diserte scribunt: primum Chasanem, nostris Al-Hatemum, mensibus IX, & aliquot diebus; deinde Chuseinem, annis IIII. Vnde colligitur, necatum fuisse priorẽ, anno post obitum patris adhuc vertente; posteriorem, anno Constantis Augusti XX.

Secundum hos Muauia, (Meauiam nonnulli pronuntiant) nostris Moauias & Mauias, regnum adeptus est, quod ab Osmanis interitu iamdudũ ambire ceperat. Hunc qui XXIIII annis summo cum imperio fuisse volunt, (in quibus est Paulus Warnefridus, quem Diaconum vulgo vocant) Alim cum ambobus filiis excludũt: qui XIX, Alim cum Chasane pro Chaliphis adgnoscunt, Chuseinem loco mouent. Nos Agarenis auctoribus admissis, ceu magis idoneis ad dicendũ de suis principibus testimonium, septẽ annis regnasse Muauiam, durante Constantis adhuc imperio; nouem reliquos cum Pogonato, Constantis filio, continuasse dicemus: & annos ei XVI, quibus extra controuersiam Chaliphæ dignitatem habuerit, dabimus; vt anno Constantini Barbati IX, vel paullo post, rebus humanis excessisse censeatur.

Patris in Chaliphatu locum filius Aziz (hoc verum ei nomen Arabicum erat) obtinuit. Cedrino Ezid, aliis Gizid, & Iezid, nominatur; vocabulis nonnihil (vt in exprimendis extraneis, & barbaris adpellationibus, fieri solet) vitiatis. Annis paulo minus IIII regno potitus, decimum tertium Pogonati propemodum adtigit. Arabibus etiam Abdul-Aziz alicubi scribitur, quo significatur Aziz Dei seruus.

Qui

Qui nonus in ordine Chalipha fuerit, hactenus controuertitur. Nonnulli Amerem Iezidis filium, Maruanem alij successorem faciunt. Et sunt, qui hæc ita concilianda putent; vt illos dignitatem principis, sub Ameris, velut Emiris voce; posteriores nomen proprium retulisse, quasi si Maruan adpellatus fuerit, statuant. Equidem neutrum admitto, verumque fontem erroris huius, Omeris esse nomen aio: de quo priores Amerem, alteri Maruanem finxerint. Omer autem ille, filius quidem Azizis, vel Ezidis fuit, ideoque mox patris in locum venisse credit⁹, sed reipsa patri continua serie non successit. Quippe nupta cum Azize, Muauię filio, fuerat Abdullæ filia, de qua filium illę suscepit Omerem. Abdulla vero patrem habuit Abbasim, (nostris Habbus adpellatur) Ebubekiris Chaliphæ filium, Muhametis Arabum prophetæ nō solum adgnatum, sed etiam ad finem, ob Aischam sororem, Muhametis alterā coniugem. Itaque quum Abdulla natus e familia Muhametis esset, auumque Chalipham primum haberet: extincto Azize genero, qui Omerem ex eius filia post se reliquerat heredem, necdum negotiis regni procurandis per ætatem idoneum, Chaliphatus dignitatem ad se transtulit; adpellatusque deinceps fuit Abdul-Melich, quasi rex Abdulla. Nostri nomen corruperunt, & partim Habdimelichum, partim Abimelechum ex eo fecere: quorum diuersæ significationes sunt, Habdimelicho, vel Abdimelicho potius, denotante regem seruum, vel seruum regis; Abimelecho, regem patrem; Abdul-melicho, regem Dei seruum. Præfuit Abdulla rebus Arabum XXII annis, vsque ad annum Tiberij Apsimari VI.

Successit patri filius Suleiman, cui nomen corruptum datur Zulcimin: quum Muhametani, & Græci manu exarati, Suleimanem vocent. Regnauit annis plus minus XIII, vsque ad annum secundum Leonis imperatoris Isauri. Qui tres ei tribuunt annos, Vlidi Abdalharis filio reliquos vel IX, vel X annos adsignant: de quo nos, an Chalipha dicendus sit, non abs re dubitamus. E Græcis quidem minime paret. Ac notandum, id quoque suspectum hunc reddere; quod aliqui coniungunt eodem tempore cum Zulcimine suo, Suleimane nostro, duos; Vlidem Abdalharis filium, & Elgualidem Suleimanis fratrem, hoc est, Abdullæ filium. Hinc equidem manifesto colligi arbitror, Vlidis illius patrem non habuisse nomen Abdalhar, sed Abdalla, quod idem est cum Abdulla: planeque videri, non hos fuisse diuersos. Hoc eo magis etiam vero cōsentaneum putari debet, quia nomen idem est Vlid, & Elgualid. Nam Vlid ita vitiatum est ex Velid, sicut Agarenorum Vzer vel Vzir, οὐζήρα apud Zonaram, ni fallor, pro Vezire siue consiliario, reperitur. El-gualid autem primum articulus Arabicus nonnihil immutauit, deinde scribendi ratio, diuersis gentibus diuersa. Nā quem nos Germani Wilelmum dicimus, Galli Guilaumum, Itali & Hispani Guilelmum reddunt. Ita de Walid, quod idem est cum Welid, (molli sane cum V gemino pronuntiant Arabes, vt etiā Græci suum Ὀυαλίδ) alij fecere Gualid, & cum articulo El-Gualid, vel Al-Gualid. Restat igitur vnus Velid, aut Valid, Abdullæ filius, Suleimanis frater: qui si primus, vt traditur, Septę Pontifex in Mauritania fuit, cur ademtum Suleimani Chaliphatum Asiaticum vel Bagdatinum, absque Muhametanorum auctoritate, huic ad annos nouem decemue tribuemus?

Sequitur Omer, eius nominis secundus, nostris Haumar, vndecimus Chalipha: cuius pater Aziz, Muauiæ filius, etiam Abdul-Aziz, ab Arabib⁹ indito cognomine, vocatur. Vnde corrigendum Habdimazidi vocabulum corruptum, quod ab aliis ei datur. Tamdē auo materno Abdul-melicho, & auunculo Suleimani successit: quumque solo biennio, & quatuor mensibus, Chaliphæa cum potestate fuisset; extinctus est, anno Leonis Augusti quarto.

Duodecimus inde Chalipha creatus fuit Aziz, eius nominis secundus, alter Omeris auunculus. Patrem enim Abdul-melichum, fratrem Suleimanem, vtrumque Chalipham, habuit. A Cedrino, Græcisque ceteris, Izid vel Ezid adpellatur. Regnauit annos IIII, vsque ad annum Leonis Augusti nonum producto imperio.

Tertiusdecimus huic Azizi Chalipha successit Hakem vel Hacem, quem Hisamum Græci nominant. Regnauit annis XV, durante Leonis Augusti vita & imperio, vel paulo amplius; & anno Constantini Copronymi, Leonis filij, secundo mortuus fuit: vt omnino censendus sit annis XVII rebus Agarenicis præfuisse. Non expresse traditur a Muhametanis, fuisse hũc decessoris sui filium: sed innuere tamen hoc videntur. Huius auspiciis à Masalma capta Cæsarea Cappadociæ fuit, anno imperij Leonini decimo. Filius eiusdem Hisami Suleiman, vt expresse Cedrinus scripsit, Leonis eiusdẽ XVIII, XIX, & XXI annis, in Christianos arma gerens, Pergamenũ quemdam captiuum, qui Tiberium se, Iustiniani Augusti II †Rhinotmiti filiũ mentiebatur, vt ægre Leoni Augusto faceret; honorifice habitum coluit. Idem Hisamus, eodem auctore, Stephanum Antiochenis patriarcham dedit; quum diu nullum is thronus patriarcham habuisset. Eumdem tradit anno Copronymi secundo rebus humanis exemtum, flagrante tunc inter Copronymum & Artauasdum, vsurpatorem imperij; ciuili bello: quorum vterque per legatos ab Hisamo auxilia petierit. Hæc prolixius commemoro de caussis, quas paullo post lectores intelligent. Errant nimirum, qui hũc Hacemem, vel Hisamum, e numero Chalipharum excludunt.

† a præcisis naribus.

Quartusdecimus Chalipha nominatur a Cedrino, Græcisque ceteris, Walid. Sic enim Græcum illud Οὐαλὴδ pronuntiandum, etiam paullo ante monuimus. Annum dumtaxat vnum imperauit, ab ipsis Arabibus interfectus. Itaq; recte Cedrinus, eum anno III Copronymi periisse. Quapropter hic Walid, vel Ewelid, nec Azizi ꝓximus dari successor, excluso Haceme; nec regnum XVIII annorum, nec Suleiman filius ei tribui debuit. Quippe Muauiam quod adtinet, qui & ipse filius ei datur, meminit eius nominis anno Leonis Augusti decimo Cedrinus: sed ita, vt Amerem, vel Amirem potius, cum filio Mauia dicat, non Muauiam hunc aut Hisami, qui tunc Agarenis imperabat, aut Walidis, qui multis post annis ad regnum peruenit, filium fuisse verbis expressis tradat. Hoc memorabile, quod Ioan. Leo Afer Hacemis fratrem vocat Euelidem, qui Græcis est Walid, Arabibus Welid; Symeon, Officiorum Magister, Hacemis aut Hisami filium; quod posterius equidem vix admittẽdum opinor, ex eo creditum, quod Hisamo Walid successerit. Notandum & illud, a Turcis in Baiasitis Gilderunis, & Temuris Tatari rebus gestis, nominari quemdã Halidem, Welidis filium. Fuit is hoc Welide Chalipha natus, & sepulturæ monumentum Hamusæ, quæ priscis Emisa dicebatur, habuisse propterea refertur; quod illa in vrbe, ab se capta, Maruan Hacemis filius, Muhametanis testibus, non Velidis; hunc Halidem Velidis filium, non suum ex Haceme fratrem, cum propinquis interfecisset: vtcumque nobis alij permutatos horum fratrum liberos obtrudant.

Ante vero, quam decimiquinti Chaliphæ nomen edamus, e Chalipharum catalogo duos, qui errore quorumdam irrepserunt, expungemus. Prior est, qui Gizid secundus, (tertium dicere debebant, respectu Azizis, Muauiæ filij, & Azizis, Abdullæ filij, si locum tertius hic habere posset) & Izid Cedrini, cognomento Leipsus, ab eis adpellatur. Hunc aiunt & ipsum Habdimelichi fuisse filium, annumq; dumtaxat vnum imperio potitum, ac digladiantibus inter se Copronymo & Artauasdo, de auxiliis ab vtroq; sollicitatum. Dicã paucis, quod sentio. Tertius hic Aziz vol Izid, prorsus idem est cum secundo, Abdulmelichi vel Abdullæ filio. Quorsum enim duo patris vnius, eodem nomine, filij? Quod autẽ ad perexiguum regnasse tempus, & ab illis duobus Græcis principibus, ad amplectendum alterutrius partes, sollicitatꝰ fuisse dicitur: id magis opinionem meam confirmat, quum duos illos Hisamum Chalipham, non Izidem, prensasse; perspicuis paullo ante verbis e Cedrino docuerimꝰ. Alter Chalipha commenticius, est Hyces: qui & ipse necdum anno regni primo completo decessisse traditur, & ficticij Gizidis vel Izidis tertij fuisse filius. Ego vero constanter Hycem hunc adfirmo Hacemem illum esse, qui XVII annis regnarit, deque Leonis Afri sententia Velidis quidem frater, non tamen successor, sed decessor potius fuerit. Idem si, de quorumdam opinione,

Hyces fi[...]cius.

nione, patrem habuit Izidem; non intelligendus erit tertius quidam Izides suppositicius, sed Izides ille, vel Aziz vere secundus, Abdulmelichi vel Abdullę filius: cui quidem opinioni nō refragor. Vero sane similior est, quā illorum coniectura, qui Hacemem hunc non ab Eubekire, sed ab Ali Muhametis genero deducunt, & Hocemum vocant, & auctorem Persicæ Sophinæ familiæ faciunt.

Nunc ad seriem Chalipharum, his duobus explosis, vt redeamus: dico, decimum quintum Chaliphā fuisse Meruanem, quem diserte Muhametani filium Hacemis, hoc est Hisami Græcorum, adpellant. Id eo plus fidei meretur, quod auctore Cedrino scimus Walidi, anno Copronymi tertio rebus humanis exemto, Maruanem anno mox sequenti, eiusdem Copronymi quarto, successisse: quo ipso refutantur & illa, quæ apud eumdem alibi de successione Izidis Leipsi, velut in collectaneis temere notata leguntur. Hic autem Meruan, quum annis VI regnarit; non dubium est, q̄n anno Copronymi decimo, Chaliphæ munere fungi desierit.

Ab eo tempore, quis in Chaliphatu Meruani successerit, & numero decimus sextus fuerit, vidēdum. Quippe de hoc etiam disceptatur, & Chaliphā Meruani proximum sunt qui faciant Abubalam, Symeon noster Audalam, non etiā nulli Habdallam, Halimi filium, qui Arabibus esset Abdulla, filius Alis; Muhametani Iachsim, vel Iachiam, & ipsum Alis Abbasidæ filium. Hæc sentētia, me quidem iudice, vicerit. Genuinum tamē ei nomē Iachsi vel Iaxi fuisse crediderim, vt supra monebam; cognomen, Abdulla. Nec diuersos accipi debere, patris nomen euincit, quod idem vtrique referunt. Annorum vero ratio, qui huius imperio tribuuntur viginti & vnus, Officiorum quoque Magistro teste, prorsus alterum illum Abubalā a Chaliphatu excludit: propemodum vt Audalas Symeonis, vnus & idem videatur habendus cum aliorum Abubala. Nam a decimo Copronymi anno, computatis viginti & vno, peruenietur ad annum eiusdem Copronymi XXXI: a quo tempore successor huic Abubala fuisse, nullo modo dici potest, quum alium supra dederimus, & paullo post repetituri simus: antecessisse vero minus etiam credendus est, quum anni V Chaliphatus ipsius nusquam adpareant: nisi forte Iaxis eos imperio detrahere liceat, vt illum XVI dumtaxat annis, contra fidem historiarum, regno potitum dicamus. His rationibus, quas equidem non infirmas arbitror, si quis sibi satisfieri nō patietur, omninoque litem mihi moueuere volet: saltim Abubalæ Chaliphatū sequestro, donec causa cognita fuerit, committi petam.

Sequitur XVII Chalipha Muhammad, cognomento pænę principibus his vniuersis communi Abdulla. Græci vero, quod antea quoque dictum, integro nomini huius Muhammadi priores syllabas duas adimunt, & Madim adpellant. Quamuis non negem, videri quoque posse, Madis nomen e Mahadine factum. Si patri successit post trigesimum primū Copronymi annum, & IX annis, aut (quod vero est similius) X præfuit: sequetur, eum Irenes & impuberis Constantini, post mortem Leonis, huius Constantini patris, annum secundum adtigisse; quod quidem historiarum monumentis est cōsentaneum. Filio Musæ, vel Moysi, cui tantum annus vnus adscribitur, ob tā exigui temporis inutilem vsurā, quo nihil nec gessit, nec gerere potuit; tam Muhametanorum, quam Græcorum insignium auctoritatem sequutus, inter Chaliphas locum nullum relinquo.

Decimus igitur & octauus Chalipha nobis esto, filius Muhammadis siue Madis Harone-resides, Græcis Aaron. Residis cognomen etiam apud Guilelmum Tyri Archiepiscopum reperitur. Anni huius, inchoati ab eo, quod in morte patris ostensum est, principio; superatis Constantini & Irenes annis, ad aliquot Nicephori Græcorum imperatoris, & Germani nostri Karuli magni annos, ad quem legatos Aaron amplis cum muneribus misit, extenduntur: & plures fuisse, quam XXIII, ex ipsa temporum ratione colligitur.

In hoc iam Harone-reside scriptores historiæ Turcicæ, quos sequimur, expositionem de Chalipharum serie suam claudūt: haud dubie propterea, q̄d statim ab illo tempore, sicut & aliis ad sum-

mum rerum culmen euectis regnis viuenisse videmus, ingens illud imperium fœdis bellorum ciuilium tempestatibus agitari, paullatimque minores in dominatus distrahi ceperit: adeo quidem, vt non amplius suum illud Islamorum nomen, quod a mutua pace concordiaq; specioso sibi titulo adrogauerant, tueri possent. Ideo non abs re scripsit Aythonus Armeniꝰ, Saracenos in Asia regnasse CXCVIII annis, qui cum Turcicis non male conueniunt: e quorum computatione colligitur, Harone-residis regnū fere ad CLXXX annū a migratione Muhametis pertinuisse. Post eius ergo mortem exortæ fuerunt illæ magnæ discordiæ, de quibus Aythonus loquitur, inter Saracenos: ita quidem, vt Soldani, & alij terrarū principes, qui tenebantur obœdire Chaliphæ, rebelles in ipsum fieri ceperint; ob quam causam Saracenorum potestas plurimū deminuta fuerit. Prorsus huic consentanea Cedrinus scripsit, Saracenorum potentiam ad eas excreuisse vires, non tantum vt Perside, Media, Babylone, cum Assyriorum regno, potirentur: sed cum his & Ægyptum, & Libyam, & magnam Europæ partem coniungerent. Verum, inquit, vbi diuersis temporibus seditiones inter se mutuas occepissent, & vnum illud, ac maximum imperium, in plures fuisset discerptum partes: alium Hispania principem, alium Libya, rursus alium Ægyptus, alium Babylon, alium deniq; regem Persis accepit. Iidem principes inter se nullo cohærebant mutuæ vinculo concordiæ, sed finitimi bellis in finitimos concitatis, arma sibi inuicem inferebant. Hactenus Cedrinus. Igitur hinc factum, vt qui prius e remotissimis ad orientem solē regionibus, terra marique profecti, non vtramque dumtaxat Asiam, & Aphricam inuaserant; sed etiam versus occidentem, ad extremas id temporis habitas Gades, Herculeasque columnas penetrauerant, eoque freto transmisso, maiorem Hispaniæ partem sub iugū miserant; ac transitis inde montium Pyrenæorum iugis, ipsam quasi diluuio quodam innumerabilium copiarum inundauerant Galliam; conuersis inde vicibus rerum, a Christianis, longe dissitas ad occidentem solem terras incolentibus, vltro maximis expeditionibus, itidem mari terraque susceptis, petiti profligatique fuerint. Quo quidem tēpore peramplis Asiæ prouinciis exuti, vel exstirpari radicitus, vel pristinas ad solitudines Arabiæ reiici, deleto Muhameticorum imperio, potuissent: ni fatales occidentalium domi suæ dissensiones, Arabum successoribus Turcis, iam Musulmana superstitione imbutis, ad erepta Muhametanis recuperanda præbuissent animos; & quo minus oppugnatis in Asia nostris auxilia submitterentur, impediissent.

Posteaquam enim defecissent Arabum, ipsa cum animorum coniunctione, vires; iamque sua mutuam in perniciem, quæ Christianis non vno sæculo terrori fuerant, arma conuerterent: libuit administratrici rerū humanarum diuinæ prouidētiæ Turcos, nouū quoddam & insolens hominum genus, in orbis hoc theatrum producere; quod Arabum in locū succederet, ac tamdem Christianis etiam vel deletis ex aliqua parte, vel in ordinem redactis, formidabile nationibꝰ vniuersis imperium constitueret. Ea vero gens quibus occasionibꝰ e latebris suis extracta, velut in scenam ab initio prodierit; quādoquidem a Turcis, nimium breuitati suæ studentibus, explicatum non inuenimus: ex Cedrino descriptum dabimus, cui parem in hac quidem historiæ parte, neminem habemus.

Quum Muchumetes, inquit, Imbrailis filius, princeps Persidis esset, & Chorasmiorum, & Oritanorum, & Mediæ; belloque graui aduersus Indos ex vna parte, aduersus Babylonios ab altera, satis infelici cum successu distineretur: legatos ad Turciæ principem mittere statuit, & illis e locis auxiliares copias arcessere. Suos igitur internūtios ad eum, cum magni pretij donis ablegat: & ad belli societatem tria virorum millia sibi mitti petit. Turcus autem legatis studio singulari exceptis, quod delectatus esset iis, quæ missa fuerant, muneribus; hominum illa tria millia, duce Tagrolipice Mucaleto, Mikeilis filio, ad Muchumetem ire iussit: spe simul concepta, siquidem hi Persicis expellere finibꝰ eos hostes potuissent, qui Saracenos illic inuadebant; nullo negotio futurum, vt per Araxidis fluuij pontem, qui turribus impositis

positis

positis ab vtraq; parte munitus, & certis a præsidiariis defensus, ab aditu Persidis Turcos arcebat, viam suis aperirent, remotis illis excubiis, ac Persarum regionem sibi subiicerent. Quum igitur hi stipēdiarij milites aduenissent, Muchumetes eis ad copias suas adiunctis, Arabum Babyloniorum principem Pissasirium adoritur, & absq; negotio superatum fundit ac fugat; quod Arabes aduersus arcuum Turcicorum ictus subsistere non potuissent. In suam deinde regionem reuersus, magnopere cupiebat Turcis etiam commilitonibꝰ ad debellandos hostes Indos vti. Sed quod illi domum redeundi potestatem fieri sibi peterent, vtque præsidium pontis Araxiani iussu regio transitum eis concederet; Muchumetes autem vrgere nō desineret, vt manerent, adeoq; vim adferre vellet: Turci præ metu, ne quid eis grauius accideret, ab ipso deficiunt, & solitudinem Caruonitidis ingressi, quod pauci numero, cōtra tot hominum myriadas in aciem prodire non auderent, excursionibus inde continuis res Saracenorum diripiendo vexant. Id vero quum Muchumetes ægerrime tulisset, collecto XXCIↃ exercitu, decemq; ducibus ei præfectis, qui ex omni Saracenorum gente nobilissimi, prudentissimi, & inprimis fortes haberentur, has in Turcos emisit copias. Illis vero tribunis ad bellum hoc proficiscentibus, minime consultum videbatur, ob aquę annonæque pænuriam, solitudinem ingredi. Quamobrem castris in ipso solitudinis aditu collocatis, & ostio; quid esset agendum, dispiciebant. Tagrolipix autem, qui cum suis in solitudine degebat interiori, quũ bello se peti animaduertisset: re cum suis communicata, recte se facturum, & ex vsu suo ratus est, si noctu Saracenos ac Persas inuasisset. Itaque biduo magnis itineribus summa celeritate confectis, hostem die tertio, negligenter in castris agentem, nec mali quidquam exspectantem, noctu adgreditur. Quumque dicto citius eos fudisset, ac magna tam armorum, quam equorum, opumque copia potitus esset: non iam amplius vt fugitiuus ac latro, insidiosis & occultis hostem adoritur impressionibus; sed apertis in locis, ac patentibus, castra metatur: confluentibus ad eum, quicumque maleficij caussa mortis supplicium metuebant, itemque mancipiis, & quotquot agēdis prædis inhiabant. Adeoq; perexiguo tempore maximus hominum ad LCIↃ coactus fuit exercitus. Dum in hoc statu res Tagrolipicis essent, Muchumetes suos fusos permoleste ferens, grauique commotus iracundia, ducibus illis decem oculos eruit: ac militibus, qui fuga periculum declinauerant, ignominiam publicam minatus est; vt stolis amicti muliebribus, in oculis omnium producerentur. Simul ipsemet se comparabat, vt acies aciebus hostilibus suas opponeret. Illi vero superati prius ab hoste milites, minis hisce cognitis, ad Tagrolipicem se contulerunt. Auctus ergo talium tantarumque copiarum accessione, toto exercitu collecto, in Muchumetem enixe contendit, rerumque summam vni committere prœlio festinat. Muchumetes quoque Saracenis, & Persis, & Cauiris, & Arabibus armatis, coactoque plus minus LCIↃ exercitu, & elephantis turrigeris centum: his omnibus secum sumtis, ad Aspachanem (vrbis est nomen Persicæ, quam hodieque Spahan, vel more Turcorum Ispahan dicunt) Turcis occurrit. Quumque prœlium in primis terribile committeretur, complures vtrimque ceciderunt; ac in his Muchumetes etiam ipse periit. Quippe dum temere hac illac obequitans, suos ad pugnam concitat milites: vna cum equo lapsus, fractis ceruicibus exspirauit. Id vero quum accidisset, quæ stabant ab ipso copiæ, cum aduersis inita concordia; Tagrolipicem Persidis vniuersi regem adpellant. Iam rex designatus, missis e suis quibusdam, deductum ab Araxidis ponte præsidium remouet, & cuiuis Turcorum in Persidem liberum permittit ingressum: qua illi de caussa suis e locis profecti, magno numero Persarum intra fines cursitabant: iis dumtaxat exceptis, quos domi suæ patria detinebat. Itaque deiectis imperio Persis & Saracenis, ipsi Persidis domini facti sunt; ac Tagrolipicem Sultanum dixerunt, hoc est imperatorem omnium, regumque regem. Ipse magistratibus incolarum patriis prorsus abolitis, ad Turcos eas dignitates transtulit: totamque Persi-

dem in vniuersum sibi, suisque popularibus adtributam, partitus est; deturbatis, & infimam redactis ad condicionem indigenis. Vbi iam res ei recte constitutæ videbantur, bellum finitimis potentia præditis regulis inferre cepit: & ipsemet aduersus Pissasiriũ, Babylonis principem, suos in aciem produxit; variisque prœliis eo deuicto & occiso, Babyloniorum quoque regionem in potestatem redegit. Inde per alios duces, partim fratres suos, partim consobrinos & sanguine coniunctos, ea tentauit ac gessit; quæ cũ aliis Græcis Cedrinus idem, prolixe descripsit. Inter fratres a Cedrino recensentur, Habramius Alim, & Aspam-Sallarius, & tertius absque nomine, qui filium Asanem, cognomento * Cophon, (id Græcis denotat surdum) post se reliquit. Habramius filium Melechum habuit, qui patre a Tagrolipice necato, ad Sabæos, & felicem in Arabiam cum Cutlumuse propinquo fugit. Patrueles siue † consobrini Tagrolipici fuere, Cutlu-Muses (fortunatum hoc Mosem significat) & Abimelechus: nati videlicet ex eius patruo, Mikeilis fratre, non ipsius Tagrolipicis, vti quidam per errorem scripsere. Cutlumusi v fuisse filios referũt paralipomena Cedrini, in Panpinacij vita, sed nomina non eduntur. Tagrolipix Turcis est Togra, nobili apud Turcos gente Selzuccia natus. Alucinantur enim & illi, qui hunc ipsum Tagrolipicem Selzucum, vel (vt ipsi scribunt) Selduchum fuisse dictum referunt. Id enim generis auctor nomen habuerat. Aythonus Zadocum adpellat, quod equidem ei fuisse datum a iusticia cognomen arbitror. Quippe vox Zadoc, iustum significat. Filius Tagrolipicis, Axan apud Cedrinum adpellatur in vita Romani Diogenis Augusti, quæ in edito Cedrino, cum aliis aliquot Augustis, desideratur. Id nomen Ax-Han, regem seu principem album significat. Ab hoc Sultano, Tagrolipicis filio, captus imperator Diogenes fuit, auctore Cedrino, nec aduersante ratione temporum. Quippe si Tagrolipix ante Zengis Chanis expeditionem Persicam, quæ ad annum Christianum CIↃ CC refertur, centum annis & septuaginta, Turcis auctoribus, in Persidem venit: omnino colligitur, id accidisse regnante apud Græcos Romano Argyro Augusto; licet a Cedrino factum tradatur aliquanto post, imperante Constãtino Monomacho, post annum scilicet Christianum CIↃ. XLII. a quo tempore si patris Tagrolipicis, & Axanis filij regnum, vsq; ad CIↃ. LXXIII Christi, quo captus imperator Diogenes fuit, hoc est, ad annos XL, secundum rationes Turcorum, vel XXX, de computatione Cedriniana, pertinuisse dicatur: nihil sane statuetur, qđ incredibile videri possit. Aythonum quidẽ hinc aperte refutari necesse est, qui tot principes, tam exiguo tempore Zadoco suo, continua filiorum nepotumque serie, successores in regno dedit: vt imperatorem Diogenem ab eius abnepote captum colligatur. Ait enim Zadoco, qui Tagrolipix est, successisse Dogrissam filium; Dogrissæ Aspasalemum, Zadoci nepotẽ; Aspasalemo Meleclam, pronepotem; & huic denique Belchiarocum, quintum in ordine, vel abnepotem. Nemo nõ animaduertit, parum vero videri simile, tot vni principi filios & nepotes, deuoluto semper a patrib. ad liberos imperio, tã breui annorum spatio XXX vel XL, prorsus inusitato rerũ humanarum historiis exemplo, successisse. Nec absq; ratione quis existimarit, Aspasalemum eumdem habendum cum Cedrini Aspam-Sallario, q Tagrolipicis & Habramij frater fuit, nõ Tagrolipicis e filio nepos: itidẽq; Melecla peradfine nomen est Melecho, qui Habramij filius, non Tagrolipicis pronepos fuit. Et hi tamen crediti fuerunt imperio potiti, quod eorum in hac stirpe nomina reperirentur. Ipsum Belchiaroci vocabulũ ab Artoc, & Belche deductũ videtur; quorũ illud proprium Turcis nomẽ est, hoc Selzucciorum regiæ tribuitur: vt Artoces Belchensis accipiatur, alius nimirũ ab Axane. Nec admodũ a scopo deniq; aberrauerit, si quis Dogrissam confictum e Togra & Sa, siue Scacha dixerit. Omitto, qđ Aythonus expulsos a Georgianis & Armeniis a morte Belchiaroci Turcos e toto Persarum imperio, cum vxoribus & liberis in Turquiam, (sic Galli Turciam dicunt) vel Asiæ minoris Iconiense regnum migrasse refert: nec tamen occupatam Persidem his victoribus, sed Corasmiorum prædæ cessisse; qui Ialaladinem

* κωφόν.

† αὐτάψιοι. Cedrino.

nem quemdam, & principem suum, & imperatorem Asiæ constituerint, cæsum post hæc ab Aladine Turcorum Iconiensium Sultano, centum fere post annos, quũ eius in Asia minori regnum inuadere conaretur. Perprofectò ratione temporum confusa sunt hæc, parumque fidei mereri videntur; si cum Turcicis conferantur, ac diligenter examinentur. Quippe creditu facile, deque Græcorum historiis & nostris probabile, Turcos e Perside minorem in Asiam progressos, expulsis Græcis, eas regiones occupasse, nec tamen interea Persidis excidisse regno: donec tamdem vis illa maior Zengis, & innumerabilium Tatarorum, eos cum vltimo Belchensi rege suo Selzucciæ stirpis Cursume, (qđ nomen de alio loquens Cedrinus, in Chorsantem commutauit) vel inuitissimos solum vertere coëgit; vt Turci, testes suis in rebus idonei, commemorant. Taceo, statui captum Diogenem Augustum à Belchiaroco; nec aliter colligi, vel ipso ex Aythono, posse; siquidem in manus Sultani Turcici venit, & Belchiarocus (eodem auctore) Turcorum Sultanus in Perside fuit vltimus. Atqui certum est, a morte Belchiaroci ad Zengiana tempora, quæ diximus, vltra centum annos integros intercessisse. Quis interea, pulsis e Perside Turcis, amplissimis illis regnis Persicis præfuit? An solus iste Ialaladin Corasmius, qui gentibus illis dictus fuisse Gelaledin videtur, & in Asia cæsus ab Aladine fingitur? Eadem me ratio mouet, vt opinioni nonnullorum adsentiri nequeam, qui natum e Suleimane Scacho, Belchiaroci fratris filio, volunt Aladinem, Iconiensium Sultanorum generis auctorem. Quippe temporum interualla nimis magna sunt, & maiora quoque, si nepotem Aspasalemi fuisse statuamus Suleimanem, quod aliqui fecerunt: adeoque præstat, e Turcorum historia migrationem Aladinis e Perside ad Tatarica referre tempora: quacumque tamdem via minorem adeptus sit Asiam, a gentilibus eius Selzucciis, iam ante inuasam; sicut ipsi modo significabamus, & omnino fateri debemus. Ne dicam, Aladinem maiorem (sic adpello, respectu alteri⁹ vltimi) vel ea de causa patrem illum Suleimanẽ Scachum habere non potuisse, quod a Turcis expresse Gei-Husreuis filius fuisse tradatur: quamuis eorumdem interpres vnus, qui Verantianum codicem reddidit, ex errore vel oscitantia, Cursumis Scachi Belchensis vltimi, a Zenge Tataro pulsi, filium fecerit. Regiæ dubio procul, adeoque Selzucciæ familiæ princeps fuit, quod adfirmãtibus Turcis omnino credendum. Et hoc sane loco prius, quam ad Aladinios progrediar, sententiam de ipsius quoque Suleimanis Schachi natalibus aperire meam decreui: vt adpareat, eum nec Aspasalemi Aythonij nepotem fuisse, hoc est, Belchiaroci fratrem; nec Belchiaroci fratris filium, hoc est, indicati Aspasalemi pronepotem: adeoque non fuisse natum ex ipsius Tograe Zadoci posteris, licet adgnatus eorum fuerit. Nequit enim Aspasalemi nepos dici, quum non concedam, Aspasalemum Togræ Zadoci nepotem fuisse, sed fratrem; qui Græcis Aspamsallarius adpellatur, vti superius expositum. Et expresse refutantur hæc omnia, quæ Aythonus de successione tot ordine posterorum Zadoci vel Tagrolipicis tradidit, per vnius Cedrini locum, paullo post subiiciendum, quo diserte ostendit, patris Tagrolipicis, & Axanis filij gubernationem fuisse continuatam vltra Nicephori Botaniatis Augusti tẽpora. Eidem adsentitur & Chronicon Hierosolymitanũ, quum Suleimanem Schachum ait anno Christi 1098 (hoc est, imperantis Alexij Comneni anno XIIII) admonuisse Sultanum Corozanis (hoc est Axanẽ Tagrolipicis filium) donatæ sibi ab eo Romaniæ Asiaticæ, tunc a Christianis occidentalibus occupatæ, cuius loci verba deinceps heic ponemus. Fratris etiam Belchiaroci filium non fuisse Suleimanem, adparebit ex iis rationibus, quas adducam, vbi prius memorabilia Cedrini verba, Michaëlis e vita Parapinacij, quæ necdum in lucem exiit, protulero. Leguntur autem in extremo regni Parapinaciani commentario, vbi narrat, Nicephorũ Botaniatem, vsurpato imperio, copias in Asia coëgisse, quibus Cõstantinopolim occuparet, & Parapinacium regno deiiceret. Verba Cedrini hæc sunt. Collegit Botaniates & Turcicum exercitum non contemnendum, quem ducebat Cutlumuses

ille celeberrim⁹, cum quinq; filiis, quos ad huius belli societatem sibi adiunxerat. Erant illi generis propinquitate Sultano adfines, & vniuersum quidẽ imperium Persicum sibi adserebãt: sed quum satis virium ad bellum cum Sultano gerendum non haberent, in Romaniam profecti, potentiam & robur sibi quoddam, quod ei possent opponere, comparabant. Immo verius vti rem omnem exponam, quum bellum aduersus Sultanum commouissent, deq; summo imperio cum eo contenderent in loco, qui Re nominatur, (Ere hodierna Siruani vel Mediæ videtur intelligi) iamq; manus conserturi exercitus essent: delata res ad Chalyphã fuit, qui apud ipsos honore diuino quodam colitur. Is statim omni fastu & cõsuetudine neglecta, qua licitum ei non erat e domicilio suo prodire, magna se velocitate prædictum ad locum Re, iamque concursuras ad acies contulit: quas inter medius ipse consistens, pacem velut arbiter inter ipsos, cum Persarum quidem, (id est Turcorum, Persidis dominorum) & regni eorumdem commodo, sed ad Romani Græciue tam imperij, quam potestatis detrimentum, composuit. Quum autem varia quædam in medium adlata fuissent, & exposita; tandem id ratum habuere, quod ipsi visum esset e re publica futurum: videlicet, vt Persidi Sultanus imperaret, quemadmodum & pater eius hanc obtinuisset: Cutlumuses autem, eiusque liberi, acceptis a Sultano copiis & auxiliis, Romanorum ditionem sui iuris efficerent; eamque, ceu regnum potestatis suæ, possiderent: nullis vt in posterum mutuo se prouocarẽt iniuriis, nec alter alteri molestus esset. Hac tam admonitione, quam arbitrio Chalyphæ, diremtũ inter eos prœlium fuit, pedemque retulerunt exercitus; & omni contentione valere iussa, Romanorum regiones seruitutis suæ iugo subiicere ceperunt. Hactenus ista Cedrinus, a Zonara quoque repetita, sed non integre; sicut in aliis etiam locis idem ab eo factitatum obseruaui, dum furta sua cælare nititur. Ante vero, quam quid hinc colligendum arbitrer, exponam: breuis quædam his adhibeatur declaratio. De Cutlumuse superius dictũ. Legendus de discidiis huius, & Tagrolipicis Cedrinus; quibus ille factum refert, vt tandem a Tagrolipice prœlio victus ad Passarem Chorasmiorum, cum filio cõsobrini Habramij Melecho, militumq; sex millibus, ad fines Romanos cõfugeret; missisq; legatis ad imperatorem Monomachũ, paullo ante mortem huius, quæ in annum Christi CIↃLIIII, vel (vt aliis placet) CIↃLVII incidit, se recipi peteret, sociumq; Romanorum & amicũ adpellari. Dumq; responsum imperatoris exspectaret, progressus in Persarmeniam, ad opidum † Carse, ciuitatem Carsensem, arce tamẽ excepta, expugnauit. Intellecta vero aduentantis consobrini & hostis sui Tagrolipicis fama, cõfugit ad Arabes, Tagrolipicis inimicos: ac illo tandem extincto, Axaneque filio rerum potiente, Romanorum in ditionem se contulit, eaque molitus est, quæ hoc loco Cedrinus commemorat. Nec de alio quopiam hæc accipienda Cutlumuse, ratio temporum euincit; qua doceri potest, illa priora dumtaxat XX plus minus annis hæc antecessisse; quæ modo narrata sunt. Notentur & filij quinque Cutlumusis, licet eorum nomina non recenseantur. Quod ait, eos adfines fuisse Sultano propinquitate generis; sic intelligendum e superioribus, vt Cutlumuses Tagrolipicis consobrinus, & eiusdem filij fuisse statuantur Axanis, qui Tagrolipicis heres fuit, sobrini. Et inimicitias inter hos, morte Tagrolipicis extinctas non fuisse, videmus: sed insidiatos Axanis filij regno Cutlumusæos, tandem in Romaniam, virium aduersus hostem conquirendarum causa, venisse. Notanda quoq; verba transactionis per Chalypham institutæ, quibus Sultano Axani (huius enim a Cedrino prius expressum nomen reperitur) regnum Persidis addicitur, ab eius patre, nimirum Tagrolipice, dum viueret, occupatum & possessum: Cutlumusæis inuadẽda Sultani auxiliis Romania conceditur, vt regnum ibidem constituerent. Itaque transactionis huius vigore deinceps occupata Romania fuit a Cutlumusis filiis, quos inter principe fuisse loco Suleimanẽ Schachum, dubitare non debeo, Cedrini verbis, & Hierosolymitani Chronici, diligenter collatis & expensis. Quippe missus obsidionis Antiochenæ causa Suleiman ad sol-

† Pand. cap. vlt.

ad sollicitāda Sultani Corozanis aduersus Gotifredum Bullioneum, & proceres Christianos ceteros, auxilia; frater a Sultano, more Turcorum, hoc est consanguineus & adgnatus adpellatur, ipseque Suleiman verbis ad Sultanum his vtitur: Nicæam, quam nosti nominatissimam, & terrā, quam dicunt Romaniam, de regno Græcorum, quam auxilio tuo, tuisq; viribus, (confer hæc ad ipsa transactionis apud Cedrinum verba) ex tuo dono & gratia collatā adquisiuim⁹, Christiani de regno Franciæ nobis abstulerunt. Quis non videt, hæc a Suleimane dici, tamquam Cutlumusis filio, quocum inita fuerat, & cum quinque filiis eius, exposita modo trāsactio, concesso eisdem occupandæ Romaniæ iure? Nec ad alium hæc prolata Sultanum, quam ad Turcicum Persidis regem, e Tagrolipice natū, vel inde liquido paret, quod idem Chronico eumdem regni Corozanis principem magnum, & sceptrigerum Soldanū super omnes reges & principes orientalis plagæ, caput & principem Turcorum nominat; habitātem in Balch, (male Baldach † bis in edito legitur) quæ tunc caput tā Corozanis, quam regni Turcorum fuerit. Vnde Turcorum historicos recte posteris Tograe regiam tribuisse Balcham siue Belcham Chorasanis videmus, adfirmantibus iisdem, mansisse Belchense regnum in potestate Togræ, ac posterorū eius, CLXX annis, vsque ad expeditionem Zengianam, qua Turcis expulsis, regna Persidis a Tataris sub iugum fuere missa: notabili ꝓfecto narratione, de qua Tagrolipicis posteros, Belchenses Scachos, non circa CIƆ XCVIII annum Christi secundum aliquos defecisse, sed integro post hęc sæculo superstites adhuc fuisse, contra superius expositas Aythoni alucinationes, manifesto paret. Ab huius Chorasanis & Belchæ Sultano, qui tunc (vt indicatum) Axan erat, regium Scachi titulum Suleiman consecutus fuit, quod itidem alij tradiderunt: hoc ipso quoq; testante, Cutlumusis hunc fuisse filium, quem in transactione Chalyphęa Romaniæ regnū impetrasse didicimus. Et reuera cepit ac possedit Suleimā Scachus Romaniam, cum vrbe Nicæa, sed a nostris occidentalibus vicissim exutus parum iusto titulo partis fuit. Deinceps autē clarissime perspicitur ex historiis, præsertim belli sacri nostrorum, expulsos e planis & campestribus locis Asiæ minoris Cutlumusæos & alios Turcos a Christianis occidentalibus, & ciuitatib⁹ eiectos, quæ restitutæ Græcis imperatoribus fuerunt, in montanis se cōtinuisse locis, absque titulo & possessione Sultanatus Asiaticæ Romaniæ: donec tamdem e Perside ꝓfugus Aladin, suis cum clientelis & copiis Iconiū & Sebastiā recuperaret, vt Turci referunt, & Romaniæ se Padiscachum constitueret: cuius heic iam successores, e Turcicis commentariis excerptos, ordine subiiciam; neminis interim luminibus obstruere cogitās, si quis forte plures his veris Sultanis Selzuccij sanguinis ratione cōiunctos, diuersis e scriptoribus collegerit, nec nullam industriæ laudem e tam laboriosa lucubratione tulerit. Nos quidem hac ratione Selzucciorum Togranæ gentis imperio, post Arabicos Musulmanorum principes, siue Chaliphas, exposito; recte promissi nostri memores videbimur, si paucis Aladiniorū quoq; seriē explicauerimus: qui & ipsi Selzucciæ (ceu dictum) originis, Musulmanæ sectæ populis præfuerūt, & ob eam caussam in historia Prætoris Græciæ nostri, Musulmanorum Sultani nominantur.

† lib. 8. cap. 7. & lib. 9. cap. 37.

Filius ergo Kei-Husreuis Selzuccij Sultanus Aladin primus, quum e Perside Tatarorum eiectus armis, in Asiā minorem vel inferiorē migrasset, & complurium prouinciarum potitus esset imperio, regia sede Iconij constituta: moriens tamdem heredes post se duos reliquit, Azadinem natu maiorem, & Giassadinem. Azadin Græcis est Azatines, & apud Aythonum male scripto nomine dicitur Aladinus, pro Azadino. Maiorem natu fuisse, paret ex Prætore, qui patre mortuo narrat hūc ceu primogenitum, ad principatum Musulmanorum peruenisse. Nec tamen diu rerum potitus fuisse videtur. Alter Giassadin Græcis est Iathatines, in quo vocabulo θ sic Græco more pronuntiatur; vt Turcico Iassadin ad amussim respōdeat. De hoc Prætor huiusmodi q̃dam retulit. Quum Iathatines, inquit, aufugiens Azatinis fratris sui manus euasisset; Constantinopolim se contulit, & ab imperatore istic Alexio susceptus, baptissatus, & adopta-

ἰαθατίνης.

tus filij loco fuit. Quumque Constantinopolim (Flandris, Gallis, & Italis aduentātibus) imperator Alexius fuga reliquisset, hic quoq; cum eo fugiens abiit. Verum non multi præteriere dies, quum secreto quidam ad eum venit, ac fratris ei mortem nuntiat. Tum vero Iathatines vili panno vestitus, cum eo discedit: & a suis adgnitus, adclamatione sollemni Persarcha, siue Turcorum in eas terras e Perside profectorum, princeps publicat. Hic & imperatori Theodoro Lascari, aliquando quasdam ad angustias redacto, perutilis fuit; quum & auxiliares ei copias concederet, & pacis cum eo fœdus iniret. Quippe cōiugem Lascaris, Annam Augustam, non aliter, ac nomine sororis adpellabat. Ad hunc etiam Alexius imperator exsul vt perueniret, omni studio desiderabat. Nam a conueniendo imperatore, ac genero, Theodoro Lascari, abhorrebat. Quapropter a Michaële Comneno cōsobrino, Epiri principe veteris, in qua Ioannina sunt, & Arta, Naupactusq; ciuitates, viatico instructus; ex eius ditione soluit, ac ventis secundis vsus, Attaliam adpulit, & a Sultano singulari cū beneuolentia fuit exceptus. Agebat Nicææ tunc tēporis imperator Theodorus, ad quem mox a Sultano legatus mittitur, qui huic aduentum imperatoris & soceri nuntiaret; ac præterea, quā nullo iure alienum occupasset imperiū, exponeret. Commotus hac oratione fuit imperator, nec modica formidine correptus. Quippe Sultanus imperatorē Alexium ꝑtexens, reapse scopū ad vnū collineabat; vt vniuersam ditionem Romanam excurrendo depopularetur, aut etiam sibi subiiceret. Itaque Theodori Augusti res erant in acie, quod dici solet, nouaculæ constitutæ. Quamobrē coacto concilio, suorum tentat animos, adhæsurine sibi potius essent, an socero suo, imperatori Alexio. Illi, velut vna voce, respondent omnes: cum eo se vel viuere, vel interire decreuisse. Cōfirmatus hac oratione suorum imperator, Nicæa discedit, quum secum Sultani legatum haberet, celerique cursu Philadelphiam properat. Interim Sultanus sumto secum, quem escæ loco adducebat, imperatore Alexio, Antiochiam petit, ad Mæandrum amnē sitæ regionis vrbem: quā occupare instituens, confestim machinis adhibitis oppugnat, eoq; redigit; vt in ipsius iamiam ventura potestatem videretur. Quod quidem veritus imperator Theodorus, qui res ita comparatas reuera sciret, vt hac potito Sultano, nihil amplius impedimēto futurum esset, quo minus vniuersam Romanorum ditionem caperet: iacta quasi de summa belli alea, vel rectius veriusq; loquendo, collocata in eum dominū fiducia, cuius adpellationē veluti commune signum, religiosi omnes ferim⁹; mox cursum accelerat, quum suis imperasset, ne qs vel tentorium, vel sarcinā, vel aliquid aliud inutilis ad pugnam rei secum ferret; exceptis necessariis, annona modica, cum vestitu. Totus autem ipsius exercitus duûm millium numerum non excedebat, in quibus erant Itali ıɔccc, viri fortes, & manu promti, veluti suo tempore adparuit; reliqui Romani, siue Græci. Quum propius imperator ad Antiochiam accessisset, legato Persæ (Turcum intelligit) ad herum suum abeundi potestatem facit. Discedit ille, suoque Sultano imperatoris aduētum nuntiat, qui nullam apud ipsum fidem inueniebat; adeo quidem, vt legatus iuramēto præstito, non procul imperatorem abesse diceret. His auditis, quanta potest celeritate, copias Sultanus colligit, & acies ad pugnā instruit. Primi exercitum Sultani adgressi sunt Itali, quantumuis ingens multitudo Musulmanorum adesset: quumque fortia manu facinora, fortiorisque documenta edidissent animi; cęso quodam hostium infinito numero, propemodum vniuersi ceciderunt. Superatis Italis, nullo negotio Romanas etiam, siue Græcas, Musulmani vicere copias: quorum plerique iam effuse fugiebant, pauci vim sustinebāt hostilem; quem pugna finem esset habitura, dispiciētes. Sultanus iam prœlio superior, imperatorē ipsum quæritat: quē ei quidam in magna consilij, rerumq; constitutum ostendit inopia. Celeriter igitur in eū, corporis sui robore fretus, se proripit. Posteaquam alter alterum adgnouisset, clauā Sultanus in caput imperatoris adigit; cuius ille vi, vertigine oborta, ex equo cecidit: quum etiam equus ipse, quemadmodū sane perhibent, hoc prolapsus ictu fuisset: quāuis an alteram

ille plagā a Sultano acceperit, equidem dicere non possim. Excussus equo imperator, quasi si diuina vi quadam animaretur, in pedes semet erigit, & vagina gladium educit: dumque Sultanus ad suos auersus, Abripite hunc, contumeliosa voce diceret; posteriores equæ Sultani pedes ferit. Nam equa vehebatur, & proceritatis quidem inusitatæ. Qua de causa Sultano velut e turri quadam præcipitato, caput amputatum subito fuit; quum nec imperator ipse, nec illorum quisquam, qui propter eum adstitere, nosset; a quonam præcisum ei caput fuisset. Hoc modo maiori iam parte victus imperator, vincit: nec vlterius tamen progrediendo, persequi victoriam potuit, quod exiguus ei militum numerus hoc prœlio fuisset relictus. Hæc respirandi Romanis occasio fuit. Inuiolabilia namque pacis ex eo tempore fœdera Musulmani cum Romanis pepigerunt.

Habemus igitur hactenus Aladinis primi filios duos, Azatinem & Iathatinem. Sequutus est in imperio patrem, non Aladinum, vt apud Aythonum legitur, sed Azadinem, vel Azatinem, & Giassadinem patruum, prioris Azadinis filius, & ipse Giassadin a Turcis dictus; quem aliqui nostrorum vocant Gaiazadinum, Aythonus Guiatadinum, pronuntiatione Gallica; Græci quidam corruptius Azatinē. Hic anno regni Ioannis Ducæ Vatatzis apud Græcos nono, ni fallor, victus primo suis cum Musulmanis fuit, Prætore nostro auctore, quadam a natione Tatarorum, quos Tancharos ipse dixit, ego Tangoros adpellatos ab Aythono arbitror. Nam Tamachorum vocem, (modo recte scripta sit) qua conquisitores (id est, regionum occupatores) significari notat idem Haythonus, equidem potius pro indito his cognomine duxerim. Prętor noster qui tunc erat in aula Græci Asiæ principis Vatatzis, expresse refert, quo tempore cæsus Musulmanorum exercitus a Tancharis fuerit; Sultanū eis imperasse, nomine Iathatinem, Azatinis filium. Is, inquit, ignauus e viro forti natus fuit. Oblectabatur enim compotationibus, & libidinibus; ac vagos, fœdosque concubitus sectabatur. Præterea semper cōuersabatur cum homuncionibus, quibus nec de ratione, nec de natura humana quidquam omnino constaret. Ipsius autem pater non erat talis, quando suis ille quidem libidinibus indulgebat, sed non vehemēte nimis impetu: ideoque melius rem militarē administrabat, quam qui eum prçcesserant. Hic vero plenam ad satietatem fruebatur iis, quibus gaudebat. Prœlio cum Tancharis congressus, inferior discessit. Quumque redactę in angustum ipsius res essent, legatos ad imperatorem Ioannem misit, optimum ab eo sibi consilium dari petens; quo & hostem auerteret, & ab onere præsenti nōnihil subleuaretur. Aiebat enim, hoc ipsum ambob⁹ salutare futurum. Quippe Musulmanorum natione per Tancharos extincta, libere deinceps eos Romanas ditiones inuasuros. Et hoc quidem verissimum erat. Itaq; Ioannes imperator, acri præditus in reb⁹ huiusmodi iudicio, percupide legationem excipit, & cum Sultano coniunctionem hāc ineundam statuit, vt hostes hoc modo posset auertere. Nam fore putabat, vt duobus eiusmodi maximis imperiis vnitis, non abs re terror hostibus incuteretur; qui scopo in vnum directo, mox aduersus duos essent habituri negotium. Quapropter rebus inter se compositis, conuenere mutuo Ioannes imperator, & Sultanus Iathatines, in vrbe Tripoli, quam Mæander amnis adluit. Sultanei ponte de tignis, opere tumultuario, structo; viam transeundo flumini cunctis aperuerūt. Nec ipsi dumtaxat principes inter se mutuo peramanter iunxere dextras, sed illis etiam porrexerē singuli, qui apud alterutrum dignitatē præstabant: ac fœderibus, quæ iam prius inter eos erāt inita, meliore modo confirmatis, vt in hostem coniunctis pugnarent viribus, a se inuicem discesserunt: imperatore Philadelphiā, Sultano Iconium reuerso, qua in vrbe regiam habebat. Hæc Prętor, qui deinceps addit, aliquamdiu pacem a Tancharis fuisse cultam, intermisso aduersus Iconij Sultanum bello; quandoquidem aliis cū populis haberent, quod agerent. Quippe Babylonio bellum, ait, eiusque finitimis intulerant; quem Chaliphā dicere Musulmanorum gentes solēt. Ad eumdem Sultanum narrat profugisse Michaëlem Palæologum, quum imperatori Theo-

doro Ducæ Lascari secundo in suspicionem venisset: quod accidisse post annum Christi CIↃ. CC LV necesse est, quum eo mortuum constet Ioannem imperatorem, cui Theodorus filius successit. Dum istic exsulat Michaël Palæologus, forte Tanchari, ait Prætor, maiori parte regionis Musulmanorum prædis agendis exhausta, propter vrbem †Axara castra metabantur: aduersus quos omnino Persis (Turcos Iconienses intelligit) pugnandum erat. Itaque Michaëlem Comnenum (de Palæologo loquitur) Christianarum apud se copiarum ducem Persæ constituunt. Is autem, quum in solo esset alieno, abhorrebat ille quidem a societate Musulmanorum in committendo prœlio, ne (quod ipse dicebat) pius piorum sanguis in pugna profusus, cum impiorũ sanguine commisceretur: diuina tamen gratia corroboratus, animoque forti resumto, ad pugnam prodiit. Ac pars quidem exercitus illa, cuius aciem Michaël struxerat, oppositos sibi Tancharos vi maxima superauit: quũ ante alios primus ipse Michaël hasta ducem exercitus hostilis iuxta mamillã vulnerasset, qui paullo post illo extinctus ictu periit, vt a rei gestæ gnaris relatum fuit. Dum vero victi a victrice Comneni parte Tanchari, fugam moliuntur: vir quidam clarus apud Persas siue Turcos, dignitate *Amyr--achures, (id magni apud ipsos officij nomen est) iamdudum perfidiam contra nationem suam parturiens, tũc eam in lucem edidit; sumtaq; secum vniuersa sibi credita militum manu, ad Tãcharos accessit. A quo iam tempore contraria prioribus accidebant. Nam qui paullo ante persequebantur hostem, nũc fugiebant; & aduersis terga cædenda præbebant. Quamobrem non exiguus Persarum numerus, Tancharorum telis confixus, cecidit. Et non desinebant victores, ad magna victos interualla persequi. Michaël Comnenus, hoc rerum euentu maximo Persicarum copiarum Stradopedarchæ, siue castrorum præfecto, quem † Peclarpacim Persæ siue Turci nominare consueuerunt, viæ se comitem adiungit. Hi duo compluribus diebus vna proficiscũtur, quum inhærentes tergis hostes haberent, & singulas in horas aduersus eos dimicarent.

† *Consule Pandect. cap.58.*

* *Vide Pand. cap.14. & 200 sub finem, & 228.*

† *Vide dicta Pandectis capita, 14 & 228.*

Tamdem, quod indicati Peclarpacis domus iuxta * Castamonam esset, eo festinabundi peruenere. Tanchari vero parẽtem Musulmanorum imperio regionem vniuersam percurrendo diripuerunt. Itidem locus alius est apud eũdem Prætorem, de hoc Iathatine secundo; quem operæ pretium fuerit, heic quoque legi: tamdem vt appareat, quid de ipso, deque Sultanatu Iconiensi factum fuerit. Continua vero ducenda sunt hęc cum iis, q̃ supra de prœlij contra Tancharos exitu sunt commemorata. Sultanus, ait, qui Persarum Turcorumve princeps erat, * pauidæ fugitiuæque ceruæ cor habens, vti cum poëta quis dixerit, regione sua relicta, quandoquidem dissipatus erat ipsius exercitus, ad imperatorem profugus se contulit. Is autem & excepit eum, & cum suis, quos secum adduxerat, liberaliter donatũ adiuuit, vt suam in ditionẽ reuerteretur; modicis ei copiis adiũctis, in quibus viri CCCC dumtaxat erãt. Iis ducem præfecit Isaaciũ Ducam, cognomento Murtzuflum, quod familiæ fuerat inditum a nonnullis, quibus in adpellationibus huiusmodi ludere libet. Et erat is hoc tempore Augustalis aulæ primicerius. Persarcha vero, beneficium hoc imperatoris, beneficio compensare mutuo volens, ei ciuitatem Laodiceam donauit; in quam & præsidium Romanum fuit immissum. Sed exiguum ad tempus illud durauit, rediitque ciuitas in potestatem Musulmanorum. Quippe fieri non poterat, vt a Romanis defenderetur. Sultanus autẽ quũ & ipse Tancharis resistere nõ posset; habito cum delectis ex omni numero suorum consilio, in certa pacis fœdera pactionesque cum Tancharis conuenit, & ipse cum suis tributarius eis factus est. Adeoque Tanchari ex illo tempore tributum a Musulmanis exigunt. Huc vsque Prætoris verba recitanda duximus, quod explicandę seriei principum Iconiẽsium, qui deinceps sequuti sunt, nõ exiguam sint adlatura lucem. Quippe secundum hæc, Iathatines hic secundus, iterum ditione pulsus, quam Theodori Lascaris imperatoris ope receperat, Tatarisque tributariam fecerat; ad ipsius in Græcorum imperio successorem, Michaëlem Palæologum, hospitem suum, cum vxore liberisque suis se contulit.

* *Vid 66 Pa*

* *φυζ ἐλάφε δίνη.*

contulit; nec vmquam ex eo tempore patritum illud, auitumque regnum recuperare potuit. Videamus ergo Turcorum e commentariis, quos in eo successores habuerit. Filij quidem certe non successere, quod e nostris quidam temere tradiderunt. Nam Turci diserte scribunt, ab Vlu-Chane, vel imperatore Tatarorum, substitutos huic in regno fuisse duos, cum pacto soluendi tributi: Mesootum, Kei-Cubadis filium; & Kei-Cubadem, Feramucinis filium. Natos autē hos regia fuisse familia, colligitur ex eo; quod editos Selzuccia stirpe commemorant: sed quo Iathatinem expulsum sanguinis adgnationisve gradu adtigerint, nō exponunt. Nec itidem sciri potest, an potius e posteris Cutlumusis orti fuerint, & auito iure ditiones repetierint: quod veri sane similitudinē aliquam habet. Tributum vero fuit inter hos, auctoritate Tatarica, regnū prius integrum, lateque patens, ea ratione: vt Mesooto ciuitates, Amidensis, Melatiensis, Siuastēsis, & Harberiensis, cum suis singulæ territoriis prouinciisve cederent: Kei-Cubadi vero Iconium, cum Rumilia vel Asiatica Græcia maritima. Mesooto nullus a Turcis nominatim successor aut heres datur, Kei-Cubadi filius Aladin secundus, quem vero fit simile, diuisum prius regnum denuo sub vnius redegisse potestatem. Quum autem absque liberis decederet, imperiū Sahibus inuasit, qui primus a consiliis Aladini superstiti fuerat.

Hæc igitur est illa Sultanorum Iconiensium series, a Turcis tradita; regno ab Aladine primo inchoato, & extincto in Aladine secūdo: vix vt Zengianis a temporibus incipiendo, supra x c durasse annos, periodo satis apte septem regum gubernationi respondente, videatur. Nam quæ alij tum diuersa, tum de pluribus prodidere, sed toparchis potius, quā Romaniæ Padischachis; nunc quidem intacta relinquimus, ne quis me delectari laboribus alienis vel examinandis, (quod tamen publici boni causa licitum cuiuis arbitror) vel exagitandis, cogitet. Sahibi vero regnum minime diuturnum fuisse, constat; eoque vel pulso, vel spontaneo semet exsilio abdicante, distractum plures in ditiones a VII proceribus fuisse Sultanatum Iconiensem; Nicephorus Gregoras, & Laonicus Chalcocondyles verbis, Turcorum commentarij reipsa demonstrant. Vident autem lectores, quam plerisque genuina, in hac explicatione tam breui, nomina restituantur: quum Kei vel Cai-Husreues ostendantur a Græcis & aliis adpellati Cai-Chosroës, prisca voce Persica: quū Mesootos Turcorū, nostris pareat esse Masutos: Copatinos nostrorum, ipsis esse Cobades, antiquo nomine Persico Cabades aut Cauades: Kei-Cubades, Cai-Cabades: Giassadines, Iathatines: Raconadios denique, quod ceteris vocabulum corruptius est, dicendos & scribendos Kacouadios, velut Cai-Couadios; quum Turci Kai-Cubades nominent.

Hoc modo declarata iam successione Musulmanorum principum triplici, videlicet Agarenica, Selzucciaque gemina, Tograna & Aladinia: restat exponendum Oguziæ gentis in Osmanide familia regnum, quod hisce tribus quarto loco successit, & exemplo tam Togranis, quam Aladiniis inusitato, Chalipharum etiam nomen in vsum reuocauit. Quippe Turcorum ab Oguziis propagatorum hodierni principes Osmanidæ, creduntur a suis in Chalipharum primorum vestigia, velut hēredes maxime legitimi, successisse: nominaque tam Chaliphæ Musulmanorum, quam Seriphis, ipsi sibi adrogant. Quorum origine describenda, quum statim ab initio Suleimanis Scachi nomen habituri simus, qui pater Ertogrulis, Osmanis auus fuit, vti de principio libri sequentis adparebit: indicemus hoc loco paucis, quam Suleiman Scachus hic Oguzius; ab illo superius commemorato Selzuccio diuersus sit, qui & ipse Solyman Sa, vel Suleiman Schach, in historiis adpellatur; & e fratre Sultani Belchiaroci fuisse natus, a plerisque perhibetur. Qua sane de causa non exiguo principes Aladinios interuallo temporis antecessit; & tanto quidem; vt in manifesto versentur errore, qui Sultanum Aladinem primum eius Solymani filium fuisse putant, vti de superius indicatis etiam adparuit, vbi Solymanum Cutlumusis fuisse filiū ostendimus. Non lōge

abierimus. Ex ipsa temporum supputatione rem omnem illico perspiciemus. Traditur enim Solyman ille Sa, vel Suleiman Schach, id temporis aduersus Christianos ab Occidente profectos, in Asia minore dimicasse; quo tempore Gotifredo Bullioneo duce, ad Palæstinam armis recuperandam, in Orientem maximo numero contendebant. Id accidisse necesse est ante annum a nato Christo CIↃ.XCIX, quo recepta fuisse Hierosolyma constat ab illo Gotifredo, quem diximus. Suleimanis autem nostri filius Ertogrul, extinctus a Turcis refert anno Christi nati CIↃ.CCLXXXIX: quum a morte patris ad annos LII Oguziis suis præfuisset. His igitur annis LII de CIↃ.CCLXXXIX subductis, reperiemus annũ Christi CIↃ.CCXXXVII: quo Suleiman Scachus Oguzius occubuit. Vnde colligitur, priorem illum toto nostrũ hunc sæculo præcessisse. Prior coætaneos habuit, Henricum IIII imperatorem nostrum, & apud Græcos Alexium Comnenum, eius nominis primum: alter periit anno imperantis apud nos Friderici secundi XXVII, Balduini secundi apud Constantinopolitanos VI, Ioannis Ducæ Vatatzis apud Græcos in Asia minore XV. Filius autem huius Ertogrul mortuus fuit anno regnantis apud nos Rudolfi Habespurgij XVI, Andronici Palæologi maioris apud Græcos sexto. Qua ipsa de causa, si filius Ertogrulis Osman, primo post obitum patris decennio Phrygas Bithynos, & alios perpetuis excursionibus vexatos, in potestatẽ redegit, & imperij fundamẽta iecit: recte deinceps Andronici Palæologi maioris anno XVII, & in ipsis Alberti Austriaci primi auspicijs, anno Christi CIↃ.CCC suũ inchoasse principatũ statuetur: qui synchronismus, certo quodã respectu, heic etiam obiter adnotari debuit.

IO. LEVNCLAVII HISTORIAE MVSVLMANAE TVRCORVM LIBER SECVNDVS:

ERTOGRVLIVS, VEL OSMANIdarum origo.

T hactenus quidem hæc, proagonis quasi cuiusdam vice, præmittenda duximus: vt quæ deinceps exponẽda veniunt, aliquanto planiora lectoribus efficerentur. Nũc ad ipsam rem ꝓpius accedendo, referamus ea, quæ ad exordia quarti huius, vltimique Musulmanorũ imperij, & peculiariter ad Osmanidarum originem pertinent. Qui res gestas suorum in litteras retulere Turci, statim ab ouo, quod aiũt, Osmanidarum historiam repetere solẽt; dum ab Iapheto, Nohæ filio, tam principes ipsos, quam gentem suam deducunt: non id quidem inscite, si populorum totius orbis origines a Mose, veritatis historicæ parente, in Originum libro traditas, pro certis & indubitatis habere volumus, vti profecto facere debemus. Meminit enim Moses Magogis, quem Iapheti filium fuisse scribit; & Flauius Iosepus, interpres Mosis eximius, ab hoc Magoge Scythas propagatos ait: Scytharum vero gentem non ignobilem, Vnnos esse, nemini non constat; a quibus Turcos Græci prodiderunt ortos, præsertim Leo Sapiens imperator, Symeon Magister Officiorum, Zonaras, Eustathius, Simocatus, & Cedrinus, qui multoties repetit, Vnnos & Vngros, nominari Turcos: idemq; Turcos in Pannoniis, Occidentales vocat; alios orientales tũ Persis vicinos facit, tum suo tempore collocat in ipsa regione Persarum, qui hodieque lingua sua Turcos adpellare solent Magores, sicut & Vngri se Magores indigitant: vel ab illo Moagore siue Magore deducto nomine, qui Iustiniano magno imperante princeps Vnnorum, Bosporo vicinorum, in Chazaria fuit; & Gordam fratrem propterea, quod

quod Christianam religionem amplexus, Vnnorũ simulacra cõminuta conflasset, regno spoliatum occidit, quod a Cedrino narratur; vel etiam ab illo ipso Magoge, prisco gentis auctore. Quæ quidem origo Turcorum, a Magoge, Iapheti filio deriuata, retinentibus ipsis etiam Gogis adpellationem in monumentis suis, vt est in sequenti videre genealogia, gentis antiquitatem non contemnendam demonstrat. Nec infame nomen est, quum vox Iurki, vel Tzurki, vel Tzuruki, (sic enim ab eis pronunciatur) ipsorum lingua pastores vagos, siue migratores, seu Græcorum sermone Nomadas significet, id est eos, qui nullis vtentes domiciliis fixis, pascuorum causa hinc inde cum familiis, armentis, & gregibus, obuagantur. Adeoque nomen hoc Iurkæ, quod genti vetustissimum est, recte sic scriptum apud Herodotum legitur, nec temere mutari debet. Sed quum ab Ertogrule, Osmanis patre, cõtinuam maiorum seriem commemorant, ad eum vsque, quem diximus, Iaphetum: haud dubie se temeritatis arguunt, parumque pudentis adrogãtiæ, qui a barbaris, & litterarum prorsus ignaris oriundi, eam suis audeant regibus gloriam cõtinuæ successionis, inde vsque a primitiuis illis sæculis adfingere; quam, solis exceptis Hebræis, nulla ceteroqui mortaliũ natio, licet antiquitus litterarum & historiæ beneficio nobilitata, vindicare sibi vmquã potuit. Ne tamen ij, qui Turcicam legere volẽt historiam, ex ipsis Turcorum monumẽtis erutam, fraudatos se tam hactenus ignota generis Osmanici propagatione queri possint, quæ in eorũ libris tradita reperiatur: exponamus heic sane cõtrouersas adhuc genealogias horũ, si tamen prius monuerimus, extremã certa propemodũ serie Turcorum originem, non tantum ab ipsis, verumetiam a Græcis, ad Oguzios & Alpios, quos Elpios alij pronuntiant, referri. Series autem hæc memoriæ proditur. Osmanem aiũt Ertogrulis fuisse filium, cui pater fuerit Suleiman Schachus, Caiæ Alpis filius, vel Cabi Elpis, vt alij nominant. Ab huius patre Kisul-Buga, quo vocabulo taurus coloris rubei significatur, ordine a filiis ad patres, a patribus ad auos, proauos, abauos, atauos, ceterosque maiores adscendendo, numerãtur hi: Bai-Temur, Ai-Cutlug, Tugra, Caraito, Sacor, Bulgai, Sencur, (aliis Bai-Songur) Baki-Aga, Ciac-Aga, Tog-Temur, (quo ferrũ gladiusve satur ipsorum significatur lingua) Versaiob, Iasac, Zem-Endur, Ai-Cutlug, Turac, Cas-Han, Iasu, Ialauatz, Bai-Beg, Togra, Tog-Missa, Geutze-Beg, Artoc, Cotari, Zem-Kimor, Tortze, Kisul-Buga, Iamac, Bas-Buga, Zem-Ormir, Bai-Sui, Togra, Seuinz, Tsar-Buga, Cutlu-Mussa, Curtzau, Baltsac, Comas, Cara-Oglan, Suleiman-Schach, Carchalu, Boslugan, Bai-Temur, Durut-Mussa, Gioc-Alp, (aliis Gog-Elp) Oguz, (quæ vox religiosum hominem, deuotumq; significat) Cara-Chan, (qui princeps niger est) Cutluzac, Lechrec, Diptacoi, Bulchas, Iaphet, Noa, cui Peigamberis siue Prophetæ nomen tribuere consueuerunt.

Hæc igitur illa series est, qua principes suos, ipsamq; nationẽ Oguziã Turci a Noa deducũt. Cuicuimodi tamẽ ea sit, fieri nõ potest, vt haberi ꝓ integra possit. Nã inter hos, qui posteriores heic recitãtur, & Iaphetũ, longã multorũ seriem desiderari, nõ est cur dubitemus; donec tãdem ad illũ, quẽ diximus, Magogem Mosis, Iapheti filium, verũ generis quasi fontẽ, perueniatur. Atq; hoc diserte fatetur Annalium Beccanorũ liber, a Turcis scriptus, a nobis editus; quũ ait, XVII dumtaxat auctores huius familiæ litterarum monumentis proditos reperiri: (quib. heic iam triplo fere plures legi videmus) reliquos, quorũ ignota nomina, continua serie referẽdos ad Iaphetum, Noæ filium. Addendum hoc quoque, Philippum Haniualdum de gentis auctore Magoge, diuersam a nostra sequi sententiam; & Turcos ab alio quodam Iapheti filio, cui nomen Thubal, propagare; quem putat eumdem esse cum illo, qui Turcis heic Bulchas dicitur: aitque, collocari posteritatem Thubalis inter mare Caspium, & Pontum Euxinum; vnde Turci tam in Persidem, quam in Asiam minorem irruperint. Opinio sane non inelegans, & quam fortassis id quoque confirmauerit, quod iis locis vicini quondam fuisse perhibeantur Alybes, a quorum nomine Turci antiquissimi dicti videntur Alpes & Alpij, qui Verantiano inter-

preti scribuntur. Alibi, vocabulo propius ad Alybes accedente. Sed pace viri opt. & amicissimi liceat mihi paucis ostendere, quid in cõtrarium adferri possit, & expendendum veniat. Primum posteri Tubalis esse statuuntur Iberes, nũc Curggini siue Georgiani, eorum & olim & hodie locorum incolæ, quæ sita sunt inter mare Caspium & Põtum Euxinum. Deinde fateor ex his locis Turcos tam in Persidem, quã in Asiam minorem infusos: sed inde non sequi, Turcos in his regionibus primas omnium habuisse sedes, vt illic velut aborigines fuisse credi debeant. Nam aliunde paullatim huc commigrarunt, quemadmodum superius initio libri huius historiæ primi ostendimus. Ac si quis ex me quęrat, vnde tamdẽ huc adpulerint: dicam equidem, vltra Tanaim, versus Oceanũ Septemtrionalem, sitam esse regionem; cui nomen Iuchra siue Iuchria, de quo datum indigenis vocabulum, vt Iuchri dicantur. Ex hac Vnnos, qui & Iurchi, sicut indicatum supra, quodam prodiisse, non absq; similitudine veri, equidem arbitror: patriisq; locis egressos, primum ad Mæotidis paludes consedisse; deinde versus Chazariam, & Pontum Euxinum progressos, ibidem aliquamdiu hæsisse, quod etiam ex paullo ante dictis hoc libro perspicitur; donec partim ad Danubium fluuium, Pannoniã versus; partim ad Iberas & Armenios, ac indidem Persarum in regiones concederent. Iuchrię vero veteris indigenæ ferũtur adhuc eadem cum Vngris vti lingua: tributumq; Kniesi Velikio, siue magno principi Moschorum pendunt. Nomen ipsum Iuchria, respondet nomini Iurchia; sicut & Iuchri, perexigua litterarum metathesi, pro Iurchis, qui Iurki siue Tzurki, & Turki vel Nomades sunt, adpellati videntur.

Gentem vero suam, vt ad historiam redeamus, tradunt ipsimet fuisse simplicem, quæ Muhametis leges & instituta quum percepisset, mox eis adhæserit. Et hi, quorum enumeratã stirps est, genti Oguziæ (sic enim adpellatur) cum potestate præfuerunt; sede principatus Machanæ constituta, quę Aiemiæ, siue Persarum regionis, ciuitas erat. Inter alios illustres ex hac gente viros, recitatur etiam nomen Ebu-Muslimis Meruis, qui post Muhametem, multa cũ Gauris (sic nominare Christianos solent) bella gessisse perhibetur. Historiæ Græcæ scriptores, præsertim Symeon Officiorum Magister, & Cedrinus, mentionem eius faciunt, Maslamam & Masalmam, vitiato vocabulo, nominantes; & pleraque de rebus ab eo gestis in Leonis Isauri, Græcorum imperatoris, vita commemorant: itidemq; superiori libro transscripta de Arabum Turcorumque libris & ipsi non pauca, de pugnis eius aduersus Christianos, dedimus. Ac notãdum heic etiam exemplum honorarij tituli, qui per vocem Ebu, (patrem ea significat) magnis apud Arabes viris, & cõsiliariis principum, venerationis caussa tribui solebat; vti libro quoque præcedenti monuimus. Continuatus autem fuit ille principatus Machanẽsis ad ea vsq; tempora, quibus apud Chitainos & Tataros exortus humili loco Zengis quidam, Chan siue princeps amplissimarum Scythiæ nationum, communibus barbarorum suffragiis, delectus fuit; & quum alios vicinos bello adgressus vicit, tum etiam maximis suorum instructus copiis, in Aiemiam, quam diximus, penetrauit. Erat in Aiemiorum hac regione quoddam aliud etiam Turcicæ nationis regnum, ad vrbem Chorasanis, quæ pars est Aiemiæ, Belcham siue Balcham. Id regnũ obtinebat familia Selzuccia, nobilis (vti priore libro dictum) ac præpotens inter Turcos, & iisdem auctoribus, Gogis Alpis Chanis vera posteritas, Oguziis ratione originis adgnata: quæ olim ab Aiemiorum siue Persarum rege quodam accita, cui nomen Sultanus Machmutes Sebictegin, cum centum fere millibus hominum ex Armenia, fluuio Achlate (priscis Araxes dictus fuit, Theueto Colacha, quod Achlat est metathesi exigua) transmisso, ditiones Persicas ingressa fuerat, & Chorasanem occupauerat, eamque CLXX annis, ante Zengis Chanis hanc in illas regiones expeditionem, possederat. Zengis autem Chanis expeditio notatur a Turcis in annum Muhametanum IↃ CXXVI incidisse, qui secũdum expositam a nobis in † Pandecte rerum Turcicarum rationem, †a fere Christiano CIↃ. CC respondet. Eo tempore puerum fuisse quadrimum tradunt, insignem legis suæ doctorem, Meula-

Meulanam siue sapientem illum (Mollam dicunt alij) Hodauendicarem, nomine Gelaledinem; qui de religionis ipsorũ placitis, & institutis, magnos Persicis versib⁹ libros composuerit. Balchæ vero tum princeps erat ex ea, quã diximus, Selzuccia gente, Cursumes Schachus: quem & vrbe Balcha Zengis, & Chorasane prouincia spoliauit & expulit, atque in exsilio mori coëgit.

Secundum hæc, extincto etiam Zenge, successit eidem filius Ectais Chan, qui aliis Ocnai Chan, Occodai nostris quibusdam adpellatur. Hic Aiemia paternis victoriis adquisita non cõtentus, progrediendum statuit vlterius, & Bagdatim adortus cepit; rerumque potientes istic Abbasios, vel Turcico more loquendo Abbasileros, Muhameticæ familiæ propaginem, de quorum generis auctore Abbase, superiori libro meminimus, partim occidit, partim profligauit, partim cum ipso regno in potestatem redegit. Atque heic obiter obseruanda gentis Abbasilerorum, ab Ebubekiris Chaliphæ primi filio Abbasi ꝓpagatæ, continua quingentos ad annos in Agarenorum Chaliphatu, & admiratione profecto digna successio. Nam supra de libris Arabum & Turcorũ ostendimus, Abdullam Abbasis filium, Ebubekiris primi Chaliphæ nepotem, ab Azizis generi sui morte Chaliphæam dignitatem in se transtulisse: cui deinceps filios & nepotes successisse notauimus, & hoc tamdẽ loco Musulmanos indicare videmus, eam successionem ad Zengim vsq; Chanem, hoc est, ab anno Christiano ɪↄᴄʟxxxɪɪɪ, qui Cõstantini Pogonati decimus regni erat, ac tertius, ad ᴄɪↄ. ᴄᴄ durasse. Tanti deniq;, vt nostram ad historiam reuertar, Zengianę familię successus erãt in omnibus eorum locorum regionibus; nihil vt ab eis tutum esset, totaq; Persis in maxima rerum perturbatione versaretur. Quæ sane causa fuit, cur alius etiam Selzucciæ familiæ princeps in Perside, Sultanus Aladin, eas regiones cum suis deserens, versus Rumilerorum (qui Græci sunt, Romæos siue Romanos semet, ob successionem in Romanorum imperio nominãtes) prouincias in Asia se conferret: vbi regionẽ Ionan, cui Iauan Iapheti filius, Noæ nepos hoc nomẽ dedit, & quæ nunc Caramaniæ nomẽ habet, occupauit; & Padischachi, qui supremus princeps est, ius ac dignitatẽ adeptus, vrbẽ Siuasten, quę Cappadociæ Sebastea vetus est, & Coniã, q̃ priscis Iconium, ruinosas, pæneq; collapsas, instaurauit & muniuit. Quo tempore vero, superioribus annis, hæc Persidi mala Zengis Chan intulit: ne populo quidem Oguzio visum est, in illa summa confusione rerum, diutius in iis locis hærere. Displicebat enim fœda illa status publici facies nationi modestæ, simplici, religiosæ, tranquillæ, innocenti puræq; vitæ deditę; cuiusmodi videmus agricolarum plerumq; mores esse, ac illorum indolem, qui armentariæ pecuariæque rei studẽt. Quippe pro maiorum suorum cõsuetudine, reuera Nomades erant Oguzij, qui pascuorum causa de locis aliis in alia cum familiis commigrabant; & tentoriis suis, vel mapalibus, sub dio cõtẽti, nulla nec opida, nec pagos, nec ędificia sibi struebant. Ipsa mapalia, quibus vtebantur, tabernaculis erant consimilia; rudi panno, quem filtrum vocamus, cooperta: cuiusmodi sunt adhuc in vsu Tataris, & apud Turcos iis, qui hodieque suis cum gregibus hinc inde per Anatoliam, Caramaniam, Suriam, & Arabiam vagantur, & pascua certis pretiis conducunt, ac Turcomanleri nominantur. Hæc sua secum mapalia deferunt, quocumque migrant: quandoquidem & complicari possunt, & extendi, & humi deponi, & sursum erigi. Mapalium ipsorum ostia semper austro solent obuerti, nec desunt quadrigæ, vel plaustra, filtro cooperta; quibus vxores, liberi, vtensilia pleraque vehantur, & a pluuiarum iniuriis defendãtur. Hęc omnia cognatis, ex origine Scythica, gentibus Tataricis & Turcicis, ita communia sunt; vt a priscis iccirco non tantum Nomades, sed etiam Hamaxophoreti, & Hamaxobij dicti fuerint: quod in plaustris hinc inde perpetuo circumuagarentur, & omnem in eis ætatem agerent. ἁμαξοφόρητοι. ἁμαξόβιοι.

Erat id temporis Oguziæ gẽtis princeps, quẽ Padischachũ Machanensem vocabant, Suleiman Schachus, Ertogrulis pater, Osmanis auus: qui quum vidisset initio stirpem Selzucciam extra fines Aiemiæ pulsam, ac deinceps Abbasilerorum quoque gentem bello pe-

F

ti: cum Nomadibus, siue Turcis suis Oguziis, in quibus erant hominum ad ɪↄↄↄ, regia Machanensi relicta discessit, & versus Asiaticas Rumilerorum prouincias, qui Græci sunt, iter instituit. Acceperat enim, a Musulmanis iis locis magna frequentiaque contra Gauros, hoc est Christianos, pugnari prœlia: quibus interesse cum suis, nimium quantum Muhameticæ persuasionis propugnandæ studiosus, quum gloriæ, tum etiam rei parandæ, proque se ac suis adquirendæ ditionis alicuius causa, cupiebat. Recens autem regiones illas Sultanus Aladin, Geichusreuis filius, de quo præcedenti libro dictum, in potestatem magna ex parte redegerat. Et nomen illud Geichusreues Turcicum, nostris in historiis etiam reperitur: compositumque de duobus est, quorum posterius Husrevv, hodieque Turcis per est vsitatum, sicut olim Persis quoque, multo ante, quam in eorum fines arcessiti Turci venissent. Non enim est aliud, quam Chosrois vocabulum vetus, compluribus eius gentis regibus datũ: sicut & Gei-Husrevv, prorsus idem est cum Caichosroë, nomine Turcis Iconiensibus familiari, quod historiæ nostrorum quoque celebrant. Suleiman vero Schachus, vna cum istis suorum ɪↄɪↄ, qui Nomadum instar, mapalia familiasque suas secum vehebant, trahebant; Artzerumen (verum opido nomen est Artze, quod luculente Cedrinus in Cõstantino Monomacho descripsit. Turcis vero, quod in Rumilia siue Romania sit Asiatica, Rum addentibus, Artze-rum dicitur, velut Artze sita in Rum siue Romania) & Erzinzanẽ adpulit. Quumq; pro temporũ anni diuersitate, loca suis idonea delegisset, ac in ijs aliquamdiu hæsisset: inde Rumilerorum in ditiones vlterius progrediendo, Amasiam peruenit. Tum vero Gauros adoriri cepit, eductisq; suis, non modo ditiones eorum depopulatus est; verumetiam sæpissime conflixit, & grauibus eos pugnis adtriuit: donec tamdem Asiaticæ Rumiliæ cõplures vrbes, cum non paucis prouinciis, suo subiecisset imperio. Sed tamdem tot prœliis, tot vrbium expugnationibus, tot excidiis, non ipsi tantummodo defatigati milites Oguzij, sed etiam exhausti laboribus e-qui fuerunt, adeo quidem, vt nec iis Suleiman Scachus, nec his amplius, ad res ex animi voto gerendas, vti posset. Quãobrem se præpediri videns, quo minus, deminutis suorum viribus, in occupatis prouinciis pedem figeret: mutare consilium, & iis excedere terris coactus fuit. Accedebat fama de Persicarum rerum statu, quæ post ingentes illas plurium annorum turbas, nũc demum tranquilliores esse ceperant. Itaque postliminio domum reuerti, & auitas patritasque sedes repetere visum. Erat eis in hoc itinere media peragranda Suria, & vrbis Halepi regio transeunda; quibus in locis arx quædam est sita, quæ incolis Ziaber-Cala dicitur. Ad id castellum vbi peruentum fuisset, substitit cum suis Suleiman Scachus, & arcem castris admotis obsedit, & occupauit. Hinc cogitare de continuanda profectione pergit, quam impediri fluminis Euphratis obiectu videbat. Is enim omnino transmittendus eis erat, aut vado reperto, aut alia quapiam via: cuius rei perficiundæ difficultas animos eorum mirifice torquebat. Nec ipse Suleiman Scachus aliquem traiectui cõmodum locum desinebat quærere. Dumq; in hoc conatu, adacto calcaribus equo, ab altiore ripa profundum in amnis alueum se præcipitat; vorticibus aquarum abreptus, quando diuinitus (ipsis Turcorum verbis vtimur) hoc ei loco destinata mors erat, vna cum equo submersus interiit. Quæsitum in Euphrate cadauer regis, ac tamdem inuentum, propter arcem Ziaberim sui monumento intulerunt, vnde locus in hodiernum vsque diem ipsorum lingua Mesari-Zuruc, id est, sepulcrum Turcicum nominari consueuisse tradunt.

Extincto Suleimane Scacho, pars quædam gentis illius Turcicæ, delectis sibi sedibus, ibidem mansit: & nunc quoque castellum Ziaber in quorumdam est potestate, qui suam ad illos Turcos originem referunt. Reliquus vero populus Oguziorum, varie diuisus, diuersas in partes abiit. Quidam eorum ad Arabiæ † Suriæque parum culta desertaque loca se contulerunt, qui hoc etiam tempore Turcomanleri Damasceni vocantur; alij, quo venerant itinere, ad Asiaticam reuerti Ru-

milíam

miliam maluerunt; vbi nunc * quoque Turcomanlerij ſiue Nomades Iconienſes & Anatolici ab his orti, qui cum familiis ſuis hinc inde migrare ſolent, ſuperſunt.

Quære Præ-ris Græciæ rba dicto p. Pandect.

Reliquit moriens Suleiman Scachus filios quatuor, quorum primo Sencur-Tekin nomen erat; alteri Iundogdis, quod ortum ſolem ſignificat; tertio nomen Ertogrul, cognomen Gaſis ſiue militaris, qui pater Oſmanis fuit; quarto, Dunder. Hos qui ſequebantur Oguzij, plerique (velut antea dictum) reuerſi ſunt in Rumiliam: fratres autem quatuor, vbi cum reliquis aliquamdiu quieti ſe dediſſent; promotis inde caſtris, propter Euphratem, aduerſo flumine profecti, ad eos campos ac planiciem peruenerunt, quam Paſin-Ouaſi vocant, ſupra opidum Artzerumen ad decimum milliare Græcum vel Italicum ſitam; & ad locum cui Serlu-Zucur nomen eſt, ab alta foſſa, quæ noſtris auctoribus hiſtoriarum alicubi Paſini Charax fuiſſe dicta videtur. Heic Ertogrul cum fratre Dundere, & quadringentis cum mapalibus ſubſtitit, quæ promoueri de loco in locum, pro conſuetudine gentis indicata, transferrique poterant: reliqui fratres duo rurſus in Perſidem, priſcamque patriam ſuam, redierunt. Interim Ertogrul ad aliquod tempus hærebat eo loco, quem diximus: quum & fratrem vnum, & filios tres ſecum haberet, ac multoties cum finitimis confligeret: donec tamdem & ipſi viſum, repetendas denuo Rumiliæ regiones. Hoc igitur itinere ſuſcepto, ad opidum, cui nomen Angura, (Ancyram vel Angyram, pronuntiatione Græca, priſci dixere) venerunt: indeque perrexerunt vlterius, vt montem inhabitarent, quem Caratze-Dagim vulgo nominant, id eſt ſaltum montemve ſubnigrum, & Græce Mauron-oros. Meminit Hieroſolymitani Chronici auctor nomine carens, libro III, & Nigros montes adpellat, extera voce reddita. Hinc quoque migrarunt in planiciem, quæ Sultan-Vngi dicitur: vbi cum Gauris adſiduo pugnandum eis erat. Iamdudum antea Sultanus Aladin, Selzuccia ſtirpe natus, ex Aiemiorum regno diſceſſerat, quod indicatum ſæpius, ac ſibi Rumiliæ prouincias ita ſubiecerat: vt omnes illæ gentes eum pro ſupremo maximoque rege ſuo adgnoſcerent, quem Vlu-Padiſchachum ſua Turci vocare lingua conſueuerunt. Nec Ertogruli erat ignota Sultani Aladinis fama, ſplendor, & poteſtatis amplitudo. Quare quum tres haberet filios, quorum erant nomina Iundus, (id vocabulum diem ſignificat) Sarugatin, & Oſman: ſecundo natum loco Sarugatinem, cognomine Sauigin, quo latrator ſignificatur, ad eum miſit, qui peteret aliquem ab eo locum, quem cum ſuis inhabitaret & coleret. Aladin, reuocata ipſorum cōdicione ad animum, qui & auitis eiecti ſedibus eſſent, & in exſilio, deſtituti rebus ab omnibus, hinc inde vagarentur; tum preces admiſit, tum benigne ac perhumaniter eos habuit. Simul hoc ipſo tempore, quo primum Ertogrul ingreſſus Rumiliam cum ſuis fuerat, in quibus erant viri gerendis armis idonei, plus minuſve quadringenti, quidam eis ſe caſus obtulit, quo ſuam ſtatim ab initio fidem & virtutem Aladini probarunt. Habebat enim is quoſdam pluribus ab annis hoſtes, aduerſus quos illi forte tum temporis pugnandum erat. Et hoſtes hi non erant alij, quam Scythæ, ſiue Tatari: qui Selzuccios ſuis eieciſſe finibus, adeoq; tota Perſide, non contenti; etiam in recens adquiſitis Rumiliæ prouinciis eos perſequebantur, & perpetuis irruptionibus infeſtabant. Hos vero ducebat tunc Iatſo-Chan, qui ſcriptoribus hiſtoriæ Chriſtianis, Iohadais Chan adpellatur, & vnus e Zengis Chanis nepotibus fuiſſe perhibetur. Quum ergo Sultanus Aladin aduerſus hoſce Tataros dimicaret, ac tantopere premeretur ab eis, vt parũ abeſſet, quo minus cum ſuis defatigatꝰ & exhauſtus ꝓfligaretur: forte contigit, vt extorres hi, patrioque ſolo iampridem eiecti Nomades, interuenirent; quorum centurias aliquot Ertogrul penes ſe, militares haud dubie viros, habebat. Itaque compellatis iis: En optimi commilitones, ait, huc nos ad prœlium fors fortuna deduxit. Nobis etiam arma ſunt. Nequaquam viros fortes decuerit, his inter ſe pugnantibus, ita nos trepidarũ more muliercularum hinc diſcedere, nullum vt virilis animi

Πασινοῦ χάραξ.

μαῦρον ὄρος.

documentum edamus. Eligenda partium alterutra, cui mox opem feramus. Victoribus, an victis succurrendum, ipsi videritis. Quum responderetur, difficilem eis victæ partis defensionem futuram, qui pauci essent; ac trito hominum sermone prouerbio dici, Penes victorem vires esse: negauit Ertogrul, eam orationem ab animo generoso proficisci. Infirmior, inquit, & oppressa pæne pars propugnanda nobis erit. Ita factitatum semper nostris a maioribus. Debilitatos illi fulciebāt, oppressis auxiliarem porrigebant manum, prostratos ac iacentes erigebant. His dictis, mox Ertogrul cum suis arma corripit, ad pugnæ locum properat, ex altera parte in hostem irruit; dum Sultani Aladinis acies in parte huic opposita, summa cum Tataris virium contentione dimicaret, atque impetum barbarorum ægre sustineret. Inexspectati hostis irruptio non exiguum Tataris terrorem incussit, quibus iam a fronte pariter, & a tergo pugnandum esset. Ac Turcorum vim tanto minus ferebant, quanto fatigatos prœlio diuturno necesse erat imbecilliores esse recentibus. Denique victoriam pæne certam sic eis Turcorum virtus e manibus excussit, vt abiecta spe potiundi spoliis opimis, quæ iam animis deuorauerant, bene secum actum iri existimarent, si præcipiti fuga saluti suæ tantummodo consuluissent. Itaque profligatis Tataris, ereptus e præsentissimo periculo Sultanus Aladin, mox ad Ertogrulem, tam illustris auctorem victoriæ, se confert; eumque comiter cum suis exceptum, ob rem animose gestam collaudat. Ertogrul Aladini honorem, tanto principi debitum, vicissim exhibiturus; ex equo descendit, & cum suis, idem hoc factitantibus, manum ei, pro more gentis, osculatur. Aladin, vt adgnoscere se acceptum ab Ertogrule beneficium testaretur, vestem ei non exigui pretij, quod apud illas nationes honoris magni loco ducitur, iniicit: ceterosque milites Oguzios, quorum virtute parta præcipue victoria fuerat, variis pro dignitate muneribus liberaliter colit. Simul eis Sugutam opidum donat, inter arcem Bilezugam, & montem Tomalitzen situm, quem Tumolum & Tmolum Phrygiæ maioris dixere veteres, in quo cum armentis & gregibus suis hibernum tempus exigerent: pro mensibus æstiuis, tam indicatum modo Tomalitzen, quam Ermeni-Dagim, qui mons Ormenius priscis nominabatur, inter Sangarium & Lycum amnes situs, & Olympi montis, longissime se porrigentis, quasi propago quædā, adtribuit. Ac licet Bilezuga, (nomen arcis est, a † querceto lingua Turcica dictæ) cum Cara-chisare, (quo vocabulo arx nigra significatur. Melanopyrgon Greci veteres, Maurocastron apellarunt recentiores. Et μαυροκάςρου πόλισμα reperitur apud Cedrinū in Romani Diogenis vita non edita; quo Maurocastri opidum denotatur) nondum id temporis adhuc in potestate Turcorum esset: tamen arcis vtriusque teggiures, siue reguli, ac præfecti, eatenus obligati subiectiq; Sultano Aladini erant, vt annuum ei tributum, quod haratzum voce Turcica dicitur, penderent. Nec contentus hanc in Ertogrulem exercuisse munificentiā Sultanus Aladin, ex quo singularē viri magnanimitatem cognouerat; earum partium limites ipsius fidei, quo suis aduersus hostes tuendos, credidit. Erat id temporis Ertogrul adhuc ætate vegeta, vultu simul & honesto, & formidabili; quique animi generosi ac strenui manifesta de se præberet indicia. Solebat autem, ex quo Sugutam Aladin ei donauerat, in eodem opido plerumq; degere. Ac prius quidem, quā Ertogrul eo venisset, arcē vicinā Cara-chisarē princeps quidam in iis locis, Germeani principis pater, vna cū Tataro quodam, cui Tzaudar nomē erat, frequenter infestabat. Sed ab eo tempore, quo Sugutā Ertogrul possidere cēpit, tota illa vicinia tū metu liberata fuit hostili, tū securius habitata. Sic tamen Oguzij Sugutam incolebāt, vt in hibernis istic agerēt: in monte vero Tomalitze, cū armentis & gregibus suis, pro gentis more, per æstatē sub tentoriis hærerēt. Secundū hæc aliquot elapsis annis, accidisse narrant historiæ Turcorū; vt ij, qui Cara-chisarem incolebāt Christiani, nulla quietis habita ratione, qua Ertogrulis beneficio fruebantur, eidem molesti esse inciperent, & apertas cū eo inimicitias exercerēt. Tum vero indignatꝰ Ertogrul, qui ęgre ferret, has

has sibi vices ab iis ingratis, pro suis in eos meritis, ac beneuolentia, rependi; Sultanum Aladinem adiit, ac de horum iniuriis questus, vt bellum Gauris illis inferret, hortatus est. Ertogrulis oratione commotus Aladin, coacto ex Asiaticæ Rumiliæ suæ prouinciis exercitu, Carachisarem obsedit. Erat id temporis ciuitas & arx primaria regionis illius Kyotahie, Gaurorũ adhuc in manibus: hoc est, Cotyaium, maioris Phrygiæ metropolis, necdum a Musulmanis occupatum, Græcis adhuc parebat. Aquilonalem arcis Cara-chisaris partem Sultanus Aladin Ertogruli commisit expugnandam, qua ex parte summis ille viribus obsessos adgressus, perpetuis grauibusque prœliis exercere non desiit. Itaque fracti propemodum animis Christiani, pacem ab Aladine primi petierunt. Is vero plurimum Ertogrulis auctoritati iudicioque deferens, quod ab illo dissuaderi omnem cum obsessis compositionem videret, eam pacis mentionem prorsus reiecit: quum diceret, omnino se deditionem arcis fieri velle. Dum hæc ad Carachisarem geruntur, nuntiatum in castris fuit, Tatarum Baintzarem, violatis fœderum pactis, in ditionem Aladinis cum Scythicis irruisse copiis, & Ergelen vel Ereglien (olim Heracliam Cariæ, Reclium Chronico Hierosolymitano) depopulatũ. Hoc intellecto nuntio, statim Aladin partem copiarum aliquam Ertogruli relinquere decreuit, quibus obsidionem Cara-chisaris vrgeret: ipse, qua poterat festinatione maxima, cum exercitu reliquo discedens, aduersus Tatarum properat. Baintzar, Aladinis aduẽtu cognito, cum suis obuiam ei proficiscitur. Pugnatum in loco, cui nomen Baga--vibge tribuitur, & priscis fortasse Bagaueos dicebatur, aut Baga, Sardium metropoli subdita. Heic ab Aladine Tatari tanta cæsi strage fuerũt, vt occisorum numerus in litteras, præ multitudine, non sit relatus. Hoc quidẽ, pæne ridiculum, memoriæ proditum: mandasse Sultanum Aladinem, vti cæsis Tataris penes præciderentur, eisque detractæ pelles consuerentur: de quibus, ob interfectorum ingentem numerum, cõfectum fuerit vmbraculum; adpellataque planicies, in qua dimicatum, Siclar-oua; nomine significãte campum membrorum virilium, & in hodiernum vsque diem durante. Interea dum hæc istic fierent, Ertogrul ab altera parte curam omnem adhibuit, vt Cara-chisarem caperet. Fauit conatui benignum numen. Arcem in potestatem redegit, Teggiure siue præfecto viuo potitus. Quidquid erat in arce, diripi iussit. Prædæ quintam partem excepit; in milites reliqua lucra distribuit. Inde dictã spoliorum quintam partem, ceu principi debitam, gratulabundus Sultano Aladini misit. Duo secundum hæc abierunt anni, & tres, cum diebus aliquot, menses; quum tamdem rebus humanis Sultanus Aladin maior excessit. Eius loco filius imperio potitus est, Sultanus Azadin, vti supra libro primo dictum prolixius; cui deinceps extincto, frater Giassadin successit. Giassadine sublato, regnum peruenit ad filium Azadinis, cui & ipsi nomen erat Giassadin. Eo rerum potiente, princeps Tatarus, qui a Turcis Bapso vocatur, a nostris vel Baioth, Gogis Vlu-chanis in Asia dux, vt a Vincentio Beluacensi memoriæ proditum; vel Baydo, dux Tatarorum in Iconiensi regno Turcico, vt Aythonus scripsit; Tataricis cum copiis in Rumiliam, siue Romaniam Asiaticam, venit; ac bello Giassadinem hunc adgressus, superauit & expulit, eiusque ditiones in potestatem redegit. A quo tempore Selzuccia gens, auita patritaque potentia spoliata, vix pristinam dignitatem nomine tenus conseruauit. Qua rerum vicissitudine considerata, suos intra fines Ertogrul se continuit; Sugutæ suæ domicilio contentus, quam patriæ loco ducebat. Adeoque nec ipsis quidquam negotij Christianis exhibens, pacem colebat cum vicinis omnibus; in hac tranquillitate plurimis annis exactis, donec Sultanus Aladin, eius nominis secundus, Kei-Cubadis filius, Rumiliæ regnum obtinuit. Nec exiguum hoc temporis interuallum putari debere, vel inde paret; quod inter occupationem primam Cara--chisaris, de qua dictum; & secũdam, de qua libro sequenti dicendum; anni L, plus minus, intercesserint. Quippe duabus arx ea vicibus capta fuit. Primum, sub Aladine maiore, ductu Ertogrulis ipsius; secundo, sub Aladine minore, quando cum

arce Bilezuga, non procul ab ea dissita, venit in potestatem, sicut expondituri suo loco sumus. Amittendæ vero Cara-chisari causam mors Aladinis primi præbuit. Is enim præfectum arcis, ab Ertogrule captum, cum onere soluendi annui tributi restituerat: cui quidem ille pacto, Aladine superstite, stetit; sed eodem extincto, defecit a Musulmanis, & Cara-chisarem ab eorum obœdientia subtraxit. In hac igitur quiete Sugutana vixit Ertogrul magno temporis spatio, velut vnus ex multis, inter reliquos Iconiensis regni subditos; & pro sua prudentia, reuocato ad animum Selzucciæ familiæ lapsu, quæ regiis & immensis opibus exciderat, pristinaque felicitate destituta, pessum ierat; moderate se gessit in omnes, & in illa calamitate publica quæuis sibi toleranda proposuit. Erant ei tres filij, quod antea quoque dictum, Iundus, Saru-gatin, & Osman; præstanti omnes indole, virtuteque singulari; sed ita tamen, vt quiuis animaduerteret in Osmane, supra ceteros, expressa quædam magni & militaris animi signa; quo ipsum nomine sui, præsertim rei bellicæ studiosi, præcipue ferebant in oculis: quum quidem ad eum semet adgregarent adulescentes ac iuuenes generosi, quoties vel feras siluestras venatum, quod pro simulacro pugnæ quodam haberi solet, vel aucupatum prodiret.

His annis exstitit apud Tataros Vlu-Chan, siue magnus quidam princeps, Gazan filius Oguzis Chanis, qui Zengis Chanis ex Ectai filio nepos, a Christianis scriptoribus historiæ vel Guin & Ghin, (scriptura diuersa, pronuntiatio Gallis eadem est) adpellatur, vt Aythono & Beluacensi Vincentio; vel Bar-Chin, quo genuinus Chin siue Gin significatur, vt Marco Paullo Veneto; vel Gog Chan, vt eidem Vincentio, qui anno Christiano CIↃ. CC XLVI ad regnum fuisse narrat euectum, & opera Baiothi ducis (Bapso Turcis est) vsum in expeditionibus Asiaticis addit. Gazanis vero mentionem apud nostros aliam non inuenio, quam quod aliqui tradunt Cadanis nomen, qui memorati Ginis siue Gogis Chanis frater patruelis aut consobrinus fuerit, non filius, quod Turci volunt. Ipsum nomen Cadan, ea ratione fuerit idem cum Gazane, vel Cazane; qua dictum sæpius, vulgo nominari Odmanem, qui ab elegantioribus Osman, vel Ozman enuntietur. Hic ergo Gazan, Oguzis aut Gogis Chanis filius, suscepta in Rumiliæ regnum expeditione, suam illud in potestatem redegit, & occupatum possedit. Postea tamen, vt gentis Selzucciæ principibus regnum Iconiense restitueret, Rumiliam inter duos, ex ea familia natos, ita distribuit; vt regia cum potestate regiones illas & regna, precario ab se impetrata, ceu clientes possiderent, ac gubernarent. Horum vero Selzucciorum vni nomen erat Mesootus, Kei-Cubadis filius; alteri Kei-Cubades, filius Feramuzinis. Mesooto, Kei-Cubadis filio, cesserunt in hac partitione regni, beneficio Gazanis, hæ suis cum territoriis vrbes. Primum Amidus, quod ex Heneto videtur factum, vrbis huius prisco nomine, quæ ceteroqui vocata fuit a Græcis Amisus, & Aminsus; qua vtitur adpellatione posteriori Nicetas auctor Græcus, in expositione cuiusdam, in Sultanatu Iconiensi factæ, diuisionis. Nostri sitam volunt in Galatia, sed Leo Sapiens Augustus, in constitutione de pontificum thronis, Amasiano Helenoponti metropolitæ Aminsi huius episcopum, Sinopensi adiunctum subiicit. Item data Mesooto fuit Melatie, quæ Melitina Græcis olim Armeniæ secundæ, vel minoris, erat: & Siuaste, quæ Seuastia quondam, & Harberie, quæ Sarabrea priscis dicta fuit, & ad Cappadociæ præfecturam Garsauriam refertur. Kei-Cubadi vero Feramuzinis filio, tributum fuit Iconium, prisca Sultanatus regia, cum Rumilia vel Asiæ Romania maritima. Gerebant igitur hi duo, plena regiaque cum potestate, vices Gazanis Vlu-Chanis; deque reditibus annuis Rumiliæ suam Gazani partem, ex initæ pactionis lege, quotannis mittebant. Ertogrul autem, hoc rerum statu, ad grauem admodum, honoratamque senectutem peruenit: quum quidem omnes eius regionis incolæ, tam Musulmani, quam Christiani, senem illum, suis cum filiis, summopere

mopere

mopere colerent & obseruarent. Nec minus Aladini secundo cari, & arto quodam coniuncti vinculo necessitudinis erant; quem nonnumquam, pro consuetudine gentis, quæ manibus vacuis adire principes viros vetat, inuisere cum munusculis solebant. Quotquot deniq; post Aladinem maiorem, de stirpe Selzuccia, regio cum imperio Rumiliam administrarunt; perbenigne semper Ertogrulem, & humanissime complexi fuerunt. Id vero virtutes eximiæ viri merebantur, quem publica fama constabat in omnes ita se gerere; magnam vt animi liberalis & ingenui laudem haberet, nec minus a fortitudine quadam heroica prædicaretur, quæ esset cum religione singulari erga Deum coniuncta: cuius quidem pietatis hoc argumentum Muhametanis in historiis reperitur. Accidit aliquando, inquiunt, vt Ertogrul in itinere quodam, adpetente vespera, diuerteret in domũ religiosi sacerdotis Musulmanorum, noctis eius ibidem exigendæ causa. Quumque suo loco sederet, & theca quædam in pariete a tergo ipsius esset, in qua Mushaphum, siue librum legis Muhameticæ, quem Al-Coran vocant, sacerdos ille condiderat: forte librum inspecturus paterfamilias hic, quem diximus, ad Ertogrulem accedit, & veniã modeste præfatus, vt capite nonnihil demisso, libri cuiusdam inde promendi copiam sibi faceret, petiit. Ertogrule, quis esset iste liber, interrogante; verba Muhameticæ legis eo contineri, respondit alter. Simul e theca librũ sumit, & eumdem, quum vsus eo fuisset, ibidem reponit. Ertogrul his auditis & visis, dum paterfamilias obdormiret, tacitus exspectat. Inde surgens, partes eas corporis abluit, quæ lustrari Musulmanorum more solent, quoties preces suas dicturi sunt. Is autem lustrationis ritus, nomen Abdesi apud ipsos habet. Hinc vultu versus librum legis directo, iunctisque singulari cum reuerentia manibus, noctem illam stans erectus, cõtinuas inter preces, exegit: operamque dedit, ne paterfamilias experrectus, id ab se fieri, animaduerteret. Quum tamdem nonnihil ad quietem se componeret, obdormiit; & in somnio visus est huiusmodi verba quædam audire, diuinitus sibi dicta: Quandoquidem libro, quo lex continetur, eum honorem exhibuisti, vt coram eo stãs gestu venerabundo preces religiosas conciperes: ego quoq; te, posterosq; tuos, & totam sic beabo familiam; vt omnes homines vos in hoc mundo maximis honoribus cultos, perpetuo venerentur. Hoc igitur ei perhibitum diuinitus aiunt pietatis testimonium, cuius etiam causa posteritas ipsius tãtum prosperitatis adepta fuerit. Solet autem gens Musulmana mirum quantum somniis, & illusionibus nocturnis tribuere; quas sibi per quietem oblatas, diligenter admodum obseruant. Præterea referũt, oblatum etiam aliud quoddam Ertogruli aliquãdo fuisse somnium, quo prædicta fuerit eadẽ ipsi posterorum felicitas. Quum nocte quadam, inquiunt, cubaret Ertogrul, prodigiosum quoddã, stupendumq; somnium habuit; quo excitatꝰ, cogitare de hoc viso nocturno, simulque numen inuocare cepit. Hinc surgens e cubili suo, preces matutinas pronuntiauit, quę Musulmanis † Sabach Nemasi dicũtur. Mutatis inde vestibus, Iconium profectus est; ibiq; vatem conuenit astrologũ, cui nomen Abdul-Aziz erat. Is de siderum motibꝰ futura prædicendi peritissimus habebatur. Alij tradunt, relatum ab eo fuisse somnium cuidam coniectori, vel somniorũ interpreti, qui Scheiches fuerit, siue sanctus vir, opinione Muhametanorum, ac nomen Adebalis habuerit, cum professione publica, denuntiandi res futuras; ita quidẽ, vt veneratione maxima populus omnis eum ꝓsequeretur, & ipse Sultanus Aladin ei quam optime vellet, plurimumq; tribueret. Idẽ opes etiã possidebat amplissimas. Huic ergo Scheichi somnium suum exponens Ertogrul: Videre visus sum, ait, natam in sinu tuo lunã, q̃ meum in sinum tenderet: quo quum peruenisset, ex vmbilico meo succreuisse tantæ magnitudinis arborem, vt vmbra sua totum orbem terrarum cooperiret. Ea vero sub vmbra quasdam fuisse siluas, & ipsis e siluis aquas manasse, quas haurire quidam, ad irrigandas alij vineas & hortos, ad fontes ab se fabricatos alij deriuare visi fuerint. Hoc Ertogrulis audito somnio, vir sanctus ille respõdit: Non hoc momenti leuis est somnium, sed et-

† Pandect. cap. 210.

iam atq; etiam expendi meretur. Quippe nascetur tibi filius, cui nomen Osmanis dabitur. Magni militarisque vir erit animi, variaque bella geret. Auspicata sane tibi denuntio. Regem procreabis inclytum, qui filiam meam matrimonio sibi iunget: deque coniugibus his nascetur numerosa suboles nepotum nostrorum, qui omnes regia Padischachorum dignitate potituri sunt. Hæc ergo vaticinia, deinceps euentu comprobata, religioni Ertogrulis plane locuples, & omni maius exceptione testimoniũ perhibuisse volunt. Valde vero, quod antea quoque dictum, iam consenuerat Ertogrul: quo quidẽ adhuc superstite, rempublicã Oguziorum sic Osman begus, cum fratribus, administrabat; vt populus ille Nomadũ Turcicus perlubenter ipsius imperio pareret. Habebat in ea vicinia Sultanus Aladin secũdus id temporis quosdã regionum & arcium præfectos, ac vicarios suos; videlicet in regione, cui nomẽ Sultan-Vngi, & in opido Eski-scheher, (etiam Eskisar alicubi scriptum reperi, quod Eski-chisar est, siue castrum vetus, Græcis recentioribus Palæocastron) & alio quodam in opido, cui nomen In-Vngi. Ex his Sultan-Vngi significat locum situm ante Sultanum. Distat a Nicæa vel Isnica, versus orientem solem tendentibus, itinere tridui, vel LXXV fere milliaribus Asiaticis, quæ totidem Romanis & Italicis respondet. Eski-scheher significat ciuitatem veterem, quæ Græcis fuerit aut Palæapolis, aut Archæapolis. A Sultan-Vngi milliaribus XXIIII, hoc est, vnius itinere diei distat. Ibidem & In-Vngi quærenda, quo nomine locus ante nidum situs significatur. Magna cum his eorum locorum pręfectis Osmani-bego familiaritas intercedebat, ideoque artioris amicitiæ causa sæpius ad eos itabat. Præcipue tamen ei carus erat præfectus Inungginus, & quod ab illo se vicissim diligi sciret, commeare frequentius ad hunc, & genio nonnumquam indulgere comesando solebat. Accidit autem aliquando, vt Osman begus adhuc iuuenis, Eski-scheherem vel Eski-sarem proficiscens, in itinere quoddam ad opidulum veniret, quod Itburnum Turci vocant, Litbunũ Phrygiæ Græcis fuisse dictum videtur. Forte conspectam hoc in opido mulierem, cui nomen erat Malhatun, adamare cepit: & crescentibus indies amoris huius flammis, tamdem inscio patre, quemdam e suis mittit, qui eam Osmani vxorem dari peteret. Responsum a muliere, magnũ inter Osmanem & se, condicionis ac fortunarum discrimen esse. Matrimoniis autem contrahendis hoc primo non abs re spectari loco, siquidem feliciter, & ex animi sententia cedere debeant, ne rebus omnibus dispares sint, qui hoc coniungi vinculo cogitant. Humili se loco natã, adulescentis nobilis & opulenti nuptias expetere non debere; nec ipsi deesse feminas illustres, quas ambiat. Erat inter alias causas, cur hominem tali cum responso dimitteret, inprimis ea; quod quidam illi suggessissent, non ex animo rem agi ab Osmane, nec legitimas q̃ri nuptias, sed paucorum dierum voluptatem; quibus vbi libidinem suam explesset, pollutam stupro mulierem cum perpetua desertu rus esset infamia. Secundum hæc adit Osman Eski-saris præfectum, & amanter exceptus, cepit in poculis, quod fieri solet inter familiares, mentionem mulieris iniicere; formam eius, & ætatem, cum peruenustis laudare moribus; simul amorem fateri suum, quo impulsus, nuptias eius ambiuerit; nec ipsam denique repulsam, quam tulisset, dissimulare. Præfectus hæc audiens, verbis ac vultu præferebat, Osmanis institutum sibi probari; quum dignam ipsius amore mulierem diceret, nec sine prouidẽtia numinis (ita loqui religiose Musulmani solent) vnius Osmanis amplexibus destinatam. Sed interim cæco quodam amoris telo vulneratus, quam prædicari & diligi ab Osmane senserat, ardere cepit; ac violatis amicitiæ legibus, suis eamdem votis despondere. Nec vir cetera prudens, adeo nouas hasce pectoris flammas tegere potuit; quin certis ex coniecturis, & indiciis, eas Osman begus animaduerteret. Itaque re tota dissimulata, velut aliud acturus, e conuiuio surgit; aduocatumq; de suis quemdam, cui plurimum fideret, ad mulieris consanguineos ire iubet; eosq; suo monere nomine, quamprimum vt illam alio, tutum quemdam in locum, abducerent; si saluam eius pudicitiam vellent, cui quemdam insidiaturum accepisset.

Nec

Nec multo post, etiam ipse discedendi occasionem ab amico parũ fido captat; eique valedicens, ad Inunginum se præfectum confert, cuius animum erga se sinceriorẽ arbitrabatur. Dum istic ad aliquot dies hæret, seq; tum venãdo, tum familiaribus Inungini begi colloquiis, & conuiuiis, qui iuuenum mos est, oblectat: præfectus Eski-saris, cui Sultanungina quoq; parebat regio, fidum quemdam e suis Itburnum mittit, exploraturum pleraq; de Malhatune; quoque res essent loco, renuntiaturũ. Ille clandestino discessu Malhatunis intellecto, quæ Osmanis begi monitu quosdam ad propinquos suos alio se contulisset: ad herum suum reuertitur, eiq; rem omnem exponit. Incredibile dictu, quantum is ex illo nuntio dolorẽ ceperit. Quumq; se delusum ab Osmane videret, mox indignabundus ad Inunginum pręfectum mittit, qui Osmanem sibi dedi peterent. Sed nullis ille nec minis, nec precibus, vt id faceret, adduci potuit. Quapropter actus in furorem Eski-saris præfectus, quantam maximam potest, e Sultanungina ditione manum suorũ subito colligit, & Inungin cum eis properat. Erat sub arce hac Inungina locus quidam ædificij ruinosi ac deserti, quod olim seraium siue palatium fuerat, domicilio præfecti regionis illius destinatũ; in quo cum vxore, liberis, necessariis, omniq; familia degere solebat. Eum locum primo confestim aduentu occupat, & castris ibidem positis, Osmanem sibi dedi postulat. Statim eorum, qui arcem cum Arabe pręfecto tenebant, diuersæ ceperunt esse sententiæ: dum alij dedendum censent Osmanem, discriminis auertendi causa, quod incurrere, nullis ad sustinendam obsidionem inopinatam rebus instructi, possent: alij tã infame facinus abominantur, & potius extrema quæuis toleranda statuunt. Vicit hæc tamdem, qualicumque honesti respectu, opinio: decretumque, defensionem Osmanis suscipiendam, qui sine scelere dedi non posse videretur. Osman vero begus ea, quæ ab initio seipsam prodiderat, opinionum diuersitate territus, ac minime fidendum vacillantibus existimans; animose magnum & memorabile facinus adgreditur, & re cum fratre Iunduse, perque paucis illis suorum, quos id temporis secum habebat, communicata; correptis armis obuiis, ex arce descendit, in aduersarios recta pergit, occurrentes sic excipit; vt instar pauidarum ferarum leonis impetum exhorrescerent, ac pedem ad suos referrent. Ita paullatim Sugutam versus iter cum suis instituit, ac si qui a tergo persequentes ad eum peruenissent, tanta vi repellebantur; velocis vt fugæ beneficio sibi consulere cogerẽtur. Vbi fines paternæ ditionis adtigisset, mox didita de Osmanis periculo fama fuit; quem paucis comitatum, magnus aduersariorum numerus insectaretur. Ibi tum generosissimi quique iuuenes, & Osmanis inprimis amantes, in equos insiliunt, opem laturi aduolant, Osmani negotium facessentes inuadunt, manus acerrime conserunt, Eskisarensis denique begi copias fundunt ac fugant, captosque non paucos secum abducunt. Inter alios venit in potestatem Michaël Cosses, (Keusen pronuntiant alij) dominus ac præfectus arcis cuiusdam in iis locis, cui nomen a quibusdam Hirmen-Caia datur, ab aliis Ermeni-Caia. Declaranda vero breuibus hæc vocabula, quemadmodum facere cepimus hactenus, & deinceps quoq; facturi sumus. Michaël ille Turcica lingua Cosse cognominabatur, ac si nos diceremus Michaëlem Merulam. Græcis esset Michaël Cossiphus, nomine cũ Cosse Turcico quamdam adfinitatem habente. Sunt tamen e numero quidã interpretum, qui huic Michaëli cognomẽ imberbis tribuunt. Vox autem Ermeni-Caia, significat Ormenij petram, vel Ormenij saxum. Ormenij vero montis supra quoque mentionem, hoc ipso libro fecimus. Captus ergo fuit hic quoque Michaël Cosses siue Merula, cuius ad se deducti misertus Osman, statim ei delictum suum condonauit, quod aduersus se cum aliis arma gessisset. Eo tam inopinato motus beneficio Michaël, mox ad Osmanem transiit, ac totum illi se dedit, eiusque partes semel amplexus tali deinceps constantia tueri perrexit; grauissimis vt illi prœliis semper adfuerit, fidemque variis in periculis Osmani singularem probauerit. Huius Michaëlis ad nostrã vsq; durauit ætatem posteritas, Michalogliorum cognomine celebris, quo li-

beri Michaëlis, siue posteri significantur. Si verum est, quod plerique nostrorum in litteras retulerunt, & deinceps heic ipsi Turci confirmant, Græcũ fuisse, cultusq; Christiani desertorem: non est quod dubitemus, adpellatum a suis, hoc est, Græcis hominibus fuisse Cossiphum; idque nomen deinceps a Turcis in Cossen commutatum, significati prorsus eiusdem. Ertogrul begus denique res humanas, ad summam prouectus ætatem, reliquit; quum annos tres & nonaginta vixisset, ad duos & quinquaginta rem Oguziam administrasset. Extinctum sui luxerunt, & Sugutæ, quo plerumque loco degere consueuerat, elatum funere splendido, insigni quodam in monumento, Musulmanorum more, condiderunt. De Suguta paucis addendum, significari hoc vocabulo salicem, quod etiam notatum a Chalcocondyle, quum primo historiæ libro refert; esse vicum iuxta Mysiam, quem incolæ Sogutam vocent, vbi flumen sit eiusdẽ nominis. In eo vico domicilium ait habuisse Oguzios, & addit, adpellari posse vicum Iteę. Reliquit enim vocem Græcam interpres, qui reddere vicum salicis debuerat. Longius originem repetunt alij, videlicet ab Itea, sic dicta priscis Acamantidis in maiori Phrygia tribu. Et Acamantium (Leo imp. Acmoniam adpellare videtur) Phrygiæ maioris opidum fuisse constat. Quapropter adiiciunt, ex Laonico videri hãc Iteam hodie Sogutam vocari; quum Sogutam vicum iuxta Mysiam, Phrygiæ conterminam, collocet; ac remotam ab Euxino Ponto CC L stadiis referat, & vicum Iteæ vocari posse dicat. Videmus ex his verbis, non dicere Laonicum, Sogutam olim fuisse nominatam Iteam: sed Sogutæ vocabulum, e Turcica lingua Græce redditum, dici posse salicis vicum. Nam Itea Græcis est salix. Si tamen huic loco vetus Iteæ nomen ad ea vsq; tempora manserat, quibus temporibus Turcorum in potestatem venit: credibile videri potest, a Turcis, vi Græcæ vocis intellecta, relictum opido priscum fuisse nomẽ, sed suam in linguam traductum. Celebre quidem Turcicis est historiis, vti deinceps adparebit; ideoque semel de hoc meam dicere sententiam volui.

κόσσιφος, merula.

ἰτέας κώμη.

ἰτέα.

Ceterum Ertogrule bego rebus humanis excmto, quum gens Turcorum Oguzia, quem defuncto principi successorem daret, comitiis calatis dispiceret: cõiectis potissimũ in duos omnium oculis, vtri deferendum ex iis esset imperium, sollicite consultabat. Quamuis enim pleriq; omnes ceteris Ertogrulis begi filiis Osmanem vnum, ob eius insignes ac raras tam corporis, quam animi dotes, anteferendũ censerent: non deerant tamen aliqui rerum vsu præstantes, qui suspectam iuuenis ætatem haberet; vti per se lubricam, & accedente licentia potestatis, in vitia fere procliuem: ideoq; sua in Dunderem, Ertogrulis fratrem, Osmanis patruum, ob iudicij maturitatem, & vsum rerum, collaturi suffragia viderentur. Sed Dunder ipsemet, cordatus senex, & omnis expers ambitionis, non sui rationem honoris habendam, sed quid e republica futurũ esset, considerandum statuit. Videbat enim, quo in discrimine cõstitutæ res Oguziorum essent, ab vna parte diris Græcorum odiis & insidiis expositæ, qui & spoliatos se doleret a Turcis, & propagationẽ Musulmanæ religionis ægerrime ferrent; ab altera non satis firmo Sultanorum Iconiensiũ præsidio nixæ, quos Tatarorum barbaria sub fœdum seruitutis iugũ misisset, deq; die in diem adterere non desineret. His incõmodis ac periculis non effœtum, ætatisq; vitio tardum senem, remedium adferre posse iudicabat; sed vigilantis, animosi, manuque promti iuuenis industriam requiri: quas sane virtutes in Osmane, fratris sui filio, vel inprimis esse norat. Itaq; prius, quã in publicum prodiret, Oguziis sententiam animi sui clam aperuit: quumq; deinde palã ad comitia rogatus accederet, conuersis in Osmanẽ studiis ac votis omniũ, primus ipse, quo ceteros exemplo suo redderet alacriores, Osmani se principatum deferre, quod Oguziæ reipublicæ felix ac faustum esset, eiusque se pariturum imperio professus est. Sequutus mox populi totius adplausus, quo diuinitus hunc sibi datum principem testabantur; eiq; prosperos rerum successus, & † annos imperij multos optabant.

IO. LEVNCLAVII

HISTORIAE MVSVLMANAE TVRCORVM LIBER TERTIVS:

OSMANICVS.



HOc modo principatū ſuæ gentis adeptus fuit Oſman begus, ſed artis adhuc incluſum finibꝰ, & illo carentem faſtu, velut in rudi, pecuariæque rei dedito populo, qui apud alias nationes cultiores in aulis eſſe regiis ſolet. Nimirum adhuc iidē illi Zurki ſiue Nomades erant, qui ſuis necdum imperare potuerant animis, vt a priſtinis vitæ ruſticæ moribus & inſtitutis diſcederent. Hinc plerique Turcorum hiſtorici diuinæ prouidentiæ ſoli nec opinatam Oſmanis euectionem ad inſequutum illud ſublime rerum culmē tribuunt, eamque fortunam nihil tale cogitāti cælitus fuiſſe nuntiatam referunt; dum quæ ſupra de patris ſomnio recitauimus, hoc quodam modo per quietem oblata filio fuiſſe narrant. Erat, inquiunt, vir quidā religioſus inter Oguzios, cui nomen Edebal. Is tametſi magnas opes, & prædia fructuoſa poſſideret; tamen animi religione quadam tactus, eorum viuendi rationem ſibi ſectandam propoſuerat; qui ſpreto luxu faſtuq; reliquorum mortalium, tenuem paupere cultu vitam exigunt, meditationi rerū cæleſtium addicti; quos Muſulmani Deruiſlaros, Chriſtiani a ſolitaria vita monachos, & religioſos adpellare conſueuerunt. Inter alia pietatis indicia non poſtremum erat, quod imaretum ſiue xenonem viatoribus excipiendis ſumtu ſuo ſtruxerat, in quem diuertere, qui vellent, poterant; & ipſe quibuſuis hoſpitibus Edebal, non modo neceſſaria ſubminiſtrabat, ſed etiā velut vnus e numero miniſtrorum, inſeruiebat. Et quia ſolebat huc Oſman quoque ſuis in itineribus diuertere, forte cubans heic nocte quadam ſomnium habuit, ac videre viſus eſt exeūtem e ſinu religioſi ſenis illius lunam; qua ſuum ingreſſa ſinum, mox arbor ex vmbilico ſuo nata fuerit, cuius rami per totum ſe diſtenderint orbem; adeo quidem, vt vmbra ſua montes, & colles, & ſiluas tegerent, e quibus manarint iugis aquæ fontes, quos alij ſuas in vineas, alij certos in tubulos ac ſilanos deriuarint. Experrectus Oſman Edebali ſomnium expoſuit, quo is audito: Nō tibi dumtaxat, inquit, ſed etiam liberis ac nepotibus tuis, Oſman, omnia felicia fauſtaq; denūtio. Regiam tibi deus optimus maximus dignitatem cum imperio tribuit. Vniuerſus hic terrarum orbis ſub vmbra dominatus tui, poſterorumq; tuorum, quieſcet. Mea quoq; filia Malichon tibi diſpoſitione diuina nubet. His dictis, ſtatim ei deſponſam Malichonem, filiam ſuam, vxorem dedit. Aderat forte, quum Edebal Oſmanis ſomnium ſic interpretaretur, quidā e ſectatoribus eius Durudes, qui Oſmane cōpellato: Tu quidem, ait, regia poteſtate potieris, Oſman. Nobis vero quid animi grati declarādi cauſa tribues? Ad quę Oſman: Vbi vaticinio veſtro reſponderit, inquit, euentus; opidum aliquod tibi donabo. Tum ille: Vel hac minima contentꝰ, inquit, ero villula; modo promiſſum hoc aliquo ſcripturæ teſtimonio cōfirmaueris. Ego vero, ſubiecit Oſman, litterarū ignarus, nullā tibi ſcripturam cōficere potero. Saltim hūc gladium, & hoc poculum accipe, perpetuum donationis meæ ſymbolum; vt quādocumq; poſteri mei deinceps hæc duo viderint in manu poſterorum tuorum, villam vobis veſtram reſtituant, ac ius veſtrum benigne tueātur. Hoc modo Durudes acceptū ab Oſmane cum gladio poculū ſibi retinuit, ſuiſq; liberis ac poſteris diligenter adſeruandum tradidit. Vnde nunc etiam reges Oſmanidæ, quum hæc duo proferri & exhiberi a poſteris illius Durudis deruiſij vident;

& benigne reſpiciunt eos, & liberaliter donatos ab ſe dimittunt. Traditur autem a Turcis, ſenem hunc Edebalim, quum ſecundum hæc moreretur, centeſimum ac vigeſimum ætatis annum egiſſe. Vxores tantummodo duas duxerat, vnam iuuenis, alteram ætate prouectior. Filiam e priore coniugio natam Oſmani nuptum dedit. Vxor altera cuiuſdam Tazzedinis Curdi ſiue Chaldæi filia fuiſſe perhibetur, ex qua ſuſceptam filiã pater Edebal Chairedini Baſſæ matrimonio iunxit. Hæc ita feruntur a Machmute Baſſa, Edebalis filio, memoriæ prodita. Colligere vero quiuis hinc poteſt, quam magiſtratus initio tenues adhuc Oſmanis fortunæ fuerint. Vnde non omnino temere perſcriptum videtur ab aliquibus, in quibus eſt Georgius Rachouinus Fauſti Verantij manuſcriptus, ceteroqui fabularum plenus, aratum exire ſolitum Oſmanem, quoties ei prandium adferretur, iuſſiſſe tuba cani: cuius audito clangore, vicini ad eum agricolæ prandij cauſa conuenerint. Ita ſemper vna prandere ſolitos, fraterna cõſuetudine quadam inter ſe victitaſſe. Sed eiuſdem Verantij liber hiſtoricus, e Turcica lingua trãſcriptus in Italicam, cuius antea mentionem feci, ſane memorabilia de Oſmanis, exemplo Romuli, ruſticis ab operis ad regnum prouecti, primis exordiis & incrementis, huiuſmodi quædam nobis expoſuit. Quum aliquando, inquit, araret Oſman; accidit, vt † carauana quędam, Iconium Pruſa proficiſcens, in ipſo Derbento montis Ermeni, quemadmodum Turci loquuntur, hoc eſt, in cliſuris ſiue faucibus Ormenij montis, a latronibus inuaſa ſpoliaretur. Ex hoc agmine tres fuga dilapſi, forte fortuna locum ad illũ perueniunt, in quo arationi Oſman intentus erat. Quos ille conſpectos, quid iſta ſibi fuga vellet, & vnde curſitarent, interrogat. Reſpondent, in loco ſe vicino ſpoliatos a latronibus. Tum Oſman: Siquidem ego nunc indicatum in locum pergerem, ait, an iſtic eos inuenirem? Hauddubie manſuri ſunt ibidem, inquiunt illi mercatores, vſque ad veſperam; dum prædam omnem auexerint. Non eſt cur ſolliciti ſitis, ait Oſman. Veſtras ego merces vobis ereptas reſtituã. Erat hic Oſmani mos, vt cotidie ſibi, quoties agros foris colebat, e domo ſua, magnam panis, & omnis generis pulmentorum copiam curaret adportari: quibus cibis adlatis, vexillum quoddam albi coloris, e linteo factum, quum prandij temp⁹ adpetiiſſet, haſta ſublimi præfigebat. Eo ſigno conſpecto, quotquot in vicinia vel arabant, vel armenta pecudumue greges paſcebant, Oſmanis ruſtici, mox ad eum pranſuri concurrebant. Itaque quum propter hoſce mercatores, qui male tractati a latronibus aduenerant, vexillum iſtud ſuſtuliſſet: ſtatim aderant illi, quod prandium ſibi paratum putarent. At Oſman, iis compellatis: Tamdem nobis, inquit, optatum illud tempus aduenit, o ſocij, quo rem facere, magnaſque nobis opes abſque mora parare poterimus. Latrunculorum manus quædam in faucibus Ormenij montis numeroſam adgreſſa carauanam rebus ac mercibus ſuis ſpoliauit. En fuga tres elapſi mercatores opẽ noſtram implorant. Eamus, alienas noſtro cum emolumento vindicemus iniurias. Placuit ob lucri ſpem hæc illis oratio. Confeſtim tollẽdorum armorum cauſa domum properant. Inde reuerſi ad Oſmanem, eo duce latrones quæſitum pergunt; inuẽtos mox adgrediuntur. Erant omnino XXX latrones, Oſmanei dumtaxat XXII. Nihilo minus hi numero pauciores, in illos plures adeo pugnarunt alacriter; vt victis denique prædonibus vniuerſis, ex more gentis, capita præciderent. Arceſſitis inde mercatoribus: Merces, inquiunt, veſtras vobis auferte; ſed ne quid vltra id, quod veſtrũ eſt, ſuſtuleritis. Itaque ſelectas illi merces ſuas ſeorſum collocant, reliquas in vnum Oſmanei cumulum congerunt. Hinc de cõſilio ducis ſui, hominis aſtutiſſimi, tam inexſpectata ſemel oblata rei feliciter gerendæ occaſione, maiora quædam molituri; Volumus, inquiunt, vt hodierno & craſtino die nobiſcum heic maneatis. Illi ſe non eo tantum biduo, ſed diutius etiam, ſi quidem ipſis ita videretur, iſtic hæſuros reſpõderunt. Cauſa vero, cur hoſce mercatores illic detinere vellent, non erat alia; quam vti per eos, inde digreſſos, nec q̃d geſtum erat, nec quod gerendum reſtabat, emanaret. Occupatis quidem cliſuris illis, non erat, quod ab vllo ſibi diſcrimine metue-

† Pandect. cap. 187.

metuerent. Ceteroqui ſane trāſitus earum periculo non carebat, adeo quidē, vt pauciores quinquaginta non auderent id tēporis iter per anguſtas illas fauces ſuſcipere: ſicut hodierno die, ſubiicit auctor, de Sultani Baiaſitis ſecundi temporibus loquens, vix idem pauciores, quam octo, tentauerint; quantumuis ſat bene publicorum itinerum ſecuritati proſpectum ſit. Quapropter hoc loco, pro conſuetudine Turcica, quodam † dundare ſiue receptu conſtituto; viginti ex ipſis, vna cum Oſmane, Bilezugam ſe curſu contulere. Poſtquam eo perueniſſent, clamorē tollere ceperunt: quo dominus arcis audito, quidnam ſibi vellent, interrogauit. Progreſſus ante alios Oſman, vidiſſe ſe dixit, haud procul a domo ſua prædones, qui carauanam inuaſerint. Se quidem, ob paucitatem ſuorum, fugiſſe; ſed ſi liberet ipſi cum ſuis ſe coniungere, profecturos ad inueſtigandos latrones, eiſq; nullo negotio cæſis, opimam prædam recuperaturos. Reſpondit Bilezugius, nullam adeſſe ſibi manum ſuorum idoneam, quam ſecum educeret. Tum Oſman: Quinque dumtaxat, inquit, e tuis ſuffecerint huic rei nobiſcum conficiundæ. Norat hos Turcos Bilezugius, vti pagis ac territorio ſuo vicinos: ideoque nihil ab eis ſibi metuens, in viam ſe cum ipſis dedit. Vbi peruentum eſſet ad locum dundaris illius, ſiue receptus, quem diximus: Bilezugium cum ſuis adortus Oſman, omnes interfecit. Hinc oneratos mercibus quinque mulos, cum duodecim e ſuis, qui & ipſi quædam geſtarent, Bilezugam miſit; eoſque rogatos, vbi nam herus ipſorum eſſet, dicere iuſſit, mox adfuturum. Simul, ait, me ſubſequentem eis oſtendite. Volebat enim a tergo ſuos, ex aliquo interuallo ſequi. Progreſſi ad caſtellum Oſmanei, mulos onuſtos in arcem admitti petunt. Aperiunt arcis portam cuſtodes, conſpectis mercibus: ingreſſique Turci, reiectis humi, quæ ferebant, oneribus; acinaces ſuos ſtringunt, & ſubito caſtelli portam occupant. His inter ſe dimicantibus, ſuperuenit Oſman; latoq; ſuis auxilio, caſtellum in poteſtatem redegit. Nec mora, tam felicibus illectus auſpiciis, quoſdam e ſuis ad arcem vicinam Zuplium contendere maxima feſtinatione iuſſit: quum prius eis, quid agēdum eſſet, paucis expoſuiſſet. Pleno illi Zuplium curſu properāt, & pſcriptis ab Oſmane verbis Zuplij bego ſignificāt; Bilezugæ præfectum intellexiſſe, carauanā quamdam multis a graſſatoribus ſpoliatā, quos ipſe perſequi cuperet; ſi quid alicūde poſſet opis habere. Zuplianū orare, ne ſibi deeſſet. Reſpondit ille, libenter id ſe facturum. Statimq; ſumtis ſecū viris quindecim, Bilezugam comitibus Turcis abire cepit. Oſman interea, qui nō ignoraret, qua Zupliano via proficiſcēdum eſſet, ſe cum ſuis in inſidiis abdidit; & in illū propius aduentantē ſubito quodam impetu irruit, omneſq; caſu necopinato territos ſic oppreſſit, & in fruſta concidit, vt euadere nullus omnino poſſet. Inde ſub veſperam cæſorū veſtes cum ſuis commutant, & Zupliū pergunt. Qui erant in caſtello, partim a crepuſculi tenebris decepti, partim quod indutos habitu Chriſtiano pro ſuis haberēt, portas aperiunt. Turci vero mox ingreſſi, correptis armis in illos impetū faciunt, & cæſis vniuerſis victoria potiti, caſtellū occupant; & aliquo ſuorū numero, præſidij cauſa relicto, muniunt; vt omnem inde viciniam prædis agēdis infeſtarēt. Pacem id temporis, quum hæc fierent, propter indutias quaſdā, Chriſtiani cum Sultano Aladine colebāt. Quapropter Iconium profecti, delatis ad Sultanum Aladinem querelis: Dum nos, inquiunt, Chriſtiani pacē nobis certam, ex indutiarum legibus, a vobis pollicemur; veſtriſq; ſacramentis freti, nec hoſtile quidquā veriti, præſidia caſtellis noſtris maiora, qđ belli tempore fieri ſolet, non imponimus: en Turcus ille veſter Oſman, nulla prouocatus a nobis iniuria, ſceleratis fraudibus arces noſtras, Bilezugā & Zuplium, tam dominis, quā cuſtodibus earum occiſis, intercepit. Tuo, rex Aladin, hoc labem inurit, infamiamq; nomini. Vindica facinus improbū, iuſte princeps; & eiecto prædone, legitimis cæſorum heredibus adēta caſtella reſtitue. Plena iudicabat æquitatis hæc Chriſtianorum poſtulata Sultanus Aladin, ideoq; bono illos eſſe animo, ac domum ad ſuos redire iuſſit; quādoquidem ipſe remediū huic malo quæſiturus, & ex officio facturus eſſet, quod ęqui iuſtiq; ratio flagitare videret. Simul abeuntibus domum Chriſtianis,

† Pandect. cap. 139.

Osmanē Iconium arcessi per suos imperat. Iā vero ꝑceperat ille Christianorum querelas animi cogitatione, grauesque Sultani Aladinis iras veritꝰ, in ea propemodum erat opinione, vt ab hoc itinere sibi cauēdum existimaret; reliquis etiā, quos secum habebat, omnino statuentibus, rē periculo non cariturā. Tamdem tamen abeundum cēsuit, & prius, quam ad iter se cōpararet, quasi nō rediturus, de suis rebus, testamēto condito, disposuit: suis mortem suam vindicare iussis, si quid ei forte præter opinionē accidisset. Inde Sultaninam ad Portā proficiscitur, quo quum peruenisset, & in cōspectum Aladinis fuisset admissus: cepit excādescens Sultanus acriter hominem obiurgare, vultuq; minaci quærere, cur arces ac possessiones alienas inuolasset? qua fretus fiducia, rem tantā fuisset ausus adgredi? Respōdit Osman intrepide, iamdudū ægerrimo se tulisse animo, regiones illas à Christianis teneri; qui tamen eas ex diuini humaniq; iuris præscripto non administrarent, ac multo minus ab improborum iniuriis defenderent. Vias omnes latrociniis, & fœdis grassationibꝰ infestari; conniuentibus ad ea facinora Christianis, nec in illos humanę societatis hostes, publicæq; pacis perturbatores, exempla statuentibus. Nuper adeo quid carauanæ transeunti per angustas illas Ormenij montis fauces accidisset, oratione graui cōmemorat. Ea se refert indignitate motum, & in illos grassatores, & in hos eorumdem patronos animaduertisse; quorum negligentia factum, nihil vt vsquam tutum publicis in itineribus esset. Intellexerat iam ante Sultanus Aladin ex ipsorummet ore mercatorum, quibus opē tulerat Osman, quonam modo res ea gesta fuisset, & quam animose grassatores adortus vicisset, ac meritis adfecisset suppliciis: ideoque tacito quodā animi voto factum illud probabat, & Osmani æquior esse incipiebat. Is vero se tueri pergens: Equidē inter arandum, ait, aduersus tot prędones, talem carauanam, latronibus occisis, tutatꝰ sum; & intra biduum, singulari cum industria, Christianorum hæc castella cepi. Nō æquius fuerit, hæc a me potius, quā ab ignauis illis Gauris, possideri loca, qui religione Musulmanus sum; eademq; aduersus iniurias latronum a me, cum publico totius regionis emolumēto, nō par fuerit defendi? Tu vero, subiecit Aladin, an ignoras, inter Christianos, & me, pacis esse sancta fœdera; quibus vtrimq; ꝓmisimus, ab iniuriis abstinere mutuis; eosq; fretos hisce pactionibꝰ, nihil molitos hactenus, nec vllam perturbandæ quietis huius occasionē præbuisse? At tua iam culpa factum, vt violatis a parte nostra fœderibꝰ, hæc existimationi meæ labes aspersa sit. Non est, o Sultane, respondit Osman, quod castigādis Christianis, & proferendis imperij finibus, vllā nos vereamur incursuros infamiam. Potius ignominiosum fuerit, si pati velimus, vt illi nobis aliquid eripiāt. Ad ea Sultanus Aladin: Verum sane diceres, ait, si nullum inter nos & illos vinculum pacis esset. Tū Osman: Quę cum Christianis pax initur, inquit, ore quidem illa, sed non etiam corde contrahitur. Ego vero, subiecit Aladin, nec aduersus Christianos, nec quosuis alios mihi bellum esse volo; sed pacem cum omnibus colere decreui. Poteris ipse, respondit Osman, summo semper in otio, si voles, ac pace viuere. Saltim per te mihi, meis aliquid auspiciis gerere, liceat. Dicis tu quidem aliquid, ait Aladin, sed scire debes, non te parē fore pugnandis aduersus Christianos prœliis. Osmā vero: Sic equidē, inquit, eos excipiam, vti merētur; modo id mihi pace tua facere liceat. Esto sane, subiecit Aladin, fas tibi permissione nostra, tuos vt fundos industria virtuteq; tua tibi reddas ampliores. Adeoq; si q̄d vltra Bilezugā ceperis, tuū esto. Sed iuramēto mihi cōfirmabis, nūquam te cis Bilezugā, me viuo, quidquā occupaturum. Præstitit hoc Aladini sacramentum Osman, qui mox acinace suo latus eius cinxit; & faustis eum prosequutus ominibus, macte vt esset animo, fortiterque rem gerere pergeret, hortatus est. Redit igitur ad suos Osmā, & Aladinis vt exspectationi de se satisfaceret; acerrime finitimos Christianos inuadit, eisq; castella quædā in iis locis adimit. Quod quum Aladini nuntiatum esset, vexillum ei viride misit, & militare signum, * caudas videlicet equinas summæ circūplexas & adfixas hastę. Simul dici iussit, has ei caudas, & hoc vexillum ab Aladine felicis augurij loco mitti.. Vexillū militibus suis gestandum trade-

* Pandect. cap. 10.

traderet, ipse caudis loco signi militaris vteretur: vt quocumque tamdem pergeret, hæ caudæ equinæ ipsi præferrentur. Præter indicata vero vexilla, misit etiam Osmani tympana, tibias, & tubas, cum tibicinibus, tympanistis, & buccinatoribus; idque cuiusdam opera, qui Sultano a secretioribus litteris erat. Hunc autem, quum discederet, diligenter obseruare iussit, quidquid Osman facturus esset, quum ipse aduenisset. Ac nolo te, inquit, ante Ikindi † tempus ad eum accedere, quod est hora fere post meridiem tertia. Cui quidē Aladanis ille mādato paruit. Quumque sub ipsum Ikindi tempus ad Osmanem venissent, pulsare tympana, tibias & tubas inflare ceperunt. Osman hoc instrumentorum audito strepitu, mox in pedes semet erigit, & erectus stare non desiit, donec illi finem sonandi fecissent. Tum vero preces suas dicere cepit Osman. Et ab illo tempore mansit hactenus ea consuetudo, vt omnes * Capizilari, & omnes Tzauslari portam Sultaninam sub horam Ikindi adeant, & in pedes erecti stent, dum indicata tympana pulsantur, & tubæ clangunt. Inde preces suas dicunt. Solent autem, quoties hoc fit, omnes tympanistæ Sultani, tibicines omnes, & buccinatores adesse. Belli deniq; tempore dumtaxat hac vti cærimonia consueuerunt. Qui ad Osmanem ab Aladine missus erat actuarius, obseruatis omnibus, quæ facere viderat Osmanem; ac pſertim, quantum Aladinis ille legationi honorē exhibuisset: Iconium reuersus, suo rem omnem principi exposuit. Mirum, quantum id Aladini placuerit; adeo quidem, vt denuo magnas ei mitteret opes, ac dici iuberet: eum se filij loco adoptatum hortari, vt strenue se gereret. Iam confectas ab se testamenti tabulas, in quibus inter alia perscriptum sit, vt ab ipsius Aladinis morte cedant Osmani ciuitates regni præcipuæ; *a* Conia, quæ Iconium est; *b* Manissa, quæ Magnesia; *c* Nigde, quæ Nagidos; Ereglia, quæ Heraclia Cariæ; *d* Angura, quæ Ancyra; Siurichisar, quæ arcem acutam significat, & Oxylithus Saracenorum Cedrino dicitur; *e* Kyotahie, quondam Gotyaium; *f* Cara-chisar, quod castellum nigrū siue Maurocastron est; cum aliis earum regionum castellis & ciuitatibus, quæ omnes Aladinis imperium id temporis adgnoscebant.

† Pandect. cap. 210.

* Pandect. cap. 228.

a Pandect. cap. 12. *b* cap. 80. *c* cap. 58. *d* cap. 10. & 63. *e* cap. 40. & 181. *f* cap. 144.

Hæc in historia Verantiana, de iactis Osmanicæ potentię primis quasi fundamentis, memoriæ prodita leguntur. Sed magis exquisita sunt, quæ liber Hanialdanus, de selectioris notæ scriptoribus Turcicis, a Murate, primario Portæ Dragomano congesta, nobis exhibet. Ostendunt enim illa distinctius, & maiore cum veri similitudine, quales & quantos progressus fecerit Osman illo primo suo, post obitum patris, decennio; quod non abs re, sub primi historiæ nostræ libri finem, monuimus obseruandum.

Fuit igitur Osmani, de horum sententia, recēs magistratu potito, prima cum arcis Einegiolis regulo controuersia. Nomen Giol, quo stagnum, siue palus, & amnis quoque significatur, indicio est, hanc arcem ad aliquod stagnum vel amnem sitam: siue adeo nobilis illa palus Ibane vel Iuane, cuius supra mentionem libro primo, in Harone-Reside Chalipha fecimus, intelligatur esse Turcis Eine; siue potius Ibanem paludem putemus ab eis deinceps Aian-giolim dici, quemadmodum suo monituri loco sumus. Eine ceteroqui speculum Turcis significat, vt Eine-gioli dicta instar speculi clara limpidaque videatur aqua. Nec vero quidquam est causæ, cur dubitem, Græcum Nacoliæ nomen a Turcis ita mutatum, in Einegioli, pro ipsorum consuetudine † alibi declarata, vt aliquid ipsorum lingua significaret: & omnino statuendum, castrum Phrygiæ maioris, ἡ νακώλια Symeoni & aliis dictum, Einegioli Turcis esse, articulo Græco non excluso, velut Hinagolia. Quinetiam hoc animis suis ista legentes præcipiant, arces has & opida, de quibus heic agitur, in Phrygia maiori esse sita; nonnullis ad regiones vicinas, Bithyniam Mysiamque, pertinentibus.

† Pandect. cap. 15.

Regulus autem castelli huius Einegiolis, nomen habuisse scribitur Aianicola, quod e Græco Turci corruperunt, quum adpareat, Hagionicolaitem fuisse dictum; cuiusmodi nomina, Hagiotheodorites, Hagiochristophorites, & alia, certis a Christianorum sanctis siue diuis formata, Græcis recentio-

ribus admodum in vsu fuerunt. Controuersiæ causa traditur, quod Hagionicolaites Zurcos, vel armentarios hinc inde migrantes Osmaneos, quoties ipsius arcem, æstiua quæsituri pascua, præterirent; impedimẽtis obiectis, nulla iusta de causa, vexare pro sua libidine soleret. De qua quidem iniuria questus Osman apud Teggiurem Bilezugium, quando suis Hagionicolaites ille molestus esse non desineret; petiit, vt familiæ suæ perfugium aliquod in arce sua daret, quo suas in ea res deponere tuto possent. Adnuit Osmanis postulato Bilezugius, sed ea condicione; dumtaxat vti mulieres arcem cum rebus deponendis ingrederentur, viris ab eiusdem aditu penitus exclusis. Accepit Osman condicionem, patuitque deinceps Bilezuga mulieribus Turcicis; quæ suas in eam res inuecturæ, Bilezugio munuscula quædam rustica nonnumquam offerebant. Hic vero præfectus Bilezugæ cum patre Osmanis Ertogrule antehac, & ipso cum Osmane pacem & amicitiam sinceram coluerat, dum perpetuas Einegiolius cum eodem inimicitias & simultates exerceret. Quapropter Osman, vt a periculoso, noxioq; vicino se liberaret, cogitare de aliqua ipsius opprimendi ratione cepit: tãdemq; viros LXX de suis selegit, quibus secum sumtis, Ormenium montẽ transiret, ac inopinato castellũ Einegiolium obrueret, iniectisque flammis exureret. Sed, quod inter insidiantes sibi mutuo vicinos fieri solet, exploratorem suum emiserat Hagionicolaites; qui conatus omnes Osmanis, & cõsilia specularetur, ac mature sibi renuntiaret. Is hac Osmanis animaduersa ꝓfectione, mox ad herum suum properat, & quid Osman facere constituerit, monet. Ibi tum illico magnã suorum manũ opportuno quodam & arto loco, qui hosti transeundus erat, Hagionicolaites abdit; vt in aduentãtes Osmaneos impetum ex improuiso facerent, eosq; vel vniuersos cæderent, vel ab incepto saltim auerterent. Sed iisdem insidiis vsus Osman, & ipse quemdam e suis exploratorem summiserat, (martelosum Turci dicunt) qui hostium consiliis intellectis, ad Osmanẽ reuersus, vbi locorum suas Hagionicolaites occultaturus esset copias, ostendit. Itaque pergit ad locum insidiarũ cum suis Osmã, & agmine pedestri numerosam manum hostilem adgreditur. Pugnatum vtrimq; fortiter, cum non exigua partis vtriusq; strage; cæso inter ceteros etiam Bai-Hozza, filio Sarugatinis, qui Osmani frater erat. Fuit is sepultus, vbi mons Ormenius desinit, in agro villæ, quę nomen ab Hamza bego tulit. Propter monumentum eius hodieque superest magnum quoddam † Carauansaraium, excipiendis viatoribus olim exstructum; sed modo dirutum vastatumq; iacet. Ex eo tempore Osmaneis, absq; vllo Einegiolij teggiuris impedimento, pascuis illic æstiuis vti frui licuit. Nec multo post, expeditione nocturna cum suis egressus Osman, per Einegiolis fines transiit; arcemque Coltzen (Græcis Chalce dicta fuisse videtur) Einegioli vicinam, ex improuiso adortus, incolis Christianis cæsis, succendit & exussit. Posteaquam illuxisset, mirificas hoc Osmanis facinus in ea regione turbas dedit. Quippe collecti passim ex eo toto Christiani agro, quemdam e suis ad teggiurem Caratze-Chisaris miserunt, qui diceret: Turcos illos extraneos, qui suam hanc in regionem aliunde venerint, & incolis ex commiseratione non admodum repugnantibus, in ea domicilium constituerint, nunc deniq; manus cepisse longius porrigere, diuersasque patriti soli sui partes occupare. Si diutius ad hanc ipsorum insolentiam conniuere velint, vniuersos simul paternis sedibus expulsuros. Summopere necessarium esse, tamdem vt aliquando expergiscerentur e noxio singulis & omnibus veterno; coniunctisque viribus, insidiantes fortunis alienis aduenas eiicerent. Malo iam late serpenti quammaturrime remedium adhibendum. Inutilẽ fore pęnitentiam, si diutius exspectent, ac insanabile fieri patiantur. Permotus hac oratione vicinorum Caratze-chisaris begus, non exiguã suorum, fratre Calanouo siue Calano duce, (nomẽ Græcum Caloneos esse puto, quo iuuenis bonus significetur) manum eis subsidio misit; quum imperasset, vt Einegiolim pergerent, ibiq; se cum ceteris cõiungerent. Posteaquam has cõtra se colligi copias accepisset Osman,

† Pandect. cap. 147.

man, suis & ipse coactis militibus, ad locum properat, cui nomen Efficij datum a Turcis, ex Opsicio corruptum. Potius enim Opsicium esse crediderim, quam Axiciana, Leoni Augusto Bithyniæ, sub Nicæa metropoli, opidum. Transitur istic mons Tomalitzes, dictus olim Tumolus & Tmolus: ideoq; Mesotumoli quoque reperitur in iisdem finibus opidum, cui a situ, videlicet a medio monte Tumolo datum hoc vocabulum fuit. Heic igitur Osman acerrimo cum Christianis congressus est prœlio, quo cæsum inter alios fratrem Sarugatinem amisit. Tradunt eo loco Turci, quo Sarugatin occubuerit, arborem quamdam fuisse, Tzam lingua sua dictam, quæ lampadis instar aliquando lucere soleat. Sarugatinem sane, quod a Christianis hoc interfectus prœlio perierit, Sehidum siue beatum, ac martyrem adpellant. Calanus etiam, Caratze-chisariani teggiuris frater, hac pugna fuit occisus. Eius ventrem scindi lacerarique iussit Osman, & effusis visceribus ibidem, instar canis sepeliri. Qua de causa nunc quoque locus ille lingua Turcica Mesari-Kepec, adpellatione fossam vel sepulcrum caninum significante, nominatur: cuiusmodi vocabulum alij loco sua lingua Græci veteres indiderunt, & alia de causa; dum Kynos-sima dixere. Fratris vero Sarugatinis cadauer Osman auehi Sugutam curauit, & ibidem propter patris Ertogrulis monumentum cõdidit. Posteaquam Sultanus Aladin secundus de morte Sarugatinis, ac de pugnato inter Osmaneos & Christianos prœlio, accepisset: magnum ex eo nuntio dolorem cepit. Simul animaduertere se dixit infestum Caratze-chisariani teggiuris erga Turcos animum, qui a bego Germean-oglio (filius hoc vocabulo Germeani, de cuius patre supra, libro secundo dictum, significatur) impulsus, & ipse cum suis Christianis, vt illi Osmaneorum hosti gratificaretur, eos inuaserit, & hac clade per iniuriam adfecerit. Itaq; suam vt Osmani beneuolẽtiam declararet, quamq; Carachisariani facinus indigne tulisset, testatum insigni faceret documento: suum ei donauit opidum Eski-schehe-rem, siue Palæapolim, toto cum agro vel territorio; potestatemq; fecit Carachisaris (idem cum Caratzechisare nomen est) obsidendæ, capiundæ, diripiendæ. Tum vero mox Osman, hac Aladinis erga se voluntate, liberali donatione, Carachisariani denique proscriptione teggiuris intellecta; cum militibus suis, & auxiliaribus Sultani Aladinis secundi copiis, arta Carachisarẽ obsidione cinxit, & suam in potestatẽ redegit. Quotquot erãt in arce Christiani, cæsi ad vnũ fuerunt omnes; præfectus, quem Turci teggiurem dicunt, viuus in manus Osmanis venit: qui prædam in milites omnem partitus est, quinta dumtaxat excepta parte, de legis præscripto; quam fratris Iundusis filio traditam Ac-temuri, (quo nomine ferrum vel gladius albus aut splendens significatur) pluribus aliis cum muneribus Sultano Aladini secundo misit. Agebat id temporis Osman ætatis annũ trigesimum quintum, proditumque litteris est, captam fuisse Carachisarem, anno post migrationem prophetę Musulmanorum Muhametis, IϽC LXXXVII, id est, eodem adhuc, quo patrem Ertogrulem amiserat. Hunc vero Muhametanorum annum respondere anno Christiano CIↃ.CC.XC. quodam † loco Pandectis nostri Turcici probauimus. Itaq; notãdus prim⁹ hic annus primi, post mortẽ Ertogrulis, Osmanei decẽnij; cuius semel & iterũ iam facta mẽtio, repetiq; suo deinceps loco debet.

κυνὸς σῆμα.

† capite II.

Posteaquam bello Carachisarem cepisset Osman Gasis, (hoc enim ei cognomen datum, quasi Stratiotici apud Græcos, aut militaris; Laonico sic heroa vocari Turcis adserente) & Eski-sarẽ, cum agro suo, Sultani Aladinis donatione consequutus fuisset: tam felicibus prolatati pomœrij, nouæque potentiæ non parum animatus auspiciis, minime sibi quiescendum statuit, sed omni contentione virium, ad maiora iam partis adiicienda, progrediundũ. Ne quid tamen temere moliretur, inprimis Iundusem fratrem in consilium adhibuit, & quid tentandum, quaue Christianos via putaret inuadendos, quæsiuit. Iunduses magis animosus, quam prudens, videri sibi dixit, vtendum victoria; dumq; consternati vicinorum ex occupatione Carachisaris essent animi, proximos quosque hostiliter inuadendos, ac finitimas ditiones ita perpetuis depopulandas ex-

cursionibus; tamdem vt deletis, expulsisue Christianis, omnis ipsorũ ager Turcorum in potestatem veniret. Durior hæc Osmani visa fratris est sentẽtia, nec recto nixa consilio. Quippe nostrum illud, inquit castellum Carachisarianum, quo non ita pridem potiti sumus, firmo tenendum erit præsidio; ne defensoribus vacuum, ab hoste recuperetur. Nequeunt autẽ annonis carere præsidiarij, quas aliunde, quam ex agro Carachisariano, petere non poterunt. Is vero si a nobis ipsis ad vastitatẽ redigatur, actum de nostro erit opido: quod abundare si commeatu volumus, parcẽdum colonis finitimis erit: alioq; nostris ipsimet opidum & arcem nostrã manibus destruere videbimur. Nihil deniq; rebꝰ nostris consultius, quam vti cum vicinis circum nos omnibꝰ aut colamus amicitiam, aut colere velle simulemus, quẽadmodum hactenus cum Bilezugio factitatum: donec eiusdẽ, ex vsu nostro, vel dissoluendæ, vel abrumpendæ, cõmoda nobis offeratur occasio. Proferebat Osman hoc exemplũ de Bilezugio, quod nullæ cum hoc intercessissent Turcis hactenus inimicitiæ, sed mutua quædam potius, & omnis expers diffidentiæ cõiunctio, sicut antea quoque dictum. Eodem modo acum arcis Hirmencaianæ præfecto sincera iam coli cepta fuerat amicitia, q̧ & ipse Christianus erat, & (quod superius etiam indicatum) Michaëlis Cossis, aut Merulæ, nomẽ habebat. Igitur ad alios quoq; Christianos ac finitimos eadem placuit vtẽdum dissimulatione, dumtaxat vno Germeani excepto filio, qui begus siue princeps Musulmanus erat, & quod Osmani cũ suis esset infestus, eos vicissim & ipse graues experiebatur hostes. Quæ quidem inter Germeanum & Osmanem simultates, & inimicitię, perquam gratæ Christianis erant: quod existimarent, tãto se tutiores ab vtriusq; futuros iniuriis, quãto illi se inuicem acerbius oppugnassent, ac mutuis tã insidiis, quam cladibus confecissent. Studuit etiam suis Osman ornandis, & excolendis, & commerciorum frequentia collocupletandis opidis: ideoq; iuxta thermas, vel aquæ calidæ balineum, q̃d est in opido Eskisari, cultui diuino fanum exstruxit, & forum distrahendis omnis generis mercibus condidit, nõ sine concessione quarumdam immunitatum; vt forũ hoc adituri non dubitarent, id se cum aliquo fructu, suarũq; rerũ securitate facturos. Itaq; frequentes huc vicini confluebant omnes, emendarũ ac vendundarũ merciũ causa: rebusq; suis distractis, aut cõparatis necessariis, securi domũ redibãt. Accidit autem aliquando, vt aliqui de Germeani subditis ad Eskisarẽse forum hoc se cõferrent; eodẽq; tempore nonnulli Bilezugani municipes ad eumdem mercatum, homines ceteroqui pacifici, ac professione Christiani, suis & ipsi cum mercibus aduenirent, vt illic eas distraherent. Tum vero quidã e numero Germeanensium, vrceos & ampullas a Bilezugano comparat, & insolẽtia quadam vtens, pretium venditori se soluturũ negat. Mox incola Bilezugæ Christianus Osmanem adit, deq; Germeanensis illiꝰ iniuria queritur. Osman adduci Musulmanum, Germeani subditum, iubet, ac flagris cæso præcipit, statim vt emtæ rei pretium Christiano solueret. Simul edicto publicato, Bilezugæ municipibꝰ vllam a quouis inferri vetuit iniuriã. Id deniq; prætulit æquitatis & iusticiæ tuẽdæ studium, vt etiã Bilezuganæ mulieres ad Eskisarense forum venire non dubitarent; merces suas aliis venderent, alienas sibi necessarias vicissim compararent; atq; ita suis in foro rebus expeditis, Bilezugam reuerterentur. Vsque adeo fidebant Osmanis integritati, cuius tutelæ se, cum rebus suis, secure committi posse iudicabãt. His rebus intentus Osman, non omnem interea proferendorum finium, & armis gerendæ rei curam ex animo suo deposuit. Habebat autem perpetuo secũ Michaëlem Cossem, cuius aliquoties mẽtionem fecimus, arcis Hirmẽcaiæ præfectum, Christianum; e cuius Hirmencaiana ditione propemodum omnes viri militares Osmanei sibi ministros sumebant. Hunc Michaëlem aliquando compellans Osman, velle se dixit ad regionẽ Taraxe-Ienitzesi cum suis excurrere, quo vocabulo Taraxe noua, siue potius nouella significatur. Tarax vero Græcis recẽtioribus, vt Curopalati, opidũ est Bithyniæ, cui nomen Taras ab aliis datur, Taraxion a Ptolomæo. Quæ Michaëlis esset de hoc instituto suo sentẽtia, scire se cupere ostẽdit. Ad ea Michaël: Probare se, dixit, Osma-

Osmanis de hac expeditione cōsilium, sed transeunda censere loca supra Sorconem, cui Sandaraca vetus adpellationem habet adfinem, & Saru-caiam, (id nomen significat petram siue saxum flaui coloris, & Saricha fortasse priscis fuit) ac Bes-tasem, quo loco quoddam erat imaretum, siue Xenodochium, ad excipiendos & pascendos gratis viatores ac pauperes conditum. Illac facilius iter futurū aiebat Michaël, quum adderet, eodem commodius etiam conuocari & colligi habitantes sparsim milites posse. Præterea Mudurnen opidum prædis agendis inde nullo negotio posse vexari, & grauissimis adfici damnis. Hoc prisci Modrenen vocant. Leo Sapiens Augustus in Bithypia collocat, & Nicænæ metropoli subiicit. Comopolin dixit imperator Constantinus Porphyrogennetes, non alio vel diuerso nomine, quod credidit Ortelius, errorem interpretis Vulcanii sequutus, qui aliquoties alibi quoque Comopolim, ceu proprium nomen scripsit; sed quod instar pagi nullis esset clausum muris opidum, cuiusmodi solent a Grȩcis etiam Comopolichnia nominari. Denique proponebat aliud etiam ex hoc itinere commodum, quod Samsama Tzauses inde non procul abesset; cui significari posset, vt hostiū res omnes vndique specularetur & exploraret, in omnem intentus occasionem; ac si qua se rei gerendæ offerret idonea, per suos eam mox ipsis nuntiaret. Hic vero Samsama Tzauses, de quo loquimur, ex numero illorum erat, qui has in regiones cū Ertogrule venerant: quūq; non procul ab Einegioli prius suum haberet domicilium, vexatus perpetuis Christianorum Einegiolis incolarū iniuriis, tamdem inde discesserat; & in Mudurnæ viciniā se cōferens, ibidē habitabat; & quocumque modo poterat, amicitiam cum Christianis simulabat, vt istic toleraretur. Erat ei frater, cui nomen Sulmissa. Magnam vterque familiam alebat, & consequuti nomen aliquod e militia fuerant. Perplacuit Osmani consilium Michaëlis, ideoque milites suos ad imaretum Bes-tasis conuenire iussit. Posteaquam huc profectus Osman, suas ibidem reperisset copias; interrogatus ab eis œconomus imareti, quonam loco flumē Sacaris, quod Sangarius adpellatur a Græcis, quam commodissime transiretur, respondit; viris militaribus nullo non loco flumen hoc transiri posse. Quapropter hordei pabulo suis equis obiecto, quum primum illud absumsissent; mox eis conscensis, ad ripam fluminis perrexerunt. Fuit istic ab eis repertus Samsama Tzauses, rebus omnibus ad iter hoc instructus; qui Sorconem eos deduxit. Quotquot degebant istic Christiani, Tzausem norant: ideoque conspectis hisce cum eo Turcorum copiis, statim omnes tam viri, quam feminæ, cum summissionis indicio quodam, eis obuiam prodierunt. Accessit inter alios quidam Christianus, e numero procerum; quem Osman ad se venire iussit, & instituto colloquio, tamdem hac lege pacem cum eis iniit; vt Samsamæ Tzausis imperio, quidquid ille mādasset, lubētibus animis obtemperarent. Facta secundum hæc indidem excursione grassati sunt in agros opidi Gouinucensis, eisq; direptis, etiam Taraxæ nouæ fines vastarunt. Inde versus Ag-giul-felanos profecti, qua Phrygiæ Philomilium intelligi videtur, (Ag-giul Turcis alioqui rosam albam significat) ad arcem Michaëlis Hirmencaiam, atque inde Carachisarem se contulerunt. Antecedebat ex interuallo quodā Michaël Cosses reliquas Osmanis copias, a quo deducti fuerunt ad locum, cui nomen Culauus. Apud Græcos adpellationē Caloës habuisse crediderim. Maximis hac expeditione diuitiis potiti, nulla tamen secum in captiuitatem abduxere mancipia: ne territos ob seruitutis iugum, regionis incolarum animos, ab initio mox alieniores & infestos sibi redderent; sed vt illi vitæ securius agendæ causa, paullatim Osmani parere consuescerent. Omnes vero, qui terras illas incolebāt vndiq; Christiani, quum ea belli gerendi ratione Osmanem vti cepisse viderent: abstinendum ab eo statuerunt, & omni studio cauendum, ne qua prouocatus ab ipsis iniuria, rursus ad arma veniret. Bilezugæ tamen municipium rationē inprimis habebat Osman, eosq; pæne colere videbatur. Quo quidem nomine rogatus aliquando, cur illos tanti faceret? Quoniam id temporis, ait, quum nos exacti patriis sedibus, inopes & exteri primum in has regiones ve-

Κωμόπολις.

Κωμοπολίχνια.

niremus, humaniter hi nos exceperunt; atque ita semper se gesserunt erga nos, vt bonos vicinos facere par est. Itaque nos etiam colendis ipsis, vices eis referimus; & quo possumus studio, bene de hoc municipio meremur.

Natis hinc inimicitiis inter præfectos arciũ, Bilezugæ, & Cupri-chisaris, (alij Tzupri-chisarẽ pronuntiant) quæ pontis arcem significat, & Ieni-scheri vicina est, quam Neapolim Græci dicerent: prior Cuprichisarianus correptis armis, hostiliter inuadere Bilezugium cępit. Misit is ad Osmanem, petitum auxiliares ab eo copias. Simul patruelem Osmanis Dunderem, Kihaiam siue legatum suum constituit. Osman vicino minime denegandum subsidium ratus, suos secum milites sumit, & absque mora se cum Bilezugio coniungit. Manum inde cum Cuprichisariano cõserit, eumque prœlio superatum fugat, & in arcem suam se recipere cogit. Fugiẽtem a tergo sequutus Osman, statim suas Cuprichisari copias admouet, arcemque obsessam oppugnat, & præfecto eius occiso, in potestatem redigit. Hoc rerũ successu, qui tamen vnius Osmanis virtuti debebatur, nimium quantum elatus alter ille Bilezugæ teggiur; ad pagum, cui nomen Inzir-bingar, (vox posterior fontem significat) epulum parari iuxta fontem longe sumtuosissimum curauit: ibidemque vestes honorarias Osmani, quę maximi erant pretij, pro more gentis iniiciendas dedit. Simul insigni liberalitate in milites Osmaneos vsus, manus suas eis osculandas præbuit. Hęc hominis insolentia tãtopere displicuit Osmani, vix vti prę indignatione manus ab inuadendo Bilezugio contineret. Sed vtcumq; tamen hac iracundia repressa, Dunderem adit, patrui sui Dunderis filium; eique de Bilezugij fastu intolerabili questus, qui manus suas Turcis exhibuisset osculandas, quo nam modo castigandum hunc putaret, consulit. Negat ille quidquam in eum moliendum, eiusque sententiæ suæ rationes has paucis profert. Habemus, inquit, ab vna parte Germeani filium nobis infestissimum. Reliquis a partibus vndiq; cingimur a Christianis, qui & ipsi nos animis hostilibus persequuntur. Itaque si hunc etiam tibi reddes inimicum, desperata contra tot aduersarios defensione, finibus hisce prorsus excedere cogemur. Hanc Dunderis orationem Osman ægerrimo tulit animo, quod impediturum opinaretur, quo minus destinatum animo facinus ipse patraret. Itaque mox arcu prehenso, telum emittit, eoque Dunderem interficit. Sepultus fuit secundũ viam publicam, qua Cuprichisare quemdam ad pagũ, cui nomen est Kiafir-bingar, itur. Proditum vero legimus in historiis, pręfectũ Bilezugæ, qui nihil horum adhuc compertisset, iuxta fontem in valle quadã, haud procul a Bilezuga dissita, conuiuium instituisse, & Osmanem illuc inuitasse. Propemodum vero, inquiunt, vniuersi Bilezugij milites in arcem, hero istic suo relicto, se contulerant: quod illum existimarent in arcem ea nocte venturum. Hac vsus Osman occasione, qui manum aliquam suorum secum haberet, ac Bilezugio se superiorem conspiceret, illum ex improuiso cum suis inuadit, & vniuersos obtruncat. Inde vestes occisorum cum suis induit, ad arcem accedit, præfecti nomine ac forma portam aperiri sibi iubet, & a custodiis admissus, arcem occupat. Hoc modo rem gestam plerique volunt. Certo quidem constat, sublatum fuisse de medio Dunderem, propter hanc vnam causam; quod occupationi Bilezugę videretur obstiturus. Eam vero captam ab Osmane commemorant alij, quodam alio modo, quem nunc indicaturi sumus.

Decreuerat Michaël ille Cosses filiam suam dare coniugem teggiuri regionis, cui nomen Gelfilanos. Philadelphia sit, longius hinc paullo distans, an Celuianum intelligendum hoc nomine, necdum equidem definire ausim. Celuianum sane campum, siue planiciẽ, veteres circa Tmolum siue Tumolum montem collocant, ad quem concessas Oguziis primas fuisse sedes, supra diximus. Itaque parari curauit omnia Michael, quæ putarent ad splendorem nuptiarum insignium pertinere. Simul omnes arcium vicinarum præfectos, missis ad eos alicuius loci & existimationis hominibus Christianis, inuitauit: quum eis dici iussisset, vel hac de causa nuptiis adesse vellent, vti cum Osmane noticiam contraherent, quæ profutura

futura plurimum ipsis esset. Se quidem inprimis operā dedisse, tamdem vt aliquando hac nuptiarum occasione conuenirent, & Osmanem propius nosse inciperent; qui potiturus haud dubie magno sit apud Turcos imperio, multasque prouincias occupaturus. Inueniri aliquam posse rationem, vt cōciliata ipsius amicitia, seque resquē suas in tuto collocent, nec causam habeant, ab illo sibi metuendi.

Venerunt igitur ad hasce nuptias teggiures omnes vicinarum arcium, suaque secum adtulere munera; quæ pro more tam sponso, quam nouæ nuptæ donarēt. Osmanis autē liberalitas ceterorū munera lōgo post se reliq̄t interuallo. Quippe quū alia magno donauit numero, tū etiam pecudum greges integros obtulit. Singularem ea res apud Christianos admirationē eius excitauit. Itaq; secretis inter se consultationib. habitis, animaduertere se dixerunt, auspicia rerum Osmanis adeo prospera, statumq; præsentem, haud dubie progressus eiusmodi portendere; confirmatis vt intra tempus exiguum viribus, ipsos inuasurus sit, & illis expulsurus vniuersos finibus; nisi mature sibi cōsulant, ac præsentissimum a se, fortunisq; suis, discrimen auertant. Audendum sine mora longiore facinus egregium, si salui esse velint; astutoque consilio quopiam inescandum, vt intra casses ipsorum illectus, occidatur. Hoc igitur adprobato consilio, teggiuri Bilezugæ circumueniendi Osmanis curam inprimis, ob eam coniunctionem, quæ inter ipsos intercedebat, commēdarūt. Præstabat autem regulis ille ceteris omnibus tam auctoritate, quā opibus; & omni genere fraudis ac malitiæ plenus erat. Quod hominis ingenium quum Osmani non esset ignotum, perpetua quadam simulatione magnum ei deferebat honorem; & blanda quidem fronte cum ipso, quoties conuenirent, agebat; sed ita tamen, vt humilitatem & inopiam quamdam præ se ferret. Astutus igitur ille Bilezugius, vt initium aliquod decretæ machinationi faceret; Osmane perhumaniter cōpellato, breui se nuptias celebraturū dixit. Ad eas præsentia sua cohonestandas, vt ipse, cuius sibi ac suis longe gratissimus futurus sit aduentus, comparere non dedignetur; etiam atq; etiam se nūc rogare, maioremq; in modum deinceps, vbi nuptiarum tempus adpetierit, suis ad eū missis hominibus, rogaturum. Hęc tamen omnia non tendebāt alio, quam vti p̄textu nuptiarum, & occasione deceptus Osman, quas ei struerent insidias, non animaduerteret: sed in potestatem ipsorū vltro veniret, eoq; modo captus, e medio tolleretur. Erat autem nuptura Bilezugio filia reguli arcis Iar-chisaris, quo nomine castellum accliue significatur. Ad hasce nuptias inuitati denuo fuerunt omnes finitimarū arcium teggiures siue reguli, captumq; consilium aduocandi, ceu diximus, ad easdē nuptias Osmanis; vt, vbi Bilezugā aduenisset, illico correptus occideretur. Arcessitus inprimis fuit ab eis Cosses ille Michaël, totaq; molitionis & cōsilij cōmunicata cum eo ratio: quod illo vellēt vti legato ad Osmanē, homine plurimū ipsi familiari; qui nō difficulter ei p̄suasurus esset, vt absq; omni diffidētia nuptialem ad celebritatem se cōferret. Osman verò prius, quā Michaël ad eum veniret, intellecto nuptiarū adparatu, pecudum aliquē numerū per suos Bilezugā misit, ac dici p̄fecto iussit; fratrem Osmanis Iundusem has oues ei donare, quib. mactatis vescerētur, qui venturi ad nuptias essent. Osmanem ipsum, posteaquam inuitatus, ad easdem accessurus esset nuptias, sua quoque secum adlaturum munera, non illa quidem ex Bilezugij dignitate; sed qualia possent ab ipso, pro tenuitate facultatū mediocrium, exspectari. Minime vero commissurum, vt id temporis a Bilezugio præsentia sua desideretur; licet haudquaquā magnifica cum pompa, sed cultu potius paupere sit adpariturus; vt omnibus testatum faciat, quàm se quæuis ad officia Bilezugio præstanda, libenter adgnoscat obligatum. Magnopere muneris huius oblatio, cum eiusmodi Osmanis oratione, Bilezugio placuit: quod sibi rem omnem ex animi voto successuram speraret. Itaque Michaëlem ad se Cossen arcessit, eumq; rogat, ad Osmanem vt inuitandum sua causa proficiscatur. Simul eidem munuscula quędā, & in his pocula partim aurea, partim argentea, tradit; Osmani suo nomine, tanto lubentius vti veniret, offerenda. Legationem Michaël Cosses non

inuitus accipit, Osmanē adit, ad nuptias inuitat. Inde secretum illud regulorum Christianorum ei consilium patefacit, quo ipsum per amicitiæ speciem suis illis in nuptiis de medio tollere statuisset: & his ab insidiis vt omni studio sibi caueat, hortatur. Egit amplissimis verbis Michaëli gratias Osman, ob summam hanc erga se fidē ac beneuolentiam, qua se salutis ac vitæ suę vindicem exhibuisset: eique non solum magnis & eximiis in præsens muneribus culto, sed etiam maiorum promissis artius sibi deuincto persuasit, vt in posterum quoque pergeret hoc amore se prosequi. Quod Bilezugium adtinet, inquit, vtendum cepta dissimulatione: quumque reuersus ad eum fueris, plurimam illi, ceu fratri meo, salutem meis verbis dices. Simul adgnoscere me referes, quantū ille nostra causa molestiæ toto anno, nostris in arcem suam rebus admittendis, capiat. Iam vero ipsi non ignotum esse, quam nobis implacabiles ac perpetuę cū Germeani filio simultates intercedant. Itaque me rogare, saltim vt hoc nobis adhuc anno gratificetur, idque tædij patienter ferat. Breui nos ea pro gregibus & armentis nostris æstiua pascua quæsituros, vt amplius ei molesti non simus. Interim socrus meæ, measque res, in arcem suam deportari, more solito, sinat: adeoque quum pro illa sua singulari erga nos humanitate, custos rerum nostrarum hactenus esse non recusarit; extrema dumtaxat hac vice nobis concedat, vt bona nostra semel adhuc ipsius fidei credita, perexiguum ad tempus in tuto esse possint. Quod superest, hoc etiam significabis ei; socrū meam, cum filia sua, mea coniuge, nihil habere magis in votis; quam vt eis aliquando matronam honestissimam, Bilezugij matrem cōuenire liceat; tamdem vt aliqua sit inter eas in posterum noticia. Propter hanc me causam, siquidem ita ipse iubeat, vtramq; mecum ad nuptias adducturum. Posteaquam hoc Osmanis responsum Bilezugio Michaël renuntiasset, magnam ex eo voluptatem cepit: ac statim hoc ad Osmanem remisso, quo tempore, quoue die ac loco nuptiæ futuræ essent, indicauit; iterumque iussit, vt Osmanem vrgeret, ne rebus ab vllis se præpediri sineret; sed promissi memor, posthabitis aliis, peroptato sui studiosissimos aduentu suo recrearet. Respondit Osman, familiam suam, pro consuetudine Turcorū, semper in campis & sub dio versari solitam, non admodum requirere, suum vt intra Bilezugæ muros hospitium habeat, cuius alioqui locus magnæ multitudinis minime capax sit. Consultum fore videri, si non in arce, sed foris in patenti ac spatioso loco, nuptiæ celebrentur. Probauit hoc quoq; consilium Osmanis Bilezugius, & locum, cui quodam a fonte, Zakir-bignari nomen, nuptiis delegit. Quum dies nuptiis dictus instaret, & ex promisso iam Osmani eundum esset: ad profectionem, & id facinus exsequendum, quod pridem conceperat animo, se parat. Erat illi hactenus in more, quoties aliquid rerum suarum in arcem Bilezugam missurus, ac ibidem tamquam in loco tutiore depositurus esset, vt eas res consarcinatas, ac bobus impositas mulierculis in arcem conuehendas traderet. Ita nunc quoque, velut instrumentum & supellectilem domesticam missurus in arcē, saccos & sarcinas instruit; sed loco supellectilis, suos quosdam milites armatos in eis abdit, atque hoc modo sarcinas hasce vilibus pannis tectas, multis ordine bobus inuicem adligatis imponit; & Bilezugam vehi iubet; quum prius monuisset, vt arcem non interdiu, sed primo crepusculo noctis ingrederentur. Inde numerum aliquem selectorum militum, qui manu promti essent, muliebri vestitu induit, ac paullatim Bilezugam cum eis progreditur, vt illuc sub vesperam veniret. Sic enim cōstitutum fuerat inter ipsum, & illos alios, quos bobus impositos Bilezugam vehi præceperat; vt quo illi tempore castellum ingressuri essent, eodem & Osman cum suis ad Bilezugæ regulum accederet. Itaque quum aduesperasceret, monuere Bilezugium sui, mox Osmanem cum grege mulierculārum adfuturum. Existimabat Bilezugius, Osmanem propterea venire tardius, ne Turcicæ mulieres a Christianis cōspicerentur, quod more suo vitare solent. Nec multo post, milites ille suos, habitu muliebri tectos adduxit, aditoque Bilęzugio: Mi frater, ait, etiam atque etiam te rogo, mulieribus hisce nostris eum honorem exhibeas;

beas;

beas; vt pro consuetudine nostra, separatim quemdam in locum eas deduci iubeas; vbi & ex equis descendant, & secessum aliquem habeant; ne tot regulorum præsentia pudorem eis incutiat. Mirifice gauisus ob Osmanis aduentū Bilezugius, secum ipse tacitus: Quam optate, quam nullo negotio Turcus hic, cum familia sua, cum facultatibus, cum rebus sibi carissimis, meam in potestatē venit; quasi si data opera semetipsum mihi cum omnibus suis offerret. Simul eis obuiā progressus, honorē exhibuit; abduciq; iussit in locū, quē eis excipiēdis secreuerat. Iā eodem quasi momēto pars altera militū Osmanis ad arcē peruenerat, eaq; fraude, quā supra cōmemorauimꝰ, in castellū admissi; mox e saccis & sarcinis illis, vt erāt armati, ꝓsiliunt; & manib. acinaces nudos gestātes, ad arcis portā adcurrūt, ac ianitoribꝰ occisis, arcem occupant; quod omnibus ad locum nuptiis destinatū egressis, perpauci ad arcis relicti custodiam fuissent. Ab altera parte, quo nuptiæ celebrari debebant loco, necdum in cubiculum suum ingressus erat Bilezugius, quum fugam simulaturus Osman, in equum adscendit; idem hoc tum ipso Michaële Cosse, tum reliqs Osmaneis factitantibꝰ. Ibi tum Bilezugio nuntiatum a suis fuit, Osmanē fugere. Nonnihil ebriꝰ erat Bilezugius, ideoq; subito cōmotus, & ipse cōscendit equū, & manu suorū stipatus Osmanē a tergo seqtur. Non ꝓcul ab arce Bilezuga vallis est qdā, riuulo quodā irrigua, cui nomen Caldurlik. Ibi quum in Osmanē Bilezugius irrueret, interfectꝰ ab eo fuit. Osmā vero iā certus de occupata Bilezuga, mox alio stratagemate quodā est vsus. Quippe cū suis ea nocte versus arcē Iar-chisarē ꝓfectꝰ, vnde spōsā Bilezugio debebat adduci; summo mane castellum inopinato suo aduētu oppressit, arcisq; dominum, q̃ sponsæ pater erat, cū ipsa spōsa; magnoq; ꝓpinquorū numero, q̃ oēs ituri ad nuptias erant, cepit. Nec tā felici successu cōtentus, illico Durgut-Alpem, (hoc est, Durgutem ex Alpia natū familia, de qua dictum † alibi) virū militarē, ac rebꝰ gerēdis strenuum, cū aliquo militum numero versus Einegiolim ire iussit, arcēq; mox obsidere, ne qs elabi posset, dū reliqs Osman ipse cū copiis aduolasset. Durgut-alpes summo (margin: † Pandect. n. 12 & 117.) pere veritus, ne aduentū suum aliqua p̄currente fama, monitus Einegiolius, cui nomen erat Hagio-Nicolaites, aufugeret; fulguris instar quam velocissime ꝓperat, & arcem militum suorum corona cinctam, mox obsidet. Interim Osman celeritate, qua poterat maxima, captiuos Bilezugam, reliqua cum præda, qua fuerat potitus, abduxit: omnibusq; rebꝰ istic recte dispositis & cōstitutis, q̃ ad arcis defensionē p̄sidiumq; pertinerent, confestim & ipse cum ceteris copiis suis Einegiolim se confert. Ibi castello militibus, si quidem ab eis expugnatum fuisset, in prædā concesso; propemodum temporis momento redacta fuit arx in potestatem, præfecto frustulatim ab irato milite cōciso, ceteris marib. itidē ferro necatis, femineo sexu vita donato, quo seruituti māciparet. Causa vero diritatis huiꝰ in Einegiolinos exercitæ a Turcis, hæc erat; ꝙ antehac illi fœde grassati fuissēt in Musulmanos, eorūq; nō exiguū numerū interfecissent.

Traditū vero reperit in historiis, Osmanē Iarchisarini reguli filiā, cæsi Bilezugij spōsam, cui nomen fuerit Lulufer, Vrchani filio suo, q̃ iam non tantū adoleuerat, sed etiā virilē ad ętatem accesserat, in matrimonium collocasse. Præter hunc Vrchanem, filium habebat alterū; quem familiæ suæ, cum armentis & gregibus, ab aliis ad alia pascua migrāti præfecerat. Vrchanis autem cum Lulufere non multo post iussu Osmanis, celebratæ nuptiæ fuerunt. Hæc vero illa Sultana Lulufer est, quæ in vrbe Burusa, (Prusam dixere veteres) sub murum arcis, iuxta † Caplizen, quæ thermę vel aquæ calidæ sunt, imaretum siue xenonem, ad excipiendos gratis viatores, condidit. Ibidem & pons structus ab eadem Lulufere fuit, & ipsi quoque datum aquę Luluferis nomen. Eadem tam Sultani Muratis Gasis siue militaris, quam Suleimanis bassæ mater fuit. Quum rebus humanis excessisset, propter maritū suum, Sultanum Vrchanem, in arce Burusensi monumento fuit illata. (margin: † Pandect. Turc. cap. 161.)

Iam vero tot arcibꝰ potitus Osman, intra fines earum iuris & æqui seruandi studiosissimus erat. Cuius quidē iusticię fama moti agricolæ, qui prius ex illis locis metu Turcorum aufugerant, suas ad ædes ac possessiones vltro redierunt, ac

deinceps in summa securitate rebus suis vtifrui potuerunt. Nec deerant Christiani, qui tranquillitatis huius, pacisque causa, de locis aliis, in Osmaneam ditionem, magno numero commigrarent. Osman autem, redactis in potestatem castellis hisce, Bilezuga, Iarchisare, Einegioli, atque etiam Genischeheri, quæ Neapolim siue nouam ciuitatem significat, & a Nicæa XX milliaribus Italicis abest, vna cum omnibus harum arcium territoriis, agris, atq; finibus: expeditionem nouam aduersus vrbem Isnicam instituit, (Nicæam dixere prisci) cuius aditus omnes vndiq; tam arta præclusi obsidione; nullus vt commeatus, nullæ res aliæ ciuibus & incolis necessariæ, in vrbem extrinsecus importari possent. Quapropter ingens in vrbe pænuria rerum omnium exstitit, qua fractis ciuium animis, mari quidam ab eis Constantinopolim missus, auxilij petendi causa, fuit. Is tanto studio legationem obiuit, vt Isnicenis auxilia denique cōtra Turcos decernerentur. Osman, eius rei fama præcepta, viros illos militares, quos secum habebat, adlocutus; duobus simul incommodis vrgeri se dixit. Quippe magnas aduersus se Cōstantinopoli venturas esse copias, quas dum viriliter ipse sit adgressurus; alterum quoque malum accessurum, quod omnes vndiq; Christianos impetum in se facturos eodem tempore prospiciat. Vtinam, inquit, aliquam rationem, saltim illos Constantinopolitanos, qui obsessis auxilio venturi sunt, cædendi ac profligandi, possimus inuenire. Responsum ab illis, non satis magnas ipsis esse copias, vt iis & obsidionem vrgere possent, & Constātinopolitanis pariter, Asiaticisq; Christianorum agminibus occurrere. Dumtaxat his incōmodis vnicum superesse remedium, vt ope Sultani Aladinis implorata, manus ab illo quædam subsidiaria petatur. Placuit hoc Osmani consilium, qui mox e numero suorum quemdam sibi familiarem Coniam (veteres Iconium vocarunt) ad Sultanum Aladinem, cuius istic erat regia, misit; & in mandatis ei dedit, vt quæ hactenus ab Osmaneis, & quam feliciter essent gesta, diligenter exponeret: simul Aladini, quam prope abessent a plena & illustri victoria de Christianis, modo nonnihil auxiliorum ab ipso impetrassent, ostenderet. Grata fuit hæc Aladini legatio, magnaq; præsertim cum voluptate, quæ de Osmanis aduersus Christianos successibus referebantur, accepit. Itaque vexillum Osmani, cum tympanis militaribus, honoris causa, misit. Præterea suis imperauit, vt e finibus & agro ciuitatis, quæ propterea, quod aliæ plures idem hoc nomen habeant, Sahibun Carachisar a Turcis adpellatur, hoc est Sahibi siue principis Maurocastrum, eque ceteris ibidem sitis regionibus ac prouinciis, quantæ maximæ cogi possent, auxiliares Osmani copiæ summitterentur. Interea, dum legatus hic, ad Sultanum Aladinem ab Osmane missus, aberat: Cōstantinopolitani quidam milites trans mare vehi, Dilemque ceperunt adpellere. Dil vero a Constantinopoli plus minus XLV milliaribus Asiaticis, vel itinere bidui nō magno, versus Nicæam distat; & sermone Turcocorum, a lingua nomen habet. Huc qui traiecerant Christiani, quod rumore sparso Turcos aufugisse perhiberetur; præter militum morem, in summa istic securitate, nihil de hoste solliciti, nullis dispositis excubiis, hærebant. Inter castra Osmanis ad Isnicam, & inter Dilem, castellum erat Ialac-hisar; quo nomine splenis arx significatur. Ex eo castello quidam explorator egressus, in manus Osmaneorum incidit; & deductus ad Osmanem, quid a Christianis ageretur, & quam negligentes ac securi rerū suarum essent, vltro fassus est. Quo intellecto, confestim cum suis Osman Dilem properat, & in illos Christianos, qui huc Constantinopoli traiecerant, irruit; eosque partim ferro trucidauit, partim fugere metu mortis in mare compulit; vbi quos gladius hostilis in terra non hauserat, aquis summersi perierunt. Eius cladis fama didita, qui necdum omnino mare transmiserant, Constantinopolim, mutatis velis, reuersi fuerunt. Osmanei quoque milites, opima potiti prędа, qua istuc venerant, redierunt. Et hactenus quidem Haniualdanæ filum historiæ sequuti sumus. Hoc vero loco discedit illa reliquorum a narrationibus, & Osmanem ad Isnicenum obsidium, rebus his ad Dilem aduersus Christianos gestis, reuersum negat, vti non multo post adparebit; minus Isnicam in Osmanis potesta-

poteſtatem veniſſe, vel vno verbo meminit. Annales vero Turcici captam ab Oſmane tradunt Iſnicam, tradunt & Græci; ſed vtrique recuperatam fuiſſe volunt a Chriſtianis,ac denuo poſt obitum Oſmanis, ab Vrchane circumſeſſam,ſic denique Turcicum accepiſſe iugum,vt numquam ex eo tempore Græcorũ in manus redierit. Laonicus paucis verbis ait, Oſmanem Græcorum regionibus in Aſia ſubactis, in Nicæam & Philadelphiam irruiſſe, quam tamẽ posteriorem negat eum ſuæ ditioni adiunxiſſe,priore potitum indicans.Liber autem Verantianus, quæ ab aliis indicata breuibus ſunt,hoc modo prolixe declarat & exponit.Vrchan Gaſis ſiue militaris,inquit,Iſnicam ſe cum copiis paternis contulit,& vrbem obſedit. Ea vero munita ſimul,& pulchra ciuitas id temporis erat,& vndiq; lacu,paludibus,cannis vſque adeo cingebatur; vt aditus ad eam non pateret. Præterea magnus erat hominum in vrbe numerus, proditumque memoriæ,quatuor vrbi portas fuiſſe; diuiſaſq; ſic in ea copias,vt equi mille pro ſingulis portis, præter alios milites, eſſent adſignati. de quo licet æſtimare, quam nobilis & egregia ciuitas hæc fuerit.Ex aduerſo,non magnus erat Turcorum id temporis exercitus, ſed quilibet tamen ex militaribus illorum viris inſtar draconis erat;in quem ſi maxime Chriſtiani plures impetum feciſſent, numquam tamen ille fugam arripuiſſet.Erat etiam ſingularis quædam in animis eorum religio,qua perpetuas (vt ipſorum ſcriptores arbitrantur) a numine victorias impetrabant. Itaque poſtquam caſtra Turci propius ad vrbem metati fuiſſent, mox agrum omnem Iſnicenum depopulando vaſtarunt.Egreſſi quidem multoties extra vrbem Chriſtiani manum cum hoſte fortiter &animoſe conſerebant; ſed Turci plerũq; victoria potiebantur, & Chriſtiani ſe rurſus in vrbem fuga recipiebant. Vnde Muſulmani ſatis animaduertere poterant, numquam vrbe ſe per expugnationem aliquam vi potituros; tum propter eius amplitudinem, tum aquarum copiam, quibus vndique cingebatur; adeo quidem, vt hoſtis nulla via militem mœnibus admouere poſſet. Quapropter ad eam vrbis partem ſe contulerunt, qua Geniſchehere ſiue Neapoli,de qua paullo ante dictum,ad Iſnicam acceditur.Illic in monte quodam vicino munimentum conſtruxerunt, cui præſidium imponi poſſet. Vbi iã fuiſſet id abſolutum, ex ſuis quoſdam iſtic conſtituerunt; qui & munimentum defenderent, & vrbanis extra muros egreſſuris perpetuo negotium faceſſerent. Erat inter Turcos id temporis quidam, cui nomen Tazi-Alis,hoc eſt, Alis vertagus,aut canis venaticus,vir acer & ferox;ideoque præſidiariis dictæ munitionis, qui erãt omnino cccc, præfectus fuit; vti cum his vrbem Iſnicam obſideret.Reliquię munimenti hodieque ſuperſunt, & † Alis Tazis caſtellum adhuc adpellantur. Locus tamen hodie ruinoſus eſt, iuxta pagum quemdam, vbi rupes ingens conſpicitur,e qua fons aquæ viuę frigidęque manat;cui nomen Tazis-Alis, vel Alis vertagi, nunc quoque dari ſolet. Poſteaquam a Turcis hoc munimentũ factum fuiſſet, paullatim ſic deminui cepere Chriſtianorum vires; vt intra muros vrbis ſe continerent.Quippe militares illi viri, qui erant heic in præſidio,perpetuis excurſionibus in eos proruebant, nec Chriſtianis permittebant, vt extra vrbem prodirent. Itaque ſuſtinuerunt illi quidem hanc Turcorũ obſidionem ad aliquod tempus,ſed tamdem viribus indies deficientibus, vt rerum ſuarum incolumitati mature conſulerent; mittendum quemdam e ſuis ad Teggiurem ſiue regulum Conſtantinopolitanum, principem ſuum,ſtatuunt;eique ſignificandum tam illius opera, quàm per litteras,ad extremum res vrbis obſeſſę diſcrimẽ adductas eſſe;quando iam a Turcis intra vrbis mœnia concluderentur, nec vſquam prodire amplius,cõuehendarum in vrbem rerum neceſſariarum cauſa,poſſent. Mirifice perturbatos ac territos eſſe animos omnium.Niſi quid illinc, abſque omni mora, ſubſidij mittatur,periiſſe. Venturos omnino breui Turcorum in poteſtatem, miſeramque ſeruitutem, cum coniugibus, & liberis ſeruituros: aut fame, triſtiſſimo genere mortis, obituros. Hæc dici Conſtantinopolitano regulo iuſſerunt, cuius imperio ciuitas id temporis continebatur. Princeps vero Cõſtantinopolitanus his intellectis, multas parari naues,nec mi-

† Ali Tazzi Chisar.

litum eis exiguam manũ imponi iussit: vt instructam hoc modo classem Turcis immitteret, eosque ad soluendam obsidionem Isnicæ cogeret. Ipsis etiam militibus, & classi ducem idoneum præfecit, qui nauiter rem gereret. Decretum sane fuit, vt classis Constantinopoli soluens, recta versus planiciem Isnicæ vicinam, quę Ialac-oua, siue campus splenis adpellatur, cursum dirigeret; ibique militum copias in terram exponeret, Isnicam inde petituras, vt inopinato Turcos obsessores impetu adgrederentur. De Ialac-oua sciendum, Turcis quidẽ hanc vocem significare planiciem lienis, aut σπληνοπεδίον: sed ὁλκῶ πεδίον, vel aquæductus planiciem intelligi, quem ὁλκὸν ipsimet Turci deinceps describũt, mutata nonnihil adpellatione veteri Græca. Meminit ὁλκοῦ Prætor Græciæ, velut haud procul a Lampsaco distantis. Dum hæc in hunc modum a Christianis & deliberantur, & instruuntur; iamq; paratis rebus omnibus, discessura classis esset, vti locum constitutum peteret: explorator Turcicus, ad speculandum consilia conatusque Christianorum Constantinopolim missus, his rebus omnib⁹ auditis, conspectoque nauigiorum adparatu, & quo loco illis adpellendum esset, intellecto: confestim cum hoc nuntio Constantinopoli discedit, & quanta maxima celeritate potest, ad Turcos properat; eisq; Christianorum institutum aperit, qui suis e nauigiis, ad locum, cui nomen Ialac-oua, militem in terram expositurì essent. Quum primum Turci hũc nuntium accepissent, coacta suorum aliqua manu, mox ad litus illud maris contendunt, quo Christianorum nauibus adpellendum erat: ibique semet in insidiis abdunt, vt hostium aduentum præstolarentur. Ex altera parte Christiani suis cum nauigiis, versus planiciem superius indicatam directis velis, eodem adpulere; statimque noctu & in terram exscendere ceperunt, & arma cum equis expedire. Dum vero rebus his occupantur, ecce Turci ab improuiso clamorem militarem tollunt, quo Dei nomen edere ter solent, Alla, Alla, Allahu: simulque calcaribus admotis equos impellunt, acinaces stringũt, in hostes irruũt, magnã eorũ multitudinẽ ferro conficiunt. Ceteri, dũ fugiũt, vel in mare se præcipitando summergũt; vel, si fortuna ꝓsperiore vterentur, in ipsa se nauigia proripiẽdo, quo possunt modo salui & incolumes euadunt. Non exiguus sane Christianorum numerus heic interiit, & admodum pauci Constantinopolim redierunt. Ante vero, quam illuc adpellerent, iam fama de Christianorum strage sparsa Constantinopoli erat; ideoque Teggiur siue regulus vrbis, intellecto suorum tam tristi casu, singularem ex eo dolorem cepit, cum indignatione non minori, qua Turcis minitari videbatur. Sed quod esset hæc iracundia vana, ceu viribus idoneis destituta; nihil aliud agere poterat, quam vt æquo tamdem id, quod accidisset, animo ferret. Ex altera vero parte, quum in vrbe obsessi Christiani nuntium de missis Constantinopoli auxiliis, sed ab hoste iam cæsis, accepissent: & ipsi magno animi mærore perculsi, sortem suam peracerbam deplorabant, ac dies noctesque continuas in luctu & gemitu sane quam miserabiliter exigebant. Extrema tamdem instituta deliberatione, quemadmodum fieri rebus deploratis solet, ex duobus alterutrum sibi faciundum statuerunt: vt vel vrbe deserta, relictisque facultatibus suis vniuersis, aufugerent: vel deditione facta, semet hostis imperio summitterent. Adprobata denique fuit ab omnibus vel inuitis hęc posterior sententia, Turcisque dedita ciuitas; qui maximas a dediticiis opes acceperunt. Hæc igitur in libro Verantiano de redacta in potestatem a Turcis Isnica, rerum potiente Osmane, tradita leguntur: ibidemq; subiiciuntur & alia de Turcorũ progressu, quibus licet admistæ sint fabellæ quædam barbaræ; tamen ea libet interpretando lectoribus exponere, ne quid a Turcis proditum, omisisse sine causa videamur. Capta igitur a Turcis Isnica, militares illi viri, consultatione de gerẽdis porro rebus habita, versus eam planiciẽ, cui supra monuimus fuisse nomen Ialac-oua, siue campi splenis, excurrere ceperunt. Erat enim illa plena multis castellis, pagis, vicis, agrisque cultis: adeoque montes siluosi, qui nunc inter Isnicam & Constantinopolim cernuntur, erant id temporis omnes sic habitati; nulla propemodum vt arbor istic inueniretur, propter opido-

opidorum, castellorum, pagorumque frequentiam. Tamdem tamen ad solitudinem vastitatemque redacta fuit ea regio, propter quam causam istic & arbores, & saltus, & siluæ deinceps exstiterunt. Quamuis aliqui velint, etiam prius illa quondam inculta siluosaque fuisse loca; quę post excoli, de causa quadam huiusmodi ceperint. Erat, inquiunt, imperator quidam Constantinopolitanus, qui filiam habebat eximia forma, venustisque præditam moribus; quam pater vnice diligebat. Pręter omnem vero spem, subito casu quodam accidit; vt puella longe omnium elegātissima, scabie fœda & inusitata laborare inciperet, qua confestim prior oris illa venustas omnis periit. Id malum quum imperatori patri dolorem grauissimum adferret, omnes conuocari medicos tam sui iussit imperij, quā extraneos; maximosque sumptus fecit, vt aliquod morbo filiæ remediū inueniret. Sed nihil omnino profectum tot medicis, ac medicinis adhibitis. Itaq; patris, ob filiæ malum, de die in diem crescebat dolor; ac tamdem aduocatis cōsiliariis suis, vt aliquem reperirent locum, petiit; quo loco filia sua domiciliū haberet, ab ipsius oculis longe remota; ne cottidie sic adfectam intuendo, perpetuos animi cruciatus sentiret. Dum illi mādato principis obtemperantes, locum pro ea commodū quærunt; forte contigit, vt e regione Constantinopoleos, in hac Asiæ vel Anatoliæ planicie, de qua loquimur, Ialac-oua siue splenis cāpus nominata, calida quædā aqua bulliens, & e terra copiose promanans, inueniretur. Quapropter visus fuit hic eis aptissimus pro filia principis domicilij locus, & quodam illic ędificio structo, rebusque necessariis procuratis omnibus, eam huc adduxerunt: vt illo plane loco degeret, quo thermæ, quas diximus, e terra profluebant. Solebat interdum mæstus eo pater, biremi conscensa, visitandæ filiæ causa vehi: sed deformitatem eius intuendo, tantum animo dolorem percipiebat; vt eius leniendi desiderio discedere, filiæq; salute ꝓpemodū desperata, Constantinopolim redire cogeretur. Interim illa suo semper hærens loco, quum die quodam in sublimem adscendisset pergulam, & ex ea despectans, bullientis & currentis aquæ fontem ac riuulum intueretur, & aliquam ex hoc intuitu voluptatem caperet: forte porcum accedere nigrum, setis carentem, atque ita glabratum, ac si data opera depilatus ab aliquo fuisset, conspicit. Is propius ad aquā hanc progressus, in luto vicino se volutando, sic tamdem abdidit; vt ex eo præter aures, nihil adpareret. quumque mansisset illic aliquamdiu, qua venerat, discessit. Eumdem post aliquot dies redeuntem vidit, & idem illud in cœno factitantem, quod nuper; adeoq; cōsuetudinē hāc ad tēpus aliquod retinentē, donec tamdem setis ei renatis, & hirsutus, & pulcher, & pinguis euasisset. Tum demum puella regia, quę restitutum in hoc limo sanitati pristinæ porcum animaduertisset, aliquid animo de se quoq; spei cōcipere cepit, ac secum expendere; visum illum ab se porcum primo depilem, scabiosum, fœdum; sed postea, quam cœnū ingressus, ad aliquod in eo, per interualla, tēpus hæsisset; non modo scabie glabritieq; sua liberatū, sed pinguem quoque factū. Posse fieri, vt etiā ipsa limum eumdē ingrediundo, per dei gratiā illi malo suo remediū aliquod inueniret. Itaq; mox abiit, & in limū semet abdidit, eaq; fecit omnia, q̄ porcum illū factitasse pri⁹ obseruauerat. Simul idē hoc iterando, tēpus ad aliquod cōtinuare perrexit; donec tamdē, interueniente diuina dubio ꝓcul ope, cōsanesceret; ac valetudini, formæq; pristinæ restitueretur. Tum vero sine mora patri, morbo suo se liberatam nūtiari iussit. Nihil eo nuntio gratius accidere patri potuit. Mox cōscensa biremi, ad filiā ꝓperat, eamq; sanā mundamq; reperit. Incredibili lætitia perfusus, quonā modo valetudinē pristinam recuperasset, interrogat. Illa rē omnem patri ordine commemorat, vnde princeps singulari huius aquæ bonitate ac vi animaduersa, pulcherrimū & amplissimū propter ipsas thermas ædificium exstrui iussit; quo & balinea continerētur, & aquarū silani, & quidquid ad regiam huiusmodi fabricam requireretur, cui par ædificiū illo tempore nullum fuisse memorant. Quod etiam aqua illa supra modum esset feruida, deducta per tubulos eodem fuit aqua frigida: quum quidem & aquæductus sub terra concamerati fierent in hunc vsum, qui vsque ad

ipsum mare pertinebant, sicut iidē hodieque supersunt, & vsque ad mare se porrigunt. Quumque id temporis illa loca prorsus essent inculta & inhabitata, posteaquam hoc ædificium istic ad inuentas tunc primum thermas exstructum fuit; & habitari cepere frequētius, & pagis, castellis, opidis multis ornari. Quod etiam hæc ipsa loca montuosa passim, & aspra viderentur; iccirco Christiani deinceps Turcorum metu se huc receperunt, deque hac altera causa non minus factum, vti paullatim melius excolerentur. Venisse vero perhibentur in manus Turcorum fabuloso quodā miraculo, quod hoc quodam modo accidisse commemorant. Ad has thermas, inquiunt, accessit aliquando solitarius quidam Turcus, ex illorū numero, quos Isicos ipsi, eremitas Christiani vocant. Is inuitare Christianos illius loci cepit, vti religionē Musulmanam amplecterentur. Gestabat autem Isicus ille manu gladium ligneum, quo Christiani conspecto, cum risu hominē exceperunt. Celebrabatur ab eis illo tēpore festū quoddam, quo moris erat, vt illas ad thermas vndique magna frequentia confluerēt. Itaque Turcicus etiam Deruisius hic Christianorum ad conuentum se confert, eosq; suam ad religionem pellicere studet. Erant autem illi iam ebrij, eaque de causa circumdāt hominem, & eidem illudēdo: Si nos, inquiunt, amplecti nolimus id, quod tu nobis persuadere niteris; quid de nobis facies? Solus es, & inermis. Ad quæ Isicus ille: Mene putatis, ait, inermem? En meum vobis gladium. Simul eis gladium illum suum ligneum ostendit. Nisi Musulmanorum ad religionem accesseritis, hoc gladio vos omnes interficiam. Risum Christianis hæc mouit oratio, quos inter vnus quidam ceteris temulentior, in illius Deruisij conspectum prodiit, & ferire se iussit; vt gladij vis adpareret. Deruisius autem, prolato sua lingua Dei nomine, mox illum temulentū gladio suo ferit, eūque duas in partes ita dissecat; vt subito exspiraret, licet ad aliquod tempus staret erectus. Risere denuo Christiani, ac per ludibrium: Quam acutus, inquiunt, hic tuus est gladius. Itane nobiscum pugnaturus es? Ad quæ Deruisius: Quid vobis videtur? ait. Moueat aliquis vestrum nonnihil hunc, & quid acciderit ei, videbitis. Tum vero Christiani propius accedentes, extinctum vident: & adprehensus ab eis, in terram, duas in partes diuisus, cecidit. Referunt vero Turci, Christianos hoc conspecto prodigio, partim Deruisio fidē habuisse, factosq; musulmanos; partim ea loca deseruisse, atq; alio commigrasse. Neq; dubitandū aiūt, in potestatē illa Turcorū, huius opera Deruisij, venisse; qui deinceps illic manserit, ac tamdē mortuus sit: structumq; fuisse supra monumentū ipsius ædificiū, (ziarettbia barbare dicitur) quod homines adire religionis ergo solerēt. Hæc igitur illa sunt loca, quæ Turcos inuasisse, post occupatam Isnicā, in libro Verātiano legimus. Obiter addo, Laonicū secunda obsidione Nicææ mentionem opidi maritimi Philocrinę, quod amicū fontē significat, facere; quo subsidia Constantinopolitana, Nicænā obsidionem solutura, venerint; & a Turcis cæsa fuerint. Id nomē alludere videt ad fontē hunc, cuius originē Turci fabella exposita, retulerūt. Nūc vti nostrū ad institutū redeamus, animaduertendū; in historia Muratis Dragomani Haniualdana, sicut & supra notatū, præteriri mentionem omnem captæ sub Osmanis imperio Nicææ, quam tamē ego minime reuocandā in dubium, velut a Turcis pariter, & Græcis traditam, arbitror. Nimirum vult Murates Osmanem, post cæsos ad Dilē Christianos, non reuersum ad Isnicā fuisse, sed obsidionē eius omnino vel neglexisse, vel omisisse: quod minime profecto cōsentaneum vero videtur, quū disciplina rei militaris postulet, vt hostibus cæsis, qui obsidionem aliquā soluturi veniūt, mox obsessi & acrius & artius ad deditionem vrgeantur; quæ quidem hoc casu, spe liberationis ademta, sequi plerūq; solet. Vt ergo cum maiore veri similitudine tradita sequamur, Osmanem a Dilensi pugna dicimus Isnicam reuersum; eamque, redactis ad desperationem obsessorum animis, in potestatē ipsius venisse. Tum vero, tam insigni victoria potitus, nō solum ad Dilem pugnato prœlio, sed etiam occupata Nicæa, quasi cum triumpho quodam ad suos rediit. Socrus autem ipsius, (nunc enim redeundum ad expositiones Murateas) fama

Φιλοκρήνη maritimum opidum.

ma rerum ab eo gestarum impulsa, mox itinere bidui obuiam ei gratulabunda, cum omni familia venit. Vbi congressi summa cum lætitia fuissent, accidit eodẽ die quiddã aliud, quo non exiguus ad augendã felicitatem Osman eam cumulus accessit. Quippe sub horã Ikindi, quæ tertia fere post meridiẽ est, adlata fuerunt ad eum dona Sultani Aladinis eximia: videlicet tympana militaria, tubæ, vexillũ, ius amplissimum, siue priuilegium dignitatis principalis, gladius, & paludamentum regium. Statim vniuersi proceres, militumque præfecti, sumtis honoratioribus palliis, ad comitia siue conuentum publicum, quem sua lingua Turci Diuanum, nostri curiã vulgo dicere solent, accesserunt; ordineque, suo quilibet loco, cõstiterunt. Osman Gasis socrum in pedes erigere se iussit, & ipsemet erectus stetit, donec tympanorum tubarũq; strepitus cessasset. Vnde mos regius Sultanorum inoleuit, vti Neubeta (quam vocãt) Osmanica pulsetur; hoc est, vti cum tubis tympana sonẽt. Adeoque secundum hæc, ad Sultani Muhametis vsque secundi tempora, qui Sultani Muratis Chanis II filius fuit, illæc Osmanea consuetudo mansit; vt quotiescumq; proficiscendũ ad bellũ esset, hæc Neubeta, tympanis ac tubis sonantibus, pulsaretur. Quo quidẽ ritu cęrimoniaq; durante, stare principes erecti solebant: vt innuerent, posteaquam expeditionis bellicæ tẽpus aduenisset, nullũ amplius nec sessioni, nec quieti locum esse reliquũ. Eodemq; modo totiꝰ etiã expeditionis tẽpore, quoties & horis matutinis, & vespertinis, hæc Neubeta pulsabatur; nõ desinebat in pedes erectus stare rex, cũ veziribus, siue cõsiliariis, & ꝓceribus suis, donec ille tympanorum tubarumq; strepitus finẽ habuisset. Post Sultanum vero Muhametẽ ritus quidẽ hic erecto in pedes corpore standi, obsoleuit: sed ipsa tñ Neubeta, regia lege sancita, ꝓ cõsuetudine veteri mansit. Quum igitur hæc tympana cum vexillo, ceterisq; donis, Sultani Aladinis iussu, Osmani fuissent oblata: quintã ille partẽ relatorum ex hoste spoliorũ, de legis ꝑscripto, selegit; eamq;, cum muneribus amplissimis, Sultano Aladini trãsmisit. Cogitabat ꝗdem ipse ꝓficisci Coniã, adeundi Sultani Aladinis causa; sed illo tempore ꝗbusdam negotiis adhuc impediebatur. Iter autem hoc suscepturus erat, vt Aladinis erga se beneuolentiã magis eliceret; ac impetraret, vt Sultanatus heres & successor ab eo declararet. Quippe Sultanus hic Aladin secundus, Gei-Cubadis filius, nullum ex se natum heredem habebat, nec adoptatum; nisi q̃d Osmani tympana cũ vexillo miserat, hoc ipso forte significatũ, quod eum loco filij decreuisset adoptare. Quamuis aũt ius Sultaneæ dignitatis, adhuc Aladine superstite, cõsecutus fuerat Osman Gasis: tamẽ vt Aladinem honore summo se ꝓsequi, planeq; venerari testaretur: nec monetę nummorumve signãdorum ius, nec earum precum, q̃ Turcis Hutbe dicuntur, & concipi singulis festis hebdomariis, in cœtu publico, pro salute felicitateque principis solent, eo viuo sibi voluit vsurpare: sed integrũ Sultano Aladini vtrũq; reseruauit, eiusq; nomine fieri ambo iussit. Posteaquam vero negotiis illis expeditis, iam ad iter hoc, quo Sultanum Aladinem conuenire decreuerat, omnia sibi necessaria parasset: eo ipso quasi momento ꝑlatus ad eum rumor fuit, quo nuntiabatur, Sultanum Aladinem ad alteram migrasse vitã: & quia filio caruisset, herede legitimo, primum a consiliis, qui barbaro vocabulo Gręcus etiam hodie Vezir-azemes dici consueuit, hero suo mox in Sultanatu successisse. Nomẽ autem huic ꝓprium erat Sahibus, quo ceteroqui princeps aut imperator significatur. Peracerbus hic Osmani nuntius fuit, quum eum dilatæ profectionis admodum pœniteret. Nihilo minus Dei voluntatem ad animum reuocans, cui nõ liceat aduersari; casum hũc patienter ac moderate tulit. Ne tñ ius suum, quod cõsequutus ab Aladine viuo fuerat, negligere videretur: statim præcepit, & ordinauit, vt legis peritus quidam, vir religiosus, cui nomẽ erat Dursun-Fakiches, iudex pariter & episcopus esset in opido suo Caratze-chisar; & Hutben, siue publicas pro salute prosperitateque principis preces, ipsius Osmanis nomine deinceps conciperet. Hic vir autem solebat antehac Musulmanis interdiu noctuq; precibus pręire † quinquies, & iam olim notus ac familiaris Edebali, de quo supra dictum, Osmanis socero fuerat. Hoc Osmanis institutum posteaquam

† *Pandect. Turcic. cap.* 210.

finitimis innotuiſſet, complures e ditione reguli Germeani, & aliis e regionibꝰ, in Oſmaneam cōmigrauere ꝓuinciam, & vel Caratze-chiſare, vel in aliis eius opidis conſtituto ſibi domicilio, magnopere numerum ſubditorū Oſmanis auxerūt. Hoc itaq; modo primū omnium Hutbeę preces Oſmanis nomine, veluti iam Sultani, Caratze-chiſare conceptæ fuerūt. Nonnulli tamen Oſmani tympana cūm vexillo prius, quam ab eo capta Bilezuga fuiſſet, aliquot ſcilicet ante hoc tempus annis, a Sultano Aladine, tamquā principatus inſignia, fuiſſe donata commemorant: adeoque referunt id temporis, quum Caratze-chiſar in poteſtatem Oſmanis veniſſet, Sultanum Aladinem ei ſigna poteſtatis ſupremæ per † Actemurē, fratris Iunduſis filium, miſiſſe. Addunt etiam, Sultanum Aladinem, quum ei vexillum illud offerri iuſſiſſet, in mandatis Actemuri dediſſe; ſuo nomine diceret Oſmani, quidquid Muſulmanæ religionis hoſtibus Chriſtianis eripuiſſet, bona cum Aladinis ipſius pace ſibi retineret: itidemq; ſe Oſmani ſignandæ monetæ poteſtatē concedere, cū precibus Hutbeis, die Veneris, hebdomadario Muſulmanorum feſto, pro ipſius incolumitate dicendis: quæ duo dūtaxat ad ius regium pertineant. Vtut vero ſe res habeat, hoc quidem conſtat; poſteaquā ab Oſmane iudex & antiſtes ſacrorum factus fuiſſet ille Durſun-Fakiches, Hutben ab eo primam, nomine Oſmanis, in opido Caratze-chiſare, de ſuggeſtu fuiſſe pronuntiatā. Primū vero, poſt initum ab Oſmane principatū, Bairami feſtum, quod inſtar paſchatis Chriſtianorum Muſulmani celebrant, inſtitutū fuit in Oſmanis opido Eſki-ſchehere, quo Palæapolis, aut ciuitas vetus ſignificatur; ibidemq; tunc Hutbeæ preces etiam, pro felicibus Oſmanei regni auſpiciis, publice recitatæ fuerūt. Quapropter ab hoc exordio precum Hutbearū, Oſmanis nomine conceptarum, quem Turci poſt hæc Chanē ſiue regem ſuum adpellarūt, ſcribi deinceps Oſmanei primus annus imperij cepit: cuiꝰ initiū in annū ıɔcxcıx, a migratione prophetæ Muſulmanorum Muhametis, incidit. Atq; hic iam finis eſt illius Oſmanei decennij poſt obitum patris, de quo ſupra lectores monuimꝰ. Quippe mortuus ei pater fuit Ertogrul, anno Muhametano ıɔclxxxvıı, qui anno Chriſtiano cıɔ. cc. xc fere, vel hunc antecedenti, reſpondet. Ab hoc vero patris obitu, redigendis in poteſtatem tot arcibꝰ, opidis, prouinciis, totum decenniū conſumſit: magnaq; demum potitus illa Nicæa, quum nō multo poſt, Sultani mors Aladinis etiam ſequuta fuiſſet; adſpirandum deniq;, mirifice tum amplificata, tum ſtabilita potentia, regium ad imperiū cenſuit, & inprimis opportuno tempore faciundum principatus initium: prorſus vt cæleſti prouidētia ſic illas fuiſſe res adminiſtratas adpareat, vt extinctæ gēti Aladiniorū, mox Oſmanea feliciſſimis auſpiciis ſuccederet. Hoc vero tam memorabile maximi, poſt homines natos, imperij principiū, ad annū a Chriſto nato cıɔ.ccc referri debere; quū ex iis intelligitꝰ, quæ heic modo ſunt expoſita, tū ſæpius a nobis hactenus indicatū.

† Vide, quæ ſupra, pag. 126.

Ordinatis hoc modo precibus Hutbeis, etiā ad alia principū iura, q̄ regalia vulgus iuriſconſultorū vocat, ſibi vindicāda, ꝓgreſſus eſt Oſman; ſuoq; nomine ſignari cuiuſuis materiæ nūmos iuſſit. In de Cadios auctoritate ſua, ſiue p̄tores inſtituit; qui noui principatꝰ populo ius in cauſis cęrimoniariis, ciuilibus, militarib. dicerēt. His addidit p̄fectum & exſecutorē, rerum capitaliū, quē ipſi ſua lingua Subaſſam vocant. Neque multo poſt, e Germeani reguli ditione quidā ad Oſmanē acceſſit, oblatiſq; nūmis, publicani munꝰ redimere voluit; vt vectigal, cui Batzi nomē dant barbari, de mercibus, ad forū rerū vænaliū importatis, exigeret. Oſmā vero: Quid hoc nominis Batz ſibi vult? inqt. Tum alter ille: Vis eiꝰ hęc eſt, ait, vt quicūq; merciū certū quoddā pōdus & onus ad forū, vt diſtrahātur, vehi curauerit; eo nomine mihi, iuſſu tuo, vectigal ſoluat. Ad hæc Oſmā: Heus tu, inquit, ad forum qui veniunt noſtris in ditionibus, an aliquo tibi nomine ſunt obligati, vt tu pecuniam ab eis exigas? Ille vero reſpondens: In omnibus regnis, ait, omniumque principum ditionibus, hic mos inualuit; vt pro vectura merciū quilibet rex, aut princeps ſibi certū vectigal ſolui velit. Quo intellecto: Num diuino iure fieri ſolet hoc, ait Oſman, an noſter ille ꝓpheta mentionē eius fecit? an deniq; reges ac principes omniū popu-

populorum & nationum, quum recens imperio potiti sunt, ex semetipsis huiusmodi ius quoddam sibi cõstituunt? Immo vero, inquit ille, ius hoc ab ipso rerum initio, reges ac Sultani semper habuerunt. Tum indignatione quadam animi commotus Osman: Abi, subiecit, in malam rem sceleste, ne his te posthac cõspiciam oculis: alioqui de te, pro merito tuo, pœnas exigam. Quippe qui sua manu, suo labore, suo sumtu q̃d adquisiuit, aut comparauit; quonã iure mihi sit obligatus, vt aliquid eo nomine soluat? Osmanei vero subditi, hoc eius audito respõso: Moris est, inquiunt, o Chan, (sic principem Turci suum adpellant) vt iis annonæ p̃beantur, qui Agoranomi siue iudices forenses, vel alioqui forẽses ministri sunt, ad fori custodiã constituti; ne suis rebus neglectis, absq; fructu munus hoc suum curent. Id salarium alicunde sumi necesse est. Tum Osman: Quando sic cõparata res est, vt dicitis, vnusquisq; soluet in posterũ pro vectura mercium suarũ qualibet, † axos, aut aspros, vel albos nummulos duos; modo merces illas suas in foro distrahat. Sin eæ vẽditæ non fuerint, nihil soluat. Hæc ab initio principat⁹ ab Osmane lata lex fuit. Nec multo post, aliam quoq; legem, in huiusmodi sententiam, promulgauit. Quicumq; † timaria, vel in villarum, vel aliorũ prædiorum constituta prouentibus, liberalitate nostra consequutus fuerit; eis sic vti frui debebit, vt illi absq; iusta causa, neminis vlla siue fraude, siue vi, adimantur. Quod si morte decesserit, eadem ipsius filio cedere volumus; etiamsi minor adhuc, siue pupillus sit: illa tamen lege, vt belli tempore, pupilli loco, mittantur alij; donec ipse pupillus adoleuerit, & armis gerendis idoneus euaserit. Si quis vero canonicæ legis huius nostræ paginam violare, vel mutare fuerit ausus; aut posteris, successoribusue nostris, eius abolendæ, mutandæ fuerit auctor; exsecratione nostra sic diris vterque deuouetor, tam qui abrogauerit, mutauerit; quam qui abrogãdi, mutandi auctor exstiterit; vt propitium sibi Deum non amplius experiatur, sed pariter & recta sententia religionis excidat, & quidquid fortunarum ac prosperitatis habet, amittat. Has constitutiones Osman statim ab inito principatu promulgauit, vt Haniualdana testatur historia; quæ quidem a Turcis adhuc vocabulo a Græcis accepto, Kanoni Osmanum, id est, Osmanis canones, aut regulæ siue leges adpellantur.

† Pandect. Turc. cap. 18.

† Pandect. cap. 186.

Secundũ hęc distribuit Osman ditiones occupatas in suos, vt partim ab eis possiderẽtur, partim administrarentur. Vexillũ Caratzechisaris, hoc est, Sanzacatũ siue ꝓuinciã, Vrchani filio suo dedit. Sub eo præfectũ rerum capitaliũ, siue Subassam, creauit Iundusem, qui Osmanis ipsius frater erat. Iarchisaris, hoc est, arcis accliuis ditionẽ, Chasani Alpi cõcessit: qui vir fortis & egregius erat, eque Persarũ vel Aiemiorũ regione cum Osmanis auo, Suleimane Scacho, venerat. Castellũ Einegiolim, siue Nacoliam, cum territorio suo, Durguti Alpi tradidit. Et horum sane præstantium virorum memoria ne hodie quidem in iis regionibus extincta est, quum & monumenta cum sepulturis eorum superent, & prȩsertim a Durgute pars regionis adhuc nomen † Durgut-ili retineat, quo Durgutis regio significatur. Edebali, socero suo, Bilezugam arcem timarij loco donauit: simulque voluit vxorem suam istic, apud matrem adhuc superstitem, degere. Sibi vero Geni-scheherem, siue Neapolim, nouamue ciuitatem delegit inhabitãdam: quo quidem in opido viri militares Osmanei, quos Gases siue Gasilaros Turci dicunt, ædificiis exstructis, domicilia sibi cõstituerunt. Quapropter Osman ipse nomen opidi prius Genischeher, mutauit in Beg-schehher, quo Despotopolis, siue principis, aut domini ciuitas significat. Nec cogitationem augẽdi principatus vmquã ex animo suo deponebat. Eam ob causam interdũ in regiones, Vrchane filio comite, finitimas excurrebat: & arcẽ præsertim Cuprichisarẽ, cum territorio suo, tantisper inuadere, prædisque depopulari agendis perrexit; donec ea quoq;, cum agro finibusq; suis, in potestatem ipsius veniret. Posset autem arbitrari aliquis, illã hoc nomine Cupri-chisarẽ, siue Gephuræam, id est, pontis arcẽ, (Nomina quidẽ ipsa Cupri, & Gephura, quamdã adfinitatem habent) non intelligi; cuius supra mentio facta fuit, & de qua dictum expresse, quod Osman eam reguli Bilezugij causa, cum suis obsede-

† Pandect. cap. 163.

Δεσποτόπολις.

rit, & cæso præfecto ceperit: quasi nullus hāc ei semel occupatam, in illa Christianorum indies illis in locis crescente oppressione, rursus eripere, vel extorquere potuerit. Sed eadē omnino Cuprichisar accipienda venit, quam prius Osman Bilezugio, non sibi occuparat; & quam supra, libro huius historiæ primo, ex Symeone Magistro Officiorum Pentegephyron fuisse nominatam a Græcis, ostendimus; a quinque pontibus, supra Sangarium flumē ab Iustiniano illo magno structis, quos hoc castellum tuebatur; vt absque præsidiariorum ipsius permissu, ac bona venia, transiri non possent; quemadmodum indicato superius loco narratum, Irenen Augustam, missis huc militum copiis, Harone-residi, cum suis Agarenis ad Chrysopolim & Chalcedonem hærēti, quibus in Asiam Suriamq; redeundum erat, itinera præclusisse. Hoc ergo castellum pontis, aut potius quinq; pontium Sangarij fluminis, quod momenti ad vlteriora tentanda maximi erat, Osman hoc tempore, cum Vrchane filio, suis finibus adiecit. Hinc ad regionem, quæ Marmora vocatur, (ager Marmoræ ciuitatis intelligitur, q versus Philadelphiam Lydiamque se porrigit) cum militibus suis progressi sunt: cuius incolæ Christiani Osmanem vltro adeuntes, eius imperio se patituros ostenderunt. Osman in fidem receptos, benigne habuit; ac nullis adfectos iniuriis, vtifrui suis prædiis ac facultatibus siuit. Inde Genischeherim, quæ regia (Portam Turci dicunt) ipsius erat, milite reducto; tempus ad aliquod ibidē hæsit, vt equorum vires hac quiete reficerentur. In occupatis quidem agris, ac regionibus, timaria militi suo distribuit; vt haberent, vnde alerentur, eoq; deinceps ad obeundam militiam alacriores essent.

πεντεγέφυρος.

Quum reguli finitimi viderēt, quam felici progressu nouum illud Osmanis regnum de die in diem maiora sumeret incrementa: mature iungendas censuere vires, & summo rem committendam prœlio, vel cum aliquo discrimine; quēadmodum facere solent, qui ruina domus ardentis flammas oppressas extinguunt, ne latius serpat incendium. Erant autem præter alios, hi quatuor; Burusæ nimirum, Prusæue regulus; & † Edrenosius, & Bitanosius, & * Tekensis. De ceteris alibi dictum, Bitanosium sciant lectores vocari regulum siue præfectum Bithyniæ, si non regionis totius, saltim opidi Mysiæ, quod nomen hoc habuit. Græcis dictus fuit Bithyniæus. Hi mutuo congressi, q̄d esset optimum factu, consultarunt. Allata fuerunt in medium pericula publica. Quantopere creuisset inter eos Turcus Osman, ostēsum. Regionem vniuersam vel flammis & ferro vastari, vel sub iugum mitti. Nullum malorum finem esse. Si per ignauiam hæc ipsi negligere pergant, omnes hauddubie breui pessum ituros. Cogendas quamprimum copias vniuersas Christianorum in iis locis regulorum omnium, ac vel ad internecionem cum suis cædendum, vel finibus exigendum. Igitur expeditione decreta, numerosus ab eis collectus fuit exercitus, & in Osmanem absque dilatione ductus. Inaudierat ille iam antea, quid isti contra se molirentur: eaq; de causa copiis, quantas sane maximas poterat, coactis; in hostem vltro pergebat. Vbi quamdam ad arcem venisset, quæ Turcis Coion-hisar, quasi Prouatocastron, vel ouium arx adpellabatur; iam progressos accepit Christianos ad locum vicinum, cui nomen diuersum datur, a Murate Dragomano Dipnanos, a Verantiano interprete, sicut & Theodoro Spādugino, Dimbos: quæ duo tamen, corrupta nonnihil, vnius & eiusdem originis sunt, ex Græco nimirum Dipotamos facta, quod duobus a fluminibus inditum loco nomen. A Curopalate ponitur in finitima Bithyniæ Phrygia, castrumque regium vel imperatorium dicitur. Statim igitur in eos perrexit, & ibidē aduersus Christianos acerrimo prœlio conflixit; quo ingens vtrimq; cecidit hominum multitudo, tam e Turcis, quam Christianis, qui tamdem ab Osmane victi fuerunt. Cæsus inter alios Ai-dogdis, (id nomen ortam lunam significat) & Sehidorum siue beatorum in numerū relatus. Fuerat hic Ivnduse natus, Osmanis fratre, quem Verātianus interpres Iundus-Alpem dixit, cuius nominis † alibi reddita ratio. Sepultus autē fuit Aidogdis quodam in loco, propter viam publicā, qua Coionhisare Dipotamum soletiri; vulgoque loci nomē id temporis erat Dimbos syn-

† *Pandect. cap. 16.*

* *Ibid. c. 17.*

ὀβατόκαστρον.

Διπόταμος.

† *Pandect. Turc. cap.*

bos synhoro, corruptum e Græco veteri, Dipotamu-synhoron, quo fines Dipotami significantur. Sepulcrum lapidibus, Turcico more, circumdatum fuit; & admodum hodieque vulgo notum est. Quippe vim habet eam, vt si quis equus in illa regione ventris dolore quodam laboret, & circum hanc sepulturam ter ducatur; mox eo morbo liberari, superstitiosorum hominum opinione existimetur. Præterea solet Turcorum vulgus, quod illac transit, humum illius sepulcri secum portare, febrium curandarum causa. Nam si qui febre laborant, pauxillum eius terræ sumunt, & aquæ miscent; qua epota, febricitantes curari creduntur. Superatis ab Osmane Christianis, præfectus Edrenosius, & Burusensis, & Bitanosius, fuga sibi consuluerunt; Castellianus in prœlio fuit occisus. Hic nomen habuit a Castelio, Phrygiæ castello, cuius supra mentionem libro primo fecimus, ex Officiorum magistri Symeonis historia, quo loco de Harone-reside, Saracenorum Chalipha, disserebamus. Alij Castellen dicunt, & in Paphlagonia collocant, nimirum in Phrygiæ maioris, & Paphlagoniæ finibus. Id vocabulũ Turcico Kestel, quod heic legitur, paullo vicinius est. Regulus vero Tekensis, qui Osmani hac pugna fuerat oppositus in acie, cum suis & ipse victus terga dedit. Eum persequutus fuit Osman, vsque ad fluuium * Vlubadam, quem prisci Rhyndacum dixerunt. Tekensis pontem fluminis in fuga transiit, & ad præfectum Vlubadanum se contulit: Osman vero pontis ad initium subsistens, quemdam e suis misit, qui arcis Vlubadæ (Turcis ingens eo nomine vetus significatur, quod tamen e Græco Lopadio factum) regulo siue præfecto suis verbis diceret: Petere se, suum vt hostem fugitiuum cæsumq; sibi dederet. Ni faciat, transiturum se pontem fluminis, & omnem ipsius agrum flammis & ferro depopulaturum. Vlubadanus Osmani renuntiari iussit, dediturum se fugitiuum ipsi, cæsumque regulum Tekensem, modo sancte polliceretur; nec se, nec posteros ex se natos, vmquam illum pontem transituros. Quod vbi promisisset Osman, deditus ei Tekensis fuit. Osmanidæ vero

Διποτάμου σύνορον.

* Pandect. cap. 86.

secundum hæc, ad nostra vsque tempora, semper huic Osmanis promisso satisfecere, nec Vlubadensem illum pontem vmquam transierunt; sed quoties vsu sic poscente, transiiciendus erat amnis, eum nauigio transmiserunt. Osman inde regulum Tekensem, sibi deditum, ad castellum eius perduxit, & in arcis conspectu minutim concidi iussit. Hinc arcem occupauit, eique præsidio suorum imposito, regionem quoque, cum incolis vniuersis, suæ ditioni coniunxit. Admiranda sane fuerunt ea prœlia, quæ Osman hoc tempore contra Christianos pugnauit. Interea Burusensis Teggiur e fuga se suam in vrbem Burusam receperat, & intra muros eius se, Turcorum metu, concluserat. Osman autem, rebus omnibus in agro Tekensi ex animi sententia constitutis, mox inde cum copiis discessit; easque Burusam, vrbis illius occupãdæ causa, duxit. Sed quum non vi, sed obsidione diuturna dumtaxat hanc expugnari posse cerneret: de duobus castellis extruẽdis cogitare cepit, quibus suos imponeret, vrbisq; vias omnes obsideret, ne quid in eã posset importari. Primum versus Caplizen, quo nomine thermæ significantur, collocauit; eique præsidium selectorum militum imposuit, cui fratris filium Actemurem præfecit, virum magnanimum, & inprimis strenuum. Alterum versus Olympum montem, qui vrbi Burusæ imminet, exstruxit; cuius præsidiariis ducem dedit Balabanzucum, virum militarem & animosum, quem maximi faciebat: vnde datum munitioni nomen Balabanzuc-hisar, quo Balabanzuci castellum significatur. Vtrumque castellum vnius anni spatio, magna cum industria laboreque perfectum fuit. Inde præclusis, quæ in vrbem ducerent, itineribus; ingens Burusensibus iniecta trepidatio. Adeoque suburbanis agris, cum tota regione, in potestatem redactis, sola restabat capienda Burusa: cui perpetuo suis in castellis intenti Osmanei, tamdem obsessos eo loci redegerunt; vt vrbis incolæ Christiani nusquam egredi auderent. Referunt Turcorum historiæ, non vno, sed aliquot annis hanc obsidionem fuisse continuatam. Interea suam ad Portam siue regiam Ge-

nischeherē se conferebat Osman, quem oppugnatum veniebant vndique Christiani diuersis vicibus, vt e locis illis eum expelleret, sed inferiores semper discedebant. Itaque tamdem his potiti fuere Turci regionibus vniuersis, & moderata quadam, ac prudenti administratione perfecerunt, vt incolarum frequentia plurimum excolerentur; ipsis interim militibus magnas opes adquirentibus, & ab Osmane timariis siue prædiis, pro suo quisque merito, liberalitate plane regia donatis. Quum autem viderent iidem Osmanei milites, vbique se victoriis potiri, prosperosque rerum successus consequi, quocumque tamdem a principe suo ducerētur: eum vltro adierunt, & in conspectum admissi: Quandoquidem Chan, inquiunt, immortalis Dei beneficio, cui hoc nomine infinitæ a nobis agēdæ gratiæ, victi tot prœliis Gauri, propemodum omnes suas vires amiserunt; non iam quiescendum nobis, nec perdendæ rerū gerendarum occasiones; sed aduersus hostes religionis nostræ perpetuo militandum. Nos quidem parati sumus, vt te, quocumque visum fuerit ire, sequamur. Grata fuit hæc Osmani suorum alacritas, verum quod existimaret, haudquaquam progrediundum longius ante, quam domi se discriminis omni suspicione liberasset: placere sibi respondit ipsorum singularem illam virtutē, sed omnino consultum videri, prius vt arcessatur Michaël Cosses, regulus Christianus, quem hacten⁹ vti frui suis possessionibus in territorio suo passi sint; operamque dandā, vt religione Christiana deserta, Musulmanam amplectatur; atq; ita se Turcis adiungat, ne qua restet ei diffidendi occasio. Si hoc ab eo volente sit impetratum, quamcumque vobis, ait, in partem visum fuerit, expeditionem suscipiemus. Sin id facturum se recusauerit, ditionem ipsius inuademus, eaque nostram in potestatem redacta, quo minus ab intestino quid hoste nobis metuendum sit, vitabimus. Missus igitur illico quidam ad Michaëlem, qui peteret, vt Osmanem quamprimum adiret, paratum ad expeditionem quamdam magni momenti, cuius ille causa fidelem ipsius operam inprimis requireret. Præter Michaëlis aduentum, nihil amplius desiderari. Cosses his sibi nuntiatis, absque mora se bello parat, ad Osmanem properat, intellectaque causa, cur potissimum arcessitus fuisset; pro illarum gētium more, manum Osmanis osculatur, eumq; sincero se ait orare animo, viam vt sibi benigne aperiret, ad religionem Musulmanam perueniendi, quam mox amplecti decreuisset. Quapropter ab Osmane, quibus vtendum verbis esset, edoctus; Musulmanæ se religioni, singulari cum voluptate vezirum siue consiliariorum Osmanis, reliquorumq; procerū, addixit. Osman vicissim Michaëli vexillum manu sua tradidit, qua cærimonia clientes Sultani Turcici suis in ditionibus confirmari solent, ac magni pretij vestem iniecit. Hinc Vrchani filio suo adiunctum, cum Saltuc-Alpe, clari nominis Turco, Caratzechisarem adire iussit; vt arcem illam aduersus omnem vim & insidias Germeanoglij begi propugnarent ac tuerētur. Alterum filium suum Aladinem, minorem natu, Bilezugiam in arcem, cum matre sua misit. Ipse diuino fretus auxilio, quo niti se profiteri solebat, recta versus arcem, cui nomē Lebeditzi-chisar, (Lebedos Græcis. quamquam & Leblebitzi scriptum reperitur) duxit. Eius præfectus, obsidione non exspectata, mox obuiam Osmani progressus, ipsius se pariturum imperio dixit; ideoq; non difficulter obtinuit, vt tamquam subditus & cliens Osmanis, suo loco relinqueretur. Habebat is filium, quem secum sumsit Osman, ac militare sibi voluit. Inde cum copiis ad Leuken (Turci Lefken, vsitato Græcis more, pronuntiant & scribunt) accessit, quæ nomen Græcum ab albedine retinuisse videtur. Ac meminere scriptores Græci tā Leukæ, quam Leucarum, numero multitudinis, ad Ioniæ fluuium Thermodontem. Quæ loca si remotiora quis arbitratur, quam vt hoc tempore credi debeant ab Osmane occupata: dicemus, videri Leuken corruptam a Turcis ex Laodikea, quam Leo Imp. Aug. Phrygiæ Pacatianæ metropolim constituit. Leukæ vero præfectus, vna cum præfecto Tzadurilei, (corruptum e Dorylæo Phrygiæ videtur) aduentu Osmanis intellecto, & ipsi suis ex arcibus egressi, obuiam ei prodierunt; nec dumtaxat se, cum arcibus ditionibusq; suis,

suis, ipsius potestati ac fidei permiserũt: verumetiam suas, ad illius exercitum, copias adgregarunt. Erat id temporis in castris Osmaneis Samsama Tzauses ille, cuius & superius facta mentio fuit. Is horum præfectorum regiones ab Osmane, pro hactenus aditis ab se periculis, & exanclatis laboribus, fortiterque nauata tot bellis ac prœliis opera, donari sibi petiit. Sed Osman, certis ac grauibus de caussis, id se facere posse negauit; quod minime committendum diceret, vt isti deditícij, suis spoliati ditionibus, ad desperationem adigerentur; qua tamdem impulsi, non sine Musulmanorum infamia, coniuncturi se rursus cum Christianis essent. Ne tamen nihil a nobis impetres, neue caussam habeas vllam, de liberalitate nostra querendi; tuam quoque partem tibi largiemur, ait. Quumque castellum istic quoddam esset, haud procul a Leuca situm, in aditu vallis, ad ripam fluminis, quod ciuitatem Genischeherem alluit; hoc ipsum castellum Osman Samsamæ Tzausi donauit, vnde nostris adhuc temporibus Villæ Tzausiæ nomen in iis locis exstat. Hinc ad arcem Meketzen progressi sunt, cuius itidem præfectus Osmanis imperio se summittens, cum suis eum comitatus est ad arcem, cui Turcica lingua nomen Ac-hisar, Græca recentiori Asprocastron, hoc est arx alba. Regulus autem Ac-hisaris minime deditionem faciundam ratus, exercitum collegit, & cum Osmaneis acri prœlio conflixit: quo tamdem victus & profligatus, sic fuga saluti consuluit, vt in arcem non rediret; quod eius aduersus Osmanem defendendæ spem omnem abiecisset. Quapropter ab Osmaneo milite capta direptaque fuit. Interim præfectus eius, quem fugisse diximus, summa celeritate semet in arcem munitissimam, cui Cara-tzepesia nomen a nigro monte, vel Scapulo, recepit. Græcis erat Maura-petra. Sita est in valle quadam, ad fluuium Sacarim Turcis, Sangarium Græcis adpellatum; apud quos tamen & Sagaris, Lydiæ Phrygiæque fluuius, scribitur. Sequuti fugientem milites Osmanei, post aliquot dies, re infecta, reuersi sunt. Inde Geiuen itum, (veteres Gaiucomin, siue

ἀσπρόκαστρον.

μαυρόπετρα.

Gaij castellum, adpellasse videntur, in Phrygia situm) cuius arcis incolæ Christiani, Turcorum aduentu trepidi, castello deserto, fuga se subduxerunt. Neque multo post nuntiatum Osmani, fugitiuos Geiuenses cum rebus ac familiis suis in loco, cui Corideressi nomen, occulte consedisse; dum grassationes illæ Turcicæ finem haberent. Corideressum vero, si Coressum priscis fuisse dictum non admittimus, montem & oppidum, XL stadiis ab Epheso, saltim Gordorisiam intelligendam putabimus, vel ut Osmaneo regno illi nouo viciniorẽ: quum hanc Leo Sapiens imperator sub Phrygiæ Salutaris metropoli Synadensi collatam recenseat. Hoc Osman accepto nuntio, confestim suos ad eum locũ duxit, vbi latitare Christianos hosce ꝓfugos intellexerat; eosq; repertos inuasit, cæcidit, in potestatem redegit; ipso etiã regulo, cum spoliis opimis, potitus. Secundum hæc ad vnum in illa regione mensem, vel paullo amplius, hæsit; vt omnia pacaret & constitueret. Simul eorum locorum villas & prædia militibus distribuit, vt eis tamquam timariis suis vterentur, fruerentur: cetera non mutauit, sed incolas in statu manere pristino permisit. Interea vero, dum Osman pater hac expeditione versus Leuken occuparetur; e Germeani ditione Tatarus quidam, cui nomen Tzaudar, versus opidum ad arcẽ Caratzechisarem situm, cum copiis excurrendo, intra fines Osmanis grassatus est. Aberat id temporis Vrchan, cui pater Caratzechisarẽ tuendam cõmiserat, profect⁹ Eskichisarem, quo vocabulo Palæocastron, vel arx vetus significatur. Is illo ipso momẽto, quo illati a Tzaudare damni nuntium accepit, equis soleas ferreas aptari iusserat. Itaq; mox in equum insiliit, vt hostẽ paternis e finibus expelleret. Idem factitatum ab aliis, qui ad Vrchanẽ sine mora confluebãt. Hinc omni virium contentione properatum in abscedentes iam grassatores. Erat illis in locis montuosis opidũ quoddam, siue castellũ vetus ac desertũ, cui nomen Einas-chisar datur a Turcis; factum, vt opinor, ex Eumenias prisco vocabulo; cui⁹, vt opidi Phrygiæ, Leo Augustus meminit. Huc quũ venissent, adsequuti Tataros, mox in eos irruerunt, neq; dumtaxat omnẽ relinquere

prædam coëgere; ſed etiam cæſis non paucis, aliquibus viuis potiti ſunt; inter quos & Tzaudaris filius erat, quem cuſtodiæ tradiderunt, donec Oſman adueniſſet. Ei vero deinceps, ab expeditione ſua reuerſo, captiuos hoſce Tataros Vrchan obtulit, vt ex animi ſui ſententia de iis ſtatueret. Oſman, re ſecum deliberata, non poſſe graſſatoribus illis, tametſi per ſcelus & iniuriam, nullo prouocati maleficio, damnum ſuis intuliſſent, capitis ſupplicium ſtatui, reſpondit; ea potiſſimum de cauſa, quod ſecum vinculo coniuncti Muſulmanæ religionis eſſent. His dictis, iuſiurandum præſtare iuſſit omnes, quo ſancte promitterēt, numquam ſe in poſterum aduerſus Oſmaneos hoſtile quid tentaturos. Simul eos tum vita donatos, tum libertati reſtitutos, ſuas ad ſedes remiſit: qui ſane ſecundum hæc, ad Sultani Baiaſitis vſque Gilderunis tempora, non amplius Oſmaneos hoſtiliter adgreſſi fuerunt; ac ſuperant hodieque nonnulli ex ea familia, qui Tzaudarleri nominantur. Fuit & Tzaudari patri reſtitutus ab Oſmane filius, ſed ſacramento primum, certiſque de non offendendo deinceps Oſmane legibus pacis obligatus. Hinc denuo vicinos armis Chriſtianos inuaſurus, vt erat impatiens quietis & otij, ſuum Vrchani filio conſilium aperit; ac ſe domi ſubſtiturum in excubiis, ſuoſque tutaturum fines ait, ne quid detrimenti rurſus a Tataris inferretur; qui licet religione ſacramenti ſe colendæ pacis nomine obſtrinxiſſent, tamen dubiæ fidei homines, & fœdifragi eſſe ſolerent. Interim recte facturum Vrchanem, ſi foris arma circumferat, & ſuperandis propitio numine Chriſtianis, feliciter rem gerere pergat. Adiuncturum ei ſe pollicetur p̄cipuæ duces virtutis & auctoritatis, Acce-cozzam, (quo nomine ſenex albus ſignificatur) & Cungur-Alpem, & Abdurachmanem Gaſim, & Michaëlem illum Coſſem, qui iam Muſulmanus factus fuerat. Hoc modo filium ſelectis inſtructum copiis, ad expugnandas arces duas, Caratzepeſien & Caratekinen, ire iuſſit. Hæc prima fuit Vrchanis expeditio, cui ſumma cum poteſtate ſolus, vt imperator, p̄fuit. Quumque fauſtis ominibus ac votis eum pater proſequutus eſſet, recta Caratzepeſien duxit; quam & Oſman aliquando, ſed irrito conatu, tentauerat. Nomen Græcis Mauropetrā ſiue ſaxum nigrum ſonat. Vbi iam ab arce vnius itinere diei aberat, copias ſuas in agmina tria diſtribuit. Vnum ipſe, velut arcem cum eis obſeſſurus, a fronte duxit. Secundum noctu ab arcis altera parte, hoc eſt, a tergo abdidit. Tertium propter arcem in opaca valle quadam occuluit, vt ab hoſtibus nec cōſpici, nec animaduerti poſſet. Vrchan vero cum ſuis ex interuallo quodam ad arcem conſidens, aliquot diebus hoſtem velitando prouocat, ac ſibi non ſatis magnas eſſe vires ad arcem obſidendam ſimulat: adeo quidem, vt deniq; trepidabundi ſpecie caſtra cum tentoriis relinqueret, ac fugæ ſe manifeſtæ daret. Id quum fieri, qui erant in arce, viderent; confeſtim e caſtello prodeunt, & ad tentoria relicta progreſſi, repertum in eis Turcum quemdam ſecum abducunt, reguloque ſuo ſiſtunt. Is hominē interrogat, quid rerum Turci agerent, vbinam eſſent, an alicubi hærerent in vicinia. Tum is, confidenti ore: Quid a Turcis agatur, interrogas? inquit. Ex oculis ſe veſtris fuga ſubduxere, formidine quadam ſubita correptis nuſquam vt amplius adpareant. His auditis, magnos regulus ille ſpiritus ſumſit, ac ſtatim animaduertere ſe dixit, exiguas Turcis adeſſe copias. Omnino ſine mora perſequendos, nec permittendum, vt impune ſic elaberentur; præſertim, quum eis tranſeunda ſit vallis, in qua & inuadi, & opprimi nullo prope negotio poſſint. Itaque cum maiori parte ſuorum e caſtello ſe proripit, Vrchanemque pleno curſu inſequitur. Eum diſcedentem cum ſuis conſpicati milites Turcici, quos propter arcem in inſidiis Vrchan abdiderat; mox e locis illis occultis prodeuntes, impetu ſubito & inopinato portam arcis occupant. Hinc & agmen alterum, quod a tergo ſub arcem conſederat, e latebris ſuis progreſſum, hoſtibus conſpiciendum ſe præbuit. Tum vero regulus arcis, fraude ſe circumuentum, & illam Turcorum diſceſſionem ac fugam non niſi dolo ac ſimulatione factam videns; conuerſis habenis, ad arcem redire properat, vt in eā reuerteretur. Sed interceptum iam Turcicis a militibus iter erat, quos ſub

arce

Suid. Pandect. li. cap. 50.

arce latitasse diximus: ideoque volens, nolens, in manus eorum venit. Hinc ab eis arx occupata fuit, ac direpta. Non procul ab arce, loco nonnihil inferiore, castellum quoddam aliud situm erat, cui nomen Vpsu datur a Turcis, factum ex Hypsu Græco, quod apud Leonem Augustum inter opida Synadensi metropoli Phrygiæ subdita recensetur. Id quoque, præter exspectationem, aduentu Turcorum oppressum, metu exanimatis incolis, pactione deditum fuit. Inde firmum arci vtriq; præsidium imposuit Vrchan, & Caratzepesien Cungur-Alpi; secundo loco captam, cui nomen Vpsu fuisse diximus, Acce-Cozzæ tradidit. Regulum vero Caratzepesiensem, vna cum Spachiis suis, siue nobiliori numero militum, ad arcem Achisarem abduxit: subditis se benignum exhibuit, nihilque sibi carius ipsorum tranquillitate futurum, professus est. Ab illo tempore Cungur-Alpes versus Acciazin perpetuis excursionibus grassari cepit. Itidem & Acce-Cozza degere solebat in arce pōtis ad Aian-Giolim, (vox posterior stagnum significat) vbi quinque pontes esse tradunt Turci hoc ipso historiæ loco. Quapropter Aian-gioli, palus est ea, quam ἰβαίην, aut βαίην λίμνην Græci dixerunt; arx vero, Πεντεγέφυρος illa, sic a quinq; Sangarij fluminis pontibus adpellata, cuius supra quoque tum primo, tum hoc historiæ libro mentionem fecimus. Ex eo loco numquam Acce-cozza negotium finitimis Christianis facescere desinebat. Vrchan vero, limitum istorum præsidiis ex vsu dispositis, mancipia Christiana patri Osmani trāsmisit: ipse cum copiis ad ea, q̃ restabant expedienda, progressus; propius ad arcem Caratekinen, velut eam obsidione cinctur⁹, accessit. Inde fetialem ad arcis regulū misit, qui diceret: Vrchanē ab eo petere, castrū vt sibi dederet; cuius ipsi præfecturam, legibus iisdem relicturus esset, quibus ante id tempus illud obtinuisset; modo suum se clientem profiteri vellet. Nihil in ipsum hostiliter agere decreuisse. Saltim ab hac parte suarum rerum securitati consultum cupere, dum Burusam occupasset; in cuius expugnationem vires suas omnes conuertere statuisset. Præfectus hanc fetialis orationem ægerrime tulit, & arcem Vrchani se sponte sua dediturum, in quā nihil ei iuris esset, negauit. Quapropter Vrchan se militibus suis castrū, siquidem id expugnassent, in prædam concessurum promisit. Tum vero milites illico spoliorum illecti spe non exigua; summo impetu in ipsam castri portam irruunt, nec oppugnandi finem faciunt, donec in eam vi perrupissent. Venit in potestatem Turcorum regulus ipse, nec vt vitæ suæ parceretur, impetrare potuit; ab irato milite necatus. Capta fuit etiam præfecti filia, quam Vrchan insigni cum dono, maximiq; pretij rebus, quas vt imperator hac expeditione nanctus fuerat, matri suæ filius piissimus, ceu debitā manubiarum partem, misit. Inde captiuos omnes a militibus redemit, eosq; iureiurādo sibi deuinctos in gratiam recepit, & opido bonisque suis restituit. Quumque Samsamæ Tzausi arcem commēdasset, ad Osmanem patrē, Neapoli (quæ Genischeher est) id temporis degentem, rediit. Secundum hæc pater ac filius capiendæ Burusæ, quæ castellis duobus foris exstructis hactenus obsessa non exiguo tēpore fuerat, intenti; ducibus plerisque suis imperant, omnes vt aditus vrbis obsessæ diligenter occluderent, ne q. commeatus in eā possent importari: quæ res obsessos ad extremas angustias & difficultates redegit. Alibi Cungur-Alpes, Caratzepesiæ Sanzacus siue præfectus, regionē Ac-iazinam, frequenter immissis in eam militibus suis, vexabat: & Acce-cozza quoq; longius progredi cepit, versus Isnigimidæ fines excurrens, quæ vrbs olim Nicomedia dicebatur, nunc a Turcis breuius Isnimid scribitur, ac vulgo contractius etiam Ismid pronuntiatur. Ita factum, vt limites illi nulla frui tranquillitate possent, Turcis eos perpetuo turbantibus; qui numquam fere suis ex equis interdiu noctuue descēdebant, præ ingenti proferendorū finium, & Christianos sub iugum mittendi desiderio, quo flagrabant. Ceperat in Aciazina regione Curgur-Alpes opidum, quod Emporium salis vocant, Turcorum lingua Sol-bazar. Græci quidem Halonas eodem significato, videlicet ab emtione vel distractione salis, adpellasse videntur; & facit opidi mentionem Nicetas historicus, idque collocat ad

Mæandrum flumen: vnde obiter etiam situs Ac-iazinæ regionis colligi potest, quod vocabulum Verātianus interpres albam scripturam reddidit, ego potius albam latitudinem significare arbitror. Hinc vt eum Christiani expellerent, & opidum recuperarēt; quasdam suorum coëgere copias, & recta Solbazarim duxere: quibus in valle quadam, haud procul a Solbazare, Cungur-Alpes occurrit, seque fortiter cum suis obiecit. Continuatæ summa virium cōtentione toto biduo binoctioque velitationes, quibus tamdem superior Cungur-Alpes, Christianos pedē referre compulit: ipse fugatis hostibus, Solbazarim cum milite suo reuersus est. Eodē tempore iam Accecozza versus planiciē, cui nomen Ac-oua, siue campus albus, inceperat excurrere: nec minori motus animi alacritate vir fortis, Abdurachman Gasis, illorum quoq; locorū incolis adsiduo molestus erat, quæ propius ad Constantinopolim accedunt, ac Bosporo dumtaxat interlabente ab ea disterminantur. Quoties vero milites ex vrbe trans Bosporū, hisce Christianis opē laturi, summittebantur: mox aderat Abdurachman, eosque suis cum copiis adortus, partim ferro cæsos interimebat, partim fuga sibi consulere, atq; vnde venerant, reuerti cum damno & infamia cogebat. His laboribus occupati Osmanei milites ætatem exigebāt, nec vmquam propagandæ religionis & imperij Musulmani, agrosq; Christianorum in potestatem redigendi studium, suis ex animis dimittebant. Tamdem nuntiatum Osmani fuit, Burusenses annorum aliquot obsidione diuturna fatigatos, & pænuria tam annonæ, quā aliarum rerum omnium prorsus exhaustos, occasionem vrbis suæ, tolerabilibus saltim condicionibus dedendæ, quærere. Præpediri vero pudore quodā, quo minus Osmaneis illis ducibus minorē quasi gentium, qui ad obsidionem vrgendam in castellis duobus, vti supra narratum, relicti fuerant, deditionē facere vellent: a qua minime tamen abhorreant, siquidem in ipsius principis præsentis manus venire possint. Quapropter imperauit Osman Vrchani filio suo, primum vt expeditione suscepta, teggiurem Adranosium (idem est cum Edrenosio, cuius & supra meminimus) in transitu bello adgrederetur, suiq; consobrini Aidogdis mortē vlcisceretur. Quod enim pugnato ad Dipotamum prœlio cæsus in acie periisset Aidogdis, fratris sui Iundusis filius; huius Adranosij patris culpa factum fuisse, qui nullis Osmaneorum prouocatus iniuriis, tam sua, quā aliorum plurium regulorum arma consociasset, ac graui cruentaque pugna commissa, magnis Turcos detrimentis adfecisset, occiso inter ceteros etiam Aidogdi, cuius interitum ab Vrchane vindicari par esset. Inde sumto de hoc regulo supplicio, Burusam copias duceret, & vrbem in potestatem redigeret. Simul Vrchani pater hac expeditione Michaëlem Cossem, & Durgut-Alpem, duces eximios, ac primi apud Turcos nominis adiunxit. Erat etiam apud Osmanem vir quidam religiosus & celebris, quem † Scheichem Machmutem adpellabāt; itemque non minoris existimationis alius quidam, cui nomen Akis Chuscin; Edebalis, qui socer Osmanis erat, fratre natus. Hos quoque duos expeditionis huiusce socios sibi dari a patre petiit Vrchan, & impetrauit. Laborabat Osman hoc tempore podagræ morbo tam grauiter, vt etiam ex eo decumberet. Hanc ob causam ipse domi manens, filium cum his ducibus Adranosio bellum facere iussit; eisque promisit, si quoque, modo interea conualesceret, quod omnino futurum speraret, confecto ab ipsis Adranosiano bello, in castra venturum; & occupationi Burusæ, ac gerendis ibidem rebus adfuturum. Itaq; cum suis Vrchan in Adranosium contendit, qui Turcorū aduentu cognito, mox arce sua deserta, mōtem Elte-dagim conscēdit, & in eius se saltus cū suis abdidit. Vrchan hostes fuga dilapsos, in mōtuosa se loca recepisse vidēns, equitibus inaccessa & inuia; suis auctor fuit, vt equis dimissis, pedites eos insequerētur. Quum autē Christiani se nō euasuros fuga Turcorum manus animaduerterēt, mutato consilio, deditionē faciundā statuerunt: ac mox itinere cōuerso, Turcis obuiam perrexerunt, eorumq; se pariturosimperio professi sunt. Regulus autem Adranosius, salute desperata, dum vnius fugæ præsidio nixus, eam difficilibus & arduis in locis vrget; imprudens e scopulo sublimi lapsus, membris in varia frusta

† Pandect. cap. 81.

frusta discerptis, miserabili mortis genere vitam finiit. Turci ad arcem Adranosiam reuersi, eam destruxerunt: totiusque regionis incolas in fidem receptos, suis vti frui bonis ac prædiis permiserunt. His rebus gestis, Vrchan cum copiis Burusam se contulit; ac traditum a nonnullis, illuc etiam Osmanem in castra venisse, patremq; cum filio consedisse in loco, qui Bingar-basi nomen a fonte quodã habuerit. Hinc statim Michaëlem Cossem ad regulum vrbis Burusensis, qui a Verãtiano interprete Bersecus, a Murate Dragomano Beres & Bereses adpellatur, ire iusserunt; eumq; suo nomine hortari, si se suosq; saluos esse vellet, absq; mora deditionẽ vrbis faceret, cui deditæ parcere decreuissent; nec Osmaneas vires, quam benignitatẽ ac gratiam, experiri mallet. Quibus ille auditis, dediturum se respondit vrbem, modo prius de armis vtrimque suspendendis conuenisset: vt induciis durantibus, agi libere de condicionibus vrbis dedendæ posset. Reuersus ad Vrchanem Michaël, quid a Teggiure postulatum, exposuit. Quumque fuisset adsensus Vrchan, rediit ad regulum Burusensem Cosses, & ab Vrchane concessas vrbanis indutias præfatus; quibus deditionem facturi legibus essent, quæsiuit. Ad quæ respondens Bereses: Salua paciscimur, inquit, tam nostra, quam coniugum liberorumque nostrorum, cum libertate corpora; saluasque facultates, quascumq; nobiscũ auferre poterimus. Deinde manum aliquam militum idoneam dari nobis petimus, vt vrbẽ relinquentes deducant, & ab iniuriis vestrorum defendant, donec in loca tuta nos receperimus. Tum Michaël, admissurum ait Vrchanem, sua quidem opinione, condiciones huiusmodi; modo exeuntes vrbe Burusenses, & in tutum deducti, salui commeatus nomine comitibus ac defensoribus illis Turcicis aliquid numerẽt. Bereses vero soluturum se dixit, quantum ipsi Michaëli visum fuisset. Quamobrẽ conuenit, hoc nomine dari Turcis aureûm xxxcIↃ †Byzantinorũ; eamq; summam Bereses curaturum se, missurumque pollicitus est, idque bona fide præstitit. Egressis igitur vrbe ciuibus cum teggiure suo, mox in eam immissi fuere Musulmani; & præsertim

†Pandect. cap. 18.

Aki cuidam Hasani datum negotium, vt Turcos præsidiarios in mœnibus ac turribus vrbis disponeret. Adiuncti pręterea Burusensibus Turci milites, qui eos in agrum & opidum Gemleicense sine maleficio deducerent. Huc illi quũ peruenissent, conscensis nauigiis, itinere maritimo Constantinopolim se contulerunt. Ea sane cum dediticiis integritate, fide, continentia fuit actum id temporis, quod ipsi quidem memoriæ prodidere; nullum vt cuiquam teruntium, (mangurum Turci dicunt) nullam festucam eripi paterentur. Insignes autem narrant in vrbe repertos fuisse thesauros; quum a regulo Beresi, tum ceteris ciuibus relictos. Eos Vrchan in milites suos distribuit, qui magnis hoc modo diuitiis & opibus potiti fuerunt. Habebat inter alios familiares p̃fectus Burusensis quemdam ab intimis consiliis, cui nomen erat Sarus. Is auctor inprimis dedendæ ciuitatis fuerat, neque tamen aliis inde migrantibus persuaderi potuit, vti cum suis & ipse discederet, sed apud Turcos sibi manẽdum statuit. Erant opes illi amplissimæ, nec modicæ pecuniæ, quas sua spõte partim Vrchani obtulit, partim militibus conciliandis erogauit. Quum autẽ plurima Christianorum in vrbe cadauera passim reperirentur, aduocari Sarum iussit Vrchan, & occepto cum eo colloquio, primũ quæsiuit; quibus potissimum de causis ita fractæ fuissent Burusensium vires & animi, Turcis vt tamdem se dederẽt. Ad ea Sarus, varias vrbis dedendæ causas ipsos habuisse, respõdit. Ac primam quidem hanc, quod felicibus innixam auspiciis Turcorum potentiam, prosperrimosq; rerum successus, incrementa cottidie maiora sumere viderent: & ex aduerso, suas in dies imminui vires, & magis ac magis in angustum res redigi. Secundo loco patris, inquit, tui singularis nos terruit industria, q̃ locis maxime commodis & opportunis ad occludendas in vrbem nostram, ac rursus ex vrbe ducentes vias, castella duo condidit, impositisque præsidiis ita muniuit, nihil vt importari rerum necessariarum ad nos posset: inde reliquas ab vrbe copias suas abduxit, & omnem agrum nostrum, cum iis, qui eum excolerent, nobis ademit, imperiique sui finibus adiecit.

Nequit autem carere vel agris, vel eorum cultoribus vlla ciuitas: ideoque quum noſtri veſtram in poteſtatem veniſſent, nihil ex eis fructus cepimus, ſed fame tamdem extingui nos oportuit. Non parum præterea noſtros, ad ineundam vobiſcum pacem, deditionemque faciundam, animos impulit; quod eos ſumma tranquillitate frui videremus, qui veſtro ſemet imperio ſummiſiſſent: ideoque nos etiam participes eſſe felicitatis huius optauimus. Acceſſit ad hæc, quod teggiur ſiue regulus noſter; nihil ſuperioribus annis prius, neque potius habuit, quam vt auri diuitiarumq; magnos in theſauris ſuis aceruos congereret; eiſque ſemper abſtinendum, quo minus in vſus publicos erogaretur, tam deteſtabili putauit auaritia: nullas vt machinas bellicas, arma nulla, nulla depellendis hoſtibus, tuendæque patriæ præſidia, nullas res neceſſarias, in tempore pararit. Vnde factum, vt inexſpectato tamdem aduentu hoſtis obrutus, minime quidem theſauris amplius, pecuniæque ſuæ parcendum duceret; ſed amiſſis tamen earumdem rerum comparandarum occaſionibus, non maturius ab ſe proſpectũ neceſſitati reipublicæ, pænitentia nimis ſera doleret. Spes ad extremum noſtras omnes fregit infelix illa tantæ multitudinis intra muros vrbis, velut intra carceres quoſdam, incluſio; quæ dirum genus interitus, ex inedia pereundi, perpetuo noſtris obiiciebat oculis: ideoque tantis in malis, quam variæ rerum vices offerre ſe cottidie ſoleant, ad animos noſtros reuocantes, ſi quidem aliquando nancti toties optatam eſſemus occaſionem, prius dedendam vobis vrbem ſtatuimus, & ſpõtanea pactione ſaluti conſulendum; quam per vim expugnati, veſtris a gladiis abſumeremur. His ab illo cauſis expoſitis: Et quid ſibi volunt, ait Vrchan, tot in vrbe cadauera? Triſtis illius argumenta famis ſunt, inquit Sarus, quæ tantam inter nos hominum ſtragem edidit. Hoc modo Buruſa, nobilis illa cum primis Græcorum in Aſia ciuitas, Turcorum in poteſtatem venit: quod quidem accidiſſe referunt ipſi poſt migrationem & obitum vatis ipſorum Muhametis, anno IↃCC XXVI: quem † alibi Chriſtiano CIↃ CCC XXVII reſpondere, rationibus ſatis firmis, vt opinor, probauimus. Intermittere vero non debeo, quin aliam quoque narrationem hoc loco de capta Turcorum aſtu Buruſa recitem, quam Verantianus liber habet: quamuis ea vera ſit, an ficticia, lectoris iudicio relinquam. Quum eſſet, inquit auctor Turcicus, ab Oſmaneis obſeſſa Buruſa, magnam minutæ calcis copiam in caſtra vehi, & in cumulum quemdam congeri curauit Vrchan, in ipſius vrbis & obſeſſorum conſpectu. Quod quum illi a Turcis fieri viderent, farinam hanc eſſe cogitabant; qua hoſtis ad obſidionem, menſibus hibernis continuandam, vti decreuiſſet. Itaque ſecum ipſi periculum ſuum ad animum reuocantes, qui nullis ab imperatore Conſtantinopolitano auxiliis impetratis, omnino Turcorum in poteſtatem venturi eſſent: videri conſultius aiebant, vt re adhuc integra, bonis condicionibus ſe, cum fortunis ſuis, mature diſcrimini eriperent. Quapropter vrbis deditionem, & liberum ſuis cum vxoribus, liberis, facultatibus, & armis, diſceſſum pacti ſunt: promittente viciſſim Vrchane per caput ſuum, qui Turcis iurandi mos eſt, ſancte ſe præſtaturum, quæ de tuenda ipſorum incolumitate pollicitus eſſet. Dedita Turcis hac lege ciuitas fuit, & a Chriſtianis occepta diſceſſio. Tum vero ſe conuertens ad Chriſtianos Vrchan: Melius eſt, inquit, hos mihi a vobis relinqui pueros, quam Conſtantinopolim abduci; quum equidem perbenigne cum eis acturus ſim. Reſpondere Chriſtiani, minime pactorum fidem violari debere. Vrchan contra: Vobis equidem, ait, abeundi poteſtatem liberam facio. Sed qui ſcire poſſum, an his etiã pueris hinc diſcedere libeat? Nobiſcum eos heic relinquite, dum adoleuerint, & ſuum nobis animum aperire poſſint: quo tempore, ſi nobis deſertis, ad vos conferre ſe volent, hoc ipſum eis per nos, vti faciant, liberrimum erit. Simul pueros vel inuitis adimi iuſſit, & compellatis denuo Chriſtianis: Debetur, inquit, ipſis etiam aliquid e facultatibus his, quas vobiſcum tollitis: adeoque ſuam, vt eis portionem heic relinquatis, æquiſſimũ fuerit; quum

† Pandect. cap. 11.

quum minime ferendum ſit, vt aliena bona vobiſcum auferatis. Hoc modo quidquid lubuiſſet, eis eripuit: tādemque miſeri Buruſenſes, ſuis ſpoliati cariſſimis pignoribus ac rebus, ibidem præ deſperatione manēdum, maiori ex parte cenſuere; reliqui ſane pauci, perinſolenter ab Oſmaneo tractati milite, facultatibus amiſſis, Conſtantinopolim ſe receperunt. Habent lectores inſignis malitiæ ſtrategema Turcicum, quod eo ſimilius vero videtur, quo notius eſt vſu rerum valentibus, nullos in orbe terrarum vafricie Turcis ſuperiores eſſe barbaros, nec magis perfidos: quantumuis alij ſcriptores eorum, hac ipſa Buruſæ deditione continentiam Vrchanis, & prẹſtandis religione ſingulari promiſſis, integritatem laudēt. Ceterum anno ſuperius indicato captam fuiſſe Buruſam; hauddubie conſtat: ſed an ſuperſtes fuerit Oſman id temporis, quo ea Turci potiti ſunt, apud ipſos etiam barbaros ambigitur; ſicut inter hiſtoricos eorumdem hoc quoque controuertitur, an a caſtris abſente fuerit Oſmane dedita ciuitas, quod plerique ſcripſerunt; an aliorum verior opinio, qui diuerſum adfirmant. Referunt enim, adfuiſſe ſuis Oſmanem, etiam durante adhuc vrbis obſidione: ſed tamdē inualeſcente vi morbi arthretici, mandato diuino, quemadmodum ipſi loqui ſolent, ex hac vita migraſſe. Quamobrem Turci caſtris, inquiunt, tempore nocturno motis, obſidionem ſoluere ceperunt, & alio proficiſci. Tum vero mancipium quoddam e caſtris in vrbem profugiens, regulo Buruſenſi nuntiauit; Turcorum principem mortuum, & Turcos ipſos fugere. Quod ille quum primū accepiſſet, mox vrbe cum ſuis erupit, abſcedentes Muſulmanos ex diſciplina rei militaris inſequutus, vt damnum eis aliquod inferret. Interim paternum cadauer Vrchan longius auehi iuſſit, ipſe copias ſuas in maxime commodo inſidiis loco quodam abdens, Chriſtianos rerum ſuarum ſecuros, necopinantes circumuenit, oppreſſit, cæcidit; ipſoque regulo ſuam in poteſtatem redacto, Buruſa quoque potitus eſt. Inde reuocato patris funere, locum ei ſepeliendo, quodā in vrbis monaſterio vel imareto delegit. Hæc de occupata Buruſa narratio diſcrepat itidem ab illis, quæ ſuperius expoſita ſunt. Alij tradunt, haud dubie ſuperſtitē fuiſſe Oſmanē, quum vrbs caperetur; quandoquidē filius Vrchan ipſo auctore profectus ad occupandā Buruſam cum exercitu fuerit. Quod autem pater huic expeditioni ſe ducem non præbuerit, eius rei certas quaſdam cauſas adferūt. Primum arthretico pedum, inquiunt, dolore præpediebatur; quo minus ad res gerendas prodire poſſet. Deinde volebat Vrchanem filium ſe viuo rem foris adminiſtrare bellicam, vt aliquod e militia nomen ac decus adquireret, eaque de cauſa ducibus Oſmaneis, ac militaribus viris carior eſſet, ipſi Oguzziorum populo venerabilior, ad obtinendam apud eos auctoritatem, & obœdientiam principi debitam. Volunt ad ſummam hi, Sultaneum denique munus, ac dignitatem, ab Oſmane patre viuo, traditam Vrchani filio fuiſſe; quum ipſe iam conſenuiſſet, quietiſque ſtudio domi ſe contineret. Addunt etiam, conſimili exemplo deinceps Muratem Chanem filio ſuo, Sultano Muhameti ſecundo, regnum vltro detuliſſe; Maniſſamque profectum, decreuiſſe reliquum vitæ tempus ibidem in otio ſenili conſumere. Dumtaxat inter hos id interceſſiſſe diſcriminis, quod Oſman cōſtans in propoſito manſerit; Murates pænitentia ductus, mutato conſilio, ad imperij gubernationem redierit. De obitu Oſmanis hoc quoque Turcorum monumentis proditum reperitur, primum fuiſſe mortuum ſocerum ipſius Edebalim; ſequutamque patrem, poſt menſis vnius ſpatium, filiam Malichonem, Oſmanis coniugem, matrem Vrchanis. Vtriuſque funus ab Oſmane curatum in arce Bilezuga, tertioque poſt menſe res humanas Oſmanem ipſum quoque reliquiſſe; quem in opido Suguta ſui cum luctu, adhibitis cærimoniis, in funeribus principum vſitatis, extulerint. Referunt etiam, id temporis Vrchanem, obſidionis Buruſenſis cauſa, peregre abfuiſſe: qui morte patris intellecta, domum ſe contulerit, & ſuprema voluntate patris cognita, quo ille ſepeliri ſe loco voluiſſet, Buruſam funus deduxerit, eumque ſub cuba quadam, quo vocabulo ſignificatur ædificiū tholo, ſiue teſtudine globi formam referen-

te tectum, in monumento condiderit. Illud ipsum vero tectum, quãuis plumbeum, quod a vulgo argẽteum esse crederetur; argenteæ cubæ nomen apud omnes habebat. Plerique tamen in ea sunt opinione, sepultum fuisse Osmanem Sugutæ, quam & Sugutzicam adpellant. Reipsa quidem constat, Osmanis quoddam monumentum Sugutzicæ reliquum esse. Vixit Osman LXIX annis, regnauit XXVIII Muhameticis, qui XXVIII Christiani sunt anni, sicut alibi declaratum. In extremo voluntatis elogio comprehensam inter alia fuisse perhibent Turci quamdam ad Vrchanem filium exhortationem, qua consilium hoc ei dederit; vt si quis illi tentandæ, suscipiendæue rei alicuius auctor esse vellet, quam Deus ipse non mandasset: omnino sibi temperandum ab eiusmodi conatu sciret, ac talis auctoritati consultoris haudquaquam parendum. Adeoque nihil sibi statueret agendũ, quod esse alienum a Dei mandato animaduerteret. Si q̃d occurreret aliquando, (quod in hac caligine rerum humanarum sæpe nobis vsuuenire soleat) de quo dubitaret ipse, vel quid sequi potissimum deberet, ignoraret: id totum ad legis diuinæ peritos referret, eorumq; sententias & iudicia prudenter exquireret, & illo quidem studio, nihil vtvmquam prius inchoaret, quam aliquid certi de re tota percepisset, & quem illa videretur exitum habitura, singulari acrimonia iudicij considerasset. Præterea subditos ac ministros suos, quos obsequẽtes & morigeros sibi cognouisset, non benigne tantummodo complecteretur, verumetiam in pretio haberet. Erga milites se beneficum, largum, ac liberalem gereret; eosque nec annonis in tempore præbendis, nec donatiuis conciliare sibi desineret. Sic enim comparatam esse naturam mortalium, libenter vt patronis clientes, heris suis ministri, dominis serui quamobligatissimos se profiteri soleant; quum eorum de se curam & sollicitudinem perspiciunt, ac ingenuam benignitatem & munificẽtiam experiuntur. Hæc Osman in testamento fertur Vrchani filio præcepta reliquisse, minime quidem ab ingenio profecta barbaro, sed tanti conditore imperij digna. De moribus eius, & in egentes commiseratione quadam, humanitateque singulari, hoc etiam Turcicis in monumentis, præsertim Hanivaldanis, relatum; cottidie cibos affatim curasse coqui, collectosque miseros & inopes eis pauisse: laceris indutos vestibus, & nudos, de suo vestiuisse: copiose stipem, in viduas præsertim mulierculas, erogasse.



10.



IO. LEVNCLAVII HISTORIAE MVSVLMANAE TVRCORVM LIBER QVARTVS:

VRCHANIVS. II.

ELIQVIT moriens Osmā filios post se duos, & in his natu maiorem, Vrchanem; alterū, Aladinem Bassam. Hoc enim ei dat nomē historia Muratis Dragomani, quū alij quidam Alim adpellent, velut hoc ipso Ali deminuto ex Aladine. Posteaquam funus hi paternum, cum Namasi, quæ certæ sunt vel preces, vel exsequiæ Turcicæ, curassent: comitia quædam indicta fuerunt, ad quæ frater vterque, præcipuorum cum procerū aliquo numero, conueniret. Accessit pręter alios primates, ætatis honore spectabiles, Akis Hassan, cuius & superius facta mentio, sub finem præcedentis libri, & eiusdem Burusæ monumentum exstat, propter sarraium begi, hoc est, iuxta palatium reguli siue principis; videlicet ipsius liberalitate structum, & excipiendis hospitibus, & gratis ibidem pascendis destinatum ædificiū, quod Imaretum Turci, Xenonem Græci vocant. Comitiis dictus alia nulla de causa dies, quam erciscundæ familiæ paternæ, de ipsorum sententia iudicioque procerum, inter hos fratres, Osmanis heredes. Posteaquam ad rem ventum fuisset, præter captas bello ditiones, reperti nusquam vlli thesauri, quos suis Osman cumulatos reliquisset. Nec auri, nec argenti, nec æris vlla, facti vel infecti, superabat in ærario mortui copia; qui liberalissima manu, quidquid e prædis imperatorio nanctus iure fuerat, in militem viuus erogauerat. Stabula tamen aliquot reperta fuerunt, equis plena generosis; itemque pecorum numerosi greges, qui nunc quoque in prouincia Burusæa pasci solent, & peculio Sultani continentur. Reliquerat etiam in ditione Sultan-Vngina numerum quemdam equorum, & iuga boum, quæ colendis agris priuatis aluerat. Præter hæc, omnino nihil inuentum. Quapropter his inspectis, fratrem interrogauit Vrchan, quid faciundum de hac putaret hereditate? Respondit Aladin, constituendum ante omnia regem in ditione paterna, qui pastoris boni munere fungeretur, incolas regni benigne regeret ac defenderet; militum copiis præesset, eisque necessarias annonas præberet. Huic & equos illos, & equas, & boues, & oues omnino deberi, ceu patrimoniū principis: quando pater etiam militiæ causa solitus fuerit hos alere. Nullum heic se vel hereditatis adeūdæ, vel successionis sibi ius vindicare. Quibus auditis, Aladinē bassam denuo compellans Vrchan Gasis: Ergo tu mi frater, inquit, pastoris hoc munus in te suscipe. Nequit hoc fieri, subiecit Aladin, quādo pater adhuc superstes regium tibi ius, dignitatemque lubens tribuit. Te viuo nihil mihi deerit, quum & frater natu maior, & patris mihi loco sis. His ab Aladine prolatis, magnopere laudata fuit ab omnibus, qui aderant, ætate prouectis, ac proceribus, hæc ipsius oratio, probatumque consilium. Vrchan vero rursum; Mi frater, ait, siquidem hæc animi tui sententia est, saltim illud abs te impetrem, vt in senatu meo Veziris bassæ munus obeas. Verum ne id quidē vt acceptaret, persuaderi Aladin vlla ratione potuit. Ne tamen nihil a fratre peteret, tamdē esse dixit in planicie regionis Tekensis villā quamdā, cui nomē Fodore. Si hāc ei donasset Vrchā, nihil desideraturū amplius. Placuit Vrchani fratris ingenua modestia, cui mox petitam Fodoren dono dedit. Hic Aladin bassa, filius Osmanis, etiā Burusę, ꝓpter locū quemdā, cui barbarū nomē Kiucurtlu, strui curauit imaretū: & alio quodam in loco, Turcis Caplize dicto, qua voce Thermę significant, tēplū aliud cōdidit;

ſicut & aliud in arce, iuxta quod templum habitare ſolebat. Et ſuperſunt hodieque, ſubiicit auctor, de Baiaſitis II gubernatione loquens, ab Aladine trahentes originem poſteri. Hæc eſt illa Turcorum de regni Vrchanis initio, ſimilis admodum veri narratio, prorſus a Chalcocondylea commemoratione diſcrepans; qui tres Oſmani dat liberos mares, & neſcio quam refert inter hos exſtitiſſe laniena̅ poſt obitum patris, qua tamdem victor Vrchan, Turcorum potitus imperio fuerit. Fatetur etia̅, de his plane diuerſa quædam Turcorum hiſtoriis expoſita legi: quę quidem ego multis de cauſis integriora iudico, ſicuti ta̅ in annalibus Oſmanidarum Beccanis, quam aliis barbarorum hiſtoriis ſunt tradita. Verantianus liber his & ipſe conſentanea recenſet, reſtrictius tame̅; nimirum Vrchanem poſtea, quam a morte patris Lydiæ Cappadociæque locis pleriſque captis, & inter ſuos diſtributis, Padiſcachus factus fuiſſet; arceſſitu̅ ad ſe fratre̅ Alim baſſam interrogaſſe, q̃d ipſi de regionibus hiſce faciundu̅ videretur. Reſpondiſſe Alim, optare ſe diuinitus euenire ditionibus fraternis omnia fauſta & proſpera. Sibi nulla opus eſſe ditione. Simul Vrchani fratri acceptas a patre poſſeſſiones & opes omnes reſtituiſſe, ſponteque ſua vitæ ſe priuatæ totum dediſſe. Claudit in extremo narrationem memorabili verbo, quo ſignificat, priſcis Turcorum moribus fratres id temporis ſolitos mutua ſe beneuolentia complecti, & honore debito proſequi. Nunc ad illas in vtraque Phrygia, Bithynia, Lydia, Cappadociaque geſtas res venio; quarum heic Verantianus codex obiter meminit, ieiune Laonicus, pleniuſcule liber Haniualdanus, quem libenter in omnibus fere ſequimur. Exemto igitur rebus humanis Oſmane, principatum adeptus fuit Vrchan: qui, licet viuo patre factæ fuiſſent indutiæ cum finitimis Chriſtianis omnibus, tamen earum rationem nullam habuit: ſed hoſtium fallendorum cauſa, Chriſtiani mercatoris habitum induit, & ad caſtellum pótium Sangarij fluminis ſe co̅tulit, quod ſupra monuimus habuiſſe nomen Tzuprichiſaris Turcicum, & occupatum a Turcis fuiſſe, dum rerum Oſman adhuc potiretur. Sed receptum paret a Chriſtianis, vt fieri ſolet, reb⁹ noui principatus necdum ſtabilitis; qui & Nicæam Turcis, vt paullo poſt intelligemus, & alia loca poſt obitum Oſmanis eripuerunt. Quum arcis præſidiarij viderent, hos vti veſtitu Chriſtianis vſitato mercatoribus, & tales eſſe crederent; vltro portas eis aperuerunt, & arcem ſiueru̅t ingredi. Tum vero milites Vrchanis, in arcem admiſſi, gladios & acinaces ſuos ſtringere ceperunt, & tanto quidem impetu, tamdem vt caſtro vi potirentur, captumque diriperēt. Queſti ſunt de hoc facinore Chriſtiani, quod per iniuriam co̅miſſum dicerent; arcemque reſtitui petieru̅t. Reſpondere Turci, non induτias violandi animo captum ab ſe caſtrum; ſed ea de cauſa, quod præſidiarij Turcos a tranſitu pontis arcuiſſent, extra quem Sagaris fluuius in iſtis locis tranſmitti non poſſet. Vel inuitos cogi Turcos ad defendendam itinerum ſecuritatem, quo nomine quum captum ab eis hoc caſtellum fuerit; non iam amplius poſſe reſtitui, ne morem ſuomet cum præiudicio nouum introducerent. Hoc modo nec arcem Chriſtianis reddiderunt, nec induτias violarunt; quum interim mirifico Chriſtiani pacis abrumpe̅dæ deſiderio flagrarent. Ideoque regulus vrbis Nicænæ ſuos quoſdam ad principem Conſtantinopolitanum miſit, petitu̅ auxilia: quæ, tamquam neceſſarius imperatoris illius, haud difficulter impetrauit. Quippe decretu̅ ei fuit equitum mille ſubſidium. His rebus ab aduerſa parte cognitis, octingentos equites Oſmanei Chriſtianorum habitu veſtiueru̅t, & eos circuitu ſane magno miſere petitum viam publicam, qua Conſtantinopoli Nicæam itur. Factum hoc ab ipſis, quumque perueniſſent ad eam, quam diximus, viam publicam; & tenere ceperunt hanc, & Nicæam recta proficiſci. Dictu incredibile, quantum aduentus horum læticiæ Nicænis adtulerit, qui putarēt hos eſſe milites illos ſubſidiarios Chriſtianos, quos imperator Conſtantinopolitanus miſſurum ſe promiſerat. Ab altera parte co̅ſpecti fueru̅t a Nicænis equites Turcici ccc, qui ad portas Nicænas impetu maximo, citatis equis, contendebāt. Tum vero Nicæni ſecum; En Turci violatores induτiarum. Sed immortales Deo gratiæ, qui copias

nobis

nobis auxiliares summisit. Interim agmen illud, quod habitu Christianos adscititio mentiebatur, alteros hos inuadebat, & arma cædendis iis expediebat. Hi vero trepidabundi fuga celerrima se subduxere. Quo conspecto, qui habitum mutauerant, vrbem versus pergere ceperunt. Vrbani specimen hoc ab eis editum videntes, ne minima quidem ad animum admissa suspicione, portas aperuerunt. Quapropter ingressi, mox in Christianos irruunt; qua illi re territi, vel aufugere, vel abscondere se ceperunt; occupantibus interim portas Osmanicis, & easdem aperientibus. Inde tesseram suis dedere, quos in insidiis collocarant. Quamobrem illis etiam adcurrentibus, & ingressis, capta ciuitas a Turcis fuit, & in potestatem absque direptione redacta. Aderat istic id temporis vrbis regulus, cui arcessito Turci honorem exhibuerunt, idque se facere dixerunt ex consuetudine, quæ principes venerari iubeat. Addiderunt etiam se, posteaquam accepissent, missos ab illo Constantinopolim quosdam, ab imperatore petitum auxilia, priores consiliis hostilibus anticipandis aduolasse. Non tamen esse, cur ipse sibi metuat; quando parati sint omnem ei exhibere beneuolentiam. Hoc modo benignis regulum verbis bono esse animo iusserunt, sed familiares ipsius omnes, omnes subditos, milites omnes, quos reperiebant, seruituti mancipatunt. Hæc a Turcis quibusdam de recepta sub Vrchanis imperio Nicæa, litteris prodita leguntur. Nec ignoro, quæ tradantur hac ipsa de recuperatione a Laonico, qui fatigatam obsidione, tamdem sponte sua deditionem fecisse perhibet: sed mihi, quod ab initio professus sum, Turcorum vestigiis inhærere decretum. Quamquam paullo post & aliam de capta Nicæa narrationem lectori dabimus. Interea vero, dum hæc ab Vrchane geruntur in his, quæ diximus, locis; insignis ille miles Cungur-Alpes, quem Cungur--Alibum dixit historia Verantiana, regionem Ac-iasinam, (qua latitudinem albam significari, libro superiore proximo docuimus) & alteram ab suo nomine Cungur--Alp--Ilini, & Cungur-beg-Ilini dictam, voce Cungur-Alpis, & Cunguris begi regionem denotante, cũ Mudurni Phrygiæ, quam supra de Leonis Augusti nouella Modrinin a Græcis adpellatam ostendimus, &* Boli, penitus in potestatem redegit: quibus in locis Abdurachmane, viro bellicoso, relicto; suas ad arces ipse, Cara-tzepesiam siue Mauropetram, & Hypsu, reuersus est. Ab altera parte vir strenuus Accecozza ditiones, Candarinam, & Ermenien, sub iugum misit; & in arces ac munitiones earum præsidiarios imposuit. Candara sic Paphlagoniæ tribuitur a quibusdam, vetusto etiam nomine; vt versus Pontum Euxinum in Paphlagoniæ finibus collocetur. Murati Dragomano Candari, Verantiano interpreti Canduraie scribitur. Ermenie vicina monti Ormenio, de quo libro II dictum, regio est. His autem ditionibus, ab Accecozza captis, quo nomine senex albus significatur, datum ab illo nomen fuit Cozza--ilini, hoc est, ditio senis; idq; propterea, quod senex ille canus eas Turcorum imperio subiecisset. Sic & supra narratũ, a Durgut-Alpe partẽ Phrygiæ maioris adpellatã fuisse Durgut-ili, vel Durgut-ilini, quæ Durgutis est regio. Ad summã; si comparata duorum erant ingenia ducum, vt vel interdiu noctuque pugnarent aduersus Gauros; vel pace cum eis inita, vicissim benignum ipsis vultum exhiberent. Quum hic rerum in iis locis status esset, forte filium præfecti arcis Samandræ mori contigit; cuius vti funus curarent, propemodũ omnes eorum locorum Gauri conuenerunt. Est autem Turcorum hæc Samandra, vetus illud Troadis oppidum Scamandria, cuius adhuc supersunt reliquiæ quædam, itinere medij diei a Dardanellis, hoc est, a veteris Abydi ruinis dissitæ. Iamdudum vero militares hi viri occasionem rei gerendæ idoneam captabant, sed nulla se hactenus eis obtulerat. Itaque nunc ex animi voto re succedente, Gauros extra Samandram dicti funeris causa egressos, rerumq; suarũ securos, inopinato prorsus aduentu sic oppresserunt; vt & præfectum arcis caperent, & arcem ipsam in potestatẽ redigerent. Inde captiuum hunc regulum ad arcem vicinam abduxerunt, cui nomen Aydos a Turcis datur, e Græco Auydos corruptum,

* *Vide P. 2m. dect. 13 & 19. cap.*

quæ nostris est Abydus, arcium illarum altera, & quidem Asiatica, quæ non procul ab ostio proruentis in Ægeum Hellesponti sitæ sunt in aduersis Asiæ & Europæ litoribus, ac Dardanelli nunc vocantur. Quumque stitissent hominem in loco quodam, vnde conspici ab incolis Abydi posset: hortati sunt eos, vt captiuum redimerent, pretiiq; loco Turcis arcem suam traderent. Ni facerent, mox futurum, vt in oculis eorum interficeretur. Responderunt Abydeni, nihil hisce Turcorū minis apud se perfectum iri, qui propterea munitionē suam nequaquam dedere decreuissent. Irent modo, siquidem ita visum eis esset, ac regulo Samandrino ceruices præciderent, eiusque membratim dissecti carnes sibi coquerent. Numquam Turcos hac crudelitate sua consecuturos, vt Abydeni quidquam aduersus salutem patriæ committerent. Quum nihil ab his esset impetratū, orare captiuus Samandræ regulus Turcos institit, vt principi Constantinopolitano se vēderent. Turci, ne quid temere facerent, ad Vrchanem misere, quæsitum; distrahi ne vellet Samandræ captum ab se præfectum, an interfici. Renuntiatum ab Vrchane, potius eum venderent, ac venditi pretium in militares annonas erogarent. Itaque missi Cōstantinopolim, qui significarent, Turcos ei Samandræ regulum offerre redimendum, modo distrahendi pretium soluere non abnuerent. Responsum a Constantinopolitanis, nec distrahi ab se mancipia, nec comparari. Simul iidem Gauri Constantinopolitani, coactis hinc inde militum copiis; mare traiecerunt; & cum bellicosis hisce Turcis prœlio conflixerunt, quo tamdem Musulmani victoria potiti, Gauros partim interemere, partim terga dare coëgerunt. Postea pręfectum Samandræ regulus vrbis Isnigimidæ, quæ Nicomedia priscis adpellabatur, redemit. Hoc modo captam tenebat arcē Samandrinam vir magnanimus Accecozza, perpetuisque prœliis aduersus Teggiures, Constantinopolitanum & Abydenum, occupatus; semel sui iuris effectam tuebatur, & ea quidem laborum tolerantia, prope numquam vt ipsius milites ex equis descenderent, continuis exerciti molestiis, quas imperator Constantinopolitanꝰ eis exhibebat, quo minus Abydum obsidione premere possent. Interim tamen Accecozza villas & pagos omnes circumiacētes possidebat, ac subditos in tranquillo statu iuste pariter, & benigne regebat. Ad extremū & Abydo potiti fuere Turci, q̄ res vt acta fuerit, exponemus. Erat Abydeno regulo filia peruenusti oris, cui nocte quadam visum nocturnum huiusmodi per quietem oblatum fuit. Cecidisse sibi visa est in foueā quamdam cœnosam, vnde non posset egredi. Tamdem accessisse iuuenem facie quā honesta, qui iacenti, iamque perituræ subuenerit, & extractam e fouea lutulenta, periculo præsentissimo eripuerit. Eumdem puellæ conspurcatam in fouea vestem detraxisse, deturpatum cœno corpus ipsius abluisse, iamq; priori nitori restitutam induisse vestimēto serico. Territa somnio tristi puella expergiscitur, & quid illud sibi portendere velit, cū stupore secum expendit. Interim forma iuuenis elegantissimi, quē videre per quietem visa fuerat, semper ob oculos ei versabatur. Itaque tacite cū animo suo: Manifeste moneri me video, inquit, breui res meas, & fortunam meam mutatum iri; nec non futurum, vt hinc in alium quemdā locum abducar. His occupata perpetuo cogitationibus erat. Accidit tamdē, vt Turci Abydenam arcem oppugnatum venirent. Quumque tam eminus, quam cominus inclusis negotium facesserent, murorumque partes inferiores pariter, ac superiores quatere diebus aliquot, infestisque telis petere non desinerent: visum est filiæ reguli turrim quamdam conscendere, de cuius pinnis despectare posset, ac suorum aduersus Turcos videre velitationes & pugnas. Quapropter oculis ad inferiora coniectis, forte bellicosum Abdurachmanem cōspicit. Hunc formosum illū iuuenem adgnoscit esse, cuiꝰ ei per quietem oblata fuerat imago. Statim quid de se futurum esset, animaduertit. Schidam lingua Græca scribit, & alligatam lapillo deiicit. Ea mox ante pedes Abdurachmanis cecidit, qui adhærentem lapillo schidam vidēs, & sustulit illam, & Accecozzæ reddidit. Inde cuidam Græcæ linguæ perito legenda datur. Reperta sunt in hanc perscripta verba sententiam. Vos, o Tur-

ci,

ci, motis ab arce castris hinc discedite. Nocte vero tali, talem in locum viros fidos mittite, quibus equidem in manus arcem hanc ipsa tradam. Lecta schida, & hac eius percepta sententia, fidem illi habere ceperunt. Igitur Accecozza præsentes interrogat, ecquis huic rei pficiundæ operam nauare velit. Respondit Abdurachman, se huic negotio conficiundo caput suum deuouere. Fraus igitur aliqua, subiecit Cungur-Alpes, excogitãda nobis erit, qua discessus noster subitus obueletur, ne quid hosti suspicionis iniiciat. Quapropter ignes in arcem eiaculati, mox obsidionẽ soluũt, ac discedunt, velut arcis occupatione desperata. Ignes tamẽ illi nullum castro damnũ adtulerũt. Abydeni se graui discrimine liberatos existimantes, exsultare gaudio, vorare, potare ceperunt. Inde quum statutum tempus adpetiisset, Abdurachman se cum strenuis quibusdam militibus in viam dedit, mediaque nocte locum ad illum se contulit, quem reguli filia peti iusserat. Ibidem & ipsa consistens, & oculos hinc inde flectens, Turcorũ aduentũ opperiebatur. Conspecto tamdem Abdurachmane, mox funẽ ad muri pinnas alligat, indeq; deorsum proiicit. Abdurachman fretus sui numinis auxilio, cõfestim funis infimam partem prehẽdit, & instar araneæ semet in altum euoluit, ac murũ arcis velut in oculi momento conscendit, ibiq; reguli filiam inuenit. Ab ea deductus ad arcis portam fuit, vbi stertẽtem ostiarium interfecit, portam aperuit, milites foris exspectantes intromisit. Hinc ab omnibus itum recta in palatium reguli, qui vino somnoque sepultus, in eorum potestatem venit. Quum illuxisset, Accecozza quoque iam ceteris cum militibus aderat; arcemque captam videns, præsidiis impositis muniuit, & abunde reb⁹ ad defensionem necessariis omnibus instruxit.

Abydo Turcorũ in potestatem redacta, regulus arcis, qui Turcorũ in manus (vt dictum) venerat, vna cum filia, maximisq; spoliis, Abdurachmani traditus fuit, ad Vrchanem perducendus. Is ad Vrchanem Genischehere siue Neapoli, quæ Porta Sultani erat, commorantem venit; eique felicissimum occupatæ Abydi nuntium adtulit, & omnem cũ regulo captiuo, reguliq; filia, prædam exhibuit. Selectam e spoliis ceteris puellam virginem, Abydeni filiam, cum parte non exigua prædę totius, Abdurachmani donauit Vrchan: & supersunt hodieque nonnulli de huius posteris. Exstitit inter alios superioribus annis quidam Cara Rach-man, (nigrum ea vox Rachmanem denotat) qui adeo fortiter aduersus Constantinopolitanos se gessit; vt eo tempore Constantinopoli, quæ tunc adhuc Christiani iuris erat, plorantem puerum parentes silere subito iuberent; quando Cara Rachman adesset. Iis territi verbis ac minis infantes & pueri, plorare desinebant.

Secundum hæc reliquit Accecozza res humanas, & montanis in locis prouinciæ Candarinæ sepultus alicubi fuit. Etiam Cungur-Alpes hanc cum altera vitam commutauit. His exstinctis, Vrchan regiones hasce filio suo Sanzacatus titulo concessit, cui nomen erat Suleiman Bassa: Murati vero Gasi, qui alter erat ipsi filius, natu minor, In-Vnginam ditionem pro Sanzacatu dedit. Coactis hinc militum copiis, vrbem Isnigimidam, quam supra monuimus a priscis Nicomediã fuisse dictam, obsidione cingere decreuit. Ad portam namque profectus Abdurachman, qua via, quaue ratione vrbs capi posset, ostenderat. Itaque primum Genischeherem conuenere milites, inde Geiuen itum, quam supra notauimus Gaiu-comin fuisse priscis adpellatã. Suleimanẽ filium propter opidum Hypsu reperit. Confluxerunt etiam ad Vrchanem huius obsidionis causa milites in arce Gephyræa siue Pontana, propter Aian-giolin, quæ Ibane palus est, collocati; cum militibus ad Abydum relictis, vt Vrchani suam in expugnanda Nicomedia nauarent operam. Erat id temporis domina ciuitatis Isnigimidæ mulier quædam Teggiuri Constantinopolitano cognata. Dum ad obsidendam hanc vrbem Turci pergerent, ad Splenis planiciem peruenere; quæ vallis ampla quædam est, Ialac-oua Turcis dicta. In ea valle castrũ erat, cuius regulus Ialakinia vocabatur, & eidem tota planicies Ialac-oua quoque parebat. Ibidem in vertice montis, & alia quædam erat arx, quæ modo Coion-hisar adpellatur,

ceu Prouatopyrgus, vel ouium arx, vt supra commemoratū. Hanc Felios possidebat, Ialakiniæ frater. Itaque quum hæc Turci castella inuaderent, ad pugnam ventum est, in qua pectus Ialakiniæ sic transfixum letali sagittæ vulnere fuit; vt absque mora prolapsus exspiraret. Inde progressus Vrchan ad vrbem Isnigimidam, castris vndiq; circumdatam obsidere cepit. Tum mulier illa, quam vrbis fuisse dominam retulimus, suis conuenire iussis, nequaquam posse dixit vires suas cum Turcicis in comparationem venire, nec aduersus eas subsistere. Si quis nostrum pereat, ait, sic vitam amittit, vt vindicē mortis nullum habeat. Sin aliquis illorum extinguitur, vltorem necis perpetuū relinqt. Numquam soluet Turcus obsidionem, numquam hinc infecta re discedet. Remedium malo nostro, cum pace, petēdum a Turcis erit. Quæ proloquuta, quēdam sibi necessarium, & inprimis carū, quem secum habebat, ad Vrchanem misit, huiusmodi quædam ei nuntiaturū: Decreuisse dominam vrbis, siquidem pacisci secum vellet Vrchan, de prohibendis & arcendis ab ea Turcorum iniuriis, obsessam ei ciuitatem dedere: moxq; cum suis inde migraturam, & Constantinopolim abituram. Quum hæc Vrchani deditionis lex probaretur, rursus ei mulier significari iussit: Se q̄dē vrbe noctu cum suis egressurā, sed impetrato prius ab Vrchane quodam, cuius auctoritate defenderentur, ne qui Turcorū manus eis inferrent. Absit omnino, respondit Vrchan, vt nostrorum quispiam alicui ex his Christianis vel mangurū eripiat. Simul e suis quosdam selegit, qui ab iniuriis eos vindicarent; edicto quoq; publicato, quo liberū Christianis esse voluit, vti pro cuiusque libitu manere, qui vellēt, in vrbe possent; vel arbitratu suo, quocumque visum esset, discedere; sine cuiusquam impedimento & noxa. Iam ante parari naues aliquot vrbis domina curauerat, quæ quidem ad eum portus locum stabant instructæ, quo naues adpellunt, & vbi exscenditur. Scalam dixere Græci recentiores, etiam historici; voce Turcis itidem vsucapta. Quū suis hæc nauigia rebus ac facultatibus onerasset ex animi sententia, tamdem bona cum pace discessit. Ex altera parte Turcici milites, post huius abitum, agminatim in vrbem infusi sunt. Fuit illis quoq; militibus, qui Abydi consederant, huc commigrandi facta potestas, & ibidem domicilium constituendi. Captæ Nicomediæ filium Suleimanem præfecit Vrchan, & sacras ædes Christianorum, in messitas siue templa Musulmanorum conuertit. In his erat ecclesia Christiana magnitudinis insignis, quā in vsum* medressæ redegit, vt esset gymnasium litterarium, tam pascendis doctrinæ Musulmanicæ magistris, quam discipulis. Et superest hodieque gymnasium illud Vrchanium Nicomediæ. Hoc modo captam a Turcis fuisse Nicomediam tradit historia Dragomani Muratis Hanivaldana; cuius fidem ipse nequaquam eleuans, saltim & illa referam, quæ ab his discrepantia liber Verantianus cōtinet: quum in eo quoq; discedat ab aliorum auctoritate Murates, quod recuperatam vult Nicæam aliquo, post Nicomediam Turcis deditam, temporis interuallo. Nam id quum ceteris Turcorum historiis, tum Laonicenæ repugnat, vti paullo post adparebit. Sed interpretem Verantianū audiamus. Vt animum, inquit, Nicomediæ Teggiuris sibi conciliaret Vrchan, misit quosdam e suis, qui captiuum ei Nicææ regulum, liberali ab se causa manu missum, offerrent ac traderent; idque tanto maiore cum Vrchanis laude, quod Nicænus ille Nicomediensem propinquitate sanguinis aliqua tangeret. Hoc tam eximio munere restituti e seruitute in integrum Nicæni, vix dici potest, quantū amoris, fidei, beneuolentiæ promeruerit Vrchan apud regulum Nicomediensem, qui splendidissimis hoc beneficium donis multoties rependit: adeo quidem, vt per adoptionē inter se fraternitatem quamdam constituerent, e qua nata fuit eiusmodi familiaritas; vt omni prorsus vtrimque deposita suspicione, dumtaxat alter in alterius amore, tempus ad aliquod, conquiesceret. Tamdē accidit, vt celebrandæ Nicomediensi venirēt nuptiæ, quod vxorem filio daturus esset. Ad eas nuptias Vrchanem inter primos inuitatum misit. Peramanter respondit Vrchan, lubentissimo se nuptiis illis adfuturum animo. Simul insigni legatos excepit honore, qui missi ad ipsum inuitādum fuerant;

* Panda cap. 14.

rant;

rant; eiſque veſtes, & equos, cum donis aliis obtulit, & comites adiunxit, qui hos Nicomediam, honoris cauſa, deducerent. Interim ipſe parare ſe cepit ad nuptias, & XL ciſtas fieri curauit, camelis imponendas, & varij generis pannis implendas. Miſit inde Conſtantinopolim, qui ſericos pannos, longe omnium elegantiſſimos, qui vſpiam reperiri poſſent, magno numero compararent; & in has ciſtas, quas Conſtantinopolim vacuas miſerat, imponerent. Simul hoc nomine miſſis ab ſe dederat in mandatis, vti de induſtria quibuſuis ſignificarent; hæc illa eſſe munera, quæ venturus ad nuptias ipſorum princeps Nicomediæ regulo donare decreuiſſent. Atque hoc modo merces emtæ Conſtantinopoli, Pruſam deportatæ fuerunt, quæ ciuitas Turcorum iuris erat; donec nuptiarum dies adpetiiſſet. Tum vero pannos illos e ciſtis eximi iuſſit, eorumque loco viros impoſuit, & oneratis hoc pondere camelis, ad nuptias perrexit; ſumptis ſecum XL, præter hos occultatos, viris animoſis & ſtrenuis; ac totidem aliis, habitu miniſtrorum indutis. Quum ad vrbem propius acceſſiſſet, miſit qui ſuum regulo ſignificaret aduentum. Is hoc intellecto, magnum Vrchani honorem exhibuit, cum indicatione beneuolentiæ ſtudiique ſingularis; operaque metatorum ſuorum deduci iuſſit in palatium, vrbis intra mœnia ſitum, ac tam ipſius, quam comitum hoſpitio deſtinatum. Eodem & varia deportari dona curauit, vt tanti hoſpitis aduentum ſibi gratiſſimum accidiſſe, oſtenderet. Accepit hæc Vrchan, ac regulo dici viciſſim iuſſit, ſe quoque munera ſecum adtuliſſe eximia, Nicomedienſi offerenda; ſed quod eſſent ex itinere feſſi, dilaturum ſe bona cum ipſius pace miſſionem horum in craſtinum. Credidit hæc ſerio dici Nicomedienſis, ideoq; reſpondit; mitteret iſta, quum commodum ei videretur. Vbi nox aduenïſſet, iamque luna reſpondentem diei lucem redderet: milites illos ſuos Vrchan ex arcis prodire iuſſit, & ad perficiendum id, quod animo deſtinarat, inſtruxit. Sub ipſum crepuſculum matutinum incedere per vrbem ceperunt, & obuios quoſque laniena tam fœda trucidarunt: vt ante, quam plene illuxiſſet, mactatis quingentis e Nicomedienſibus, iam portam vrbis in poteſtate ſua quamdam haberent, admiſſis in eam CIↃ Turcis, quos in inſidiis ex interuallo ab vrbe non magno abdiderant. Fama Turcici motus ad vrbis regulum perlata, mox armis correptis ad pugnam ſe compoſuit; quod LXXX dumtaxat Turcos adeſſe diceret, quos nullo negotio confoſſurus eſſet. Simul CC ſuorum ſubito collectis, in Turcos ire cepit. Quumque prodiiſſet extra palatium ſuum, mox Turci omnes in eum irruerunt, qui huc iam ante confluxerant, reguli palatium ingreſſuri; circumdatumque cum ſuis in fruſta diſſecuerunt, & vrbi captæ direptæque preſidium impoſuerunt idoneum, eamque ſub dominatus ſui iugum miſerunt.

Hæc ergo de capta Nicomedia Verantianus interpres retulit, digna mihi viſa, quæ minime ſilentio prætereirentur. Quamquam vix aliquis hæc, ob inauditam ab omni æuo fraudulentiam, perfidiamque plus quam Maculoniam, crederet hiſtorica fide ſcripta; ni conſtaret, interpretem non ab ſe, nec ab aliis conficta, ſed ex ipſiſmet barbarorum commentariis hauſta, Italice legenda nobis exhibuiſſe. Nunc in hiſtoria progrediamur. Erat inter ceteros Turcos id temporis miles quidam ſtrenuus, cui nomen Cara Murſel, quo niger ſanctus ſignificatur. Huic Vrchan poſſidendam timarij loco maritimam conceſſit oram, Nicomediæ vicinam; vti cum militibus quibuſdam, & ipſis † timaratis, oram illam perpetuis cuſtodiret excubiis, ac tueretur; ne Conſtantinopolitanæ naues huc adpellerent, omniaque flammis ac ferro vaſtarent. In hac ora maritima nunc etiam villæ cum pagis ſuperant, quibus ab illo nomen inditum, vt Caramurſelleræ vulgo vocentur. Præterea regionem, quæ Turcis Ialac-oua dicitur, voce planiciem ſiue campum ſplenis denotante, partitus eſt Vrchan in aliorum timaria militum; quibus iniunxit, vt diligenter illam maris oram cuſtodirent, ne Conſtantinopolitanæ triremes huc adpellentes, damnum lo-

† Pandect. cap. 186.

cis iis inferrent. Eodem & Accecozzanos milites, timariis donatos, se conferre iussit. Viro bellicoso Iachsilu, qui ab aliis * Iachsi Lulu, nonnullis etiam Iachsi Lala vocatur, (id est elegans aulæ gubernator) donauit opidum Ermeni--bazar, quo emporium montis Ormenij significatur. Regionem Candarinam, quam Verantianus interpres Canduraien adpellat, Acbassæ, viro militari, cui nomen hoc ab albo capite datum, tribuit. Et sunt hodieque superstites aliqui de horum progenie. Faselulla quidem, cognomine Casi vel iudex, cuius exstat xenodochium pro pauperibus eremitis (Tekien barbari vocant) in opido † Geibise, de huius Acbassæ posteris erat. Et hactenus quidem exposito modo in potestatem a Turcis hæ regiones, videlicet Cozza-ili, siue regio senis, & Cungur-beg-ili, & Boli, redactæ fuerunt. Easdem quum ita distribuisset inter suos Vrchan, vt diximus; ab omnibus pro Padischacho, siue principe supremo, fuit adgnitus. Accidit autem aliquando, quum fratres, Vrchan & Aladin, mutuo se conuenissent, vt Vrchanem huiusmodi verbis Aladin compellaret: Mi frater, ait, immortales optimo maximoque Deo gratiæ debentur, qui te regiam ad potestatem euexit. Eiusdem benignitate miles tuus de die in diem maiora sumit incrementa. Lex etiam Muhametis cottidie longius ac latius propagatur, tuisque conatibus adprime fauet. Delige tibi notam, signumue quoddam peculiare, quo tui milites ab extraneis secernantur, & ab omnibus adgnosci, non sine perpetua nominis tui memoria, possint. Respondit Vrchan, lubenter se consilio fratris obtemperaturum. Quandoquidem ergo, subiecit Aladin Bassa, vicinorum nobis vndique principum clientes pileis siue tegumentis capitum rubris vtuntur, ipse tibi tegumentum coloris albi sumito, quod capiti tuo, tuorumque militum imponas. His auditis, præcepit Vrchan, vt Bilezugæ tegumenta capitum coloris albi pararentur; aditoque viro religioso, Chazi Bectasse, primus ipse pileum capiti album imposuit; idemque ceteri clientes ipsius omnes fecerunt. Mansit etiam ab illo tempore mos receptus, vt alba Zercula Genizari hodieque vtantur. Illius sæculi principes in consilium fratres suos adhibere solebant, seque mutuo familiariter adibant. Nec ante Gilderunis Baiasitis Chanis imperium mutuis se confecere cædibus & insidiis. Nam primus is fraterno manus sanguine polluit, & huius immanis auctor consuetudinis exstitit. Secundum hæc Vrchani ad animum accidit cogitatio, de augendis militum suorum copiis, e plebe colonaria: quoque putaret id modo posse fieri, fratrem Aladinem consuluit. Is vero respondit, ea de re iudicem consulendum videri. Magni vir nominis & auctoritatis apud Turcos erat id temporis, Zinderlu--Chelil, dictus deinceps Hairadin Bassa, quondam Cadius siue iudex Bilezugæ, quem ei cadilicatum Osman Chan tribuerat. Hinc Vrchani in vrbe Nicæna iudicem constituerat. Nicæa quoque Burusam transtulerat, vt etiam ibi iudicis officio fungeretur. Ab Vrchanis obitu Murates, Gasis † Hunggiar exercituum iudicem declarauit, qui Turcis Cadilescheri, siue supremi iudices adpellantur. Etiam beglerbegi munus ei commissum fuit. Qui denique primus est apud barbaros, secundum principem ipsum, honoris gradus; Veziris bassæ dignitatem ad extremum accepit. Dictum & alibi de quibusdam ad hunc spectantibus, & inter alia, † quod adfinitate iunctis Osmani fuerit, ducta sorore coniugis ipsius, Edebalis minore natu filia. Hic igitur ab Vrchane consultus, respondit: Ex omnibus regni ditionibus Iaias siue pedites describendos, & ad obeundam militiam deligendos esse. Cui mox obtemperatum consilio, peditumque delectus haberi cepit. Ea Turcorum id temporis erat, his reb' ordinandis industria. Proceres vero non nisi pileis aut Zerculis albis e filtro vel tulipantis capita tegebant. Ac si qui forte de begorum siue magnatum numero, non eiusmodi tegumentis capitũ vterentur, quoties ad Diuanũ, siue consilij publici locũ itarẽt; ignominia quadã notabant. Sic enim ex Vrchanis instituto mos inoleuit, vt in Diuano caput eis tulipanto esset inuolutum, belli tempore pileum coloris

* De Iachsi vide Pandec. cap. 164.

† Pandect. cap. 74.

† Pandect. cap. 3.

coloris

coloris albi geſtarent; cuius poſterior pars a tergo longe dependet, anterior impoſita fronti, ſubter hanc minime demittitur. Præterea barbam forficula tondere, non erat in vſu. Tam proceres, quam ceteri baſſæ Vezirlari prolixas barbas alebant. Si cui rex iratus eſſet, ignominiæ & pœnæ cauſa barbam homini præcidi iubebat. Mos ipſe tam præcidendi, quam tondendi barbas, a Frankis (hoc eſt Italis) ad Turcos manauit. Ad ſummam, pleræque conſuetudines ſuperiorum temporum non modo diuerſæ ſunt ab hodiernis, ſed etiam prorſus iiſdem aduerſantur.

Hoc iam loco Murates Dragomanus hiſtoriam captæ, vel recuperatæ potius ab Vrchane Nicææ recenſuit, nonnihil variantem a narratione ſuperius poſita, deque libro interpretis Verantiani petita; cuius iſtic lectori quum ſpem fecerimus, age promiſſo heic noſtro ſatisfaciamus. Antequam, ait Murates, obſidere Turci Nicæam inciperent, arcem Carateken, vrbi vicinam, ſui iuris effecerunt; & in ea præſidium, velut in ſpecula quadam, Nicænorum conatus obſeruaturum, collocarunt. Quo factum, vt iſtius præſidij cauſa, portas vrbis aperire Nicæni non auderent; ſed intra muros continere ſe cogerentur. Itidem Turci villas & pagos in vrbis circuitu, ſuam in poteſtatem redactos, pacifice tranquilleque poſſidebant; & in iis timaria militibus adtribuebant, vnde fructus & reditus annuos perciperent. Erga eorumdem locorum incolas Chriſtianos iuſte ſe gerebant, qui hac de cauſa paullatim a ciuibus Nicænis alienioribus animis eſſe ceperūt. Ideoque nulli iam amplius in vrbem commeatus importabantur. Audiſſes & colonos ſuburbanos huiuſmodi verbis ciues concluſos & obſeſſos adpellantes: Quid agitis infelices? cur perditum voſmetitis? Contumaciam rebus veſtris perniciofam ex animis deponite, Sultano Turcico deditionem facite, ſummittite vos eiuſdem imperio, pænituria rerum præſenti libertate, priſtinæ paci quietique res veſtras reſtituite. Tamdem Vrchan explorato Nicænorum miſero ſtatu, qui magnas eſſent ad difficultates adacti; recentibus & numeroſis cum copiis acceſſit, vt artius vrbem obſideret. Hac re territus vrbis regulus, hominem ſibi fidum ad Vrchanem miſit, qui mentem ei ſuam declararet: Paratum ſe ad vrbis eſſe deditionem, modo ſecum ea lege paciſci vellet Vrchan; vt cuiuis ſuorum vel in vrbe dedita manere ſub Turcorum dominatu, ſaluis facultatibus; vel alio diſcedere, pro lubitu ſuo, liberum eſſet. Hanc condicionem quum admiſiſſet Vrchan, præfectus vrbis, e Porta Conſtantinopolitana Nicææ regendæ cauſa miſſus, cum ſuis Conſtantinopolim abiit; ciues Chriſtiani, militesq; non pauci, diſcedentibus valere iuſſis, ibidem manere maluerunt: ac mox ingreſſuro ciuitatem Vrchani prodierunt obuiam, ſummoque cum honore exceptum, per eam vrbis portam introduxerunt, quæ Geniſcheheris ſiue Nouæ ciuitatis porta dicitur. Hac quum intraſſet, in hortos eum deduxerunt, quos Neilos adpellant, tamquam Nilis facticiis ad voluptatem & delicias irriguos, vt iſtic ex equo deſcenderet. Acceſſerunt illic ad eum præſtanti forma mulieres, quibus conſpectis, quænam eſſent, interrogauit. Reſponſum ab adſtantibus, viduas eſſe; quarum mariti partim fame, partim in prœliis exſtincti periiſſent. Nunc eas in hac viduitate ſua, ceu ſolitarias, præaltis ac pulcherrimis in ædificiis degere. Quapropter mandauit Vrchan, vt præcipui milites in exercitu ſuas legitimas ex his vxores ſibi deligerent: quod illi quum facerent, ſimul & paratas inſtructaſque domos, & vxores repererunt, celſiſque deinceps in palatiis habitarunt. Incidit hæc Nicænæ vrbis occupatio in annum Muhametanum ID CC XXXIV; quemadmodum diſertis verbis Murates Dragomanus adnotauit. *Chriſt.1335.* Hæc narratio Turcicæ ſuperiori, & Chalcocondyleæ non reſpondet ratione temporis, quo Nicæa fuit in poteſtatem redacta, nimirum inter initia regni Vrchanis; in quo Verantianus liber, & Chalcocondyles conſentiunt. Muratæa vero Chalcocondyli adſtipulantur in occupationis modo, quod non ſtrategemate captam inopinato, ſed pactione deditam fuiſſe tra-

dunt. Sed de his satis. ad alias ab Vrchane gestas res pergendum.

Condidit secundū hæc Vrchan Nicææ magnam quamdam meschitam siue templum, in quo sui die Veneris hebdomadarium, Muhametano ritu, festum celebrarent. Zumam Turci dicere consueuerunt. Ibidem & imaretum exstruxit, in quo, velut in Christianorum veteris instituti monasteriis, ex mera caritate cibi quibusuis egentibus dantur, & docti viri cum discipulis aluntur. Præterea iuxta portam, qua Nicæa Genischeherem siue Neapolim exitur, imaretum aliud ædificauit. Erat id temporis apud Turcos in existimatione quidam Chazis Hassen, Edebalis in religione discipulus & sectator. Huic Vrchan illius imareti noui præfecturam commisit, quam posteri eius adhuc obtinent. Quum autem absoluta iam indicati huius imareti structura, cepissent in eo cibi pro more coqui: prima statim vice suis Vrchan manibus cibos ipse distribuit, & candelas primus accendit. Gymnasio litterario legis peritum præposuit, qui dominus siue magister noster Dauid Caisarius a vulgo Turcorum adpellabatur. Idem munus postea Tazzedini Kiurto commisit, qui Serazzedinis Vrmunici sectator aliquando Coniæ fuerat. Concionatoris officio die Veneris, hebdomadario festo, quemdam fungi Nicææ iussit, cui Cara Hozza nomen erat, presbyterum nigrum significans. Vrchan ipse diu Nicæam Portæ siue regiæ loco habuit. Asicus etiam bassa, vir sanctus, & poëta Turcicus, Vrchane regnante vixit. Et imareta quidem hoc modo condendi mos, ab Vrchane profectus, hodieque durat. Itidem qui adhuc in Anatolia mos reliquus est, in arcus scribendi, originem ab eodē Vrchane cepit.

Post illa concessit Vrchan filio suo Suleimani Bassæ ciuitatem Isnigimidam loco timarij, quæ priscis Nicomedia est; eumdemque velut in specula collocauit, obseruatum occasiones omnes rei feliciter in opida vicina, Taraxen Genitzen, qua Taraxe nouella significatur, & Gouinucam, & Mudurnin gerendæ. Redacta vero in potestatem Nicæa, Portam ibi suam esse voluit; & Burusam, quæ hactenus Portæ nomen obtinuerat, alteri filio Murati Chani Gasi tribuit, eumque vocari voluit, Burusum beg Sanzacum, hoc est Begum siue Dominum vexilli Burusensis. Et begi nomen hoc dari solet omnibus, officium vel munus aliquod a rege, vel Sultano, consecutis. Hinc etiam licet intelligere, cur illam regionem Geographi recentiores, & in his Abrahamus Ortelius, corrupto vocabulo Becsangil adpellent; quum Beg-sanzac-ili dicendam pareat, hoc est, Begi Sanzaci siue flamularis ditionem. Arcem quoq; Caratzechisarē filio patrui sui Iundusis Actemuri tradidit. Vrchan ipse regionib[9] vniuersis præerat. Inde missus ab eo Suleiman Bassa fuit, Taraxen nouellam occupatū. Quum primū illuc aduenisset, absq; vlla pugna pactionib[9] certis interueniētibus, opido potitus est. Itidem se Mudurni & Gouinuca, non exspectata vi Suleimanis, certis legibus dediderūt. Suleiman vero, digna rege præditus indole, tanta cum iusticiæ, defensionis omnium, clemētię laude regionem illam administrauit; vt omnes eorū locorum Christiani, tam præclaris virtutibus eius inuitati, Musulmanæ se religioni addicerent; ipsæque ciuitates, cum prouinciis, imperium illius perlubēter acciperent. Leges & instituta prouinciæ non mutauit, nec aboleuit; sed quemadmodum antiquitus ordinata pleraq; fuerāt, sic ea pristino in statu manere permisit.

Becsangil. Beg-sanzacili. Lib. 14. infra.

[illegible]

Regnabat id tēporis in *Carasina regione Atzlan begus, Carasis filius. Is moriens duos post se filios reliquit. Horum vnus ad Vrchanem Gasim venit, vt eius Portam honoris & officij causa frequentaret. Nomen erat illi, Tursun begus. Alter apud patrem mansit. Exstincto secundum hæc patre, populus vniuersus Carasinæ regionis huic alteri filio se obœdITURUM negauit, sed imperio Tursunis begi dumtaxat pariturum. Erat huic Tursuni bego quidam a consiliis, (Vezirem barbari dicunt) qui Chazis-Il-begus adpellabatur. Is cum legatis, Tursunem begū ad successionem paternam subditorum nomine vocantibus, in regnum Carasinum profectus fuit. Quumque subditorum regni mentem prorsus explorasset, reuersus

* Pandect. cap. 13.

ſus eſt ad Turſunem begum, herum ſuum; quæque hoc in itinere comperiſſet, quæque geſſiſſet, ei retulit. Itaque Turſun begus plene de ſtatu rerum paternæ ditionis edoctus, Vrchanem adiit, eoque compellato: Mi Chan, ait, eamus ditionem meam paternam occupatum. Cuicumque tibi viſum fuerit, opidum † Balikeſrem, (corruptum e Græco Palæocaſtro, quo caſtrum vetus ſignificatur, nomen eſt) & Pergamum, & Edremitum, pro liberalitate tua donato: mihi Kiſulze-Tuzla, (ſignificatur hac voce Tuzla vel ſalina rubea) cum Mahrani, pars indicatarum ditionum, ſuffecerit. Ex his opidis priore nominatum loco Turcos exiſtimo ſic adpellaſſe, translato ſuam in linguam vocabulo Græco Erythra, quod iis in locis eſt nomen ciuitatis Epheſo metropoli ſubiectæ, ſicut ex Leone conſtat Auguſto; Marhani vero fuerit haud dubie Myrhini, regionis eiuſdem; & eiuſdem, eodem auctore, metropoleos; Agathiæ ſcilicet hiſtorici noſtri patria, quę patrię primi, natiuoq; ſolo reſtituimus; quum antea pro Myrhinæo, Smyrnæus haberetur. Itaque ſuſcepit Vrchan hanc expeditionem, ſuaſu rogatuque Turſunis. Quumque perueniſſet Vlubadam, (Lopadium dixere Græci) motus ea ratione, quod arcem hanc aliquando ſui iuris effecerat, & regulum tamen eius ſponte ſua loco priſtino reſtituerat; recta illius a pontis, quo flumen eiuſdem cum arce nominis ſternitur, initio vel capite profectus, vbi quidam circuitus eſt, opida duo, quorum hoc Bilenos, illud Eblebenda dicitur, occupauit. Bilenos, mihi quidem, Polichna Troadis eſt; Eblebenda vero, quæ Græcis Alabanda vocabatur. Hinc ad opidum Germaſten, quod Germa Græcis adpellabatur, & Cyzicenæ ad Helleſpontum metropoli ſubiectum fuiſſe traditur, cum milite ſuo contendit. Erat id temporis illius arcis domina, mulier quædam, cui lingua Græca nomen Calameſtorie dabatur. Id nomen vt lector intelligat, ſcire debet, μάϛορ dici Græcis dominum, vel magiſtrum, vel herum, ab Italis accepto vocabulo: vnde iam perſpicitur, bonam dominam a vulgo fuiſſe dictam, quæ καλὴ μαϛόρα Gręcis eſt. Habebat & fratrem, quem Turci Michalizin adpellāt, hoc eſt paruum Michaëlem; Græcis recentioribus eſſet Condo-Michail, & Michailitzes. Ab hoc & regioni, & opido, & flumini datum nomen, † alibi oſtendimus. Regionis Michalicij Laonicus quoque, ni fallor, meminit. Ad eam quum copias Vrchan duceret, obuiam illi Cala-Meſtorie cum Michalici fratre venit; nec munera magni pretij dumtaxat ambo ſecum adtulere, verumetiam modeſtia ſingulari erga illum ſe ſummiſerunt. Vrchan benigne & comiter exceptos, in arces ac ditiones ſuas reſtituit. Inde quum cognouiſſet, Vlubadanum regulum inſidias ſibi ſtruxiſſe, proditionisque crimen incurriſſe: capi iuſſit hominem, extremoque ſupplicio de medio tolli. Traditur autem in hiſtoriis, alterum † Caraſis filium, Turcico more loquendo, id eſt nepotem, quum Vrchan ad agrum Balikeſrenſem ſiue Palæocaſtrenſem accederet, ex eo loco ſe fuga ſubduxiſſe, moxque Pergamum ſe recepiſſe. Turci fugientem abſque mora ſecuti, Pergamum & ipſi venere. Tum frater ille, qui apud Vrchanem degebat, & Turſunis habebat nomen, propius ad opidum ſe contulit, vti cum fratre ſuo colloqueretur. Eum minime ſibi cauentem obſeſſi, ſagitta ex opido emiſſa interfecerunt. Id horum facinus Vrchanem tantopere offendit, vt illico proclamari iuberet: omnem illam regionem, cum incolis vniuerſis, interuenientibus pactis quibuſdam, paciſq; legibus, Vrchanis deinceps imperio ſe debere ſummittere. Ni facerent, ferro mactandos omnes. His auditis, ad Vrchanem populus regionis adcurrit, eique ſe dedit in clientelā: quo facto, Caraſiæ regno mox Vrchan potitus eſt vniuerſo. Geſta fuerunt hæc anno Muhametano ıↄcc xxxv.

Poſteaquam omnis Vrchani Caraſia deditione ſpontanea ſe ſubieciſſet, etiam alter ille Caraſiogli, certis pace legibus inita, Pergamo egreſſus, in Vrchanis ſe caſtra contulit: quem Turci Buruſam ſecum abduxerunt, vbi quum biennio vixiſſet, tamdem lue contagioſæ peſtis exſtinctus periit. Ab eius obitu, arceſſito ad ſe Suleimani baſſæ filio Caraſinam regionem pater adminiſtrandam, timarij loco tradidit, ac Bu-

Margin notes:
† Pandect. cap. 23.
Kiſulze Tuzla.
Erythræ.
Marhani, Myrhina.
Κονδομιχαήλ.
† Pandect. 8 cap.
† Caraſi ogli.
Christ. 1336.

rusam ipse se recepit. Eo quum venisset, imaretum cum meschita condere cepit, & vndique religiosos homines conquirere: quorum plerique vel montem Olympum inhabitabant, a Turcis propterea Keschis * seu Geschis dag, veluti monachorum aut eremitarum montem, adpellatum; vel circum Einegiolim, quam superiore libro Nacoliam esse diximus, degebant. Inter hos quidam plane singularis erat, qui cum ceruis hinc inde per siluas obuagabatur. Eum Durgut--Alpes begus non modo magni faciebat, sed etiam diligebat; adeoque de perpetuis cum homine colloquiis voluptatem maximam percipiebat. Admodum vero iam consenuerat Durgut-Alpes, qui quum accepisset, Vrchanem conquirendis viris religiosis sollicite occupatũ esse: quemdam e suis ad eum misit, qui significaret, in circuitu villarum suarum religiosos aliquot degere, prӕterque ceteros vnum quemdam esse, qui cum ceruis per siluas itaret, & cum eis colloqueretur. Adeo sanctum esse hunc hominem, nullus vt ceruus eum fugiat, nullus ab eo sibi metuat. Vrchan vero Durgut--Alpi vicissim renuntiari iussit, solitarium hunc interrogaret, cuiusnam patris ac senioris discipulus & sectator esset. Misit ergo Durgut--Alpes, qui hominem adirent, ac suo nomine quærerent, cuius in hac religione discipulus esset. Is ad hæc respondit, sectari se patrem ac seniorem, Babam illum Iliam, (Eliam patrem intelligit) & in hac religionis via & instituto primarij cuiusdam sancti, cui nomen Seidi Ebül Vefa, vestigiis insistere. Quibus Vrchani relatis, hominem ad se perduci iussit; qui tamen arcessitus & inuitatus, abire noluit, hæc etiam verba proloquutus: Caueret sibi magnus ille rex, ne studio conueniendi hominis religiosi, eidem peccandi occasionem præberet. Ea quum Vrchan accepisset, rursus e suis quemdam misit, qui huic eremitæ suo nomine diceret: Arduas esse causas, cur omni modo sua cum sanctitate sibi conueniendum sit. Quid ergo nos adire tergiuersatur? aut cur prohibet a nobis se conueniri? Ad ista responsum hoc Vrchani dari iussit eremita: Homines religiosos, quasi speculatores quosdam esse, qui tempus exspectent, quo preces acceptæ futuræ sint; nec vigilare desinant, donec id tempus adpetierit. Tum deinde se ad illa loca, quorum adeundorum causa rogati sint, conferre; quo preces concipiant pro illis, a quibus arcessuntur. Quamobrem Deo propitio suam maiestatem opportuno tempore conueniemus, & pro eius incolumitate Deum precabimur. Secundum hæc aliquot abiere dies, quum tamdem religiosus hic arborem Cauacam, id est tiliam gestans, intra muros arcis venit; & meschitæ viridarium ingressus, (cœmiterium Christiani vocant) hanc arborem plantare cepit. Mox indicatum Vrchani, religiosum illum adesse, tiliamque secum adlatam plantare. Quapropter Vrchan ad eum se contulit, & spectator adstitit, donec arborem plantasset. Prius vero, quam aliquid protulisset Vrchan, dicere cepit eremita; perexiguum esse munusculum hoc suum, nec tanto dignum principe. Nihilo minus eremitarum pauperum preces pro ipsius & posterorum felicitate, gratas & acceptas esse Deo. Quibus verbis prolatis, illico preces concepit, & absque mora discessit, siluasque suas repetiit. Superest hæc nunc etiam intra saraij pomœrium plantata tilia, magnamque succreuit in arborem, & rotundam, quæ cunctis ab eo tempore regibus ac Sultanis venerationi & curæ fuit. Ramos eius purgant, & exsiccatos seruant.

Tamdem ad locum, quo religiosus hic degere solebat, Vrchan ipse profectus est, eoque compellato: Religiose pater, ait, omnis hic ager Einegiolinus, vel Nacoliensis, ex donatione mea tuus esto. Cui solitarius ille respõdens: Bona mundi huius, inquit, & possessiones illis largitur Deus, o rex, qui boni sunt & idonei rei familiaris administratores. Ad nos domestica res non pertinet, nec ditionibus ac prędiis administrãdis idonei sumus. Tibi Deus, regibusque tui similibus, terrenos principatus donat. Idem magnas opes pecuniarias diuitibus tribuit, ad eas tractandas idoneis; quũ harũ nos rerum imperiti simus. Vrchan vero, summa cõtentione hominem vrgens, vt oblata

* Pandect. cap. 17.

oblata reciperet: Equidem te precor, ait, o eremita, ne temere quid a me dictum velis. Accipe, quod dedi; hoc ipso me magno honore adfecturus. Itaque victus Vrchanis precibus eremita: Ne frustra, subiecit, hæc donationis a te prolata verba sint, exiguus iste locus in conspectu nostro, qui collis huius ad illam partem vergit, area domus religiosorum esto. Placuit Vrchani, quod eremita dixerat. quumque denuo precibus hominis religiosi cōmendatus Deo fuisset, discessit. Tamdem exstincto solitario, monumentum propter eius sepulcrum posuit Vrchan, imaretum scilicet cum meschita, celebrando diei Veneris hebdomadario festo. Locus hodie renouatus est, & in eo statis quinque temporibus, interdiu noctuq;, ritu Musulmano, preces celebrantur; Imaretumque Geiclis Babæ nominatur, hoc est, monasterium patris, qui cum ceruis confabulabatur.

Et hactenus quidem intra minoris Asiæ limites, quam Anatoliam dicunt, Oguziorum gens se, cum principibus suis, Osmane patre, Vrchaneque filio, continuit. Nam de Turcis hoc in genere dici non potest, quum alij quidam ex iis, sed ab his diuersi, etiam ante Oguzios in Europam cum copiis transmiserint: quorum expeditiones e Græcis, Nicephoro Gregora, Laonico, & aliis petendæ; non a nobis exspectandæ, qui cauere debemus, ne rerum ab Osmanidis gestarum latissimos ex instituto nostro campos ingressi; temere, cum tædio lectoris, extra (quod aiunt) oleas vagemur. Nunc videndum, quibus occasionibus Osmanis filius Vrchan, & nepos Suleiman, fatali progressu trās Hellespontum in Europam copias traiecerint; & in ea paullatim, perpetua cum Græci nominis infamia, quæ gens eis a principio per ignauiam, ciuilesque discordias, obuiam ire neglexit, magis magisque pedem fixerint. Triplex vero de his reperitur expositio, quarum primam & alteram liber Verantianus continet, tertiam Muratæus Phil. Haniualdi commentarius ille locupletior. Posteriores duæ satis inter se conueniunt. Ideoque de duabus vnam dabimus integram, & eruditorum (vt speramus) iudicio satisfacturam. Prima seorsum in Verantiano codice legitur, inter alios astus, & plenas perfidiæ fraudes, quibus primi quatuor Turcorum principes ad amplificandos imperij sui limites vsi fuerunt. Et quamquam hæc e Turcorum lingua profitetur interpres ab se reddita, velut scripta prius a Turcis: tamen nescio quo modo mihi nonnihil a similitudine veri recedere videtur. Sed integrum lectori iudicium relinquitor. Nos ad rem.

Quum secum deliberaret Vrchan, inquit auctor, de transmittendis in Europam copiis; venire iussit ad se filium Suleimanem Bassam, eique traiiciendi modum ostendit. Quapropter filius, de consilio paterno, lintribus similes nauiculas e boum camelorumque pellibus confici iussit, & in eas imposito milite, sub mediam noctem fretum Calliopolitanum traiecit. Inde Turci semet vicinis in vineis abdiderunt. Vbi iam lucisceret, egrediebantur opidani laboratum in vineis & agris; quumque sex viris eo loco transeundum esset, quo Turci latitabant in insidiis: capti fuerunt ab eis omnes, vinculisque constricti, & insidiarum in locum abducti. Eo toto die semet Turci rursus abscondebant, vsq; ad lucē diei sequentis, vt a nemine conspicerentur. Adpetente vero post diem exactū nocte, paullatim prodierunt e latebris, vsq; summo silentio, proprius ad vrbē accesserunt. Turcorū erant omnino milites LXXX, ex quibus X manserunt in via regia, ceteri quā minimo fieri poterat interuallo, se ꝓpter vrbem occultarunt. Inde quatuor, ex illis sex Christianis, quos ceperant, iugularunt; eosq; tamquā verueces ab arboribus suspenderunt, & intestina cadaueribus apertis exemerunt. Hinc lignorum aliquam congessere copiam, & ea quodam in loco deposuerunt, vnde ciuitas conspici posset. Veru etiam facto, de quatuor occisis vnum hoc transfixerunt, & igne luculento assare ceperunt; adactis duobus illis Christianis, quos necdum interfecerant, vt veru circumagerent. Quum dies illuxisset, prodiere rursus ex opido Christiani, suas ad operas diurnas reuersuri. Et eundum his erat illa via, qua præteriri locus debebat, vbi necati a Turcis Christiani cadauer ad ignem assabatur. Quapropter in

Turcorum manus, dum tranſirent, incidere non pauci; & inter alios, decem vſque adeo confecti ſenio, vix vti poſſent incedere. Ceperunt, his captis, inter ſe Turci Græca lingua propemodum in hæc verba colloqui: De his quid agendum ſenibus? Ingratus horum caro cibus eſt. Dimittamus eos incolumes. Statimque ſolutis vinculis; Nos Turci ſumus, inquiunt; alia, quam humana carne non veſcimur, ſed non annoſa. Quapropter vitam hac lege vobis condonamus, & illæſos hinc abire ſinimus; vt omnium decem loco iuuenē vnum huc adducatis. Hac dimiſſis condicione ſenibus, ignem nihilo minus accendebant, quo necati corpus aſſaretur. Nullos hi ſenes conſpexerant alios Turcos, præter illos decem, de quibus diximus. Quapropter ad ſuos in opidum reuerſi: Quid otioſi tamdem exſpectatis? aiunt, Turci decem dumtaxat huc adpulerūt, qui omnes ex opido prodeūtes intercipiunt, & ad ignem aſſant; nec alios, quā iuuenes, volunt. Nos quidem ſenes decem ea lege dimiſere viuos, vt omnium loco iuuenem vnum eis ſiſtamus. His auditis, præfectus opidi ſenes interrogauit, quonam hos reperiri loco dicerent? En iſto ſunt, inquiunt, loco; quo focum ardere conſpicis. Itaque præfectus exclamare cepit, exirent opido mares vniuerſi, Turcos vt hoſce de medio tollerent. Obtemperatum reguli mandato ab omnibus. Plebs extra portas effuſa, locum ad indicatum ſe curſu contulit. Quumque iam ab eo prope abeſſet, mox ceteri Turci, qui erant in inſidiis abditi, ciuitatem ad ipſam curſitarunt; apertaſque reperere portas, & opidum ingreſſi ſunt. Reliqui decem, qui carnes (vt diximus) humanas igni torrebāt, & ipſi verſus opidum curſu cepere contendere. Tum vero clamare Chriſtiani: Quam ſtulti ſunt hi Turci, qui ad vrbem fuga ſe recipiūt. Simul Chriſtianis Turcos perſequentibus, fugere Turci non deſinebant, & omnes iugulare, quotquot eis occurrerent; donec tamdem ad portas peruenirent, & opidum ingrederentur; quo facto, clauſæ mox portæ fuerunt, & muros ciuitatis Turci conſcenderunt. Quum Turcos in mœnibus vrbis Chriſtiani ſtantes conſpicerent, quid tam triſti caſu faciundum eſſet, ignorabant. Turci vero, correptis horum Chriſtianorum liberis omnibus, eos in muros opidi deportarūt, & Chriſtianis ſignificari præconis voce iuſſerunt; omnino futurum, vt ipſis ad domicilia ſua non redeuntibus, omnes pueri Chriſtiani mactarentur. Quo intellecto, quid agerēt, ambigebant; niſi quod tamdem ſtatuere XV opidanos, ex omni numero ſuorum, in vrbem mittendos. His ciuitatem ingreſſis, exhibita fuit a Turcis humanitas omnis, & omnis beneuolentia; quum monerent, nullam ſubeſſe cauſam, cur a Turcis ſibi metuerent, qui nullam eis illaturi eſſent iniuriam. Exeundi quoque poteſtatem his extra opidum fecere, ſignificatum ſuis, vti redirent; quando nihil ipſis moleſti euenturum eſſet. Itaque plebs opidum ingredi fuit auſa, ſed primores vrbis periculū hoc adituros ſe negauere prius, quam eis de ſecuritate cautum abunde fuiſſet. Hac de cauſa iuſiurandum præſtiterunt Oſmanici, ſancte pollicentes; nequaquam illis ſe bona ſua cum facultatibus erepturos. Hoc primores ſacramento confirmati, non dubitarunt in opidum intrare. Sed Turci mox ingreſſos adprehenderūt, ac necarunt omnes. Quod vbi factum plebs vidiſſet, Turcis increpatis: An non præſtitum a vobis iuramentum fuit, aiebant, de non lædendis magiſtratibus hiſce noſtris? Reſpōſum ab Oſmanicis in hæc verba: Polliciti ſumus; nulla nos ipſis bona, facultates nullas ademturos. En promiſſo ſtetimus. Intacta reliquimus eis patrimonia ſua. Qui volet, hæc auferat; quando minime nobis quidem his opus eſt. Hoc modo plebs, quod Turcis amplius obiiceret, habebat omnino nihil: adeoque magni loco beneficij ducebat, quod tranquille domi ſuæ viuendi poteſtas ſibi fieret. Mox autem ab initio, quum ciuitatem hanc Oſmanici cepiſſent, quinque naues illic reperere; quibus ex Anatolia copias Turcorum non exiguas in Europam tranſuexere, prouinciis miſere vexandis intenti. Quo factū, vt Vrchane adhuc ſuperſtite, munitiones & arces octo diuerſis fraudibus Chriſtianis eriperent. Illo ipſo tempore, quo a Turcis intercepta fuere, quæ diximus, caſtra; pacem legibus certis Vrchan cum vicinis ibidē regulis, Hadria-

drianopolitano, Rhædestano, (Rhodostum modo vocant) Selybriensi, & Dimetocano fecerat, qui ab opido nomen habebat, quod integre lingua Græca, geminis a muris, Didymotichũ adpellabatur. Sed ea, quorum a Turcis occupatorum meminimus, octo castra, dominos habebãt regulis illis iam memoratis, ratione clientelæ obnoxios.

Hæc prima de Osmaneorũ in Europã primo traiectu narratio est. Altera plenior exstat in ipsa Veratiana historia, ceu dixim⁹; quam cum Haniualdana tertia, magis etiã integra, coniungemus: vt vna rẽ omnẽ lector expositione cognoscat, nec vtriq; communia, cum aliquo tędio repeti necesse sit. Vrchan igitur, ait historia Muratis, magnis ac raris præditus erat virtutib⁹ princeps: insigni liberalitate, quã Turci per apertas man⁹ exprimere solẽt: animo nõ minus clementi & benigno, quã strenuo. Quoties pugnandum esset, (Turcicis loquendi formulis vtar) fatũ diuinũ per ipsius sagittas, mors per eiusdẽ gladiũ, maturæ segetis instar homines prosternebat. In Musulmanos diuina misericordia quadam vtebatur, Gauris nõ nisi grauis cruciat⁹, & ipsa pestis erat. Nomẽ eius, & inclyta fama, iam ad Vngaros vsque sparsa penetrauerat. In hoc vno cogitationes eius omnes occupabantur, vt Gauros perderet, Musulmanorum vires augeret. Contigit autem aliquando, vt ei ad animum accideret, ecquem posset e suis habere, qui trãsiecto vel mediterraneo mari, vel freto Calliopolitano, in Europam se cõferret, ibiq; religionem & imperium Muhametanũ propagaret. Dum in hac cogitatione versaretur, & cura; forte euenit, vt maior natu filius eius, Suleiman Bassa, patrẽ conueniret; cui mox ille deliberationem, quam cum animo suo instituisset, patefecit. Illico patri respõdit Suleiman Bassa, si rem cõmittere sibi, famulo suo, vellet; diuina se clemẽtia, prodigiis editis a vate Muhamete, felicitateq; paterna fretũ, maris angustias hasce transmissurum, tenebrasq; Gauricæ religionis in iis regionibus dissipaturũ; adeoq; perfecturum, vt istic quoq; diuina veritas (sic ex opinione sua loquebatur) iubar suũ exsereret. Placuit Vrchani Suleimanis oratio, qui patris impetrato cõsensu, statim ꝓfectus est in regionẽ Carasinã, quã a patre consecut⁹ timarij loco fuerat, ibiq; copias aliquas collegit. Interea vero, dũ in regione Carasina hinc inde obequitaret; forte die quodã animi causa se cõtulit in locũ, quo loco Troiana quondã vrbs stetisse credit. Et exstat is locus in Temasalico (Telmessum forte prisci dixerint) regionis Aidinzici, de qua dictũ † alibi pleni⁹. Adspiciebat istic admirabundus amplissimorũ parietinas ædificiorũ, & ingentẽ marmorũ thesaurum, florẽtis olim, sed a Græcis destructę Troiæ reliquias. Ad horum intuitũ velut in mare quoddã cogitationũ demersus, plane nihil ad quemquã suorũ proloquebatur. Tũ vero vir quidã bellicosus in ei⁹ exercitu, cui nomẽ Ezes begus, adito Suleimane, dixit: O Chanũ, (hoc est, o princeps) quid hoc prodigiosæ rei est, te sic ꝓfundas in cogitationes stare demersum? Haud dubie magnũ aliquid voluis animo. Dicis tu quidẽ hoc vere, respõdit Suleiman. Quippe de mari hoc traiiciendo cogito, & an fieri posset, vt aliqui nostrũ ad alterum litus sic peruenirent, vt a Gauris ipsorum conatus non deprehenderetur. His cogitationibus, inquit, occupatur animus meus. Aderat ꝑter hunc Ezẽ begum, etiã alius quidam e procerib⁹, vir animosus & pugnax, quẽ Fazilẽ begũ vocabant. Igitur hi duo, Suleimane vicissim cõpellato: Siquidẽ ita tibi visum fuerit, inquiunt, ac si ꝑ te licebit, nos duo periculũ faciemus, an fretũ hoc loco nutu diuino transmitti possit. Ad ea Suleimã Bassa respõdens: Vbi vero commode vos transituros putatis? ait. Heic locus est in vicinia quidã, inquiũt, traiectũ facilis. Quapropter eis Suleimã tentandę rei potestatem fecit. Illi subito discedẽtes, locũ reperere, cui nomẽ Viranzuco: vbi castellũ quoddã est destructum, & ad solitudinẽ redactum, ad Hellesponti litus Asiaticũ, infra *Iugorginũ; e regione arcis Zembenici, q̃ sita trans fretum est in Europa. Veratianus interpres Cimenlik-hisar nominat, & herbæ castellum exponit. Itaq; quũ hi duo trabes & ligna colligassent, ratem confecere; supra quam stantes, in regionem arcis Zembenici noctu traiecerunt; & in litus egressi, quemdã inter vineas eiusdẽ arcis inuenerunt, hominem Græcum, quẽ correptũ rati suæ imposuerunt, rursumque freto superato, ad Suleimanem

† Pandect. cap. 13. fine.

* al. Iugorginlik. Item Iurgin.

bassam adtulerunt. Huic Christiano Suleiman vestem iniici iussit honorariam, aliisq; muneribus cultum, benigne habuit; & interrogauit, an aliqua reperiri via posset, qua Christianis imprudentibus, in hoc eorum opidum perueniretur. Respondit ille, se ducem itineris huius ipsis futurum, vt prius arce potirentur, quam quisquam eorum institutum animaduerteret. Mox igitur & aliæ paratæ fuerunt rates, inuicemque colligatæ; quibus Suleiman selectos, plus minus, LXXX milites imposuit, iis præditos animis, vt sicubi res & vsus ita posceret, nec terga dare vellent, & commilitonibus ad extremum vsque spiritum in prœliis adessent. Quamobrem constitere Turci cum duce suo in hisce colligatis inuicem ratibus, & noctu fretum Hellesponticum transmiserunt. Hinc Christianus ille Græcus, quem secum vehebāt, recta quemdam ad locum eos deduxit, vbi sterculinium opidanorum erat, quo iumentorum pecudumque fimus congeri solebat. Mox ergo Suleiman hoc sterculinio, quod in cumulum sane quam altum excreuerat, cum militibus suis conscenso, non difficulter in arcem euasit. Erat tunc messis tempus, quo maior incolarum castelli pars sub dio totas noctes in vineis, & trituratione demessarum segetū exigebat, quod calidioribus illis in regionibus fieri plerumque solet. Eo facilius redacta fuit a Turcis hæc arx in potestatem, qui tamē nullis incolas adficiebant iniuriis, sed in eos se quam humaniter gerebant. Nihilo minus si qui nobiliores in his Christianis reperirentur, in portum castelli deducebantur, vbi nauium numerus aliquis erat, in quas trans fretum vehendi coniiciebantur. Vicissim ab Asiatico litore Turcici milites his ipsis nauigiis in Europam transportabantur, quorum illo die traiectorum numerus ad CC excreuit, præter illos LXXX primos, quos diximus. Ezes autē begus aliquot e castelli portu naues, & quos ibidem reperit equos, secū sumsit; ac propter ipsum maris litus in agrum † Bolairensem perrexit. In ea regione Bolairensi portus quidam est, cui nomen Acce-Liman, hoc est, portus albus. Græci Aspro-limona recenti lingua vocabant. Hoc in portu nauigiorum non exiguus erat numerus, quæ huc profecti cum Eze bego Turci flammis iniectis exusserunt, ne traiectionem suorum ex Asia militum impedirent, ac deinde Zembenicum reuersi sunt. Quas autē in litore Zembenicensi repererant naues, sibi seruarunt; & nulla temporis interposita mora, Turcos suos ex Asia continuatis vicibus ad eum transuexere numerum; vt iam maiores duobus millibus illorum essent copiæ. Nullis Christianos hi Turci milites molestiis adficiebant, sed benigne tractabant. Christiani vicissim, qui satis haberi se commode viderent, nec vllam Turcorum insolentiam experirentur aduersus coniuges, liberos, familias suas; omni metu valere iusso, strenuos illos amare milites ceperunt. Secundum hæc Turci quoddam aliud ad castellū cum copiis profecti sunt, quod diuersis nominib⁹ adpellatur in eorum historiis; vel Aios-iuni, (quod Hagios Ioanis, id est sanctus Ioannes fuerit) vel Aia-sleuine, (quod Hagia Helene) vel Ala-solonia, (forte Aia-Solonia, quadam a sancta) sicut in exemplari Hanualdano scriptum legitur. Hoc quoque castrum ab eis captum fuit, adeoq; iam castella duo Europææ Græciæ Turcorum in manibus erant, quæ quidem illi firmis & idoneis muniuere præsidiis. Simul id temporis ex Aidinzico (trās fretum sita videtur intelligi Abydo finitima regio, quod opidum supra diximus a Turcis Aidos adpellari) magnæ Turcorum in Græciam sic trāsuolauere copiæ; totus vt ager Europæus ille Turcorum vocibus vsitatis, Alla egbir, (hoc est, Deus vnus est) personaret. Itaque præcepit Suleiman, vt opidi a suis capti ciues & incolas Christianos, cum familiis, in Carasinā regionē sui trans fretum deportarent, ne quid noui molirentur; & ex aduerso Turci iuuenes Anatolici, vel Asiatici, sponte sua traiicere fretum citra intermissionem, vt in Europam se conferrent, minime dubitabant. Tamdem ciues & præsidiarij Gelibolenses, (Calliopolitanos accipe) non aspernando militum agmine collecto, Turcos hos impressione non exspectata conati sunt obruere. Sed exploratis horū consiliis & instituto, ꝓfecti sunt eis obuiam Musulmani milites, acerrimumq; cum Christianorū copiis hisce prœlium conserue-

† Pandect. cap.25.

seruerunt, quo Gauri profligati & cæsi fuere. Victus Calliopoleos Teggiur, in vrbem fuga se recepit; cuius portæ mox hostis metu fuere clausæ. Suleiman vero bassa Fazilem Gasim, & Iacupen Ezem begum, non exigua cum militum manu Calliopolim obsidere, præclusis in eam viis & itineribus vniuersis, iussit. Ab his nulla Gauris interdiu noctuue concessa quies, nulli permissum ex opido prodire, portus adeũdi gratia, quem scalam dicunt. Reliqui etiam Turci per Bolairis sparsi regionem, aditus omnes Calliopolim ducentes perpetuis obsedere custodiis. Hæc tam feliciter a Turcis gesta fuerunt anno Muhametano ꟾↃ CC LVIII.

Posteaquam hoc modo Suleiman bassa freto superato, quod indicauimus, in Europam, Rum-ili dictam a Turcis, quo vocabulo Romaniæ regio denotat, peruenisset; easque res, quas exposuimus, prosperrime gessisset: nuntiatum misit Vrchani patri, factum ab se quoddã initium occupandæ Romaniæ Europææ, Gaurosque ceptos debellari. Sed omnino patri significandum duxisse, non exiguo sibi militũ opus esse numero, quos in captarum regionum arces, castella, ciuitates, præsidij causa distribueret. Id eoque se patrem orare, quamprimum vt idoneos huic instituto suo milites ad se transmitti iuberet. Magnæ voluptati fuit hic Vrchani nuntius. Quumq; hoc ipso tempore cõplures familiæ Saracenorum Nomadum in regionem Carasinam se contulissent, vt eorũ loca, qui spe fortunarum maiorum in Europã se contulerant, occuparent; hos ipsos inde migrare iussos, trans fretum in Græciã misit: vbi tempus ad aliquod, in Calliopolitanis finibus consederunt. Secundũ hęc progressus est Suleiman bassa lõgius, ad illum vsq; montem, qui Turcis Teggiur Dagi solet adpellari, voce significante saltũ siluamue teggiuris aut reguli: quasque reperit in iis locis arces, partim benignis verbis, partim vi admota in potestatem redegit, prolatis recens occupatæ ditionis Europææ finibus ad arcem, quam Iuglucam vocant. Inde versus agrum Chairebolensem, qui opidi †Chariopoleos est, abductis copiis; semper ad vlteriora Turci pergebant. Itidem & ab altera parte numquam desinebant Carasinæ regionis incolæ, singulis diebus aliquos e suis in Europam transmittere: qui quidem eo delati, sedes ac domicilia sibi, velut in noua patria quadam constituebant; ac defendendæ regionis adquisitæ causa, nullos militiæ labores obire recusabant. Simul & his, & ceteris Musulmanis, qui cum Suleimane in Europam adpulerant, omnia prospere cedebant, quocumque tamdem se contulissent; & ex aduerso tam formidolosi ceperunt esse Gauri, non amplius vt eis auderent occurrere. Ceterum sita quædam arx est in iis regionibus, cui nomen Conger-hisar. Ei Teggiur Calaconia præerat, quod e Græco Caloioane vocabulum a barbaris corruptum videtur, significãte Ioannem probum vel bonum. Militaris in hoc viro virtus elucebat, qui semper ab eo tempore, quo Turci traiecto freto pedem in Europam intulerant, numquam (vt ipsi loqui solent) ex equi dorso descenderat. Itaque quum in eius vicinia Calliopolim Iacupes Ezes begus obsideret, interdum excurrens cum suis Calaconia, magnas obsidentibus turbas dabat, & plerosque rerum suarum securos, necopinantes opprimebat, captosque secum abducebat. Tamdem moleste ferens hanc hominis insolentiam Suleiman Bassa, martalosos quosdam insigniter vafros & idoneos, speculatum misit, & exploratum; quonam ille tempore sua proditurus esset ex arce, Turcosque Calliopolim obsidentes inuasurus: vt insidias ei strueret, ac per illos, quos diximus, Calliopoleos obsessores vel alios imprudentem caperet. Itaque post aliquod tempus nuntiatum Suleimani per martalosos fuit, ex arce sua Calaconiam egressum. Statim militibus ille suis imperauit, Calaconiæ castrum circumfusis vndique copiis occluderent; vt in arcem reuersurus, eorum in manus incideret. Aliis etiam diuersis in locis Turcos abdidit, nequa posset elabi. Quo factum, vt in hoc excursu Calaconia, Turco quodam capto, & secum abducto, suam ad arcem properaret, vt istic ab hoste persequente tutus esset. Tum vero Fazil Gasis fugientem a tergo premens, ea celeritate versus arcem illius ingrediundæ causa, recipere se compulit; vt locatarum

ignarus insidiarum, Turcicos in milites incideret, qui Calaconiam cepere viuum, ceteros eius comites ad vnum interfecerunt omnes. Inde captiuum ad arcem adduxere regulum. Is vero ſane quam imprudenter per abſentiam ſuam neminem iſtic reliquerat, qui vices eius, ſiquidem aliquid humanitus accidiſſet ipſi, gereret. Itaq; caput ei mox amputatum fuit, & arcis incolæ, qui ducē nullum haberent, cuius auſpiciis ab hoſte ſe defenderent, pacem poſtularunt, & in arcem deditā Suleimanem cum ſuis admiſerunt. De præda, quam in arce Turci repererunt, partem aliquam ſelectam Sultano reſeruarunt; reliquam duces inter milites partiti ſunt. Arci vir fortis Il-begus, cognomento Chazis, (ea vox peregrinatorem denotat, qui religionis cauſa ſepulcrū Meccanum Muhametis adit) præeſſe iuſſus fuit.

Referunt quidam, teggiurem Calliopolitanum, poſteaquam vidiſſet omnia loca circum Calliopolim a Turcis occupata, ſuam quoq; ciuitatem eis dedidiſſe. Sunt alij non pauci, qui tradunt ante, quam Calliopolis in poteſtatem veniret, Suleimanem e viuis exceſſiſſe. Planiciem vero, vel campum * Eze-ouam, adhuc illo ſuperſtite Turcici iuris effectum. Adeoque conſtat, intra vertentis anni ſpatium a Turcis illa capta fuiſſe loca. Quamobrem viuus adhuc Bolairenſem regionem Iacupi Ezi bego timarij loco poſſidendam conceſſit, etiam Fazili Gaſi timario quodam illic donato; qui loco dictæ planiciei finitimo conditus iacet, velut ex eius monumento colligitur, quod omnibus notum eſt. Ibidem & Iacupis Ezis begi monumētum reperitur.

* Pandect. cap. 25.

Arce Congere Chazi Ili Bego tradita, cum hoc forti viro bellicoſus etiam Eurenoſes ille ſe coniunxit; a quo ſingulari cum gloria geſtæ res, admodum Turcis decantatæ ſunt. Hi duo præcipue relicti fuerunt illic, vt agrum Dimetocanum, reliqua cum vicinia, prædis agendis infeſtarent. Quod quidem ab eis egregie præſtitum, tantoq; ſecurius; quod in arcē Congerinam, quoties excurrerēt, facili momēto ſe recipere poterant. Eodem modo Suleiman quoq; baſſa, Chairebolenſium & Zorliorū direptis agris, Calliopolim reuertebatur.

Accidit autē aliquando, vt inter Bolairem, & arborem quamdā, vulgo tunc notam & celebrem, quæ a Murate Dragomano (huius enim hæc narratio eſt) Cauac Senedum adpellatur, (haud ſcio num eadem cum illa, quæ ab interprete Verantiano Cauac Tuzlaſi dicitur) aucupio Suleiman baſſa ſemet oblectaret, & anſeri falconem vel accipitrē immitteret. Quumque huic aucupio intentus, equum ad celerem curſum impelleret: forte delatus in foueam cecidit equus, herumq; ſecum ad terram prolapſum grauiter adflixit. Is caſus Suleimani vitæ finem adtulit. Et acciderunt hæc anno Muhametis extincti ɪↃ CC LX. Chr. 1359 Volunt plerique ſcriptores hiſtoriæ, patrem eius Vrchanem eodē etiam tempore mortuum. Sed ipſi Turci veriorem adſerunt illorum eſſe ſententiam, qui Suleimanem baſſam duobus ante patrem menſibus obiiſſe tradiderunt.

Et hactenus quidem a primo Turcorum in Europam traiectu geſta, libro debētur Haniualdano. Iam & illa veniunt exponenda, quæ hoc loco ſolus interpres Verantianus nobis dedit; tametſi fabellæ quædam eis Turcicæ ſint admiſtæ, cuiuſmodi ne quidem a noſtris hiſtoriis eccleſiaſticis abſunt. Familiares Suleimanis, ait, hero ſuo rebus humanis exempto, de morte ipſius Vrchanem reddidere certiorem. Is magnum ex eo nuntio dolorem cepit, & æger ipſe, grauiter obitum filij, planeque acerbe luxit. Relatum hoc etiam a nonnullis in litteras, Suleimanē e lapſu decumbentem, in præſentia virorum militarium, quos ſecum habebat, teſtamētum condidiſſe; quo inter cetera capita ſupremæ voluntatis, hoc etiam expreſſerit: Equidem, inquiens, breui moriar; meq; ſepeliri a vobis in * Bolaierde volo. Quod ſi hoſtes venire contra vos acceperitis, cauete ne res veſtras infami fuga præcipitetis; ſed diuino nixi præſidio ſtate, re ipſa præſentis opem numinis experturi. Deinde volo vos, inquit, omnibus viribus hoc etiam prohibere, ne Chriſtiani reliquias meas auferant. Hoc elogium voluntatis vltimæ Suleimani tribuunt, quem vbi mortuum accepiſſent vicini Chriſtiani, magnopere gauiſi fuerunt; & ingentibus collectis copiis, inſtructaque claſſe, profecti ſunt aduerſus Turcos, vt

* Pandect. cap. 28. ſub finem.

cos, vt ab iis occupata cis fretum Europæ loca recuperarent. Dum hæc illi moliuntur, forte Turci die quodam in Bolaierde (Bolairem intelligi nemo non videt) ab eo loco, qui Cauac Tuzlasi nominabatur, hoc est tilia propter Salinam posita, multas naues adpellere conspiciunt, & qui erant in eis milites, ad terram expositos recta versus Bolaierden pergere. Tum vero strenui Turcorum milites signis explicatis aciem suam struunt, in agmina certa distributam, & occursandum Christianis illis statuunt. Erant autem numerosæ Christianorum hæ copiæ, Turcorum exiguæ: qui licet interitu Suleimanis etiam non parum essent exanimati, tamen suo se numini cõmendabant, iactaque (ceu dici solet) alea, satisfaciundum extremæ voluntati Suleimanis aiebant. Hoc modo se comparãtes ad excipiendam vim hostilem, in altum quemdam collem adscendunt; Suleimanis loculo sub muro quodam defosso, cui lapidum quasi montem superingerunt, eo consilio, ne signum aliquod exstaret, de quo victoria forte potiti Christiani sepulturæ locum inuenire, vel adgnoscere possent, extinctumque Suleimanem ignominia quadam adficere. Copias interim Christiani suas in aciem explicant, & a mari progredi nõnihil incipiunt. Turci ex aduerso, minime se loco mouent, militariq; more sua lingua nomen diuinum, Alla Alla Allahu, ter inclamant. Dum vero diligenter acies hostiles intuentur, quæ Turcis quiescentibus, ad ipsos recta tendebant; subito vident in exercitu Christiano confusionem quamdam oriri, totamque sic perturbari aciem; vt animis omnium inopinato pauore territis, ad naues quilibet concitatissima fuga se reciperet. Ignorabant Musulmani causam perturbationis huius cladis in exercitu Christiano. Quapropter aliquantulum suspensis animis hærent, tamdemque fuga Christianorum animati, pleno cursu trepidos inuadunt, spoliis & opima præda potiuntur, & in Bolaierden egregie collocupletati redeunt. Ibi quum subsisterent, non sine stupore quærebat alter ex altero, ecquis tamdem illa clade Christianos adfecisset. Simul numini suo gratias agere non desinebant.

[Ca]uac tuz[la]si. [T]ilia salinæ.

Quidam rerum Turcicarum scriptores memoriæ produnt, intellectum fuisse tamdem ex illis Christianis, qui fugæ beneficio salui euaserant; Christianos a mari longiuscule digressos, conspexisse subito turmam quamdam militum, qui candidis equis scutulatis veherentur. Quum hos aduersos in se tendere viderent, & corporis & animi vires in eis defecisse; tantamque vim fuisse formidinis huius, vt tremulæ manus tractandis armis idoneæ non essent. Interim equites illos strictis acinacibus inuasisse Christianos, & in frusta dissecuisse. Creditum vero, beatorum has fuisse copias, qui passim obambulant inadspectabiles, & a Turcis Gaib-erenleri nominantur. Hos aiunt Islamorum (id est concordium Musulmanorum) religioni diuinitus esse datos & concessos, vt ei præsidio sint, & Imaniæ siue legis Muhametanæ doctrina instructos adiuuent. Secundum hæc miserunt hi militares in Turcorum exercitu viri quosdam e suis ad Vrchanem Gasim, Burusæ degentem, qui rem omnem ei, quemadmodum gesta fuisset, ordine nuntiarent: adpulisse scilicet insignem mari classem, cum numeroso Christianorum exercitu, qui mox in terram exscenderint; quumque Turcicas inuasuri copias essent, internecione deletos fuisse, Turcis interim prorsus auctorem stragis ignorantibus, nisi quod hostem fugientem conspicerent. Tamdem e nonnullis, qui fuga periculo semet eripuerant, cognitum; visam Christianis fuisse turmam equitum, scutulatis equis insidentium, qui eorum in acie cædem illam edidissent. Hæc & alia, quæcumq; sua sponte confessos hostes ipsosmet acceperant, Vrchani renuntiarunt. Quamuis vero mors filij Suleimanis incredibilem patri dolorem & luctum adtulisset, qui flebiles ei querelas cum lamentis exprimebat: tamen hac Christianorum strage cognita, citra intermissionem numini gratias egit. Atque ita plerique volunt, illo ipso mortui Suleimanis anno, patrem quoque viuendi finem fecisse; sed Vrchanem duobus post obitum filij mensibus res humanas reliquisse. Mortis annus ab aliis fuisse traditur Muhametis a migratione ɪↄ CC LIX. Sed adsentior equidem Murati Drago-

mano, qui annum posuit IↃ CC LX, respondentem Christiano CIↃ. CCC. LIX. sicut indicatum superius.

Vrchan Gasis imareta duo, siue duos xenones, cum templis totidem maximis, exstrui sumtu plane regio curauit: vnum Burusæ, alterum Nicææ, quam Isnicam dicunt. Condidit etiam Burusæ Medressen siue gymnasiũ litterarium, (collegium vulgo nunc adpellant) ad vsum tam doctorum Muhametanæ legis, quam discipulorum; quibus illic annonas de publico constituit. Religiosos etiam, quibuscumque tamdem locis illi degerent, summopere tũ diligebat, tum obseruabat: eisque Zauias siue cellas, & idoneas studiis religiosorum domunculas ædificabat, in quibus exercitia suæ professionis, cum necessariis alimentis, haberent; id quod antea quoque tactum, in mentione monumenti, quod Geicli Babæ, sancto id temporis apud Turcos habito viro, curauit exstrui. Salarium præterea dari iussit iis, qui legis Muhameticę librum in templis memoria repetere, recitare, legere nossent. Eodem modo iudicibus etiam ordinauit annonas, vt a nemine quidquam exigerent. Ad summam, potiente rerum Vrchane magnas tam docti viri, quam pauperes, diuitias adepti sunt: nec quisquam repertus fuisse scribitur, qui debitam pauperibus eleemosynam, Zekiat ipsorum lingua dictam a purgando, denegauerit. Venit ad Vrchanem, id temporis adhuc superstitem, eruditus in lege vir, cui nomen erat Sinan Hozza. Vox altera presbyterum siue seniorem significat. Is tantos ab Vrchane thesauros & opes consecutus est, vt tamdem nomine Sinanis Bassæ notissimus & celeberrimus euaserit. Vixit etiam Vrchanis tempore Tazzedin Kiurdus, iuris Muhametici doctor insignis. Regnum Vrchan XXXIIII annis administrauit, comprehensis inter hos annis vno & altero, quibus adhuc superstite patre, sed ægro, sicut ostensum in fine libri superioris proximi, de consensu ipsius & voluntate, rebus militiæ domique præfuit. Nam alioqui post obitum patris clauum reipublicæ XXXII annis tantummodo tenuit, quod † alibi notatum. Ætatis annum LXXX agebat, quum res humanas, spiritu Phœnicis instar ad cælestia conuolante, (Muratis hæc Dragomani verba sunt) relinqueret.

† Pandect. cap. 47.

IO.



IO. LEVNCLAVII

HISTORIAE MVSVLMANAE TVRCORVM LIBER QVINTVS.

MVRATAEVS. III.



XSTINCTO patre, filius alter eodem anno Muhametano ↄↄ CC LX Murates C.1359. Chan Gasis, hoc est heros, interprete Laonico, siue bellicosus, Padischachus factus est cærimonia rituque nouo, (nec enim hactenus vllam eius in hac historia mentionem reperimus) quo collocatus a suis in regiam sedem fuit, Tachtum a Turcis adpellatam. Non tamen expresse tradunt, hoc vocabulo thronum sedemue regiam denotari. Nihilominus aliqua sedes, pro more gentis, sessioni destinata principum, intelligitur. Deinde Burusam profectus, ibidem substitit; & copias e Carasina regione, reliquoque regno suo, non exiguas collegit. Obtinebat id temporis Buruſę iudicis munus siue Cadilicatum quidam, cui nomen erat Zinderlu-Chelil, functus eodem officio prius in opido Bilezuga, ciuitate Nicæna, & alibi; dictusque deinceps * Chairadin Bassa, quemadmodum ex sequentibus adparebit. Eum Murates ad se venire iussum, exercitus sui iudicem declarauit, quem Turci † Casi-askerem dicunt, siue iudicem maximum. Exercitu vero coacto, fretum Calliopolitanum traiicere, Græciamque decreuerat Europæam inuadere, quā Rum-ilin, & Vrum-ilin sua lingua dicunt; vt istic Gauris bellum inferret, & Musulmanorum imperium propagaret. Sed intellecto, reges Musulmanos in Asia, ditionibus Osmaneis vndiq; finitimos, de occupāda Burusa cogitare: iuris Muhametici peritissimos quosq; conuocari iussit, & in consilium adhibitis, huiusmodi quęstionem proposuit. Equidem, ait, hasce militum meorum copias in eum collegi finem, vt in hostes Dei Gauros, pro religione nostra, quam haud-dubie diuinam profitemur, pugnarem; & regiones ipsorum, quæ Dei sunt, imbutis vera persuasione Musulmanis subiicerem. Ea de causa trans fretum Calliopolim profecturus eram, vt sanctum hoc institutum meum vrgerem. Sed ecce, dum hæc molimur, iniusti reges illi, qui nobiscum eiusdem religionis vinculo coniuncti sunt, nos vere Musulmanos, & propagandi purioris cultus diuini cupidos, hostiliter adgredi conantur. Quid ergo consultum vobis videtur? in Gauros ne conuertendam belli molem omnem, legitima cognitione decernitis; an licitum existimatis, vt dilatis in illos prœliis, hostes interim bello persequamur intestinos? Responsum ab omnibus in eamdem sententiam: Peculiare Dei mandatum esse, quo præcipiatur; minime faciundum belli finem aduersus Gauros, donec radicitus exstirpati fuerint. In genere vero concessum hoc quoque diuinitus, vt illatas etiam a Musulmanis iniurias propulsare liceat. Hac eorum percepta sententia, bellum aduersus Gauros gerendum in aliud tempus reiecit; & versus Asiaticæ Romaniæ fines, ad arcem, quæ Selasil quondam, (Bithyniæ Selassis videtur intelligi) nunc Ancara nominatur, se cōtulit. Selasil Selas-ili. Ancarus in Bithynia non procul ab Helenopoli collocatur, a scriptoribus non admodum antiquis, vt illo ecclesiastico Socrate. Nec putem, heic Ancaram esse vel Ancyram, quæ Turcis est Anguri & Enguri; vel Gangram, quæ iisdem Kiengara. Remotiora namque loca sunt, quam vt iis vicina putari debeant, quorum heic paullo post mentio fit, vt Sultan-Vngi, vt aliorum. Si quis tamen Ancyram accipiet, non aduersabor. Et in locis aliquot sequentibus ea confirmari videtur opinio. Traditum

* Pandect. cap. 36.

† Pandect. cap. 29.

est, in ista regione tunc insignium aliquot latronũ coactas fuisse copias, quæ passim illic grassabantur. Ipsam id temporis Ancoram possidebant, qui Akhileri dicebantur, ab Akhi scilicet propagati vel filij, vel nepotes. Vbi iam propius ad hæc loca Murates Chan Gasis accessisset, prodierunt illi obuiam sponte sua, quos diximus, Akhileri; arcisque deditionem fecerunt. Opidi municipes, ingrediente Sultano Murate, pecunias in eum sparserunt; quibus legendis ac rapiendis mirifice Muratæi milites inhiabant. Indignatus ea de causa Murates, baculum fustemue sibi porrigi iussit; quo in manus sumto, cædere suos non desiit, & inclamare: Quid agitis infelices? Numquam a vobis pecunia visa est, vt sic in eam irruatis? Atque hoc modo Murates in ea regione, quidquid expeditionis initio peragendum sibi ꝓposuerat, perfecit. Inde Sultan-Vnginam ditionem adiit, ad obœdientiam omnia illa loca reduxit, perduelles in ordinem redegit, partaq; victoria Burusam reuersus est. Ac narrat Haniualdana historia, de qua hæc exscripsimus, anno secundo regni Muratis, nimirum Muhametano ꟾↄ CC LXII, res istas fuisse gestas.

a. 1361.

Musulmanis hisce domitis, ad expeditionem statim in ipso regni principio contra Gauros institutam, semet accinxit. Habebat in comitatu suo semper secum Lalam suum, hoc est gubernatorem, arbitrumque consiliorum & actionum suarum omnium. Murates tutorem interpretatur. Apud Græcos imperatores, tali qui munere fungebatur, Magnus Baiulus dici solebat; ab Italis vsu capta voce, qui Balios adpellant sua lingua nutricios. Meminere Cedrinus, Curopalates de officiis, & alij. Ceteroqui nomen ei proprium Schahin erat, quo falco vel accipiter significatur. Tã Murates, quam Verantianus interpres, Sahinem scribunt, vt Laonicus Sainem. Sed Turcis Schahin, more nostro, id est Germanico, pronuntiatur. Et fungebatur idem hic Schahin apud Muratem officio Veziris siue consiliarij. Hoc secum sumto, trans fretum Calliopolim profectus est. Inde versus arcem contendit, quam Turci nomen Benutos habuisse scribunt. Opidani reiecto consilio defensionis, vltro deditionem fecerunt. Eos Murates libere bonis ac facultatibus suis vti frui permisit. Hinc ad opidum progressi sunt, quod prisci Tzurulum dicebant, Turci iam sua lingua vel Tzorli, vel Tzurli Chisar adpellant, vocabulo significante castellum distortum.

ὁ μέγας βάϊουλος Græcorum in aula.

Qui erant in opido Gauri, cum Turcis congressi, acerrimum pugnauere prœlium; neutram in partem inclinante victoria, donec tamdem læsis ictu sagittæ Teggiuris oculis, opidanorum animi de ardore illo priori non parum remitterent. Itaque cohortati se mutuo Turci milites, opidum summa vi oppugnatum iere denuo; captumque diripuerunt, opimis potiti spoliis, & destruxerunt. Postea Misinem petiere, quod opidum Thraciæ mediterraneæ prisci μισήνην adpellauerunt. Eius Teggiur siue regulus obuiam Sultano Murati sponte sua prodiit, adlatis secum honoris causa muneribus amplissimis, quæ suos in milites ille distribuit. Hinc itum ad arcem, quæ Murati Dragomano & aliis Burgos, interpreti Verantiano Bergas dicitur. Idem significare turrim notat, vnde paret, ex Græca voce veteri πύργος, originem habere Burgos. Gauri Burgenses, opido suo deserto, fugerunt; ideoque Turci vacuum ceperunt, flammis iniectis concremarunt, & æquatum terræ destruxerunt.

Ab altera regionis huius parte duo strenui duces, Hazzis Il begus & Eurenoses, sitã ad amnis Meritzæ ripam turrim siue castellum exiguum ceperunt, quod hodieque notissimum, Hazzis Ilis begi burgos adpellari solet. Hoc castello in potestatem redacto, ceperunt indicati duo viri militares istic interdiu se continere: quumque nox adpetiisset, excursionibus vndique factis, Christianos ei⁹ regionis ad matutinum vsque tempus perpetuis molestiis adficiebant, nec ad quiescẽdum quidquam eis concedebant otij; quum eodem, quidquid etiam prædæ nancti fuissent, conueherent. Non multo post collegit Didymotichi teggiur (Dimetocam Turci nominant) aliquam suorum manum,

num, vt imprudentē Chazzim Ilim begū interciperet, ne sibi suisq; damnum amplius inferret. Chazis autem Il begus his eius insidiis exploratorum opera cognitis, improuiso quodam excursu teggiurem oppressit, & viuum in potestatem redactum ad Dimetocæ mœnia stitit, vt a suis conspiceretur. Opidani aduersa reguli sui fortuna territi, certis legibus cum Turcis transegere; deditione promissa, si Teggiurem libertati restitutum, suis cum liberis ac domesticis, facultatib⁹ etiam saluis, abire suo permitterent arbitratu, quocumq; vellet. Hac condicione vtrimque probata, mox etiam sequuta fuit opidi deditio; migrantibus incolis in alia loca, secumque teggiurem suum, plena libertate potitum, abducentibus. Hoc modo in potestate Chazis Ilis begi Dimetoca mansit. Eurenoses autem begus opidum Kessen, vt Murati Dragomano scribitur; aut Gissen, vt interpreti Verantiano, (Thraciæ
† Pandect. cap. 30. vero † Kissus intelligitur) imperio Mu-
* Pandect. cap. 31. ratis adiunxit. Hinc * Ipsalam obsidere cepit, & oppugnare. Murates Burgo suis cum copiis discedens, ad opidum
† Pandect. cap. 28. † Eski-babam accessit, quod habitatoribus vacuum reperit. Itaque nemine resistente, captum a Turcis fuit, ac dirutum. Horum autem opidorum incolæ fugitiui Andrinopolim, quæ priscis erat Hadrianopolis, se contulerunt. Quapropter ad animum Murati accidit, mittendum eo cum aliqua militum manu Schahinem Lalam, vezirem su-
† Pandect. cap. 14. um, ac † beglerbegum, siue supremum castrorum præfectum. Paruit ille mandato Muratis, quumque propius ad vrbem accessisset, occurrerunt ei maximo cum exercitu Christiani, qui ex vrbe prodierant; quo factum, vt acerrimo inter se prœlio congrederentur. Eo prœlio cæsis plurimis, victi tamdem Christiani fuga semet in vrbem receperunt. Lala Schahin victoriæ nuntium, cum aliquo capitum numero, quæ resecta fuerant ab illorum ceruicibus, qui perierant in acie, misit. Hoc signo conspecto, præcessere Muratem Chazis Il begus, & Eurenoses begus; eique duces itineris fuere, quo Hadrianopolim recta contenderet. Id temporis Meritza flumen velut aquarum diluuio quodam excreuerat, ideoque regulus vrbis in nauiculam se quamdam noctu con-
iecit, * Inumque profugit. Ciues pri- * Pandect. cap. 32.
ma luce Teggiuris fuga cognita, portas vrbis aperuerunt; factaq; deditione spontanea, Muratem introduxerunt. Occupata fuit vrbs anno Muhametano
IↃCC LXIII. Chr. 1362.

Et hactenus quidem initia regni Murataei, captasque Thracum primarias ciuitates ita recensuimus; vt hasce res fuisse gestas, in historia tam Haniualdana, quam Verantiana, cōmemoratur. Non semel vero iam ante diximus, historiæ Verantianæ commētarium quemdam adiunctum esse, qui varios astus, & exempla perfidiæ insignis contineat; quibus imperium Osmanicum a principio magnum illud ad culmen excrescere ceperit. Is liber ab interprete Græco, Turcorum e lingua redditus fuit; & ab expositis heic diuersa quædam refert, omnino lectori, rerum Musulmanarum studioso, communicanda. Mortuo, inquit, Vrchani Murates Chan filius successit, qui & ipse finitimis cum regulis initam pacem denuo confirmauit. Sed interim cogitare cepit, quanam via redigere Dimetocam opidum suam in potestatem posset. Quum diu nulla se rei commode perficiundæ offerret occasio, tamdem casu accidit, vt Dimetocanus regulus, muniendi sui suorumque causa, ciuitatis suæ muros sibi renouandos statueret; ideoque fabros & operarios vndique, præmiis propositis inuitatos, arcesseret. Murates hoc eius instituto cognito, confestim ducentos ex Anatolia Turcos fabros & mercenarios venire iussit; eisque præcepit, vt in Europa suam Christianis offerrent operam, si qui hac vti cuperent. Quum Dimetocano significatus horū aduentus esset, misit e suis, qui diceret; eorum se perlubenter vsurum opera, nec illiberaliter mercedem soluturum, si laboratum ad se, mœnium opidi sui reficiundorum causa, venire vellent. Placuit Turcis hæc consequendi mercedem & lucellum aliquod occasio, qua quidem arrepta cupide, Dimetocam se contulerunt. Non deerant præcipuæ viri auctoritatis inter Dimetocanos, qui regulum suum prudenter monerent, ab hisce Turcis vt sibi caueret, nec eis temere fideret. Ad quæ ille respondens:

Mercenarij sunt, ait, & cur nobis ab eis metuamus? Præterea pacem cum Sultano Murate colimus, ideoque nec ille nobis est formidandus. Hoc modo passus est eos sibi mercenarias nauare operas. Erat Murati quidã familiaris admodum, cuius fidei pleraq; sua credere solebat. Ei nomen erat, Chazis Il begus. Hoc ad se venire iusso: En Turci nostri mercenarias, inquit, regulo Dimetocano locant operas. Ecqua posset hinc captari occasio redigendæ in potestatem Dimetocæ? Non videre se, respondit Chazis Il begus, quonam id modo fieri posset. Ego rationẽ aliquam perficiundæ rei video, subiecit Murates, modo tua vti ad eam possimus industria. Mihi vero certum est, ait Il begus, vel vitæ tua causa periculũ adire. Murates hac eius volũtate perspecta; Nostrorum, inquit, ducentos in opido Dimetoca, plus minus, habemus. Restat, vt tu quoq; cum XXX sociis vestem mutes, eoq; te conferas; vt ecquid geri cõmode possit ex vsu nostro, videas. Recte vero, subiecit Il begus. Cras equidẽ summo mane vestem mutabo, & cum indicato nostrorum numero Dimetocã ibo; periculum facturus, an aliquid moliri possim, quo nostri iuris opidum illud efficiã. Posteaquam eo cum XXX comitibus venisset, reguloq; suam obtulisset operam; conductus ab eo fuit, & cum aliis laborare iussus. Itaq; cum suis ad operas obeundas semet accingit, sursum deorsum terram, calcem, cetera structuræ necessaria portat. Dumq; diligenter hinc inde circumspicit omnia, commodum videt in porta quadã gladiorum aliquem numerum, cum aliis armis, cuius ad portæ custodiam viri sex aderant. Adspiciebat hæc e longinquo, dum transiret, ac plane dissimulanter; suis se fingens intentum operis. Quum aduesperasceret, exeunt opido, pro more, mercenarij Turci; qđ quidẽ fieri voluit opidi regulus, ne Turci, nocturna se quiete reficientibus incolis, secreto quid in perniciẽ ipsorum machinarẽtur. Tum vero mox in viam se dedit Il begus, aditoque Murati rem narrauit omnẽ de armis illis, quæ certo loco posita conspexisset. Quid ergo requiris amplius? ait Murates. Reuertere Dimetocam, tuisq; cum sociis, ac mercenariis illis Turcis, rem omnẽ componito; quæ quidem hac via facillime vobis succedet, si litẽ & rixas inter vos ortas simulaueritis, eaque de causa celeriter ad ea, quę refers, arma concurreritis. Tũ vero mox iis arreptis, sex illos viros, armorũ & portæ custodes, occidite. Sed eius inprimis habẽda ratio, rixas vt illas inter vos id tẽporis dumtaxat moueatis, quo prandere Christianos certo sciueritis: omniq; contentione viriũ enitimini, vt istæc arma, cum eadẽ opidi porta, vestrã in potestatẽ redigatis. Quippe subsidia vobis equidẽ mature summittam, quæ vobis opẽ ferant. Redit ergo Dimetocã sine mora Chazis Il begus, totumq; negotium suis cũ sociis, & mercenariis Turcis, communicat. Placuit vniuersis tam ingeniose composita fraus, dolusq; vaferrimus. Itaq; non multo post, ipso prandij tempore, data opera inter se rixari occipiunt, & eo quidem feruore, de verbis vt tamdem ad verbera venirent. Simul ad indicatam superius portam pleno cursu contendunt, arma reperta corripiunt, cõstitutos ibidem custodes interficiunt, locum occupant, ipsam mox portam aperiunt, e mercenariorum numero quemdam mittunt, qui summa festinatione Turcis, in insidias vicino quodam loco iussu Muratis abditis, rem omnem nuntiaret, eosque cursum iuberet accelerare. Pergunt illi subito, re intellecta, versus opidum; & suis adiuncti, vi perrumpunt in ciuitatem: qua mox occupata, ciues in ea primarios trucidant. Inde certior redditus Murates, quo pacto Dimetoca Turcorum in potestatem venisset. Simulabat ille morbum id temporis, statimque præcipiebat, vt Eurenoses begus centum scalas fieri curaret, ac sine mora prius, quam captæ Dimetocæ fama latius dideretur, * Rhodosti muros (Rhædestum dixere veteres) oppugnatũ iret. Gratum erat hoc Eurenosi negotium, qui subito plures, quam centum, scalas confici iussit; iisque secum sumtis, itinere nocturno Rhodostum venit, scalas muris admouit, opidum tanto cum silentio cepit; vt opidani plane nihil eorum, quæ gererentur, animaduerterent; nec arma expedire ad sui defensionem possent, quod eos aduentu suo Turci nihil tale cogitãtes oppressissent. Posteaquam Christiani comperissent,

* Pandect. cap. 26.

has

has a Turcis in potestatem redactas ciuitates; legatos ad Muratem miserunt, de violatis nequiter induciis expostulatum, opidaque nullo iure capta repetitum. Ad ea respondens Murates: Videtis, inquit, ex morbo me decumbere, nec ab illis meis hominibus metui; qui pro libidine sua, quod volunt, agunt. Sed enim mihi rem omnem permittite, pro suis eos castigaturo meritis. Rectissime feceris, aiunt Christiani, siquidē has ab eis pœnas exegeris, & ipsa restitueris opida. Tum vero Murates: At quibus ea me restituere vultis, quum reguli non amplius superstites sint? Heredibus eorum, subiecere Christiani, ablata redduntor. Atqui, respōdit Murates, inter nos aliqui reperiūtur, qui horū heredes esse possunt. Hoc modo quū neutra parte cedente, negotium hoc minime componi transigiq; posset; exortum fuit acre bellum, in quo iam Turci, iam Christiani victoria potiebantur. Interim quatuor Osmanei castella singulari vafricie, blandisque verbis in potestatem redegerunt; ac tantisper stetere promissis, donec incolæ deditionem fecissent. Postea vero, quam hoc impetrassent, insigni eos crudelitate adgrediebātur, & omnes e medio tollebant. Hoc bello tamdem sopito, pacem Osmanei cum Cristianis, vrbes sequētes, Hadrianopolim, Selybriam, & Constantinopolim incolentibus, fecerūt. Nihilominus his solis Murates cogitationib⁹ occupabatur, quanā via, quoue astu mittere sub iugū suum Hadrianopolim posset. Accidit ei deniq; ad animū, non alio modo se facilius id obtenturum, quā si fuga simulata Chazis Il begus Hadrianopolim se reciperet. Intellecto Muratis cōsilio, paruit ei Chazis Il begus; & Hadrianopolim ꝑfugiens, acerrimū se Muratis hostem professus est. Simul indies ex vrbe ꝓdibat, vt infestis excursionibus Murati negotiū facesseret. Quod quū regulus Hadrianopolitanus ab eo fieri videret, magnū ei honorē exhibebat, & libertatē agendi pleraq; arbitratu suo concedebat. Murates ēt, quo magis Hadrianopolitanos circūuenire posset, cottidie quosdā e suis subornabat, q. velut a Murate non ꝓ meritis suis habiti, e castris in vrbē ꝓfugerent. Horū numerus breui excreuit ad ducentos, qui tantos sibi denique sumserūt animos, vt vrbē ab se capi posse, nequaquā dubitarēt. Itaq; manu sua scriptas Chazis Il begus litteras ad Sultanum Muratem misit, quib. in litteris petebat, vt ei Murates animi sui sentētiam aperiret, ān in potestatē redigi Hadrianopolim vellet. Murates ei vicissim ꝑ litteras respōdit, illa nocte (certā vero quādam cōstituebat) omnes suas exsequēdę rei vires intenderent: quādo tūc & ipse subsidiarias eis copias missurus esset. His ergo rebus egregie, capiundæ Hadrianopoleos causa, dispositis: curauit, vt L milites eadē nocte, qua inuadenda erat Hadrianopolis, sub mœnib⁹ Selybriensis opidi se, quanto silentio possent, absconderent. Ibi vero gramen cum herbis ad eam excreuerat altitudinem, vt dicti L milites sat commode se possent abdere. Prima luce diei sequentis aperuere Christiani portas opidi, suas ad operas obeundas profecturi. Tum vero Turci milites e latebris indicatis prodierunt, & adgressi portam proximam, tanto cum impetu pugnare ceperunt, vt ea per vim potirentur. Inde collocatos in vicinis insidiis Turcos suos certiores de capta iam opidi porta reddiderunt. Illi mox aduolarunt, & opidum ingressi ceperunt, direptumque sui iuris effecerunt. Hac ipsa vero nocte Chazis etiam Il begus Hadrianopoli cum prima luce portam vrbis aperiri sibi iussit, quod cum decem e suis venatum exire se velle diceret. Frequenter id facere solitus antehac fuerat, ideoque nemo erat qui contradiceret. Aperta vero porta, subito gladios cum suis illis decem stringere cepit. Simul reliqui Turci, quos simulata fuga diximus e castris in vrbem venisse, mox & ipsi suis auxilium laturi properant, & vrbis hanc portam occupant. Non procul ab vrbe quosdam e suis Murates in insidiis collocarat. Nam id temporis totus ille suburbiorū tractus, quem nunc ædificiis excultum videmus, mera quædam erat silua, nec vlla domus istic reperiebatur. Quapropter insidiarum locus vrbi vicinus admodum erat, & qui delitescebant heic Turci, pugnantium ad portas vrbis audito strepitu, confestim adcurrerunt, & vrbem ingressi, terribilem in modum aduersus vrbanos, a matutino tempore ad vesperam vsque,

dimicarunt. Tamdem victoria penes Turcos ſtetit, qui captam vrbem miſerandum in modum diripuere. Teggiur, ſiue regulus vrbis, Inũ profugit, ac Turcos bello perſequi, prœliiſque grauibus adoriri non deſiit; qui tamen interim & ipſi caſtellis eorum finium capiendis intenti, perpetuas Chriſtianis inſidias ſtruebant.

Habet lector hanc quoque narrationem, non omnino temere, meo quidem iudicio, reiiciendam. Nunc ad hiſtoriæ ſeriem redeamus.

Poſteaquã vel hoc, vel indicato ſuperius modo, (nam mihi quidẽ hæc in medio relinquere viſum) potitus eſſet Murates Hadrianopoli, quam deinceps regni ſedem, hoc eſt Portam, ceu Turci loquuntur, eſſe voluit; Lalæ ſiue gubernatori ſuo Schahini mandauit, vt agrum † Zagorenſem & Philibenum continuis vexaret excurſionibus. Is autem hac ipſa via regiones illas in poteſtatem redegit. Philibe ſatis ampla ciuitas eſt, paullum vltra dictam Hadrianopolim ſita, priſciſque vocata Philippopolis. Zagora vero nomen eſt regionis, vltra Philiben, verſus Hæmum montem, vbi fiũt acinaces optimi. Tradidit etiam Murates Eurenoſi bego copias, quib⁹ agrum Ipſalenſem Turcorum imperio ſubiiceret, quod quidem ei feliciter ceſſit. Secundum hęc pluribus in locis conſtituti fuere Sanzaci prouinciarum, qui fines recens adquiſitarum ditionum ab hoſte defenderent.

† Pandect. cap. 33.

Erat quidã legis Muhametanæ peritus in exercitu Muratis, (Taliſmanum Turci vocant) hoſpes e Caramania, cui nomẽ Cara Ruſtemes. Is exercituum ſiue caſtrorum iudicem conuenit, (Turci Caſi-askerem dicunt) nimirum Zenderlu-Chelilem, cognomento Chairadinem; eoque compellato, vti ſane vafer & aſtutus erat: Quid cauſæ tamdem eſſe dicam, ait, cur prouentus regios ampliſſimos ipſi non exigatis, ſed perire Sultano patiamini? Quinam prouentus illi regij ſunt, inquit is, quem diximus, iudex caſtrenſis, quorum a nobis exactionem negligi refers? Quintũ quodque, reſpondit Cara Ruſtemes, ex illis mancipiis, quæ Turci milites noſtri capiunt, de præſcripto legis diuinæ Sultano debetur. Cur ergo non exigitis hæc iuris Sultanini mancipia? Monitus ab hoc Chairadin Baſſa, rem ad Sultanum Muratem detulit. Is autem negotio cognito, reſpondit; ſiquidem hoc ſummi Dei mandatũ legitimum eſſet, in poſterum quintam mancipiorum partem exigerent. Arceſſitus ergo Cara Ruſtemes fuit, quem Zinderlu-Chelil alloquens, ait: O Meulana, (ſic Turci virum ſapientem & doctum vocant) quidquid mandatum hac in parte diuinitus eſt, tu exſequitor. Quamobrem ſe Calliopolim contulit Cara Ruſtemes, & ibidem cõſtituto ſibi domicilio, XXV pro mancipio quouis aſpros exegit. Hanc Caramanus ille doctor Cara Ruſtemes, vna cum Zinderlu-Chelile, cõſuetudinem introduxit. Inde ſignificari tam Eurenoſi bego, quam Lalæ Schahini iuſſerunt, vt ipſi quoque de mancipiis, puerilem ætatem egreſſis, quæ bello capta fuiſſent, quintum quodque caput Sultano, velut ei debitum, offerrent. Sin tria dumtaxat, aut quatuor eſſent mancipia; ſingulorũ nomine XXV aſpri ſoluerentur. Hoc edicto publicato, miſſi fuere, qui de quinque mancipiis bello captis, quintũ quodq; colligerent, nec exiguũ iam collectorum numerum ad Portam deducerent, ac Sultano ſiſterent. His conſpectis, auctor Murati fuit is, de quo dictum, Chairadin baſſa; vt eos Iurkis ſiue Nomadibus & agricolis tradi, diſcendæ linguæ Turcicæ cauſa, iuberet; & annis aliquot exactis, ad Portam reuocari, *Genitzarorum, in comitatu principis, officio functuros. Perplacuit hoc Baſſæ tam ipſi Murati, quam proceribus ceteris conſilium. Quapropter huic obtemperantes, de paruis indies magnas Genitzarorum effecere copias: quos initio Chriſtianis ereptos, ex illo inſtituto veteri, agricolis Turcis commendare mos eſt, apud quos aliquot annis & operas ruſticas obeunt, & laboribus adſueſcũt, & Turcice loqui diſcunt, & interim in religione Muſulmana de horum conſuetudine confirmantur. Hinc ad Portam remittuntur, & albo, de quo dictum ſupra, pileo caput tegunt, & Genitzarorum nomen conſequuntur. Itaque Genitzarorum ad huius Sultani Muratis imperium referri debet origo.

* Pandect. cap. 35.

Hæſerat iam non exiguo temporis ſpatio Sultanus Murates Hadrianopoli,

poſt

post vrbem a se captam, cui Portæ dignitatem tribuit. Itaque Burusam tandem rediturus, antequam iter ingrederetur, beglerbegatum Rum-iliensem, vel Europææ Romaniæ, Schahini Lalæ siue gubernatori suo concessit, & Eurenosi bego sanzacatum militiæ limitaneæ tradidit. Il begus, de quorumdam sententia, rebus humanis iam excesserat. Inde profectus Calliopolim Murates, Zinderlu-Chelilem honore supremi consiliarij, quē Vezir-azemem Turci dicunt adfecit; & * Hairadinis bassæ cognomentum ei dedit. Vbi transmisso freto Calliopolitano venisset in Anatoliam; & in ea loca, quibus in locis adhuc arx † Boga (Bagam vocat Murates Dragomanus, Bagen Leo Imper. in thronis, Bugam Spigellus Annalium Beccanorum interpres) a Christianis tenebatur: ad suos conuersus, sperare se dixit, fretum benignitate diuina, venturum hoc quoque castellum in potestatem suam. Deinde Burusam progressus, ibidem substitit, ac menses hibernos exegit. Interim Lala Schahin regionem Zagoram in Rum-ili sitam, & opidum * Ischebolen vel Eskibolon, quod idem est; alibi vero Gumulzinen Eurenoses begus, imperio Turcorum subiecit.

* Pandect. cap. 36.

† dicto cap. 36 Pandect. & 88.

* Pandect. cap. 36.

Secundum hæc nuntiatum Murati fuit, adhuc in Anatolia degenti, † Zirfos Christianos, qui Serui & Seruij Græcis sunt, amplissimis collectis copiis, Hadrianopolim oppugnatum pergere. Motus hac ille fama, confestim suis opem laturus exercitum coëgit, & expeditioni semet accinxit. Quum propius ad opidum Bogam accessisset, compellatis suis: O milites, ait, heic virtutis vestræ specimen, heic animorum alacritatis edite. Non discedendum nobis hinc ante, quam regulum huius loci Christianum exturbauerimus, & exitio dederimus. Equidem pæne certa mihi spe futurum polliceor, vt ante, quam Christiani Hadrianopolim veniant, hanc ipsi munitionem occupemus. Simul ad Calliopolim, & in Aidinzico, naues omnes a suis exarmari iussit; ne qui prius in Europam dilaberentur, quam Boga sub iugum missa fuisset. In castris etiam proclamari voce præconis voluit, potestatem suis se militibus facere depopulādi totius agri Bogensis, eamque prædam pro se retinendi, qua potiri quisque posset. Hac illecti spoliorum esca milites, totis viribus opidum inuaserunt, idque dicto citius occuparunt. Interfecti fuerunt omnes armis idonei gerendis, imbellis vtriusq; sexus ætas seruituti mancipata, milites opimis ditati spoliis. Inde præsidium opido impositum, curata res annonaria, cum ceteris ad defensionem pertinentibus. Templa quoque pro Musulmanis in opido fuere structa, vacuæque traditę domus iisdem, vt illas inhabitaret. Atq; hoc modo Bogam adepti, summa deinceps ibidem in tranquillitate vixerunt. Captū fuit opidum anno Muhametano IↃCCLXVI. Diu vero Bogam in potestate Musulmani retinuerunt, donec tamdem Christiani nocturna quadā impressione Musulmanis eam ex improuiso surreptam extorserunt, & perpetratis in ea facinoribus fœdis, solo vastatam æquarunt. Secundum illa rursus eo profecti Musulmani, ad illam formam opidi restituerunt ædificia, qua modo structa conspiciuntur.

† Pandect. cap. 37.

Christ. 1365.

Interea dum his rebus gerendis in Anatolia Murates occupatur, Zirforum exercitus in Europa progredi cepit, Hadrianopolim inuasurus. Eo continebantur hominū ad XL vel L millia. Murates hoc intellecto nuntio, castra loco mouit, & ad freti Calliopolitani fauces accessit; vt illic traiiceret, manumque cum hoste consereret. Iam Zirforum copiæ, quas diximus, ab vrbe Hadrianopoli non procul aberant; castra metatæ propter opidum, quod Turci nunc † Chirmen aut Kirmen nominant, veteres vel Germia, vel Kermia dixere. Locus istic hodieque notus est, quem a Zirforum clade Turci adhuc Zirf Zunguni, vel Zirf-Zindugi, quemadmodum Murates Dragomanus scripsit, & clarius paullo post adparebit, vocare solent. Lala Schahin auxilio numinis sui fretus, & miraculis prophetæ Muhametis, (ita loqui consueuere Musulmani) noctu cum strenuis suis militibus ad castra Zirforum propius accessit, & tympana castrensia, quæ Taulonbassa sua lingua Turci adpellant, & in equis ante sua gestare solēt ephippia, pulsari pariter iussit, ac nocturnū in hostes

† Pandect. cap. 39. & vltimo.

impetum fieri. Tum vero Zirſi, qui præ inſolentia, Turcorumque cōtemtu, rerum ſuarum ſecuri, vinoque obruti, plane altum dormiebant, hoc inopinato caſtrenſium tympanorum audito ſtrepitu, militarique Turcorum clamore: mox alter alterum impellere ceperunt, & tumultū in caſtris excitare maximum, quo ipſi etiam equi territi, confeſtim abrupere vincula, quib⁹ adſtringebantur. Inde gladiis eductis, etiam mutuo ſeipſos interfecere Chriſtiani, & alter in alterum pugnando, tanto deſæuierunt opere; tamdem vt ſtrage maxima pars eorum potior occumberet, in fugam ſe reliqui coniicerent. Hæc prima Zirſorum cladis apud interpretem Verantianum exſtat naratio, cui plures etiam par eſt, diuerſas ab hac, ſubiungi; ne qua nobis obiici negligentia poſſit. Eſt igitur altera Dragomani Muratis, in Haniualdano libro, propemodum hiſce verbis expoſita. Chriſtiani quidam, inquit, Zirſorum ac Bulgarorum nomine noti, magnis ſuorum coactis copiis, ad loca vicina vrbi Hadrianopoli acceſſerunt. Eis Lala Schahin promte cum militibus Turcicis occurrit, obortiſque tenebris nocturnis, tympana ſellis equeſtribus Turcorum impoſita, pulſari præcepit. Inde numinis ſui patrocinio ſe committens, & alta voce Dei nomen inclamans; falconis inſtar, a qua volucre nomen ei Schahinis datum erat, in aduerſa caſtra Chriſtianorum inuolauit. Iam quieti ſomnoque ſe Zirſi dederant. Itaq; tympanorum audito ſtrepitu, ſtatim confuſio quædam maxima rerum omnium in caſtris exſtitit; qua (velut in ſubitis confieri terroribus ſolet) permiſtis inter ſe Zirſis, & conſternatis equis ac iumentis, ipſimet Chriſtiani mutuo ſe, tamquam cęci, & ratione deſtituti, iugulabant. Proximus caſtris erat Meritza fluuius, in quem Zirſorū ſe plurimi formidinem mortis hoſtium vincente metu, præcipitarunt. Chriſtianorum pars maior interiit, perexigua ſaluti conſulere fuga potuit. Et quidem ex his etiam pleroſque Turci, dum fugerent, trucidarunt. Vnde datum loco nomen, vt hodieque Zirſ-ſindugi, voce Zirſorum ſignificante ſtragem, adpelletur.

Expoſitio tertia Zirſianæ huius expeditionis, & cladis admodum breuis eſt, in eo commentario, quem de Turcorū incrementis, e mera perfidia profectis, interpretem Verantianum e lingua Turcica reddidiſſe toties nūc indicauimus. Quum Zirſi Græcos, vicinos ſuos, ait auctor, fraudibus circumueniri nefariis, & nulla datæ fidei ratione habita, Turcorum ſceleratis impoſturis ſubigi, ſeque tamdem, fineſque ſuos ab iiſdem peti viderent: magno ſuorū collecto exercitu, verſus Hadrianopolim profecti ſunt. Poſteaquam illuc aduenisſent, exſtiterūt inter eos diſcordiæ mutuæ, coniunctæ cum animorum acerbitate grauiſſima: quibus Turci per exploratores cognitis, hoſtem adorti ſubito ſunt, & acriter in eum pugnarūt. Quum autem Chriſtiani, hoſte communi neglecto, ſua ſæuirent in viſcera, nec alter alteri ſuccurrere, condonatis ſaluti publicæ mutuis offenſis, vellent: perexiguo cæſi momento temporis, & ad eam redacti fuere, copiis licet inſtructi numeroſiſſimis, neceſſitatem; vt plurimis interfectis, reliqui terga dare cogerentur.

Sequitur eiuſdem interpretis Verantiani expoſitio quarta, quam ipſi Turcorum inſeruit hiſtoriæ. Quidam, ait, auctores alij tradunt, ab Hazi Ili bego cæſos, fugatoſque Zirſos, hoc quodam modo fuiſſe. Prodierat Hazis Il begus aliquando cum quatuor comitibus, negotium Chriſtianis, prout aliqua ſe offerret occaſio, facturus. Dum hinc inde vagantur, forte noctu rumor ingens ad eorum peruenit aures; quo commoti, ſub lucem alicubi ſemet occultant, vt intelligerent, quis eſſet ille ſtrepitus, & vnde proficiſceretur. Tamdem aduentare numeroſam Chriſtianorum multitudinem vident. Tum vero conuerſus Hazis Il begus ad comites ſuos: Quid videtur, inquit, heic vobis agendum? Reſpondent illi, pertinere ad ipſum Ilim begum auctoritatē imperandi: ſe, quidquid imperaſſet, omnino facturos. Itaq; comites ſuos Hazis Il begus in monte quodam conſtituit, ab ſe inuicem ex interuallo diſiunctos; eiſque præcepit, vt quotieſcumque taulonbaſſum ſiue caſtrēſe tympanum ipſe pulſaturus, & clamorem excitaturus eſſet, idem hoc quilibet ipſorum quoque faceret. Hinc in aduerſam partem profectus ipſe, quæ a tergo Chriſtianorum erat, ibidem conſtitit;

stitit; Christianis in medio receptis. Mox igitur Hazis Il begus taulonbassum pulsans, ter pro consuetudine Musulmanæ Dei nomen inclamat, hæc etiã verba subiiciens, Bre gasiler coman; hoc est, adgredimini hos o viri magnanimi. Erant iam parati comites Ilis begi, signũ hoc exspectantes, vt & ipsi facerent ordine, quod iussi fuerant. Itaque pulsarunt tympana sua singuli, vnus post alterum, & alta voce tegbir suum ingeminarunt, Alla Alla Allahu; simul illa quoq; verba, Bre gasiler coman, subiecerunt. His Christiani vocibus auditis, quod inter montes, ex ipsarum vocũ reuerberatione, cinctos & inclusos a Turcis ab omni se parte crederent, iamq; mutuo se tangentes, ab hostibus peti per errorem suspicaretur: trepidatione maxima correpti, nocturnis adhuc tenebris oculos præstringentibus, quæ quidem impediebant, quo minus alter alterũ adgnosceret, tam cruenta grassati sunt in se inuicem cæde, nihil vt dici terribilius atrociusue possit. Nec acerrimus hic inter eos diu durare conflictus potuit, quin mutuis confecti vulneribus, fœdissimæ se tamdem fugæ darent. Hoc modo rem fuisse gestam, referunt alij, nonnullis adiectis, quæ ipsa quoque subiiciamus. Quum Muratis, inquiunt, Lala siue gubernator Schahin, de Ilis begi virtute, animi magnitudine, singularique astu, hoc strategemate declaratis, accepisset: displicuit hoc ei facinus, inuidia quadam tacto, nec minus in aliorum quoque procerum Turcicorum animis aculeos quosdam æmulationis iniustæ reliquit, vnde graues paullatim natæ fuerunt inimicitiæ. Tamdem ab eis necatus Hazis Il begus scelerata proditione fuit. Alij tradunt, erutos ei fuisse oculos; quam calamitatem magnus animi dolor exceperit, quo non multo post extinctus interierit. Nec tamen id quoq; dissimulandum, Haniualdanam historiam videri mortem huius ad præcedentia referre tempora; sicut obiter indicatum paullo ante, quum post captam Hadrianopolim reditum Muratis in Anatoliam exponeremus. Ad historiam vt reuertamur, cæso dissipatoq; Christianorum exercitu, strenui Turcorum milites opimis potiti fuere spoliis, & admodum opulenti Hadrianopolim redierunt. Missa fuit etiam Sultano Murati debita prædæ pars, cum non modico mancipiorum, & capitum numero, quæ hostium a ceruicibus, pro more Turcorum, abscissa fuerãt. Gratissimus fuit huius victoriæ Murati nuntius, qui re tam feliciter a suis gesta, transiiciendi freti consilium omisit, & Burusam reuersus, ibidem mansit. Acciderunt hæc anno Muhametano IↃCCLXVII. Christ. 1366.

Secundum illa celebrauit Sultanus Murates Zunettum, quo filios suos ritu Musulmano circumcidi curauit. Habebat autem duos, Baiasitem cognomento † Gilderunem, & Iacupem Zelebim. Simul ingens huic cærimoniæ duggiun, siue triumphus, adhibitus fuit. In opido Bilezuga * Ziamam siue Ziumam condidit, hoc est meschitam maiorem, cum medressa siue gymnasio litterario, & imareto siue xenone. Erat etiam religiosus quidam, quem Postinem Possum vocabant. Huic quoque xenonem vel imaretum exstruxit. Præterea templum maius ædificauit in opido Genischehere siue Neapoli, ad celebrandum in eo festum hebdomadarium diei Veneris. Item in arce Burusensi seraium, siue regium palatium, sibi curauit exstrui; & propter eiusdem portam, templum maius; & ad Caplizen, siue iuxta thermas, imaretum cum gymnasio litterario, ad alendos eruditionis & doctrinæ studiosos.

† Pandect. cap. 38.

* Pandect. cap. 20 & 213.

Quum vero videret hoc tempore Germeani filius, qui & ipse rex erat, & hactenus infestum semper in Osmaneos animum gesserat, ad ætatem se decrepitam peruenisse; filium suum, Iacupem begum, ad se venire iussum, huiusmodi verbis compellauit: Si voles, inquit, o fili, me moriente regnum in potestate tua retinere; pacem cum Osmanida Murate sancies, quæ tanto commodius vt coire possit, vnam e numero filiarum mearum ipsius filio Baiasiti, siquidem meo parere consilio vis, omnino dandam vxorẽ statues. Adsenso patris sententiæ filio, missus vtriusque nomine legatus ad Muratem fuit, excellenti vir doctrina, cui nomen Isahacus Fakiches. Quum is ad Mura-

tem venisset, equos ei generosos, cum aliis diuersis muneribus, obtulit. Id temporis Anatolia nec auri copia, nec argẽti abundabat. Nec in vestitu fastus erat aliquis, sed tegendi corporis causa, panno satis honesto semet induebant. Itaq; secum legatus hic Ishacus Fakihes indumentorum ex huiusmodi panno, pro more antiquo, numerum satis magnum adtulerat, quo receptæ consuetudini satisfaceret. Quippe priscis vsitatum moribꝰ erat, vt si quis alicui honos esset exhibendus, hoc ipsum per iniectionẽ vestis donatæ fieret. Sed ꝑter hæc, vti iam ante diximus, alia quoque dona secum aduexerat; quibus exhibitis & oblatis, in conspectum Muratis admissus: Vterque princeps meus, inquit, Germeanus pater ac filius, amicitiæ causa maioris & artioris, ad tuam me Portam miserunt; vti negotium quoddam, vtrique parti honestum & vtile, conficiã. Cupiunt enim tecum pariter, & tuis cum liberis adfinitatem contrahere; quæ mutuæ sit inter vos pacis, ac beneuolentiæ vinculum. Itaque filiam suam filio tuo Baiasiti coniugem offerunt, siquidem hoc matrimonium tibi non displicebit. Dotis etiam loco nonnulla vobis opida cum castellis traditituros se pollicentur, in quibus erunt Cutaie, Simau, Egregios, Tausanle. Placuere Sultano Murati, quæ offerebantur; ideoque contractu nuptiarum adprobato, conuentionem hãc ratam esse voluit, & ita cõfirmauit, vt amplius rescindi non posset. Horum vero locorum si prisca nomina quis requirit, sciat aliquoties indicatum, Cutaien esse Cotyaium Phrygiæ. Simau vel vetus est illa Simaua Bithyniæ, vel Synaus Phrygiæ Pacatianæ, Bithynis finitimæ. Egregios fuerit, opinione mea, Crocuos Phrygiæ salutaris. Solent enim Turci vocabulis incipientibus a consonante gemina, vel E, vel I litteram, vel V Gallicum præponere. Si cui vero magis Acrasos Lyciȩ placet, per me licet, vt hanc Egregios Turcorum esse putet. Tausanle mihi Tantalus est, quod opidum Nicetas historicus ad Mæandrum flumen collocat.

Hoc modo Germeani filius, Baiasiti Gilderuni, filio Muratis Chanis, filiam suam Sultanam Hatunem despõdit. Inde cepta parari regias ad nuptias pertinentia. Sultanus Murates legatos suos ad principes diuersarum regionum, & ad proceres, regulosque misit, vt eos ad nuptias inuitarent: videlicet ad reges hosce, Caramanoglium, Hamidoglium, Menteschium, Saruchanium, Isfendiarẽ in regione Castamonis, ad Sultanum deniq; Misirensem vel Ægyptium. Prȩterea regni sui begler-begos, sanzacos, ceterosq; begos ac proceres, sollemnibus hisce nuptiis adesse voluit. Eurenosi quoq; bego significari iussit, vt veniret. Iam vero nuptiarum tempus adpetere ceperat. Itaq; regum, principum, regulorum, diuersis e locis oratores aderant, muneraque secum amplissima ferebãt; in quibus erant equi præstantissimi, cameli serie longa inuicem alligati, aliaq; dona varia & admiranda, quorum nec sciri numerus, nec æstimari pretiũ poterat. Omnibus principibus, qui sua prȩsentia nuptias cohonestaturi aduenerãt, absentiumque legatis, adtributa cuique sua fuere loca, quibus considerent: Ægyptij regis oratori hoc honore habito, vt omnibus aliis anteponeretur, ac principẽ locum obtineret. His rebus ex decori ratione in hunc modum ordinatis, quum principes, reguli, proceres, & oratores absentium, pro dignitate quisque sua collocati essent: tamdem Eurenoses etiam Gasis, sua secum adferens dona, comparuit; in quibus erãt, præter alias res nõ exigui pretij, cẽtum ꝑstantis & indolis & formæ pueri, cum centum venustissimis puellis virginibꝰ, bello captis. Eorum earumque vestitus & ornatus operis erat Phrygij, purpura & auro intertextis zonis vtebantur argenteis. Singuli singulæque manibus suis aureos argenteosque scyphos (Murati Dragomano edeni vocantur) gestabant. Aurei scyphi variis pleni gemmis erant, iisque maximi pretij; nummis aureis argẽteos Eurenoses impleri iusserat. Hæc autem ipsius dona tantam præferebant in oculis omnium magnificentiã, vt inter principes, regulos, proceres, qui huc e diuersis mũdi partibus ac prouinciis confluxerant, & inter absentium legatos, nemo reperiretur, cui non maximæ essent admirationi. Murates Chan Gasis declarandæ liberalitatis suæ causa, quæcumque bellicosus hic Eurenoses obtulerat munera, principibꝰ, regulis, proceribus

ceribus extraneis, qui præsentes aderāt; & absentium legatis donauit ac distribuit: & ex aduerso, res illas ingentis pretij, cum præstantibus equis, quos illuc profecti principes, reguli, proceres e diuersis regionibus, & oratores ab aliis eodem missi, ceu nuptialia dona secum adtulerant, Eurenosi bego liberali manu, regiaque munificentia dedit. Ad summam, doctos etiam viros, ac religiosos, tot ac tantis Murates donis coluit; vt quotquot ex eis inopes, ad illius diei nuptiale se contulerant epulum, insigniter ditati domum abierint.

Qui sponsam adducerent, missi a Murate viri fuerūt insignes; Cadius siue iudex Burusensis, cui nomen erat Cozza Aphendi, partim Turcicæ, partim Græcæ originis. Significat enim dominum ætatis prouectæ. Præterea de Portæ proceribus, * Emir-Halemem siue dominum vexillorum; & Ac-suncurem Agam, siue tribunum; cuius etiam nunc superstes est posteritas. Item Tzausem bassam, cum filio Tzause Temure Chanum. Hoc enim nomen habuisse scribitur, quod ferrum siue gladium regis significat. Adiunxit his mille prætorianos egregios equites Ispahios. Ex illustrium matronarum numero missæ fuerunt vxor indicati iudicis Cozza-Aphendi, cum nutrice Baiasitis Chanis, & Ac-suncuris vxore; quibus & aliæ fuerunt adiunctæ matronæ centum honestissimæ. Ad summam, comitatus hic adducendæ sponsæ causa missus, pæne tribus hominum millibus, tam virilis, quam feminei sexus, constabat. Ex altera parte pater sponsæ, senex ille Germeanoglis, & ipse Muratæis excipiendis obuiam profectus, ex dignitate cuiusuis honorem singulis ac beneuolentiam exhibuit; metatoribus ordinatis, qui eos in adsignata quibuslibet hospitia deducerent. Nec erant minori curata diligentia, quæcumque spectarent ad tractandos liberaliter, & conuiuiis excipiendos hospites. Præterea singulis, pro vniuscuiusque dignitate ac merito, munera quædam regia tribuit. Inde virgo sponsa tradita fuit a parentibus Ac-suncuris vxori, & nutrici Baiasitis Chanis. Dedit etiam prægustatori suo Pasazuco Agæ Germeanensis princeps id negotij potissimum, vt equum sponsæ regeret, oculósque suos in hunc semper intentos haberet. Præterea coniugem suam Ienzen, cum aulicis vniuersis, comitari Germeanensis hoc itinere sponsam iussit. In arces etiam, ac illa in opida, quæ dotis nomine traditurum se genero suo promiserat, Muratæos immisit. Hoc modo sponsa in vrbem Burusensem ab eis perducta fuit. Redeuntibus inde domum Germeanensibus, a socero suo Baiasites petiit, vt Pasazucum Agam, quem secum discedentibus aliis retinuerat, vtendum domi suæ sibi concederet. Adsentiente socero, Tzesnegirem siue prægustatorem suum fecit, ac deinde patris loco filium quoque, quem Elean begum Turci nominant, eodem Tzesnegiris officio fungi iussit. Horum etiam posteri, filiis in parentum loca succedentibus, ad Osmaneam Portam Tzesnegiris bassæ dignitatem obtinuere, qui primarius est inter prægustatores Osmanidæ principis. Celebratæ fuerunt hæ nuptię, nomineque dotis in potestatem Osmaneorum Cutaie venit, anno Muhametano ıɔcclxxxiii. Christ. 1381.

Interfuerat hisce nuptiis legatus Chuseinis begi, qui Hamidoglij filius erat, Amisi Galatiæ principis, de qua dictum *alibi. Cum hoc ita transactum fuerat, vt Chusein begus, Hamidoglij filius, ditionem suam Sultano Murati venderet. Itaque transactionis huius titulo Murates hunc regulum adire voluit, & itinere suscepto Cutaien peruenit. Hamidoglius Muratem ad se contendere videns, e suis quemdam misit, qui suo nomine Murati diceret; omnino se pactis conuentis staturum. Quapropter legitimo contractu venditionis & emtionis, interueniente scriptura, translata fuit a Chuseine bego sequentium opidorum in Muratem proprietas atque dominium; videlicet † Acscheheris, & Genischeheris, & Ialauatzæ vel Geluazæ, & Cara-agotzæ, & Ispiritæ, quæ Sparte priscis erat, ad Pontum Euxinum. Murates quoque de suis quemdam illuc proficisci iussit, qui emtas hasce regiones gubernaret; in omnes arces & opida præsidiis etiam suis immissis. Acta fuerunt hæc, & transacta, partim anno Muhametano

Cozza, senex: ἀφέντης, dominus.

* Pandect. cap. 228.

* Pandect. cap. 40.

† Consule de his Pandect. cap. 40.

Christ. 1382. & 1383. I Ↄ CCLXXXIII, partim IↃCCLXXXIIII.

Et hactenus quidem exposita, de mutua inter Osmanidas & Germeanenses adfinitate contracta, deque translato regionis Hamidæ vel Amisi ad Muratem dominio, prorsus Haniualdanæ soli debentur historiæ; cuius filium, ceu plenioris, in proxime subiiciendis etiam sequemur: quando ceteri pleraque digito dumtaxat adtingunt, Bulgaricis & Zirficis rebus etiam plane silentio præteritis. Sed ad rem.

Murates collectis iterum copiis, Baiasitem filium, cum Cara-temur-tase, velut imperij custodes, in Anatolia reliquit: ipse transiecto ad Calliopolim freto, in Europam rediit, & cum exercitu versus opidum profectus est, cui Turcorum ab historicis nomen diuersum datur. Annalibus Beccanis est † Magalgara, Murati Dragomano Micalcari, vitiata dubio procul scriptura; Verantiano interpreti Malgara, quod ei nomen hodieque vulgo tribuitur. Heic & Eurenoses begus, & Lala Schahin, Rumilienses copias suas, quas vndique collegerant, cum Muratis exercitu coniunxerunt. Inde Lala Schahin cum eodem Eurenose profectus est ad opidũ, quod Turcis Fere vocatur, priscis etiam (ni fallor) Pheræ. Id perexiguo captum spatio temporis, in potestatem redegerunt. Interim Murates suo cum exercitu Zirforum ad fines accessit, quod futurum speraret, vt gentis Despota siue princeps Lazarus, (Laz Turcis dicitur) suas & ipse copias adduceret, ac prœlio secum congrederetur. Inaudierat enim, exercitum ab eo collectum. Sed quamuis istic ad decimum & quartum vsque diem hæreret, hostis tamen nullus adparuit. Hinc Murates ad concilium Vezires suos aduocauit, eosque consulens, quid agendum censerent, quæsiuit. Responderunt illi, clauem totius regionis illius, arcem esse Nissam. Eam sibi modis omnibus inuadendam. Hæc Nissa Zosimo nostro in vita Iuliani Augusti Naissus est, Cedrino in extremis Paralipomenis manu exaratis ὁ Νίσος. Nisus, Seruiæ metropolis. Quum illud Murati consilium placuisset, confestim Nissam profecti sunt, eamque circumfusis vndiq; copiis obsederunt. Murates compellato Temurtasis filio, cui nomen erat Iaxis begus: Hac vt arce potiri queamus, inquit, aliquam tu nobis eius vel capiundę, vel expugnandæ rationem ac viam ostendito. Mox vndiq; Iaxis begus arcem circumire cepit, & hinc inde contemplari omnia. Postea reuersus ad Muratem: Ita felix semper sis, o princeps, ait, vt in hãc arcem penetrare sagittæ nostræ poterunt. Vim saltim sagittarum infinitam, nulla mora temporis interposita, in eam coniiciamus; nec dubitemus, hac via nos arce potituros. Itaque milites in opidum excussa quasi nube quadam sagittarum, ac vno grauissimo dumtaxat impetu simul ex omnibus facto partibus; & perruperunt in arcem, & ea capta, Gaurorum fortunas & opes sui iuris effecerunt. Hæc quum Lazarus, Zirforũ princeps, audiisset; Nulla mihi fuit in meis, inquit, regionibus arx munitior ista; qua quidem a Turcis occupata, non est quod in ceteris aliquid præsidij nobis ac spei collocemus. His dictis, ita metuere suis rebus, ac diffidere cepit; vt tamdem subiiceret, Turco se parem viribus esse nullo modo posse. Quapropter oratore Muratis in castra misso, pacem petiit, & iis quidem legibus; vt mille se Murati suppeditaturum armatos, sic vsu poscente, milites polliceretur; & argenti quotannis LCIↃ pondo soluturum, quæ Vakiæ Turcis dicuntur. Simul has Sultano Murati condiciones offerens, preces sane quam humiles adhibebat. Quum legatus hic Muratis in castra veniret, iam Nissa Murates discesserat, & opidum aliud, cui Tzatelze nomen, obsidere ceperat. Auditis autẽ, quæ Lazari principis orator ei, pacis ineundæ causa, heri sui nomine offerebat; & accepit has condiciones, & ex earũ tenore composito bello, pacem petenti dedit.

Secundum hæc dici Murates Lalæ Schahini iussit, vti cum copiis ad se veniret, cui Lala mandato paruit. Iam coniunctis exercitibꝰ, hinc inde Murates infesta circũferebat arma, donec ad opidum quoddam admodum munitũ peruenit, quod supra vicum pagumue situm est, cui vel † Inzuga, secundum Beccanos Annales, vel Inzugos nomen est, quod interpres Verantianus & Murates Dragomanus habent. Ipsius etiam

† Pandect. cap. 41.

† Pand. cap. 7 215.

iam opidi diuerſæ reperiuntur apud hos adpellationes, quum Pulina Murati ſit, Annalibus Beccanis Bolina, Verantiano interpreti Bulenbe; quod corruptius eſt reliquis duobus, ex Apollonia mutilatis. Hanc ad montem Atho ſitam, oſtenſum * alibi. Nunc a Turcis Tangri-Gictugi, a deſtructione diuina, vocatur; origine nominis ſtatim heic explicanda. Quum Murates in hos fines progreſſus, Pulinam cincturus obſidione crederetur: omnes totius regionis incolæ, defendendi patriæ propugnaculi cauſa, ſemet eo receperunt. Murates hos a tergo ſecutus, mox fugientes incluſit, & arcem militum, corona circumdedit. Pugnatum vtrimque diebus aliquot, ſed illo euentu; nullam vt certam ſibi ſpem occupationis Turci facere poſſent. Quapropter obſidione ſoluta, diſceſſum. Grauiter ac moleſte tulit hunc exitum Murates obſidionis irritæ, præque dolore animi, non ſine ſuſpiriis: Deus, inquit, hanc arcem euertat. Hinc itum quemdam in locum opido vicinum, vbi populus arbor erat ingens, ſub qua Murates ex equo deſcendit, & admoto arbori tergo, paullo triſtior & cogitabundus conſedit. Exiguo temporis elapſo ſpatio, præter opinionem adcurrit quidam, & adpellato Murate, clamitat: Ita proſperum ſit ſemper imperium tuum, o princeps, vti certũ eſt, ſingulari ꝓdigio diuinitus edito, partem murorum opidi Pulinæ collapſam, & humi proſtratam iacere. Sultanus Murates hoc audito nuntio, Lalam Schahinem miſit, qui opidum in poteſtatem redigeret. Inuenti ſunt in eo theſauri & opes maximæ, quas inter & catinos aut ſcyphos aureos, (Murates Dragomanus edenos dixit) Iſpahi repererunt equites, eoſque capitibus ſuis impoſuerunt, & hoc ornati modo, Muratem adierunt. Vnde mos inoleuit, hodieque durans, † Vſcufias aureas in capite geſtandi. Murates autem, re tam proſpere geſta lætus: Reapſe felix hæc ampla populus eſt, ait. Quibus verbis auditis ab adſtãtibus, occaſio data fuit eorũ locorum incolis, vt ei nomen inderent populi felicis & fortunatæ, quæ Turcis Deuletlu Cauac adpellatur. Supereſt hodieque, ſed arefacta; puteuſque (fontem alii nominant) conſpicitur ad radices arboris, cuius itidem priſcæ meminerunt hiſtoriæ. Cauit denique Murates incolentibus opidum Chriſtianis de ſecuro diſceſſu, cum liberis, vxoribus, & facultatibus e direptione reliquis, ſi qui mutare domicilium vellent: nec a ſuis hanc datam fidem paſſus eſt vlla fraude violari.

* Pandect. cap. 41.

† Pandect. 42 cap.

Pulina capta, Murates Hadrianopolim profectus eſt, & Hairadinem Baſſam cum Eurenoſe bego proferendis finibus intentos eſſe iuſſit. Hærebat Eurenoſes ad Gumulzinam, quem ſibi locum limitaneum delegerat, vnde cum ſuis excurrens, complura Turcis ſubiecit opida. Nominantur autem in his Boor, Berrhœa priſcis; & Iskete, Verantiano Iſchietebe; & Marolia, eidem Marubeni: quib⁹ annuum tributum imperauit, quod Haratzũ Turci dicunt, idq; Sultano Murati quotannis exactum miſit. Et erat illis temporibus (ait interpres Verantianus, cuius heic locum ſane memorabilem inſeremus) exiguum illud tributum, quod a Chriſtianis pendebatur; ac ita quidem tolerabile, nullam vt inde Chriſtiani raperent occaſionem moliendi res nouas. Quippe non tam inclementer a Turcis vrgebantur, vt natas ſibi ſegetes, aut boues ſuos, aut filios filiaſue pignori dare, tributi ſoluendi cauſa, cogerentur. Reges ipſi Muſulmanorũ, qui tunc vixere, non erant gulæ dediti, nec ſumtuoſi. Quidquid habebant redituum, in milites erogabant: nec quid theſaurus eſſet, norãt. Poſteaquam vero vocatus ad Portam Chairadin baſſa, maximam cepit auctoritatem obtinere: Taliſmanos quoſdam ſiue doctores auaros regibus adiunxit, qui paullatim & humilitati valedixerunt, & crudeles eſſe ceperunt: quum aperte dicerent, eum, qui regis officio dignitateque fungeretur, theſauris carere nullo modo poſſe. Quo factum, vt ipſi quoque reges illorum temporum ſuas eis præberent aures, & ad ipſorum monita, conſilia, nutum ſemet accommodarent. Hinc cum auaritia natæ fuerunt exactiones iniuſtæ. Nequit enim aliter fieri, quin vbi regnat auaritia, ibidem & iniuſtitia locum habeat. Et noſtris quidem, inquit auctor hiſtoriæ, temporibus hæc mala creue-

re magis, quam vmquam antehac: nec dubiũ est, quin omnes iniuriæ, omniaque maleficia, quæ passim extorsionibus hisce committuntur, ab ipsis Talismanis proficiscantur. Quippe si docti recte & innocenter se gererent, etiam vulgus ad eorum exemplum se componeret. Ac in hanc quidem sententiam narratur etiam memorabilis historia de quodam, qui vixit in agro Genischeherensi vel Neapolitano Anatoliæ, ac nomen habuit Ac-biuc Dedem. Ea vocabula tria significant auum habentem cani vel albi coloris mustacem. Is quum aliquando in vrbe Burusa cuidam adsideret Iegieni Meulanæ, (posterior vox sapientem denotat) his eum alloquutus est verbis: Quidquid ab hoc rudi vulgo peccatur, o Meulana, eius culpam soli sapientes & eruditi nostri sustinent; cuius quidem culpæ nomine Deo rationem reddituri vos estis. Cur ita? respondit Meulana Iegien. Quoniam, inquit Ac-biuc-Dedem, sapientiæ doctrinæque nomine celebres, aduersas naturę libidines exercent, mulieres stupris contaminant, vsurarum lucra quærunt, nullum inter probos & exsecrabiles discrimen habent. Quæ quidem omnia quum a vobis designari vulgus videat, exemplo vestro similia perpetrare didicit. Vos si fœdis ab illis facinoribus abstinuissetis, ne ipsi quidem ea flagitia committerent. An non videtis, a porcina vulgus etiam penitus abhorrere, motũ hac sola causa, quod vos ea non vescimini? Quamobrem si vos quoque puri ceteris a sceleribus essetis, ne vulgus quidem iis se pollueret. Vere nostris, inquit auctor narrationis, temporibus hæc quadrant. Nullus enim sapientum, nullus doctorum, quos habebemus, vel exsecrabile quidpiam reiiceret; modo fructum ex eo se percepturum, & lucro potiturum, polliceri sibi posset. Verum eo reuertamur, vnde digressi sumus.

Misit etiam Eurenoses begus Delim quemdam (hoc a temeritate nomen habebat) Balabanem, ceteroqui militem animosum, qui Seres opidum (Serras dixere veteres) expugnaret. Sed illo parum proficiente, Schahin Lala superuenit; & opida simul complura, certis interuenientibus pactis in potestatem redegit; in quibus erant Cauala, Dirama, Zichne, Seres: quæ duo posteriora Prætor etiam Græciæ noster, vt inuicem sibi vicina, coniunxit; Zichnam & Serras adpellans, in aditu Macedonię sitas. Inde profectus est versus opidum: cui nomen Cara-ferie. Cepit hoc, vniuerso cum agro suo; quod quidem an Pherinum Thessaliæ sit, aliis inquirendum relinquo. Cala-ferie quidem Turcis Ferien nigram significat. In iisdem locis concessa donataque fuere militibus timaria siue possessiones, e quibus victitarent; ac tributa Gauris indicta, quę singulos in annos penderent. Serras Eurenoses begus accepit, vt eam, velut extimam vrbem limitaneam, aduersus hostes propugnaret, & hinc ad vlteriora subigenda progrederetur. Quia vero profugientibus hinc passim Turcorum metu Christianis, solitudo quædã in his esse locis occeperat: missi fuerunt in Anatoliam, qui Iurucos, siue Zurcos, aut Nomadas quosdã, e regione * Saruchania traducerent in Serrarũ fines, & † Vardarianam planiciem. Notandum hoc obiter, Verantianum interpretem hoc loco non modo capti Manastiri siue Monasterij meminisse, quo vocabulo Mons sanctus intelligitur; sed etiam tradere, maiori tũc ex parte Selenici quoq; territoriũ, ad opidum Caualam siue Cauylã vsque, Turcorum in potestatem venisse. Quod annorum rationem adtinet, consentiunt omnes; & hæc gesta fuisse referũt anno Muhametano ƆƆCCLXXXVII. Christ. 13[illegible]

* Pandect. cap. 13.

† Pandect. cap. 84.

Hoc iam loco nobis expositionẽ pręclaram belli Caramanici, quod Sultanus Murates aduersus Aladinem Caramanoglium, generũ suum, magnis omnino viribus gessit, Haniualdana suppeditat historia; cuius nec Græcorũ scriptores, nec Annales Beccani, nec historiæ Verãtianæ narrationes, vel vno verbo meminerũt. Inserta sunt alia quoq;, nusquã ab aliis prodita. Genus orationis (si barbariem excipias) quam proxime luculentas ad expositiones historicas accedit. Sed ipsam audiamus historiam.

Quum Murates & Nissam, & agros ei finitimos occupasset; Lazarum, regionis illius principem, ad soluendũ quotannis tributũ adegisset; certisq; pactis illi pace reddita, tamdem Hadrianopolim reuersus esset: nuntiatũ ei fuit ex Anatolia, princi-

principē id temporis Caramanoglium, Aladinem begū, Ibrahimis filiū, Machmutis nepotem, Muhametis pronepotem, Caramani abnepotem, violatis fœderibus & pactis conuentis, Osmaneas hostiliter inuasisse ditiones, easque ferro & igni deuastasse. Permolestus ille Murati nuntius accidit, eaque de caussa conuenire iussis omnibus Portæ proceribus, begis, ac vezirib⁹, oratione ad eos huiusmodi vsus est. Adhibiturus vero sum huic expositioni non oratoriā nostrorū historicorū eloquentiā, sed Laconismum potius Turcicum: ne fingendis extraneis declamationib⁹, in ipsius gentis consuetudines & instituta peccem. Nec est, cur ab alia caussa, prçter hanc lector profectum cogitet, quod hactenus historiæ nostræ nullas, ad imitationem Græcorum ac Latinorum, orationes inseruerim: & diserte moneo, ne deinceps quidem eiusmodi, nostrorū e rhetorum scholis petitas declamationes, a Turcorū morib⁹ alienas, exspectari a nobis debere. Muratem igitur in cōcilio loquutum in hanc fere sententiam accepimus:

Videte quæso, fortissimi milites, quā iniurius ille, stolidusque Caramanides, indignum in modum erga nos se gerat. Dum alia re nulla tot⁹ equidē occupor, quā vt in via supremi numinis incedam; dū propagandæ religionis diuinæ zelo, regnum meum relinquens, Christianorum in fines irruo; totumq; mensem in hostico, nō sine graui nostro discrimine, sed aduersariorum maiore metu, infesta Gauris arma circumfero; dū pugnandis pro gloria diuina prœliis intentus, omni humana voluptate spreta, meris me laboribus, ac ppetuis ærumnis excrucio; sumtis hic armis iniustis, proculcata religione fœderum, sacramentorum fide violata, consortes eiusdem cultus diuini Musulmanos hostiliter adgressus est. Quid de isto, milites, scelerato ac perfido statuendum vobis videtur? Me nequiter impediens, quo minus armis scita magni vatis illius nostri longe lateque propagem, aduersus Musulmanos vibrare gladium cogit. Si spreta hominis malitia, militatum aduersus Gauros iuero: dū istic equidē occupabor, interim Musulmani nostri per summā vexabuntur ab hoc insolentiā. Sin aduersus ipsū, vindicandis iniuriis illatis, arma cepero: non sine graui conscientiæ morsu, quæ hactenus aduersus Gauros bella gessi, ac deinceps quoq; gerere me debere libens adgnosco, vel inuitus intermittam. Sed enim video me plane cogi, vt acinaces nostros, exterminandis Gauris destinatos, in eorumdem sacrorum participes Musulmanos conuertam.

His dictis, Chairadinem bassam, sic exigente necessitate, relinquendum in Rumilina regione statuit; eumdemque ducem exercituum declarās, prouinciis Europæis præesse iussit. Eius filius Alis bassa, licet iuuenis adhuc id tēporis esset, tamen ab eo dignitatem veziris est consecutus. Atque hoc modo constitutis in Europa rebus, fretum Murates Calliopolitanum traiecit, & Burusam profectus est.

Heic quum subsisteret, Sultani Misirensis orator (hoc Ægyptium nomine Turci dicunt) maximis cum muneribus ad ipsum venit. Eum Murates perquam exceptum honorifice, summo cū splendore tractari a suis voluit. Inde legationis exponendæ caussa, pro more, Muratis in conspectū adductus; principis sui nomine, verbis eum subiectis alloquēs: Sultanus (inquit) ille, qui magnanimorum militum, religionē legi diuinæ consentaneam propugnantium, & in via diuina labores quosuis obeuntium, rex est; hæc tibi iussit, ex ore suo, nuntiari: Numen ego nostrum, incolumitatis & prosperitatis tuæ caussa, suppliciter inuocare non desino. Quapropter in filium me tuum adoptari abs te peto; tanta tibi deuinctum pietate; non vt alio me habere debeas loco, quam germanum filium tuum Baiasitem. Ac tametsi disiunctione corporum ipse nō exiguo absim a vobis interuallo, nihilo tamen minus ita prope coniuncti sunt animi nostri; vt ardenti vos amore complectar, idque vnicum in votis habeam, vt ipsemet expeditione suscepta, siquidē hoc fieri per alia possit impedimēta, socium me pugnarum aduersus Gauros laudabilium præbeam.

Hæc, & alia, Sultanus Misirensis per oratorem suum, amoris indicia, modestiæ, beneuolentiæ, humanitatis eximia, significari Sultano Murati iusserat. Ei Murates epistolam summissionis & obseruantiæ plenam, verbis exquisitis re-

scripsit: qua legato tradita, maximis hominem donis coluit, & ea quidem munificentia, tanto digna principe; vt Ægyptij muneribus centuplo fere compẽsatis, oratorem ad herum suum, cum animi voluptate magna, remitteret.

A discessu legati Misirensis, Murates se Burusæ continuit, ibidemque suis cum copiis hibernos menses exegit. Inde quum vernum tempus adpetiisset, Christ. 1387. anno Muhametano IↃCCLXXXVIII, numerosum collegit exercitum, bello iam Caramanum adgressurus. Id vbi Caramanides accepit, & ipse copias propemodum immensas coëgit e nationibus diuersis, Tatarorũ, † Turcomanorum, * Varsacensium, Durgutẽsium, Paiburdiorum, qui ad Armeniam pertinere videntur. († Pandect. cap. 61. * Ibid. c. 77. & de Durguta cap. 163.) Principem gentis sub finem libri tertij Laonicus Paimpuris filiũ more Turcico nominat, quæ vox Paibur a nobis pronuntiatur, vt ostensum Pandectis cap. 91. Cum eodem se regionum illarum non pauci principes ac reguli coniunxerunt, in quibus erant Teberruces begus, Tatarorum regulus, quos Vlusios dicunt; itemque Berembais, & Tzegasen, & Saga, & Lassiga, & Hizir begus, Simagazis filius. Omnes isti partes Aladinis begi secuti sunt.

Hoc Caramanides copiarum & armorum instructus adparatu, legatum ad Muratem misit, suo nomine denuntiatum: Esse sibi pares Muratęis copias, nec illius vllo modo se formidare vires. Ideoq; si pacẽ inire velit, se quoq; nõ alienum a discidiorum compositione futurum. Sin bellum malit, nihilo se minus fore paratum, vt belli rem aleę committat. Extrema nobis mala, diras cædes & clades inferes? par pro pari referemus. Ad ea Sultanus Murates respondens: Hæc meis verbis, ait, hero tuo renuntiabis, illi periuro, fœdifrago, publicæ pacis violatori. Dum nihil adeo mihi quidem in votis est, nihil interdiu noctuque maiori studio molior, quam vt tuendæ religionis nostræ causa, perpetuo contra Gauros in armis sim: tu meo tam sancto, per summum scelus, obsistens instituto, nostris improbe Musulmanis negotium facessis, eorumque tranquillitatem turbas. Sola tibi perfidia placet, quietisque reipublicæ salutaris confusio: quid sacræ fœderum pacisque leges sint, quid pietas, quid fides, ignoras. Nisi fortunis tuis euersis, in ordinem te cogam; nihil otij reliquum mihi facies, pro sacris nostris aduersus Gauros pugnandi. Nec ignorare debes, maiori rem nullam præmio compensari diuinitus, quam si quis eum, qui diuinæ gloriæ causa pugnantem ab instituto pio reuocat, iustissimis armis illatis castigat & punit. Nullum igitur a me responsum exspectes aliud, quam vti bello gerẽdo quam maturrime sic te compares; ne me paullo post aduentãte cum copiis, ipse tibi defuisse videaris.

Hæc quũ legatus hero suo Caramanoglio, quemadmodum a Murate prolata fuerant, rettulisset; conuenire principes, regulos, proceres suos, singulos & omnes, iussit; vt eorum beneuolentiam sibi conciliaret, ac si quorum animi forte nutarent, eos suis confirmatos & erectos promissis & exhortationibus, in officio contineret. Tum vero coram Aladine Caramanoglio cõparuerũt hi, quorum nomina sequuntur, proceres: Hizir begus, Simagazis filius; Teberuces begus, ex Vlusiorum familia regulus; Alis begus, Babici filius; Piris Alis, Delenzis filius. Quumq; terram, qui genti mos est, in Aladinis cõspectu exosculati fuissent; singuli, vultu neutrã in partẽ auerso, sacramentũ Aladini pręstitere: sancte pollicentes, numquã se partes ipsius deserturos; sed ea facturos omnia, quæ clientes honoris & gloriæ cupidos, pro defensione patroni sui facere, fidei datæ religio, nullo violanda modo, iubeat.

Indicatum paullo ante, discedentem ex Europa Caramanici belli causa Muratem, reliquisse pleno istic cũ imperio Chairadinem Bassam Vezirazemem: qui Gauros earum regionũ sub iugũ mitteret, vices Muratis gereret, redactos in potestatẽ defenderet, Musulmanorũ superstitionẽ, cũ imperio, ꝑpagaret. Is hoc fere tẽpore vitam cum morte commutauit. Itaq; Murates, accepto de ipsius interitu nũtio, mox Alim bassam, Chairadinis filium, in Europam properare iussit: vt eo profectus, quos pater regno Turcorum subiicere Gauros non potuisset, ipse Muratis imperiũ accipere cogeret. Sed obiecta fuerant huic impedimẽta quædam momenti sane grauissimi, quibus ab hac ꝑfectione reuocatus, ex de-

ex decreto Sultani Muratis in Europam non transmiserat. Itaque Murates in expeditione Caramanica Cutaien delatus, quum primum hanc Alis dilationem & moram intellexisset, mox quemdam e suis ad illum misit, qui eum arcesseret, vt Diuano siue concilio publico interesset. Sultanus enim Murates Alim bassam singulari prosequebatur amore, plurimumque consiliis eius tribuere solebat.

Misit hinc denuo legatum Caramanides, pacem petitum; e propinquo perspiciens, quod sibi periculum immineret. Ei Murates, quum postulata Caramanidis exposuisset, in eam respondit sententiam, vt diceret: Perlubenter his adsensurum se fuisse postulatis, si vel vnius mensis spatio citius Aladini libuisset huiusmodi pacis offerre leges. Nunc vero, quum præter animi voluntatem, sumtu maximo, tantum mihi contraxerim exercitum, & huc vsque progressus sim, vt perexiguo sane ab hostium finibus absim interuallo: nequit alia res via, ratione, pacto transigi; sed armis dumtaxat definienda venit. Iam toties mecum Caramanoglius pacem composuit, toties pactis conuentis non stetit, toties ad arma rediit; meque pugnis aduersus Gauros pugnandis occupato, Musulmanorum quietem interturbauit, & populabundus misellam plebem grauissimis adficere damnis nõ desiit. Equidẽ, quod ipse de me toties, tamque diuersis in locis falso diuulgauit ac sparsit, minime sum armentarius quispiam; qui vel equos, vel asinos, aut vitulos pauerit. Ipse ni vitulorum pastor est, in aciem prodeat, ac prœlio mecum decernat. Interim, mea quidem ex parte, nullũ miseris agricolis a milite meo damnum inferri patiar.

His a Murate dictis, orationem eius excipiens Caramaniensis legatus: Atqui scire debes, inquit, o Sultane Murates, etiam Caramanoglio magnas esse vires, magnum exercitum; qui copiis tuis minime cedat. Caue putes aliunde proficisci, quod faciundæ pacis auctores sumus; quam illa dumtaxat ex causa, quod culpa nostra sanguinem innocentum effundi nolimus. Absque hoc sit, milite non caremus, qui rebus omnibus tuo par sit & numero, & armorũ vsu, & animorum corporumq; robore. Si pacem vos reiicitis, non est cur dubitetis, nos quoque bellum animose gesturos, & fortiter aduersus Osmaneos in acie dimicaturos.

Grauiter indigneq; tulit hæc oratoris verba Sultanus Murates, ideoq; præter morem excandescens acrius: Heus tu, inquit, vir improbe, temerariis & insolẽtibus ab hisce verbis tuum illud impurum os contineto. Potius abi, meisq; verbis illi fœdifrago, reiq; publicæ Musulmanæ proditori Caramanoglio dicito; saltim huc veniat, vires omnes suas ac robur secum adferat, fortitudinẽ animi generosi demonstret, virum se præbeat. Ita controuersiis nostris tandem aliquando finẽ imponemus. Nihil ipse maiori nisu conatur, quam vti me vindicem ac propagatorem Musulmanæ religionis, a tam pio sanctoque proposito reuocet, totisque viribus impediat. Itaque sceleratum hominem vicissim bello persequar, consecuturus a Deo præmium, quod iis amplissimum diuina largiri iustitia solet, qui religiosi cultus causa rem fortiter & animose gerentibus obstacula quædam obiicientes seuerissime castigant. Hoc anno nihil a nobis actum aduersus Gauros. Quæ hactenus in eos arma tam feliciter expediuimus, ab eorũ ceruicibus reuocare coacti summa cum animi molestia sumus. Itaque quum semel eo, nobis inuitis, deducta res sit: omnino præstat, vt nostras in illos pugnas aliquantulum suspendamus; nefariis huius, reiq; publicæ noxiis molitionibus obuiam eamus; auctorem denique tam grauium malorum, meritis adfectum pœnis, exterminemus.

Hæc quum protulisset, legatum indignabundus expulit; ac motis postridie castris, in hostem pergere cepit, & continua tridui profectione ad arcẽ Carachisarem accessit, quam supra † notauimus in Caramania siue Cilicia sitam, & Græcis Maurocastrum fuisse dictam. Heic ad aliquot dies hæsit exercitus, & ibidem Alis quoque bassa cum Murate se coniunxit. Eius viri aduentus Sultano Murati longe gratissimus accidit.

† non procul ab initio lib. 3. Nam Phrygiæ quidem aliud est Maurocastron, de quo ibidem.

Ab altera parte legatus, non ita pridẽ (vt diximus) ad Muratẽ a Caramanoglio missus, suum ad principem cum Sulta-

ni responso rediit; iras, quibus in oratorem exarsisset, exposuit; verba in ipsum Caramanoglium contumeliosa, rettulit; quibus inter alia significasset, habere se hunc hominis loco, in quo nulla virtus eluceret; quiq; alij nulli rei, quam vitulis & asinis agendis, idoneus esse posset. Adiecit & alia libero prorsus ore, quæ a Murate dicta fuissent: præsertim, quod ipsius euertere fortunas totis viribus conaretur, & regni Caramanici primarias vrbes, Coniam ac Larendam, in potestatem redigere. Nihil horum silentio præteriit.

Caramanoglius autē, intellecta Muratis ira, conuersus ad Durgutios, Turcomanos, Varsacenses regulos; O proceres, ait, hostis noster de occupatione Larendæ nostræ cogitat: nos vicissim modis omnibus enitamur, vt captam ipsius Burusam possideamus. Hæc, & alia quædam huiusmodi, temere Caramanides effutiēs, nihil sua dignum persona proferebat. Etiam legatum interrogans, quantus esset Muratis exercitus, quæsiuit. quumque se responderet is ex ipsius ore Muratis audiuisse, non pauciores esse LXXCIↃ hominum, qui reapse viri fortes, & animosi, & pugnaces essent: Ergo meus, inquit, exsultans gaudio Caramanides maior & numerosior exercitus est Osmanidæ copiis; vnde futurum equidem colligo, vt huc veniens, nostris conspectis copiis & adparatu, nō ausurus sit, velut impar viribus, aleam subire prœlij. Sin omnino pugnaturus venerit, idipsum erit ex vsu nostro; quum itinere lōginquo fatigatas adducturus sit copias aduersus nostros, rebus omnibus recentes & integros. Hæc dicens Aladin begus, (inquit auctor historiæ Turcus) instar canis, caudam cum pilis sursum erigentis, insolenter se gerebat, ac præferoci quadam superbia se pariter ac sua iactabat omnia, parumque prudenter vires hostis eleuabat.

Interim Murates animos suorum, licet intrepidos, confirmare non desinebat; quum & in præsentia liberali manu singulis aliquid largiretur; & maiora in posterum ab se donatiua iuberet exspectari. Quibus auditis, insignem milites animorum alacritatem vario gestu, præsertim cum plausu terram pede libero pulsantes, declararunt; vt ipsi Sultano suam magnanimitatem, ab omni alienam formidine, prœliique aduersus hostem committendi cupidam, testarentur. Itaque Murates suorum iam exploratis animis, ac militum virtute perspecta, copias in Caramanogliū duxit. Quibus quidem in locis castra metatus ordine fuerit, exponi non est necesse: satis est hoc indicari, tamdem eum in planiciem quamdam descēdisse, quæ Turcis Campus Ifrencus nominetur. Id vocabulum a Frankis, hoc est a populis occidentalibus in genere, pro consuetudine Turcorum, ea planicies acceperat haud dubie sæculis superioribus proximis; quum ad expeditiones sacras, recuperandæ Palæstinæ causa, quam terram sanctam vocant, insano quodā modo nostri classibus amplissimis maria transuolarēt, nec minori animorum ardore cum infinitis equitum peditumq; copiis itinere terrestri regiones hasce peragrarent. Caramanoglius etiam suo cum milite progressus, vbi iam vnius itinere diei dumtaxat a castris Muratæis aberat; ibidē & ipse locum castris idoneum delegit. Ea nocte singulari vtrimque cura dispositæ fuerūt excubiæ, cum exploratoribus & speculatoribus, (Carauulos Turci nominant) qui propter exercituum propinquitatem nocturnas horas insomnes exigerent, ac vigilanter in omnes hostium motus intenti essent.

Quum tamdem, dissipata caligine noctis, illuxisset; imperauit suis Sultanus Murates, vt arma caperet vniuersus exercitus, equos conscenderent, ad aciem instruendam se componerent, in cornu dextrum sinistrumque se conferrent; prout iniunctum singulis & omnibꝰ antehac fuisset. Murates ipse cū suis, quos sibi selegerat, in acie media (cor exercitus adpellare Turci solent) constitit: pedites ante se collocauit, Genizaros & Azepleros; equites a tergo disposuit. Filium natu maiorem Baiasitem in sinistro latere curare iussit. Ibidem & Ferizem & Hozzam begos, cum copiis * Castamone missis, constituit. Auxiliares denique copias Christianas, ex lege fœderis a Zirforum principe Lazaro missas, in extremo eiusdem alæ sinistræ locum habere suum voluit. Filio natu minori Iacupi, regionis Carasinæ bego, cornu dextrū adsignauit: ibidemq; Cutlubegum,

* Laud. cap. 66.

gum, cum Eine-bego Subassa, (sic regum capitalium præfectum vocant) & Egridure Subassa, collocauit. Serazem & Custendilem, vt dextri lateris extremum obtinerent, ordinauit. Hos vero duos regulos fuisse tributarios Christianos, ex historia belli Zirfici proximi deinceps intelligetur. Exercitum, quem Cara-Temur-Tases adduxerat, cum exercitu Germeanensi, ad pectus, (ita Turci loquuntur) vel in fronte constituit: ad agmen aciei postremum, Subassam Siuri-chisaris, (Oxylithus est Saracenorum Cedrino, sicuti superius libro 3 diximus) qui & ipse Temur-tases adpellabatur, cum Achmete Tzause, conferre se iussit. Iaiarū bassilatos siue duces, (hi pedites sunt) Sarutzē bassam, & † Intzugium Balabanem, & Douetzen Balabanem, & Iliam begum, & Mustezabū Subassam, partim in dextro, partim sinistro cornu distribuit. Hoc modo dispositis aciei totius, singulari cū industria, partibꝰ vniuersis; & instrumētis quoq; castrensibus, q̄ militū excitandis animis adhiberi solēt, ad sua loca quā aptissime relatis: pedetentim, pro more, suos in hostē duxit.

† Intzugum.

Itidem ex altera Caramanoglij parte Tatari, Turcomani, Varsacēses, Durgutēses, Paiburdij, correptis omnes armis, & conscensis equis, ad pugnam & ipsi se parabant. Caramanoglius Aladin begus mediā occupauit aciē, siue cor exercitus. Samagazes, & Tzefazen, & Berembais, & Cola, sinistro cōstiterunt in latere; Turcomani cornu dextrū obtinuerunt, in quo Varsacensibus etiam suus fuit adtributus locus. Idem Caramanoglius militē suum forti rē animo gerere iussit, & quibuscumq; potuit modis, cōfirmauit; series acierum instruxit, dextrum læuumq; cornu subsidiis dispositis muniuit, ordinatam insigniter aciem, composito gradu, in hostem promouit.

Tū vero explicari vtrimq; vexilla militaria, pulsari tympana, tubæ sono terribili clangere ceperunt; & exercitus ab vtraq; parte maximi signis infestis inter se cōcurrerunt, omnib. & singulis supremi Dei nomen inclamantibus. Vtrimq; complures equorum hinnitu, armorum strepitu, militari clamore, tubarū clangore, tympanorū sonitu, ex quib. omnibus horribilis quidā tumultus existere solet, exanimati primo statim in conflictu perierunt. Ex acie Caramanoglij Samagazes ante alios in mediū prorupit, ex Osmanea Temur-Tases eidem semet opposuit. Ab eiusdē Caramanoglij cornu dextro Teberruces Tatarus, & Varsacides regulus, se commouentes; velut imbrem sagittarum quemdam in hostes immiserunt.

Quum Baiasites Zelebis hoc modo rem geri ceptā videret, ex equo descendens, & ante Sultanum patrē, pro gentis more, terrā exosculatus: Ignoscat mihi tua maiestas, ait. Continere me diutius nequeo, quin Caramaniensiū sanguinē, auxilio numinis humi sparsum, cū puluere terræ cōmisceam. Hæc illi proloquuto, Sultanus pater pugnādi potestatem fecit. Tum vero Baiasites vt leo rugiens, vt sarcun voce serpentis clamans, (nomē hoc Murates dragomanus Latine nō reddidit, sed draconē intelligi puto, qui Vngaris, ipsius popularibꝰ, Scharcan dicitur) vt Gilderun siue fulmē, (vnde cognomētum ei deinceps mansit) in acies aduersas irruit. Eius exemplū Ferizes begus, & Hozza begus, & Cutluzes begus, & Eines begus Subassa, qui curabāt in cornu dextro, secuti sunt: nec minus a fronte media Temur-tases bassa cum suis, postremo ex agmine Tzauses begus, & Temur-tases alter, Siurichisaris subassa, numerosissimis cum copiis hostes inuaserunt. Idē fecere Sarutzes bassa, & Ilias begus, & Mustezabus subassa. Sic Musulmanorum more vocē Alla Egbir ingeminātes aduersæ acies, inter se subito permisceri, manus conserere, mutuis se vulneribus conficere, gladiis & quibusuis aliis armis prosternere ceperunt. Existimasses inter se maria duo, velut in tempestate graui, decumanis collidi fluctibus; præq; vehementi amborum commotione, rubri colore maris album mare tingui. Quamplurima cæsorum capita, sanguineum in mare demersa, pedibus proculcata fuerunt; nec pauciorum ventribus & aluis rescissis & apertis, intestina passim effusa iacuerunt.

Ad summam, cæsus a Muratæis, fusus, fugatusque fuit exercitus Caramaniensis. Samagazes, Tula, Berembais, Tzegasen, Saga, Teberruces, Cazan, Tasbuga, proceres omnes hostibus dedere terga, celerique fuga saluti suæ consu-

luere; quum dicerent, immutabilis necessitatis tempore, fractis desperatisque rebus, etiam in hoc aliquod inesse documentum virtutis ac fortitudinis; si fuga vitam discrimini præsentissimo quis eripiat, seque melioribus, & secundis adeo rebus seruet. Hanc illi suo sceleri & infamiæ prætexentes excusationem, in hoc vnum intenti erant, vt imminenti se periculo & excidio liberarent.

Profligatis Tatarorum & Varsacensium copiis, iam solus Caramanides, rebus omnino deploratis, relictus erat. Stabat huic aduersus in acie Temurtases bassa, qui quum impetu magno in eum irrueret; mox in fugam se degeneris animi vir coniecit, ac persequētibus acerrime Turcis, vix saluus euasit. Ita denique Turcis hostium tentoria, cum omnibus impedimentis, in prædam cesserunt. Caramanienses vel cæsi, vel spoliati, vel capti, mancipiorumque more fuerunt abducti. Principis ipsius vires ita labefactauit hoc prœliū, nihil vt amplius spei reliquum haberet, Osmanicis se Sultanis opponendi. Quidquid rerum magni pretij, quidquid opū, quidquid pecuniæ Caramanidis Turcorum in manus venit; id omne Sultano Murati per suos oblatum fuit. Sultanus etiam Baiasites, & Iacupes Zelebis, alter Muratis filius, & Temur-tases bassa, ceterique viri militares Muratem gratulabundi conuenerunt, eique tanta victoria potito manus osculati sunt. Sultanus ipse summo Deo gratias immensas agere non desinebat. Inde suum ad tentorium profectus, ex equo descendit; vt vires diuturno prœlio, tantisque defatigatas laboribus, reficeret. In proceres, tribunos, duces exercitus sui ceteros, equites Ispahios, amplissima distribui munera iussit. Ipse mancipia Caramanica sua, cum omni præda Caramanidi adempta, Temurtasi bassæ liberali animo donauit.

Aciei vero, suorumque desertor Caramanoglius, in vrbem Coniam profugiens intrauit. Eum Murates e vestigio secutus, intra vrbem inclusum obsedit: statimque publicari iussit in castris edictum, pposita pœna grauissima, ne quis vlli Caramaniensi subdito res suas, adeoque nec minimum quidem granum eriperet. Militabant Sultano Murati hac expeditione, iuxta leges sancitæ cū Lazaro Despota pacis, Zirfi milites Christiani; quorum e numero quidam, prædæ causa, (velut inter milites vsu euenire solet) rixari cum Musulmanis ceperunt. Hoc intellecto, morte Murates multari seditiosos & insolētes Zirfos iussit: quod quum Turci facerent, non pauci ex eis interfecti fuerunt. Ceterum primo biduo ceptæ obsidionis, ab omni Murates oppugnatione abstinuit. Ex aduerso Caramanoglius, adgnita virium suarum imbecillitate, quæ Murateis longe impares erant, pacem per legatum, quem Murates admittere noluit, a victore postulauit.

Nupserat annis superioribus Aladini Caramanoglio filia Muratis Chanis, cui nomen erat Hatun. Itaque quum videret Aladin grauiter iratū sibi Muratem, non modo mentionem pacis omnem reiicere, verumetiam serio de se in potestatem redigendo cogitare: misit ad Sultanam Hatunem, coniugem suam, qui eam verbis huiusmodi suo nomine alloquerentur: Non exiguo, mea vxor, in periculo vitæ fortunarumque versor, ob indignationem patris tui maximam, quem nullis mitigare legationibus possum: adeoque perij, nisi tu apud eum pro me supplex intercesseris. Quippe Coniam nostram, quæ tam illustri victoria potito resistere non poterit, & cum vrbe meipsum in potestatem rediget, ac neci dabit. Age, consorti iugalis tori (nam herum dicere nunc pudet) hoc beneficij præsta, tuis vt vitam precibus impetret. Vt infestus mihi maxime sit, nihil filiæ piissimæ lacrumis animus denegare paternus poterit. Facillimum tibi factu, quod abs te peto. Dumtaxat adeundus pater, manus ipsius osculandæ, flectendus voce flebili ad commiserationem animus, dum pro salute mea supplex intercedes, dum hoc vnicum vt mihi peccatum condonet, orabis.

His auditis, mota pietate coniugali Sultana, quam diximus, Hatun; ad patrem, Sultanum Muratem festinabunda venit, & supplici gestu paternos ad pedes accidens, oratione lamentabili pro marito cepit intercedere, duriusculum patris animum singulari arte, verbis ad ciendam misericordiam aptissimis, lacrumis etiam muliebribus nonnumquam

quām adhibitis, mitigare; nec orandi finem facere, saltim vt adhuc illa vice, fatenti delictum suum marito, ignosceret. Simul eius ipsa nomine spondebat, numquam in posterum se tali perfidiæ scelere contaminaturum.

Amabat filiam pater, quæ verbis vsa fuerat efficacibus, & teneris interdum genas inter obsecrandum lacrumis imbuerat. Quapropter a patre, quantumuis difficili, nihilo minus obtinuit; vt volens nolens Aladini veniam delicti faceret, eumque reconciliatum filiæ precibus, in gratiam reciperet. Inde conuersus ad filiam: Tuæ quidē, ait, hoc totum intercessioni acceptum ferat; nec est, cur amplius a me sibi metuat. Non vitam modo, quæ mea propediem futura erat in manu, sed etiam regnum, victoriæ iure mihi quæsitum, ei condonabo.

Hac patris voluntate cognita, quemdam e suis Sultana Hatun ad maritū Aladinem begum remisit; qui significaret ei, quo loco res essent, ac postridie mane iuberet ipsum ex vrbe Conia ꝓdire, victorisq; Sultani manus in castris osculari. Tantopere nuntius hic iacentem & anxium Aladinis animū erexit, & omni sollicitudine liberauit: vix vt primæ lucis tempus exspectare patienter præ desiderio posset. Vbi tamdem illuxisset, egressus vrbe Conia, Muratis in castra venit. Ibi non modo Sultani manus est osculatus, sed etiam caput ante pedes eius humi prostratum demisit. Murates non modo regnum ei se reddere dixit, verumetiam multis illum beneficiis præter meritum adfecit.

Secundum hæc motis indidē castris, ad opidum Begscheherim accessit, quo vocabulo Despotopolis siue principis ciuitas significatur, vti libro 3 huius historiæ superius indicatum. Et duo sunt hoc nomine opida. Vnum Bithyniæ, alterum Caramaniæ, de quo nunc loquimur. Statim hanc corona militum circumdedit, & diebus aliquot dumtaxat obsessam, in potestatem redegit. Heic ei nuntiatum fuit, Teke-oglium quoq; begum ab ipso defecisse. Postquam id Murates accepisset; Admodum pauper & inops, inquit, hic regulus est, cui duo dumtaxat opida parent, Islenos & Antakie. Quid ille virium habet, quib⁹ fretus, non modo deficere, sed etiam opponere se nobis audeat? Me quidē illum bello adgredi pudet, nec aliud agere videar, quā si muscā persequi velit accipiter. Quibus in verbis altera ciuitatū Islenos, priscis dicta fuit Selinus, ab imperatore Leone ad Seleuciā relata, Pamphylię metropolim: altera vero Antakie, vetus est Antiochia Pamphyliæ, sub eadem metropoli Seleucia. Quapropter neglecto Tekeoglio, Burusam Murates redire perrexit. Vbi Cutaien hoc itinere peruenisset, exauctorato milite Burusam profectus est; quo quidē victoria potitus illustri, feliciter ac gloriose rediit. Null⁹ illo toto terrarum tractu, quas diuersas peragrauerat, hostis ab eo relictus fuit: omnib⁹ professis, se Muratis imperio libenter parituros. Tekeoglius etiā sponte Sultano suas arces dedidit, culpamque deprecatus, pacem obtinuit.

Hunc finem bellum Aladinis Caramanicum aduersus Muratē habuit, cuius expositionem soli, quemadmodum dixim⁹, Haniualdanæ Dragomani Muratis historiæ debemus. Nā ceteri, quos supra nominauimus, Turcorum Græcorumque commentarij, ne Laonico quidem excepto, prorsus hæc tam memorabilia sicco pede transeunt. Nimirum illud verissimum erat initium supremi Turcorum dominatus in Anatolia, cui principes in Asia Musulmanos omnes colla sua summittere coëgerūt: licet hęc eorū potestas nō multo post euersa fuerit, Temure Chane cū suis illis innumerabilib⁹ Asiā vniuersam obruēte copiis; a quo reguli Musulmani, Baiasite capto, victis & oppressis Osmaneis omnibus, non modo regnis suis, sed etiam auctoritati pristinæ restituti fuerunt.

Iam vero cum Murate, post domitos Asiæ regulos, in Europā reuersuri; monitos denuo lectores volum⁹, heic quoque nos Haniualdani libri vestigiis inhæsuros, qui solus rerum a Murate contra Zirfos, quorum id temporis Lazarus ille Despota princeps erat, contra Bozinenses horum vicinos, contra Bulgaros Sasmeni principis subditos gestarum, seriē & explicationem iustā continet. Nā Laonicus aliquid sane tradidit, sed implicate, sed obscure, sed imperfecte: siue adeo conferēda sit hæc in ipsum culpa, siue (quod equidem facere malo) partim ignorātiæ, partim etiā negligen-

tiæ interpretum adscribenda. Ceteri omnes, in quibus & Beccani sunt Annales, & historicus ille Verantianus, omissis præcedentibus, vnicam nobis illius prœlij Cosouani narrationem, quo Murates interiit, offerunt. Sed Haniualdani codicis expositiones audiamus.

Paullo ante dictum in explicatione belli Caramanici, Lazarum quoq; Zirforum principem, ex pacis initæ legibus, auxiliares suorum ad eam expeditionem Murati misisse copias. Edixerat autem seuerissime Murates illo bello, ne qui milites in exercitu suo quidquã molestiæ commilitonibus suis aliis exhiberent. Huius tamen edicti nulla Zirfos Lazarianos ratione habita, simultates cum Musulmanis graues exercuisse: iussuque Muratis eos aliquando punitos acriter, & trucidatos fuisse. Quapropter confecto non multo post Caramanico bello, liberaque domum redeundi potestate militibus vniuersis facta: Zirfi quoque dimissi, suos ad focos quisque reuerterunt. Quem vero Lazarus princeps hisce copiis Vaiuodam (sic ipsi loquuntur) siue ducem ac tribunum præfecerat, cum aliis & ipse reuersus in patriam, mox Lazarum principem suum adiit, eumq; verbis inter alia compellauit huiusmodi: Te ne decere dicam, o princeps, vt erga Turcum pæne seruilem in modum te gerens, eidem sacramẽtum dicas, adiecta voce Za boga, cuius vi Deum ipsum testeris, te sancte præstaturum, quæ illi religionis hosti pollicearis; vtque nos, subditos tuos Christianos, ad ferendum homini profano subsidium mittas? Ad quem vero tamdem, obsecro te, finem? nisi vt nos in oculis totius exercitus ad pœnam poscat, barbarorum in hostium conspectu ad dira supplicia producat, fœdis adficiat contumeliis? Quanam ille te quæso re superat? non ei viribus omnino par es? Immo nos inimicis ipsius terrori fuimus, nostra præsentia suis auctoritatem rebus conciliauit, nostra virtute fretus aleam prœlij subiit, nostro sanguine victoriam consecutus est. Cur igitur ab hoc infami tyranno seruitute nos premi, cur proculcari pateris? Si maximas ille vires suas colligat, vix in hoste LCIↃ virorum armis idoneorum producere poterit. Sed esto, demus ei centum millia. Non tu, si serio rem agas, & exercitum habere maiorem, & decuplo ceteris illum rebus, adparatuq; bellico vincere, modo velis, possis? præsertim si regum omnium principumque Christianorum, quotquot in orbe sunt, aduersus hostem publicum Christiani nominis opem imploraueris: quorum tantæ vires hauddubie sunt, vt huius barbari potẽtia cum eis in comparationem venire nullo modo possit, ac tibi tuisq; defendendis abunde sufficiant; ea reuerentia veri numinis, & in Iesum Christum seruatorem nostrum pietas, id denique studium, is amor Christianæ religionis; nequaquam vt metuendum tibi sit, ne illi te deserant; sed exspectanda potius auxilia promtissima, quibus & te periculis ab hoc imminentibus hoste liberes, & omnes eidem præcludas aditus, quominus in eorum regiones & regna per tuos penetrare fines, & more suo grassari possit: quo quidem illi maiore cum animorum alacritate tuis præsidio rebus esse volent, vt incẽdium hoc formidabile potius in alieno, quam suo pariete restinguant.

Za bogâ, per Deum, vox Bulgarica.

Hæc Vaiuodæ illius oratio tam vehementes in animo Lazari Despotæ reliquit aculeos, vt a Muratæo fœdere, pactioneq; seruitutis, indigna tanto principe, discedendum sibi statueret. Quapropter ad Teggiure Bozinensem misso legato, quo Turcicę res essent loco, quæ sua consilia, quæ molitiones, eidem ostendit. Vocant hunc regem Bozinensem historiæ Turcicæ Teggiurem, prorsus eadem ex causa cõtemtus, qua Græcis imperatoribus idem hoc nomen tribuerunt, vt * alibi diximus. Apud nostros † regium Bozina titulum habuit, sicut & Turcis Kiral Bozinacus infra dicitur, libro XV, & iisdem vetus est beglerbegatus, quod nomen olim victis dumtaxat regnis dabatur: licet non negem, ducatum heic quoq; fuisse; quem videntur reges, dũ ipsi superstites erant, filiis plerumque suis natu maximis concessisse. Notandum hoc etiam, non alienum vero videri, e temporum ratione, regem hunc Bozinensem, cuius heic Turci meminerũt, auum fuisse Thomæ penultimi regis illius grandæui, qui diutissime Bozinacorũ rebus præfuisse traditur, vt * alio prolixius indicatum loco. Et Teg-

** Pandect. cap. 56.*
† Pandect. cap. 141. C 162.
† Pan cap. 1[...]

Et Teggiuris huius nomen edunt Turci deinceps, Sarutze Iuni, (hoc est, Ioannes flauus) ac filium quoque Iunim & Iundim siue Ioannẽ vocant. Bozinensis vero teggiur, audita Lazari legatione; Dicite, respondit, meis hero vestro Despotæ verbis: Si meam audire sententiam voluisses ante, quam præcipiti facto pessime tibimet ipsi, tuisque vicinis consuleres; non hunc habituræ finem res erant. Nunc illa tua vel imprudẽtia, vel non necessaria formidine, coactis vsque adeo tuis in angustum copiis, vt annui tributi pensitationem hosti sponte obtuleris, cum fœda pollicitatione mittendi copias e tuis subsidiarias, quemadmodum clientes facere solent ac debent, quocumque tamdem illi visum fuerit: insignem nobis omnibus infamiæ notam inussisti, quodque reliquum decoris erat & existimationis, id totum pedibus inimico proterendum obiecisti. Si tuus id temporis exercitus imbecillior erat, quam vt Turcis superandis sufficeret: meis ad tuos adiunctis militibus, aut viribus potiores, aut pares saltim barbaris fuissemus: vt taceam, reges & principes Christianos omnes, ardenti motos amore zeloque religionis Christianæ, perlubenter auxiliares tibi copias in hostem communem fuisse suppeditaturos. Sed quando quod factũ est, infectum fieri nequit: missa sane faciamus hæc ante acta, licet haud mediocri cum dolore nostro; rebusque præsentibus matura prouidentia consulamus. Quod in mea quidem est potestate, velim scias, & certo tibi persuadeas; omnes adparatus bellicos meos, omnem regni mei militem, vires omnes, & quidquid tanto bello gerendo necessarium erit, quod a me quidem exspectari vel debeat, vel possit; hæc, inquam, omnia tuis subseruitura commodis. Sincere nos, & artissimo quidem vinculo cõiungamus; vt Turci vires, & arma, mutuis auxiliis frangere possimus.

His Lazaro nuntiatis, cõuenere principes, & icto fœdere, consilia rerum gerendarum deinceps inter se communicarunt. Erat autem in illis Bozinensium finibus arx quædam Alexandria, Turcis Ischenderie dicta. Eius arcis regulus imperio Sultani se summiserat, cum annui tributi pactione. Venit hic aliquando, excogitata vaferrima fraude, ad Sultanum Muratem; eique Bozinensis prouinciæ statum omnem secreto reuelauit, quum inter alia diceret, Teggiurem illum res nouas moliri. Simul suam offerens operam: Si mihi seruo tuo, inquit, virum aliquem strenuum ac militarem adiunxerit maiestas tua; ducam equidem in illa loca copias, & regiones Bozinenses non tantum tuo prorsus imperio subiiciam; sed opimis etiam spoliis euntes mecum ad hanc expeditionẽ Musulmanos egregie beabo. Perplacuit hæc Sultano reguli Alexandrini oratio, cui vestem honorariam iniici præcepit, & Lalam Schahinem, virum bellicosum, adiunxit; vt in agrum Bozinensem nõ exiguis cum militum copiis excurrerent.

Eodem anno, Lala Schahine prius depopulandæ Bozinæ causa cum exercitu misso, ad vrbem Anatoliæ Genischeherem siue Neapolim Sultanus ipse Murates profectus est; ibique splendidas sumtu maximo nuptias celebrauit. Quippe Constantini (hoc nomen omnibus Græcorum imperatoribus dare solitos Turcos, † alibi ostensum) filiam vnam sibimet ipsi coniugem accepit, eiusque sorores duas duobus filiis suis vxores dedit. Tres denique nepotes suos, e filio primogenito Baiasite natos, sollemni cærimonia (Turci Zunettum & nuptias vocare solent) circumcidit. Iamdudum quemdam cum legati munere miserat in Ægyptum, quem Iazigi-oglium vocabant; vt decoro consuetudinis regiæ non deesset. Quippe reges, aliis hoc erga se defunctis officio, nutuum & ipsi facere solent. Is etiam legatus hoc ipso nuptiarum tempore reuersus, ab Ægypti Sultano amplissima dona magno numero secum adtulit.

† *Pandect. cap. 51.*

Interim, dum hæc in Anatolia cum singulari pompa quadam fierent; coniunxit se cum arcis Alexandrinæ regulo Lala Schahin, & vterque Bozinam simul ingressus, grauissimis excursionibus vniuersam depopulati sunt regionem; & amplissima præda potiti, iam reditum ad suos parabant. Habebat reuersurus ex hostico Lala Schahin, mille dumtaxat apud se milites Turcos. Præter exspectationem omnium, triginta

millia Christianorum, qui ferreis induti erant armis, adparuerunt. Mox qui Lalæ Schahini milites aderant, concilio suorum aduocato, quid esset agendum, deliberabant. Lala Schahin hoc consilij dabat, vt ad noctem vsque dumtaxat id vnum agerent, ne conspici ab hoste possent. Sed qui erant in exercitu Zelibes, siue nobiles; (ita tunc vocabantur milites generosi iuniores) non leui ob hæc verba Schahinis iracundia commoti, se pugnaturos omni modo responderunt, nec vllo periculi metu proposito passuros ab hoc instituto se dimoueri. Fiat, inquiunt, quod fieri fatis ita volentibus debet. Nihil nos ea res terret. Lala vero Schahin huic eorum sententiæ magno studio contradicens: Abest a nobis, ait, maxima nostri pars exercitus, hinc inde variis in locis dispersi; nec vltra mille nobiscum heic milites habemus, quos temere XXXCIↃ armatorum obiici, minime consultum videtur; præsertim quum hic ipse locus, in quo modo consistimus, & angustus sit, & asper; vnde nec mouere nosmet facile, nec elabi fugæ beneficio poterimus. Tum maiore iracundia milites accensi: Stultum est, inquiunt, nihil tentare nec experiri velle.

Non desinebat horum insano conatui semet opponere dux sapiens ille, quem diximus; sed rationibus eius reiectis, non nisi fabulam, quod dici prouerbio solet, surdis narrare videbatur. Itaque Lala volente, nolente, prodierunt in hostem; occeptoque prœlio, pugnatum vtrimque magna cum effusione sanguinis, vsque ad horam ikindi, quæ a meridie tertia est. Victoria penes Christianos stetit, quibus Musulmani numero prorsus impares erant. Hoc modo Turci fœdum in modum a Christianis fuere trucidati, & ab iisdem omnis recepta præda, quam illi suis excursionibus adepti fuerant. Iam solus e mille, necatis ceteris, Lala Schahin reliquus erat. quumque frustra se diutius in hostem dimicaturum videret, id vnum operam dabat, vt ex ea clade saluus euaderet.

Strages tanta Turcorum edita quum heic, tum aliis etiam in locis fuit; vt egressis ad agendam ferendam Bozinam XXCIↃ, & amplius, cæsisque plus minus XVCIↃ, vix quinquies mille superstites cladi manserint, & incolumes ad suos reuersi sint. Et huius quidem stragis auctor vnus fuit arcis Alexandrinæ regulus, qui cum Zirfiæ Despota Lazaro, & cum Teggiure Bozinacorum secreto consentiens, astute rem omnem composuerat; communicatisque prius cum duobus hisce consiliis, sub fraudulentæ simulationis prætextu, quasi Turcorum rebus maxime studeret; Sultanum Muratem adierat, eoque persuaso, suis vti consiliis morem gereret, exercitui Musulmanorum perniciem & interitum adtulerat.

Murates intellectis horum fraudibus, & defectione Lazari Despotæ, summopere perturbatus fuit; & astum, quo vir subdolus vsus, nullo prope negotio suos deleuerat, admirari satis non potuit; accedente grauissima tum indignatione, tum cupiditate vindictæ; qua quidem ardenti, mox ita sanguine suffundi ceperunt oculi, vt instar carbunculi (qui Turcis, opinor, Ogic gemeni dicitur) non modo ruberent, sed etiam lucem de se spargerent.

Quapropter illico Vezirazemi siue primo a consiliis Ali bassæ mandauit, vt pluribus internuntiis hinc inde dimissis, amplissimas colligi copias imperaret. Tam vehementi quidem studio, & impetu animi, maturabat & vrgebat omnia Murates; vt hiemis & æstatis omni discrimine posthabito, nequaquam otium Lazaro principi, ad vernum vsque tempus quiescendi, concessurus videretur. Mox igitur vniuersis regibus vicinis, Caramanoglio, Tekensi, Aidinio, Mentesio, & Saruchanio, indicta profectio fuit, & ingens aduersus Gauros expeditio. Illi vero lubentibus animis adsensi, coacta quam quisque poterat maxima multitudine militum, ad religiosum (vt ipsi quidem existimabant) hoc bellū semet accingebant. Præterea diuersis e regnis ac prouinciis, tam extraneis, quam Osmanidarum imperio subiectis, ad Sultanum Muratem magno reguli numero confluebant. Missi quoque nonnulli sunt ad Sultanum Baiasitem, qui nuntiarent; cogi-

cogitare patrem de grauissimo religionis nomine Gauris inferendo bello, qđ absq; cruento prœlio non sit abiturum. Itaq; velle patrem, vt etiam ipse bellum ad hoc se comparet, copias auxiliares adducat, & expeditioni paternæ se sociũ adiungat. Huic patris mandato Baiasites obtemperans, vna cum Lala Schahine consiliario militē prouinciæ suæ collegit omnem, vt operam hac expeditione Sultano patri fidelem & egregiã nauaret. Administrabat id temporis Baiasites prouinciam (Sanzacatum Turci nominant) Cutaiensem; & parebat ei præterea Galatiæ pars ea; quam Turci ab opido præcipuo, Hamid-ilin vocant, quũ priscis esset Aminsus. Deinde Murates etiã Christianorum, qui tributum ei soluebant annuum, copias adesse paratas & instructas iussit. Ex his dumtaxat duo cõparuere, Custendil & † Seratzil; quorum & superius bello Caramanico facta mentio fuit. Custendil fuisse videtur eius vrbis in Macedonia regulus, quę cum agro suo Giustandil, veluti Giustan-ili, hoc est, Iustinianæ regio, nunc etiam a Turcis adpellatur. Priscis vocatam puto Iustinianam primam, Macedoniæ quidem illam, sed versus Illyricum, vel in ipso potius Illyrico sitam, Iustiniani Augusti patriam. Duo de Christianis iisdem reguli, desertis Sultani partibus, ad hostes defecere; nec vel ipsi secundum pacta conuenta se stiterunt, vel armatum aliquem suorũ numerum miserunt. Ex his vnus erat Sasmenos, qui Laonico Græce Susmanos, Schiltepergo Schusmanos dicitur; Ischenderis filius secundum Turcos, Alexandri secundum Græcos, quod idem nomen est: alter, Dobritzæ filius, qui Varnæ, cum regione finitima, Dobritze vocata, regulus erat. Laonicus editus corruptum ei dat nomen Dobrodiciæ. Nouas hi duo res moliti, milites ad Sultanum suos non adduxerunt. Id tametsi Sultanus Murates sane quã ægre ferret, tamen ab instituto suo propterea se minime reuocari passus est; quum diceret, eo prius ad finem perducto, postea sibi non defuturas hos quoq; puniendi rationes & occasiones idoneas. Eodem hoc tempore mortuum fuisse Lalam Schahinem, traditum quibusdã ab historicis; eiusq; beglerbegatum Cara-temur-tasi fuisse concessum Muratis beneficio. Statim hic in agrum Selanicensem, qui priscis Thessalonicensis erat, profectus; vsq; ad regionem modo Paulutzen vocatam, (Pautalien prisci dixisse ciuitatem, Pautaliotas eius incolas agri, videntur) & diripuit, & vastando depopulatus est omnia. Deinde reuersus ad Sultanum; cum ipsius exercitu se coniunxit.

† Supra Seratzes dictus.

Dobritzogli.

Murates arcessito Ali bassæ, veziri suo, mandauit; vt cum XXXCIↃ exercitu ditiones Sasmeni ferro & flammis absumtas, ad vastitatē redigeret. Quod quidē ei si prospere cederet, arces quoque cum opidis obsessas suo subiugaret imperio. Non tamen illos, qui deditionem vltro facerent, & in fidem se recipi peterent, eodem cum hostibus loco duceret. Præterea semper in ipsummet Sultanum intentos haberet oculos; vt quocumque locorum is adpelleret, suorũ opera cognoscere certo posset. Alis autem bassa; quum hanc principis sui voluntatem intellexisset; manum ei pro illarum more gētium osculatus, respondit: animam se pro Sultano suo deuouere, cui satisfacturus esset in omnibus, idque summa virium & animi contentione, quæcumque libitum ipsi fuisset tam fidei suæ, quam diligentiæ perficiunda committere.

Hoc igitur in hunc modum ad colligendum exercitũ dimisso, ne Sultanus quidem ipse diu sibi hærendum in Anatolia duxit, sed traiecto ad Calliopolim freto, proficiscendum Hadrianopolim, & tantisper ibidem manendum, donec Europæi siue Rumiliēses exercitus conuenissent.

Complures interim Turcorũ duces, præsertim Iaxis begus, Temur-tasis filius, & Vlu-begus (ea vox sublimem dominum significat) Iaiarum siue peditum bassa, cum Rumiliæ subassa, qui celebre Saratzis bassæ nomen habebat, & Cara-Mucbil, & Bazarlu-Dogan, & Intzezug Balaban Iaia bassa, & Mustezab † Seguan bassa, & Schahin filius Babassi, & Caulutzes, & Lulu Schahin, & bassa Iegides; hi omnes, inquam, collectis iam suis militibus, cum Ali bassa se cõiunxerunt. Missus præterea quidam fuit ad Ientzen begum, & ad Cutlu-begum, limitũ sanzacos; vt illis etiam præciperet, absq; mora

† Pandect. cap. 190.

se cum suis in bassæ castra conferrent. Ad summam, decem vexilla, sub quibus hominū triginta plꝰ minusue millia merebant, ad Alim bassam, Sasmeni principis ditiones inuasuri, conuenerunt.

† Pandect. cap. 49.

Hic Sasmenos (ita Turci nomen hoc scribunt, & Sasmanos; Græci Susmanos) Bulgarorum princeps erat, inferioris incolarum Mysiæ, quæ ab vrbe † Vidina se porrigit vsque ad pontum Euxinum, & tunc metropolim habebat Trinobum, vel Tirnobum. Sic enim scribi debet, aut Tirnoua; non Tribanus, quod interpres Laonici posuit. Patrem Sasmenus habuit Alexandrum, Turcis etiam testibus, quem magnus ille rex Seruiæ Stephanus huic inferiori Mysiæ præfectum dederat, quique mortuo sine liberis Stephano rege, principem e præfecto se fecerat. Sasmeni vero primi filius fuit Sasmenus vel Susmanus alter, Odrysiorum rex, id est Bulgarorum ad Pontum Euxinum pertinētium, vt Laonicus refert; cuius interpres ex Odrysiis, Moldauos; ex Bulgarorum rege, Moldauorum regē imperite fecit. Huic Sasmeno secūdo Lazarus Bulcus, Zirforum princeps, alteram filiarum dedit vxorē, sicut expresse Laonicus & Turci scripserunt. Laonici tamen totus ille sub finē libri I sic corruptꝰ est locus, vt intelligi de verbis interpretis nequeat: ideoq; lectorū historię studiosorū caussa, prius interpretis heic describam verba, deinde verum Laonici sensum subiiciā. Eleazarus, inquit Latinus Chalcocōdyles, quū haberet filias, vna Susmano Odrysiorum [siue Moldauorum] regi in matrimonium collocata, eum sibi generum parauit. Alteram connubio iunxit Bulco Branci, qui fuit Pladicæ filius, regenti Castoriam, & Ochridem Macedoniæ regionem. Hæc vitiose traducta, & inuicem sibi ac historiæ repugnantia, sic ex ingenio restituenda dico: Eleazarus quum haberet filias, vna Susmano regi Odrysiorū in matrimoniū collocata, eum sibi generū parauit. Alteram connubio iunxit Branci filius, (scribendum omnino; Bulci filius, hoc est, idē Eleazarus) Bulco Pladicæ filio, regenti Castoriā & Ochridem. Nec est, quod lectorē moueat nomen Bulci tam Lazaro Bulci filio, quam Pladicæ filio cōmune, quo lupū significari, capite XLVI Pandectis ostendimus.

Alexander.
|
Sasmenus I.
|
Sasmenus II.

Nā. Turci quoq; Lazari generum vnum adpellāt Vulcum, vti paullo post videbimus. Addamus & illa, non contemnēda, quæ † Schiltepergus de his duobus Susmanis in hanc fere sententiam memoriæ prodidit. Princeps, ait, Zenici Ponticæ regionis, & opidi Samsonis, factus est dux quidā, cui nomen Schusmanos, filius eius Bulgariæ principis, quā inter tres Bulgarias mediam vocant, & cuius metropolis est Ternoba; quæ regio ccc (triginta dicere debuit, vti mox e Turcicis adparebit) arces & opida cincta mœnibus tūc habebat. Hunc Ducē patrem Baiasites cum filio cepit, ac regionē suo subdidit imperio. Pater in carcere mortuus est. Filius, patri cognominis, musulmanissauit; vt vitā impetraret. Baiasites autem Samsonis vrbe, cū prouincia, quæ Zenic adpellatur, potitus; huic principi, loco paternæ ditionis, vrbē cum regione, quam quidem diu superstes futurus esset, concessit.

† Pa. cap. 5

His de origine, successione, potentia, casibus aduersis horum Sasmenorum, Bulgariæ principum, ad intelligendam facilius historiam, vtiliter (vt opinor) expositis: ad ea nunc progrediamur, quæ Dragomani Muratis historia de horum opidis, arcibus, tota regione; tum de Sultani Muratis aduersus Sasmenū patrem bello, memoriæ prodidit.

Regiones, inquit, Sasmeni principis, Ischenderis filij, sitę in ripa Danubij versus Hadrianopolim erāt, e regione Valachiæ † transalpinæ, q̄ trans Danubium in eiusdem fluminis ripa semet extēdit. Id temporis hæc Sasmeni ditio maximum habebat incolarum numerum, & mellis inde, butyri, pecudū, aliarumq; rerū, ad vsus humanæ vitæ necessariarū, ingēs ad vicinos populos copia sic exportabatur; vt nihilo minus ipsa regio rebus iisdē, ad vsus etiā suos, insigniter abundaret. Erāt in ea xxx, vel amplius, arces opidaq; munita; inter quæ præcipuorū hæc nomina sunt: Tzeneke, † Pirauade, Madra, Ventzina, Diritza, Mitzekia, Islekia, Gieuskia, (quæ aliis Goskia) Kirbitze, Keresdauicha, Eski Istambolic, Sunni, Tzernouizta, Meslutza, Cymenos, Kieus-oua, vulgo Cos-oua, Iurg-oua, Dirnaui, quæ Ternoba, Sasmeni principis regia, Nicopolis, Tunaburgos, Zibest-oua, Nouakesri, Diraca, Silistra: quorum opidorum

† Pandect. cap. 71.

† Pandect. cap. 3.

pidorum & arcium pars maior ad Danubij ripam fluminis eſt ſita. De plerarumque nominibus addo lectoris cauſa, Madram ab aliis non modo Materam, ſed etiã Madiram & Marram dici; Ventzinam, Venutzenam; Mitzekiam, videri aliorum eſſe Petzechium; Eski Iſtambolic, Turcis ſignificare veterem Conſtantinopolis regionem; Sunni, aliis Sumni eſſe; Tzernouitzam, Tzirneui; Tunaburgos, Danubij burgum dici; Zibeſt-oua contractius etiã Ziſt-oua ſcribi; Nouakeſri, veteri vocabulo Neocaſtri reſpondere.

Poſteaquam Alis baſſa iam indicatum collegiſſet exercitum, Hadrianopoli diſceſſit, & Aydon primo peruenit. In arce Pirauada quidam Huſein officio præfecti, quem illorum incolæ locorum dicere Porcolabum ſolent, Turci Subaſſam, fungebatur. Is tametſi pro Chriſtiano ſe gereret, honeſtis tamen moribus, & ingenio miti ac benigno præditus erat. Quapropter obuiam baſſæ profectus, humaniter eum, pro ſtatu rerum, excepit. Poſtridie eius diei Baſſa fluuiũ, cui nomen Camtzi-ſui, (vox poſterior amnem vel aquam ſignificat) tranſmiſit; & cum copiis ad arcem Tzeneken acceſſit, eoque loco caſtra metatus, illo die manſit. Altero die propter arcem Pirauaden, ad interuallũ non magnum, caſtra locauit; & confeſtim quinq; ſuorum millia ſelegit e toto exercitu, quos duce Iaxi bego, Temur-taſis filio, Pirauadam miſit; eique præcepit, omni ſtudio daret operam, vt aliqua fraude Pirauadam interciperet. Itaque Iaxis begus mox indicta ſuis profectione, recta Pirauadam duxit. Quum eſſet eo peruentum, ſignificatum eis fuit, Huſeinis Agæ iuſſu; (Turcorum hoc more dicitur, præfectum ſiue capitaneum arcis intelligentium) non eſſe, cur hoſpitium in hac arce vel opido quærerent, in quod grauibus de cauſis admitti non poſſent. Poſtea tamen propterea, quod hibernæ niues de cælo largiſſimæ caderent, miſertus illorum idem ille Chuſein Aga, ſponte ſua mandauit, vt opidum vel arx Tas-chiſar, (quo ſaxi caſtellum ſignificatur. Græci Lithopyrgum dicerent) ad vſum hoſpitiorum eis pateret. Turci Taſchiſarem ingreſſi, quamdam vicinæ Pirauadæ turrim nocturno

λιθόπυργος.

tempore, quum rebus ſuis negligenter admodum proſpexiſſent incolæ, perque ſummam ſecuritatem ſomnum caperent, furtim conſcenderunt & occuparunt. Id facinus vbi tam proſpere Iaxi bego ceſſiſſet, Muratem quemdã mox ad Alim baſſam contendere iuſſit, eique lætum rei bene geſtæ nuntium adferre. Poſtridie baſſa ſummo mane motis caſtris, ad arcem Pirauaden acceſſit, & a ſuis in eam admiſſus, intrauit; quumque iuſtis hanc præſidiis muniuiſſet, etiam Turcicos illos ſacerdotes, qui certis horis ad preces e ſummis templorum turribus excitare populum magnis clamoribus ſolent, ipſorumque lingua Mueſſini ſiue Meſſini Hozzalari vocantur, ordinari iuſſit: a quibus, ritu Muſulmano preces illæ mox ceptæ proclamari. Baſſa rebus omnibus, ad arcis defenſionem pertinentibus, vna cum militaribus annonis, recte curatis; cum exercitu diſceſſit, & verſus arcem Venuzenam ſiue Ventzinam, perrexit. Qui erant in ea Bulgari, claues arcis adlatas Baſſæ, quod eſſe deditionis argumentum ſolet, tradiderunt. Altero poſt hũc die Madirenſes etiam, cum Sumnienſibus, eodem ritu deditionis vſi, Turcorum imperio ſe ſubiecerunt. Alis baſſa ſequenti die Sumnium ingreſſus eſt, & omnes arces, in poteſtatẽ redactas, præſidiis, armis, commeatu, rebus aliis egregie muniuit & inſtruxit.

Mueſſin hozza. Pandect. cap. 34.

Interea vero, dum Alis baſſa hoc initium Bulgarici belli faceret, etiã Sultanus Murates inſigniter ab omnium bello gerẽdo neceſſariarum rerum adparatu inſtructus, primo vere fauces, vt dictum, Calliopolitanas traiicere, Bulgarici belli cauſa, conſtituit. Per abſentiam vero ſuam in Anatolia quinq; begos, rebus adminiſtrandis idoneos, & fortes ceteroqui viros, defendẽdis prouinciis relinquere decreuit. Horũ primus erat Temur-taſes baſſa, trium Aſiæ regionum præſes, Iſicli, (quæ aliis adpellatur Iſchaclu, quod amnis etiam nomẽ eſt, vnde ſic dicta prouincia, quam perlabitur, inter fontem Salema-lech, ſic vocatum, quaſi Pax tibi, vbi regionum Germeani & Caramaniæ limites ſunt, & inter Aſcheherem, de qua † Pandectes conſulendus) & Sanducli, & Cutaiæ. Secundus, Ferizes begus, qui Sanzacus

† cap. 40.

Engurensis, vel Ancyranus, erat. Tertius, Temur-tases Subassa, cuius imperio ciuitas & arx Siuri-chisar, (supra libro dictum historiæ tertio, hanc Caramaniæ sitam in limitibus) & regiones ad Sacarim flumẽ, (quod antea priscis monuimus esse, vel Sagarim, vel Sangariũ) parebant. Quartus, Cutlu-begus, Egridurensis Subassa. Quintus, Hozza begus, vrbis Ascheheris Subassa. His quinque proceribus retinendæ in officio totius Anatoliæ curam commisit, ne defensoribus destitutæ regiones huius, vel hostium prædæ, vel grassatorum iniuriis essent expositæ. Præter hos, & Ilias begus Iaia-bassa, relictus ab eo fuit in Anatolia; qua tamdem idoneis munita præsidiis, lectissimo cum exercitu Calliopolitanum ad fretum accessit. Forte quoddã inusitatum frigus aëris id temporis incidit, aduersisq; reflantibus ventis, transiicere fretum Murates nullo modo potuit, sed aliquot in Asiatico litore cum exercitu diebus hæsit. Tamdem Ienitzes begus, sanzacus Calliopolitanus, naues rebus omnibus instructas & paratas secum adferens, transportãdi ex Asia in Europam Sultani causa, cum numerosis illis copiis; ad litus Calliopoli aduersum adpulit. Iam tertium transmisso freto Murates in Europam ductabat exercitum. Prius vero, quam Calliopoli discederet, Ienitzen begum ad Calliopolim, cum nauigiis, Zelebibus, (qui nobiliũ nomẽ habent) & reliquo milite classiario, subsistere iussit, & summa cauere vigilãtia; ne Gauri, longius in Europam penetrãte Sultano, classem Calliopolim adducerẽt, & aliquod reb⁹ Turcicis detrimẽtum adferrẽt. Quum Murates rebus hisce curandis intentus esset, etiam Baiasites filius ad fretum accessit, eoque traiecto, Calliopoli se cum patre coniunxit. Inde Sultanus motis castris, versus Hadrianopolim profectus est.

Nota, præfectos classis fuisse Calliopolitanos Sanzacos. Pandect. cap. 219.

Alis autem bassa, quum de aduentu Muratis in Europã accepisset; Sumnio digressus, Venzinam venit, ibidemque castra metatus, illa nocte mansit. Forte duo viri, cõparandæ annonę causa, Venzinam e castris adeunt; quos Venzinenses adorti, præter meritum cedere non desierunt, donec vnus ex eis exspiraret; alter sibi fuga consuleret. Hic autem e præsenti vitæ discrimine præter spẽ elapsus, mox ad Alim bassam se contulit, eique rem omnẽ, vt gesta fuisset, exposuit. Motus indignitate facinoris bassa, mox imperauit, vt summis Venzina virib. oppugnaretur. Itaq; Turci milites arcẽ furioso quodã impetu adgressi, nullo prope negotio ceperunt, direptamq; vastarunt, incolis vtriusq; sexus in seruitutem abreptis. Opido diruto, Turciq; necati cæde vindicata, prouerbium hoc sermone Persico bassa subiecit: Conteri caput serpenti præstat.

Vicin⁹ erat Sasmeno Bulgaro Dobritzensis regulus, & heres, quẽ supra diximus hoc bello, reb. nouatis, nulla Murati auxilia, secundũ pacta cõuenta, misisse. Dobritzæ nomẽ ex Doberi opidi nomine factũ, quod Zosimus noster in 2 cũ Hæmo monte cõiungit. Habebat is regulus opidũ munitissimum, sui regiam principatus, cui nomẽ Varna. Eius opidi ciues duo Christiani, præter omnem exspectationẽ in Alis bassæ castra se contulerunt, & in eius conspectum admissi, vltro significare ceperunt; pcipuos in opido viros, instituta cõsultatione de eo, qđ agẽdum esset, tamdẽ in eam venisse sententiã, vt arcis præfectum aliqua via capiendum statuerent, ipsamq; Varnã bassæ dedendã. Eius rei perpetrandę causa; sanctissimo se inuicẽ iure iurãdo deuinxisse. Gratus fuit hic bassæ nuntius, ideoq; Iaxim begũ, Temurtasis filium, abire cum copiis iussit; ac siquidẽ hæc vera cõperisset, redacto in potestatẽ, munitoq; opido, mox ad se reuerti. Paruit mãdato bassæ Iaxis begus, & cũ aliquo militum numero castris excessit, horumque duorum Varnensium ductu quemdã ad locũ Varnæ vicinũ se cõtulit, vnde viros hosce duos in opidũ cum mãdato misit; vt voluntatem suorum explorarẽt, & rectene res, an sequius haberent, ingenue sibi, absq; vlla dissimulatione, renuntiarẽt. Quippe si veraces deprehẽdisset, nõ se vestitu dumtaxat insigni, sed aliis etiã donis eos culturum. Hoc modo dimissi Varnã Christiani, ad Iaxim begum non amplius reuersi sunt. Ille vero Bulgarorũ animaduersa fraude, q eum ludibrio habuissẽt; ad Bassam in castra rediit. Horum nequitiam in hoc quidẽ tempore coact⁹ Alis bassa fuit inultã relinquere, qđ transuecto in Europã Sultano Murati properaret occurrere, suasq; cũ illius exer-

Dobritzæ regulus. Δοβηρὸς.

exercitu copias coniungere. Quippe iā non Calliopolim dumtaxat is adpulerat, sed longius etiam progressus, ad Iambolim Macedoniæ peruenerat, quæ Chalcidice priscis fuisse creditur. Necdum Murates ingressus vrbem fuerat, quum ei profectus obuiam Alis bassa, pro barbarorum more manum oscularetur. Exceptus a Sultano ꝑbenignis verbis fuit, & de iis interrogatus, quæ bello gesta Bulgarico ad illud vsq; tēpus essent. Satisfecit Alis abunde Muratis voto, narrata serie rerū ab se gestarū, & prospero successu, quo nōnulla cum arcibus opida Turcorū imperio feliciter adiecisset.

Quum autē videret Sasmenus, arces & opida sibi cum ditionibus & territoriis suis, a Turcis eripi: arcessitos proceres & alios, quorum consiliis vti solebat, interrogauit; quid eis hoc rerum statu, tam periculoso, videretur agendū. Responsum ab omnibus, nihil ab eo fieri posse melius, nihil vtilius; quam si Sultani se summittat imperio, factusque Muratis cliens, eis beneficio regiones & arces amissas recipiat ac possideat. Quapropter huic consilio pariturus, linteamen siue fasciam, qua mortuorum inuolui cadauera solent, collo gerens adligatam, vt ritu barbaro meritum se supplicium mortis fateretur; Iambolim ingressus est, & humi prostrato ad equi pedes corpore, cui Sultanus Murates insidebat, quam abiectissime se gessit; variisque precibus vsus, in hæc verba tamdem erupit: Omnibus aliis opidis & arcibus meis Silistria, tā magnitudine sua, quam rebꝰ aliis, vt ædificiorū splendore, ciuium copiis, ipsa deniq; munitione p̄stat. Hāc ego tibi, quādocumq; volueris & iusseris, tradā; tuæ me totū mācipabo clientelæ, dū vixero: dūtaxat mihi delictū hoc meum condona, quāque aduersum me concepisti acerbitatem animi, merito meo, supplex te precor vt remittas.

His ab eo lamentabili gestu & voce prolatis, non benigne tantūmodo Murates hāc ei culpam condonauit, sed etiam vestes iussit inici, se præsente, maximi sane pretij; summisque honoribus aliis adfectum, regno suo regem, & regi regnum restituit. Hinc Ali bassæ mādauit, vti quibusdam cum copiis Silistriam proficisceretur, eiusque possessionem suo nomine caperet, arci præsidium imponeret, Iaxim begum, Temurtasis filium, Silistrianis sanzacum daret. Confestim Alis begus, vt imperio Sultani satisfaceret, cum aliquo militum numero Sumnium profectus, quemdam e suis ad Sasmenum misit, qui eū Silistriæ dedendæ, secundum id, quod vltro facturum se receperat, admoneret. Verū inconstātis vir animi, lubricæq; fidei, quod promiserat, minime præstitit; sed a pactis cōuentis temere discedēs, Silistriā bassæ denegatam munire summo studio instituit, sui ꝓrsus honoris & existimationis oblitus. Ea vero quū renūtiata bassæ fuissent, grauiter excandescens: Hem perfidum, inquit, hominem. Quum ad Sultanum veniret, instar vulpis adulatricis se gerebat: nunc suæ ditioni restitutus, instar canis mordacis acriter se nobis opponit. Sed fauente numine castigandi eius aliquam rationem inueniemus. Hinc Alis bassa diebus aliquot in opido Sumnio substitit.

Conuenere bassam hoc ipso tēpore Christiani quidā ex opido Diraca, q̧ deditionem eius facturos se pollicebātur, modo mitteret aliquis, cui traditio fieri posset. Itaq; Bassa Muratem quemdā ire Diracam iussit, Iaxis begi famulum, oriundū ex opido, cui nomen †Eschibolos, & quem supra diximus optatū Bassæ de capta Pirauada nuntium adtulisse. Huic igitur adiūctis aliquot militū centuriis, præcepit; vt Diracam se cōferret, eiusq; deditæ possessionem caperet. Simul eidem futurum promisit, vt Sultanus Murates hoc aduersus Gauros bello defunctus, magnis hominem dignitatibus ac præmiis remuneraretur. Fecit Murates, quod imperatum fuerat. Quumq; Diracā venisset, & arcis deditionē exspectaret; iā Gauri pænitentia ducti, quod ante promiserāt, reuocarunt; exclusis ab vrbe Turcis. Commotus ob indignitatem facinoris Murates, & vniuersum Diracensem agrum depopulatus, ad Bassam rediit. Interrogatus, cur tam cito reuerteretur, & quid actū esset in illo negotio, cuius causa Diracā ire iussus fuerat; rem omnē ordine narrauit. Sed postridie reuersis ad Bassam Diracensibꝰ illis Christianis, & humi corā eo prostratis; Quid hoc esse rei dicam, inq̄t Alis, o viri scelerati & exsecrabiles? Itane vobis huc venire libuit oblatū deditionē opidi vestri,

† *Pandect. cap. 36.*

nos vt inde ludibrio haberetis? Et iam de nuo quoque redire scilicet ausi estis? Pro merito vos ego vestro puniã. Quibus illi minis auditis, per omnia bassam sacra sunt obtestati, nulla rem culpa sua crederet impeditã, quo minus Diraca Turcorum in manus veniret. Inde sacramento nomine Christi, qui mos Christianorum est, & Euangelij sui cõcepto, sancte polliciti sunt, opidum Bassæ nulla se mora interposita dedituros. Hoc modo factum, vt serio Bassa rem agi crederet: ideoq; rursus Eschibolensem illum Muratem cum copiis Diracam pergere iussit, qui admissus in opidum fuit, & imposito pręsidio, curam eius aduersus hostes defendendi suscepit.

Alis bassa dies aliquot in opido Sumnio commoratus, motis castris Deritzen venit. Huius arcis incolæ Christiani, non exspectato Turcorum impetu, sua sponte claues opidi bassæ obtulerunt. Is hinc ad opidum Kirepzen profectus, illo quoq; potitus est. Secundum hæc ad arcis & opidi Cosouani præfectum misit, qui ab eo peteret, vti Muratis imperio se subiiceret. Cosouanus bassæ verba flocci faciens, superbe suo subditorumque nomine respondit: Se nec a principe suo defecturos, nec imperium Turcicum accepturos. Quamobrem bassa Bazarlim Doganum begum Cosouam ire cum mille militibus iussit, vt eã flammis & ferro perditã depopularetur, muliebrem totius ditionis sexum, cũ pueris & adolescentibus, in seruitutẽ abduceret. Venit Cosouam Doganus, & quod imperatum sibi fuerat, fecit. Tum vero Christiani eorũ locorum supplices adiere bassam, captaque mancipia restitui sibi a Turcis petierunt. Quippe si hoc impetrassent, vicissim se polliciti sunt arcem cum opido Cosoua, Bassæ tradituros. Mox Alis bassa Cosouanorum mãcipia colligi iussit, & Gauris siue Christianis illis restitui. Sequuta Cosouæ deditio, quam vbi suam in potestatem bassa redegisset, ac iam possideret: præter exspectationem Christianorum mãdauit, vt his redditi captiui, rursus in Turcorum manus redirent: quos quidem Gauris per vim Turcici milites extorserunt.

Occupata Cosoua, longius Alis in Bulgariam penetrauit, & ad vrbem Tirnouã, quæ regia Sasmeni principis erat, castra posuit. Mox ei claues a ciuibus oblatæ fuerunt. Hinc ad arcem Tzirneuim accessit, eamque cepit. Postea Nouakesri quoque, cum Kirastozai, Turcorum in potestatem venerunt. Ibidẽ adlatæ fuerunt ei claues arcis, cui nomen Iurcoua. Secundum hæc in ripa Danubij fluminis progressus, quascumq; Gulas (sic paruas arces, veluti turres, vocare barbari solent) & castella reperit in itinere, cepit; eisque præsidia suorum imposuit. Missus inde fuit ab eo quidam ad præfectum Bulgari principis in arce Zistoua, qui deditionem eius fieri iuberet. Sed is occlusis opidi portis, opponere se Turcis ausus fuit. Verum deficiẽte tamdem Christianorum adparatu, quũ fortiter aliquamdiu restitissent; desperata defensione, duci Turcorum Ali bassæ portas aperuerunt, & quando sic eos vrgebat extrema necessitas, Muratis imperio se parituros professi sunt.

Zistoua capta, processit vlterius cum exercitu versus illas arces & castella, quę olim † Transalpini Valachi Danubium traiicientes occupauerant in Bulgaria; & nullo labore, præsidiariis in captiuitatẽ abductis, omnia recuperauit. Accessit inde Nicopolim, & vrbem obsidere cepit, in quam Sasmenus, Turcorum vim fugiens, se receperat. Nullam hac vrbe Bulgarus neque præstantiorem, neque munitã magis habebat. Cis Danubium sita est, qui muros eius alluit. Quum igitur omnem vim adhiberet Alis, vt Nicopoli potiretur: percussus formidine Sasmenus, eiusmodi fascia, qualem paullo ante descripsimus, collo adpensa, filioq; suo secum sumto, extra Nicopolim prodiit, & in castra veniens, ad Bassæ pedes semet abiecit. Bassa vero principis, in eiusmodi calamitatem pręcipitati, misertus; & culpam ei condonauit, & rursus hominem in gratiam recepit. Hinc bello tam insigni prosperitate cõfecto, Sultanum adire properauit. Is quum ad aliquod tempus in vrbe Iamboli substitisset, ex eo loco discedens, ad arcem Tausonlu nominatam se contulerat. Huc Alis ad eum bassa venit, & manum principis osculatus, quam feliciter aduersus Bulgarum res ab se gestæ fuissent, exposuit: quæ quidem omnia Sultano maximæ voluptati fuerunt.

† Pand. cap. 71

Habebat

Habebat Murates subassam quendam, virũ in primis strenuum & militarem, Eurenosem begũ; qui peregrinatione religionis ergo suscepta, more Musulmano, Meccam profectus fuerat; Dei sacram ædẽ, quæ Turcis Kiabe nominatur, visitatum. Quumq; peregisset istic omnia, q̃ Muhametanæ superstitionis † ritus exigũt: ad suos reuersus, mox etiam in castra Sultani venit, & operam ei suam obtulit. Pergratus fuit huius viri Sultano reditus, qui perhonorifice exceptum insigni timario donauit.

† Pandect. cap. 155.

Post hæc Murates, Bulgarico bello defunctus, præfectum exercitibus Europæis Alim bassam, cum titulo † Ser-askeris, inuadere Lazari Zirforum principis regiones hostiliter iussit. Is Philiben profectus, duobus istic mensibus hærere coactus fuit, ob inundationem Meritzæ fluminis, quod extra ripas suas effusum, obliquefactas vicinorum montium primo vere niues, transiri nullo modo potuit.

† Pandect. cap. 233.

Expositum supra, maiorẽ natu Muratis filium Baiasitem, statim a transitu patris in Europã, Bulgarici belli gerendi causa, suis cum copiis & ipsum Calliopolitani freti fauces transmisisse. Minor interim natu frater Baiasitis Iacupes Zelebis, qui Carasinę regionis Sanzacus id temporis erat, in Anatolia substitit. Quapropter Murates altero de bello cogitans, ad hunc quoque misso quodam Ispahio, significari iussit; ad bellum contra Gauros gerendum & ipse quam maturrime se pararet, vt paternis omnino copiis adesset. Quum primum Iacupes Zelebis hæc accepisset, ab omnibus se rebus necessariis instruxit, & mari ad Calliopolim traiecto, summa festinatione cum Sultano patre se coniunxit. Itaque iam tantus erat a Murate collectus exercitus, vt in Europa nullus huic vmquam numero par coiisse crederetur. Dumtaxat forum rerum venaliũ ad decimum fere lapidem porrigebatur. Ac tametsi tanta mortalium multitudo in castris esset, tamen omnia, præ annonæ copia, tam vili pretio distrahebantur; vt alimentis nullus indigeret, ac mellis, butyri, carnium, aliarumq; rerum ad sustinẽdam hominum vitam necessariarum abundãtia ne oculis quidem cõprehendi posset. Et ceptũ fuit hoc geri bellum adulto iam vere, quod Turci rosæ tempus adpellãt. ideoq; tã lacte, quam lacticiniis, & inprimis acido lacte, Turcorum deliciis, quod ipsis Iugurda dicitur, Oxygala priscis nominari solebat, plena passim castra conspiciebantur.

Posteaquam Zirforum Teggiur siue princeps ille Lazarus inaudisset, Sultanum Muratem iam suo cum exercitu castra Philippopolitanis in campis metatum; secreto quodam animi metu excruciari cepit, & secum ipse dicere: Me miserum, qui meamet culpa propemodum perij. Leopardo terrorem imprudens incutere volui, leonem sopitum excitaui, caudam anguis dormientis pede calcaui, lupum lapide petij. Dolores & anxietates animi maximas ipsemet mihi comparaui. Sed enim video, seram pænitentiam nec aliis vmquam profuisse, nec mihi profuturam. Nihil aliud mihi remedij superest, nisi perpetuis vt bellis aduersus Turcos ad mortem vsque me defendam.

His secum expensis, & animo non parum metu futuri labefacto, nihilo minus omnes imperio suo subiectos in armis esse iussit; & quamprimum ad se venire; Turcorum vt obuiam ire conatui posset, ac se cum suis aduersus iniustam illorum vim tueri. Simul ad omnes vicinos reges, Teggiures, * Banos, regulos, cum mandatis quosdam misit; vt iis exponerent, Turcos maximis viribus, & infinito fere cum exercitu suas inuadere prouincias, nec se videre, quonam modo sola Zirforum potentia suffectura sit ad resistendum. Absque vestris fuerit auxiliis, inquit, nullo prope negotio meque fortunasque meas Turcus euertet, adituque sibi vestras ad prouincias patefacto, finem progrediendi nullum faciet; donec vos quoque sub iugum miserit, aut etiam penitus exstirpauerit.

* Pandect. cap. 71. & 174.

His effectum legationibus, vt Lazari Despotæ gener, Vulcus Pladicæ filius, Ochridis, Castoriæ, Prilisbœæ, aliorumque locorum Macedoniæ princeps, cum Demetrio, Iendis filio, & cum Sarutze Ziuni, (nomen hoc Ioannem flauum, aut deminuta forma, subflauum significat) Bozinensi Teggiure, suas coniũgeret vires, easq; socero laturus opem sane maximas adduceret.

Misit præterea Lazarus quosdam alios oratores ad Christiani orbis vniuersi reges ac principes, aduersus hostē communem auxilia postulatum. Itaque maximi exercitus e Valachia, Vngaria, Bohemia, Croatia, Sclauonia, * Arbanosia, Bulgaria, Italia, ceterisque Christianorum regionibus, ad Lazarū Despotam, auxilij ferendi causa confluxerunt. Et constat, ab eo tempore numquam maiores Christianorum copias conuenisse. Tradunt enim illorum temporum historiæ, fuisse tūc hominum ad quingenta millia Christianorum in castris. Sunt autem in regione Lazari principis imperio subiecta, qua Zirfiæ pars maior tunc continebatur, duo flumina; quorum vni nomen est Moroua maior, alteri Moroua minor. Et tanto distant ab se inuicem interuallo, quantum itinere bidui conficere cursu minime remisso equus agilis possit. Quoties extra suos vsitatos alueos, ex aquarum inundatione, semet effundunt; adeo campos intermedios instar lacus alicuius diluuio quodam operiunt, vt vix etiam volucribus ad trāsuolandum vires sufficiant. Lazarus Despota, cum vniuerso Christianorum exercitu, maioris ad Morouæ ripas castra metatus substitit.

* Pandect. cap. 94.

Ceterum non ita pridem Alis bassa, bellum aduersus Sasmenum Bulgarum gerens, quod exposuimus, inter alia Sasmeneæ ditionis opida & arces, etiā munitissimum & sublime castrum, cui nomen Sarkiue, ceperat. Id in limitibꝰ regionum Lazari & Sasmeni situm erat, & a fronte paludibus obiectis defendebatur, a tergo monti erat impositum. Perspiciebat autem Lazarus, quantum esset arx illa limitanea rebus suis adlatura commodi, si suis finibus adiungeretur; & vicissim, quantum ex ea damni suis dari posset, si Turcorū in potestate maneret. Quapropter huc Demetriū cum exercitu abire iussit, eique præcepit, vt arcem Sarkiuen, quacumque via posset, Turcorum e manibus eriperet. Erat hic Demetrius heroici vir roboris & animi, quem ferebant etiam si solus esset, a decem millibus hominum sibi nō metuere solitum. Quamobrem sumtis armis Demetrius, & equo conscenso, cum selecta manu quadam ex omni Christianorum numero Sarkiuen accessit. Territi hominis aduentu præsidiarij Turci, re statim deliberata deditionem arcis faciundam statuunt, quam contra talis impetum viri se defensuros diffiderent. Hoc modo Sarkiue Demetrio tradita fuit. Sultanus autem Murates his intellectis, statim Einem begum Subassam, & Sarutzen bassam, abire Sarkiuen, eius recuperandæ causa, iussit: qui quum eo venissent, agrum omnem in arcis ambitu flammis & ferro vastarunt. Id vbi Lazaro nuntiatum fuisset, absque mora generum suum, Vulcum Pladicæ filium, cum XXCIↃ hominum misit, vt omnes, quotquot erāt in arce, totaq; vicinia, secum illinc abduceret, ne Turcis in prædam cederent. Vicissim Sultanus etiam Murates, his auditis, Iaxim begum Temurtasis filium pergere Sarkiuen cum aliis XXCIↃ voluit; vt hostis anticipato conatu, Sarkiuen a fundamentis ipse dirueret, incolasq; totius regionis secum abigeret. Si forte Christianorū occurreret exercitui, cū eis prœliū inire ne detrectaret: omniq; studio daret operā, vt ante Christianorum aduentum arx ab ipso destrueretur. Venit hisce cum copiis summa celeritate Iaxis begus ad arcem Sarkiuen, sed Lazari gener hūc anteuerterat; intellectoq; Iaxis begi consilio, mox hominibus secum abductis, & opibus auectis, arcem cum vrbe vacuam diruit; & accelerata profectione, quę fugæ similis videretur, ad Lazari castra cōtendit. Iaxis begus re tota, quemadmodum gesta fuisset, Murati nuntiata; quid ab se fieri vellet, an hostem persequi iuberet, necne, quæsiuit. Responsum a Murate, missos illos faceret, & ad se quamprimum rediret: cui mandato Iaxis begus mox paruit.

Lazarus autem, coactis Gaurorum infinitis illis propemodum copiis, dum propter Morouæ maioris ripas hæreret; aduocatis ad concilium proceribus, regulis, præfectis, & omnibus industria militari præstantibus, deliberandum proposuit; quid, quoue modo gerendū aduersus Turcos hoc bello censeret. Tum vero diuersæ dici ceptæ sententiæ. Plerique prœlio cum hoste decernendum aiebant, aliis contra suadentibus, vti pax cum Turco fieret. Nonnulli consulebant, vt castris inde motis, in hostem recta duceretur exercitus; ne quid otij vel occasio-

occasionis habere posset, reddendi condicionē suam meliorem. Nec deerant, qui certas in medium causas adferrent, cur illis hærendū in castris esset. Harum vero quatuor sententiarum auctores sic inter se dissidebant, vt eorū a reliquis omnibus & improbaretur & exploderetur consiliū, qui pacis ineūdæ cum Turco mentionē iniecerant. Quippe quum paratas, aiebant, tam numerosas habeamus copias; maximæ nobis ignominiæ fuerit, si barbaro nos seruilē in modum subiicere velimus, & in obtinenda pace verbis ei nos illis obligare, quę sine diuini mentione nominis enunciari nō possunt; vt omnino pacta cōuenta voce Zaboga sint a nobis cōfirmanda, qua Deo interueniēte testemur, omnia nos Turco promissa sancte pręstituros. Hoc modo tamdem in cōcilio cōclusum vnanimi consensu, reiecta penitus omni mentione pacis, de bello, deque prœlio cum Turcis committendo cogitandum.

Zaboga, per Deum.

Erat inter ceteros quidam, acrimonia sollertis ingenij, & vsu pariter, astuque militari excellens. Is sui consilij rationes explicans; Nihil in hoc negotio præstiterit, ait, quam nullum vt tempus, iam paratis omnibus & integro rerum nostrarum statu, sine fructu abire nostro patiamur. Multis condicionibus hostē superiorē habemus. Si nos cessauerimus, Turcorū vires de die in diem maiora sument incremēta; dū nostræ ex aduerso cottidie deminuentur copiæ. Præterea Turcicæ nationis ea vafricies est, vt explorata prœliorū momēta semper habeāt, nec vllas rei feliciter gerendæ occasiones negligāt. Quare quum omnia nobis ad conferendā cum hoste manū parata sint, omnino dimicandū arbitror, in quācumq; partē victoria tamdem inclinatura sit. Prius tamē in hostiū castra legatū mittendum cēseo, qui eorum consilia exploret, exercitū speculetur, qui militū animi, quæ multitudo sit, inquirat. Hic vero quū reuersus ad nos e castris hostilib⁹ fuerit, tum deinde, cognitis omnibus Turcorū rationib⁹, prœlio res committenda, Turcus insidiose pertrahendus in aliquam vallem angustam, vbi nec progredi, nec retrocedere queat: ac tū demū totis virib⁹ inuadendus, tantoq; cędendus impetu, ne qdem vt cladis nūtius superstes ad suos redeat.

Hoc probato consilio, castra Lazarus a Moroua maiori mouit, & legatum quemdam ad Sultanum Muratem misit. Ab altera parte Murates etiam Philippopoli digressus, ad opidū Ichtimam (Stenimachum Græci dixisse videntur) die tertio peruenit, ibidemque locatis castris toto triduo substitit. Interim Siratzes regulus Christianus, qui Muratis imperio parebat, copias suas huc adducens, cum Murate se cōiunxit. Hoc autem loco progressuris duplex occurrit iter. Vnum ad dextram, versus hæc opida, Sophiam, Nissam, Sarkiuen: alterum ad sinistram, versus Ilitzen tendit, & aliquot hoc itinere trāseunda flumina veniunt. Murates aduocatis e Siratzis exercitu Christianis: Vobis, inquit, notum est, vtrum iter ex hisce duobus altero commodius sit. Respōsum ab omnibus, videri consultius, ad sinistram deflecterēt, siquidē vti via faciliori vellet. Quippe lōgius iter esse, quod versus dextram suscipiatur. Murates horū laudata sententia, viam ducentē ad sinistram alteri ꝑtulit: motisq; castris, die tertio ꝑuenit ad campū, cui nomē Alaëdin. Ibi quoq; biduo ꝑmansum. Venit huc in castra Muratis regulus Custendil altero die cū exercitu suo, seq; cū Turcis cōiunxit. Hic vero, licet ꝓfessione Christian⁹ esset, tamen singulari fide Sultanū Muratē colebat: ideoq; Sultan⁹ hoc ei muneris imposuit, vt reliquū antegressus exercitū, & expeditū redderet iter suorum opera, & viæ dux esset. Hinc diebus aliquot in itinere cōsumtis, ad opidum Ilitzen (a thermis dictum puto) Murates accessit. Nō ignorauerat Giustendil, (ita nomen hoc etiam scribitur) Sultanū hoc itinere suam ad regionē venturū: ideoq; maximā rei annonariæ copiam cōuehi curauerat, puta mellis, butyri, lactis, carniū, cum esculentis ceteris; itemq; vim hordei propemodū infinitā, cum aliis pabulorum generib⁹. Præfecti regionis huius omnes ad opidū Ilitzen Sultanum adierunt, suasq; cum eo coniunxere copias. Hinc Ilitze discessum, & in planiciem ventum, quę Olo-oua, siue campus magnus vocatur. Heic Murates, Ali bassa compellato: Flagitat, inquit, ipsa necessitas, vt aliquem e nostris deligamus, qui res hostium solerter exploret, ac nobis omnia, quæ intellexerit, renuntiet.

Quum autem accepiſſet Hazzis (id homini datum cognomẽ ob aditam religionis ergo Meccã) Eurenoſes begus ille militaris, quemdam a Sultano quæri, qui ex hoſtico raperet aliquos, inimicorum conatus & conſilia patefacturos; mox Sultanũ adiit, & ante pedes ipſius terram exoſculatus, ſuam ad procurandum hoc negotium Murati operam obtulit. Ea Sultano pergrata fuit oratio, qui ſciret, Eurenoſi rationes eorũ limitum probe cognitas eſſe. Quapropter hunc abſque mora dimiſit, qui cum XL comitibus vltra opidum*, cui nomen Vſcupia, profectus; ibidẽ ex improuiſo Chriſtianos quoſdam adortus cepit, eoſque ſecum ad Sultanum abduxit, qui verbis Eurenoſem beneuolentiæ plenis collaudauit.

*Pandect. cap.169.

Inde motis e planicie magna, vel Olo-oua caſtris, ad locum Murates venit, cui nomen Caradonli. Tempus heic ad aliquod ſubſtitit, & Lazari legatus eodem acceſſit, quæ in mandatis haberet, heri ſui nomine, Murati expoſiturus. Summa legationis hæc erat, principem ſuum Lazarum à tribus iam menſibus ad committendũ prœlium fuiſſe paratum. Tam longo temporis ſpatio venturam fuiſſe Philippopoli vel quadrigã ad Zirfos, a tardis tractam bubus. Si vir eſſet, omnino progrederetur, & ſecum pugnaret. Sin recuſaret illuc venire, ſaltim ad prœlium ſeſe pararet: vltro promittere Lazarum, ſe Muratem ſuo cum exercitu quęſiturum. Nihil cottidie Muratem aliud agere, quam quod venatu & aucupio ſemet oblectet. Toties nunc aduentus ſui ſpem vanis pollicitis feciſſe, ſed aliud nihil adhuc ſequutum, quam quod inerti ſecordia tempus extrahat.

Sultanus, his auditis, ira commotus aduerſus oratorem Lazari; Siquidẽ, ait, violari ius gẽtium aliqua ratione poſſet, ac licitũ eſſet interficere legatos: equidem minime tibi parcẽs, merito te tuo iuberem occidi. Non mirum, ſi Lazarus ille tuus exſecrabilis, tãtæ plena iactantiæ, tãtæ temeritatis verba nobis oggannit; quum necdum acinaces Muſulmanorum conſpexerit, nullam adhuc alapam a nobis acceperit, necdum pugnos noſtros expertus ſit: Catus domi ſuę deſidens in tenebris, ſe leonem eſſe vana putat imaginatione. Sed equidem faxo, volente Deo, tandem vt Turcicæ virilitatis documenta videat, ac reapſe virtutem noſtram experiatur.

His dictis, totum Murates inſtrui iuſſit exercitum. Mox armis ferreis induti milites, in equos adſcendunt, oratoris Zirfici territãdi cauſa ſe ſpectandos exhibent. Is vero luſtratis Turcorũ copiis, præ formidine ac metu inſtar folij tremere cepit, ac toto corpore trepidare. Nihilo tamẽ minus animo nonnihil recollecto, Sultanũ adpellans: O Murates, inquit, tuum tu quidem mihi nunc exercitum oſtẽdiſti: ſed ſcire debes, exercitum noſtrum decuplo fere tuo maiorem eſſe. Nam quingenta militum nobis ſunt millia, qui omnes armis inſtructi ferreis, vſque adeo veſtris militari virtute præſtant; vt vnuſquiſq; noſtrorum pluribus opponi Turcis poſſit. Ad hæc oratoris verba Murates excandeſcens; Hem fœdum ſtercus, ait, hem Stygie canis exſecrande, tune tam impudenti hæc ore proloqui audeas? etiamſi totius orbis terrarum exercitus omnes a vobis ſtarent, tamẽ ego diuina fretus ope, noſtrique prophetæ Muhametis miraculis, effuſum humi ſanguinem omnium cum puluere terreſtri commiſcebo, formicarum inſtar vos pedibus obteram, vno complures ictu de medio tollam, ipſi denique Lazaro veſtro caput amputabo. Quibus iracunde prolatis, oratorem e caſtris expulit, & milites ex equis iuſſit deſcendere.

Secundum hæc omnes Portæ Sultaninæ begos, proceres, conſiliarios, ad cõcilium arceſſens, deliberationem de rebus deinceps agendis inſtituit. Ante vero, quam quiſquam aliquid diceret, Hazzim Eurenoſem begum alloquens; Quid tibi videtur, ait, o Eurenoſes? quonam modo committendum cum hoc Gauro prœlium exiſtimas? qua via rem adgrediemur, vt proſpere nobis ſuccedat?

Ad ea verba Muratis Eurenoſes heros (ita Gaſim alicubi Laonicus interpretatur) reſponſurus, primum terræ fixit oſculum, inde verba protulit huiuſmodi: O rex & Sultane, mancipiũ tuum vile ſum. Quanti cogitationes & conſilia mea veniunt æſtimanda? quid humilis proferre formica vatis in præſentia Solomonis, omniũ mortalium ſapientiſſimi,

tissimi, possit? Tuam ad maiestatem pertinet, nosse rationes cædendi hostilis exercitus, ac belli feliciter, & ex vsu reipublicæ gerendi. Quæ quum ab Eurenose dicta fuissent, exemplũ eius ceteri quoque begi secuti sunt; & a Sultano sententiam dicere iussi, cõsimilibus se verbis excusarũt. Tum Murates: Quamuis equidem, ait, o begi & proceres mei, numinis auxilio clementiaque fretus, in hostes sæpissime pugnaui, & cæsos exercitus quamplurimos fudi, fugaui, ad internecionem deleui: tamen hoc, cum hoste præsenti, pugnandum nobis prœlium, minime cum ceteris illis est conferendum. Quapropter omnino tanti momenti res ad consilium reuocari debet. Scitis enim, consultationẽ esse præclarum quoddam & sanctũ opus, quod ipse propheta noster Muhametes tantopere nobis commendauit. Scitis, sententiarum communicationem puram, sinceram, vnanimem, & ipso nobis a numine præceptam, & operæ maximum haud dubie pretiũ esse. Conuersus hinc ad Eurenosem begum: Elapsi sunt, inquit, anni iam plurimi, ex quo limitibus hisce te præfeci. Tu mores horum hominum, tu consuetudines & rationes omnes perspectas habes. Aliorum sentẽtiæ tuis cum cogitationibus & consiliis, hac quidem in parte, nequaquam comparandæ veniunt. Posteaquam Eurenoses vrgeri se ad dicendam sententiam a Murate videret, paucis consilium suum verbis aperiens: Equidem, ait, o Sultane; vilissimus seruus tuus, recte facturos nos censeo; si collocata in æternum illud cæli numen fiducia, tempestiue motis castris hinc priores discesserimus, & pręceptis locis ad pugnam maxime idoneis, nostram hac via condicionem meliorẽ effecerimus. Hostis inde suo cum exercitu veniat, vbi lubitum ei fuerit. Non tamen his præoccupatis industria nostra, magnopere festinandum nobis arbitror: sed hosti potius permittẽdum, vt prior ipse nos prœlio lacessat. Quippe sic comparatus hic Christianorum exercitus est, vt posteaquam numerosissimis illis suis cum copiis in acie constituti sunt egregie conglobati, omnino ferreæ cuiusdam arcis instar futuri sint, quę nec perrumpi facile, nec superari poterit. Sin ipsi priores pugnare ceperint, tũ vero necesse erit, vt etiam ipsimet confertam hanc aciẽ soluãt, quo nos adgredi diuersis in locis possint: vnde nos hoc commodi percepturi sumus, vt æquo propemodũ Marte cũ eis dimicemus. Hæc serui tui sententia est. Cetera maiestati tuę multo, quã mihi, notiora sunt.

Murates intellecto Eurenosis consilio; Ita tibi diuinitus, ait, omnia fortunata feliciaq; velim eueniant, vti meæ cogitationes tuis plane cum rationibꝰ conueniũt. Deinde filium Baiasitẽ intuens; Quodnam, inquit, o patris anima, tuum est in hac re consilium? Respondit ille, suo se calculo tã paternæ suffragari sententiæ, quam iis, quæ in medium ab Eurenose fuisset allata. Cõiectis hinc in Alim bassam Murates oculis, quidnam ipsi videretur, interrogauit: a quo respõsum, probare se, quæ dicta fuissent. Ad summam, iuere pedibus omnes in vnius Eurenosis begi sententiam.

Sultanus autem Murates, dimisso concilio: Cras, inquit, summo mane quũ illuxerit, alio traducemus exercitũ. Eurenoses vero begus, & Iegides bassa, copias vniuersas præcedent, angustasque montium fauces ante nos transibunt; vt militum securitati consulamus. Itaque quum nox præteriisset, ac iam lucisceret; mox Hazzis Eurenoses, & Iegides bassa, sumtis secum militibus animosis & strenuis, instar carauolorum, qui Turcis speculatores sunt, reliquũ antegressi exercitum, ad clisuras peruenerunt. Erant hę tam artæ montium fauces, & per eas iter adeo strictum & impeditum; vt eqtes singuli singulos in trãseundo subsequi cogerentur. Hoc ipso momento Lazari quoq; Zirforum principis iussu, xxx milites egregij venerãt in hãc vallem, Turcũ aliquẽ intercepturi; de cuius ore, quid apud hostes rerũ ageretur, cognosci posset. Ignorabãt hos adesse, q cum Eurenose bego Musulmani milites huc veniebant; quod ab altero clisurarũ aditu Christiani consisterent. Itaq; priores hi, cõspectis Turcis, calcaribꝰ equos adigunt, & impetu maximo in eos irruunt. Inter alios omnes magnanimus quidã Christianus, prehensa manu lancea, Eurenosem begũ inuadit: qui cõfestim & ipse pleno cursu fertur in eum, quẽ diximus, Christianũ. Dirigit hic hastam in Eurenosem, qui vicissim tactam

hostis lanceam excussit, ne sibi nocere posset. Hinc summa celeritate depromtam e pharetra sagittã in Christiani pectꝰ adegit, & tãta quidẽ contentione viriũ; vt hominẽ plane transuerberatũ, ad terrã ex equo deiiceret. Inde quemdã aliũ quoq;, se petentem, interfecit. Ad summã, sex aut septẽ ex eis neci dedit, octo viuos in potestatẽ redactos Sultano Murati obtulit. Ei vero mirifice, ꝙ acciderat, placuit; relictaq; Caradonli, cum vniuersis copiis fauces angustas transiit, & minorẽ ad Morouam peruenit. Hoc etiam flumine transmisso, iam ad ea se loca peruenisse videbãt, in quibus & castra metari, & hærere tuto possent.

Ab altera parte reuersus ad suos Lazari principis orator, quæcumque conspexisset in castris hostilibus, qui Turcorum numerus esset, qui adparatus, sane quam diligenter hero suo renuntiãs; O Gospodar, inquit, (sic adpellare dominũ Zirficæ gentes illæ solent) nequaquam ita comparatus est exercitus hic Turcicus, vt eum fama prædicat. Perlustraui castra, milites & arma militũ, cum adparatu reliquo vidi. Nihil ab eis omnino nobis metuendũ. Exercitus noster ipsorum copiis triplo maior est. Exposuit & alia, quibus scilicet verbis vsus ad Sultanum fuisset, quantopere bilem hæc ei mouisset oratio. Nihil eorum denique prætermisit, quę acta cum Murate fuerant. Cepit hinc efferri animo, cepit insolescere Lazarus; & spretis Sultani viribus, suas admirari. Factitarunt idem & alij teggiures, reguli, proceres Christiani, qui Lazarianis in castris aderant. Singuli proferre quædam in medium non desinebant indecora, tantæque dignitatis & existimationis hominibus indigna. Vulcoglius ipse (Lazarus princeps intelligitur, Vulci vel Bulci filius, quem deprauate Brancum Latinus vocat Laonicꝰ) dicere stolida cum iactantia non erubuit, satis virium esse sibi soli ad debellandum Turcum, nec aliorum opem requirere. Consimilia quędam effutiebant inter pocula temere ceterarum quoque nationum homines, Itali, Veneti, Valachi, & alij.

Posteaquam Murates cum suis Morouam minorem feliciter superasset, explicata mille propemodum, sublataque vexilla fuerunt; tympanisque pulsatis, & tubis sonantibus, militum series, & cohortes, & acies instructæ. Viri fortes, ac strenui milites, religionis Musulmanæ propugnatores, egregiis armis induti, singulari cum animorum alacritate, clupeati, gladiis accincti, hastati passim incedebant. Erat in ordine primus Alis bassa, quem Baiasites Zelebis sequebatur, hinc Eines begus subassa, cui proximus erat Iacupes Zelebis, inde Sarutzes bassa sequentem magnificentissimo cum adparatu Sultanum Muratem præcedebat. Hoc modo quum ad locum peruenissent, cui nomẽ Ziunissasri, factum ex Ioanne; descenderunt ex equis, & ibidem illo die substiterunt. Postridie mane quidam e castris exploratum res Christianorũ exeuntes, duos ab se repertos & captos ad Sultanũ abduxere; quos ipse Sultanus interrogauit, vbinam Gaurorum exercitus esset? an non Turcorum aduentu cognito, Lazarus in fugam se cõiecisset? Illi vero Turcorum vel inscitiam, vel impudentiam mirati: Vestrane causa Lazarus fugeret? aiebant. En istis in locis proximis castra metatus subsistit, & aduentum vestrum exspectat. Offensus horũ libertate Murates, vtrique ceruices amputari iussit.

Adpetebat iam meridies, quum in amœnissimum Turci locum peruenirent. Heic suos Sultanus ex equis descendere iussit, ea præcipue causa motus; quod ipse locus esset amplissimus, & saxis ac siluis careret. Venit huc ad Sultanum Eurenoses begus, inspectis iam Christianorum copiis; & ab se quidquid actum esset, rettulit. Tum Murates: Ergo nulla prorsus interposita mora pugnandũ nobis erit, inquit. Eurenoses autem begus: Immo vero, subiecit, iã feruentissimus solis æstus est, & itinere defatigatus exercitus noster, furiosus hostilis. Quid in isto moliamur æstu, quid in aquæ pænuria? Differamus hodie prœlium. Cras mane, quum sol orietur, freti benignitate numinis, in oculis tuę maiestatis vltro caput hostibus obiiciemus.

Placuit Eurenosis hoc Sultano Murati consiliũ, ideoq; suos istic illo die iussit quiescere. Non multo post obequitans hinc inde cũ filio Baiasite pater, eo comite quemdam in locum editiorẽ se contulit, vt Christianorum exercitum tanto commodius inspicere de sublimi posset.

posset. Animaduertit hostem vniuersam campi Cosouani planiciem, ab vna extremitate ad alteram, occupasse; nec vllam istic superficiem terræ, propter infinitam exercitus illius multitudinem, adparere; nec vllum hasce Christianorum copias habere finem, deque se præbere ferrei cuiusdam montis, aut siluæ ferreæ speciem. Quippe constat, illo tempore Christianorum in castris ad quingentos fuisse teggiures siue regulos, & hominum ad quingenta millia, tam equitum quam peditum. Neque tunc aderat quisquam in tantis hominum copiis, qui tam numerosum vidisset exercitum. Quapropter admiratus innumerabiles hasce Christianorũ vires Sultanus Murates: Hem quantas, ait, vir exsecrabilis hominum cogere copias potuit. Licet a nobis etiam collectus sit immensus propemodum exercitus, quo equidem nullo modo posse maiorem haberi existimabam: tamen ipsemet iam fateri cogor, ab hoc nostrum non duplo dumtaxat, sed etiam maiori numero superari.

Hæc proloquutus, feruentibus animi suspiriis diuinam implorauit opem, in hanc sententiam: Supplex oro te, mi Deus, propter honorem Muhametis tui, quem nobis dedisti lucis instar perpetuæ, Musulmanis hisce tuis clementer adsis; nec permittas, vt in me culpa necis horum conferatur. Posteaquam tacitus hoc animo suo votum Murates concepisset, exercitusque Gaurici multitudinem inspectans, non parum fuisset admiratus: rediit ad tẽtorium suum, & omnes vezires, ac Portæ suæ begos, adesse iussit. Vbi conuenissent, coniectis in Baiasitem oculis: Quid tibi videtur, inquit, o fili, de committendo cum hoc Christianorum exercitu prœlio? Infinitæ profecto copiæ sunt, nec ego tam numerosas vmquam existimassem. Consultumne putemus, vt inter se colligati cameli ante primam nostrorum aciem collocentur; an vero præstat, vt his omissis, aperto Marte cum hostibus congrediamur? Ad ea Baiasites in hanc sententiam respondit.

Equidem ingenue fateor, cogitationes animi mei debiliores esse, quam vt adsequi mentem ac sensum maiestatis tuæ possim. Nihilo minus in re grauissima, cui pæne nullum videtur inueniri posse remedium, meam dicere iussus abs te sententiam; parebo volũtati tuæ, proq; mei captu ingenij, q̃ ad animũ acciderint, proferam. Primum vero de camelis vt dicã, sane iam cõpluribꝰ ab annis aduersus Gauros dimicauimus, nec tamen vmquam antehac aciei nostræ colligatos inter se camelos præstitimꝰ, vti ne nũc quidem faciundum arbitror. Quippe licet maiores etiam præsentibus Christianorum essent copiæ, tamen numinis diuini benignitas & fauor nobis Islamis adest, qui cõcordes inter nos sumus. Quo fit, vt equidem adfirmare nullo modo dubitem, me vel solum diuinæ clementiæ subnixum auxilio, meis cum copiis hosce Christianos adgressurum, prœlioq; prospero debellaturum. Testatur ipsa rerum experiẽtia, nequaquam illi deesse gratiam & opem Dei, cui nomen illud æternum & mentis acumen ad res magnas suscipiẽdas, & felicitatem eximiam, ad easdem successu prospero perficiendas, tribuerit. Nos hactenus & præsentem nobis Deum experti sumus, & eiusdẽ benignitate superiores in omnibꝰ prœliis exstitimus. Caue deinceps etiã, mi pater, quidquã mæroris animo tuo conceperis; quando cœlesti fultus es præsidio. Me nulla formido territat, nullum pugnandi prœlij discrimen animum perturbat. Quippe si Deus nos viuos ex hoc euadere periculo voluerit, felices & beati erimus: sin pro sacrasancta religione pugnãdo mortem oppetierimus, Sehidorum siue martyrum in numerum referemur.

Hæc omnium visa fuere iudiciis & sapienter a Baiasite dici, & religiose: qua ipsa de causa per profecto Murati sententia filij placuit, cui felicissima quæq; precatus est. Hinc conuersus ad Alim bassam: Tu vero quid arbitraris, inquit, in hoc faciundum negotio? Num profuturos rebus nostris putas camelos, si colligati ante aciem constituantur; an impedimenti potius aliquid allaturos? Bassa tam diuini Musulmanorum, quam humani iuris consultissimus, huiusmodi verbis in senatu sui declarauit animi sententiam.

Beatissime Sultane, felicitatis heres vnice, (fortunæ filium dicere vult) quoties aduersus Gauros pugnandum no-

: Musulmanis, nec paucitatē eorū, nec multitudinē respicere debem⁹: quū in Alcurani libro pscriptum reperiam⁹, sæpissime Dei nutu pexiguā militū manū copias lōge numerosissimas superasse. Quapropter a fauore ppitij numinis dependet omnis in bello victoria, nō ab hominum vel magno, vel exiguo numero. Præterea legimus in prophetæ nostri verissimis eloquiis, quotiescūq; Musulmanorū exercitus defendendæ religionis sinceræ causa pugnet aduersus Gauros; solere genios illos cælestes, quos angelos dicimus, rogare Deum, vt interstitium auferre de medio velit; quo nimirum & ipsi videre prœliantes Musulmanos aduersus Christianos possint. Quare quum ipsimet angeli petant e medio & interstitium, & impedimentum omne remoueri; minime profecto nos de aliquo decuerit interstitio vel impedimento cogitare, cuius obiectu nostra dirimantur ab hostium aciebus agmina. Quippe quum religionis propugnandæ causa res geritur, eiusmodi nullus est vsus interstitij. Constat etiam, vatis hoc nostri verbum esse, quo futurum prædixerit; vt cuicumque pro religione dimicanti nares oppletæ puluere fuerint, minime metuendum sit, ne fumum & fœtorem inferorum sentire cogatur. Quoties deniq; cultus diuini veritas propagāri pugnando debet, omnis dūtaxat in Deum altissimum collocanda fiducia est. Infinitæ merito a nobis agēdæ Deo gratiæ, qui per omnē ætatem nostram suo nos pręsidio numquam destitutos esse voluit, & victorias de hostibus illustres nobis tribuit: porroq; sperādū indubitato, nos eiusdē ope Dei nunc etiā victoria potituros. Absit a clemētia supremi numinis, vt in his Gaurorum regionib⁹ Europæis tot milites fortissimos ad internecionē deleri, tot Musulmanorū familias exstirpari radicitus patiatur.

Auditis Murates Alis bassæ rationib⁹, Eurenosem begū adspiciēs, inquit: Tuus vero q sensus est Eurenoses? q cogitatio? Tum ille respōdens: Maiestatis, ait, tuæ cogitationes maximi momēti sunt. Meę vero, meiq; similium sententię, qui viles omnino sum⁹ homūciones, quid habere ponderis possint? Nihilo minus auctoritati tuæ obtemperans, aliquid & ipse dicam, meas vnde perspicere possis inceptias. Consilium maiestatis tuæ de colligandis inter se camelis, & iisdem infinitæ hostiū multitudini ante nostras acies obiiciēdis, sane rectū est. Quippe quum equi Christianorum camelos hosce nostros intuiti, præ terrore nequaquā progressuri sint: quid dubitemus, camelos nobis instar alicuius vel clypei, vel muri futuros, quo minus hostes in aciem nostram summis viribus irrumpant, eamq; perturbatam disiiciāt? Sed interim nobis hoc quoque considerandum venit, camelos etiam perterritos retro solere fugere. Quapropter vbi Gaurorum exercitum formidabili cum tumultu, vociferatione, clangore tubarum, tympanorum strepitu, bellicarum tonitru machinarum, supra nos irruere conspexerint: haud dubie per summam trepidationem versus acies nostras aufugient, easque singulari cum periculo nostro penetrabunt ac dissoluent. Perscriptum nostris in libris reperitur, bello Macedonis illius Alexādri magni aduersus Indorū regē † Porschachū, totis quū virib⁹, vtrimq; dimicandū esset; Porschachum ante suas acies elephantos ordine constituisse, qui suis essent instar muri cuiusdā aduersus Alexandreos, ne quo solebant impetu ceteroqui turmas hostiles perrūpere, suos etiā dissiparent ordines. Alexandrum vero, quum suos copidum ictibus, qui gladij sunt incurui, proboscidas siue manus belluis, & crura iussisset amputare, subitū elephātis iniecisse pauorē, eosq; versus Indorum agmina reiectos, tāta vi aciebus illorum immisisse; vt euentu prorsus inexspectato, nullum Alexandreo militi damnum darent, suos Indos protererent ac dispergerēt. Quāobrē si hoc etiā prœlio nostro territi cameli, nostrosmet ordines inuaderent, omnino causam prębituri esset, qua noster exercitus a Christianis dissiparetur.

† Nullum dubium est intelligi Porum Indorum regem, qui Turcis & Persis est Por-schach id est, Porus rex. De hoc stratagemate Curtius Rufus lib. 8.

Expositas hasce rationes a suis magnopere Sultanus Murates pbauit, & in cōsultatione instituta pgens: Quū intellexerimus, ait, hoc de camelis consiliū periculo non carere; saltim videamus, an non præstiterit, in fronte aciei tam dextrę, quam sinistræ, sagittarios collocari; qui nubē quasi quamdā sagittarū in hostes excutiant & immittāt: vt reliqui deinde milites nostri, religionis veræ ppugnatores, alta voce Musulmanicū illud

Alla

Alla Egbir ingeminantes, in Gauros hostes irruant;ac vel decus aliquod amplis cum spoliis referant, vel adeundis saltim periculis insignia bellicæ documenta virtutis edant.Me sane quod adtinet,equidem in hac vita mea,quã longæuos ad annos produxi,multa pro religione pugnaui prœlia; nec aliud opto, nisi tamdem vt moriens, Sehidorum siue martyrum accenseri numero merear,&illustri cum fama nominis ex hoc mundo decedam. Quippe quum ceteroqui mors nobis obeunda sit,& persoluẽdum necessario naturę debitum; cur nosmet excruciemus? cur animam profundere cum gloria reformidemus?

Hoc modo confirmatis suorum animis,quosdam exploratores speculatum emisit,quid rerum apud hostes gereretur; alios pro castris excubare iussit, vt tuta pręstarent omnia:quo factum,vt ea nocte summum in ipsius castris silentium,summa securitas esset.

Adpetente vero nocte nubilum esse cælum & ingens oriri caligo cepit,tanta cum pulueris per aëra dispersi abundantia; vix vt equus ab homine dignosci posset. Murates autem Gasis, (heroëm vox illa significat, ex interpretatione Græcorum)humi prostratus,implorare numinis opẽ precibus humillimis non dubitauit, in hæc propemodum verba conceptis: Mi Deus,qui toties acceptasti preces meas, nec vmquam hactenus me deseruisti,benignas etiã nunc aures mihi p̃be; proq; misericordia tua prorsus immensa,pluuiam nobis largire,quę pulueris huius molestissimi vim restinguat; aëra lucidum effice , collustratis hisce tenebris,& caligine pulsa:quo Gaurorum copias absque impedimẽto possimus intueri, & in eos defigere vultus inter prœliandum aduersos. Tu regum rex es, intimosque sensus & secreta cordis mei perspicis. Regna iam cum magnis opibus adquirere nõ desidero , neque mancipiorum sexus vtriusque causa me huc contuli. Dumtaxat hoc vnicum specto, res vt tibi gratas & acceptas geram; & tua frui erga me beneuolentia possim. Si quid expiandũ est in hoc exercitu nostro, meum pro his tibi caput deuoueo; meipsum victimæ loco tibi pro tot Musulmanis offero. Saltim hoc vnũ abs te impetrem, ne religiosos hosce numinis tui cultores a Gauris strage perimi tristissima patiaris; neue me causam mactatæ tã numerosæ multitudinis hominum perhiberi velis. Da Musulmanis tuis victoriam, pro quibus vnicam hanc meam paratus sum animã profundere. Ne permiseris, vt oculis ipse meis horum intueri cogar interitũ. Fac quæso,tuus vt hodie conuiua fieri merear in præsentia tua, meamque benignus animam loco tot animarum, Musulmanæ religioni addictarum, suscipe. Veri me cultus propugnatorem hactenus esse voluisti.Nihil nunc amplius optandum mihi restat, quam vt morte pro gloria tua feliciter obita, Sehidorum martyrumque tuorum numero tamdem adgreger.

Dum aperto capite Murates, vultu ad terram prostrato,porrectis ad cælum manibus,has preces adhuc diceret: cælum nubibus obductum fuit, & imbris humore rigato solo, pulueris ingens illa vis restincta.Deinde nubes hæ caliginosæ,relicto Musulmanorum exercitu, supra Gauros migrarunt. Illi vero noctem hanc exigebant hilares cõtinuis in compotationibus & luxu, certamque sibi de Turcis inter pocula victoriam pollicebantur. Vidisses qui prius, quã sumtum in manus poculum haurirent, alteri se Turcos decem propinare dicerent. Omnes mero madidi,verba q̃dam inepta, ceu mentis minime cõpotes eructabãt. Lazarus ipse principes in exercitu viros alloquẽs: Rectene vobis, inquit, facturi videbimur, si nocte media Turcos imprudentes, ac nihil tale cogitantes, impressione subita & graui obruamus? respondentibus aliis, nihil fore cõsultius; Bagia quidam, regulus præpotens, cui militum nonaginta millia parebant, improbato Lazari consilio: Quid istos, o Gospodar,ait, Turculos tantopere metuis? Itane perexiguam hanc eorum manum formidas, vt media nocte,præter ipsorum exspectationem, & imparatos adeo censeas opprimendos? Mitte quæso cogitationes hasce tuas. Vbi primum crastinus illuxerit dies, in suis eos castris adgrediemur, resistentes obtruncabimus, supplicum ac dediticiorum vitæ parcemus, eosque mancipiorum in numerum redactos,partim ad vsus nostros reseruabimus,partim pretio

diſtraheremus. Hoc modo vir exſecrabilis, qui præ temulentia, quid diceret, ignorabat; a Lazari ſententia Gauros dimouit omnes, vt auctoritatem ſuam ſequentes, impreſſionis nocturnæ conſilium omitterent.

Poſteaquam diſſipata noctis caligine, ſol orbem terrarum ſuis illuſtrare radiis cepiſſet; mandauit illico Sultanus Murates, vt vbique ſuis in caſtris tympana bellica pulſarentur, fiſtulæ ſonarent, tubæ clangerent, inſtrumentis ceteris tantus excitaretur ſtrepitus; vt ſurſum non ad aëreas dumtaxat nubes, ſed ad ipſa quoque cæli ſidera tendere videretur. Quapropter is ſecutus eſt, ex horum omnium inter ſe non parum formidabili permiſtione tumultus; vt plerique præ nimio pauore propemodum animam ipſam exhalarent. Proceres quidam, ac præcipui duces exercitus, conſcenſis equis, alta voce milites adpellabant, eorumque confirmabant animos, & huiuſmodi fere verbis excitabant, vt fortiter & intrepide pugnam inirent:

Hic ille dies eſt, magnanimi commilitones, quo Chriſtianorum copioſiſſime nobis fundendus erit cruor, vt riuulorum more fluat, viſceribus effuſis terra ſparſim cooperiatur, a ceruicibus reſecta capita, ſanguine tincta globorum inſtar pedibus obterantur. O ſanctæ religionis propugnatores, hoc illud tempus eſt, quo illuſtria feruoris ſui documenta viros fortes edere par eſt, pudore ſegnes ac deſides adfici, quo minus optatiſſimam laudis apiſcendæ occaſionem per ignauiam ſecordiamque ſummopere vituperabilem amittant. Hic ille dies, quo ſerio nobis in hoſtem gerenda res erit, & in oculis omnium patranda facinora, quæ opinioni principis noſtri de nobis, & de virtute noſtra, reſpōdeant. Quod hactenus a tot annis pane ſaleque Sultani noſtri veſcimur, equos animi cauſa cottidie conſcendimus, gladiis accingimur, in ſumma voluptate, lætitia, mutua conſuetudine multo iocundiſſima, colloquiis ſuauiſſimis, ætatem exigimus; id totum nobis huius tantummodo diei cauſa cōceſſum fuit, vti nos reapſe dignos probemus, quos tantis ille muneribus coluerit, annonis aluerit, honoribus adfecerit, & quorum magnanimitati ac fidei ſalutem ſuam, regnorumque ſuorum & ſubditorum incolumitatem, aduerſus quoſuis hoſtes tuendam crediderit. Inprimis vos equites Iſpahij, quum annonas a Sultano largiores, & timaria, poſſeſſiones, prædiaq; fructuoſa conſequamini; nunc ipſa re generoſis vos parentibus editos oſtendite, nunc opportuno maxime loco, ceu ludibūdi, pro bene de vobis merito Sultano periculum capitis adite.

Ad ſummam, omnes viri fortes ac militares, armis & aliis ad committendum prœlium neceſſariis rebus inſtructi, ſuos in equos adſcendebant. Inde milites ordine diſtributi fuerunt in ſeries, cohortes, & agmina reliqua. Suus horum cuilibet adſignatus locus, aliis in acie media, quam Turci cor exercitus adpellare ſolent; aliis in latere vel dextro vel ſiniſtro, & aliis vtrimque geminis; aliis in fronte, quam vocant, aliis a tergo. Ipſe vero Sultanus maximus, rex regum, progenies Oſmanis, Vrchanis filius, heros ille Murates Chan, in medio corde totius exercitus, ad imitationem illius magni Alexandri Macedonis, locum ſibi delegit: quem ceteri reges, Sultani, begi ſiue proceres, vt lunam circulus ille lucidus, cui nomen halonis dari ſolet, circumdabant. Quotquot erant Portæ Sultaninæ deputati miniſteriis, qui vitæ diſcrimen adire pro Sultani ſui ſalute non dubitarent, a fronte conſtiterunt. Maiori natu Muratis filio Baiaſiti dextrum, minori Iacupi Zelebi ſiniſtrum latus adtributum fuit. Eurenoſes heros, & Eines begus ſubaſſa, ſiue rerum capitaliū præfectus, in ala dextra curabant; in ſiniſtra Sarutzes baſſa, qui Iaia-baſſa, ſiue peditum dux erat. Curditzes Azaporum Zelebium ſiue nobilium & iuniorum dux, & Doutzes Balaban, & Intzezugus Balaban, & Zirfus Hamzes, ad dextrum & ipſi latus fuere conſtituti. Haider Topſchi-baſſa, præfectus rebus ad tormenta bellica pertinentibus, a fronte conſtitit; vir illius noui tunc inuenti bombardarum longe peritiſſimus. Impedimenta totius exercitus, cū re annonaria, cumq; curatoribus horū, a tergo collocarūt; quod is locus omnis expers eſſet diſcriminis. Propugnator Muhametanæ ſuperſtitionis Murates, & filius

Baiaſi-

Baiaſites, ſuorum animos erigere nō deſinebant; eiſq; donatiua, cum variis beneficiis & immunitatibus, pollicebātur.

Alis autem baſſa, poſteaquā ritu Muſulmano matutinas preces, q̄ * Sabachnamaſi dicuntur, abſoluiſſet; e libro Muhameticæ legis alquid opis & auxilij q̄ſiturus, Alcuranum in man⁹ ſumſit, vt ſortem inde peteret. Quumq; verſus inuentæ ſortis pro more numeraſſet, hæc verba reperit: Ia einhellezine amenu tzahidil cuffare, quorum hęc eſt ſententia: Quotquot ad religionem meam acceſſiſtis, labores eius cauſa ſuſcipite, aduerſus infideles pugnate. Lectis hiſce verbis, ingentē animo læticiam cōcepit, librum legis oſculat⁹ vertici capitis (pro more Muſulmanorū) admouit, & equo mox cōſcenſo ꝑperauit ad Sultanū Muratem, quamq; repetiſſet ſortē expoſuit.

*Pandect. cap. 210.

Interim Lazarus etiā Deſpota mandarat ſuis, vt equis conſcenſis pugnæ ſe pararent. Erāt in huius exercitu, præter milites ceteros, trecēta cataphractorum millia: quo quidem e numero maximo, lectiſſimorum equitū tria ſibi millia ſecreuerat, vt proximi ante ipſum in acie cōſiſterent. Ipſe mediā occupās aciem, pedeſtres (more Chriſtianorum) a tergo collocauit copias. Generum ſuum Vulcum, Pladicæ filium, cum quodam conſanguineo, dextrum latus occupare iuſſit: Bozinacum regē, vna cum Iunde vel Iune filio, qui noſtris Ioannes eſt, curando lateri læuo præfecit. Francos vel Italos, & Valachos, & Arbanoſios, & Vngaros, & Bohemos, & Bulgaros, ad alam vtramque diſpoſuit.

Hi vero Chriſtiani bene mane vini poculis aliquot ſiccatis, propemodum ebrij facti fuerant. Ideoq; ſecum ipſi deliberantes, quid potiſſimum eſſet agendum, alter alterum interrogabāt: interficine captos, an viuos ſeruari Turcos præſtaret, vt Italis venderētur, pretiumque diſtractorum vino comparando expenderetur. Singuli zonæ funem alligarant, quo mancipia conſtringerēt. Nonnulli per contemtum hoſtis aiebant, habere ſe funes orgyarum triginta: ſuos alij longiores etiam eſſe reſpondebant, omninoque dandam cuiuis operam, tot vti caperet Turcos, quot ſuo conſtringere funiculo poſſet. Erāt etiam, qui ferreas habere ſe cathenas iactitarent, quibus ad alligandos Turcos vterentur. Nimirum quid temulenti dicerēt, ignorabant. Inter alios quidam erat ſcurra, qui funibus & cathenis horum conſpectis, ſubriſit. Tū illi, cur rideret, interrogant. Reſpondit ſcurra, numquam ſe tota vidiſſe vita ſua, Turcos funibus & cathenis ligatos a Chriſtianis trahi: ſed e contrario ſemper vſuueniſſe, Chriſtianos vt Turci cathenis & funib⁹ conſtrictos abducerent. Numquam Turcos in Chriſtianorum, ſed Chriſtianos ſemper in Turcorum poteſtatem venire. Metuere ſe, ne Turci eos ſuiſmet vinculis illigatos in captiuitatem abriperent.

Quum ergo tales ac tanti exercitus per ſeries, cohortes, & acies ſuas ordinati, ſtatimq; cōgreſſuri prœlio, vultus inuicem ſibi toruos obuerterēt: mandauit Sultan⁹ Murates, vt mille ſagittarij, quorum dux erat Malcozzius, ad dextrā; & totidem alij, quorū dux erat Muſtapha, filius Hamidoglij begi, ad ſiniſtram producerentur. Poſteaquam hi collocati, iuſſu Muratis, partim ad dextrā, partim ad ſiniſtram aciei fuerāt, homines ſagittandi longe peritiſſimi: Sultanum alloquens Eurenoſes begus, Equidē nobis, inquit, a maieſtatē tua minime vitio dari velim, ſi forte fugā hac pugna ſimulauerimus, vt hoſtiū acies diſiungātur. Nam q̄ aduerſus Chriſtianos pugnantur prœlia, fraudibus & impoſturis carere nō debent: quum ipſius prophetæ noſtri, cui ſalutem diuinā optamus, hoc verbū ſit, El harbu hudiatum; quo ſignificare voluit, prœlia fraudē requirere. Cataphracti ſunt hoſtes, & armis ferreis toto corpore muniti, manibuſq; gladios ad feriēdum aptiſſimos geſtāt. Vnde fieri videmus, vt quum inſtar grunnientium porcorum cateruatim in hoſtē recto feruntur impetu, nemo tā ſit audax, vt eis obiicere ſe velit: & quoſcumq; tamdē obuios habuerint, duas in partes diuidunt. Sin ſparſim irruant, poteſt eorū impetus declinari; & quū ipſi aberrauerint, puſdogano ſiue claua ferrea, capitibus ipſorum a tergo impacta, ſunt occidēdi. Nā quū ferro velut immerſi ſint, eiuſq; pōdere plurimū grauētur: nulla ſe vi, reflexis equis, cōuertere poſſunt. Hæc Eurenoſes, cui reſpōdens Sultanus; Tu quidē o Eurenoſes, ait, rationes omnes Chriſtianorū exploratas habes, tot aduerſūs

eos prœliis exercitus; & quibus reprimendi ſint artibus, egregie calles. Nullum in pugna crimē eſt, nullũ probrum, hoſti cedere, mox iterum ſubſiſtere; nōnihil fugam ſimulando terga dare, mox reflexis habenis aduerſario frontem obuertere.

Secundum hæc præcepit Murates, vt ſagittarij ſuas in aduerſos ſagittas eiacularentur; ne conferta ſubſiſtere poſſent acie, ſed læſi porcorum inſtar diffugerent, ac ſolutis ordinibus hinc inde diſpergerentur. Itaque mandato Muratis parentes ſagittarij, nubem telorum in hoſtes vtrimque ſparſerunt: Stabant in acie Gauri, cuiuſdam ferrei montis inſtar, coniuncti. Quare quum excuſſæ maximo numero ſagittæ, velut imber quidam, in eos delaberetur; mouere ſe loco, paullatimque confertos ordines ſoluere ceperunt. Exiſtimaſſes redundantem Pontum Euxinum vehemētiſſimo impetu exitum aliquem quærere. Mox in ſagittarios ad ſiniſtram collocatos irruerunt, iiſque retrocedere coactis, ad Turcici exercitus impedimenta penetrarunt, & magnam hominum cædem ediderunt. Claudebat a tergo Turcorum agmina ſilua quædam, quæ cadaueribus occiſorum fuit oppleta. Res annonariæ, mel, butyrum, oriza, ceteræ, paſſim iacebāt humi ſparſæ. Muli, equi, iumenta cetera præ terrore concurrebant, & parietis aut muri cuiuſdam inſtar immota ſtabant. Siniſtrum denique cornu aciei Turcicæ diſſipatum a Chriſtianis, & profligatũ ea vi fuit; vt omnes illic collocati milites terga dare cogerentur. In vtraque iam acie tympana caſtrenſia pulſata, terribilem ſtrepitum edebant; inflatæ fiſtulæ, clangentes tubæ, hinnitus equorum, clamor hominum, tantum animis quorumdam pauoris incutiebant, vt exſpirarent. Dixiſſes inter ſe maria duo commiſceri. Pugnantium enſes fulguris inſtar lucebāt. Lancearum multitudo vel ipſam præpediebat auram. Tantus equorum vtrimque numerus erat, vt ſiquidem in aliquo flumine conſtitiſſent, pedibus ſuis impetum labentis amnis inhibituri fuerint. Grandinem iaculorum de cælo cadere, ſagittis pluere credidiſſes. Clamores & eiulatus in aëra ſublimem penetrabant. Gladij gladiis, lanceæ lanceis, puſdogani puſdoganis illidebantur. Nil audiſſes aliud in hoc conflictu, quam Tzaccatzuc, heia hui. Præ formidine vel ipſæ feræ ſilueſtres humi concidiſſent. Exaggerantes denique terribilem rerum omnium hoc prœlio perturbationem hiſtorici Muſulmani, credibile videri narrant, ipſos in cælis angelos, tumultus inſolētia perculſos, hymnorum oblitos fuiſſe, quibus æternum & cæleſte numen illud ſanctiſſimum perpetuo celebrare ſoleant.

ὀνοματοπ ίαι.

Angeli δοξο- λογίας obli

Iam adeo Chriſtianorum exarſerant animi hoc prœlio, nihil vt cogitari feruentius poſſit. Baiaſites in cornu dextro, monſtis inſtar, loco dimoueri ſuo non poterat; ſed tacitus abſq; omni tumultu ſtabat, tametſi res videret in diſcrimen adductas. Dumtaxat aliquod ad tempus exſpectandum ſtatuit, nec vllam in partem cedendum, donec extremum exercitui Muſulmano periculum animaduerteret imminere. Tum vero fulminis inſtar irruens, vt lupus in ouium pecudumque greges penetrans, vt coruos inuolans accipiter, quem falconem dicimus, implorato prius alta voce diuini numinis auxilio, Chriſtianos inuaſit, eorumque diſſipare cepit exercitum.

Hoc quum Alis baſſa faciuntem videret Baiaſitem, & ipſe tamquam alter Alis, prophetæ Muhametis gener ille tot admirandis facinoribus bellicis inclutus, Gaurorum ſe copiis obiecit. Secuti ſunt Eurenoſes begus, Iaxis begus, Schahin begus, Eiſa vel Iſa begus, (hoc eſt Ioſua, vel Græco more Ieſus) Sarutzes baſſa, Eines begus Subaſſa, Mucbil, Balaban Iaia ſirmerd: quorum ſane ducum heroicorum res hoc prœlio fortiſſime geſtas, ſi prolixius recenſere vellem, inquit auctor hiſtoriæ Turcus, magnum mihi volumen elaborandum eſſet. Forte contigit, quod in huiuſmodi prœliis vſuuenire frequēter ſolet, vt Baiaſitis equus, præ nimio labore fatigatus, humi procumberet. Eius loco Baiaſiti mox alius adductus fuit equus, zonis duabus cinctus, vt in hoſtem eo prouehi ſecurius, & dimicare maiori cum audacia poſſet. Quapropter in hunc equum perquam agili motu corporis inſiliit, & Gauros magno trucidare numero cepit. Quo factum, vt ij, qui ſiniſtro in aciei

cornũ constituti retrocesserat, animaduersa spe de Musulmanorũ victoria, quæ magis ac magis inter prœliandũ inciperet adparere, rursus animis cõfirmatis in hostes se cõuerterent, & gladiis armisq; ceteris Christianos adorti, clara voce nomen diuinum ingeminarent. Tum verò tanta strage cæsi, victi, fusi, fugatiq; fuere Christiani; vix vt depromi pugna similis huic e rerũ memoria possit. Quippe trucidati Gauri, suomet immersi passim cruori iacebant, qui propemodum instar alicuius diluuij pugnæ locum inundabat. Necdum sol ad apicem meridianum conscenderat, quum Gauri iam periclitari de summa rerum inciperent.

Tamdem vniuerso eorum exercitu terga dare coacto, cecidit e Christianis infinita prope quædã hominũ multitudo; qđ militares apud Turcos viri fugiẽtes insequerentur, & pernicibus equis tardiores adsecuti, mox condonata nemini vita, crudeliter omnes occiderent.

Sperauerat Sultan⁹ Murates omnino futurũ, vt ipse martyrij corona, (Sehidorum mercedẽ dicere Turci solẽt) interfect⁹ hoc a Gauris prœlio, diuinit⁹ donaretur. Sed postea, quã cæsis profligatisq; Gauris, nullũ secuturi martyrij signũ adpareret; admirari rẽ suo cũ animo cepit, quũ præsertim eo se nomine sciret ante prœlium vitã ipsam deuouisse. Quaobrẽ cũ ministris maxime sibi familiaribus in locũ pugnæ prodiit, cadauera cæsorũ inspecturus. Dũ hinc inde, nihil omnino mali formidans, obambulat: præter exspectationem Christianus quidã, grauiter in pugna vulneratus, totusq; cruore tinctus, qui metu mortis inter cadauera peremtorũ latuerat abditus, erigere se, cõspecto Murate, cepit. Et quantumuis præ viriũ debilitate, vix perficere posset, quod moliebatur; nunc surgẽs, nunc iterum ad terrã corruens, quasi si mẽte captus esset: tamẽ ad extremum voti compos factus, ad Sultanum Muratem recta progressus est. Volebant hominẽ ab accessu Muratis arcere Tzausij, de quorũ officio dictum † aliis in locis: sed ipse Sultanus, vt erat princeps clemens, & nomen indoli consentaneum habebat, (significat enim Murates Desiderium, vel donatorem desideriorum, sicuti Murates Dragomanus hanc vocem exposuit) eum ad se iussit admitti, qđ diceret aliquid fortasse petiturum. Tum Christianus ille tot deformat⁹, pæneq; cõfectus plagis ac vulneribus, quã in manica suæ vestis sicã occultauerat, manu prehendit; & propius ad Muratem accedens, quasi pedes ipsius osculaturus, hac eum sica letaliter vulneratum occidit. Nimirum vbi momẽtum illud adpetiit, quod hominis vitę terminandæ fati diuini statuit prouidentia; nihil humanæ possunt amplius rationes & consilia, sed prospiciendis imminentib⁹ malis ceteroquin etiam acres mortalium animi cæcãtur. Ita plane numen illud cæleste decreuerat eum rebus terrenis eximere. Spiritus, inquit Murates Dragomanus, Phœnicis instar ad angelorum cœtus, & beatas diuini paradisi sedes auolauit; ipse Sehidorum, siue martyrũ Musulmanorum, sanctis agminibus adgregatus fuit. Qui cædi Muratis familiares interfuerant, cõfestim allato tentorio cadauer eius occuluerunt, & Sultanum Baiasitẽ filium, vexillo præeunte, dictũ in tentoriũ deduxere. Iacupi quoq; Zelebi mox denuntiarũt, iussisse patrẽ, vt arcesseretur. Is vbi sine mora venisset, in tẽtorio, faucibus elisis, suffocatus fuit. Venit in Turcorum potestatem, vt aliqui sane perhibẽt, & ipse cum filio Lazarus: qui mox in Turcorum adducti castra, fuerũt occisi. Magnus in exercitu ea nocte tumultus, magna rerum exstitit ꝑturbatio. Postridie Sultan⁹ Baiasites in tachtũ siue thronum regium fuit collocat⁹. Acciderunt hæc anno Muhametano* ID CC XCI. Erat *Chr.139[illegible]
Murates Chan, quum moreretur, annos natus LXVIII. Vrchane patre rebus humanis excedente, quũ regnum auspicaretur, annum ætatis agebat XXXVII. Regno ꝑfuit annis triginta & vno. Cadauer in Asiæ Burusam siue Prusam auectũ, ibidẽ in loco, q a thermis siue calidis aquis Caplize dicitur, monumento fuit illatũ.

Hæc de bello Zirfico, & Muratis interitu, sane memoratu digna, nec cũ historiis publicatis conuenientia, Philippi debemus Haniualdi cõmentario manu exarato. Iã vero ne lectori nimia tędium pariat prolixitas, hoc ea nõ repetam loco, quæ vel a Chalcocondyle, vel nostris Annalibus Beccanis, iisdem de reb⁹ memoria sunt prodita. Duas tamen nonnihil a se inuicem, & ab aliis discrepantes de cæde Muratis expositiones heic in-

ferendas duxi, quarum prior est e libro, qui cõtinet astus & plenas perfidiæ fraudes, quibus Osmanidæ creuerunt: alteram Verantiana recitat historia. Prior huiusmodi quædam narrat. Christiani tamdem, ait, auctore Lazaro Zirfiæ Despota, magnum coëgerũt aduersus Muratem exercitum; cui suis & ipse cum copiis occurrit. Itaque commissum fuit in Cosouana planicie prœlium. Venit id temporis ad Muratem Christianus quidam specie legati, qui septem iumẽta sagmataria nummis onerata se Murati traditurum præferebat; sed pecuniæ loco crumenas sabulo repleuerat. Huic aduentanti magnus habitus est honos, missis etiam nonnullis, qui eum ad Muratẽ deducerent, vt illius manum oscula.retur. Quum autem propius ad Muratem accessisset, ac iam pro more manum osculaturus esset; arreptum pugionem, quẽ in manica gestabat abditum, vi magna Muratis in ventrem adegit, & hoc ictu necopinantem interfecit. Inde fuga sibi consulere conatus est, sed frustra: quod celerius insequentium Turcorum manus euadere non posset. Itaque captus ab eis, & occisus fuit. Inspectis hinc iumentorum oneribus, sabulum pecuniæ loco repererunt. Mansit etiam apud Turcos hæc ab illo tempore consuetudo, vt quotiescumque legati ad Sultanum deducendi sunt, a † capizilarorum bassis adprehendãtur, tantisper eorum brachia stringentibus, donec aut Sultani manum, aut oram Sultaninæ vestis, manicamue, quod modo fieri solet, osculati fuerint.

† *Pandect. cap. 228. & 47.*

Vident lectores, quam hæc diuersa sint ab illis, quæ alij tradiderũt. Sed iam Verantiani quoq; libri de Muratis eiusdem morte sententiam audiamus. Misit, inquit, e suis quosdam Sultanus Murates, denũtiatum Christianis; si viri esse vellent, vti cum copiis venirent, ac secum confligerent, quicumque tamdem prœlij futurus esset euẽtus. Interim ipse militem suum collegit, & hosti progressurus obuiam, suis cum filiis, Gilderune Baiasite, Iacupeq; Zelebi, Cosouanam ad planiciem accessit. Ab altera parte, venit etiam Zirforum exercitus: ideoque manus vtrimque conseruerunt, ac pugna maxime terribili fuere congressi. Tamdem Christianus quidam, cui nomen Milos Cobilith, (Barletius Milossum Coblichiũ nominat. mihi nec Vngarorum more Cobilith, nec Italico Coblichius scribi debere videtur; sed mere Zirfico, Cobilitz) improuisa fraude Muratem interfecit. Hoc vbi factum videre begi Turcici, coacto sine mora cõcilio, Iacupem Zelebim aduocarunt, sub prætextu, quasi patris iussu arcesseretur. quumque comparuisset, adprehensus ab eis subito fuit, & laqueo fracta gula necatus. Inde collocatum in sedem regiam, siue tachtum, Gilderunem Baiasitem creauere Padischachum & imperatorem Turcorum. Mox etiam Murateæ cædis auctor Milos Cobilitzius, qui hac perpetrata captus a Turcis fuerat, in conspectum Gilderunis Chanis fuit deductus, & ipsius mandatu statim interfectus.

Harum expositionum mentionem facere, quum alias ob causas, tum etiam propterea volui; quod neutra vel vno verbulo capti cæsiq; post hoc prœlium Lazari Despotæ, filiique meminerit; sicut ab aliis tradi videmus, hos in oculis Sultani Baiasitis frustulatim, ad vindictã necis paternæ, fuisse dissectos; quod historia Verantiana refert ad Milosi Cobilitzij supplicium.


Claudamus deniq; librũ hunc quintum elogio Sultani Muratis, q̃d in Haniualdana reperitur historia sane luculentum, & tanto dignum principe. Murates, inquit, non paterni dumtaxat imperij, sed etiam virtutum heres exstitit: in omnibus actionibus integer, & iustus, & fidei datæ seruantissimus. Vt ipse probus erat, sic etiam in aliis probitatem maximi facere solebat. Abunde beneficentia sua commodabat omnib⁹, pauperibus bene volebat, erga peregrinos erat liberalis. A lapsu proximos erigebat, inuenire remedia poterat iis rebus, quæ nullum viderẽtur admissuræ remedium. In omnibus, quæ occurrerent, bona dare consilia norat. Strenuus, magnanimus, audax erat. Ætatem suam omnem, impulsus amore numinis, pugnandis pro religione Musulmana prœliis consumsit: nec vllus vmquam Sultanus, Osmanide nat⁹ familia, res eas bello gessit, ad propagandum religionem Muhameticam, quas Muratem gessisse cõstat. Sanctum fuisse virum, ex eo Muhame-

hametani colligunt; quod aliquando cum lamentis Hozzæ vel presbytero suo questus sit, nescire se, num ad peccatorum suorum multitudinem referre debeat, quod incipiens adorare Deum, & ritu Musulmano digitos auribus inter precandum inserens, nisi prius ter Dei nomen celebrasset, adspicere templum Dei Meccanum nequiret: quum is, cui dicebat hæc, Hozza, vel semel adpellato nomine diuino, gratiam eius templi videndi posset impetrare. Nimirum præ mera simplicitate putabat, idem aliis omnibus etiam accidere, quod sibi, dum precibus intentus esset; vt ipsis quoque templum Meccanum spectandum exhiberetur. Refertur id etiam de hoc eodem Sultano Murate, accipitrem quemdam ipsius, siue falconem, aliquando in ambitu tecti Capliziani siue thermarum, quæ Burusæ sunt, alicubi consedisse; Muratemque nullo pellicere modo potuisse volucrem, vti descenderet, & ad se veniret. Quapropter imprecatum ei fuisse, confestim vt exspirans & exarescens, ibidem maneret; quod quidem illico factum fuerit. In egenos adeo beneficus erat, vt neminem eorum ad se venientem abire vacuum & indonatum sineret. Venationi & aucupio mirifice deditus ad XLCIↃ canum alebat; quorum quilibet vel aureo, vel argenteo collari ornatus erat. Eodem modo falconum quoque maximus alebatur numerus. In vrbe Burusa propter Caplizen siue thermas templum maius, (Ziumam Turci dicunt) & imaretum vel xenonem, & medressen siue gymnasium litterarium struxit. Præterea religiosis; quos singulari beneuolentia prosequebatur, imareta cum monasteriis & cellis ædificare solitus fuit. In opido Genischehere; quod Græce Neapolis, siue ciuitas noua dicitur, cuidam Babæ (sic patres adpellare Turci sua lingua solent, id est monachos) Postini Posso xenonem cum cellis religiosorum condidit. Consimilia struxit aliis etiam in vrbibus ædificia. Quoties die Veneris, hebdomadario Musulmanorum festo, precibus absolutis, e maiori templo egrediebatur; pecuniam in pauperes erogare solebat. Tota denique vitæ Muratis historia sane quamplurima dictorum factorumque laudabilium exempla continet, inquit Murates Dragomanus, e quibus hæc in vsum intelligentium, & iudicio præditorum perspicaciori, delibasse suffecerit.

IO. LEVNCLAVII

HISTORIAE MVSVLMANAE TVRCORVM LIBER SEXTVS.

BAIASITICVS. IV.



AM vero res a Sultano Baiasite maiori gestas, expositurus, ordinem hactenus a me superioribus in libris obseruatum sequar: vt, quum pluribus e commentariis Turcicis hæc concinnanda sit historia, prius illa de initiis regni Baiasitici tradam, quæ liber singularis Verantianus de variis astutiis & fraudibus Osmaneorum continet, quib⁹ ad summum illud rerum culmen peruenerunt; deinde cōtinua serie vitam ipsius, ex aliis barbarorū depromtam historiis, pleniore stilo complectar.

Igitur exemto rebus humanis Murate, regno potitus est Baiasites filius; du-

cesq; præcipui diuersas in partes, ad occupandas Zirforum regiones, arces, & vrbes, missi fuerunt. Gilderun Baiasites suo cum exercitu Cratouam adiit, eamque magnis oppugnatã viribus, ad eam denique necessitatem redegit; vt qui erant in illa Christiani, certis se, cum ciuitate, condicionibus & pactis, præsertim liberi discessus, dederent. Qua deditionis vtrimque probata lege, relictis aris & focis Cratouani, cũ suis alia quæsituri loca prodierunt, in quibus domicilium sibi constituerent, a Turcorum vi liberum. Sed vix egressi Cratoua fuerant, quũ Baiasites eos in frusta secari & interfici iussit. Erat illi morio siue scurra quidam gratissimus, qui mox hero compellato: Tu quidem, inquit o Sultane, Cratouanis hisce, qui se tibi dediderũt, incolumitatem vitæ pollicitus es. Cur ergo non stas promissis? Respondens Baiasites: Quid ais, inquit, o bellua? Tune quemquam illorum vidisti mecum colloquentem? Negante scurra, se quid tale vidisse: Si mecum, subiecit Gilderun Baiasites, collocuti non sunt, quonam modo dici possum quidquã eis promisisse? Tum alter ille: Tametsi tecum, ait, collocuti non sunt; cum Vezire tamen, siue consiliario tuo, de vrbe sua bonis condicionibus dedenda pacti sunt, isq; tuo nomine singulis incolumitatẽ promisit. Ergo, respondit Baiasites, si consiliarius meus aliquid eis est pollicitus; præstet sane, quod promisit. Equidem nihil horum me facturum recepi, nec obligor ad præstandum, cuius ipse nomine fidem meam non interposui. Hoc modo Baiasites in agro territoriove Cratouanæ ciuitatis illo anno castella sex occupauit, & vario quidem astu ac dolis: reque satis prospero gesta successu, Hadrianopolim reuersus est.

Anno sequenti proximo Vidynam cum copiis profectus, & oppugnauit vrbem, & in eas rerum coniecit difficultates; vt etiam Vidynenses ad paciscendum adacti, Turcorum Sultano se dederent hac condicione, liber vt eis a Baiasite discessus, absque vllo damno & iniuria, permitteretur; quod quidem ille facturum se recepit. Ideoque Christiani nihil sibi metuendum mali a Turcis existimantes, castellum ex pacto tradiderunt. Dimisit eos bona cum pace Baiasites, sed mox Ferisem begum (nonnullis Firoses adpellatur) hos insequi iussit, ac periculum facere, num adhuc posset ad eos peruenire. Nam si Vidynenses adsecutus esset, omnes præcepit interfici. Paruit heri mandato Ferises begus, & in itinere deprehensos in frusta dissecuit. Tum rursus ille morio, re intellecta, Baiasitem adiit, & colloquium exorsus: Non tu, inquit, o domine, tuomet ore cum eis hac egisti vice, fidemque liberi discessus nomine dedisti? Quid ais, respondit Baiasites, a me promissum, quod non præstiterim? Pollicitus es, ait alter, liberam eis abeundi potestatem; nec te permissurum dixisti, vt interficerentur. Sed ecce, Ferises begus a tergo discedentes insecutus, vniuersos occidit. Ad ea Baiasites: Hanccine culpam in me conferes? Promisi equidem, non infitias eo, me permissurum, vt securi, deserta Vidyna, quo velint, se conferãt; nec quemquam ex eis interfecturum. Promisso steti, abitum cõcessi liberum, nemini supplicium mortis intuli. Si Ferises begus eos adortus ad internecionem deleuit, quid hoc ad me? peccati sui pœnas ipse luat. Tum morio: Sedenim, ait, si Ferises eos contra voluntatem & sententiam animi tui trucidauit, omnino castigandus est. Baiasites vicissim respondens: Cur velis, inquit, hunc a me necari Musulmanum, & amicum, Gaurorũ causa, qui nobis inimici sunt? Nequit hoc vllo modo fieri, quando ne lege quidem nostra reperitur vsquam præceptum, vt fiat. Sic illud etiam perfide patratum a Baiasite facinus fuit, qui hoc anno regni secũdo, diuersis itidem fraudibus, arces & opida quinq;, Christianis ademta, nequiter intercepit, & Hadrianopolim rediit. Inde pacem fecit cum Christianis horum locorũ, qua tamen ad insignem dumtaxat abusus est fraudem. Suis enim mandauit, vti sub prætextu pacis huius cottidie Nicopolim & Silistram, res comparaturi necessarias, ingrederentur. Non fidebant his Silistrani, quum rerum suarum securiores Nicopolitani, & ingrediundi, & rursus exeundi, sine cuiusquam molestia, potestatem eis facerent. Hoc doli iacto fundamẽto, profectus est in Anatoliam Baiasites: eoque discessu magis etiam Nicopolitanorum animos in negligen-

tia secordiaq; sua confirmauit, pari tamdem vt iure Christianis vrbs, & Turcis pateret. Qua callidus ille Ferises begus occasione arrepta, xxx milites singularis virtutis & fortitudinis habitum mutare iussit, & curtos quosdam acinaces, in hunc vsum de industria factos, sub veste reliqua lateribus accingere, prorsus vt conspici non possent. Hinc de suo edoctos instituto & strategemate; Nicopolim præcepit ingredi, tamquam aliquid emturos; non tamen omnes simul, & eadem vice, sed vel singulos, vel binos, vel ternos: quod itidem ab eis inter exeundũ obseruabatur, & eo quidem ordine, vt quaterni ad summum ex vrbe simul prodirent; & egressi, velut aduentum ceterorum præstolantes, extra portam consisterent. Hoc modo tamdem xx ex eis egressi, ante portam vrbis substiterunt. E reliquis decem, qui adhuc erant in vrbe, quinque præseferebant, quasi si & ipsi vellent exire. Quumque peruenissent ad portam, alter alterum lingua Bulgara compellans; an e suis hunc illumue vidisset, interrogabat. Is vicissim respondebat eadem lingua, mansisse hominem in foro, cum hoc vel illo colloquentem. Tum alius quispiam ex hisce Turcis: Exspectemus eum parumper, ait. Adsentientibus ceteris, intra portam substitere tantisper, dum reliqui aduentarent. Hoc vbi factum fuisset, exituros se simulabant; & versus ipsam progressi portam, subito prehensos manibus acinaces illos breues & abditos educebant, & ea rem gerebant industria, manuumque vigore; tamdem vt Bulgaris custodibus superatis, portam in potestatem suam redigerent; illosque Turcos suos, qui foris stabant, ad se protinus intromitterent. In hunc modum capta Nicopoleos porta, confestim quidam ex eis currere iussus fuit, nuntiatum latentibus Turcis in vicinis insidiis, haud procul ab vrbe Ferisis eiusdem astu in hunc euentum collocatis, quam felici successu portam vrbis occupassent. Quapropter illi summa contentione virium properantes, in vrbem intrarunt. Mox & opidani suos instruxerunt ordines, vt Turcos rursus expellerent. Quumq; dimicatum prœlio fuisset acerrimo, tamdem longe numero superiores Turci victoria pariter, & vrbe potiti sunt: cuius occupatione Baiasites intellecta per internuntios illorum, qui eam in potestatem redegerant, absque mora in Europam traiecit. Vbi vero iam ad illa loca propius accessisset; legatos ad eum Christiani miserunt, interrogatum; cuiusnam culpæ tribuendum esset, quod inter Turcos & Christianos constituta pace mutua, talis ademta Christianis vrbs, & mera sane latrocinij fraude, non aperto Marte, fuisset. Minime quidem id recte fieri, debereq; Baiasitem Christianis restituere Nicopolim, & maturo consilio, seuerisque suppliciis deinceps eiusmodi latrociniis occurrere. Respõsum a Baiasite, nequaquam sibi facinus hoc imputãdum, qui tunc temporis in Anatolia fuisset: nec quod factum erat, infectum fieri posse. Iurare se per caput suum, daturum operã, vt aliquod rei remedium inueniret. Sed vrbem vt restitueret, non esse sua situm in potestate; quando Musulmanorum lex id minime præciperet. Ferisis begi pœna satisfieri sibi pateretur, quem ab officio remoturus, & alio relegaturus esset. Ad ea Christiani vicissim, recte facturum, si Nicopolim redderet: sin autem, non amplius se vel pacem, vel amicitiam, cum Baiasite culturos. Atq; hoc modo tum violata pax fuit.

Anno sequenti Baiasites ad obsidendam Silistram se cõtulit, eamq; militum corona circumdatam sic oppugnauit, & fractis incolarum animis ad tantas redegit angustias; vt certis pactionibus se dederent, in quibus erat hæc præcipua, licitum vt ipsis esset inde discedere, cum rebus suis, & armis, & coniugibus, & liberis: eoq; nomine Baiasites ipsis saluo cõmeatu caueret, quo præter alia contineretur, ne quis vllam eis molestiam inferret. Has ille cõdiciones admisit, neq; dumtaxat expediri saluum illum, quem diximus, commeatum voluit; verumetiam vltro significauit, minime se commissurum, vt soli discederẽt; sed begum Sanzacum eis adiuncturum, qui saluos & incolumes ad tuta limitum loca perduceret. Fuit ergo Turcis tradita ciuitas, incolis alio commigrantibus, quos sanzac-begus quidam cum mille Turcorum comitatu deducebat. Posteaquam ad decimum lapidem a castris aberant, quoddam ad quadriuium vene-

runt. Heic visum Christianis in eam se dare viam, quæ ipsorum esset instituto cõmoda: Turci ex aduerso contendere, nequaquam tutum illud iter esse, qđ vti teneret, nullo se modo permissuros aiebant; quando non abs re metuerent, ne Christianis illic interfectis, a Sultano suo grauiter obiurgarentur. Responsum a Christianis, illā alteram viam minime sibi sequendam, velut ab instituto suo diuersam; quibus cepto semel itineri esset inhærendum. Atq; hoc modo Christiani viam vnam tenuere, Turci alteram: quumq; rixæ paullatim crescerent, cepere tamdem ad arma venire, mutuisq; se vulneribus eo conficere prœlij euentu, Christianorum vt potior esset condicio. Sed forte fortuna contigit, vt ingẽs Acanziorum siue volonum multitudo superueniret; qui lato suis auxilio, Christianos oppresserunt, & vniuersos ita cõtrucidarũt; nihil vt eis cõcessus a Baiasite saluus ille cõmeatus prodesset. Eodem anno fraudibus aliis & exquisita perfidia Baiasites tribus præterea potitus in hac ipsa regione castellis & opidis, Hadrianopolim militem reduxit.

Actum fuit hac hieme de ineunda pace cũ omnibus Christianis, ac præterea Baiasites Bulcoglij principis Christiani †filiam duxit vxorẽ; vt eo certiores Christianos de serio suo pacis studio redderet. Simul in Anatoliam cũ copiis, nulla interposita mora, traiecit; & bellum aduersus principes Turcos gerere cepit.

† Pandect. cap. 54.

Primum omnium inter hos Caramaniæ begum inuasit, & auxiliarem mitti sibi manum petiit ab Aidine bego, qui Cariam Ciliciæ vicinam tenebat; & a Mentesio bego, cuius regnum erat in Anatolia, vel Asia minori proprie dicta; & ab Isfendiare bego, qui & ipse partem Anatoliæ suo subiectam habebat imperio. Quumque principes hi amico quidem in Baiasitem essent animo, sed Caramano perquam infesti: præsentes ipsimet huic interfuerunt expeditioni, suppetias vt Baiasiti ferrent, & coniunctis copiis hostem ipsius opprimerent.

Profectus igitur in Caramanum Baiasites, victoria potitus est; superatusque Caramanus aufugit, ac ditionis suæ maiorem partem amisit. Victor autem Gildrun, Burusam reuersus est; quum in itinere caput Isfendiari pręcidi iussisset, Aidini venenum propinasset, carceri Mentesium inclusisset: quod eos prodere se voluisse diceret, ac regiones deinde suas occupare; qua ipsa de causa, quas illi ditiones possederant, sibi retinuit. Filij tamẽ istorum, fuga saluti consulẽtes, in Aladeulis regnum salui & incolumes euaserũt. Baiasite Burusam reuerso, Mentesius etiam, quem carcere clausum fuisse diximus, rebus humanis excessit. Quapropter omnes horũ prouincias ipse suam in potestatem redegit.

Posteaquam adpetiisset hiems, consilio quodam astuto de cõciliandis Veziri cuidā suo Germeani principis filiæ nuptiis cogitare cepit; eoq; nomine Germeanus adpellatus a Baiasite, nequaquā contradixit, sed vltro filiam dare promisit. Inde ceptæ magnificæ adparari nuptiæ, ad quas inuitati fuere iussu Baiasitis aliquot principes Asiatici Musulmani; † Saru-Chan, qui maritimam regionem administrabat, ad ipsam vsque Caramaniam; & * Tachretin begus, & † Emidẽsis vel Aminsi Galatiæ begus, quorum regiones Anatolia continebantur. Nuptiis celebrãdis adsignatus loc⁹ fuit, vrbs Conia Caramaniæ, q̃ tunc Baiasitis erat in potestate. Quum iisdem nuptiis destinat⁹ dies adpetiisset, & inuitati principes iā adessẽt: tres instructæ fuere mẽsæ, trib⁹ diuersis in locis; ad quarũ vnam collocarentur, qui vinũ bibere solebāt; ad alteram, qui Muhametanorum more tzerbeto vtebantur, potus genere Turcis familiari, qđ ex vua passa & aqua conficitur, nec minus caput & pedes tentat, quam vinũ, & ipsis Areb Tzerbet dicitur, hoc est potus Arabicus: ad tertiam religiosi, qui Turcis Sofi, vel Sofilari dicuntur, & aquæ potu cõtenti sunt. Hoc modo distinctis pro diuersitate potus conuiuis, venena misceri curauit singulis, & omnibus, quæ certum ad terminum eos extinguerent; Sofilaros intra mensis vnius spatium, tzerbetarios spatio tridui, e vino temulentos eadem nocte. Bibebat inter ceteros vinum Saru-Chan, ideoq; prima statim nocte vitam cum morte commutauit. Is secũ ad nuptias filiũ adduxerat, qui patre mortuo cogitabat discedere; sed Baiasites abeũdi potestatẽ ei denegabat, quod diceret, se deiecturum imperio fratrẽ ipsius, qui patri successerat, & paterni principatus possessio-

† Pandect. cap. 13.
* Eiusdem cap. 60.
† Eiusdem cap. 40.

possessionem ei traditurum: vti sane re-ipsa promisso stetit, & numerosis cum copiis eum suam in ditionem reduxit; cuius rei fama territus alter ille fratrum, in Suriam, Sultano parentem Misirensi, profugit. Quo factum, vt hic tanto facilius in regni paterni possessionem a Baiasiticis immitteretur. Sed iidem ei munitiones duas ademerunt, quibus amissis, non iam se contra Turcos amplius tueri poterat; ideoque tamdem & ipse regione sua pulsus, fuga sibi consuluit. Interea vero, dum Saruchan sepeliretur, etiam Tachretin begus vi propinati veneni confectus periit, & elatus itidem funere splendido fuit. Nullas ille munitiones habebat, licet amplissimum regnum possideret. Filius eius exprobrare Baiasiti facinus admissum non dubitauit, qui veneno patrem suum, & Saru-Chanem, viros principes, de medio sustulisset; ac perpetuas cum Baiasite deinceps inimicitias exercuit. Baiasites magno se purgare studio nitebatur, sed frustra: quod nullas Tachretinis filius excusationes admitteret, & amicitiam ipsius omnino respueret. Emidensis begus domum se contulit, idemque Germeanus etiam princeps fecit, qui filiam Veziri Baiasitis vxorem dederat. Sed hic in itinere subito mortuus est. Quapropter ipsius generum, Vezirem suum, comitatu 15 hominum instructum abire Baiasites, & cadauer soceri domum deducere iussit. Hi mortui principis in vrbem admissi, non amplius ex ea voluerunt egredi: sed Germeani subditis eos pellere conantibus, magna cum horum cæde restiterunt. Vrbi nomen erat * Castamboli. Germeani principis extincti filius ad Aladeulem profugit. Emidensis begus, vt dictum, domum suam rediit, & solus periculum mortis euasit: cuius rei causam hanc nonnulli referunt, quod a tzerbeti potu abstinuisset; alij, quod mature contra veneni vim remediis exquisitis fuisset vsus. Quapropter hic quoq; Baiasitis hostem ab illo tempore se professus est. Æstate sequenti proxima Baiasites, expeditione suscepta, Tachretinis begi filium bello petiit, & regione sua spoliatum expulit. Hinc denique secutum, vt tantorum filij procerum, instituto Baiasitis animaduerso, se coniungerent; & ad * Temurlencum profecti, deploratis miseriis suis, Baiasitem accusarent; qui vitam omnibus eripere niteretur, & patribus suis hauriendum venenum præbuisset; eumdem orantes, vt illato Baiasiti bello, recuperatas singulorum regiones ipsis restitueret. Adnuit horum postulato Temurlencus, & intra duos annos cum exercitu venit, vt horum iniurias, Baiasite castigato, vlcisceretur. Laborabat insigni vitio Baiasites, quod militibus annonas & stipendia sua soluebat inuitus. Ea de causa, quoties solutionis dies adpetiisset, monebant eum sui, militibus vt debita salaria numeraret, qui horum exigendorum causa sibi magnopere molesti essent. Ad illa Baiasites in eam respondere sententiam solebat, vt diceret; causam nullam esse, cur tantopere solutionem stipendiorum milites vrgerent. Prata modo depastum irent. Hinc denique factum, vt quo tempore contra Temurem pugnandum erat, milites eius ex acie, ceu pugnam detrectantes, discederent. Interroganti vero Baiasiti, quonam pergerent; responsum a militibus, ad campos abire se, spicilegium facturos. Quæ sane militum discessio causam præbuit, vt a Temure Baiasites caperetur. Nec ipse Temur graue quidquam statuit in vllum ex iis militibus, qui proditum Baiasitem deseruerant. Idem supra memoratorum principum filios in regna ditionesque suas restituit, ac flammis & ferro vastatis Osmanidarum regionibus, domum reuersus est. Inclusus a Temurlengo caueæ ferreæ Baiasites, anulum habebat infectum veneno, quo vitæ finem ad extremũ sibimet adtulit, impulsus furore nimio, quod ipse cauea clausus, vxorẽ suam adsidere Temuris mensæ videret. Hæc epitomata de plerisque Baiasitis facinoribus ex eo, quem diximus, libro describere voluimus, & in Baiasitici nostri fronte collocare. Neque vero libet horum pleraque nimis ad viuum resecare. Nunc ad rerum ab eo gestarum expositionem accuratã & pleniorem accedamus, quam ex Haniualdana potissimum petitã historia, perlubenter & ingenue fatemur; insertis passim e Verantiano quoq; libro nonnullis memoratu dignis, vti quælibet horum suis recẽsita locis indicabun-

* Pandect. cap. 66.

* Pandect. cap. 45.

tur: ne quis ob auctorum nomina silentio præterita, malæ fidei culpam mihi possit impingere.

Posteaquam ergo Baiasites anno Mu- *Chr. 1390.* hametano ɪↄ cc xci, die quarto mensis Iunij, qui tunc apud Turcos erat mensis Ramazan, in regiam sedem collocatus fuisset; mox ab eo missi, qui Lazari Despotæ regionem, argenti fodinas Cratouanas, agrum opidi Cratouæ, cum ipsa Cratoua & Vscupia, in potestatem redigerent. Eis ducem præfecit Bassam Iegidem begum, Isaci begi filium, quē loco patris venerabatur. Ferisem quoque begum ire cum exercitu iussit, vt arcem & vrbem Vidynam occuparet. Ad summam, pleraque regionum Lazari opida Baiasitis in potestatem venerūt, qui Hadrianopolim reuersus, ibidem aliquamdiu mansit. Interim vero, dum hæreret in Europæa Baiasites Rumilia, latrociniis suis intentus Caramanoglius, Asiaticas Baiasitis prouincias inuasit, ac misere depopulatus est: ex quo sane quid deinde secutum fuerit, paullo post exponetur. Eurenosem begum Baiasites ad opidum Seres siue Serras reliquerat, qui dū illis in locis degeret, opida duo, quorum alterum Murati Dragomano Tzetriuer nominatur, occupauit. Citros fuisse priscis videtur, dicta velut Citri-uar, siue Citri ciuitas, & in Thessalia versus Thessalonicam sita, quę hoc tempore necdū Turcici iuris erat, vti de sequentibus adparebit. Ferises etiam begus, nō contentus occupasse Vidynam, cum iis militibus, quos Vidynæ secum habebat, transmisso Danubio; in Valachiam excurrit, & amplissima cum præda reuersus fuit. Nec minus Iegides begus in Bozinacorum regionem irruendi, & aliquam eius partem occupandi auidus, opimis cum spoliis Hadrianopolim ad Baiasitem, insigni mancipiorum numero secum adducto, rediit. Eam hyemem Baiasites Hadrianopoli transegit. Primo vere Burusam profectus, ædificia sacra cepit exstruere, nimirū meschitam nouam, & medressen, & timar- *Timarhana.* hanam pascendis & curandis ægris, quæ Græcis est Nosocomium. *νοσοκομεῖον.* His absolutis, in Europam rediit, & imaretum Hadrianopoli condidit: quo itidem ad finem perducto, Burusam reuersus est. Reliquerat Hadrianopoli Caratemurtasim, beglerbegum suum; quem in Asiam suscepto itinere, Burusam ad se venire iussit. Nam & de Caramanico bello gerendo cogitabat, & vrbis munitæ Alascheheris obsidium & expugnationem moliebatur. Eam Turci referunt ad illud vsque regni Baiasitici tempus solam inter Asiaticas in Gaurorū potestate mansisse, quum omnia passim in eius vicinia Musulmani iamdudum possideret. Vnde colligo, Lydiæ Philadelphiam a Turcis fuisse dictam Alascheherim, vel sublimem ciuitatem: quando Chalcocondyles etiam tradit initio Baiasitis, hanc Græcorum adhuc imperatorū id temporis subiectam fuisse dominio, deque consensu eorumdem obsessam, Baiasitis in potestatem, Græcis hunc in expugnatione iuuātibus, venisse. Si quis Philadelphiam esse neget, Hypsilen admittet, ei vicinā, de qua Pandectes noster. Porcolabus siue præfectus vrbis Christianus, cum principe finitimæ regionis Aidinoglio, qui professione Musulmanus erat, amicitiam colebat. Itaque Baiasites in hanc etiam vrbem propagandæ Musulmanæ religionis cupidus, exercitum suum adduxit. Simul edicto publicato vetuit, ne quis res opidanorum vel minimas adtingeret, raperet, vllove damno adficeret. Qui secus essent facturi, graues omnino pœnas luituros. Sperabat enim, hac moderatione se consecuturum, vt opidani sponte sua prius, quā vires eius experirentur, se dederent. Sed incolis portas vrbis occludētibus, & exire nonnumquam ad velitationes ausis; spe sua deiectus, obsidione subigendos statuit, & ante omnia militibus suis imperauit, nullis vt opidanorum prædiis, nullis agris & hortis suburbanis parcerent; sed omnes eorum res, vbicumque repertas, agerent, ferrent. Hac obsessi direptione rerum suarum intellecta, pacem petierunt, & vrbem deditā Baiasitis arbitrio permisere. Secundum hęc venit Aidinoglius etiam Baiasitis in castra, seque clientem ipsius professus est. Ei loca quædam ditionis amissæ restituta fuerūt, sed ea lege; non amplius vt monetæ suo titulo signandæ ius haberet, nec die Veneris, hebdomadario festo, preces Hutbeæ maioribus in tēplis siue Zumis, ipsius nomine, sed pro Baiasitis incolumitate, ceu principis superio-

superioris, conciperentur. Aidinoglius abunde sibi satisfactum iri sua sponte fatebatur, si suis editionibus ante, quam viuendi finem fecisset, nõ expelleretur. Quapropter omnes villas & possessiones ipsius timarias, quarum fructus percipiebat, & quas pro animæ suæ salute templis suis obtulerat & dedicauerat, Baiasites sibi vindicauit. Aidinoglius ex opido Cariæ Aia Sulug, perductus in alium fuit locum, cui nomen Iesri datur. Aia Sulug opidũ Asiæ minoris est, quod a veneratione S. Ioannis Euãgelistæ, cognomẽto Theologi, fuit a Græcis adpellatum & Hagios Ioannis, & Hagios Seologos, (sic pronuntiare Θεολόγον solẽt) vnde corrupta magis illa nomina Turcorum, Aia Iuni, & Aia Sulug. Collocat Hagian (mutilata vox est) Ortelius in Caria, de opido Theologo Malatestæ secretarius in iisdem locis loquitur, Asiam Schiltepergus ibidem adgnoscit, Aiam dicere volens, opidum prouinciæ (velut ipse fatetur) Aidinensis, vbi sepulcrum Ioannis Euangelistæ mõstrari perhibet. Hæc omnia pertinent ad indicatum modo locum.

Eiusmodi vero pacta conuenta, scripturis & instrumentis vtriq;, datis & acceptis, esse rata voluerunt. His rebus gestis, ad Saruchanis regionem cum milite suo Baiasites progressus est; eamq; legibus & condicionibus iisdem imperio suo subiecit. Nec multo post extinctis hisce duob9 principibus, Aidine-bego, & Saruchane-bego, regionem Saruchaniam Baiasites, Carasinæ ditioni adiunctam, filio suo timarij loco dedit, qui nomen Ertogrulis habebat. Alij referunt, Saruchanis vxorem, mortuo marito, regiones suas Ertogruli Baiasitis filio donasse. Secundum illa progressi sunt Baiasitis milites in regionem Menteſiam, cuius princeps a Turcis Menteſoglius adpellatus, ad Temurlengum regem se contulit. Omnes huic subditi begi siue proceres, & equites Ispahij, principem suum deseruerunt, a quo male tractabãtur; aditoque Baiasite, clientes ipsius facti sunt. Baiasites singulos dignitatibus, officiis, timariis suis restituit; & ipsas regiones, belli iure captas, summa cũ laude iusticiæ & æquitatis administrauit. Nam priores quidem principes grauibus subditos iniuriis adfecerant. Vnde factũ, vt iusticia, quæ pedibus antea proculcabatur, vbique a Baiasite nitori suo restituta; sponte regionum illarum populi ad ipsum concurrerẽt, ac perlubenter eius imperio se summitterent. Gesta vero fuerunt hæc a morte Muhametis anno IↃ CC. XCII. Chr. 1392.

Ceterum quo tempore Baiasites in Europæa Rumilia bello gerendo intentus erat, vt paullo ante dictũ; Caramanoglius aliqua suorum coacta manu, Hemidensem agrũ inuaserat. Id vbi factum comperisset Baiasites, in Anatoliam se contulit; quumq; regiones supradictas, Saruchaniam, & Aidiniam, & Menteſiam, in ordinem redegisset: venerunt ad eum regionis Hemidensis incolæ, de acceptis a Caramanoglio damnis & iniuriis querelas delaturi. Tum ille fulguris instar eodem adhuc anno celerrime transita regione, cui nomẽ * Teke-ili, ad Caramanidis begi fines accessit; visurus, an aliqua via suam hunc in potestatem redigere posset. Occurrit hoc in itinere Baiasiti Iacupes begus, Germeanensis principis filius; quẽ confestim suo cum Vezire siue consiliario, cui nomen erat Hissar begus, captiuitati addixit, & in Europam vtrumque trans mare misit, & in opido Ipsala carcerib9 inclusos custodiri iussit. Hinc vlterius in Caramanoglium properans, ad vrbem Coniam accessit. Sed is quamdam in regionem profugerat, quam Tas-Vilagetum vocant, hoc est regionem saxosam. Itaque Coniam Baiasites obsedit ipso messis tempore, quo campi fructibus, segetibus, fœno, ceteris annonæ pabulorumq; generibus maturis abundabant. Sed Baiasites in castris proclamari iusserat, capitali pœna delinquentibus statuta, ne quis aliquid tolleret ex omnibus opidanorum rebus, absque consensu illorum, qui agrorum domini erant. Quapropter ibant ad Coniæ muros Baiasitis milites, & frumentum, hordeum, ceteraque pabula sibi vendi ab opidanis petebant. Respondebant illi, se conclusos intra vrbẽ a Turcis obsideri, nec distrahere posse quæ foris essent. Verum si saluum a rege Baiasite commeatum impetrassent, libenter exituros vrbe, suasque militi segetes vendituros. Baiasites statim postulatis adnuit, & aliquam suorum manum eis adiunxit, qui

* Pandect. cap. 57.

exeuntes vrbe deducerent, hordei vendendi, sumendiq; pretij potestatem facerēt, ac vicissim illæsos in vrbem reducerent. Opidani iusticia Baiasitis & fide perspecta, deditionem non inuiti fecerunt. Exemplum Coniæ complures etiam aliæ secutæ sunt vrbes, vt † Ac-serai, qua voce palatium album significatur; & Nigde, & Caisaria. Quod quidem fieri videns Caramanoglius, extrema coactus necessitate legatum ad Baiasitem misit, qui pacem peteret. Ea data fuit hac condicione, vt quidquid esset trans flumen, quod Gihar-sembe nominatur, (ita Mercurium a Turcis adpellari volunt) in potestate Caramanidis maneret; quidquid vero cis eumdē fluuium, versus Baiasitis imperium spectaret, Osmanidarum finibus adiiceretur. Compositis hoc modo cōtrouersiis, & renouatis fœderib⁹; captas arces & opida Baiasites, impositis suorū pſidiis, muniuit; & Burusam, re bene gesta, rediit.

† De hac, & sequentibus, Pandect. cap. 58.

Occupatis non ita dudum a Baiasite regionib⁹ supra nominatis, Aidinia, Saruchania, Mentesia; princeps huius vltimæ, quem Turci Mentesoglium vocāt, vim Baiasitis fugiens, ad Cutrunem Baiasitem, Castamonis & finitimæ prouinciæ Ponticæ principē, se contulit: eumque commouit, expositis iniuriis, quas accepisset a Baiasite, communis vt hostis agros, expeditione suscepta, magnis cum copiis inuaderet, ac flammis & ferro vastaret. His excitatis turbis, etiā Baiasites, exercitu collecto, Castamonem bello premendam statuit. Sed Vaiuoda Valachiæ* Mirtzes, qui annuum Turcis tributum se soluturum promiserat, intellecta Baiasitis hac expeditione Pontica, cuius occasione Valachicis a finib⁹ quamlongissime copias abductur⁹ erat; Danubium transmisit, & Carin-ouasin depopulatus, magnū Musulmanorum numerum partim occidit, & Sehidorum siue martyrum agminibus adgregauit, partim seruituti mācipatos in Valachiam secum abduxit. Baiasites illatæ suis finibus cladis certior factus, expeditionem Ponticam in aliud tempus reiecit, & Hadrianopolim reuersus, ibidem Akenzilaros siue Volones conuenire iussit. Hi præmissi, ad vrbem Nicopolim Danubiū traiecerunt, Valachiam ingressi sunt, prædis agendis & flammis

* Pandect. cap. 71.

absumserunt omnia, spoliis seipsos opimis ditarunt. Tamdem Mirtzes in loco, quem Turci tam Arcas, quā Artzes nominant, infesto Musulmanos adgressus prœlio, prima statim coitione cęsus, maiorē exercitus sui partem ferro peremtam amisit. Quapropter infelicis conatus ac temeritatis suę pænitentia ductus, culpam supplex deprecatus est; & interueniente stipulatione noua, qua se deinceps pendendo tributo Baiasiti obnoxium fore professus est, in clientelam admissus fuit. Gesta fuerunt hæc anno extincti Muhametis, Turcorum prophetæ, ıↄ cc. xciii. Laonici tamen opinione res hæ Valachicæ Nicopolitanam cladem secutæ sunt, de qua mox agendum. Et omnino videtur Baiasites iterato bello Valachū oppugnasse, Turcis etiam testibus.

Chr. 1391

His rebus intēto Baiasite, nuntiatum fuit, Italos educta classe triremium, portus & oras Europaę Rumiliæ maritimas depopulari, magnaque locis illis omnibus inferre detrimenta. Quapropter & Baiasites, exercitibus Græciæ collectis, Selanicam vrbem, priscis Thessalonicam, adoriri cepit; nec vllis admissis indutiis, aut occasione neglecta, die xix mensis Zumasiul Achir, anno post obitum prophetæ Musulmanorum Muhametis ıↄ cc. xciii, totum Selanicensis vrbis agrum occupauit. Nonnulli memoriæ prodiderunt, id temporis etiā ab eo captā fuisse vrbē ipsam Selanicēsem, quā exstincto Baiasite Gauri recuperarint. Sed verius est, vrbis territoriū a Baiasite tunc in potestatē dumtaxat fuisse redactum, quod † regni nomen ac titulum, etiam præcedenti hos annos memoria, tulerat. Deinde Neapolim Græcam adiit, quam Turci Ienischeherem vocant, & Iainen Ætoliæ, Græcis Ioannina: captisque castris & opidis ambobus, Burusam re prospere gesta rediit.

Chr. 1391

† Pandect. cap. 92.

Traditum vero litterarum monumētis est, Baiasitem Selanicæ potitum territorio, & facto quodam aduersus Italos belli principio, menses illos hibernos in Anatolia Burusæ trāsegisse. Veris autem initio, maximis cum militum copiis traiecto freto Calliopolitano, mox Hadrianopolim se contulit. Ibi bellum Vngaris inferendum statuit, & ipsam armis inuadendam Vngariam. Cuius rei

persi-

perficiendę causa iam iter ingressus, exploratorem Constantinopolitanū a suis captum intellexit, apud quem reperta fuisset epistola, quæ ipsi oblata Baiasiti, paucis ab Imperatore Græco verbis ad Cralem siue regem Vngariæ, propemodum in hanc erat perscripta sententiam: Cur otiosus es, o rex, quidue cunctaris? En Turcus bello te petiturus accedit. Fac ergo, te paratum & instructum rebꝰ ab omnibus inueniat. Quin & ipse veritatem rei fassus explorator, iam ante missum fuisse dixit aliū ab imperatore, monendi causa regis, exploratorē. Itaque beglerbegus ille Baiasitis Temurtases, rebus hisce cognitis: Vides, inquit, o felicissime Sultane, necessario nobis ipsam prius obsidione premēdam & expugnandam Constantinopolim. Quippe Teggiur ille Cōstantinopolitanus inter ceteros Gauros inprimis vafer est, malitiosus, infidus. Quamobrem hunc primum e medio tolli, pretium operæ fuerit. Nec multum ea res habitura difficultatis est, quando Gaurus hic ab omni parte Musulmanorum prouinciis circumdatus includitur. Omnino spes est futurum, vt quemadmodum Alascheherem siue Philadelphiam Asiæ, longissimo tempore medios inter Musulmanos se tuentem, ad extremum in potestatem nostram redegimus: ita non difficulter etiam hunc teggiurem cum vrbe sua captum radicitus exstirpemus, ne quid negotij molestiæque nobis amplius exhibeat.

Probauit hanc Temurtasis sententiā Baiasites, ideoq; mox ad vrbē duxit exercitum, eamq; terra primum obsedit. Deinde Calliopolim misit, qui classem arcesserent, vt mari quoq; clausa ciuitas esset. Hoc modo Turci Cōstantinopolim & terrestribꝰ circūdatam copiis, versus muros terrestres; & classiario milite versus mœnia maritima cinctam, magnis oppugnare viribus, & ad deditionem compellere non desinebāt. Parum tamen hac obsidione profectum longo tempore, potissimū ex hac causa; quod bombardarum ea tunc copia non esset, quam vbique modo conspicimus: ideoque Turci diuturniorem expugnandæ ciuitatis rationem, qua summam ad pænuriam rerum obsessi redigerentur, amplecti & sequi cogebantur.

Hoc rerum statu, rumor ad aures Baiasitis & Turcorum peruenit, regem Vngarorū, quē ipsi Cralem siue Kiralem sua lingua dicūt, insigni cū exercitu, in quo essent hominū ad cxxx millia, Cōstantinopolitani regis impulsu, Danubium e Valachia transmisisse, militumq; corona Nicopolim obsidere cepisse. Baiasites accepto huius rei nūtio, mox instrumēta bellica lignea, cū scalis, ad cōscendenda mœnia Cōstantinopoleos factis, flāmis exuri iussit; & vrbis obsidione soluta, cum suis in Vngaros profectus est. Primum vero ventum ad vrbem Bulgariæ Tirnouam, vbi milites suos omni armorum genere Baiasites instruxit, & Eurenosem begum misit, vt aliquos caperet, ex quibus hostiū conatus & consilia cognosci possent. Verum ea diligentia rex Vngarorum castra sua muniuerat, nullum vt Eurenoses posset intercipere, de quo res hostium licuisset expiscari. Quamobrem non sine pudore ad Baiasitem reuersus: Cauendum nobis erit, inquit, ab isto Gauro, qui tanta sibi cura prospicit, ne forte nos securos & inopinantes opprimat. Tum verò Baiasites, vti quidam memoria prodiderunt, habitu mutato, & Vngarorum, qui vrbem obsidebant, veste sumta; noctu Nicopoleos ad arcem accessit, deque sublimi loco præfectum arcis adpellare magno clamore cepit. Ac præfecerat arci quemdam e famulis suis præcipuis, cui nomen erat Dogan. Is adgnita voce Baiasitis, herum adesse animaduertit; ideoque de propinquo maxime loco Sultanum adlocutus: Ita perpetuo felicem, inquit, esse maiestatem tuam opto, vt instrumentis bellicis & annonis abundamus, nec adhuc quidquam a Gauris periculi formidamus. Respondit Baiasites, solliciti rerum suarum & vigilātes essent. se quidem cum copiis, ad obsidionem soluendam, mox instar fulguris adfuturū. Auditę fuerūt a Gauris quibusdā colloquētium voces; qui sine dilatione rem ad Vngariæ Cralem detulerunt. Is tametsi diligenter inquiri iussisset, an ita se res haberet; tamen de Sultano Baiasite nihil certi cognoscere potuit.

Postridie rex summo mane Nicopoleos oppugnationē instituit. Quamobrē Sultanus etiam Baiasites ex altera parte

propius ad castra regis accessit Vngari, qui Nicopolim adgressurus erat. Christiani conspecto Musulmanorum exercitu, copias suas bipartito diuiserunt; eo quidem consilio, Musulmanorum vt agmina, duas inter acies inclusa, circũdarent. Sed iam antea Musulmanorum etiam copię geminas in acies diuisæ fuerant. Harum illa, quæ Sultanum Baiasitem continebat, loco se quodam occulto abdiderat, & prœlio parata committendo stabat. Erat is Veneris dies, quo Turci festum hebdomadariũ celebrare solent. Eius diei primo diluculo milites vnius aciei Turcicę statim aduersus Vngaros se commouerunt, vti prœlio cum eis decerneret. Vngarorum vero mens erat, vtrimque partem illam Musulmanici primam exercitus, quam oculis suis conspiciebant, circumfusis amplissimis copiis suis, intercipere: sed prius, quam id facere possent, absque mora Sultanus Baiasites, in abdito loco latens, ingenti cũ clamore suorũ, diuinũ nomen vocibus illis, Alla egbir, pro more Musulmano adpellantiũ, erupit; & vno supra Gauros irruit impetu. Tum vero Gauri, videntes has Turci copias, quas occultas tenuerat, multo numerosiores esse, quã ipsi credidissent; pauidarum more damarum diffugere ceperunt, & hosti terga dare. Prior autem Musulmanorum acies, quam initium pugnæ dedisse diximus, grauissime Christianorum regem premendo, rem eo denique deduxerũt; vt Gauris interficiendis defatigati, reliquis condonare vitam, eosque mancipiorum in numerum recipere cogerentur. Tanta quidẽ collocupletati spoliorum copia fuere Musulmani, nullius vt hominis oratione res satis exponi possit. Et constat, rogatum aliquando Caratemurtasis filium, vt res hoc prœlio gestas prolixe commemoraret, quandoquidem iis ipse, quum gererentur, interfuisset; respondisse paucis, suos dumtaxat homines ea pugna cepisse duo millia mancipiorum, & amplius. Ad summam, nullus in exercitu tam Europæo, quam Anatolico, repertus fuit miles, qui non mancipium aliquod nanctus esset. Vsq; adeo fructuosa Turcis hæc victoria fuit. Rex Vngarus fuga saluti suæ cum proceribus quibusdam Christianis consules, vix saluus euasit: Gaurorum vulgus in ipsum se Danubium præcipitauit, & in aquis exstinctum periit. Pugnatum a Turcis hoc prœlium singulari prosperitate, anno a migratione Muhametis IↃCC. XCIV.* *Chr. 139

Hac potitus victoria Baiasites, ex illis discessit locis; & Constantinopolim reuersus, propter vrbem consedit; coactisque militũ copiis, versus Cotza-ili, (quæ senis in Bithynia regio dicitur, velut ab Accecotza primum occupata, sicut ostensum libro huius historiæ IIII, sub principium) supra Vscuderem, quæ Scutarium Gręcis est, Bosporum transmisit, vt Burusam iret. Hoc in itinere arcem, cui nomen Syli, velut Scyli, per aphæresin, ex veteri Dascylio, propugnatoribus vltro deditionem facientibus, cepit.

Inde locum sibi delegit, vltra Bogazi Kessen (eæ Bospori fauces sunt, de quibus consulendus Pandectes noster Turcicus, capite 128) situm; iuxta quam Bogazi Kessen nunc Genichisar siue Neocastrum videmus exstructum. Is locus *Hieron a Turcis & Græcis adpellatur, a templo vetustissimo Iouis Vrij, hoc est largientis ventos secundos. Hoc igitur loco, trans Bosporum sito, respectu Constantinopoleos, in Asiatico litore, premendæ per obsidionẽ diuturnam vrbis, & impediẽdæ nauigationis in Bosporo causa, munitam arcem condidit, quam Guseltze-Chisarem vocant. Hac arce tamdem absoluta, misit quemdam e suis ad Teggiurem Constantinopolitanum, qui diceret ei suis verbis: excederet vrbe Constantinopoli, sponteque sua desertã sibi relinqueret. Sin autem, monitum velle Teggiurẽ, quãprimum vti se compararet ad defensionẽ, quando propediẽ adfuturus ipse, maximisq; viribus eo vel inuito redacturus esset in potestatem, quod vltro dedere recusaret. Teggiur autem misso sine mora legato, tributum in annos singulos ei se soluturũ, oratione supplici promisit. Adsensus hisce precibus Baiasites, inducias concessit, iis quidẽ legibus; vt in vrbem Constantinopolim Prætor siue Iudex (Cadium vocant ipsi) Turcicus admitteretur: vt vna platea Musulmanis ibidem cederet, in qua sibi domicilia cõstituerẽt: vt aureorũ deniq; decẽ millia quotannis tributi nomine Teggiur Constantinopolitanus ipsi penderet. Hac formula

*Quære caput 128 Pandect.

mula pacis & indutiarum vtrimque adprobata, iussi fuerunt ex opido Anatoliç Taraxi-Genitzesi, qua voce Taraxe nouella significatur, in Bithynia sita, Constantinopolim migrare ciues & incolæ: quibus istic non sparsim, sed vno quodam in loco, vicus ad inhabitandū concessus fuit, exstructū in medio vici templum siue meschita, prætorq; datus, qui ius eis ex lege Musulmana diceret. Deinceps tamen, quum Temurlengus superatum prœlio Baiasitem in suam potestatem redegisset, & cauea clausum teneret: arrepta Tegiur ille Constantinopolitanus occasione tam optata, populum totius vici Turcicum mox vrbe vi expulit, & meschitã destruxit. Illi vero sic eiecti, redierunt in Anatoliæ Bithyniam, & agrum pristinæ vicinum patriæ, qui Gouinuclu Turcica lingua dicitur, incoluerunt; vbi quidem adhuc superstites ipsorum reliquiæ sunt. Accidere, quæ diximus, anno Muhametano
Chri∫t.1394. ꟾↄ CC. XCV.

Secundum hæc profectus Nicopolim & Silistram Sultanus Baiasites, vrbem vtramque suo plene restituit imperio; quod vltra Danubium sita Nicopolis minor, Valachiam versus, in Vngarorum regis potestatẽ hoc bello venisset. Inde versus Moream cum exercitu perrexit. Quumque peruenisset ad opidum Caraferien, ibidem ipse substitit, & versus quatuor mundi plagas Akenzilaros prædatum dimisit; qui passim regionem vniuersam grassationibus & incendiis vastarunt, opimisq; potiti fuere spoliis. Interim Baiasites in opido Caraferc templum maius, & imaretum exstruxit; quibus absolutis, Hadrianopolim rediit, & ibidem ad tempus aliquod hæsit.

Dictum superius, Lazarum Vulcum, Zirforum Despotam siue principem, & exutum fuisse regno, & diem in terris supremum obiisse. Post eius mortẽ, principatus ac ditiones huius plerasque, in potestatẽ ab se redactas, Baiasites Chan possidebat & administrabat. Exstincti vero principis Lazari Vulci filius, quem Stephanum Christianæ vocant historiç, Turci Vulcoglium, id est Vulci filium, hoc fere tempore datis ad Baiasitem litteris, quas summisso perscripserat studio, legatum quoque de procerum suorum numero quemdam cum muneribꝰ misit amplissimis, qui suo nomine de prosperis ei rerum successibus gratularetur, & omnia fausta deinceps etiam optaret. Inprimis autem matris scripta nomine Baiasiti fuit oblata epistola, qua significabat, se pulcherrimam filiam suam, Stephani sororem, adhuc superstite Sultano Murate Baiasiti promissam in matrimonium, nunc ei missuram. Susciperet modo benignus ancillam suam, quæ deinceps eum per omnem vitam cultura summissis esset obsequiis. Quum pergrata Baiasiti hæc esset legatio, missa statim etiam sponsa fuit, & insigni cum adparatu legitimis ei iuncta, pro more, nuptiis. Hinc Vulci filius vrbem arcemque * Semendren a Sultano Baiasite petens: Obsecro maiestatem tuam, inquit, vt arcem & opidum Semendren sorori meç condones. Adsensus huic postulato Baiasites, etiam opidum & arcem Gugerzinlicam, (columbarium ea vox significat, quæ Bonfinio & aliis Columbacium scribitur) præter Semendren, ei dono dedit; non comprehensis tamen hac donatione nonnullis opidis aliis, quæ in iisdem sita finibus erant.

* Pandect. cap. 99.

Ante vero, quam Vulci filia Baiasiti nuberet, ignorabat ille, quid esset vinum bibere, quid sumtuosis se recreare conuiuiis, quid indulgere genio: quæ quidem omnia primum Lazari filia magistra didicit. Ipsa stirps Osmanidarum ad illud vsque tempus nec vino fuerat vsa, nec temulentiæ se dederat. Osman, Vrchan, Murates a vino abstinuerant. Præterea reperiebantur illorum temporibus viri sancti, qui libere sensus animorum suorum profitebantur. Principes ipsi viros doctos reuerebantur, & actiones suas ad eorum præceptiones ac monita conformabant. Et in hanc sane sententiam quum grauiter ac prolixe de priscis Turcorum moribus historia Verantiana disserat, nequaquam putaui committendum, vt mea culpa & negligentia tam insignem, barbari licet hominis, expositionem rerum memorabilium, quæ nobis etiam ex vsu possit esse, lectores desiderarent. Si quis, ait, Osmanidarum procerũ aliquid deliquisset, aut si quid iniuste perpetrasset; indicati viri prudentes & docti serio dabant operam,

vt impulsi suis admonitionibus principes, ab illis iniuriis abstinerent. Sin id omnino facere recusaret, ab eorum consortio & consuetudine sibi cauebat, nec reges illos amplius adibat. Nihil improbe, nihil agebat nequiter: quod metuerent, ne suis officiis abdicare cogeretur. Eade de causa ius apud eos venale non erat, & quidquid aduersaretur legi, coercebant; ne latius longiusue serperet. Præterea si quibus id temporis opus esset Cadio siue Iudice, quærebant aliquē hinc inde variis in Medressis aut gymnasiis, & difficulter inueniebant; quod nemo Cadij munus in se vellet suscipere; persuasis omnibus, Cadilaros ad orcum præcipitari. Nunc alij mores sunt. Inuenias, qui spe consequendi cadilicatum, gladios etiam nudaturi sint, & aliquem mox interfecturi. Nulla se cohiberi legē malitia patitur, nulla iusti & æqui habetur ratio. Videas quemdam ad aliquod tempus operam nauare cuidam e procerum numero, qui vicissim vt ei benefaciat, homini sua gratia & auctoritate, qua valet, cadilicatum impetrat. at cui viro? qui tā rudis & imperitus est omnis doctrinæ, ne quidem vt nomen suum ab aliquo scriptum legere norit. Ad ea nimirum tempora peruenimus, vt interpellatus ab aliquo scripturæ communicandæ causa iudex, ignorare se litteras respondeat, & scribam quæri iubeat. Qui talis est, an meretur, vt iudicis ei munus committatur? vt imperet aliis? vt iuri dicundo, & exsequendis sententiis præsit? Væ miseræ prouinciæ, cui iudex eiusmodi obtigerit. Olim iudices creabantur, qui rerum vsus & doctrinæ causa semet ad obeundum munus hoc offerebant. Nunc illi iudices fiunt, qui hoc officium nauatę alicuius operę causa flagitant; nec magnopere laborant, vt Cadileschcris, qui iudices maiores sunt, frequentādis idoneos se probent. Posteaquam ad principes Osmanidas tam Azemi siue Persæ, quam Caramani venissent, seque in eorum familiaritatem insinuassent: ipsi quoque principes Osmanidæ degenerare ceperunt, & vitiis se contaminare plurib⁹. Quū Zinderlu-Cara-Chelil, & Rustemes Zurcus e Caramania, nostrorum ad principum Portam se contulissent, quæ id tēporis sanctos & doctos viros habebat: statim variæ fraudes exortæ sunt, & imposturæ. Nemo tunc rationes prouentuum norat, aut rationum libros; quos illi primi facere ceperūt, vt aspros siue pecuniam colligerent, ac thesauros congererent: non respicientes interim finem, quo adpetēte, relinquenda ipsis essent omnia, deque mortali hac vita migrandū. Nec multo post, quum Alis bassa, Cara-chelilis filius, Veziris ad dignitatē euectus esset: tam male agendi, quā male dicēdi licentia nimiopere creuit. Nam pueros ille formosos ad se recepit, eisq; nomen dedit, vt Itz-oglani dicerentur, hoc est, intra seraium cōclusi pueri: quibus quidem ad aliquod tēp us vtebantur, prout eis libitum esset, ac deinde productis ex illis latebris officia siue munera cōmendabant. Simul eos, qui prius illa gerebāt officia, suis e locis remouebāt; & iidem hi pueri nō Ispahiorum in ordinē dumtaxat referebantur, sed etiam paullatim ad maiores dignitatum gradus euehebantur. Si qui patres essent, ij sua loca filiis tradebant: sin essent eis tantummodo filiæ, ne paupertate premerentur, eas hisce mancipiis nuptum dabant, posteaque generis annonas & salaria sua consignabant. Itz oglani deniq; soli debent Ali bassæ, quidquid honoris & dignitatis obtinent. Eodem Ali bassa Veziris munus adepto, Talismanorū numerus insigniter auctus est: quorum quilibet apud proceres semet insinuabat, vtque gratiam eorū promereri posset, ea proferebat in medium, quæ proceres illos audire velle animaduerteret; atque hoc modo mandata diuina, cum prophetæ capitulis, siue præceptis, negligebantur. Ipsi quidem Osmanidæ simplices erant, & aperti; ad quos vbi venissent ij, quos modo recensuimus; varia committere scelera ceperunt. Nulla iusti ratione habita, totos iniusticiæ se dederunt. Vnde factum, vt aspros etiam nouos cuderēt, & aspros † veteres expendi prohiberēt. Publicatum quoq; fuit ab eis edictum, ne quis in alias regiones aspros veteres exportaret. Nihilo minus Alis bassæ tanta erat auctoritas, vt a populo nō modo coleretur, sed etiam propemodum adoraretur. Tamdem tamen cepere Cadilarorum flagitia manifesta fieri, & ab ipso quoque Sultano Baiasite deprehendi. Quamobrem iussit, vt in vrbem

†Causam quare Pandectu cap.5

Geni-

Genischeherem siue Neapolim Bithyniæ conuocarentur, & vna domo conclusi, lignis circumpositis & accensis, absumerentur. Erat id temporis Baiasiti Vezir-azemes, siue primus a cõsiliis, Alis bassa, Chelilis Hairedinis filius. Is quum viam aliquam & rationem liberandi iudices hoc periculo quæreret, nec vllam inuenire posset: tamdem accessiri iussit ad se Baiasitis scurrã quemdam Æthiopem, apud Indos natũ, tamque faceti hominem ingenij, plurimum vt ipsius lepores apud Sultanum Baiasitem valerent. Quoties sane Baiasites, a natura semper iracundior, excandesceret: nullus eum placare poterat, nec audebat alloqui, pręter vnicum hunc morionem, qui furorẽ hominis in medium allata facetia quadam mitigabat. Ac libet hoc loco de ridiculis ipsius facetiis vnam atque alteram recitare.

Præcipitis iracũdiæ vir erat Sultanus Baiasites, q̃ perexiguæ culpæ causa, magnam interdũ cædem hominũ ederet. Forte quodam die vehementer iratus erat quibusdã, iisq; numero nõ paucis. Aderat tunc Diuano siue concilio publico Baiasites, & erãt in mediũ illi concilium producti, pœnas vt castigati luerent. Animaduertebant consiliarij, Baiasitẽ bile graui commotũ. Quapropter formidine percussi, ne mutire quidẽ audebãt, sed humi deiectis oculis sedebãt taciti. Nihilo minꝰ inter se consultabãt, quonã modo miseros illos p̃sentissimo discrimini eriperent. Vnꝰ inter ceteros aiebat, nullũ aliud superesse remediũ, q̃ si quid industria sua præstare posset Æthiops. Ostẽdunt igitur illi ad se vocato, dũtaxat ipsius ope liberari mortis e periculo iamiã suppliciis adficiẽdos posse. Daret operã, vt Deo bene iuuãte, feliciter rẽ cõficeret. Prodit in conspectũ Baiasitis Æthiops, eumq; compellans: Hos omnes, inquit, o Sultane mox interfici iubeto; caue dilationem eis concesseris. Proditores sunt, ac nebulones omnium pessimi. Tum Baiasites: Facile mihi persuadebam, ait, aliis etiam hos sceleribus obnoxios. Æthiops vicissim: Quorsum nobis, ait, isti? En maximo cum exercitu Temur Han cõtra nos vẽturus est. Confestim præcipe tuis, vt hos occidant. Inde sanzacum siue vexillum ipse manu prehendas, ego tympanum pulsabo. Ita nos duo Temuri ꝓficiscemur obuiã, & pugnabimus in eũ, & negotij satis hosti exhibebimꝰ. Baiasites auditis hisce verbis Æthiopis, quasi ad vnius horæ spatium cogitabundus obticuit: deinde condemnandis & interficiendis vitam vltro donauit. Quo quidem euentu rei summopere læti Baiasitis cõsiliarij, mox Aferin, voce Turcica ingeminabant; hoc est, O factum bene.

Recitemus & alterũ facinus Æthiopis ridiculũ, quo suæmet saluti cõsuluit. Metatꝰ aliquando castra Gilderun Chan quadã in planicie, sub tentorio degebat; ante q̃ sublimis q̃dam erat arbor. Hanc intuens: Bre Areb, inquit, hoc est, Heus Æthiops, si me amas, in huius arboris verticẽ cõscẽdito. Statim abiit Æthiops, & vestibus exutis, arborẽ conscendit. Ad verticẽ vbi peruenisset, adpellatis Baiasites circũpedibus suis, siue Solachis, quotquot secum habebat: Qui me amant, inquit, arborem hãc nagiacis siue securibꝰ suis secent, ad terrã vt prostrata corruat. Excitati Baiasitis hac oratione circũpedes, mox arreptis securibus in arborem continuos ictus ingerunt, donec eam prope totã resecuissent. Æthiops arborem cædi videns rogare Sultani cõsiliarios cepit, vti pro se apud Baiasitem intercederent, & vitę gratiam impetrarẽt. ceteroqui futurum, vt arbore cæsa, mox ad terram ipse cum periculo præcipitaretur, & extinctus periret. Sed eorum intercessionem frustra requirebat, quando nullus ipsorum prodire Baiasitis in conspectum, ac vel vno verbo Sultanum audebat orare, vt Æthiopis vitæ parceret. Is vero videns, iam cæsam arborem a ruina quamproxime abesse; subito solutis feminalibus siue subligaculis excernere sordes suas in eos cepit, qui arborem secabant. Quod quum illi facientem conspicerent, relicta mox arbore, hac illac diffugiebant. Interim Æthiops descendendi cõmoditatem nanctus, ex arbore se demisit, & adpellatis Sultani consiliariis, qui spectaculo præsentes adstabant: Vtinam consiliariis, vestri similibus, idem hoc vsuueniat, inquit, vt conspurcentur; quorum verba tantum non valent, quantũ meæ sordes.

Audiamus & aliud Æthiopis factum. Colloquẽs aliquãdo Baiasitis mater cũ filio: Velim, inquit, o fili, videre tuum

aliquando Æthiopem, vt ſcire poſſim, qui vir ſit. Baiaſites matri reſpondens: Equidem, ait, nunc expeditionem ſuſcipiã, vt propitio numine Chriſtianorum ditiones in poteſtatem redigam. Illinc eum ad te remittam, vt ſucceſſus in bello meos tibi nuntiet; quo ſane modo licebit hominem videas. Ingreſſus ergo cum exercitu regiones Chriſtianorum, poſteaquam opida, caſtella, ditiones aliquas eorum occupaſſet: Æthiopem abire iuſſit, & matri ſuæ rerum geſtarum nũtium adferre. Quum veniſſet ad eam Æthiops, ſedere primum iuſſus fuit, ac deinde Baiaſitis a matre rogatus, qui valeret filius ipſius? Recte, reſpondit. Magnam agrorum partem Chriſtianis ademit, & egregij milites ipſius ampliſſimis ditati ſunt ſpoliis. Inde mater Baiaſitis iterum Æthiopem, verbis iiſdem, interrogauit; qui reſpondit, vt prius. Nihilo minus Sultana tertium quæſiuit, quomodo valeret filius ſuus? Tum vero diuerſum dando reſponſum, in hæc verba prorupit Æthiops: Quonam modo valeat, interrogas? Bre Cachpe, o meretrix, ait, peperiſti filium, titioni ſimilẽ, qui vagatur hinc illinc, & orbem terrarum incendiis vbique vaſtat. Ad illa quum mulier exclamans iuberet, vt comprehenderetur: tã celeriter [illegible] oculis omnium aufugit Æthiops, vt nuſquam amplius adpareret. Huiuſmodi multa facete tũ proferebat Æthiops, tum agebat in præſentia Baiaſitis; & quidquid accidiſſet ad animum, liberrime dicebat, ſed ſcite admodum, & adpoſite. Quod ſi etiam aliquid a Baiaſite peteret, impetrabat.

Talis ergo quũ eſſet, arceſſiri Æthiopem iuſſit Alis baſſa, venientemq; compellans: Quidquid volueris, inquit, o Æthiops, equidem tibi dabo; ſi Cadilaros ab hoc furore Sultani Baiaſitis liberare fueris auſus. Quibus auditis, confeſtim ab Ali baſſa diſceſſit Æthiops, & militari veſte ſumta, vſcufiam capiti auream caſſidis inſtar impoſuit, atque ita Baiaſitis in conſpectum prodiit. Rex, eo viſo: Sane quam eleganter, ait, hodierno die veſtitus es, Æthiops. Cur iſtuc abs te fieri dicam? Velim reſpondit Æthiops, vnius ſaltim rei te mihi gratiã facere. Fac impetrem, quod petiturus ſum. Quam tibi gratiam, ſubiecit rex, vis fieri? Ni quid aliud tibi videtur, inquit Æthiops, rogo me Conſtantinopolim mittas, vt legatum. Nam illuc ire deſidero. Quid autẽ facturus es Conſtantinopoli? ſubiecit Baiaſites. Ibo reſpondit Æthiops, petitum a Teggiure XL vel L Calogeros, vt eos mihi donet. Ad quid iſti Calogeri tibi ſeruient? ait Baiaſites. Interficẽ modo Cadilaros, inquit Æthiops. Subſtituemus in eorum locum Calogeros. At cur nõ præſtiterit, ſubiecit Baiaſites, iudicibus occiſis alia mea ſubſtitui mancipia potius, quam exteros ſumi? Quia litterarum peritos, ait Æthiops, oportet eſſe iudices. At illa mancipia tua nõ ſunt erudita. Ergone iudices hi litterati ſunt? inquit rex. Tum Æthiops: Nequit eſſe iudex, qui nõ eſt litteratus. Viciſſim Baiaſites: At vero ſi litterati ſunt, cur quæ perſcripta præclaris in libris inueniunt, reipſa non præſtant? Eius rei rationem, inquit Æthiops, Alis baſſa tibi reddere poterit. Itaque Baiaſites Alim baſſam confeſtim ad ſe venire iuſſit. Quumque comparuiſſet: Quid ais? inquit Baiaſites. An iudices iſti litteras norunt? Non poteſt, reſpondit Alis, officio iudicis fungi, qui litteras ignorat. Siquidem ergo, ſubiecit rex, litterati ſunt, cur non faciunt id, quod bene perſcriptum in libris reperiunt? At nullas annonas, inquit Alis, nulla ſtipendia regum habent, vnde ſe cum ſuis alant; eaque de cauſa committunt illa, quæ dixiſti. Quid igitur, ait Baiaſites, cum iis agendum cenſes? Opus eſt, inquit Alis, aliqua his munificẽtia regia. Tu vero, ſubiecit rex, aliquod eis ſtipendium conſtitue. Quapropter ordinauit Alis, vt cuius res litigioſa mille aſprorum pretium æquaret, is vicenos aſpros iudici pro dicendæ ſententiæ præmio numeraret; vtque pro quauis ſcriptura vel inſtrumento conficiundo iudex aſpros XII nomine ſui laboris acciperet. Hæc conſuetudo, tunc recepta, manſit hactenus ab illis vſque temporibus; & inuentum eſt Alis baſſæ. Nihilo minus ſatisfactum hoc modo Baiaſiti fuit, qui condonata pœna, iudices incolumes abire permiſit.

Ceterum Valachi principis Baiaſites offenſus iniuria, qui Crali Vngaro ſuppetias aduerſus ſe tuliſſet; dum plane decreto bello Valachico, ſemet huic expeditioni, ex Anatolia tranſmiſſurus in Europam, accingeret: Cara-temur-taſcem

per

per absentiam suam Anatoliæ beglerbegum cõstituit, eidemq; Sanzacatum siue vexillum, quod apud Turcos imperij signum est, Ancyrę regendæ tradidit. Nec multo post, quum vrgendi belli suscepti causa, fretum Hellespõticum traiecisset: forte contigit, vt Aladin begus ille Caramanoglius nocte quadã ex improuiso Caratemurtasem, rerum suarum securum obrueret, captum vinculis constringeret, Coniam secum abduceret, ibiq; carceri manciparet. Sed quũ idem Aladin begus deinceps inaudisset, Baiasitem Valacho redacto in ordinem, victoria potitum illustri, maxima cum prędа Burusam reuersum esse: non leui formidine percussus, quod præsentissimum reb⁹ suis imminere periculum videret, absque mora Temurtasem begum e carcere produxit, splendidissime pro gentium illarum more vestiuit; admissorumque petita venia, libertati pristinæ restituit, & quocumque vellet, abire iussit. Simul existimationis summæ virum, qui legationis munere fungeretur, cum maximi pretij donis ad Sultanum Muratem misit, vt culpam anteactorum suo nomine deprecaretur, seq; apud Baiasitem in gratia reponeret. Is vero legatum admittere suum in conspectum, præ iracundia, noluit; colligique tam Europaææ Rumiliæ, quam Anatoliæ copias vniuersas pręcepit, & adparatu maximo Caramanoglium adgredi statuit. Vicissim ex altera parte videns Aladin begus, omnem sibi spem reconciliationis ademtam, quibuscumque poterat modis, aduersus hostis adeo potentis vires se muniit; & præter suos, etiam Durgutensis regionis, & Paiburdensis, & Samagurli milites stipendiis conductos, Baiasiti decreuit opponere; prœlij subiturus aleã potius, quam regno sine sanguine parum viriliter cessurus. Hoc modo progressus in campum, siue planiciem, cui nomen Aczair, quo pratum album significatur, manum cum Baiasite conseruit. Verum in ipsa pugna se virib. inferiorem animaduertens, fugam iniit. Quumq; Musulmani milites eum a tergo persequerentur, forte casu fatali quodam accidit, vt equus eius ad terram prolaberetur. Tum verò aliquot magnanimi, celeriter in eum prouecti, viuum cepere; vinculisque constrictum, non sine contumelia Baiasiti stiterunt. Secundum hæc, cælestis prouidentiæ nutu, etiam duo ipsius filij, Muhametes begus, & Alis begus, Baiasitis in potestatem venerunt; missique fuere Burusam, vt in custodia istic haberentur. Aladin begus ipse, Baiasitis mandato, Temurtasi bego traditus fuit: qui mox ei gulam frangi suspendio iussit. Qua re Sultano Baiasiti nuntiata, magnum animo cepit dolorem, ob necatum eiusmodi supplicio sororium. Quippe non hæc eius sententia fuisse fertur, vt interficeretur. Inde cum exercitu victore Coniam adiit, & vrbem potestati suæ subiecit. Exemplum Conię secuta sunt opida cetera, Caramanię comprehensa regno; nimirum Axarai, Nigde, Caisaria, Daulinga, Carachisar: quæ quidem vrbes, arces, castella, venienti cum exercitu Sultano Baiasiti deditionem fecerunt. Tam splendida Baiasiti parta victoria fuit anno Muhametis exstincti ıɔccxcvı. Captis opidis & castris pręsidia suorum imposuit. Deinde Larenda potitus est, & Ascheherim siue ciuitatem albam occupauit. *Christ. 1395.*

Confer cum his Schiltepergica, Pandect. cap. 57.

Erat in Asia princeps quidam, cui nomen Casi Burchanedin datur a Murate Dragomano, Iudex (redditum hoc de Casi) Burchan Aladin ab interprete Verantiano, Casi Burchan a Beccanis Annalibus, Vurchanadin & Burchanadin a Schiltepergo nostro, sicut est videre cap. 59 Pandectis. Hic princeps imperium vrbis Siuastæ, quæ Sebastea priscis erat, & finitimæ regionis, incertum quo iure, consecutus fuerat; totamque Rumiliam Asiaticam superiorem suo se summittere iugo coëgerat. Idem cum Sultano Baiasite graues exercebat inimicitias, qui sane quum intellexisset, eum contra se subsidia Sultani Ægyptij sollicitasse; Burusam e bello Caramanico reuersus, absque dilatione Siuasten sibi cum exercitu statuit adeundam. Quippe prius etiam Casis Burchanedin clade quadam in loco, quem Kirc-dilim vocant, adfectus a Sultano Baiasite fuerat. Eidem & alius hoc tempore casus aduersus acciderat, quod in locum patris subditi filium substituerãt. Quinetiam Sultano Baiasiti nuntiari iusserat populus ille Siuastensis, veniret modo, pariturum ipsius imperio regio-

Confer cum Schiltepergo descripta Pandect. cap. 59.

Q

nem vniuersam. Itaque quum huc iturus Baiasites, ad vrbem Amasiam in itinere peruenisset: princeps & heres vrbis obuiam Sultano progressus, vrbem ei pariter & arcem obtulit. Nā a Casi Burchanedine, qui Amasianæ vrbis inhiabat imperio, grauissime premebatur. Inde quū propius ad vrbē Siuasten accessisset, filius Casis Burchanedinis ad Nasradinem begum, Dulgadiris filium, secessit. Nam Casis Burchanedin filiam suam Dulgadiris filio dederat vxorem. Baiasitem cum exercitu Siuasten aduentantem populus vrbis, obuiam profectus, excepit; seque cum ciuitate sua spōte dedidit. Ius ibi Sultaninum, quod facere solent victores, introduxit; vt Osmanicis deinceps legibus Siuastenses viuerent. Eamdem vrbem filio suo Suleimani regendam & possidendam tradidit. Breuiter, & Siuasten hac expeditione Baiasites, & Amasiam, & † Tocatam sui iuris effecit, & Rumiliæ superioris Asiaticæ regiones vniuersas dominio suo subiecit; ac deinde saluus & incolumis Burusam reuersus, ibidem hanc hiemem sequentem in hibernis exegit.

† Pandect. cap. 76.

Vere proximo, quum annus a migratione Muhametis ɪɔccxcvɪɪ numeraretur; insigni Musulmanorum Sultanus exercitu collecto, regionem Castamoniam constituit inuadere. Quippe tunc mortuus erat eius princeps, Cutrun Baiasites. Quapropter hoc intellecto nuntio Sultanus instar fulguris in itinere ad regionem *Taraclu Borli peruenit, eamque sibi subiecit. Sed quum ad Castamonam accessisset, filius indicati Cutrunis Baiasitis, cui nomen Isfendiar, ad vrbem Sinopen profugit, & legatum ad Sultanum Baiasitem misit, qui suo nomine propemodum his cum eo verbis ageret; Confidere se, maiestatem suam exiguum illud opidulum, in quo nunc degeret, ipsi relicturam, & condonaturam: quando patris ob delictum, innocentem castigari filium, minime deceat. Scire se, Sultanum Baiasitem ceteroqui regionem hanc cuidam e famulis suis largiturum. Hunc se famulum esse cupere, qui ad mortem vsque felices ei successus a Deo sit optaturus. Misertus supplicis Sultanus Baiasites, hasce preces ipsius admisit, & pacem ea cōdicione fecit; vt quid-

Christ. 1396.

* Pandect. cap. 58.

quid esset agri cis viam publicam, quæ Kerumensis dicitur, (ab opido Kerameorum, quod in Thronis Imperator Leo Trapezuntis metropoli subiicit) Isfendiari relinqueretur: opida vero cum agris, Samsonium, Castamona, Osmanzucum, & † Zanicum, deinceps in potestate Baiasitis essent. Eodem anno Tekensis etiam regio, & Germeanum, & vrbes, Carachisar, Begscheher, (Græce Despotopolis) & Seidi-scheher, vel Hierāpolis, Baiasitis in potestatem venerunt; quum incolæ sponte sua Sultano se summittentes, arcibus deditis, imperium acciperent; donatique vestibus honorariis, & officiis publicis, domū redirent. Hinc vrbem Castamonā Sultanus Baiasites Emiri Suleimani, filio suo, vtendam fruendam concessit. Diximus supra, Mentesoglium principem ad Isfendiaris patrem, Cutrunem Baiasitem, quum a Sultano suis expulsus esset finibus, se contulisse. Nunc ibi quoque se minime tutum fore videns, ad Temurem profugit. Tandem Sultanus Baiasites Burusam rediit.

† al. Zan & Geni

Istic vero dū ad aliquod tempus hæreret, arcessitis vndique architectis, Zumam siuē templum maius exstruere cepit, a vini potu interim abstinens; cum viris doctis, & legis peritis, & ætate prouectis perpetuo versans; eorumq; se colloquiis oblectans. Legis etiam diuinæ præcepta diligentius exsecutus est, & ab iniuriis orbem terrarum expurgauit. Hoc modo iusticiæ pariter, & beneficentiæ meritis vsque adeo satisfecit omnibus; vt diuites & pauperes, viles & magnifici, potentes & inopes, sub eius vmbra sane quā optabili quiete ac tranquillitate fruerentur. Adeo limites Osmanici regni longe lateque protulit, vt ei finitimi reges ac principes omnes inuiderent. Cōtigit eo tēpore, vt Achmetes Zelaburius, auita patritaq; successione rex Bagdatin⁹ siue Babylonius, itidēque regni Eiracensis Arabici longa serie maiorū heres; & alius p̄terea rex, cui nomē erat Cara Iussufes, hoc est, Iosephus niger, Muhametis principis fili⁹, & heres regionis Cara-coionlu, (Laonicus latinus Mauroprobatantes corrupte dixit in extremo libro vɪɪ, pro Mauroprobatades, regionis Tzanorum siue Colchidis incolis, sic a nigris ouibus etiā Turcis adpel-

μαυροπρο- βατάδες.

adpellatę) propter grassationes Temuris e regnis suis profugerent, amissaque patria, semet in Suriam & Damascum conferrent: vbi quorumdam delationibus proditi, ab Ægypti Sultano, qui & Surię rex erat, ambo capti carceratique fuerunt. Variis tamen astutiis & fraudibus ex his elapsi carceribus ambo, Baiasitis ad Portam peruenerāt, vt honoris & officij causa Baiasiti militarent. Sultanus Achmetes Tzelaburius ad duos fere menses Baiasitis Portam frequentauit, inde bona cū gratia Baiasitis paternum in regnum reuersus, eiusdem Sultani Baiasitis auxilio potentiaque subnixus, Eiracum possedit. Alter Iussufes, princeps regionis, quę Cara-coionlu nigris ab ouibus dicitur, ad octo fere menses Baiasiti suam nauauit operam. Tamdem continuis exhortationibus impetrauit, vt Sultanus Baiasites expeditionē † Arabicam, hoc est, aduersus Arabum principem Sultanum Ægyptium, suscipiendam persuaderi sibi pateretur. Itaq; felicibus auspiciis Baiasites, anno Muhametano ɪↄᴄᴄxcviii, vrbes & regiones Arabum, Malatien, priscis Melitinen, & Deuregen, aliis Diorrygen, & Derendā, & Bexenen, occupauit; *Derdarem siue præfectum maiorem exercituum (Murates Dragomanus Cancellarium reddidit) regis Ægyptij, captum occidit; omnemq; regionem illam depopulatus est. Hinc in agrum vrbis Erzintzanis copias duxit, quæ principem id temporis habebat Tachretinem. Is & obuiā Baiasiti venit, & ipsius imperio se summisit. Itaq; regionē Erzintzanēsem Baiasites Caraiussuffi vtendā fruendamque tradidit, ac discessit. Verū Caraiussufes istic propterea, quod populi Erzintzanensis beneuolentiam impetrare non posset, sex tantummodo diebus regnauit; quibus exactis, vltro suis e manibus Erzintzanem dimisit. Tum vero populus Erzintzanensis a Baiasite priorem sibi principem restitui petiit; qui votis & precibus eorum adsensus, rursus eis Tachretinem regem dedit. Familiam tamen ipsius, vxorem & liberos, Burusam deduci iussit, & ibidem adseruari.

† Pandect. cap. 165.

Ch. 1397.

* Pandect. cap. 208.

Hoc tempore Zurki siue Nomades q̧dam erāt in regione Saruchania, qui in cāpo, cui nomen Metmen, hibernabāt. Promulgatum vero fuerat interdictum, ne q̧s ex eo regno sal exportaret. Quod quum illi negligerent, res ad Sultanum Baiasitē delata fuit. Is filio suo Ertogruli, quem administrandæ Saruchaniæ præfecerat, dici iussit: vt quotquot ex horū numero Nomadum in campo Metmene degerent, acriter coherceret; famulisque suis mandaret, vt agros Philippopolitanos eis adtribuerent, & omnes illuc ex Asia transferrent. Huic patris edicto satisfaciens Ertogrul, Zurcorū familias illas Philippopolim transmisit, vt istic sibi domicilia constituerent. Et quotquot ab his oriundi, hodieq; Philippopoli vicinis in locis habitant, adhuc Saruchanis begi subditi nominantur.

Ceterum eo prætextu Baiasites Turcomanleris Malatien, Bexenen, & Derendā eripuit, & Curdis Diorygen; quod earum principes in iis terris prisco iure sua regna non obtinerent. Et Murates Dragomanus expresse scribit, in eorum potestatem regiones illas post obitum Eretenis primum venisse. Hunc Eretenem, quisnam fuerit, hactenus ignorabam; sed regem illum Tatarum cogor intelligere, cuiᵘˢ deinceps in descriptione prœlij Baiasitici contra Temurē fiet mentio, veluti qui Tachretinis begi patruus fuerit. Murati Dragomano dicitur Ereten & Ertanes, Verantiano interpreti voce huic Ereteni simillima, Eretinbegus. Ac videtur potens hic in istis Asiæ superioris regionibus aliquādo fuisse, iisque decedens fratris filium Tachretinē suo loco reliquisse, qui ceteris Turcomanlerorum vi spoliatus, Erzintzanem retinuerit. Posteaquā vero Gilderun Han ꝓuincias hasce Turcomanleris ereptas ceperat, earum domini ꝓfugerunt in Arabum (hoc est Ægyptiorum) regiones, & ibidem manserūt, donec Gilderun Han cæsus & victus a Temure fuit. Tunc enim prædicti Turcomanleri suas ciuitates, fauente Sultano Cairensi, recuperarūt: & ab eo tempore regiones illas ipsimet gubernarunt; vt subditi tamen, siue clientes Sultani Cairensis; qui delicto quopiam ab ipsis admisso, non eos dumtaxat aliis multabat pœnis; sed etiam ditionibus suis exuebat, easq; donabat alij principi, cui visum fuisset.

Sequi iam debebant causæ, q̧bus impulsus Temur Chan, non tantum aduer-

sus Baiasitem,sed etiam in alios, præsertim Sultanum Ægyptiũ, maximis cum exercitibus profectus fuit,& insignes victorias obtinuit. Sed has res, velut ad ipsum potius Temurẽ spectantes,quã ad Baiasitem, singulari libro Temurio duximus explicandas; quum præsertim historia Verantiana multa de Temure tradat scitu dignissima,quæ vt paucis exponi non possunt, ita non abs re peculiarem commentarium,meo sane iudicio, merẽtur. Et q̃a Baiasitis captiuitas,ipsius gubernationi finẽ, vitæ interitũ adtulit: referamꝰ heic extremã fabulę Baiasiticę catastrophen, & ea subiungamus, quæ hactenus in exitu cuiusq; libri de Sultanis Osmanicis, ad ipsorum mores & indolẽ pertinentia,recitare consueuimus.

Quum ergo victus ingẽti prœlio Baiasites, quod libro sequenti plene narrabitur,& a Temurianis captus, ad ipsummet Temurem deductus fuisset; etiam tam tristi rerum suarum statu temperare sibi non potuit, quo minus adroganter erga ipsum quoq; victorẽ se gereret. Itaq; quum Temur eum aliquando interrogaret, atq; etiã libere dici peteret, si sua situm esset in potestate, cũ Temure ꝓ suo agere libitu, q̃d de eo facere vellet: ferociter respõdit, si Temur in potestatẽ ipsius Baiasitis venisset, omnino se ferrea cõclusum cauea secum hinc inde circũuecturũ fuisse. Quo Temur audito, mox e ferro caueã fabricari iussit, instar sellæ, cancellis vndiq; ferreis inclusæ, ꝑ quos videri quauis ex parte poterat. In hac cauea duos inter equos vehebatur. Quoties Temur cum suis ad iter, motis castris, se cõparabat; ante Temurẽ vehi solebat in ea cauea, quã diximꝰ: & quoties itinere cõfecto ex eq̃s descendebãt, ante tentorium Temuris deponebatur.

Quum autem relatũ Baiasiti fuisset, Temurem singulis principibus, ab eo spoliatis,suas restituisse ditiones, Osmanicas vero ꝓuincias dedisse Tataris: exspectauit occasionem colloquendi cum Temure Baiasites, vti sane Temur interdũ iter ingressurus, Baiasitẽ adibat, & salutabat. Tamdẽ adpellãs Temurẽ Baiasites: Est quod abs te petam,ait,o Temur. cui vicissim Temur: Pete quidquid volueris,inquit. obtinebis enim, quod petere libitum fuerit. Obsecro te, subiecit Baiasites, ne Tataros in ista regione relinquas. Satisfaciã postulato tuo, respondit Temur, & quando te de regno meo Semercandensi ad has regiones remisero; deduceris a Tataris, & iisdẽ imperabitur a me, tuis vt finibus excedant. Quæ verba quũ Baiasites ex ore Temuris audisset, in magnũ incidit animi dolorem; adeo quidem, vt in eo cõfestim signa febris adparerẽt, & subito corporis ac viriũ debilitas augesceret. Nã quũ vir excelsi spiritus, & indolis esset generosissimæ, tantã calamitatem indignissimo ferebat animo: ideoq; sibimet ipsi mortẽ adtulisse creditur, quũ annis XIIII regnasset.

Prodidit memorię Doctor q̃dam religiosorũ apud barbaros, Cutbedinis filiꝰ, se de patre suo meminisse audire; quũ a Temure Baiasites in potestatẽ redactꝰ, in carcere detineretur: ꝑpotẽtes quosq; ꝓceres Asiaticæ Rumiliæ regionis, & opulẽtos, ad conciliũ quoddã cõuenisse, quo de redimẽdo Baiasite cõsultaretur. Id vero quũ omnino facere decreuissẽt, missum fuisse legatũ ad Temurẽ, illum ipsum Cutbedinẽ: q̃ hoc iter susceperit, & ex animi sentẽtia cũ Temure trãsegerit. Tamdẽ enim conuentũ, vt eis liberãdi nomine, XC millia nummûm aureorũ persoluerẽtur. Indicasse tamẽ Cutbedinẽ, nihil mansisse reliquũ in Asiaticæ Rumiliæ regione, sed omnia direpta vastataq; funditus esse. Nihilo se minꝰ iturũ ad principẽ Constantinũ, hoc est, ad imperatorẽ Constãtinopolitanũ, & mutuã ab ipso summã hanc petiturũ. Qua Temuri quoq; ꝓbata sentẽtia ꝓfectum fuisse Constantinopolim Cutbedinem, nũmos vt indicatos mutuo sumeret, & ad Temurẽ ex lege pactionis adferret, vt libertati Baiasites restitueret. Sed quum rumor Constantinopolim perlatus fuisset, Baiasitem ardenti febre correptum, grauiter ægrotare, quo quidem morbo exstinctus fuit; omisisse Cutbedinem id agere quod ceperat. Excessit Baiasites rebꝰ humanis post aliquot menses a cõmisso contra Temurẽ prœlio, quo rem sane quã infeliciter gesserat. Inciderunt autẽ hæc in annum exstincti Muhametis, Musulmanorũ prophetæ, IↃCCCIIII. Chr.140

Studiũ Baiasitis erga res sacras, & pias structuras, vel hinc ęstimari potest; q̃ Burusæ tẽplum maius, (Zumam Turci vocãt) & imaretũ maiꝰ, & gymnasia duo, cũ vna Timarhana siue nosocomio, gratis valetu-

valetudini restituendis & curādis ægrotis, condiderit. Ibidem & viro cuidam Musulmanorum opinione sancto, cui nomen Ebu-Ishacus erat, domum ædificari iussit. Hadrianopoli quoque templum maius, & xenonem vel imaretum sane quamamplum, & collegium siue Medressen, doctrinæ studiosorum vsibus destinatum, exstruxit. Cetera talis erat, vt hostes inuasurus, instar fulminis impetu celerrimo eos obrueret: vnde Gilderunis cognomen inditum ei fuit, quo fulmē siue tonitru significatur. Religiosi animi documentum hoc etiam ex opinione Turcorum euidens, ac veræ probitatis, & erga legis peritos beneuolentiæ, quod Scheichem Remezanem, ceteroqui pauperrimum, multis facultatibus, prædiis, & villis etiā donatū collocupletauit, & iudicem maiorem (Casi-askeres Musulmani vocant) creauerit. Eadem beneficentia & honore viros ętatis prouectioris, & eruditos in religione Musulmana, prosecutus fuit.

IO. LEVNCLAVII
HISTORIAE MVSVLMANAE TVRCORVM LIBER SEPTIMVS.

TEMVRIVS.

NVnc ad Temurium nostrum accessurus, omnino monitū volo lectorē, non ea de causa Temurē a nobis inter principes Osmanidas hac libri peculiaris expositione relatū; quasi existimemus, eum Turcis, licet extraneū, cū imperio præfuisse. Nā tametsi nobis integrum erat hoc facere, nō infirma subnixis ratione, quod iure belli regna, ꝓuinciæq; superatorū, præsertim qui captiuitate quadā interueniente libertatē ipsam amiserūt, in hostiū potestatem redacti, victoribus haud dubie cedant: minime tamē cuiquā occasionē præbere voluimus, exagitādi opinionē eiusmodi, ceu cōtrouersam. Nec item in hoc Temurio nostro exspectet aliquis integrā vitę Temuris explicationē, cuiusmodi sunt eæ, quæ principum Osmanidarum res gestas hoc in opere complectuntur. Alienū hoc ab instituto nostro foret, qui commentationē hanc Osmaneæ totā historiæ dicauimus; & a Laonico Chalcocondyle nō modo bellū hoc aduersus Baiasitē, verumetiam alia diuersis populis illata, prospereque cōfecta, luculente memoria prodita scimus. Nimirū ad hanc solā hæc scriptio directa est metā, vt a Baiasiticis secernamus, q̄ potius ad Temurē pertinēt; eaq; tanto lubentius seorsum legenda lectori exhibeamus, quanto prolixiora sunt, & adoptiuo quasi quodā libro dignissima. Adeoq; nostros vt intra limites nos cōtineamus, ab iis ordiemur, quæ ad continuandam libri superioris historiā pertinent: vt adpareant causæ, propter quas Baiasiti Temur hoc bellū intulit. Simul hoc libro tam Haniualdanæ, quam Verantianæ sequemur auctoritatē historię, non digestis in vnam vtriusque libri narrationibus, quum diuersa fere tradant, & in paucis eadem adtingant; sed integris amborum expositionibus ordine collocatis, quarum prior esto, quæ Haniualdano codice continetur.

Quum ergo Baiasites Chan superiores Asiaticæ Rumiliæ regiones, vi principib⁹ & heris suis extortas, imperio suo subiecisset: quilibet eorum, velut exsul, ad Temurē Chanē fuga se contulit. Germeanoglius ex Ipsalensi carcere quum euasisset, vna cum Vezire suo, captiuitatis socio; se circulatoribus, simias ridicula vulgo quædam exhibentes hinc inde circumducentibus, adiunxit; & in eiusmodi comitatu, a nemine prorsus adgnitus, ad Temurem saluus peruenit. Mentesoglius comis & barba rasis, sub Isici Deruisis aut eremitæ forma latitans, eodem adpulit. Aidinoglius instar merca-

toris, exigui pretij res vēdentis, hoc iter ſuſcepit. Tachretin begus Isfendiaris erat in comitatu, legatū ſe fingentis, pro cuius ſe famulo Tachretin gerebat. Vt breuiter rem dicam, tā hi, quam alij plures ad Temurem confluxerunt, & grauibus aduerſus Baiaſitem querelis inſtitutis, ſe cum ditionibus ſuis fidei Temuris ac poteſtati permiſerunt. Quamobrem commiſeratione non leui Temur in hos commotus fuit, inprimis erga Tachretinem, & Germeani filium; quorum hic diu carceribus incluſus, vix tamdē euaſerat; alter vxorem & liberos iniuria Baiaſitis amiſerat. His ergo precibus lacrumas admiſcendo, tamdē aliquid impetrarunt. Cunctabundus tamen Temur: O principes, ait, Verane ſint, an falſa, quę in medium Baiaſitis accuſandi cauſa ꝓducitis, nos quidem ignoramus. Nihilominus hunc eiuſmodi conſtat eſſe Chanē ſiue regem, ꝗ ſemper hactenus ꝓpagādæ cauſa religionis aduerſus Chriſtianos bella geſſerit. Vix conſentaneū vero fuerit, ab eo temere factā vlli mortalium iniuriam. Vix abſq; culpa veſtra vos adgreſſus eſt hoſtiliter. Fortaſſe vos ad ſocietatem bellorum ſuorū aduerſus Gauros inuitauit, nec vobis vel adſentiri, vel in tam ſancta cauſa libuit opē ferre. Quibus a Temure ꝓlatis, ceterorū nomine Germeanoglius reſpondens: Tu ꝗdem, ait, o Sultane, maximus quidam imperator es, & iuſtus: Oſmanides autē Baiaſites ille meris delectatur iniuriis. Ad inopiam nos omnes, regnis noſtris ſpoliatos, redegit. Nec ignorat maieſtas tua, nos hoc itinere miſerrimo ceu mendicos ad te veniſſe. Quapropter æquū eſt, Baiaſite deiecto, regnum eius tibi, tanto ac tali monarchæ, cedere. Hęc & alia ꝓferebantur a quibuſdā, dum nō deſinerent eum verbis acerrimis aduerſus Baiaſitem irritare. Ceteri, quæ ab his dicta fuiſſent, vt vera confirmabāt; nec minore vehemētia Temuris iracundiæ faces ſubiiciebant, eo maius incendiū excitaturas, quo pectori Temuris alti⁹ erat impreſſa cupiditas ſuſcipiēdi varias expeditiones, & orbis terrarū regna vaſtādi. Deniq; Temur, accuſationib⁹ eorū frequēter auditis: Quidquid tādem, ait, ſtatuere de bello ſuſcipiēdo, necne, voluerimus; haud dubie legat⁹ ad Baiaſitē mittendus erit, vt qui vir ſit, intelligamus; & exploratis actionib⁹ ipſius vniuerſis, de rei ſumma citra temeritatē aliquā decernamus. Quumq; legatū ad Baiaſitē ex eo tēpore miſſurus eſſet, forte perlatus ad eum rumor fuit de iis, quę Sultano Achmeti Bagdatino, & Cara-iuſſufi principi acciderāt. Hi namq; carceribus Sultani Miſſirēſis liberati, fuga celeri ad Gilderunē Baiaſitē ſe receperant. De Sultano Achmete conſtat, imperio ſuo ſpoliatum a Temure, nihilo min⁹ ſpe recuperandi amiſſa, Temuris caſtra ſecutū eo fuiſſe bello, quod contra Deſtenſes geſſit; ac tamdē illo relicto, profugiſſe. De quo ſane colligitur, Achmetem infeſto aduerſus Temurem animo fuiſſe. Quapropter viſum Temuri, miſſionē legati tātiſper differendā, donec cognouiſſet, quem horum duorum principū molitiones exitum eſſent habituræ. Suſpicabatur enim futurū, vt iſti principes exſules Baiaſitem aduerſus ſe concitarent, & ad inferendum ſibi bellum impellerēt. Sed lōge res aliter cecidit. Nā horum vterq; nō multo poſt, quā ad Portam Baiaſitis acceſſiſſent, abſq; mora indidem diſceſſit. Quo Temur intellecto, legatū inſignē, cum variis & maximi pretij donis, ad Baiaſitem miſit. Ea dona Baiaſites flocci faciēs, reiecit. Alij tradūt, Temurem ꝓpterea, quod putaret Sultanum Achmetē Tzelaburiū, & Cara-iuſſufem, ad Portā Sultani Baiaſitis adhuc hærere, ꝑ litteras eos a Baiaſite petiiſſe. Pręterea ſignificaſſe, perquā ſibi fuiſſe moleſtū, ꝙ Malatiæ, ſiue Melitinenſe regnū Baiaſites occupaſſet. His & alia conſimilia fuiſſe ꝑſcripta, quibus Baiaſites offenſus, nulla dignitatis legati ratione habita, mox epiſtolā furioſam, Temuri reddēdam, in man⁹ ei dari iuſſerit; cū mādato, ſuum ad principem vt rediret, ac litteris incluſum reſponſum eidē offerret. Poſteaquā legat⁹ Temuris dimiſſus abiiſſet, Vezires ſuos Sultan⁹ Baiaſites adpellās, abſq; mora colligi ꝑcepit exercitū, quo finib⁹ Temuris infuſo, regnū ipſius vniuerſum depopularetur. Reſpōndere Vezires, nullā ſubeſſe cauſam, cur exercit⁹ itinere diuturno cōficiendo fatigari debeat. Exſpectandum potius, dū Temur ipſe veniat. Exercitū peregrinū in extranea regione ſimilē iis eſſe, ꝗbus obligati ſint oculi, nihil vt ꝓſpicere poſſint. Hac via futurū, vt oēs hoſtium copias ipſi deleant,

leant, vniuersis ad vnū cæsis; vt ne nuntius quidē superstes relinquatur, qui domi relictis cladē suorum referat. Ea vero temeritate pferebantur a Veziribus hæ sentētiæ, nullo vt verbo adiicerent, hæc se diuino fauente numine, tanta cū prosperitate gesturos. Atque hoc modo factum, vt abductus ab instituto suo noxiis horum consiliis Baiasites, quā inire decreuerat, viam non tenuerit. Nihilo minus suis constanter ingerebat, quidcūq; tandem futurum esset, omnino tamen exercitum debere colligi. Quapropter ipsius mandato parentes, ex omnibus imperij Baiasitici partibus ingentes coëgere summa cum celeritate copias.

Chr. 1401. Ex altera parte Temur, anno pphetæ Muhametis extincti ꟾↄ CCC II, ad opidū Siuasten accessit, & arcē cuniculis actis in potestatem redegit ac diruit, incolas captos in seruitutē abduxit. Interim vero, dū Temur hæc gereret, Sultani Missirensis exercitus Halepum peruenit. Eius ad se rei fama perlata, Damascum recta Temur, & Halepum cōtendit. Est in iis locis haud procul Alepo campus siue planicies, Metznun Tabac nominatus. In hac planicie congressis exercitibus, quū insigni concursum esset vtrimque prœlio, Sultani Missirensis exercitus, Temuriano rebus omnibus impar, cæsus fuit & profligatus. Quippe Turcomanlerorum natio, perfidiæ se labe pollués, Ægyptios deserédo prodidit. Sultanus Cairēsis, infeliciter pugnato prœlio, fugæ beneficio saluus in Ægyptum euasit. Temur Halepo copias admouit, cuius incolis dedere se nolentibus, oppugnata ciuitas acriter, & ingens hominum multitudo neci data periit. Nihilo minus tamdē arce per vim potitus, immaniter in omnes desæuiit. Quippe modum & comparationem omnem crudelitas Temuris excedebat. Nimirum hic vir inter omnes mortales latro maxim⁹ & improbissimus erat. Deinde versus vrbem Hamam duxit, Apamiam priscis dictam; eamque peius etiam tractauit, quam Halepum. Motis Hama castris, Hamusam venit, quam veteres Emisam dixerunt. Eo loco monumenta quędam mortuorum conspiciens, quibus essent exstructa, quæsiuit. Responsum ab incolis, esse monumenta sociorum & discipulorum prophetę Muhametis; videlicet Halidis, filij Velidis; Amru, filij Vmeiæ. Simul ei studiose sepulcra singulorū ostendebāt. His Temur intellectis, vt honorē sanctis illis Muhametanis exhiberet, vrbis Hamusæ populi misertus, nihil in eos atroci⁹ statuit; quā quod direptis eorū pecuniis, capita salua dimisit. Secundum hæc ad vrbē Bealebeken progressus, illam quoq; suis diripiēdam concessit. Tamdem copias Damascum adduxit, quā Temuris aduentu cognito ciues occluserant. Quapropter in vrbis oppugnatione maximus hominum ab vtraq; parte numerus cecidit. Ad extremum ea potitus, militi suo diripiendam dedit. Hinc Iezidis, hæretici principis apud Musulmanos habiti, qui prophetæ Muhametis e filia nepotes, Chasanem & Chuseinem, occidisse traditur, ac prophetæ familiam multis adfecisse contumeliis, inquiri sepulcrum iussit: eoque reperto, cadaueris ossa, reliquiasque ceteras eximi præcepit, & flammis exuri; vacuumque monumentum stercoribus humanis oppleri. Sunt qui existimant, huius paricidæ Iezidis sepulcrū ei præcipuam præbuisse causam, quamobrem adeo grauiter in Damascenos furorem suum effunderet. Tamdē in Aiemiam siue Persidem reuersus, ad opidum eius regionis Carabagum se, cum militibus, in hiberna contulit.

Vbi vernum temp⁹ adpetiisset, versus Asiaticam Rumiliam cū exercitu profect⁹, ad vrbē Erzintzanem accessit. Heic obuiam ei venit Isfendiar, & in comitatu ipsius, vsque ad locum, qui Saracamis adpellatur, mansit. Sed nocte quadam se furtim subduxit, & Castamonam rediit. Temur autem recta versus Engurim, quæ priscis erat Ancyra, duxit.

Ex altera parte Sultanus etiam Baiasites aduersus hostem se muniuit, prout omnino faciundum suis cum veziribus & begis decreuerat. Itaque suo primum ex regno collectos & conscriptos exercitus instruxit. Deinde milites extraneos conduxit, in quibus erant & Constantinopolitani, quorum imperatores & duces ad onera militiæ subeūda, quoties ita iuberet Baiasites, obligati erant. Sarchorum quoq; (Sarachorides Laonico dicuntur) numerus ingens confluxit; qui cunicularij sunt, & alias obeunt operas in exercitu sordidas & molestas; Sarachorides Laonici lib. 7.

sic dicti lingua Turcorum, quasi spontanei. Et ante quidem hoc tempus ex Europæa Rumilia Sarchores colligi non solebant, quod nunc primum iussu Baiasitis fieri ceptum. Præterea de consilio sui Veziris, Alis bassæ, tres filios Baiasites pater ad expeditionem hãc euocauit. Horum primus erat Emir Suleiman, qui cum sanzaco siue vexillo Aidin-iliæ regionis, & Carasinæ prouinciæ, Saruchaniæque, patri se stitit. Vnde colligitur, Ertogrulem Baiasitis filium, non amplius id temporis fuisse superstitem, quando quidem Emir Suleiman prouinciarum nunc indicatarum copias ad patrem adduxit; quum tamen his Ertogrules a patre locis antehac præfectus fuisset, vti superiore libro cõmemoratum. Et libro sequenti parebit e Turcorum monumẽtis expresse, filium Baiasitis Ertogrulem bello contra Casim Burchanadinem gesto periisse, totis ante pugnam hanc sex annis. Secundus erat Mustapha, qui cum vexillo regionis Hamid-ili, (Galaticæ ciuitatis Aminsi ager intelligitur) & prouinciæ Tekensis, ad patrem se contulit. Tertius cum patre filius se coniunxit, Sultanus Muhametes, qui Amasiæ degere solebat. Is Asiaticæ Rumiliæ superioris exercitum secum adduxit. Præter hos e suis collectos prouinciis, etiam magnas e Tataris & Christianis auxiliares copias coëgit. Quum autem omnes exercitus hi conuenissent, ad vrbis Ancyranæ fines profecti sunt; & ex aduerso castrorum Temuris, locum ipsi quoque muniendis castris ceperũt. Temur die Iouis, quem Turci Peschemben, ceu feriam septimanæ quintam vocant, summo mane in loco prorsus irriguo castra metatus erat; Baiasites eodẽ die, postmeridiano tempore, quod †Ikindi Turcis dicitur, in arido quodam & inaquoso loco sua quoq; castra positurus substitit. Temur fossas circum castra duxit. Quum die Veneris, qui Zuma-iuni barbaris, ceu dies tẽpli vel hebdomadarij festi dicitur, primo mane lucisceret; celebrare Zumam siue festum hebdomadarium ceperunt, precibus & adoratione diuino numini exhibitis; idque tam diu continuatum fuit, donec meridies adpeteret. Tum vero Baiasites explicari vexilla iussit, sonare tympana, exercitum per series & cohortes ordinari, cornu dextrum & sinistrũ disponi, alas & subsidia suis quæque locis constitui.

† Pandect. cap. 210.

Tamdem prœlio iamiam congressuris exercitibus, Tatari res nouas moliti sunt. Nam princeps Erzintzanius Tachretin, eorum principis Ertanis, quem supra Murates Dragomanus Eretenem adpellauit, fratris filius erat. Quare quũ illum, ceu principem regia apud se familia editum, adgnoscerẽt; Baiasite deserto, mox ad eum transierunt. Itidem Germeanensis exercitus ad principem suũ Germeanoglium defecit. Nec minus aliæ quoque copiæ regionum, quas vi Baiasites Musulmanis Asiæ principibus ademerat, ad pristinos suos se contulere dominos, qui patria extorres ad Temurem se receperant. Missa tamen a Vulcoglio militum Christianorum, ex initæ pacis legibus auxilia, tam fortiter & animose in hostem hoc prœlio dimicarunt; vt etiam Temur ipse pro Deruislaris siue religiosis Turcicis eos habẽs, admirabundus exclamaret: Quam egregie suum hi religiosi faciunt officium, quam strenue pugnant? Sed eorumdem tamen Bulcoglij militum hoc prœlio dux, quem aliqui Georgium faciunt, Stephani tunc regnantis filium, Lazari nepotem, quum videret, omnes circum se Turcorum copias, a quibus adiuuari debebat, vltro fugã arripuisse: etiam ipse suæ suorumque saluti consulens, ad locum idoneum secessit. Baiasitis filius, qui Mustaphæ nomen habebat, excussus equo periit; nec tamẽ cognosci potuit, vbinam periisset. Alterum Baiasitis maiorem tunc natu filium, Emirem Suleimanem, Vezires siue consiliarij patris, abreptum ex acie media, secum abduxerunt. Sultanus Muhametes, filius inter hos ordine tertius, Amasiano secum exercitu sumto, suam ad regiam, quam habebat Amasiæ, se recepit. Solus Baiasites cum Portæ, siue cum Palatinis militibus, & ceteris mancipiis, immotus stetit. Inseruiebat autem ipsi quidam inter circumpedes, cui nomẽ erat, Solachus Caratzes, hoc est, circumpes Nigellus. Is Sultanum compellans: Vbinam sunt, inquit, tuimet huc euocati filij? Vbi sanzacbegi tui, siue prouinciarum præsides? O quam egregios laborum socios hoc se declarauere prœlio,

quam

quam fortem nauarunt operam. Tu vero pecuniam hactenus auare congerebas, & aceruatim hinc inde cumulatam seruabas, nec ad vsus publicos erogandam promebas, sed thesauris inferebas tuis; quum adiiceres, eam filiorum esse tuorum escam. Ægerrime Baiasites hæc verba tulit, eaque de causa paucissimis respondens: Etiam illudendo mihi, ait, tua nefarie vir offers seruitia. Simul equo calcaribus adacto, Palatinorum e medio se proripuit; sequentibus ipsum nonnullis e pedestri militia, cum Solachis quibusdam, siue circumpedibus: atque hoc modo perrumpens in aciem hostilem, tumultuaria cum his pugna Temurianos adgredi cepit. Tum vero Germeanoglius princeps, conspecto & adgnito Baiasite, qui desertus a suis, & solus prope relictus, fortiter ipsemet pugnabat, confestim exclamans: Hem, inquit, adeo qui strenue dimicat, Baiasites ipsus est. Quid statis exspectabundi, milites? Itaque festinatione summa plerique vsi, conuolarunt in Baiasitem; & vndique circumseptum, equo prehenso, ceperunt; ac nulla dilatione interposita, suum ad Temurem adduxerunt. Is autem suo sedens in tentorio, quum adduci Baiasitem videret, vociferari cepit: Hem cauete, ne Baiasites ex equo delabatur. Accedite mox, inquit, meque sublatum vtrimq; prehendite, & ad tentorij fores deducite; dumtaxat vt illuc obuiam ei prodire possim. Ad ea respondere domestici Temuris, in equū adscenderet. Temur vicissim: O † Colcartasi, o nebulones ait, quorsus eques ibo? siccine reges commoueri decet? Itaque Temurem, ceteroqui claudum, vtroque adprehensum brachio, ad tentorij deduxere portam; ac deinde Baiasitem quoque, summa cum honoris exhibitione ac reuerentia, ex equo sublatum, in terram statuerunt. Huic obuiam progrediente Temure, manus alter alteri porrexere, seque mutuo consalutarunt. Hinc in eodem ambo tapete consederunt. Gestæ fuerunt hæ res anno Muhametis exstincti Ɔ CCC III, triduo ante, quam nouus iniret annus Ɔ CCC IIII.

† Colcartasiari fere dicuntur petulantes & immodesti, a Cule, quod regis seruum proprie significat, & Cardas, frater: quasi qui socij sunt eorū, qui stipendiū habent a Sultano, & propterea sunt insolentes.

Chr. 1402.

Chr. 1403.

Iam vero potitus victoria Temur, alta voce mandauit; vt Sultano in potestatem redacto, milites inter se pugnare desinerent. Capti fuerunt hoc conflictu Minnetes begus, & Mustapha begus, & Hozza Ferizes begus, & alij Sanzacbegi complures.

Rerum ipsarum series, sicut heic exposita legitur, ex ore senis excepta fuit, qui Iudicis Burusensis vices gessit, ac prœlij Temuriani tempore Sultano Baiasiti seruierat inter ceteros eius solachos. Ita nominantur circumpedes Sultani Turcici, qui circum ipsum in albis subuculis cursitare solent. Idem cōram adfuerat, quum Baiasites caperetur. Quo denique tempore Baiasites diem suum supremum obiit ad vrbem * Acscheherim, Solach⁹ hic omnia præsens oculis ipse suis obseruauerat. Quapropter interrogatus aliquando, quonam modo carcere clausus ac detentus a Tataris fuisset Baiasites; respondit, fabricatam e ferro, iussu Temuris, fuisse caueam, instar sellæ, cancellis vndique ferreis inclusæ, per quos conspici quauis ex parte poterat. In hac cauea duos inter equos fuisse vectum. Quoties Temur cum suis ad iter, motis castris, se comparabat, ante Temurem vehi fuisse solitum: & quoties itinere absoluto, ex equis descenderetur, ante tētorium ipsius plerumque cum ipsa depositum humi fuisse cauea. Ne id quidem silentio prætereundum, senem hunc, Burusani Iudicis vicarium, Amasiam profectum ad Sultanum Muhametem, ab eo præfecturam arcis Amasianæ consecutum. Tandem vero, quum prouectiorem adtigisset ætatem, a Sultano Murate Burusam fuisse translatum, Iudicisq; vices gerere iussum.

* Pandect. cap. 40.

Secundum hæc magnis Temur Asiaticæ Rumiliæ prouincias detrimentis adfecit. Hieme post commissam pugnam proxima, in agro Aidin-iliano locum hibernis delegit. Cuicumque solo vestigia pedum suorum milites ipsius impressissent, id omnino extremā ad solitudinem & vastitatē redigebatur. Hinc idem Temur Asiæ principibus Musulmanis suas regiones, ceu priscis & legitimis possessoribus, restituit; Osmanicas vero prouincias Tataris dedit. Sed quia

Baiaſiti viuo deinceps promiſit, ſe liberaturum regiones eaſdem a Tatarorum iniuriis: iccirco ſuum in regnum ex inferiori rediturus Aſia, Tataros omnino ſecum vniuerſos abduxit. Opida quoque, Kir-ſcheherim, & Siurichiſarem, & Beg-bazarim, Caramanoglio donauit; vt Iſfendiari principi Caſtamonã, Kiengaram, (priſcis Gangram) & Calazugen.

Futurum ſperabat Temur a morte Baiaſitis, vt quiſpiam filiorum ipſius ad ſe veniret, cui regnum paternum reſtitueret. Sed animaduertit ex eo, quod nullus accederet, non magni ſe ab ipſis fieri. Propterea traditis Caramanoglio ciuitatibus & agris, quos diximus: etiam ipſe Caramaniæ finibus exceſſit, & ſuum ad imperium ſe recepit. Geſta vero fuerunt hæc a prophetæ Muhametis obitu anno IↃ CCC IIII.

Chr. 1403.

Habent lectores, quæ Haniualdana de his rebus, ad Temurem ſpectantibus, hiſtoria rettulit. Nunc pleniora quædam, ac magis etiam memorabilia, lectoris ad vſum, e codice Verãtiano, nuſquam alibi ſic perſcripta, depromamus.

Spoliati quum eſſent, inquit auctor hiſtoriæ, ſuis Aſiæ reguli per ſummam iniuriam a Baiaſite ditionibus: tamdem fere præter ſpem omnem cõuenerunt, præſertim Germeanoglius, & Aidinenſis, & Menteſes, & Saruchanius: accedentibus ad hos aliis etiam duobus, Tachretinis begi filio, & Iſfendiare. De communi reliquorum ſententia viſum, debere filium Iſfendiaris omniũ nomine legationẽ ad Temurem Chanem obire. Simul ad hunc ceteri quoq; profecti, quid ab eo requirerent, oſtendebant. Accepiſſe nimirum a ſuis auitas ſe, patritaſq; ditiones, optimo iure; veluti quas ipſorum maiores trãquille poſſediſſent. Nunc vero Gilderunem veniſſe Chanem, & furioſo quodam has impetu nihil tale merentibus eripuiſſe. Quod ſi principes ipſos in poteſtatem redigere potuiſſet, non vel ad vnam dumtaxat horam eis fuiſſe parſurum, quominus comprehenſos interficeret. Orare ſe, ſubueniret oppreſſis, expulſos ditionibus ſuis reſtitueret, iniurias innocẽtium vindicaret, tyrannũ diutius iniuſtis gaudere ſpoliis ne ſineret. Hæc a lamentabundis tanta cum omnium, qui aderãt, commiſeratione proferebantur: vt querelis eorum magnopere Temur commoueretur, ac diuerſos ad Gilderunem legatos, ſuo nomine rogatum mitteret; vt amici ſe loco haberet, nec iis principibus, pro quibus in hac eorum calamitate apud ipſum intercedere cogeretur, moleſtus eſſe pergeret.

Quoties autem litteræ Baiaſiti a Temure Chane redderentur, has ipſas legens, rogari ſe ab eo videbat, & amantiſſimis huiuſmodi verbis adpellari, Fili mi Gilderun Chan. Viciſſim quoties ei Baiaſites reſponderet, nõ aliter ipſum nominabat, quam Leng-temur, hoc eſt, Temurem claudum; quod ipſum ea ſola de cauſa factitabat, vt in contumeliam Temuris vergeret. Denique verbis etiam fœdis & ignominioſis vtens, renuntiari per legatos aliquando Temuri iuſſit ex ore ſuo: Maritus es meretricis, ſi non huc Veneris, prœlio mecũ de ſumma rerum dimicaturus: itidemq;, ſi non & ipſe profectus ad te fuero, tecum vt manum conſeram; auratum bos olſon, hoc eſt, a me libera ſit, vel diuortio mea coniux a me ſeparetur, ac deinde mihi rurſum ab alio polluta nubat. Addebat & huiuſmodi verba, maiorem ad inſolentiam progreſſus: Ades, o Temur, vt prœlij rem aleæ cõmittamus. Qui opes alteri ſuas eripuerit, victor eſto. Hæc, & huius generis alia, multoties inter eos commutata fuere verba. Tamdẽ quum diſcidiis creſcentibus, alteri cum altero conuenire non poſſet: grauiſſimas aduerſus ſe inuicẽ ſuſceperunt inimicitias, & occaſiones omnes quæſiuere, quibus alter alteri noceret; præſertimque Temuri Baiaſites infeſtus erat.

Primus deniq; Temur, collecto milite, verſus Aſiaticã progredi Græciam cepit. Eius vbi fines adtigiſſet, iamq; nõ procul ab vrbe Siuaſtenſi abeſſet: cepere volones ipſius ad ipſas, prædæ cauſa, Siuaſtæ portas excurrere. Quod quũ fieri viderent, qui præſidio Siuaſtæ relicti a Baiaſite fuerant; eruptione facta, volones illos Temurianos adgreſſi ſunt, eoſque partim cæcidere, partim ſeruituti manciparunt, & ſpoliarunt; adeo quidem, vt ex eis nulli propemodum ſuperſtites eſſent. Quum primum hic ad Temurẽ perlatus fuiſſet rumor, eiq; ſignificatum, non procul abeſſe quoddam Gilderunis Chanis opidum, quo

ſui ſe

ſui ſe contuliſſent volones, vt aliquid aucuparentur, ſed ibidem hoſtiliter exceptos fuiſſe, tanta cum inſolentia præſidiariorum; vt ipſius opidi portas, præ hoſtis contemtu, hactenus occludere noluerint: abſque mora Temur quingentis ex omni ſuórum numero ſelectis militibus imperauit, vti Siuaſten properarent, & opidi præſidium portas occludere cogerent, nec vllum ex opido prodire ſineret, donec ipſe reliquo cum exercitu aduenisset. Erant autem mandata Temuris Chanis ita comparata, vt ſi quis ſuorum ab hoſte, ceu formidoloſus, oculos ſuos auertiſſet; confeſtim occideretur. Quum ergo 10 milites hi iuſſu Temuris Siuaſten abiiſſent, ac Siuaſtenſes eorum paucitatem animaduertiſſent, nullo eius habito rei reſpectu, quod inſigniter armati eſſent: contemnere Tataros hoſce tam paucos ceperunt, & extra portas ciuitatis progreſſi, mox eos inuaſerunt, & alacriter ad pugnam prouocarunt. Sed opidanorum vires infirmiores erant, quos Tatari victores & interficiebant, & terga dare coactos, partim capiebant, partim ad ipſas opidi portas eo cum impetu perſequebantur: vt in opidum ſumma celeritate, qui poterant, ſe reciperent; ceteri vel tarditate ſua, vel anguſtia temporis, vel aliis impedimentis excluſi, dirum in modum a Tataris tractarentur. Quum præfectus ciuitatis hoc eorum facinus vidiſſet, non exigua formidine percuſſus, occludi portas iuſſit; nec vlli ſuorum deinceps exeundi poteſtatem fecit, ſed intra munitionem cum ſuis ſe continuit. Secundum hæc conſpexerunt opidani die quodam, matutino ſatis tempore, puluerem in aëra ſurſum tendentem: quumque rogaret alter alterum, quid hoc rei putaret eſſe; tamdem animaduerterunt, exercitum eſſe maximum, qui abſque numero verſus Siuaſten progrederetur. Atque hi milites vbi primum eo veniſſent, ſtatim ad opidi foſſas perrexerunt, & ibidem caſtra metati ſunt. Tum opidani ad hos; Longius, inquiunt, a foſſis vrbanis caſtra remouete. Ceteroqui facta extra opidum eruptione, vos interficiemus. Reſpondere Tatari: Facite, quidquid vobis libuerit. Etiã occidite, ſi quidem ita volueritis. Hinc ſane diſcedere nolumus, quando Temur Chan id nobis mandati dedit, vt hinc nullo modo moueamus. Addebant id quoque, publicati a Temure mandati cuiuſdam hanc eſſe ſententiam, vt ſi venatum profectus aliquis inuadatur a fera ſibi occurrente, atque hanc ipſe non occidat; in eodem ſtatim loco ſuſpendio necetur. Quum igitur ita ſe res habeat, minime locum noſtrum deſerere volumus.

Vrbe caſtris cincta, miſſus ad opidanos fuit legatus, qui deditionem fieri poſtularet. Illi ſe dedituros negarunt. Adduxerat ſecum Temur cunicularios, quibus præcepit, vt verſus vrbem cuniculos agerent; quod illi abſque dilatione fecerunt. Mirum videbatur obſeſſis, neminem ex hoſtibus ad velitandum venire; ſed omnes in caſtris hærere tranquillos. Præfectus vrbis aiebat, non videre ſe, quid hoſtes molirentur: niſi forte ciuitatem pænuria rerum ad extrema redactam, capere tamdem cõſtituiſſent. Sed intra ſeptem vel octo dies animaduertebant, turres opidi, vi cuniculariorum ſubrutas, non modo fatiſcere, ſed etiam collabi. Quapropter incolæ cum præſidiariis, vrbe certis pactis dedita, victoris ſe fidei permiſerunt; qui pacta ſe conuenta ſeruaturum, nec profuſurum vllius ſanguinem, ſacramento confirmauit. In hunc modum data & accepta fide, ciuitatis ſecuta deditio eſt, Oſmanicis ex vrbe prodeuntibus. Statim vero Temur magno fodi numero puteos iuſſit, in quos præcipitari egreſſos ex vrbe p̃cepit omnes, ac deinde terra ſuperingeſta puteos denuo repleri, prorſus vt terra obrutos etiam abſque profuſione ſanguinis extingui neceſſe eſſet. Simul vrbis ea loca, quæ cuniculi nõ euerterant, a militibus fuere diruta. Præerat Siuaſtæ begus ſiue regulus quidam Turcicus, cui nomen erat Malcozzius. Hunc ſolum mortis ſupplicio Tatari non adfecerũt. Temur ipſe deduci hominẽ ad ſe iuſſit, quumq; veniſſet in conſpectum: Volo te, inquit, o Malcozzi, tuum ad herum proficiſci Baiaſitem, eiq; rationes noſtras exponere. Hoc modo miſſus fuit ad Gilderunem Malcozzius, vt rei geſtæ nũtium ei perferret: qui confecto tamdem itinere, Sultanum ſuum adiit, nec illa dumtaxat expoſuit omnia, quæ Temur dicere

iusserat: verumetiam alia, quæ coram ipsemet fieri viderat. Postea quæsiuit ex eo Baiasites, Tatarorum exercitus maior esset, an suus. Ad quæ responsurus Malcozzius begus; Si me non interficies, ait, rem ipsam fatebor. Vicissim Baiasites: Si me amas, ac bene mihi cupis, ipsam veritatem dicito. Tum vero Malcozzius: An te posse putas, inquit, tot habere milites, quot habet alius, qui regiones decuplo tuis maiores possidet? His Baiasites auditis: Mihi sane Tatari, ait, iniecisse tibi formidinem, videntur. Animaduertens autem begus ille Malcozzius, Baiasitem fastus & adrogantis superbiæ plenum; nihil amplius proferens, obticuit. Consimilis animi elatio deinceps etiam in Baiasite se prodidit. Quippe quum aduersus Temurē, prœlij committendi causa, suum ductaret exercitum: multoties a Veziribus & begis admonebatur, ne Temuri vellet occurrere, nec cum eo confligere. Rectius enim facturum, si deinceps illo numerosissimas domū reducturo copias, postremam ipsius aciem a tergo inuaderet. Subiiciebant etiam, permittendum omnino, maximus vt ille Temuris exercitus seipsum nonnihil defatigaret, & exhauriret. Sed nullo fieri modo poterat, vt vllius hominis ille consilia & rationes audiret. Quapropter ad extremum auersi fuerunt ab eo procerum & regulorum omnium animi, atque ipse desertus, a Temure cæsus fuit. Sed hæc ad insequentia tempora pertinent.

Iam vero capta & excisa Siuaste, discessit inde Temur, & Damascum versus se contulit. Baiasites autem discessu Temuris cognito, collegit exercitum, vt hostem inuaderet: sed mutato deinde consilio, seipsum inhibuit, & ab eiusmodi conatu abstinuit. Itaque citra Baiasitis vllum impedimentum, Damascum Temur profectus est. Earum prouinciarum rex, Sultanus Ægyptius, quem barbari Misirensem vocant, & Cairensem, intellecto Temuris progressu, milites suos in Suriam misit, vti se cum Damascenis & Chalepicis copiis coniungerent. Hi quascumque poterant, non e regione modo, quæ Tolgat-ili barbaris dicitur, verumetiam cunctis illis e locis auxiliares coëgere copias, & in planiciem quamdam, haud procul Halepo sitam, cui nomen Megnun Tabac, id est, Pelicanus stultus, progressi sunt; & prœlio Temurem adorti, acerrime cum eo conflixerunt. Cairensis tamen exercitus illic fusus fugatusque fuit. Sultanus ipse fugiens, Cairum se recepit. Temur Halepum in potestatem redegit suam, & vlterius inde profectus, Hamam, (priscis Apamiam) & Hamusam, (iisdem Emisam) cepit; omnemque populum ciuitatis vtriusque colligi iussit, quod eos interficere cogitaret. Sed accidit præter exspectationem, dum in illis exercitum circumducit regionibus, vt inter Hamusanorū sepulcra Temuri faciundum iter esset. Quapropter interrogauit, quænam hæc essent monumenta. Responsum, esse sepulcra discipulorum siue sectatorum prophetæ Muhametis, quorum vni nomen fuerit* Alides filius Velidis, alteri Giabel Echbar, tertio Amru filius Vmeiæ. Quū Temur Chan id accepisset, opidanos indicatorum locorum incolumes, horum prophetæ sectatorum causa, dimisit; sed opes & facultates eis ademit. Hinc digressus, ad opidum Bualbegum accessit, captumq; militi diripiendum concessit. Itum inde Damascum, cuius vrbis incolæ venienti prodierunt obuiam, & in conspectum Temuris admissi: Sumus, inquiunt, o princeps, Meccano vicini opido. Parce quæso Damascenis, eorumque misertus, si quid admisere delicti, condona. Simul adiiciebant, haud dubie futurum Giafirum & hæreticum, si Meccam quis hostiliter adgredi, & gladium in eam stringere vellet. Ad ea Temur respondens: Equidem, ait, in Meccam gladium meum nequaquā stringere cogito; sed diuinit[9] missus sum, vt orbem terrarum peruagando, regiones plerasque castigem. Inde Damascum ingreditur, edicto publicato, ne quis suorum vlli Damasceno negotium facesceret. Postea Damasco relicta discessit. Damasceni vero singularē ex hoc illius discessu repentino cepere voluptatem. Sed non abierant dies duo, quum eodem rediret. Vrbani reuersum videntes, grauiter expauerunt, & facultates ac pecunias suas abscondere ceperunt, & in vrbis castellum confugere. Quotquot autem intrare castellum non potuere, suis in ædibus latitarūt. Rediit ergo Temur, & dire-

*Vide si lib. 1

& direptioni Damascenos exposuit. Hinc ad vrbis castellum abiit, quod ij dedere recusabant, a quibus tenebatur. Tamdem tamen captum, direptum, dirutum fuit. Quumque videret, Damascenos esse Iezideos, id est Iezidi hæretico Muhametano addictissimos, (ac si modo Lutheranos diceremus, ait interpres Græculus) etiam ipse Iezideum se professus: Quotquot inter vos, ait, Iezidei sunt, me conueniant, magnis eos culturum muneribus. Damasceni, qui verbis eius fidem haberent, tanto confluxere numero, vix vt edi possit. Hi omnes in Zamien, siue Zumam, templumue quoddā maximum inclusi fuerunt. Sunt qui referant, hanc meschitam XII CIↃ hominum capacem fuisse. Complures etiam huc se recipiebant, qui non erant Iezidei; sed auiditate pecuniarum & opum impellebantur, vt ipsi quoque templum hoc ingrederentur. Postquam igitur intromissi fuissent omnes, qui Iezideos se profitebantur; templi fores occludi iussit Temur, & flammas accendi, quibus omnes hi Iezidei fuerunt absumti. Secundum hæc Iezidis, qui princeps hāc hæresim occeperat, sepulcrum inquiri & aperiri præcepit; quæq; reperta in eo fuissent ossa, comburi; & euacuatum sepulcrum stercoribus humanis repleri curauit. Hinc Damasco discedens, in Persidem abiit, ad locum quemdam, cui nomen *Carabagi datur; ibique militem in hibernis distribuit.

*Pandect. cap. 63.

Aduentante vere, rediit in Asiaticam Rumiliam; ac primum ad ciuitatem accessit, quam Erzintzanem vocant; vbi nostris temporibꝰ, anno Christiano CIↃ. IↃ. XLVII. Sultan Suleiman castellum munitissimum exstruxit, Scachi Persici Techmasis motus iniuria, qui a discessu dicti Suleimanis e Perside, nullis cinctam muris, licet amplam Erzinzanem, flammis iniectis, deleuerat. Erzintzane discedens, recta contendit Anguram; quod opidum circumfusa corona militum obsedit, & captum diripuit ac vastauit.

Ab altera parte quum Gilderuni Chani nuntiatū esset, Temurem ad opidum Anguram accessisse: copias & ipse suas collegit, & progredi cepit. Inprimis tūc pugnaces habebātur Tatari Destenses, qui relictis patriæ finibꝰ, per Bogdaniam Europææ Græciæ ꝓuincias ingressi fuerant. Hos ipsos quoq; Baiasites, stipendiis inuitatos, suo cum exercitu coniunxit. Aderat etiam Vulci filius, manu suorum non cōtemnenda secum adducta, quæ Baiasiti contra Temurem auxiliaretur. Ad summam, tantus erat Baiasiti coactus exercitus, vt Temuriano non esset inferior. Cum hisce copiis interdiu noctuq; progrediebatur, quod nolle se diceret Anguram ab eo capi, & instar Siuastæ dirui. Qua quidem ex causa tam ipsi milites, quam equi, summopere defatigati ac debiles erant. Baiasites ipse, quidquid ab aliis quibusuis aut consuleretur, aut proferretur in medium, præ incredibili superbia despiciebat. Tamdem inexspectato Temurem Chanem ad Anguram adhuc hærentem reperit. Aderant Baiasitis in exercitu tres ipsius filij, quorum primus Emiris Suleimanis, alter Mustaphæ Zelebis, tertius Sultani Muhametis nomen habebat. Iam vero si subito & absque mora, quum primum aduenerat, in hostem Baiasites fecisset impetum: haud dubie victoria potitus fuisset. Quippe non credebat Temur, vel exiguo Gilderunem ex interuallo abesse, vel suis se castris mox oppositurum. Baiasites vero, qui summa celeritate progressus hoc itinere fuisset, præter aduersariorū spem venit, quum Temuriani passim dispersi prædæ causa vagarentur, & eorum in pascuis equi pabulum quærerent, adeoq; non bene prospectum Temuris Chanis rebus esset. Quapropter incitantes Baiasitem ipsius ꝓceres & begi, nulla vt interposita mora, nihil tale cogitantem inuaderet hostem, rogabant. Sed ille consilia suorum non admittebat, quum diceret, concedendum aliquod militi tēpus ad recreādas corporis vires, & struendas ex more acies; vt in hostem pugnari tāto maiore cum laude posset. Nimirū quoties Gilderunis proceres aliquid ei recte suadebant, nullo impetrari modo poterat, vt monitis eorum obtemperaret. Itaq; castra metari suos iussit. Interim Temuris milites & ipsi confluebant, ac dispersas hinc inde copias in vnum colligebant. Temur etiam videns, Baiasitem castris metandis locū delegisse; quamprimum pugnam aduersus eum ineundā statuit.

Erāt castra Temuris in irriguo loco, Baiasites ab aqua remotior: ideoque cum exercitu suo, cum equis ac iumētis, grauem aquæ illo die ac nocte pænuriā expertus fuit. Erat is dies Iouis, quo Temur iam castra locauerat, & actis muniri curauerat fossis, intra quas castrorum locus omnis inclusus erat; Baiasites vero sub vesperam primum eiusdem diei locum ponēdis castris idoneum ceperat. Postridie bene mane strui ab vtraq; parte ceperunt acies, & pugnæ principium fieri. Temuris Chanis agmina fortiter in hostem pergebant, quum ex aduerso plerique Baiasitis milites ad heros suos pristinos deficerent. Primus Baiasites explicari vexilla sua præcepit, & acies suas in ordinem redegit, iussis pulsari tympanis tam vulgaribus, quam aheneis. Vbi iam vtrimq; concurrerent exercitus, mox illi Tatari, qui Baiasiti militabant, ad defectionem spectarunt. Nam regulus Erzintzanis oriundus erat ex familia regum, qui apud ipsos imperabant, & nomen Tachretinis habebat, ex fratre Tatarici regis Eretinis natus; eaque de causa Tatari ad Tachretinem begum transierunt. Similiter & Germeanenses ad principem suum Germeanoglium, & Mentesij milites ad Mentesoglium, & Aidinenses, & Saruchanij, quilibet suos ad principes se contulerunt. Ipsi vero reges horum, a partibus Temuris Chanis stabant; ideoque non sine iusta & legitima causa milites etiam trāsitionem ad hos fecerunt. Vnde tamdem secutum, vt Gilderun Chan suis dumtaxat cum militibus reliquus esset: quamquam ab his quoque proderetur, & ea quidem ex causa, quod grauis antehac, & molestus ipsis fuisset. Solus Vulcoglius, qui Christianus erat, suis cum militibus in hostem pugnabat. Hos vero Christianos intuitus Temur, Isicos vel eremitas esse credebat, ideoq; exclamans: Hi quidem, ait, animosissime pugnarunt Isici. Qua Temuris audita voce, qui proximi apud eum consistebant, & Christianos hosce norāt, non eos Deruisios esse respōderunt, sed Giasiros. Tamdem & Vulcoglius animaduerso, nihil se pugnando proficere, iamque solum in acie superesse; suos & ipse milites abduxit, & fugam arripuit. Filius Baiasitis, Mustapha Zelebis, amissus hoc prœlio fuit; nec sciri potuit, quid de ipso factum fuisset. Videbant iam Vezires, in discrimine magno res Gilderunis versari. Propterea sumto secum Emire Suleimane, cōfestim ex acie profugerunt. Sultanus etiam Muhametes, cum Asiaticæ Rumiliæ militibus, & Amasianæ prouinciæ begis, ad vrbem Amasiam celeri se fuga subduxit. Quo factum, solus vt Baiasites in acie maneret, cui dumtaxat Portæ ministri, siue Palatini milites aderant. Habebat id temporis Gilderun Han Genizarorum ad X CIↃ, quibus e Genizaris quotquot ex hoc prœlio salui & incolumes euaserunt, Baiasitem in medio ipsorum fuisse rettulerunt, eique dictum a quodam, rebus vti suis prospiceret; quando totus ipsius exercitus, eo deserto ac prodito, fugisset. Quum id Baiasites inaudisset, subito tanta excanduit iracundia: vt pusdoganum siue massam, clauamue ferream, manibus adprehenderet, militesque fugientes insequi occiperet. Occlamabant ei Genizari, maneret tantummodo secum, ac Deo se commendaret; nec vllo modo extra Genizarorum aciem se proriperet. Sed imperare non poterat animo suo, sanis vti consiliis pareret; ideoque Genizarorum ex acie prorupit. Ita vero ceteri milites omnes iam diffugerant, vt intra perexiguum temporis spatium conspicerent Genizari, Baiasitem a nemine defensum capi, ac versus aciem suam deduci. Tum vero iidem Genizari animaduerso periculo suo, & ipsi dedere se coacti fuerunt. Opinio plurimorum est, si non ex acie Genizarorum discessisset Baiasites, omnino futurum fuisse, nequaquam vt in manus hostium veniret. Quippe defendissent eum haud dubie Genizari vsque ad vesperam, & insequenti nocte cum ipso longius ad aliquem se locum recepissent. Nec vero fit simile, Temurem ausurum fuisse tam difficile moliri facinus, vt vi Baiasitem Genizarorum e manibus extorqueret. Nam Genizarorum acies id temporis decem militum millibus constabat. Vnde facile potest existimari, non in eam calamitatem casurum fuisse Gilderunem, in quam seipsum præcipitauit, siquidem ex eorum acie non excessisset: nec ipsos itidem Genizaros hostium seruitutem,

rebus suis spoliatos omnibus experturos fuisse. Sedenim quod decretum est diuinitus, omnino necesse est fieri: nec vllo auerti caueriue remedio potest.

Captus ergo Baiasites, mox ad Temurem deductus fuit. Quumque propius ad tabernaculum Temuris accederet, prodiit is illi obuiã, & exceptum magno cum honore, suum in otagium siue tentorium perduxit; vbi Turcico tapeti vni & eidem ambo insidentes, de pugna præterita inter se disserebant, & inter colloquendum vterq; triumphans velut exsultabat. Tamdem Temur Childerunem adpellans: Infinitæ, ait, o rex, aguntor æterno numini gratiæ, quod vtrumque nostrum regiam ad dignitatem euexerit. Ego claudus sum, tu mancus es. Ab Indiæ finibus ad Siuasten vsque, regem me Deus constituit: a Siuaste, ad Vngarorum vsque limites, tibi Deus regnum donauit. Quod si mundus hic apud iustum illud numen aliquo esset in pretio, sane dedisset eum aliis; quam mihi, qui claudus sum; & tibi, qui mancus es. Nimirum sanctis & beatis hominibus eum tribuisset. Atenim, ait, iterum & iterum gratiæ numini habentor. Nec multo post Temur hæc verba subiecit: Fortasse tu numini gratias haud egisti, eaque de causa tristis hic tibi casus accidit. Quibus prolatis, alio sermonem dirigens: Caue formidolosus sis, mi frater, ait. Qui saluus & viuus est, opes consequendi spe minime destituitur. Posteaquam his eum verbis consolatus fuisset, præcepit Temur, vt cibi adferrentur. Itaque sofra Turcica, quæ illis mensæ loco seruit, illata primo fuit. Deinde patina lacte plena regibus adposita. Nam lacte Temur Chan magna cum voluptate vescebatur, ideoque missu primo principibus, ex consuetudine Temuris, offerebatur. Sultanus autem Baiasites, inspecto lacte, propemodum obstupescere cepit, & totus cogitabundus velut extra se rapi. Quamobrem conuersus ad eum Temur: Mi frater, ait, quænam accidit ad animum tibi cogitatio, qua tantopere videris occupari? Bilahil azem, hoc est, per summum Deum, (sic iurare solebat) fac sciam, quid rei sit. Respondens vero Gilderun Chan: Memini vocem quamdam, inquit, ex ore Sultani Achmetis aliquãdo, quum mecum esset, audire. Nunc illa de voce cogito. Mox Temur: Quid dixit obsecro? Fac & ipse rem cognoscam. Ad ea Baiasites: Quo tempore Sultanus Achmetes, ait, ad me veniens, aliquamdiu mecum viuebat; interrogabam eum aliquando, futurumne putaret, vt ipse cum Temure congrederer, deque summa rerum prœlio decernerem. Respondebat Achmetes, omnino nos congressuros, & pugna dimicaturos acerrima. Sed quis nostrum victor erit? inquam. Hoc numini notum est, ait. Mihi dumtaxat id constat, vos ambos in locum quemdam conuenturos, & eamdem ad mensam in vno tapete sessuros; adeoq; lac fore primum cibum, qui vobis adferetur, & quem primo loco degustabitis. Tum vero Temur: Ita me Deus amet, inquit, egregius in hoc viro spiritus fuisse videtur. Optandum erat, vt hic tecum mansisset. Sic enim minime fuisset opus, vt ipse te quæsitum venirem.

Accepimus, hunc Sultanum Achmetem fuisse peritissimum astrologiæ. Quidquid futurũ prædiceret, eum habebat euentum, quem ipse prænuntiasset. Tali & tanta doctrina & sapientia præditus erat, vt quoties aut venatum iret, aut animi causa exspatiatum, eoq; itinere quoddã ad biuium veniret; mox eo loco subsisteret, ac scripturam intueretur, in taulumbaso siue tympano exaratã, vnde prædictiones astrologicas petere solebat. Hoc modo statim norat, in vtra via rei quid infelicis esset euenturum, & mox tenebat alteram. Sed idem Achmetes nimiopere vitiosus & crudelis erat, nec in corde hominis vlla misericordiæ scintilla restabat. Bagdatinus erat princeps, vti supra quoq; commemoratum. Expulit eum regno Temurlengus, quod etiam Beccani notarunt annales, anno Christiano CIↃ. CCC. LXXXVII. quo tẽpore Murates primus adhuc rebus Turcicis præerat. Quumque videret auito se, patritoque spoliatum imperio; coactus fuit Temurlengum eo sequi bello, quod aduersus Destenses Tataros gessit; hoc vnum spectans, vt aliqua via regnum a Temure reciperet. Sed vbi frustra restitutionem ab se sperari animaduerteret, deserto

Temure profugit ad Sultanum Baiasitem, qui eum magno in honore habuit. Et mansit Achmetes aliquamdiu apud Gilderunem, quē id temporis felicem in obtinendis victoriis videns, quum ex altera parte fortuna Temur nouerca vteretur; tamdem auctor esse Gilderuni cepit, vt occasionem rei prospere gerendæ non negligeret, sed ambabus oblatam manibus arriperet. Itaq; die quodam Gilderunem adpellans: O Padischache, o imperator, ait, exercitum absque mora collige, vires tuas educito, cessuram feliciter expeditionem suscipito. Temurlengum hostem tuum adgrediamur, quando hauddubie tua, in hoc quidem tempore, victoria est. Ad ea semper Gilderun Chan, Ibimus hoc gesturi bellum, ait. Sed interim multis intricatus negotiis & impedimentis, expeditionem hanc intermittebat. Animus quidem ei non deerat, quo sane magno erat præditus, ad inuadendum Temurem: sed eam commoditatem inuenire tunc ad suscipiendam hanc expeditionem non poterat, quam ipse desiderare videbatur. Quoties eum Sultanus Achmetes, etiam precibus adhibitis, ad hoc bellum incitaret; nihil agebat aliud, quam quod de sententia prouerbij, laterem lauare niteretur. Etenim nulla reperiri poterat ratio, qua Baiasites impelleretur, vt huic expeditioni se mature accingeret. Tamdē vidit Achmetes, Fortunam Baiasitis prosperam diuturna cunctatione mutatam; & vicissim Temuris inauspicatam sorte non ad finē modo peruenisse suum, verumetiam principium aliquod felicitatis adtigisse. Quapropter intellecto nuntio de Temuris aduersus Gilderunem suscepta expeditione, qua Gilderunē suis in prouinciis adgressurus esset: confestim Sultanus Achmetes suas in regiones se recipere statuit. Ea vero peringrata Baiasiti res erat, qui modis omnibus operam dabat, vt abitum ipsius impediret, ac secum aliqua ratione non inuitum retineret. Sed impetrari ab eo non poterat, vt maneret: ideoque relicto Baiasite, suum in regnum quasi postliminio reuersus est.

Ceteroqui sic viuere solebat Sultanus Achmetes, vt singulis noctibus vestem permutaret, ac per vrbē incederet, auscultatū ea, quæ per singulas domos dicerentur. Si quid ab illis, qui libere domi suæ loquebātur, in medium adferretur, quod ipsi placeret; id totū audiebat tacitus, dissimulata præsentia sua. Sin aliqui male loquerentur, hoc est, nō secundum voluntatem ac desiderium ipsius Sultani Achmetis: mox eam domum aperiebat, & ista ꝓlocutos interficiebat. Atq; hi noctu necati, postridie suis a vicinis sepeliebantur. Et norant illi quidem, hos a Sultano Achmete peremtos: sed quod planissime perspectum habebant, ignorare se præferebant. Vnde factum, vt omnib⁹ subditis populis imperium ipsius admodū graue esset; adeoq; principem singuli perpetuis & infestis odiis persequerentur. Nec tamen præ formidine vel hiscere audiebant, dumtaxat in omnem occasionem intēti, qua se tantis ab iniuriis ipsius, & maleficiis vindicatos, in libertatē adsererent. Hoc modo primum expulsus, ac deinde regno vicissim restitutus, ab indicato crudelitatis vitio nequaquam abstinuit; sed immanius etiam necandis mortalibus se gessit, quam prius factitare solitus fuisset. Hinc tamdem secutum, vt offensi tanta sæuitia subditi, morte principis ipsius indignas suorum neces expiarent. Nimirum ei nec sapientia, nec litteræ suæ quidquā profuerunt. Quippe quod destinatum est diuinitus, omnino fieri oportet. Nihil magna iuuat sapientia, minus etiam cogitationes, sollicitudines, designationes rerum agendarum, vtilitatis adferunt. Et hæc quidem hoc loco de Sultano Achmete dixisse sufficiat.

Ceterum ad Temurem & Baiasitem vt redeamus, accidit aliquando, vt mensæ cum Sultano Baiasite Temur adsideret. Quumque colloquiis se mutuis exhilararent, ederent, biberent: adduci Temur vnam præcepit ex Sultani Baiasitis vxoribus, quæ Christiani principis erat filia, cui nomen Vulcoglius. Vbi iam illa vocata venisset, primum eam mensæ iussit adsidere; deinde voluit, vt eadē princeps Sultano Baiasiti potū infunderet, ac præberet. Tum vero Gilderun Chan adsidentem mensæ cōiugem videns, pene quamdam in desperationem incidit, & indignatione tanta exarsit; vt verba quædam fœda in Temurem euome-

euomeret. Quibus quum & ille prouocaretur ad iracūdiam, & nimium quantum exasperaretur, conuerso ad Baiasitem sermone: O barba deformis, inquit, o hirce stolidissime, quum equidem apud Indos essem, tu in Rumilia degeres, quid opus erat, te quosdam ad me mittere, tot nugas mihi renunciaturos? atq; etiam addere, te pro marito meretricis me habiturum, ni tuis in regionibus te quæsitum irem? ac vice versa, ni tu bello me venires oppugnatum, vt a te libera mulier esset tua, hoc est, diuortio separata; rursumque tibi nuberet, ab alio prius polluta? Siquidem ab hisce verbis abstinuisses, nō huc ego te quæsitum venissem, nec aduersus hic tibi casus & calamitas accidisset. His & aliis fœdis verbis alter alterum proscindebat. Sane tradi videmus, a quibusdam, apud Zagataios (Tatarorum hæc natio est, e qua Temur originem traxit. Et sunt, qui priscis Zagataiam fuisse Sugdianam volunt, quasi Sugutianam) minime contumeliosum fuisse habitum, adhibere mensæ mulieres, edendi ac bibendi causa: multoque minus turpe creditum, dare mulieri negotium infundendi potus. Præterea non arcessiuit Temur vxorem Baiasitis, alicuius infamiæ, vel contemtus, vel iniuriæ causa. Refertur etiam, Gilderuni Chani fuisse barbam bifidam: ideoque Temurem ei deformem barbam, & quidem hircinam obiecisse. Tamdem tamē extincta rixa, reditum ad collocutiones beneuolas, & verba moderatiora.

Alio quodam tempore, quum vna Temur & Baiasites sederent, adloqui Temur Gilderunem in hāc sententiam cepit: O Chan, o rex, siquidem ipse tuam in potestatem cum militibus meis venissem, quid de nobis fecisses? Per Deum te obtestor, vt ingenue rem omnem mihi fatearis. Ad ea Gilderun Chan: Si mihi venisses in manus, inquit, curassem e ferro caueam fieri, teque conclusum in ea, militumque tuorum verticibus impositum, per omnes regiones tuas, circumgestari iussissem. Atque hoc equidem prius etiam, quam prœlio congrederemur, mecum ipse decreueram. Tum vero Temur: Quo tempore meis, ait, e regionibus ipse discedebam, hanc suscepturus expeditionem; iuratus promisi Deo, siquidem prœlio victor euaderem, neminem me deinceps a pugna commissa interfecturum. Subiecit hoc etiam, sane quam prudenter: Qui recte facere cogitat, tamdem inuenit aliquid boni: qui male cogitat facere, finem malum inuenit. Discessit igitur hisce cum verbis a Gilderune Temur, & caueam e ferro fieri curauit, cui Gilderunem inclusit, ac secum, quocumq; proficisceretur, deinceps eum circumduxit.

Idem Temur regulis illis, qui ad ipsum, impetrandæ causa defensionis aduersus Baiasitem, se contulerant, regiones suas restituit vniuersis: quos inter & Aidinoglius erat, & Mentesoglius, & Germeanoglius, & Saruchanoglius. Inde regiones Osmaneas inter Tataros distribuit. Hoc vero quum fieri videret Baiasites, sane quam grauiter ac moleste tulit, & ex eo tempore tristior esse solito cepit. Erat autem in more Temuri, vt iter ingressurus, Baiasitem aliquando visitaret, ac salutatum, bono animo esse iuberet, adeoque honore adficeret. Hanc eius consuetudinem Baiasites obseruauerat, eaque de causa quum die quodam accessisset ad eum Temur, vsus est occasione Baiasites, & compellato Temure: Quandoquidem, inquit, o rex, diuina destinatio voluit, vt hic prœlij nostri euentus esset, ac tibi victoria numinis beneficio cederet: petere quiddam abs te cupio, cuius si mihi gratiam facere voles, equidem quid sit, aperiam. Respondit Temur: Pete vero, quod petere volueris. Ita me iustus ille Deus amet, vt ipse petitioni tuæ satisfaciam. Tum Baiasites: Hoc, inquit, abs te peto, ne focum meum extinguas, neue familiam meam euertas; & milites vt Tataros tuos vniuersos e regionibus meis abducas. Nam si hodie rebus ego aduersis agitor, fortassis idem crastino die tibi eueniet. Cælesti notum est numini, quid accidere capiti cuiusuis hominis debeat. Haudquaquam bonum est, focos extinguere. Quibus Temur auditis, facturum se recepit, quod Baiasites postulasset. Simul omnes milites Tataros, conuenire iussos, secum abduxit.

Secundum hæc statuit Temur propterea, quod hiems immineret, per eas

regiones exercitum in hiberna distribuere. Præterea fieri posse cogitabat, vt aliquis e filiis Baiasitis, aut eiusdem vezires, aut seniores siue proceres regionum, ad se venirent, deque Sultani Baiasitis liberatione secum agerent. Sed inuentus est nemo, qui huius rei causa se moueret, vel aliquid suscipere laboris & molestiæ tractando negotio vellet: minus etiam, qui se compositionis ac transactionis nomine cuperet interponere. Quo factum, vt Temur ne causam quidem, ac prætextum habere posset, quo deinceps vteretur ad excusationem sui, quod Baiasitem libertati restituisset. Sed hæc reapse suberat causa, cur nemo Temurem adiret: quod id temporis, quum in illas regiones veniret Temur, omnes homines, quoscumque nancisci potuerat, interfecisset. Aut si benignius cum eis ageretur, quæstionibus subiiciebantur; vt dicerent, vbinam inueniri thesauri possent, aut quinam pecuniis abundarent. Hoc modo quum aliquis ab vno Tataro excruciatus, dimittebatur; mox rapiebatur ab alio, qui tormentis adhibitis, & ipse pecuniam dari sibi vellet: atque has inter quæstiones plerique tractati durius, etiam exspirabant. Quare quum adeo Temur crudelis esset, nemo prorsus inueniebatur, qui auderet ad ipsum proficisci, deq; liberatione Baiasitis, aut aliis negotiis cum eo colloqui.

Ad summam, tanta tum ipsius Temuris, tum Tatarorum fuisse traditur immanitas; vt ab aliquibus memoriæ proditum sit, accessisse aliquando Tatarorum exercitum ad ciuitatē quamdam, vt eam ingressi occuparent. Tum vero quotquot erant in opido patres, pueris omnibus, qui legere norāt, Mushafum vel Alcuranum in manus tradidisse, & vt Temuri obuiam irent, iussisse: quod fore sperarent, vt Temur Chan, conspectis illis pueris, ad aliquam misericordiam, propter innocentiam ætatis, & libri Muhametici reuerentiam, commoueretur. Sed longe rem aliter cecidisse, quam ipsi existimassent. Quippe statim Temurē hos pueros intuitum quæsiuisse, quid illi sibi vellent: ac responsum ei fuisse, pueros opidanorum filios esse, qui legere nossent, & obuiam Temuri honoris causa prodiissent, seque gratiam aliquam ab eo consecuturos sperarent. Tum vero Temurem, his auditis, imperasse Tataris suis, vt equis incitatis in hos ipsos pueros irruerent. Tataros autem mox edicto regis obtemperasse, pueros pleno cursu inuasisse, pedibus equorum tam ipsos, quam Curanos eorum obtriuisse tanto impetu, confestim vt omnes misere perirent. Ibi tum quemdam ex proceribus eius dixisse: O Chanum, o rex, etiam hi populi Musulmani sunt, & in religione nobiscum consentiunt. Ne tam crudeliter cum eis agi iubeas. Temurem vero responsurum, interrogasse prius; amicorum hos loco duceret, an inimicorum? Respondisse alterum, inimicos quidem esse, sed Musulmanos, & eiusdem religionis participes, quibus ex commiseratione parcendum esset. Ad ea Temurem subiecisse, prorsus inimicos excipiendos, vt inimicos. Quippe ni regiones illas hoc modo tractaret, neminem indigenarum aliquo Temurem respectu dignaturum. Præterea quum rediturus esset ad prouincias suas, hos a tergo suis inhæsuros copiis, & profectionem impedituros; adeoque, si possint, Tataros omnes interfecturos. Sed enim, ait, permitte potius, quam mater nostra ploret, vt ipsorum matres eiulatu misero lessum necatis hisce filiis suis canant.

Hoc quoque notandum, quo tempore Temur Baiasitis prouincias ingressus sit, eum tanta cum superbia, fastu, & crudelitate venisse: nullus vt esset, qui ei se vellet opponere. Quocumque locorum ipsi veniendum erat, aut transeundum; iis e locis maior hominum pars aufugiebat, & in Europam, mari transmisso, se conferebat. Hinc Mauri siue Nigri & Arabes, hinc Curdi, & Turgi siue Turci, & Anatolici, relictis sedibus suis, in Europam migrabāt. Qui ab illis temporibus scriptores adhuc superstites sunt, referunt; inueniri homines in Europæa Græcia, qui dicant, maiores suos fuisse vel Arabes, vel Turgmenos siue Turcomanlaros, vel Curdos, vel Anatolicos; atque etiam adferant, parentes ac maiores suos, præ formidine Zagataij Temuris, in Europæam profugisse Rumiliam. Id equidem verum esse non nego, quum certum sit,

hac

hac Asiaticorum fuga magis tunc populosam factam fuisse Græciam. Sed altera quoque causa subest, quod nimirum etiam ante id tempus Anatolici, quum ab Osmaneis occuparetur Europæa Græcia, militatum in Europam abierint, & magnis opibus, ac magno mancipiorum numero potiti, domum in Asiam redire soliti fuerint. Quum autem a reditu animaduerterent, in Græcia multo meliꝰ & commodius habitari, quam in Anatolia; suas vltro reliquere regiones, & in Græciam, ibidem sibi domicilia constituturi, se receperunt.

Quum deniq; videret Temur, neminem e Baiasiticis venire, qui de Baiasitis liberatione secum agere cuperet: progredi cepit, & Gilderunem secum abducere. Forte secundum hæc die quodam accidit, vt Temur, compellato Gilderune, diceret: O rex, vbique diditus est rumor, regem tuo loco factum esse filium tuum, qui numquam huc visitandi tui causa quemquam misit. Quid putas? an tui te reciperent, siquidem ego te nunc dimitterem? Ad ea Baiasites: Modo tu me libertati restitueres, ait, nequaquam mihi deesset animus ad istos in ordinem cogendos. Quum Temur hanc e Baiasite vocem audiuisset: Malus hic vir est, inq̃t. Si saluus euaserit e carcere, veniet absq; dilatione, nostrumq; tam a tergo, quam ab vtroque latere carpet ac inuadet exercitum. Quapropter minime nobis ante dimittendus erit, quam nostras ad regiones redeamus.

Alio quodam die Temur, Gilderunem adloquens; O rex, ait, ne tibi metuas, neue teipsum excrucies. Quippe mecum ego te sumam ad vrbem regni mei nobilem Semercandam, atque illinc tuas ad regiones te remittam. Postea quam hoc ex ore Temuris verbum audiisset Baiasites, magnum animo cepit dolorem. Simul illuc minime proficiscendum statuens, ipse sibi mortem adtulit. Alij referunt, Temurem ei præbuisse venenum; ac deinde liberatum, ab se dimisisse: sed confectum vi veneni Baiasitem, triduo post exspirasse. Postea Temur suas ad regiones abiit, secumque Tataros abduxit: quum prius ciuitatem, cui nomen Ker-sche-her, hoc est, plana ciuitas, (Græci vel Homalopolim, vel Epipedopolim dicerent) & Siuri-chisarem, hoc est, castellum acutum, (Cedrinus Oxylithum Saracenorum vocat) & Beg-bazarem, hoc est, emporium domini, Caramanogliò donasset: Isfendiari vero, Castamonam, & Cangriam, (priscis Gangram) & Calazugen, pronuntiatione Gallica, vel Calazigen, qua voce Castellum paruum significatur. Hęc gesta fuerunt anno Muhametano ıↄ c c c. IIII. Chr. 1403.

ὁμαλόπολις. ἐπιπεδόπολις. ὀξύλιθος.

Temurem ferunt imperio potitum annis XL, Gilderunem annis XIIII. Et Gilderunem addunt acerrimum ac superbum fuisse, qui si liberatus e carceribus ad regiam potestatem rediisset; omnes illos occidisset milites suos desertores, ac ne vni quidem culpam hanc condonasset. Ea de causa nullus ex Baiasiticis profectus ad Temurem fuit, vt cum eo de Baiasite redimendo ageret: sed omnes præ formidine vindictæ, quam exercituum metuebant, si rediret in libertatem, negligere captiui redemptionem maluerunt.

IO. LEVNCLAVII HISTORIAE MVSVLMANAE TVRCORVM LIBER OCTAVVS.

INTERREGNVM, VEL ANARCHIA POTIVS, capto mortuoque Baiaſite.

SVSCEPERAT Baiaſites ex diuerſis matribꝰ, & quidem ancillis, hoc eſt mancipiis, vt expreſſe Turci ſcribunt, filios ſeptem; quorum nomina ſic ponemus, vt naſcendi ordinem, & Turcorum auctoritatē ſequamur. Non enim neſcio, Laonicum, & alios, aliter hos recenſere. Fuerunt igitur hi: Ertogrul, Emir Suleiman, Muſtapha Zelebis, Iſa Zelebis, Muſa Zelebis, Sultanus Muhametes, Caſſimes Zelebis vel Caſſumes, idem pronuntiatione Gallica, quæ Turcis etiam in vſu eſt. Ex his, qui primogenitus erat, Ertogrul in pugna contra Caſim Burchanedinem periit: Muſtapha prœlio Temuriano cecidit, vel potius amiſſus fuit, ignorantibus ſuis, q̃d actum de ipſo fuiſſet. Caſſimes admodum puer erat, quo tempore Baiaſites pater caperetur, & in feraio educabatur. Emirem Suleimanem Alis baſſa, Eines begus Subaſſa ſiue rerum capitalium p̄fectꝰ, & Haſſen ſiue Chaſan Aga, ſecum e prœlio Temuriano abreptum, in Europæā Rumiliam deportarūt. Sultanus Muhametes ex eodē prœlio Temuriano, rebus deploratis excedēs, Amaſiam rediit; quo degere loco, ſuum ad timarium pertinente, ſolebat. Iſa begus, patre capto, Buruſam ſibi regiæ loco delegit, & prouinciis aliquib. occupatis, pro rege ſe geſſit. Muſa cum patre captus, Temuris in poteſtatem venit. Horum omnium hiſtoriæ deinceps ordine ſequentur. Exordiemur autem ab interregno, vel potius ab anarchia ſiue confuſione rerum in regno Turcico, plures inter principes tunc diſtracto: res vt illas explicemus, quas hactenus maxime perplexas & intricatas, ac maiori ex parte nobis incognitas fuiſſe, fateri cogimur. Interregnum vero nō abs re nomino, quū & Baiaſites adhuc ſuperſtes, licet ab hoſte captus, ſe iure quaſi quodam poſtliminij regnum repetiturum ſperaret: & Temur idem regnum ceu victor, belli iure ſibi vindicaret, veluti qui Turcis ſuperatis, armis illud adquiſiuiſſet: & Baiaſitis filij plures ſimul, vt Iſa begus, vt Emir Suleiman, vt Muſa Zelebis, vt Sultan Muhametes, infeſtis animis de imperio dimicarēt. Nō enim vnius dici regnum poterat, quod a tot competitoribus adfectabatur: nec interregni nomen extinctum prius fuit, quam ad vnum Muhametem rerū ſumma rediiſſet. Itaq; propter ambitionem pluriū, interregnum erat; propter mutuas horum inter ſe lanienas, quum nullus alteri cedere vellet, anarchia. Dabimus igitur & hoc, & ſequentibus libris tam interregnum, quam anarchiā Turcicā illius temporis: dabimus nouorum lanienas Cadmeorum fratrum, Baiaſitis filiorum: Tataricorum procerum graſſationes in prouinciis Aſiaticis, & aduleſcentis heroici, Sultani Muhametis, cruentas aduerſus eos pugnas, cum illuſtribus victoriis, de libro dumtaxat Haniualdano Dragomani Muratis explicabimus, quando reliquorum nullus hæc adtigit. Sed tandem ad rem.

ἀναρχία Turcica.

Quo tēpore Gilderun Baiaſites cum Temure Chane prœlio congreſſus, infelici maxime caſu hoſtis in poteſtatem venit: quindecim dūtaxat annos ipſius filius, Sultanus Muhametes, natus erat; & regias duas, beneficio patris, Amaſiā † Tocatamq;, vicina cum prouincia tenebat. Incolæ Turcicarum regionū, ob inſolentiam potitorum victoria barbarorū, perpetuo pro familia, liberis, coniugibus ſuis excubare cogebantur; nonnullis

† Pandect. cap. 76.

nullis in exsilium vltro commigrātibus, ne calamitatem oppresse patriæ suis diutius oculis intuerentur. Muhametes ipse, quum illa pugna nobilis inter patrem Gilderunem & Temurem committeretur, rebus iam deploratis, erecto vexillo, cum animosissimis quibusq; Rumiliæ superioris Asiaticę militib⁹, aciem Temurianam perrupit, in regionē Rumiliam, quam diximus, per medios hostes penetrauit, innumeras occurrentiū in itinere sibi Tatarorum copias fudit & fugauit, ac tamdem ad vrbem Tocatam saluus peruenit. Huc vero delatus intellexit, patrem Sultanum Baiasitem, cum vno fratrum Musa, captum ab hostibus: alium ex acie casu quodam, necdū adhuc satis explorato, amissum: regnū pedibus inimicorum obtritum: Musulmanos fœde direptos, ac vexatos. Tū vero graui cōmotus partim indignatione feruentis animi, partim dolore Muhametes: Hem quā tristi sum⁹, inquit, oppressi calamitate. Florens illud Osmanidarū regnū sub pedibus hostium prostratum iacet, infinitis expositū periculis, pęneq; funditus euersum. Incolæ diuinit⁹ curæ defensioniq; nostræ cōmendati, partim reb⁹ omnib. exhausti miserā barbaris seruitutē seruiunt, partim grauiore multati exsilio, hinc inde patria extorres obuagant. Ipse domin⁹ & parēs noster ab hoste captiuus detinetur. Omnis lęticia, ꝓsperitas omnis, qua frui nobis hacten⁹ licuit, nunc merā in mæsticiam abierūt.

His dictis, intimos sibi quosq; suorum in consiliū adhibuit, eisq; sententiā animi sui aperuit; qua decreuisset, aut quacumq; via libertati restituere patrē, aut eamdem cū eo fortunā subeundo perire. Responsum ab illis vnanimi cōsensu, se quidē paratos esse, vel animā profundere, studio pstandi summa fide quæuis debita principi suo, Sultano Muhameti, obsequia. Fateri etiā, ex indole generosa proficisci, quæ protulisset, verba. Nihilo minus esse rationi cōsentaneum, vt eius hostis, qui victoria potitus regnum illud occupasset, vires & militū copiæ, propemodum infinitæ, diligenter expēderentur. Quippe si ab illo prope vellent abesse, nō id absq; periculo facturos. Nulla ratione melius suis cōsulturos reb⁹, quā si longinquis ex interuallis hostiū motus & consilia, missis exploratoribus, obseruarēt: ac si quos palantes extra castra nō magno reperirent numero, mox interceptos e medio tollerent. Ea prudentia suas illas exiguas absq; detrimēto cōseruaturos copias, & hostilē hac via carpendo multitudinem, paullatim magnam barbarorum cædem edituros; qua territi, de regionibus illis prius relinquendis cogitaturi sint, quā deminutis nimium copiis, a nobis (aiebant) oppressi penitus ad internecionem deleantur.

Placuit hoc Sultano Muhameti consilium, ideoque cum exercitu suo, & viris præcipue bellicosis in Asiatica Rumilia superiori, motis castris, versus inferioris Asiæ regiones profectus est. Hoc in itinere primum Deruasen accessit, priscis Derben aut Deruen Paphlagonum dictam, nec procul vel ab Amasia, vel Osmanzuca dissitam, Pontique prouinciæ finibus vicinam. Ibi quidam Cara-sahia, consanguineus & adfinis principis Isfendiaris, cum mille propemodū equitibus armatis, qui equos etiā munitos & indutos armis habebāt, in Sultanū, & in conspectū ipsius ꝓuectus: Heus tu iuuenis, ait, quisnā es, & quo ꝓficisceris? Ego sum ille Cara Iahia, Isfendiari principi adfinitate iunctus. Egregiis proceribus, ceteroqui populorū domitorib⁹, acutis sagittis meis pectora transfixi: viris fortibus ac bellicosis iocinora (sic Turci loqui solēt) laceraui. Præ formidine mei ne quidē huc aues audent aduolare. Et qs est ille Muhametes, q regnū meū ausus est ingredi? Talia quædā magno clamore vir insolens effutiebat, cuius vocē Sultanus audita, nihil omnino mouebatur. Quapropter excādescēs Cara-Iahia, mox versus Sultanū pgit, vt in eum irrueret. Sultanus id hominem moliri videns, quos secū habebat ꝓceres, ac militares viros, oratione paucorū verborū excitat, &: O magnanimi iuuenes, ait, tēpus est, vt istos coruos dissipem⁹, & cęsum insolētis huius exercitū in fugā coniiciam⁹. Quæ proloquutus, ipsemet cū suis acinaces strinxit, Alla tegbir exclamando, Musulmanicum Deo cecinit hymnum, vno aciem hostilem inuasit impetu, eamque duas in partes impressionis animosæ vi soluit ac dissipauit. Cara Iahia animaduerso, prima statim coitione cæsum militē suum, & principiū pugnæ factum infelicis; alta voce suis increpatis,

vt more virorum fortium starent, hortatus est. Sed nihil hæc valuit incitatio. Velut in momento Iahiæ defecit exercitus, varie fusus ac fugatus. Dux ipse Iahia, pudore omni & existimatione posthabita, fugæ se turpi dedit, & in opidum Tossiam se recepit. Insecutus hostem a tergo Muhametis exercitus, quoscumque nancisci potuit, occidit; opimisque potitus spoliis, ad conficiunda reliqua, singulari cum animorum alacritate progressus est. Posteaquam hęc prima Sultano Muhameti victoria tã prospere cessisset, auspicatum secuturæ felicitatis initium: statim cũ exercitu mouit vlterius, & ad opidum Kereden siue Gereden accessit, de quo † alibi dictum. [† Pandect. cap.70.] Heic dies ad aliquot substitit, & exploratorem in castra Temuriana misit, vt inquireret, an Baiasites pater adhuc apud Temurem detineretur; ac tum hoc, tum alia pleraque de statu rerum in iis locis, diligenti cognita peruestigatione, quum primũ reuersurus esset, prolixe renuntiaret. Interea dum hic Muhametis aberat explorator, (Peicum hoc loco Turci dicunt, quod proprie cursorem significat) hæsit ad Gereden cum suis Muhametes, & de rebus deinceps gerẽdis ad concilium rettulit; vt sententiam quisq; suam diceret, quid ex vsu rerum præsentium putaret agendum. Respondere Vezires, videri consultum, vt iis locis excederent, Asiæque regiones inferioris adirent, montes inuios conscenderent, & in iis abditi, rerum progressus & euenta consideratione diligenti obseruarent. Non enim vero videri simile, Temurem in illarum prouinciarũ possessione mansurum: sed dubio procul in regionem suam pristinam reuersurum. Multo minus credi posse, venturũ cum exercitu, Sultanumque Muhametem ex vno monte in alterũ cum suis fugientem, inuestigaturum. Sed erat aliorum quorumdam diuersa sententia, qui dicerent, minime consilium hoc probari posse, quum inferioris Asiæ montes metu periculoq; non careant, nec asylum eis securum præbituri sint. Potius in regnum superioris Rumiliæ redeundum, vbi tuto quodam in loco commorãtes, hinc inde circumspicere quasuis in partes possint, & reuelationes fatorum cælestium notare. Merito gratias numini agendas infinitas, quod eius benignitate, felicique fortuna Sultani Muhametis, sat commode comparatæ res ipsorum essent, nec annonis aliisue rebus necessariis vlla in parte destituerentur. Ideoque pręstare, Rumiliam vt suam repeterent, & suos inter subditos, hinc inde regionem obeundo, versarentur; eosque barbarorum ab iniuriis & vi defenderet, & regno aduersus hostes præsidio essent. Posterius hoc cõsilium Sultanus Muhametes alteri prætulit. Quumque rebus ab omnibus iam paratus, hanc ꝓfectionem suscepturus esset: venit explorator ille, quem supra missum fuisse diximus, vt Temuris in castris omnia specularetur, primumque Sultano Muhameti fausta precatus omnia: Deus, inquit, optimus maximus annos ætatis & imperij multos tibi largiatur, [πολλὰ ἔτη.] hostes tuos dissipet, ac iusta vindicta deleat vniuersos. Equidem Temuris in castra veniẽs, patrem tuum Baiasitem bona vidi præditum valetudine. Quamuis autem plurimum laborauerim, vt colloqui cum eo possem: nulla tamen id via consequi licuit. Cetera quod adtinet, occupatam ab se Temur Rumiliã, possidet vniuersam, & hoc anno in regione Aidin-ili cũ suis hibernat. His intellectis, parumper illic adhuc commoratus Muhametes, in Rumiliam superiorem se recepit. Eo quum peruenisset, nuntiatũ subito fuit, adesse Temurianum principem nomine Cara-Deulet-schach, (id significationem Nigri principis felicis habet) qui regnum occupare nitatur, & Temuris mandatum vbique certioris instar signi quibusuis exhibeat, quo sibi donatam adserat regionem: populum vero, ꝓ metu ac formidine, cepisse huic obœdientiam præstare. Sequi hominem mille plus minus latrones. Quocumque veniat, omnes ei se summittere recusantes e medio tollere, populari agros, cetera direptioni suorum exponere. Ni maleficiis ipsius obuiam eatur, breui regnum in potestatem ab eo redactum iri. Hæc quum renuntiata Sultano Muhameti fuissent, nimium quantum commotus, suos circumstantes adspexit, &: Quid vobis, ait, de hoc negotio videtur, o proceres? quodnam ei quærendum putatis, & adhibendum remedium? Respondebunt omnes: Ita feliciter omnia cedant

fortu-

fortunato Sultano nostro, vt animose cũ Cara-deulete Schacho pugnabimꝰ. Hodie vita fruimur, hodie morimur. Tum Sultanus Muhametes, pro temporis & loci ratione, paucissimis eos verbis adfatus; Viriliter, ait, vos gerite. Quis ille tam impudens canis est Cara-deuletes Scachus, vt regnũ meum ingressus, colonis & subditis meis tantum inferre molestiæ, doloris, iniuriarũ audeat? Ergo dum illi Muhametis obtemperaturi mandato copias colligunt, & omni adparatu prœlio committendo semet accingunt: explorator ab ipso Sultano speculatum mittitur, vbinam locorum hostis ageret, quantas secũ duceret copias, quid moliretur: vt de his certi aliquid Sultano renuntiare posset, conatibus inimicorũ obuiam ituro, quum primum rationes & consilia ipsorũ explorasset. Discedens hic a Sultano speculator, ad hostem Cara-Deuletem Schachum ꝑexiguo tempore venit. Is in opidũ Cagialim diuerterat, ꝙ in Galatia sitũ, priscis Ægialus erat, & Cobialus, quæ duo Straboni sunt eiusdem loci nomina. Suas istic res curabat, & paucos suorum secũ habebat: qua de causa vix hominis opprimendi commodior inueniri via poterat. Quare quũ reuersus explorator, hãc in maximo ponendã lucro monuisset occasionẽ; Sultanoq; ꝓterea rettulisset, Cara-Deuletẽ Cagiali cũ sexcentis dũtaxat hærere militibꝰ, secordẽ & ignauũ: mirifice placuit ea Muhameti occasio, quã statim ambabus, vt dici solet, manib. arripuit. Quippe mox instructis Rumiliæ copiis, & tam armis quã omni bellicorũ instrumentorũ genere munitis, eo ꝓfectus est. Degebat, vt dictũ, Cagiali Cara-deuletes Schachus, metus omnis expers, & plane securus: in quẽ nihil tale cogitantẽ, & imprudentẽ, summa celeritate Sultanus Muhametes adactis eq̃s irruere ꝓperabat. Cara-Deuletes autem Schachus, cognito Muhametis aduentu; minime ꝓpterea territꝰ, equũ adscẽdit, & obuiã Sultano ꝓgressus, alta voce exclamauit: Infãs es, & puer, o Muhametes. Lac matris adhuc in ore tuo fœtet. Quanã dignitate, quo magistratu ꝑditus, Sultani nomen vsurpas, & regnum ambis? Apage vero, imaginariũ illum tui met ipsius amorem ex animo missum facito, resq; tuas agito. Præstat huic te cogitationi valedicere. Pater tuus, & fratres tui, miseram in captiuitate vitam agunt: te de regno litigare, tali rerum statu, perquam absurdum est. Ni vano temet amore prosequi desieris, sed omnino prœliari nobiscum perrexeris; mox omnibus, quid tecum equidem acturus sim, adparebit.

Posteaquam hęc Cara-Deuletis verba Sultanus Muhametes audiuisset, indignatus ad hominẽ paullo propius accessit, eoq; compellato: Hem delire senex, ait, & omnium ignauissime, tune teipsum tãtopere iactitas? An esse te hominẽ oblitus es? Simulator insignis, barbã in moletrina dealbasti. Neminis adhuc cõgressum cum hoste, neminis pugnam vidisti. Si maxime pater meus captiuus est, quẽ libertati suę diuinitus opto restitui, & restitutũ iri confido: tamen heic eius successorẽ vides, q̃ te tibi, q̃ vir sis, demõstrabit. Simul ipse, q̃d de te facturus sim, videbis. Hæc dicẽs, hymnũ Musulmanicũ occepit; ac numine suo fretꝰ, nudato brachio strinxit acinacẽ, & in hostem irruit. Ictus ensiũ & pusdoganorũ ingentẽ, crescente prœlij ardore, strepitũ excitabat. Iã ab omni parte pugnabatur acriter, quũ miles q̃dã Sultani Muhametis, vir bellicosus, recta in Cara-Deuletẽ Schachũ contendit, sagittam e pharetra depromsit, & exspectata paullũ occasione, dũ iã ad dextrã, iam ad lęuam adductũ teneret arcũ; tamdẽ sagittã excussit, q̃ fatali & diuina sorte quadam in oculum Cara-Deuletis Schachi penetrans, ab altera parte capitis exiit. Quaꝓpter oborta vertigine, statim ex equo decidit, & in frusta dissectꝰ a Sultani militibus fuit. Quos secũ habebat iuuenes natione † Curdos, ij partim a Muhameticis occisi periere, partim fuga dilapsi sunt, partim se militię Sultani Muhametis addixerũt, & fidelissimã deinceps ei nauarũt operã. Potitꝰ hac secũda victoria Sultanꝰ, & singulari cũ lęticia reuersꝰ, cibo & potu se cũ suis recreauit; nec animi tñ interim remissa sollicitudine, ac vigilãtia, semp in oẽs regni partes circũspexit.

† *Pandect. cap. 232.*

Dum vero quiete frueretur, liberiore nonnihil a curis animo; nuntiatũ ex improuiso fuit, Cubad-oglium principem (Cubadis, vel prisca Persarũ lingua, Cabadis ea vox filiũ significat) maximo cũ exercitu ciuitatem obsidere * Niksariam, (veteribꝰ adpellatã Neokæsariam)

* *Pandect. cap. 76.*

dieq; pariter ac noctu summis eã oppugnare viribus. Ni mature succurreretur, in hostium potestatem venturam; qui ea capta, regionem quoque, cæsis aut male tractatis incolis, vastaturi essent. His auditis, confestim Sultanus Muhametes otio valere iusso, rebusque bello necessariis, vt armis & aliis, absque mora paratis & expeditis; nullo diei vel noctis habito discrimine, Niksariam properauit, vt obsidionem illius in tempore solueret. Interim Cubad-oglius arci per vim capiendę intentus, nihil omnino de aduentu Muhametis compertum habebat. Quapropter inexspectatus eo veniẽs Sultanus Muhametes, impetu maximo Cubadoglij copias inuasit, cæcidit, dissipauit. Pars occisi periere, pars beneficio fugæ saluti cõsuluerunt. Muhametici castris & impedimẽtis captis, opima ditati fuere præda. Cubadoglius imminenti periculo semet eripiens, & solus in campis oberrãs, tamdem saluus euasit, seque ad regulum Tasacoglium cõtulit, (deinceps Tasanc-oglius etiam nominatur) vt auxiliares ab eo copias peteret. Hac fuga sua, pręter spem, mortis discrimen euitauit.

Posteaquam Sultanus Muhametes exercitum Cubadis profligasset, victoriaque potitus, omnem ipsius gloriam & existimationẽ aboleuisset: etiam vrbes & arces eius occupare, cum tota regione, statuit. Quapropter prouinciã Tzanicensem (Genec scribunt Itali, Zenec pronuntiant) ingressus, quæ nomen hoc a Tzanorum populis accepit; & inuasit incolas eius, & partim occidit, partim captos in seruitutem rapuit, vniuersam regionem depopulatus. Erat in iis locis arx Felti longe munitissima, quæ priscis Peltæ dicebatur, in extrema Phrygia maiore versus Pontum sita, populoque Peltinorum nomẽ dedisse videtur. Hãc Sultanus arcem, quum vidisset, occupandam censuit; petito primum suis a veziribus & militibus præcipuis cõsilio, tentandane videretur, an omittẽda potius oppugnatio. Quũ omnes munitionem hanc in potestatem redigendam dicerent, mox eodem die concursum ad arcem, & initium oppugnationis vno factum impetu grauissimo, quo tam de numero præsidiariorum, quam Muhameticorũ plurimi fuere vulnerati. Sed quum illa impressione nihil effectum fuisset, cogitabũdus ac pæne subtristior Muhametes, certo tympani pulsu, pro Turcico more, suos ab oppugnatione reuocari iussit. Inde nox ea quieti data. Postridie quum illuxisset, Vezires suos Sultanus arcessiuit, & de arcis expugnatione consuluit. Quilibet aliquid pro captu suo, & vsu rerum, in medium attulit; sed quum nullius sentẽtia Sultano probaretur: Equidem, ait, certo scio, nõ hanc aduersus me teneri arcem posse, si vires nostras ad eam expugnandam adhibere serio voluerimus. Quidquid sit, omnino mihi redigenda in potestatem erit. Expugnari vero per vim non poterit, absque munitionis ipsius aliquo detrimento. Quod quidem vt caueatur, id remedij restat; vt oppugnatione ad aliquot dies intermissa, spontaneam obsessorum deditionem exspectemus. Huic igitur Muhametis obtemperatum consilio, nec aliquot diebus quidquam oppugnando tentatum. Tum vero Sultanus animaduertere maximum in arce silentium cepit. Quapropter Iasitzium, siue scribam suum ad se venire iussit, eiq; mandauit, vt ad præfectum arcis epistolam scriberet benignis verbis, & optima quæque pollicẽtibus, modo Muhameti arcem dedere vellet. Eam vero cui seruare cupiat, & quibus auxiliis, nõ liquere; nec alium rei futurum exitum, quam vt capiatur. Ideoq; præstare sine dubio, præfectus vt ipse Sultanum sua sponte adeat, & arcis deditionem faciat. Principem suum Tasancum nõ esse cur metuat. Nequaquam hunc ausũrum propius ad Muhametem, se potentiorem & illustriorem accedere, prœlioue cum ipso congredi. Semel illum cum viribus suis vniuersis in Muhametẽ profectum, ita bellicosorum eius militum ictus expertũ; vt copiæ, quas adduxerat, omnes dissipatę diuersas in partes hinc inde diffugerent. Hæc a Sultano dictata, bona fide a scriba literis inserta fuerunt, & ipsę præfecto missæ per internuntium litteræ. Posteaquam præfectus internũtium ad arcem venturum intellexit, portam arcis aperiri iussit, & exceptum honorifice, lautis pro more tractauit epulis; felicem & faustum hoc modo gratulatus aduentum. Inde gestu perquam humili: Nos, inquit, Sultani Muhametis vilia, vel infima

infima potius mācipia ſumus. Quid igitur eſſe cauſæ dicā, cur nos tā hoſtiliter oppugnet? His ab eo dictis, internūtius ei litteras obtulit. Tū vero pfectus epiſtolā a principio ad finē vſq; plegens, ac diligēter expēdens, in mare quaſi quoddā cogitationū demerſus fuit; dū hinc vtilitates e deditione puenturas, illinc ſecutura damna ſecū in ęqlibrio quaſi quedā examinaret. Simul ampli⁹ internūtium munerib⁹ colēs: Mihi qdē, ait, nullę cum Sultano intercedūt inimicitiæ; nec ei, q ipſum velle video, vlla in parte aduerſor. Dūtaxat hoc dico, ſi maxime munitionem hāc ſui iuris efficiat, & occupet; neceſſe futurū, vt alicui ſuorū clientum eā cuſtodiendā tradat. Is cliens ipſius ego ſum. Operā ei fidelē nauabo, dū vixero; ſummaq; diligentia & integritate, quam mihi tradiderit arcē, contra quoſuis tuebor & cuſtodiā. Si hac cōdicione ac lege deditionē admittere noluerit, ſed eam vi potius, & armis, & impetu furioſo, in poteſtatē redigere: viciſſim & ipſe vires meas oēs expediam, & p domino meo, cuius pane veſcor, (ſic loqui Turci ſolēt) nullū ſuſcipere laborē, nullū adire diſcrimen recuſabo. Dimiſſus hoc cū reſpōſo internunti⁹, rediit ad Sultanū, eiq; pfecti ſentētiam expoſuit. Tū vero Muhametes minacibus hiſce verbis offenſus, vſq; adeo exarſit: vt ſtatim ad ſuos pdiret, ac begis ſiue pcerib⁹, ſanzacis, ducib⁹ ceteris, & generoſis militib⁹ diceret: Eamus, arcē hāc vi ſumma ptinus occupem⁹; q in ea pſidium eſt, de muris pcipitemus; ædificia diruamus, opes & facultates eorū diripiam⁹. His a Sultano platis, exercitus omnis armat⁹, & ad oppugnationē inſtructus, clupeos in manus ſumſit, innumeras ſagittas ſecum tulit, eoq; modo ad arcē acceſſit: in quā excuſſarū a militib⁹ ſagittarū mox imber quaſi quidam delapſus, ita pſidiarios oppreſſit & adflixit; vt ne ſubſiſtere quidē præ multitudine vulnerū, nedū in hoſtē pugnare poſſent. adeo nullæ vires eis erāt reliquæ. Si qui manebāt viui, vulneribus cōfecti iacebant; cōplures triſtem exhalabāt animā: pauci magis incolumes ceteris, portam arcis aperiebāt, & omnes ſimul vna voce; Pacē abs te Sultane maxime petimus, exclamabāt. Simul Sultanū adeuntes, & ad equi Sultanici pedes, capitibus ad terram proſtratis, aduoluti; claues arcis exhibebant. Eos Sultanus benigno vultu reſpiciens, etiā primario veſtē inſignem honoris cauſa pcepit iniici; delictorumq; gratiam cunctis faciens, bono vt eſſent animo, iuſſit. Illi principis humanitate moti, toto pectore, fideq; ſingulari ſemet eius imperio ſummiſerunt. Inde Sultanus quēdam e ſuis, prefectum arcis cōſtituit. Eidem arci, rebus omnibus neceſſariis pcuratis, vt armis, vt annonis, vt inſtrumentis bellicis, optime proſpexit: ac deinde tam proſpera lætus victoria, Tocatā reuerſus eſt, ibiq; poſt tātos exanclatos labores, ita genio parūper indulſit; vt nihilo min⁹ oculos in hoſtē directos, aures ſemp arrectas haberet.

Quū iam Sultanus Muhametes, arce Feltina capta, cum palatinis & aliis militibus ſuis e ſuperiore Rumilia, nonnihil ſe recrearet: nuntiatū ei ſubito fuit, Inal-oglium principē fere cum XXCIↃ hominū Muhametis fines ingreſſū, agroſq; cum colonis depopulantem, in planicie Caz-ouā (deinceps Caz-abada legit̃) caſtra metatum conſediſſe: populum vero totius regionis, vt ab horum maleficiis & pdis tutus eſſe poſſet, hinc inde diffugiſſe, perq; ſiluarū & montium luſtra vagari. Nunc virū ingenij praui cepiſſe cōſilium inuadendi Sultani, vt eum vel ad cōferendā cum ipſo manum, vel ad ſoluendum aliquā pecuniæ ſummā, tributi annui nomine, vel ad regni ceſſionē adigat; q ipſe deinceps occupare, velutiq; belli iure captū poſſidere cogitet. Hæc vbi Sultanus intellexiſſet, nō parum animo cepit excruciari. Simul ipſe ſecum: Proh quā difficulter, ait, contingunt homini res magnæ qdem illæ, ſed magnis periculis redimendæ. Ah ſumme Deus, quā miſere præſtantiſſimum hoc regnū ab hoſtibus diuerſis proculcatur, quam variis expoſitum aduerſitatibus eſt. Durum fuerit, eo deſerto me finibus his excedere. Sin heic manere voluero, diſcrimē aliud ſubeundū, & aleæ cōmittenda cum hoc Inal-oglio pugna. His ſecū expenſis, conſiliarios adeſſe iuſſit; expoſitoque noui motus nuntio, & animi ſui ſollicitudine, qd ipſis cōſultum videretur, quodue remedium huic malo qrendum & adhibendum eſſet, interrogauit. Tū Vezires, animaduerſo Sultani mœrore tacito, verbis eum huiuſmodi compellarūt: O Sultan Alem, o princeps or-

*Pandect. cap.61.

bis maxime, caue cor tuũ adfixeris. Cur * Turcomani & Nomadis illius causa ꝑturberis, ac teipsum excrucies? Nos ope maximi numinis ita cũ ipso, & copiis eiꝰ, prœlio congrediemur; vt admirationi mortalib. futura sit virtꝰ nostra. Præstiterit tamen prius, quã res armis gerat, epistolã ad eum dari, legatumq; mitti; vt ex eo sciamus, quanã de causa fines nostros hostiliter ingressus sit, cur inclementer adeo miseros colonos tractet, cur Musulmanis facultates suas eripiat, q̃d tamdẽ his reb. sibi velit, quẽ ipsius improbitas finẽ sit habitura. Cupere nos eius de his omnib. intelligere respõsum, vt & ipsi rebus nostris consulamus, & prout ei libuerit, vel amice, vel hostiliter nosmet geramus. Hoc modo si tota necdum denigrata facie, qui Turcis loquendi mos est, hoc est, si necdum omni pudore ac verecundia exuta, nostris e finibus excedens abierit, bene: sin minus, totis viribus in eũm pugnabimus.

Muhametes vezirũ ac ꝓcerum suorum perspecta constantia, fideliq; consilio intellecto, & instructione: mox animũ recepit, hilarẽ vultum ꝓtulit, omnẽ mæstitiã valere iussit. Simul ipsos etiam cõsiliarios suos amãter adlocutus, de sua singulari beneuolentia certiores in animis suis reddidit. Instrumẽta deinde bellica ꝓcepit expediri, atq; omnia pugnæ committendæ necessaria diligenter adparari. Postea scribam suum aduocari iussit, qui litteras illas, quarum facta mẽtio, ad Inal-oglium exararet. Earum, præmissis præmittendis, titulo nimirũ, & encomio siue laudibus Inal-oglij, quę duo Turcorum more litterarum in exordiis collocari solent, hęc erat sentẽtia:

Quod nulla iusta legitimaq; de causa, nullo nobis indicto bello, regnũ nostrũ ingressus es; colonos regni, credita nobis diuinitꝰ pignora, crudeliter vexas, eorũq; res agere ferre nõ desinis; ꝙ rempublicam Musulmanam perturbas, nec vllum malitię atq; iniuriarũ finem facis: in eo sane quã longissime recedis ab illorũ moribus & institutis, q. Musulmanos se ꝓfitentur. Quippe si nõ audire tantum, sed etiã esse Musulmanꝰ velles; omnino cũ copiis tuis hoc regno excederes, innocẽtes nullis grauares iniuriis, nemini damnũ inferres. Nunc quũ ita te gerere nolis, nec recte monenti obtemperare, sed pertinaciter in proposito prorsus iniusto perseuerare, dum falso tibi persuades, regnum hoc herede legitimo destitui; quũ veros deniq; Musulmanæ religionis conseruatores grauibus tam contumeliis, quam detrimentis adficias: scire te volo, me supremi fretum numinis auxilio, cum toties victricibus copiis meis contra te venturum, & acri tecum prœlio dimicaturum. Dum aliquis ergo pænitẽtiæ locus est, pertinax esse desine: nimis sera numquam vtilis est pænitentia. Hæc tibi significanda duximus, vt quid nobis in animo sit facere, non ignorares; ac te tuasque res ex vsu tuo tanto rectius posses componere.

Cum hac epistola, nõnullisq; muneribus, legatũ quemdã, ex intimorũ suorum numero, ad Inal-oglium principem misit. Is itinere magna celeritate confecto, ad Inal-oglij castra venit, eumq; lõga & lata quadã in planicie, copioso cum exercitu consedisse vidit; vnico dũtaxat intentum studio vastandi opida, Deiq; seruos misere torquendi. Itaque legatus harum intuitu rerum territus, vultu ad cælum erecto; Ab huius viri maleficiis, ait, tu quæso, numen optimum, totum orbem terrarum libera. Quibus dictis, vlterius est progressus. Interim significatum Inal-oglio fuit, missum a Sultano legatum aduentare. Sed is eum nullo propemodum habere visus est in pretio. Nihilo minus duo tresue tamdem Turcomani siue Nomades obuiam legato prodierunt, & exceptum ad Inaloglium deduxerunt. Is legato nõ nisi extremam manus partẽ porrexit, hæc verba ꝓfatus: Vbi nunc Muhametes est? Tum legatus epistolam ei mox obtulit: quã vbi pellegisset, ac verborum Muhametis sententiam satis percepisset; summopere iratꝰ, occidere legatũ voluit. Sed intercedentes ipsius proceres, legatos iure gentium inuiolabiles esse dixerunt. Itaq; Iasitziũ, vel ab epistolis quemdam arcessiri iussit, eique pręcepit, vt epistolæ Sultani responderet, in hanc fere sententiam:

Cur tu, Muhametes, talibus me litteris irritas? cur extra decori rationem huiusmodi me verbis compellas? Infans es, puer es: Sultani nomen vsurpando, nec regiones inuadere, nec manus extendere nimiũ debes. Nec est, quod dicas, me tuo capiti, tuo patrimonio, tuis rebꝰ insi-

insidiari. Mihi regnum hoc vindico, quo te profecto æquum erit excedere. Ceteroqui te protinus eiiciam, ipsumq; regnum ceteris regnis meis adiungam. Ni sponte tua cesseris, ni meo aduersari desieris instituto: equidem tibi denũtio, quamprimum ad pugnam vti te compares, quando tecum mihi negotium esse volo.

Has litteras Inal-oglius legato dedit, hero suo reddendas; qui mox acceptas ab internuntio resignãs, inter pellegendum nonnihil molestię cepit ex hostiliũ litterarũ indignitate. Quapropter animos procerum suorũ excitaturus, & spe beneficentiæ sibi conciliaturus insignis; Quicumq; vestrũ, ait, in pugna ceteros antecesserit, & acies hostiles dissipauerit: is supremo fauente numine nostris fruetur annonis ac stipendiis, & a nobis ad sublimiores ꝓcerum gradus euehetur. His dictis, tum ipsemet loricã & arma induit; tũ milites egregij Rumilienses, ab omnibus instructi rebus, & gladiis accincti, principis ad imitationẽ pugnæ se pararunt. Idẽ deinde continuatis diebus ac noctibus, donec matutino quodã tempore tãdem in campum siue planiciẽ peruenere, cui nomẽ Caz-abad. Ex altera parte Inal--oglius etiã Sultani aduentu cognito, mox equũ adscendit, factitantibus idem & Turcomanis ac Nomadibus, numero propemodum infinitis. Hinc Inal-oglius aciẽ instruens, per series & cohortes distinxit. Aduenerant cum Sultano mille tantummodo bellicosi milites, & nobilissimi quique superioris Rumiliæ proceres. Inal--oglius vltra XCIↃ Turcomanlerorũ Nomadum, qui selecti de XXCIↃ erant, secum habebat. Horum aciebus feroces inuicem sibi vultus obuertentibus, Inal-oglius ob exercitus Sultanini paucitatem inflatus, ac nescio quos sibi triumphos somniãs, nec illius diuini verbi memor, quo dici solet, vsu venire sæpius, vt victoria perexiguus exercitus aduersus ingentes copias potiatur; illico pugnãdi principium fecit. Vicissim Muhametes numerosas hostium series contemplatus, suorumq; paucitatem cum illorum multitudine conferens, nihil propterea territus, sed fiducia numinis sui fultus, arma suos expedire, gladios stringere, ferire aduersos iussit. Mox impetu concursum vtrimq; maximo. Sagittis eminus actum, gladiis cominus. Et hæc inter exercitus ambos pugna diem & noctem integram durauit. Tamdem auxilium diuini, ac fortunæ Sultaninæ faustissimum sidus emicuit, & Turcomanlerorum Nomadum exercitus insigni strage cæsus & profligatus fuit. Omnes barbari tam adparatus, quam impedimenta sua, cum annonis, & ceteris rebus necessariis, victori Turco reliquerunt. Inal-oglius victus aufugit. Vexilla, ceteraque Nomadum signa militaria, protinus humi prostrata deiectaque fuerunt. Omnes incolæ regni tam fœda peste liberati, lætitia gestiebant incredibili. Sultanus omnia, quæ ab illis XXCIↃ Turcomanlerorum relicta fuissent, prædæ militum exposuit. Deinde tam felici prosperaque potitus victoria, suum in tentorium, non exiguo gaudio perfusus, rediit; & magnanimos iuuenes suos, strenuosq; milites omnes perquiri iussit. Eo facto, nuntiatum fuit, nullum ex eis desiderari, sed omnino saluos & incolumes reuersos esse. Mox tamen animaduersũ, duos adhuc abesse, quorum vnus Tzal-oglij nomen habebat, alter Zagartzis Iacupes adpellabatur. Vterque Sultanis hactenus, patri ac filio, carissimus fuerat. Ideoque sollicitus de iis Sultanus Muhametes, inquiri iussit, quid iis accidisset. Tamdem intellectum, non extinctos, sed ab Inal-oglio captos, quo casu Sultanus admodum commotus fuit. Sed præter spem vnus eorum, e captiuitate liberatus, aduenit: alterũ Inal-oglius ipse libertati sua sponte restituit ac remisit. Gratꝰ Sultano fuit incolumis vtriusque reditus. Hinc motis ex eo loco castris, in amœnissimam planiciem peruenit, ibiq; castra locauit, & exhaustas suas suorumq; tantis laboribus vires nonnihil censuit recreandas.

Posteaquam victus a Sultano fuisset Inal-oglius, iamque nonnihil ipse Muhametes cum suis quiesceret: auditum fuit, Cosler-oglium fere cũ IↃ CCC Nomadum siue Zurcorũ familiis hinc inde migrantem, ad arcem Carachisarẽ consedisse; cuiꝰ opidum captũ iam teneret, arcẽ suorum copiis circũfusam obsidere cepisset. Nuntiatum quoque, p̄sidiarios arcis admodum deminutos, plebẽ reliquã inter se dissentire. Nonnullis videri, dedendam munitionem: alios ex aduer-

so dicere, non nisi p̄donē esse Cosler-oglium, qui aduentanti hodierno vel crastino die Sultano quas vires opponat, nō sit habiturus, sed in vnius fugæ p̄sidio spē omnem collocatur⁹. Postea Cara-Chisarinos apud Sultanum suū maxima laboraturos infamia. Res eo deniq; loco erant, vt ni succursum arci fuisset intra dies decē, ad summū; hostis in potestatē ventura videretur. Hæc quū Sultanus intellexisset, nō parum excādescens, veziribus arcessitis; Quid hoc, ait, esse rei dicā, ꝙ de subditis meis solliciti nō estis? cur hoste mearū arcium aliquā obsidente, nō ea de re certiorē me redditis? itane vestris ex animis regni curam omnē deponitis? Quis ille Cosler-oglius est, qui meam ditionem ingressus, arcem Carachisarem suorum corona Nomadū ausus est cingere? Tum consiliarij Sultano respondentes: vitam tibi longæuam, inquiunt, o princeps noster, & prosperitatem perpetuā optamus. Omnes inimici tui, qui regnum tuum hactenus ingressi, hostiliter sese gessere, tamdem cæsi profligatiq; fuerunt. Itidem fieri potest, vt Cosler-oglius tecum dimicare cupiens, haud a fine suo procul absit, huc a felici fortuna nostra pertractus. Etenim propitio numine, cum victricibus, ac diuinitus fortunatis copiis, in eum pergem⁹; hominem pro merito suo tractabimus, familiam ipsius omnem exstirpabimus.

His Sultanus auditis, nihilomin⁹ adhuc calente nōnihil animo p̄cepit; vt instructus omni exercitus adparatu bellico, mox in equos adscenderet. Quapropter a vespertino tēpore, ꝙ Ikindi Turcis est, noctē integrā in itinere consumserunt, ac postridie bene mane venerūt ad ea loca, q̄b. in locis hostē repererunt. Tū vero significatum Cosler-oglio fuit, adesse Sultanū, q̄ prœlio cū ipso cōgressurus esset. Probaret modo virtutē suam, reiq; militaris scientiā; tanti vt hostis impetū sustinere posset. Ab eo fusum fugatumq; principē Inal-oglium. Nunc in ipsum vires Muhametis omnes esse conuersas. Hęc audiens obstupuit Cosler-ogli⁹, & suos adloquēs: Subito parati sitis, ait, vt expediūdæ rei p̄senti remediū inueniamus. Nam mea quidē non alia sententia est, quā cum Muhamete mox dimicādum. Equidem antehac putabam, nos hoc opido capto, confestim & arce potituros; quā deinde cū nostris ingredi possemus, & aduersus hostilē impetum defendere. Nunc arce necdū occupata, foris obruimur. Itaque nihil restat aliud, ꝙ tuendis nobis vtilius fuerit; quā vt manum cum eis conseramus. Nā si maxime fugā arripiamus, inhærentes illi nobis a tergo, radicit⁹ nos exstirpabūt. At si pugnabimus, spes est, a nobis eos superari cædiq; posse. Necdum hęc verba prolocutus omnino finierat, quū ex improuiso vexilla cum lanceis accedere ꝓpius cōspicerent, tympanorum & tubarum strepitus audirent. Simul Sanzaco siue vexillo Sultani primario vident adiunctos vtrimq;, tā a dextra, quā sinistra milites illos Rumiliæ superioris maxime bellicosos. Aderant & Tzausij, q̄ Sultani laudes inter ꝓgrediendum decātantes, huiusmodi verbis celebrabant: Hic ille Padischachus est, Sultanorum totius orbis maximus, q̄ cōtinua serie maiorū, ab auis & abauis hanc dignitatem nanctus, hostem suum Inal-oglium cæcidit, Caradeuleti Schacho caput amputauit, Cubad-oglium & Cara-Iahiam prīcipes aufugere coëgit. Hinc ambo Sultanini exercitus latera, tam dextrum, quam sinistrum, per series & cohortes, cum alis suis, ordinata fuerunt, & instructa. Sultanus interim coniectis in hostilem exercitum oculis, eum ad dimicandum paratum vidit. Nihil hoc ei gratius accidere poterat. Ideoque statim ad dextram læuamque respiciens, & suis innuens; Irruite, dixit. Tum vero pugnaces illi Rumiliæ superioris milites, instar luporum esurientum, qui greges ouium & pecudū inuadunt, in medias hostium acies adactis equis irruperunt, easq; disiectis hinc inde seriebus & cohortibus, soluerunt ac dissiparunt. A primo diluculo, ad meridiem vsq; pugnatum. Cosler-oglius ipse videns, nullum Sultaninos pugnandi finem facere; fractis viribus, aduersus hostes amplius subsistere nullo modo potuit, quod diutius exspectaturo certā animaduerteret imminere p̄niciem. Quapropter inita sine vlla dilatione fuga, relictisq; illic impedimētis & reb. suis vniuersis; aliā in regionē se recepit. Exsultans victoria Sultaninus exercitus, quas hostis fugiens omnis generis opes & spolia post se reliquerat, diripuit. Viri militares, & magnanimi

iuuenes

iuuenes, ampla potiti præda, singulari cum animi voluptate castris motis, paullatim ad vrbem Tocatam redierunt; & præteritorum obliti malorum; ibidem ad aliquod tempus se quieti necessariæ dederunt.

Hærente vero, post sedatas Goslereoglij turbas, ad vrbem Tocatã Sultano Muhamete, genioq; suo nõnihil indulgente: pter exspectationẽ quidam venit, & in Sultani cõspectũ admissus, humi pro more Turcorum, ipsius ad pedes se prostrauit, & quã secum adferebat epistolã, Sultano reddidit. Eius hæc erat sententia: Kiupec-oglium principem ditiones Muhametis ingressum; opida depopulari, villas destruere, familiã suam cũ Nomadib. in planicie, cui nomẽ Artuc-oua, sub tẽtoriis habere. Nec aliud quidquã moliri hominẽ, quam vti Sultanũ Muhametem regno pelleret, idq; sibi vsurparet. Virũ improbum, & prędonẽ Turcomanũ esse; qui hactenus ab inuasione regni grauia damna colonis intulerit. Ni mature Sultanus opẽ suis ferat, illã regni partẽ prorsus amissurũ. His Sultanus auditis, vehementer animo cõmotus: Nouum, ait, o beglerbegi, detrimentũ nobis infertur. Festinate quæso, rebus ab omnibus instructi sine mora pergite, Kiupec-oglium opprimite. Simul apertis oculis vigilãtes estote, ne Deo cõmodam rei gerendæ occasionem suppeditante, vos eam ignauia secordiaq; vestra negligatis. Caput ipsum tota cũ familia capiamus, exercitũ dissipemus. Quibus dictis; ipsemet in equũ adscendit, factitantibus idem & aliis strenuis viris: nec intermissa vel interdiu vel noctu pfectione, tamdem matutino tempore campum ad illum peruenerunt, cui nomen esse diximus Artuc-oua, & in quo cõsedisse prædonem Kiupec-oglium monuimus. Is autem securus rerũ omnium, iam suam in potestatem redactam regionem vniuersam existimabat, & istic in otio summo castra metatus hærebat. Quapropter hostium aduentu subito territus surrexit, ac præter opinionem vidit, a Sultani se iam vndique cinctum militibus, parare nullam posse defensionem. Vidit idem totus ipsius exercitus, ideoque dumtaxat in hoc vnum intenti, semet vt vitæ discrimini eriperent; impedimentis omnibus neglectis, in equos insilierunt, & celerrima fuga saluti consuluere. Sultanus familias eorum militi suo diripiendas cõcessit. Vix dici potest, quam opima præda militum vulgus etiam collocupletatum fuerit. Itaque numini gratias agẽtes, & tam prospero successu facti multo, quam ante, confidentiores; Tocatam versus redierunt, & ibidem optatæ se quieti, re bene gesta, dederunt.

Secundum hęc rursus accidit, vt Sultano suis cũ consiliariis & begis hilarẽ sumente diem, quidam inopinato veniret; vultuq; ad terrã prostrato, & conceptis pro eius incolumitate felicitateq; precibus, in hanc eum sentẽtiam adloqueretur: Quamuis, o rex, hactenus omne regnum hoc diuersorum ab inimicorum vi defensum, ita periculis ab omnibus liberasti, felicis vt administrationis tuæ tẽpore coloni tranquillitate fruẽtes, & securi, Deum tua pro salute supplices inuocent: tamen restat adhuc prædo quidam, nomine Mesites, qui templum in opido Siuaste, cum aliis ædificiis a Temurlenco dirutum, quod Sultani templum vocant, instar arcis sibi delegit ac muniuit: vnde semper exit, & in circuitu latrociniis suis agros depopulatur, nec mediocribus regnũ damnis adficit. Aduentante vero nocte suum illud in templum se recipit, & ibidem se, cum suis, quiete reficit. Nobilis omni genere maleficiorum est filius hic meretricis, (sic loqui de infesto sibi solent homine Turci, Cachpoglium per contemtũ adpellantes) cuius ab iniuriis ni Sultanus ipse regnum vindicauerit, magna suis grassationibus adhuc damna daturus est.

Hæc quum Sultanus audisset, graui perturbatus indignatione animi, partes in omnes circumspexit. Erat e proceribus ei quidam intimus, quem Baiasitem Bassam vocabat. Valde familiariter hoc homine, sibi gratissimo, vtebatur; & eũdem in vezirum suorum numerum rettulerat. Huic arcessito mãdauit, vti cum suæ fidei creditis copiis prædonẽ illum Mesitem vel spõte sua se dedentem, vel inuitum vi abriperet, vinculis constringeret, ad Portam suam adduceret. Si tamen is volens se Baiasiti bassæ traderet, a maleficiis abstineret, & anteactorũ pænitens, ad Portam Sultani se conferre, fidelemq; nauare Muhameti vellet ope-

ram; illustri potiturum officio, magnasque cōsecuturum annonas, diceret. Sin obstinato resistere pergeret animo, capitis discrimen aditurum. Itaq; te volo, inquit, o Baiasites, hoc cum dexteritate curare negotium; adhibitaq; diligentia cauere, ne qua Mesites possit elabi; sed totū in hoc esse, tuam vt in potestatem redigatur. Baiasites intellecto Sultani mandato, mox alacri se ad iter accinxit animo; coactisq; copiis suis, in Mesitem profect⁹ est. Is vero Baiasitis aduētu bassæ cognito, fugā arripuit; & arcem suam ingressus, ad defensionem se cōposuit. Itaque Baiasites initio Mesitem blandis & beneuolis admodum verbis ad colloquium inuitauit, eique gratiam Sultani Muhametis obtulit, ac dignitates amplas, opimis cū salariis, promisit. Nihilo minus respuit hæc Mesites, & obœdire recusans, tēplum illud in arcis formam redactum munitumque, vigilantib⁹ vndiq; dispositis excubiis custodire, contraq; vim Baiasitis bassæ propugnare cepit. Baiasites hac via sibi rem non succedere videns, nec Mesitem blandis illici posse verbis, vti se dederet: admouere vim, & in ambitu tēpli agere cuniculos instituit. Hoc quū Mesites fieri videret, exitūq; tamdē hunc fore cuniculorum animaduerteret, vti subterraneo meatu Baiasitis bassæ milites meschitā ingressi occuparēt: in altiorē tēplo adiunctā turrim adscendit, & summis inde viribus ad aliquod se tēpus defendit. Itaq; Baiasites oppugnanda turri parū ꝓficiens, in ambitu turris ignes maximos a suis accendi iussit. Tū vero Mesites omni spe defēsionis abiecta, volens nolens e turri descēdit, & capt⁹ a Baiasite bassā, vinculisq; constrict⁹, ad Sultanū Muhametē adductus fuit. Is homine cōspecto nō parum gauisus est. Hinc agi ceptū de supplicio, ꝙ statuendū in Mesitē esset. Vezires omnes, & omnes proceres Palatini, quos Begos Portę vocāt, iugulandū censebāt. Sultanus autē, cōpellato Mesite: Quid ais? inqt. Damnant te mei ꝓceres, & populus vniuersus de tua nece loqtur, teq; capitis anquirit. Mesites humi demisso capite: Vile sum, ait, maiestatis tuæ mancipiū, vinculis hisce cōstrictum. Qui volet, pœna me capitis adficiat. Et hęc quidem hilari vultu ab eo ꝓferebātur. Itaq; Sultanus, ꝓspecto viri animo forti & generoso, Mesitis misertus, omnē ei culpā remisit. Simul eum non exigua pecuniæ summa, cū vestimētis honorariis, & egregiis eqs, liberaliter donauit. Hoc modo in numerū militarium suorum ꝓcerum relato, dirutā superiorib⁹ annis ꝓximis a Temure Chane Siuasten, tota cū ꝓuincia, cōmisit & tradidit; vt eo ꝓfectus, vrbem instauraret, regionē colonorū copia magis habitatā efficeret. Mesites vero talem ac tantā Sultani benignitatem expertus, toto se pectore atq; animo clientelæ Muhametis addixit, & summa fide ac diligētia paruit in omnib⁹, quæ libitū ei fuisset imperare. Nec minus erga Baiasitē quoq; bassam gratum se gessit.

Quum autē reb⁹ in hunc modū a Sultano Muhamete singulari cū ꝓsperitate gestis; incluta principis fama, generosus & fortis anim⁹, cū tot illustrib. victoriis, celebrari toto cepissent orbe, iāq; transuolassent omnes Arabū, & ipsius Persidis regiones: forte Tatar⁹ qdā ad Temurem Chanem, in Aidinia ꝓuincia cum suis hibernantē accessit, eoque compellato: Non est, ait, o rex, hodierno die qsquam in orbe terrarum inter omnes viros bellicosos & pugnaces, qui cum Sultano Muhamete comparari mereatur. Longe patrem virtute superat, adeoque verum vt fatear, & hosti suam quoque laudem tribuam, magnanimus est, & agendis rebus acerrimus; a quo plurimis tuorum recisa fuerunt hactenus capita, quotquot in eum, ditiones ingressi, quas possidet, inciderunt. Caue iuuenem neglexeris, a quo vel ipsi tibi sit aliquando metuendū. Fortassis etiam fieri possit, vt te profectionem ad illos susceptu- rū fines, nullo progredi modo patiatur.

Hæc quum Temur audisset, non parum licet animo cōmotus, omni tamen studio & industria, quod ex hoc sermone accepisset animi vulnus, dissimulauit: secum interim tacitus, Vtinam Sultanum hunc astu & vafricie quadam illectum, meam in potestatem redigere possem. Hinc obfirmato in cogitatione de insidiis Muhameti struendis animo, suorum in præsentia, dum cibum capiens mensæ adsideret, magnas Sultano Muhameti laudes tribuit, & omnia fausta feliciaq; precat⁹ est, hæc etiā verba ꝓlocutus: Equidē Sultanū hūc Muhametem amore singulari, virtutis & indolis

indolis suæ causa, prosequens; mirifice coram videre desidero. Si cõuenire nos voluerit, magnus ei honos a nobis exhibebitur, filij loco adoptabitur, quidquid petierit, impetrabit. Nunc legatum amplis cum muneribus ad eum mittemus, vt si quidem inuitatus ad me venerit, regni totius administrationem eius fidei permittam; Baiasitem patrem, ipsius causa, libertati restituam; generum denique Muhametem, collocata in matrimonium filia, mihi deligã. Quum hanc animi sui sententiam Temur in conuiuio, ceu dictum, aperuisset: eadem nocte Gilderunem Baiasitem ad se deduci iussit, & præclare gestas a Sultano filio res ei narrauit: profligatos nimirum diuersos & plures exercitus, cum aliis animosis facinoribus. Addidit & illa, quæ Temur ipse Muhametis ornandi causa facere secum constituisset. Ad ea Gilderun Baiasites respondens: Absit vt filius meus, ait, huiusmodi quædam tentet. Simul Temuri dissuadere conatus est, ne quid tale de filio suo Muhamete crederet, neue talibus eum honoribus adficere cogitaret. Sed quum ipsius orationi vires ad dissuadendũ idoneæ deessent; tamdem ait, imperandi potestatem penes Temurem esse, faceret ipse quidquid vellet. Interim Temur, vt patrẽ & filium magis inescatos circumueniret, sacramento se graui obstrinxit, & sancte pollicitus est; nullam se Sultano Muhameti, quum aduenisset, illaturum iniuriam; sed amanter amplexurum, filiæq; matrimonio cohonestaturum, & ipsum Baiasitem in regnũ suum remissurum. Hæc sancte seruatum iri, multis Baiasiti verbis Temur ita persuasit; vt ei deniq; fidem adhiberet. Eaq; de causa scriptæ ab vtroque ad Sultanum Muhametem fuere litteræ, quibus illi auctores erant, ad Temurem vti quamprimum veniret. Habebat Temur inter alios proceres quemdam, ab intimis sibi consiliis, cui nomẽ Hozza Muhametes. Ei datæ fuerunt in manus hæ litteræ, Muhameti reddendæ, cum maximi pretij vestibus honorariis; vt arcessitum secũ adduceret. Abiit Hozza Muhametes amborũ cũ litteris, & missis a Temure munerib⁹; ac tamdem itinere cõfecto, iam a Porta Sultani non procul aberat. Tũ vero quidam aduentũ legati Sultano nuntiantes: Legatus, aiebãt, a patre tuo, Temureq; Chane, propediem adfuturus est. Quo ille nuntio non parũ exhilaratus, suis intimis præcepit, vt obuiam legato prodirent. Dictum, factũ. Insigni cum honore legatus a Sultani procerib⁹ exceptus, & idoneo maxime loco, quem ei metatores adsignauerant, in hospitium deductus fuit. Finitis hinc omnibus, quæ ad legatos ciuiliter excipiendos initio dici, non absque mentione quorumuis officiorum, solent: conuiuium Sultanus instrui iussit, & oratorem ad se inuitatum, honore singulari adfecit, & epulis adhibuit. Is vicissim Sultano patris ac Temuris nomine salutem plurimam dixit, ambas obtulit epistolas, quæ voluntas ipsorum esset, quod videndi Muhametis desiderium, cum aliis plurib⁹, quæ in mandatis habebat, exposuit.

Secundum hæc senatus habitus, deq; profectione Sultani Muhametis ad Temurem Chanẽ deliberatũ fuit. Omnes vezires, suo quisq; loco, rogati sententiã dixere, cum ceteris Portæ procerib. siue begis; & rationibus ostẽdere viuis ceperunt, ne quidẽ Muhameti pedem efferendum, vt iter hoc anceps, plenumque discriminis, ad Temurẽ susciperet. Atq; adeo tã constanter in hac sententia persistebant, vt etiam dicerent, si quidẽ vrgere Sultanũ vellet Temur, & adhibita vi ad comparẽdum cogere; potius in altorũ vt ipsi montiũ receptus & asyla semet abderent, donec iis e regionib⁹ Temur cũ suis excessisset. Sultanus autem, hoc Vezirũ procerumq; suorum intellecto cõsilio, recusauit in eorũ ire sententiam, planeq; decreuit, omni modo Temuri hac gratificandũ profectione, quãdo necesse sit dubio ꝓcul impleri, quidquid ex supremi numinis ꝑdestinatione supra Muhametis ipsius caput, adeoque (verbis ipsis Turcorũ vtimur) in ei⁹ fronte perscriptũ esset. Quum vezires & begi, se Muhametis iter ad Temurẽ nullis posse rationibus impedire viderent: obtemperandũ ipsius voluntati, sic exigẽte necessitate, statuerũt: & maximis donis, quibus ipsum Temurem coleret, secum sumtis, ad iter se compararunt. Hinc comite legato relicta Tocata, primum Amasiam peruenerunt, ibique diebus aliquot, epulis & genio nõnihil indulgentes, hæserunt. Amasia discedentes, ad

Osmanzuca. Vandeck. cap. 19.

opidulum Osmanzucam perrexerunt, & noctem illic exegere proximam. Osmanzuca Deruasen itum, quam priscis Deruen Cappadocum esse, sitã in Ponti prouinciæ finibus, supra monuimus. Tum vero rumor in ea regione diditus fuit, Sultanum Muhametem cum non magno comitatu, ad Temurem begum proficisci. Quod vbi Cara-Iahiæ quoque nuntiatum principi fuisset, singulari gaudio perfusus, veluti qui peroptatam vindicãdæ prioris infamiæ suæ nanctus esset occasionem, statim Abdulla socio copias principis Isfendiaris colligens, in prorsus ignarum & imprudentem Sultanum irruit. Is autem conspecto Iahia, subridens: Quid dicam, ait? an infamis ille Cara-Iahia, semel a me tam misere tractatus, me rursus audet adgredi? Verecundia caret omni, pudoris expers est, famam & existimationem suam negligit. Omnino nobis castigandus erit, vt semetipsum adgnoscat. Hinc copiis suis innuens, Ne sceleratum hominem dimiseritis, ait. Vix effatus hæc verba fuerat, quum statim milites ipsius & acinaces stringerent, & equos admotis calcaribus excitarent, & in Cara-Iahiam irruerent. Cæsi mox eadem hora complures ex Cara-Iahiæ copiis. Ipse Cara-Iahia rursum profligatus aufugit. Sultanus inde mouens, ad locum diuertit, cui nomen Mirtas-abada. Degebat istic regulus quidam Tatarorum, quem Alim begum nominabant, & alio vocabulo Sautzi-oglium. Vir crudelis erat, & sanguinarius. Is aduentu Sultani cognito, suas collegit copias. Habebat secum hominem quemdam improbum, longeque malitiosissimum, & astutum inprimis, quem Atzim Mustapham adpellabãt. Eum legati specie misit ad Sultanum, vt copiarum ipsius numerum exploraret, tanto tutius vt adgredi possent, quod instituerant. Sed prius, quã is Sultani copias explorare potuisset, quæque cognouisset, Ali bego renuntiare: deprehensa fuit a Sultano fraus omnis & impostura, qui statim sumtis secum mille florentis ætatis iuuenibus; Alim begum opprimamus, inquit. Simul a tergo legatum secutus est itinerib⁹ maximis. Alis begus impetu Sultani, quo suos inuadere soleret hostes, intellecto: non ausus venienti semet obiicere, mox eodem momento fugam arripuit, quo Sultanum aduentare cognouerat. Is vero delatus ad Alis begi domicilium, & hominem fuga suis e manibus elapsum videns, nihilo minus qua celeritate maxima poterat, fugientem insecutus est, & in arcem Selanicem recipere se coëgit. Sultanus vero, consideratis iis, quæ ipsi hactenus illo euenissent itinere; varias animo cogitationes cõcepit, rebusque diligenter examinatis & expensis, tamdem iter hoc suum ad Temurem intermittere statuit; & cum suis ex eo loco mouens, occasione quadam arrepta, sic progredi cepit vlterius; vt a recta via deflecteret, ac montuosa loca petens, sub ipsis montibus iter faceret. Quumque peruenisset in siluam quamdam, ex equo descendens, ibidem substitit. Inde iusso aduocari legato, epulum dari voluit. Medio deinde in epulo mentionem earum aduersitatum faciens, quæ hoc ipsis itinere contigissent, adpellato Temuris oratore: Vides, ait, quæ mihi ad Temurem proficiscenti tam contumeliæ, quam iniuriæ factæ sint. De quibus equidem colligo, si pergere velim ad Temurem, qualem fabula finem sit habitura. Breuiter vt tibi mei sententiam animi aperiam, cautioni & formidini meæ cedere cogor, quę vlterius me progredi vetant. Itaque me velim hoc vnico tibi deuincias beneficio singulari, vt qui mihi casus accidere, Temuri diligenter exponas; quali modo Tatarus ille proximus in itinere me tractarit, & Cara-Iahia quid fecerit. Patri etiam meo salutem meis verbis plurimam dices. Equidem de meis etiam tibi quemdam adiungam, qui & ipse meo nomine veniam a Temure bego petat, ac me apud ipsum excuset. Habebat secum Sultanus insignem virum, doctum, prudentem, fidelem, cui nomen erat Sophis Baiasites. Is præceptoris officio fungens, in litteris Sultanum erudiebat. Hunc igitur oratori Temuris adiunxit, ambobus litteras dedit, vtrique reuerenter ac modeste valedixit: fausta simul omnia quum Temuri bego, tum patri suo precatus.

Hoc modo diuisis itineribus, hi duo versus Temurem profecti sunt: Muhametes cum suis per altissimos ire montes instituit. Quum ad Portam Temuris præce-

præceptor Sultani Muhametis, & Hozza Muhametes legatus adpulissent; statim increbuit, ipsummet quidem Sultanum non venire, sed eius magistrum, Hozzæ Muhametis legati hoc in itinere comitem, adesse. Hi vero Temuris in conspectum admissi, posteaquam Temuri tam suo, quam Sultani nomine, debitos honores, solitamque venerationẽ exhibuissent: Sultani litteras ei mox obtulerunt, quæque dici Temuri voluisset, exposuerunt. Temur inprimis Sultani litteras sane quam honorifice ab his accepit, simulque recordatus, patrem Sultani, Gilderunem Chanem, e sæculo mortali ad immortale commigrasse: Deus, inquit, optimus maximus Sultanum vita longæua beet, prosperamque valetudinem ei concedat. Migrauit autem Gilderun Baiasites ex hac vita post extinctum prophetam Muhametem anno ꟾↃ. CCCC. V.

An. 1404. Secundum hæc retinuit apud se Temur Sultani Muhametis magistrum, Sophim Baiasitem, nec ei potestatem redeundi ad principem suum fecit. Litteras tamen ad Sultanum dedit, eumque de morte patris certiorem reddidit. qua cognita, cum eiulatu Sultanus acerbissimum sibi casum deplorauit, & diebus aliquot pullatus incessit. Inde conuenere proceres, ac principem ita consolati sunt; vt luctu nonnihil intermisso, vestimenta Sultanis visitata resumeret. Hinc itũ, occepto more, per loca montuosa; necdum desinente Sultani luctu ac dolore, quo propter obitum patris excruciabatur. Interim Temur regiones hasce, Germeanum, Saruchaniam, Aidiniam, hinc inde grassando penitus vastabat: vtriusque sexus incolas adultos in seruitutem redigebat: ætatem inutilem neci dabat.

Çadauer Gilderunis Chanis Temur in opido Ac-scheher, Græcis Aspropoli, reliquit: ac ibidem Iacupi bego Germeanoglio præcepit, vt si Muhametes Baiasitis filius eo veniret, ac patris cadauer, cum Musa Zelebi fratre, qui hactenus fuerat in Temuris potestate, cum patre captus, repeteret; vtrumque petenti restitueret, quod ita Gilderun Baiasites in extremo voluntatis elogio fieri voluisset. Deinde motis castris Temur in Tatarorum regiones profectus, etiam illorum agros depopulatus est, ac tamdem in regnum suum rediit.

Quo vero tempore Temur ex Asia mouens, vt in Persidem reuerteretur, ad vrbem Erzintzanem accesserat; quodam in opido Sultanus Muhametes erat, quod a Turcorum historicis Erusse vel Erisse nominatur, a Græcis Rizæum. Erisse, Rizæum. Et refert hoc imperator Leo Sapiens in nouella de Thronis ad metropolim Neocæsariam, quam vrbẽ paullo ante non tantum hodiernam Turcorum Niksariam esse, velut Niokesariam; sed etiam id temporis in huius Sultani Muhametis ditione fuisse, ostendimus. Conuenerat eo loco Sultanum Muhametem Iacupis begi Germeanoglij filius, Emir Iacupes; vt ei dolorem suum in obitu patris Baiasitis testatum faceret, & hoc in luctu consolationem adhiberet, ac manum etiam honoris causa deoscularetur. Mansit illic ad tempus aliquod is, quem diximus, Germeanensis princeps Emir Iacupes, in comitatu Sultani Muhametis; propter Baiasitici funeris exsequias, quæ Turcorum ritu & instituto, quam sumtuosissime celebrari solẽt; animalibus etiam mactatis, coctisque cibis copiosis, vt epulum funebre quibusuis præberi possit, quemadmodũ paullo post, libro sequenti, latius exponetur. Et in hac curatione rituum cærimoniarumque funebrium, suas vterq; Sultano Gilderuni libauit lacrumas; qui pro more Turcorum ab eo tempore dictus fuit, etiam historicis, Hodauendicar, veluti beatus Dei seruus; titulo magnis a morte viris apud eos familiari.

IO. LEVNCLAVII

HISTORIAE MVSVLMANAE TVRCORVM LIBER NONVS.

ISAEVS.

XPOSITVM præcedenti libro, quid interregni tempore gestum aduersus hostes Turcorum publicos a Sultano Muhamete, Baiasitis filio, fuerit. Nunc ad reliquas eiusdem interregni confusiones, & ipsorum inter se fratrũ lanienas accedamus; quorum Turci res, ciuilibus hisce bellis gestas, recitant illi quidem; sed ita, neminem vt inter hos tres, Isam dico, Suleimanem, & Musam, pro legitimo Turcorum principe adgnoscant, vti deinceps adparebit; sed tum demum interregni finem fuisse statuant, quum ceteris extinctis, ad vnum Sultanum Muhametem rerũ apud Turcos summa, post decimum plus minus interregni durantis annum, tamdem rediisset. Dictum vero libri superioris initio; de Turcorũ sententia, primum inter omnes fratres Isam begum, patre capto, regnum ambiuisse, regiæq; loco mox interceptam Burusam vsurpasse. Tenuit igitur hanc Isa begus finitimis cum prouinciis, ad hoc ipsum tempus vsque, cuius modo res gestas exponimus, in mediocriter quieta sane possessione, vel quasi possessione; donec frater longe natu minor, Sultanus Muhametes, in hæc loca profectus, Isæ begi recens adquisitam possessionem interturbauit; sequentibꝰ inde rebꝰ iis, quas deinceps explicabimus. Accepta vero lectores hæc quoque referent Haniualdanæ Dragomani Muratis historiæ, quæ sola nobis horum temporum memoriam integre cõseruauit.

Itaque curato paterno ad opidum Erissen funere, quum diutius ibidem Sultanus Muhametes hæreret; monere vezires ac proceres eius ceperunt, minime locum illum esse idoneum, in quo subsisti diutius posset, ne forte barbaris ab hostibus illic quærerentur. Adscendendos potius inferioris Asiæ montes altissimos, quos experturi tutiores essent. Quare motis inde castris, ad opidum Mudurnen vsq; descendentes accesserunt. Id situm in Bithynia, priscisq; Modrenen fuisse dictum, primis huius historiæ libris ostendimus. Illic Sultanus ad aliquot dies mansit, omnibus interim colonis eorum locorum ad ipsum confluentibus, & prosperos ei rerũ successus optatibus: erga quos vicissim Sultanus perbenigne se gessit, & magnam ex eorum integritate simplicitateq; voluptatem cepit.

Hinc Muhametes vlterius pergens, Burusam eundum statuit; quam ab Isa diximus occupatam, regiæque loco delectam fuisse, quum tyrannidem inuaderet. Hoc itinere reliquas Sultani copias Emir Iacupes, princeps bellicosus, & exercitus imperator, antecedebat. Quum progrediendo montis ad Ermeni, quem veteres Orminium vocabant, Derbentum vel angustias peruenissent: inaudiere, Sultani fratrẽ, Isam begum, cum copiis eo profectũ, aditus illarum angustiarum, quos sua Turci lingua Capi Derbent, siue portam angusti transitus adpellãt, occupatos suo tenere præsidio. Id vbi Sultanus intellexisset, monuit fore tutius iter, ac securius, per vallem, quam Domanitzim modo nominant, veteres adpellasse Domanitidem videntur. Quamobrem consilio Sultani obtemperatum. Nec multo post, directo versus illam vallem itinere, cõspexerunt in ipsa profectione copias Isę begi, quæ ante ipsos angustum illud, quod diximus, iter occupatum obsidebant. Itaque simulantes Sultanini milites, Isæos se non videre; viam illam, quæ ad indicatam vallem ducebat, tenuerunt.

Isæi

Isæi quoque, tametsi Muhameticos suis conspicerent oculis, non tamen in eos pugnare fuerunt ausi; sed suo se loco taciti continuerunt. Hoc modo factum, vt absq; cuiusquam impedimento Sultanini dictam in vallem transirent. Hãc ingressi quum essent, compellato Sultanus Emire Iacupe Germeanoglio: Deinceps, ait, ad auunculum tuum nos deducito. Nam nisi quamprimum eo perueniamꝰ, regnum adquirere nullo modo poterimus. Quapropter itinere festinato, ad Einem begum Subassam, Iacupis begi auunculum, se contulerunt. Hic autem Eines begus, Subassæ munere fungebatur in opido Bali-kesre; quod superioribus libris, & in * Pandecte, non vitiato nomine Græco Palæocastron dicendum, & in Asiatica Mysia situm, indicauimus. Quum Eines begus de Sultani aduentu accepisset, obuiam ei prodiit, sericumque purpurei coloris pedibus equi Sultanini substrauit; atque hoc modo Sultanum Muhametem, summo exceptum honore, in opidum Palæocastrum deduxit: vbi dies aliquot se cibis & potu, ex itinere longinquo & difficili, commode refecerunt.

*capite 23.

Quum autem e re sua minime futurum ducerent, si diutius illic hæsissent: motis castris, & amplioribus coactis copiis, in locum profecti sunt, cui nomen † Vlubada, de Græco Lopadio factũ. Ex altera parte, quum Isa begus de Sultani aduẽtu cognouisset: & ipse collecto exercitu, versus Vlubadam profectus est, & ab illa opidi parte, quæ Burusam spectat, castris metandis locum cepit idoneum. Sultanus autem Muhametes fratrem Isam cum exercitu vicinum, & pugnæ cupidum videns; suos ad concilium vezires ac proceres aduocauit, vt quid agendum esset, aut quo prœlium committendum modo, deliberaretur. Eines begus Subassa minime prœlio decernendum censuit, nec manus vtrimque cognato sanguine polluendas; sed amica potius transactione rem omnem componendam, & gratiam fratrum reconciliandam, hisce propemodum legibus: vt Burusa, cum regionibus vltra Burusam sitis, Sultano Muhameti cederent: inferiores vero prouinciæ, Aidinia, Saruchania, Germeanum, Carasia, Caramania, cum ceteris ad eas pertinentibus, Isæ bego possidendæ traderentur. In hanc sententiam scriptæ ad Isam begum litteræ, per internuntium ei missæ fuerunt. Is eas ab internuntio redditas pellegit, & quid eis contineretur, animaduerso: Frater, ait, natu maior sum, thronus regius ad me pertinet. Muhametes adhuc adulescentulus, ac pæne puer est. quo iure sibi vindicare velit imperium? Sed enim paucis rem omnem expediam, ad prœlium se comparet: videbit, vt ipsum regno sim eiecturus. Hoc Isæ begi responsum legatus ad suos reuersus, principi suo Muhameti rettulit. Itaque Sultanus ad Einem begum Subassam conuersus: Ergo nullam, inquit, prætexere causam possumus amplius, quo minus absque dilatione manus cum Isa conferamus. Vtut se res habeat, culpa quidem, & improbitas omnis, a nobis abest. Quibus dictis, egregios Rumiliæ superioris milites, quos secum adduxerat, paucis admodum verbis ad pugnam viriliter ineundam excitans: Magnanimi mei milites, ait, nunc equidem videre vos egregia militari manu facinora patrantes cupio, remque sic in hostem gerentes, vt hactenus eximia virtus illa vestra facere consueuit. Non minor etiam ab altera parte militum erat alacritas, adeo quidem, vt exercitus ambo quasi furore quodam perciti, mutuas in cædes maximo cum impetu ruerent. Erant acies vtrimque iam per cohortes & series instructæ, ac dispositæ: milites in campum dimicaturi prodierant: adpariturum mox erat, vtri parti cessuræ tam opes essent, quam opum felix illa parens victoria. Primus armis admouit manum Sultanus Muhametes, acinacem strinxit, adacto calcaribus equo medium in campum prouectus est: quod quum pugnaces illi Rumiliani milites a principe suo fieri viderent, equis vno concitatis impetu, coniectis in hostes oculis, instar furiosorum leonum mediam in aciem aduersam irruerunt, vtrimque series & ordines eius disiectos dissiparunt, complures ad terram prostrauere milites, nec pauciores neci dedere; capita resecuerunt, profudere sanguinem: a primo deniq; diluculo ad meridiem vsq; pugnarũt. Tam atroci concursum vtrimq; duobus ab exer-

† Pandect. cap. 16.

citibus hisce Sultanicis prœlio, neuter vt ab altero faciem auerteret, neuter alteri terga daret. Tamdem quum satis diu vim & impetum alterorum alteri sustinuissent, diuini fauor ac benignitas numinis a Sultani Muhametis partibus stetit: Isæ begi exercitus, qui diutius hosti resistere non poterat, fugam spectare cepit. Nihilominus redintegrare pugnā conabatur Isa begus, quibuscumq; poterat omnino viribus; ac licet in summo discrimine res versari suas, ac vires suorum defecisse conspiceret: tamen & boni ducis, & promti manu militis munus obibat. Vnde factum, vt in illa promiscua pugna, diuino quodam fato, præter ceteros, Einem quoque begum Subassam, virum bellicosum, & strenuum militem, gladio cæsum interimeret, ac Sehidorum siue beatorum cœtibus adgregaret. Ad extremum tamen a suis se desertum videns, & ipse fuga sibi consuluit, ac vicini maris ad litus properans, incolumis & saluus ad mare peruenit, nauem ingressus Constantinopolim traiecit, Teggiurem siue principem Constantinopolitanum adiit, eidem oblata opera sua, in cliētelam se dedit. Ab altera parte Sultani milites inter alios Temurtasem adsecuti ceperunt, & suo principi captum obtulerūt. Sultanus adhuc primo feruens iracundiæ calore, vindicandæ suorum, ac præsertim Einis begi necis causa, caput ei præcidi iussit, & corporis truncum ab arbore suspendi. Caput, vt erat amputatum, Emiri Suleimani fratri suo cum litteris misit, in quibus perscriptum erat, quo modo copias Isæ begi cæsas fugasset, ipsumque profligasset Isam: cuius rei testandæ causa, caput hoc Temurtasis ei mitteret. Quum autem fugæ se dedisset Isa begus, milites Sultanini a principe suo petierunt, vt eius persequendi, ac (siquidem ita fieri posset) capiendi quoque facultatē concederet. Sed hoc Sultanus ab se non passus est impetrari, victorū dumtaxat impedimentis, & rebus a tergo relictis, in prædam militi suo concessis; qui spoliis hisce ditati mirifice fuerunt.

Posteaquā Isa begus aufugiens, Constantinopolim fuisset ingressus, & hoste Sultanus in Asia liberatus, toto se iam potitum imperio crederet: immensas Deo gratias egit, & iis e locis hilari castra mouens animo, ad vrbem Burusam accessit. Mox obuiam ei cœtus omnis doctorum, & legis peritorum, cum populo Burusæo progressus, magna cum celebratione laudum ipsius, nec minore veneratione Sultanum excepit, inq; regium patris sui thronū auspicato collocauit. Inde diebus aliquot ibi mansit, & læto cum suis eosdem exegit animo: quum variis populum donatiuis liberaliter sibi cōciliaret, ac laudabili morum elegantia quosuis in amorem & obseruantiam sui pelliceret. Hinc abductis Burusa militibus, Isnicam profectus est, quam ciuibus vltro se dedentibus, statim occupauit. Perrexit inde Genischeherem, quam Græco vocabulo Neapolim dixeris; ibique rursus ad aliquot dies hæsit. Quippe vicinarum incolæ regionum, puta Carasinæ, Saruchaniæ, & Aidiniæ, cum ipsis etiam militibus, ad eum confluebant: vt & fausta feliciaque nouo ipsius principatui precarētur omnia, & summa fide ac beneuolentia semet eius imperio summitterent.

Secundum hæc scribi litteras Sultanus Muhametes ad Iacupē begum Germeanensem iussit, quib⁹ ab eo petebat, vt Gilderunis patris sui reliquias siue cadauer, vna cum fratre suo Musa bego, sibi mitteret. Has litteras, quas Sultanus Muhametes opera cuiusdam e suis reddi curauit, quum primum Iacupes begus accepisset; absque mora Muhametis vt voluntati ac desiderio satisfaceret, dictas Baiasitis Chanis reliquias singulari adparatu & reuerentia Burusam, cum Musa Zelebi, Baiasitis filio, Muhametis fratre, transmisit; & quosdā e suis idoneos homines adiunxit iis, quos Muhametes huius negotij curādi causa miserat, vt deducendo funeri adessent. Hi commendatum sibi munus exsequentes, Burusam deportauere cadauer, vbi monumento regio fuit illatum; lectusque supra sepulcrum eius totis septem dieb⁹ integer Alcuranus, quem sacrum Musulmani librum dicunt: cocti funebris epuli causa cibi, quibusuis præbendi petentibus: alia dona, quæ dari pauperibus & egenis, declarandæ caritatis & commiserationis causa solent, pro animæ Baiasitis extincti salute distributa: Muhametis prophetæ posteri, qui † tulipantis viridibus, & reliquo vestitu viridi apud

† Pand. cap. 231. 240.

apud Turcos vti ſolent, adeo liberaliter habiti, pæne diuites vt efficerẽtur. Præter hæc, etiam Baiaſitis imareto ſiue xenodochio, quod ipſe viuus exſtruxerat, prædia cum villis Sultanus Muhametes adſignauit, vnde ſumtus in egentes fieri poſſet.

Quum has paterni funeris exſequias curaſſet, noua profectione inſtituta, regni totius prouincias perluſtrauit. Quocumq; veniret, omnes ipſius imperio ſe parituros profeſſi ſunt. Tamdẽ hoc etiam itinere confecto, ad vrbẽ Tocatam ſe contulit, & integram illic æſtatem exegit. Adita quoque fuit ab eo Nikſaria; quam Neocæſariã priſcis fuiſſe dictam oſtendimus. Hoc modo ſacramentum fidelitatis, quod vocãt, omnes omnium illarum regionum incolæ Sultano Muhameti præſtarunt; qui eo nomine ingentes Deo gratias agebat, quum de ſua in regnum ſucceſſione certum ſe iam videret. Ideoq; cum vezirib. & regulis ſuis hilarẽ agebat vitam, conuiuiis & ſpectaculis, pro gentis more, ſemet oblectans.

Quum autem filius Baiaſitis natu maximus inter ſupſtites, Emir Suleiman Zelebis, qui Romaniam Europæam, quam Turci Rumiliam dicunt, totam in poteſtatem redegerat, & imperium hoc Europæum, ad Hadrianopolim regia conſtituta ſede, adminiſtrabat; de rebus à Muhamete geſtis inaudiſſet, qui fratrẽ Iſam begum, regno expulſum, Conſtantinopolim fugére coëgiſſet, iamque totum Anatoliæ Rumiliæq; ſuperioris regnum ſibi ſubiectum poſſideret: grauiter has Muhametis actiones, ac permoleſte tulit. Ideoq; conſiliarios & proceres ſuos adlocutus: Equidem, ait, in Anatoliam tranſmittere cogito, vt illas etiã regiones meo ſubiectas imperio poſſideam. Quippe Muhametes erga fratrem noſtrum Iſam begum non recte ſe geſſit, dum imperio ſuo ſpoliatũ, in exſilium eiecit; & vſurpato Anatoliæ regno, patris noſtri regiam inuaſit. Adhuc propemodum infans & puer eſt, & quonam iure, qua fronte ſibi vindicare thronum regium auſit? His ego de cauſis in Anatoliam traiicere decreui, regiamq; poteſtatẽ ei de manibus excutere. Si ſponte ſua cedere noluerit, ac potius mecũ armis contendendum putauerit; & ipſe meis illi cum copiis occurram, eaq; geram, quæ hactenus ab eo nuſquam fuere viſa.

Reſponſum a conſiliariis & proceribus, in huiuſmodi fere ſententiam. Hæc abs te quidem, o Schache noſter, o rex, prudẽter & recte proferũtur. Sed quidquid hoc rei eſt, diuinitus proficiſcitur. Licet enim Muhametis ætas adhuc intra primæ limites aduleſcentiæ conſiſtat, ideoque deſpectui forſitan eſſe poſſit, & ipſe paruorum adhuc haberi numero: tamen felicitate profecto magnus eſt, quum omnes, qui eum bello in hunc vſque diem laceſſiuerunt, victos & cæſos profligarit. Notum etiam, quo modo Temuri bego illuſerit; quum ſollicite, non ſine ſecretis inſidiis, aduentum eius præſtolanti credere ſe vitamque ſuam nollet. Quapropter nullum, hac quidem in re, conſilium melius fuerit; quam ſi litteras ad Teggiurem Conſtantinopolitanum dederimus, ſimul miſſo, qui has ei reddat, internuntio: quibus in litteris petamus, vt fratrem tuum, Iſam begum, nobis reſtituat. quo impetrato, copiis eum præficiemus, vti Sultano Muhameti bellũ inferat. Hoc modo fortaſſis ex hiſce duobus alteruter perierit, vt hoſtis dumtaxat vnus tibi ſuperſtes ſit, quem regno pellere facilius poſſis, vt imperio ſolus omni potiaris; aut ſi maxime danda ſuperſtiti ſit aliqua portio, regni tamẽ ius integrum, & adminiſtratio, tibi maneat.

Animaduertit Emir Suleiman, eſſe magni hoc momenti conſilium. Quapropter ad Teggiurem Conſtantinopolitanum litteras perſcribi iuſſit, & quemdam e ſuis ablegauit; tam per litteras, quam per internuntium petens, vt Iſam begum fratrem ſibi mitteret. His Teggiur acceptis litteris, & intellecto ex internuntij ore Suleimanis poſtulato; viciſſim & ipſe proſpera Suleimani precatus omnia, certis legibus & pactis interuenientibus, Iſam begum ad Emirem Suleimanem deducendum legato tradidit. Poſteaquam Iſa begus, legato comite, Hadrianopolim ad Suleimanem perueniſſet: cõfeſtim fretum Helleſponticum ad fauces Calliopolitanas traiicere cum exercitu iuſſus, quo Emir eum Suleiman inſtruxerat, vniuerſam regionem Caraſiam occupauit. Vlterius inde progredienti nemo non honorem

& obœdientiam offerebat, sed ea lege tamen, vt dicerent: siquidem prius, quod ei cum fratre Sultano Muhamete negotium erat, ad finem perduxisset, & cuius a partib⁹ esset statura victoria, fortunaq; benignior, adparuisset; omnino se declarādæ summæ fidei subiectionisq; causa, eidē vel ipsa capita, media in via, substraturos. Placuit hæc Isæ bego subditorum excusatio, qua quidē admissa, de loco ad locum progressus est, regniq; prouincias perlustrando, ad opidū Begbazarim (ea voce Principis emporiū vel opidum significatur) accessit; & eodem commeatuum copiam, cum aliis rebus necessariis ad hibernādum conuehi iussit, & in hiberna militem distribuit. Inde scriptas ad fratrem suum Sultanum Muhametem litteras, eidem per internuntium misit. Hæ litteræ Laconismo Turcico verbis propemodum his erant exaratæ. Dilecte natu minor, & honorande frater, scire te volo, tam mihi gratum fuisse nuntium de Sultanatus tui dignitate, quam summo cōsensu populorum adeptus es; vt eo nomine Deo gratias immortali egerim, & beneuolentia tua fretus, etiam regnū tuum ingressus sim. Has litteras Sultanus sibi redditas quū pellegisset, vicissim & ipse beneuolis & blandis in respondēdo verbis est vsus, vt fratrem inescatum tāto facilius circumueniret. Erant autē huiusmodi fere verba. Peroptatus aduenisti, mi frater. Equidem de tuo tam felici aduētu ex animo mihi gratulor. Nec vlla opus erat excusatione. Non meum, sed tuū ingressus es regnū. Simul Isæ begi legato vestem honorariam iniici, beneuolentiæ declarandæ causa, iussit; & amplissima fratri munera misit, magno cū omnis generis rerū in hibernis necessariarū adparatu.

Posteaquam Isa begus in opido Begbazari totam exegisset hiemem, iamq; vernum tempus adpetiisset; ciuitatem Siurichisarem adiit, quæ Græco vocabulo posset adpellari vel Oxypyrgus, vel Oxycastron. Cedrinus Oxylithum Saracenorum dixit, vt supra quoque monuimus. Nō parum deinceps hinc inde circumuagatus, in Caramaniam transiit, & aliquot prœliis cum Caramano conflixit. Tandem exstructo quodā in Caramania castello, discessit; incolisque regni per singulas regiones visitatis, ad vrbem Burusam vsq; descēdit. Quocumq; locorum perueniret, Sultani fratris litteras exhibebat, quib⁹ ei potestas ingrediundi regnū a Muhamete facta fuerat. Easdem & Burusæis ostendit, & quia certum has argumentum esse diceret suæ cum Sultano fratre cōcordiæ, mutuæq; pacis; in arcem admitti voluit. Sed istuc a Burusæis impetrare non potuit. Ipsi quoq; Burusæi municipes omnes vrbe relicta semet in arcem receperunt, & Isa bego foris manente, portas arcis occluserunt. Ac blādis ille quidem verbis eos demulcebat, vt ingrediundi potestatem impetraret; sed opidanis ipsum non admittentibus, frustra tētabat omnia. Tādem iratus vrbem flammis iniectis exussit, ac terræ prorsus æquatam, a fundamentis diruit. Tum vero nuntiatum Sultano Muhameti, fratrem ipsius Isam begum suis cum copiis regnum vniuersum peruagari; & omnes, quos adiret, ipsius imperio se summittētes, clementer & benigne habere: sin aliquos obœdientiam detrectātes inueniret, & flammis illos, & ferro persequi; facultatesq; Musulmanorum, & prædia, suis in prædam concedere. Quas sane querelas suorum vbi Sultanus inaudisset, consiliariis & proceribus suis prius ad deliberationem rerum gerendarum adhibitis, absq; vlla deinde mora cum militibus illis suis e Rumilia superiori maxime strenuis expeditionē, conscensis equis, suscepit; & a Tocata Burusam vsque spatio decē dierum descendit, propeq; Burusam quodā in loco castra metatus mãsit. Nuntiatū mox Isæ bego fuit, Sultanum suis cū copiis adesse: quo quidē nuntio perturbatus Isa begus, quid agēdum esset, cum procerib. suis consultabat. Inde collectis decē, plus minus, equitum millibus; committēdo prœlio semet accinxit. Ex altera parte Sultanus, qui festinabundus aduenerat, vix apud se tria millia virorū fortium e Rumiliæ copiis habebat: & quia semel antehac Isam begum prœlio superauerat, nō admodum eius vim metuēs, exiguis cum copiis venerat. Quumq; fratris exercitum conspexisset, nequaquam territus, sed numine suo fretus, instructa suorum militum Rumilianorū acie, mox in Isam begum recta contendit, qui iam & ipse paratus ad pugnandum erat. Quapropter

ambo-

amborum exercitus, occepto prœlio, a summo mane ad meridiem vsq; manus conseruerunt, tamdemque nutu diuino Sultanus superior exstitit: Isa begus omni pudore ac fama posthabita, cum octo vel decem e suis equitibus aufugit, ac per locum quemdam, cui nomē Bidnos Belekindi, ad alium se locum, quem Corlabum adpellant, cōtulit. Ibi quum insidias sibi strui ab incolis animaduerteret, qui necopinantem obruere cogitarent, & captum suam in potestatē redigere: diutius illic hęrere noluit, sed celeri mox inita fuga, ex vno monte in alium, ex silua in siluam euadēs, ad extremum in regnum Isfendiaris, & ad vrbem Castamonam venit. Ibi tum Isfendiari nuntiatum fuit, Isam begum adesse. Quamobrem mox equo conscenso, venienti prodiit obuiam; summaque cum honoris exhibitione & obseruantia exceptum, in vrbem suam introduxit, hospitium magnificum adsignari iussit, variis donis coluit, conuiuiis splendidis recreauit, tamque reuerenter & honorifice habuit; vt quoties coram ipso staret erectus in pedes, modestiæ causa cōiunctis inter se manibus cōsisteret. Hoc autem ea de causa fiebat, quod dum Isæ begi patri, Sultano Baiasiti, plurib⁹ annis ad Portam, ceteros inter regulos palatinos, operam nauaret Isfendiar; singularem erga se fuisse beneuolētiam Isæ, recordaretur. Itaque maximis eum honoribus vicissim adficiebat. Ex altera vero parte, quum Sultanus Isam begum fuga sibi consuluisse videret: variis animum reficere cepit oblectamētis, & castris inde motis, Burusam ꝓfectus est. Quumque flammis exustam videret vrbē, mirifico percussus animi dolore, municipibus vrbis insignem munificentiam & liberalitatem exhibuit, vrbemq; protinus instaurari iussit. Hinc aliquot dieb⁹ ibidem exactis, genio nonnihil indulsit.

Isa vero begus, e prœlio contra Sultanum pugnato profugus, quum ad Isfendiarem profectus, perquam ab eo regie tractaretur: forte cōtigit, vt ipsis in conuiuio sedentibus, & cibo potuq; se reficientibus, medio in epulo Isfendiarem compellans Isa begus, huiusmodi verbis adloqueretur. Mi frater, ait, hanc quæso pietatē erga me tuā, & gratiam experiar; vt vna dumtaxat vice tuis possim auxiliis fret⁹, adhuc vnā cum hoc puero pugnare pugnā, & in eas illum redigere angustias, nimis vt artū, quod prouerbio dici consueuit, mundum hunc sibi cogitet. vrgendū vero mature negotium. Quippe iam securus, & rerum suarū negligēs, in maxima secordia degit. Ideoque nos expeditione suscepta, primum arcē Ancaram corona militum circumdatā obsidebim⁹, & expugnatā capiemus. Hinc vlterius progredientes, quotquot obœdientiam pollicebuntur, in fidē accipiemus, eisq; parcemus; imperiū detrectātibus capita præcidemus, & familias eorum prædæ militum nostrorū exponemus. Motus Isæ begi precib⁹ Isfendiar, tantique principis in exsilium eiecti misertus; Fiat, ait, quod petis. Equidem tibi pro meis viribus auxilium ferā, qui me semper infimum patris tui clientē fuisse profiteor. Itaq; copias, quantas sane potuit, maximas coëgit; quibus ad bellum paratis & eductis, versus Selasilim profecti sunt. Id arcis nomen vetus est, quam Turci dixerunt Angurim; Græci veteres & Ancyrā, & (Turcis auctoribus) Selassim, e quo Turci fecere Selas-ili, quo vocabulo ipsorum lingua Selassis opidi ager denotatur. Deinceps tamen etiam ostēdetur, Sielas-ili, vel potius Gielas-ili nomē e Galatia factum videri. Ab altera parte Sultanus Muhametes earū rerum omnium, q̃ inter hos tractarentur, ignarus erat; vtpote qui conuiuiis & epulis magnificis dumtaxat occupatus esset. Tamdē inopinato nuntium de conatu fratris accepit, quo significabatur, Isam begum cōtractis Isfendiaris ope copiis, ad arcem Ancaram progressum esse. Id vbi factum Sultanus Muhametes intellexisset, nulla prorsus interposita mora, cum tribus illis equitum millibus, quos secū habebat, egregie instructis, equos adscendit, & in hostem recta profectus est. Hoc in itinere rursus ei significatum fuit, Isam begum suo cum exercitu ad opidum Kereden venisse, quod in Natolia sua Gereden scripsit Ortelius, & nō procul a Boli collocauit. Ea de causa Sultanini quoq; milites, vt hosti quamprimum occurrerent, intra dies decem ad idem opidum Kereden accesserunt, & castris illic metādis locum ceperunt. Ab altera parte nuntiatum fuit Isæ bego, Sultanum Muhametem adesse; fie-

riq; nullo posse negotio, vt si eodem adhuc die progrederētur, ad opidum Kereden exercitus ambo conuenirēt. His auditis Isfendiar: Nulla consultatione nobis opus est, ait, de eo, quod agēdum sit. Quippe quum hostis aduenerit, nihil restat aliud, quam vt prœlio cum eo cōgrediamur. Nihilo tamē minus conuenere vezires ac proceres, quos Isa begus in cōcilio adlocutus: Excogitandũ, inquit, hac in re nobis aliquid est, quod commodo nostro suscipiamus. Protulerunt aliquid singuli. Quidā Isa compellato: Ita felix sis, aiebāt, vt crastino primũ die nobis hæ res curādæ veniunt. Erant etiam nōnulli, qui dicerēt, hostem necdum aduenisse. Falsum rumorem diditum rem minime veram nũtiasse. Quiuis ex animi sui adfectu, & pro ingenij captu, quædā his similia in medium adferebat. Missi deniq; fuerũt aliquot exploratores, qui nō magno temporis elapso spatio, pleno cursu redierunt, & Sultanum adesse rettulerunt. Id vbi reapse verum esse constitit, imperatũ Isæo militi, quamprimum ad pugnā se compararent & instruerēt. Ex altera parte pulsari tympana, clangere tubas, explicari vexilla præcepit Sultanus Muhametes. quæ mox quum fierent, vniuersum strepitu impleuerunt aëra. Simul bellicosos illos milites suos Rumilianos adducens, e regione hostilis exercitus constitit. Isfēdiar cōspectas Sultani copias magnopere laudās: Proh quam viriles hi vultus sunt, ait, quā milites pugnaces maxime decens strenuitas. Nihil fingi militarius posset. Ea tamen nox amborum a copiis in summo fuit exacta silentio. Postridie quũ lucisceret, pulsata tympana, tubæq; cum fistulis inflatæ, classicũ cecinerunt: acies ordinatæ, series & cohortes instructæ: milites inprimis animosi & fortes in planiciē vtriq; interiectā aciei venerunt, & agili motu se hinc inde vertentes, ita suas extenderunt hastas, ac si iamiā petituri hostē essent. Sultanus Muhametes in hũc campum intermedium suis cum Rumilianis militibus & ipse prouectus, inchoato illo Musulmanorum Alla tegbir, sic vno in hostes irruit impetu; acerrimũ vti prœlium cōmitteretur, quo tandem Sultanus Muhametes victoria potitus fuit, dissipato Isfendiaris exercitu, q̃ victus hinc inde diffugit. Isfendiar & Isa begus, vix decē cum equitib. singuli, suorũ ex acie dilapsi, Castamonā peruenerunt. De Isfendiaris exercitu cæsi ꝓpemodum infiniti, direpta castrorũ impedimenta, quib. incredibilem in modum ditati fuere Sultanini milites. Hinc motis ex eo loco castris, tā nobili lætus victoria Sultanus, feliciter Burusam rediit, & aliquot dies illic hilariter in conuiuiis, & aliis oblectamentis, exegit. Deinde relicta Burusa, Tocatā profectus est: vbi dum genio, solutis aliquantulum curis, indulgeret: venit ad eum Caramanoglij iudex castrensis maior, quem Cadileschērum Turci dicũt, a rege suo missus; itidemq; Dulgadir-oglij principis orator ad eamdem Sultani Portā accessit. Hi duo principes Sultano Muhameti sincera coniuncti amicitia, pacem cum eo perpetuam constituerunt. Celebrata quoque fuerunt hoc ipso tempore spōsalia, quibus sibi Sultanus Muhametes Dulgadir-oglij principis filiam despondit, eoque nomine legato maximi dona pretij, velut arras sponsalicias, ipsi sponsæ reddendas, tradidit.

Quum Isa begus e prœlio contra Sultanum fratrē fuga dilapsus, Castamonæ degeret; Sultanus autem lætus & hilaris, omniq; cura liber, ad Tocatam subsisteret: sumtis secum Isa begus ducētis plus minus hominibus, Castamona discessit; perq; montuosa siluosaq; loca ꝓfectus, infinitis laboribus ac ærumnis exanclatis, rursum Muhametis regnum ingressus est. Nemo tamē e subditis imperium ipsius accipere voluit. Immo quibusdā in locis aliqui, correptis armis, Isæ venienti semet opposuerunt, nec Muhametis eum fines passi fuerunt ingredi. Quapropter hinc inde vagatus, Burusa quoq; præterita, tamdem in regionem *Michalitzij venit. Eius incolæ suorum [* Pandect. cap. 16.] aliqua coacta manu, etiam pugnando prohibere conati sunt Isam, quo minus agrum ipsorũ ingrederetur. Sed Isa precibus vnicum hoc sibi permitti petiit, vt tantisper illic commoraretur, donec eo Muhametes frater venisset, idque tamdem ab incolis obtinuit. Tũ vero nuntiatum Sultano Muhameti fuit, Isam begum rursus regni limites ingressum, ad regionem Michalitzianam accessisse, atque istic commorari. Eam ob caussam Sultano Muhameti curam omnem

adhi-

adhibendam, ne quid in iis locis ille rerum nouarum moliretur.

Sultanus absque dilatione decem virorum fortium millia coëgit, adiunctisque sibi magnanimis etiam Rumiliæ superioris militibus, Tocata discessit, & in Isam begum recta contendit, nec multo post in agrũ Michalitzianum peruenit. Isa vero begus aduentu Sultani Muhametis intellecto, fuga sibi consulens, in regnum Ismyrense profectus est. Nomẽ huic regioni a Turcis inditum ab illa vrbe, quam Græci Smyrnam Asiæ minoris adpellarunt. Eius regni princeps, quem Ismyr-oglium vulgo vocabant, quum Isam begum aduentare cognouisset: obuiam ei cum insigni magnificentia profectus, magna cum veneratione exceptum, elegans in hospitium deduxit, ac splendide tractatum, quo res eius essent loco, quæsiuit; & bono esse animo iussit. Isa vero begus Ismyrogliũ querulis adpellans precibus: Mi frater, ait, aduentu meo magnas tibi creo molestias, & fortassis etiam regno tuo turbas non minores. Nam precari & obsecrare te cogor, vt impetrare copias abs te possim; quibus adhuc semel in illum puerum, aduersarium meum, dimicem. Quippe si rursus, aduersante conatui meo fortuna, profligatus fuero: quemdam in locum incognitum me conferam, mortaliumq; congressus fugiens, in luctu doloreque perpetuo reliquum vitæ tempus exigam. Hæc prolocutus, sublata voce lamentabili, plorauit. Ismyroglius tãtum principem præ sensu miseriæ suæ flentem videns, commiseratione singulari tactus: O Scachogli, o fili regis, ait, confide Deo, calamitatemq; tuam moderate feras. Quippe fieri poterit, vt hactenus aduersa tibi fortuna, vicissim benignam & propitiam se præbeat, tuque denuo regnũ diuinitus adipiscaris. Eam ob causam, fauente Deo, magnum colligemus exercitum, & animose cum fratre tuo pugnabimus. Si visum ita Deo fuerit, ipso sede regia deiecto, tibi regnum restituemus.

His verbis Isam consolatus, mox etiam ipsa re laturꝰ auxilium, ad finitimos principes, Aidinium, Saruchanium, Tekensem, & Mentesium perscribi litteras curauit, & legatos misit, qui hanc in sententiam suo nomine cum eis agerent: Exhibete quæso, principes, eam Isæ bego, Baiasitis filio, gratiam & beneuolentiam; vt omnes & singuli pro viribus vestris aliquas ei copias, e regionibus vestris coactas, in auxilium mittatis; idque soliꝰ amore diuini numinis impulsi præstetis, miserti principis huius, quem imperio suo vis iniusta deiecit & spoliauit. Nihil Deo facere potestis gratius, a quo præmia, pro talibus beneficiis, vicissim locis & temporibus maxime opportunis & idoneis, impetrantur. Principes & Isæ begi calamitas, & Ismyroglij sic permouit ad commiseratiõe intercessio: vt consentientibus animis singuli suis e regnis copias colligerent; & omnibus ad bellum necessariis rebꝰ instructas, in regnum Ismyræ mitterent. Hominum, plus minus, ad XXCIↃ conuenerunt. Ex altera parte Sultanus etiam Muhametes huiusce motus intellecta fama, ne maius incendium ex scintillis hisce nouarum turbarum, se non obstante principiis, exoriretur; statim expeditionem aduersus Isam begum, in ipso Ismyrensi regno quærendum, suscipere decreuit. Itaq; collecto decem millium exercitu, qui viri pugnaces erant e superiori Rumilia, diurnis & nocturnis itinerибꝰ continuatis; citius opinione sua dictam ad vrbem Ismyram peruenit.

Quum autem Isa quoq; begus de Sultani Muhametis aduentu inaudisset, minime cunctandum ratus, ope supra nominatorum principum ac regulorum, qui magno consensu minime deserendum Isam hoc bello decreuerant, exercitu comparato & instructo, progredi contra Sultanum Muhametem cepit. Ille vero, quum primum hostiles conspexisset copias; vexillis erectis, castrensibus tympanis pulsatis, clangẽtibus tubis, ceteris sonantibus instrumentis bellicis, cohortium series ordinauit, aciem vniuersam instruxit, hymnũ more Turcico, pro felicibus pugnæ auspiciis, inchoauit; & absq; mora progressus est in hostem, vti quamprimum cum eo manum consereret. Hoc modo promtis ac paratis ex vtraq; parte militibus, & vultus sibimet inuicem aduersos ostendentibus, quidam velut heroës, maximeq; virilibus animis pręditi, & omni militari virtute præstantes, mediam illam in planiciem, spatiumque aciebus amborum

interiectum, concitatis ad cursum equis profecti, cum ordinis obseruatione venusta, prœliari cum hoste ceperũt. Sultanus deniq; Muhametes, vno impetu hostiles in acies irruit, ac promiscua in Isæos pugna dimicauit. Quumq; propitij numinis auxilium ab ipso staret, Isæ begi fusus fugatusq; fuit exercitus. Quapropter Isa begus, rebus deploratis, fugam iniit; & in Caramaniam delatus, ignotum quemdam in locum abiit, vbi latitans incerto mortis genere periit; sic amissus, vt nusquã amplius ab illo tempore cõspectus fuerit. Principes omnes, qui suis cum copiis auxiliũ ei laturi venerant, hinc inde dispersi, suas in ditiones se receperunt. Ismyroglius autem sponte sua profectus ad Sultanum Muhametem, delicti pœnitens, eius ad pedes semet abiecit. Quumque per ignorantiam, quidquid hoc esset culpæ, contraxisse se diceret; supplex orauit, vt errori suo ignosceretur. Simul argumento euidenti ostensurus, quam in posterum Sultano Muhameti præstaturus esset obœdientiam; vilis instar mancipij coram Sultano stetit. His precibus, & hac insigni motus humilitate tanti principis Sultanus Muhametes, hilari vultu, quidquid ab eo peccatum fuisset, condonauit. Nec contentus hanc illi fecisse gratiam, maiorẽ adiecit; dum quod iure belli regnum Ismyræum amiserat, liberaliter ei restituit, ac deinceps quoque possidendum tradidit. Hinc illis e locis suo cum exercitu digressus, omnes ceterorum principum, qui fratrem iuuerant, ditiones ac prouincias, Aidinensem, Saruchaniam, Tekensem, Mentesiam, & Germeanensem, cepit & occupauit; ac rursus illustri cum victoriæ laude Burusam reuersus, administrationis regiæ fructum, oppresso iam æmulo fratre, maiore in otio, rerumq; prosperitate, percepturum se deinceps, certa propemodum spe, sibi pollicebatur.



IO. LEVNCLAVII

HISTORIAE MVSVLMANAE TVRCORVM LIBER DECIMVS.

SVLEIMANICVS.

HVIVSMODI finem habuit Isæ begi tyrãnis, qui primus inter Baiasitis filios a calamitate paterna regnũ vsurpauerat. Nũc ad reliquorũ fratrum nõ modo mutuas inter se lanienas & conflictus, sed etiam tragicos exitus, ex Haniualdana recitãdos historia, progrediamur; vbi primum interpretis Verantiani quædã exposuerimus, de secundo inuasore paterni principatus Emire Suleimane tradita, quæ tamen eadem fere cum iis sunt, q̃ Beccanis in Annalibus leguntur, ac partim confuse sunt scripta, partim plena dici nequeunt, vti nec illa, q̃ Chalcocõdyles prodidit; quẽadmodũ perspicere quiuis, ex subiecta post hæc libri Haniualdani narratione, de hoc eodẽ Emire Suleimane, poterit.

Igitur initio regni cogitans Emir Suleiman de adiungendis sibi aduersus cõpetitores fratres Græcorũ auxiliis, minimum natu fratrẽ suum Casimen Zelebim, vna cũ sorore sua, Sultana Fatime, Constantinopolim misit obsides; vt Imperatori Græco fidẽ faceret, numquã se pacta cõuenta violaturum, nec ab ipsius amicitia discessurum. Postea Græcis fauentibus, fauces Bospori, quas Turci sua lingua *Bogazi Kessen vocant, ꝓpe Constantinopolim sitas, transmisit; & in Rumiliam siue Romaniam Europæam veniens, Hadrianopolim profectus est, ac ibidem in thronum se regium collocauit. Acciderunt autem hæc a migratione Muhametis anno ɪↄ. ccc. v. *Chr. 1404*

** Pandect. cap. 118.*

Quum inaudisset Amasiæ Sultanus Muhametes, Emirem Suleimanem paterno

terno cõsedisse solio; legatum misit, hęc ei suo nomine verba nuntiaturum: Opto domino meo fratri natu maiori valetudinem firmam, & prosperitatẽ perpetuam: vtque mihi quęcumque voluerit imperet, rogo. Licet patrem nuper acerba morte nobis ereptũ amiserimus, tamen te dominum fratremq; nostrum incolumem nobis esse, non abs re gaudemus; quando te patris loco deinceps habituri sumus. Simul ei generosos equos dono misit. Vbi vidisset Emir Suleiman fraternam hanc Muhametis erga se caritatem & beneuolentiam, ac missa sibi ab eodem munera: vicissim & ipse venustos illi pueros bello captos, vtriusque sexus, cum variis & elegantibus pannis, aliisque muneribus, donauit. Præterea fœdus inter se, de mutua pace colenda, percusserunt.

Narrant Annales Beccani, & historia Verantiana, fuisse graues inter Emirem Suleimanem, & Musam Zelebim fratres, inimicitias exortas statim ab Isæ interitu, quem ipsi necatum à Musa, Laonicus a Suleimane vel Musulmane, contra veriorem libro superiori expositam sententiam, tradunt; & narrant hæc tam mutile, tamque confusis temporibus, vt vix se lector etiam adtentus & argutus vel paullulum extricare possit. Quum occisus esset, inquiunt, Isa Zelebis a Musa Zelebi fratre; Burusam se Musa Zelebis contulit, eodem & Emire Suleimane cum copiis suis proficiscente. Quod vbi nuntiatum Musæ fuisset, suis non satis fidens viribus, in Caramaniam profugit. Emir vero Suleiman, Burusæ rebus iam constitutis, quemdam e suis ad Caramanoglium principem misit, & ab eo petiit, ne fratrem suum Musam suis e manibus elabi sineret. Quod si etiam cum Suleimane cuperet amicitiam colere, vicissim & ipsum constanter in amore ac beneuolentia mutua perstiturum. Tum Musa Zelebis, pacem inter Emirem Suleimanem & Caramanoglium factam animaduertens, mox illis e Caramani terris aufugit, & ad Isfendiarem se recepit. Emir Suleiman id temporis ad Burusam hærebat, quumque certior de Musæ fratris ad Isfendiarem fuga factus esset: statim expeditione suscepta, Isfendiari bellum intulit, & † Kereden vsque progressus, illic in hibernis ad fluminis ripam mansit. Tum vero noctu & interdiu certare poculis cepit sub arbore tilia, quam adhuc Begi-Cauacam vulgo nominant, hoc est, principis siue domini tiliam: adeoq; ne perexiguo quidem tempore suis à comessationibus illis & conuiuiis abstinebat. Tamdem cum Isfendiare pacem iniit.

† Pandect. 470.

Motis hinc ex illa regione castris Isnicam venit; epulis suis, & poculis tã diurnis, quam nocturnis deditus. Itaq; proceres eius, ceterique palatini, quum vino dediti principis intemperantiam viderent immodicam; mores illos moleste grauiterque ferre ceperunt. Erat Alis bassa summi vir astus & vafriciei, qui singulari cum dexteritate procedebat in omnibus, quæ ageret. Is tantũ occultis artibus suis perficere potuit, vt Isfendiar Musam Zelebim, ad opidum suum, Sinopen nauigio impositum, in Valachiam trans mare nigrum, siue Pontum Euxinũ, vehi curaret. Imperabat id temporis apud Valachos quidam eius regionis princeps, cui nomen erat * Mirkies Iflacus, siue Marcus Valachus, vir inter Christianos fortissimus & acerrimus. Hic † adiunctus illa nauigatione Musæ Zelebi fuit, eumque trans mare comitatus, in Europæã Rumiliam deduxit. quo Musa quum adpulisset, Hadrianopolim profectus est. Vnde factum, vt rumore de ipsius aduentu didito, milites ad eum confluerent; ac præsertim quotquot eorum timariis fruebantur, hoc est, qui prædia possidebant, ad ipsum se conferebant, & Hadrianopolim, ceu principem suum, deducebant.

* Pandect. cap. 71.

† Non ipse, sed legatus eius, vt heic, sub finem libri.

Quum primũ Musa Zelebis in Europęam traiecisset Rumiliam, adiere sui Suleimanem, & fratrem ipsius in Europam transmisisse, totamque sui fecisse iuris, adfirmarunt. Emir autẽ Suleiman, hoc intellecto nuntio, cõmoueri cepit, & Hadrianopolim propere cõcessit. Sed erat hoc in eo vitij, ꝙ nullo vel minimo quasi temporis interuallo suis à compotationibus sibi temperare poterat. Inter alia narratur, Emiri Suleimani fuisse in more, vt quoties in aliquo loco se daret poculis, ad menses aliquot compotationes illas continuaret: qua quidem ex causa tale quid ei tamdem accidit. Potabat in balineo Hadrianopoli, quo

tempore magnas in eum Musa Zelebis copias ductabat. quumque temulentus, vt fit, obdormiuisset; suorum clamoribus excitatus fuit. Interim propius ad Hadrianopolim accedente Musa, totius Europææ Rumiliæ milites ad ipsum mox defecerunt. Quid fit? surgit expercectus Emir Suleiman, ex vino prorsus ineptus, siue machmur, vt Turci talem vocare solent. Simul suos alloquens: Quid heic Musa facit? quonam modo venit huc? ait. Vix autem hæc verba protulerat, quũ ab improuiso Musa in eum irrueret. Tum vero Suleiman celeritate maxima fugæ se dedit, & omnibus suis ad Musam transeuntibus, ipse Constantinopolim totis viribus properauit. Forte fortuna contigit, vt in pagum quemdam hoc itinere veniret; in quo nuptiæ celebrabantur. Accessit ad locum nuptiarum Suleiman, vt illos homines, qui nuptiis intererant, de via, qua Constantinopolim eundum esset, interrogaret. Tum adgnitum illi Suleimanem mox interfecerunt, idque de caussa factum huiusmodi perhibent; quod opidorum & regionum municipes & incolæ, dum in hisce bellis ciuilibus alium alij Sultanum pro rege adgnoscerent, mutuo semet occiderent; vnde pagi quoque passim damnis insignibus adfecti, mirifice vexabantur. Itaque quum existimarent, se huius principis interitu tandem aliquando molestiis hisce liberatum iri; facinus hoc in eum committere fuerunt ausi. Sed enim maiorẽ sibi creauere molestiam. Quippe Musa paullo post illuc veniens, quotquot erãt homines in hoc pago, suis includi iussit ædibus, & clausis inde ianuis, flammas ædificiis inici; quibus omnes exusti male perierunt; quum quidem Musa Zelebis id ea se de caussa facere diceret, q temere fratrem suum, nihil tale promeritum, occidissent. Secundum hæc digressus ex eo loco Musa, se Hadrianopolim recepit, & solio regio consedit, Padischachi siue principis maximi titulum consecutus: quod quidem anno post migrationem Muhametis IↃ CCC XIII accidit. Regnauit Emir Suleiman VII annis. Inchoauit structuram templi maioris (Zamien & Zumam barbari vocant) in vrbe Hadrianopoli, quam Eski Zamien, siue templum vetus adpellare solent: eiusque fabricæ funda- Chr. 1411.
menta se viuo ad eam perduxit altitudinem, vt ædificium supra solũ emineret.

Hæc igitur illa pauca sunt, quæ ab interprete Verantiano de vita Emiris Suleimanis, deque rebus tempore interregni ab eo gestis, commemorantur. Nunc Haniualdanam historiam, de huius ipsius Emiris Suleimanis imperio, longe vberius expositam, & cum libri superioris fine cohærentem, audiamus.

Posteaquam Sultanus Muhametes Isam begum regno pulsum in Caramaniam eiecisset, iamq; prouinciis omnibus Anatoliæ totius occupatis, in vrbe Burusa magnificis epulis se recreans, nõnihil quiesceret: mox ei nuntiatum fuit, fratrem ipsius Emirem Suleimanẽ, coactis infinitis pæne copiis, in Anatoliam traiicere, nec aliud eius institutum esse, quam vt regnum sibi subiiceret & possideret; Burusam, regiam patritam, Sultano eriperet; in ipsum Sultanum Muhametem ea statueret, quæ vellet. His auditis, animum Sultani dolor ingens illico percussit. Itaque conuocatis consiliariis & begis siue proceribus suis, deliberandum proposuit; quodnam huic malo remedium putarent inueniri posse, quidue potissimum agi debere iudicarent. quibus ab eo prolatis, ceptum consultari. Visum communi fuit omnium sententia, nõ esse cum copiis occurrendum Emiri Suleimani, nec in eum prœlio dimicandum: sed præsenti potius loci conditione considerata, discedendũ prius, quam Suleiman aduenisset: adeoque per occasionem milites omnes euocandos, quos ad manum habere possent, ac nuntiis dimissis exercitus hinc inde colligendos. Hoc suorum probato consilio, motis Burusa castris, versus Ancyram Sultanus, siue priscam illã Selas-ilim perrexit: indeque litteras in oẽs imperij sui partes misit, quibus litteris præcipiebatur, vt exercitus Anatolici ad opidum Ancaram cogerentur. Præterea Doiorani bego, principi natione Tataro, significatum per internũtium fuit, vt fratri suo Sultano Muhameti gratificaretur, & ex lege societatis & cõfœderationis initæ, copias auxiliares adduceret. Mox Doioran begus suos ætatis vegetæ, strenuosque milites colligens, velut egregiam Sultano nauatur' operam, accessit; multis ad eum blandis, ac ficticiis

ciis verbis vsus, quum in hoc omnibus se modis enixe diceret elaboraturum, vt omnes perspicerent, fauente numine, quo vultu, qua magnanimitate animi cum suis in hostem pugnaturus esset. Quibus eius verbis illectus Sultanus, & istæc reapse ficticia simulataque, vere & ex animo dici ab homine credens, insignibus eum donis liberaliter coluit.

Secundum hæc nuntiatum fuit, Emirem Suleimanem cum copiis innumerabilibus iam adesse. Quo cognito, Sultanus Muhametes iussis conuenire begis suis & consiliariis: Quid nunc agendum, ait, o proceres, o vezires mei? En hostes adsunt. Equidem ita censeo, parum virilem fore, grauemq; notā infamiæ subiturum, qui tali tempore fugam præ inimicorū metu capessere velit. Quapropter accingi nos ad cōmittendum prœliū, ceu viros fortes, decet; vt animose in hostem aduentantem impetū faciamus, ac leonū instar sic aduersos inuadamus, vt toti mundo virtus nostra sit admirationi. Fieri fortasse poterit, vt hac via fusos fugatosq; dissipemus. Ad summam, eius regnum hoc esto, cui fortuna benignior e nobis duobus imperium dare voluerit. Hærebant vezires ad geminos cogitationū scopulos, mature ne discedendum ex iis locis, an in hostem recta pergendum esset. Sed aderat subassa quidam, siue rerum capitalium præfectus, quem Agbilem vocabāt. Is erecto capite: Sum equidem, ait, o Schach olem, o princeps orbis, in ea sententia; nunc vt dimicandū minime censeam. Nam qui cum exercitu cōtra nos venit, frater tuus natu maior est, & Osmanis e familia progenitus. Habenda ratio felicitatis eius, qua ille nunc vtitur, & nobis superior est. Iacupem begum, Firozis filium, in arce Burusæa relinquamus, vt eam cum præsidio teneat ac defendat. Nos vrbe exeamus, regnum hinc inde peragremus, subditos ab hoste tueamur. Si maxime frater tuus aduenerit, & eius se potestati ciues Burusæi, ceu viribus ad resistendum idoneis destituti, permiserint; non tamen ea magni momenti res erit. Quippe quamdiu nos arce potiemur, haud dubie ciuitatem, quum libuerit, recuperare poterimus. Sin etiam vsuuenerit, vt in hac rerum humanarum inconstantia nobis arx ipsa cum vrbe vi quadam hostili eripiatur; non nimium propterea perturbemur, sed voluntati & prouidentiæ diuinæ rem omnem committamus. Quippe si visum ita Deo fuerit optimo maximo, dabit aliam nobis occasionem amissa recipiendi, pristinamq; suo tempore fortunam denuo suscitandi; vicissim vt vrbem cum arce, nostram in potestatem redigere queamus.

Placuit hæc Sultano sententia, qui mox Selasili digressus, abiuit. Ex altera opidi parte discessit & Doioran begus, statimque Sultani pacatas, & amicas sibi ditiones flammis & ferro vastare cepit, sanguinem humanū effudit, omnia latrociniis & prædis exhausit, atque ita suam in regionem profectus est, violato fœdere, quod cum Sultano pepigerat. Nec vir improbus tot ac tanta Sultani beneficia reuocabat ad animum, quibus ab eo cumulatus fuerat; non mensam communem, non tot magnificentissima conuiuia, non honoris ergo donatas tot maximi pretij vestes. Quum autem Sultanus Muhametes de hisce maleficiis ac detrimentis, a Doiorane suis hominibus illatis, accepisset: feruore quodam indignantis animi accensus, confestim cum iis, quas secum habebat, copiis eum a tergo celeri secutus impetu fuit, ac Doioranem Tatarum, nullas habentē excubias, & ignaua cum suis securitate quiescentem reperit & oppressit. Ex omni Tatarorum numero, Doioran ipse solus e discrimine, velocis fugæ beneficio, semet eripuit. Muhametes impedimentis, thesauris, ceterisque rebus Doioranis potitus, omnia militi diripienda concessit; familiam eius vniuersam, cum ipsis etiam liberis, cepit, in seruitutem redegit, ad arcem Selasilim deportari curauit.

Interea collectis ex Europæa Rumilia copiis, marique Calliopolitanas ad fauces transmisso, prouincias vt Anatolicas adiret, Burusam Emir Suleiman venit; ibiq; biduum vel triduum cōmoratus, absq; longiori dilatione progressus est vlterius, & ad opidum Ancaram peruenit. Iacupes autem begus, in arce Burusæa cū præsidio, ceu dictū, a Sultano Muhamete relictus, prouisis & curatis omnibus vel ad oppugnationē, si quidem ita posceret vsus, vel ad obsidionē susti-

nendam necessariis; portas arcis occlusit, & hostis impetum exspectare decreuit. Vrbani vero, velut hostium viribus depellendis impares, coacto suorũ concilio, deliberationis instituendæ causa, tamdem in eam conuenere sentẽtiam, vt dicerent; æquum omnino videri, vt Emiri Suleimani obuiam iretur, ac debita pręstaretur obœdientia: quando facile quiuis perspicere posset, ni factum hoc esset ab ipsis, Burusæos omnes ense perituros. Præter hæc in considerationem venire, quod regis ipsorum filius, & quidem natu maximus esset. Ideoque graui scelere semet obligaturos, si quid in hunc præter officium admitterent. His dictis, vrbe statim egressi semet ad Emiris Suleimanis pedes abiecerunt, & humilitate maxima rogarunt, vt delicti veniam sibi faceret. Excepti ab Emire Suleimane ꝑbenigno fuere vultu. quũq; vicissim princeps eos bono iussisset esse animo, ad vrbem accessit, eamque, toto deducente cœtu municipum, ingressus est. Hinc ad ducem præsidiariorum in arce Iacupem begum, quemdam e suis misit, qui arcem dedi postularet. Eo Iacupes audito, portam arcis firmiter occlusit, & impetum oppugnantium ad quinque vel sex dies, magna cum copiarum suarũ defatigatione, sustinuit. Quãobrem rursus Emir Suleiman, misso quodam e suis, significari iussit obsessorum præfecto; ni sponte deditionem arcis faceret, omnino futurum, vt vi, non exiguo cum discrimine suo, expugnaretur. His dictis, scalas adferri iussit, & ordine constitui; quibusuis vt partibus arcis admouerentur, atq; ita peracris oppugnatio fieret. Ea vero debilitatis magnopere Iacupis begi viribus, statim ille litteras, ad Sultanum Muhametem scriptas, Eini cuidam Hozzę, qui cognomine Bulgur Aga vocabatur, perferendas & exhibendas Sultano tradidit. Harum sententia fere huiusmodi erat: Rerum nostrarum status, o Sultane, tanto iam in discrimine versatur; vt hostis in potestatem omnino hęc arx ventura sit, ni felici a Porta maiestatis tuę remedij subsidiiue quidpiam nobis suppeditatũ fuerit. His litteris Sultano redditis, & obsessorum intellecto periculo; rescriptum Iacupi bego Sultani nomine fuit, in hæc verba: Fac quod abs te postulat officij ratio, teque viriliter geras; & in arce propugnãda caue quidquam ad extremam animi fortitudinem ac diligentiam reliqui feceris. Equidem Deo optimo maximoq; propitio, crastino die sub meridiem istic adero, & vos tã obsidione, quam periculis hisce liberabo. Datũ fuit hoc eidem Agæ Bulguri responsum, qui litteras Iacupis adtulerat; vt in arcem imprudentibus iis, qui eam obsidebant, singulari cum dexteritate referretur. Sed euentus exspectationi non respondit. Quippe captus a Suleimanicis in itinere fuit, & ipsis cum litteris ad Alim bassam, Suleimanis Vezirem, adductus. Is examinato latore litterarum, & sententia responsi diligentius inuestigata; tamdem animaduertit, quã in vtramque partem & vtiles essent, & noxiæ pariter hæ litteræ. Quamobrem subtili fraude Sultani litteras apud se retinens, alias earum loco, Sultani nomine, litteras ad Iacupem begum scripsit; easque dicti Bulguris Agæ opera, qui priores Sultaninas adtulerat, in arcem misit. Erat autem hic ab Ali bassa fictarum sensus: Misisti nobis, Iacupes bege, de præsenti rerum tuarum statu litteras; quibus exposuisti, quas ad angustias in arce redacti sitis. Itaque scire te volo, nullum hac quidem in obsidione tibi nec petẽdum a nobis, nec exspectandum auxilium; quando fieri non potest, vt cũ copiis illuc; obsidionis soluendæ causa, veniamus. Quidquid hactenus in arce defendẽda laboris ac molestiæ mea causa sustinuisti, factum abs te rectissime. Sed quando nunc ad extremum discrimẽ adductæ res sunt, nec vllum adhiberi remedium potest: omissa propugnatione, fratri meo maiori natu deditionem arcis facies. Hac igitur adulteratas impostura litteras Alię bassa Iacupi bego misit. Is vero, iam ante suas in artum coactas videns copias, posteaquam huiusmodi quoq; litteras, omnis auxilij spem præcidentes, recepisset; secordia quadam, & inani formidine motus, arcis portã aperuit, ad Emirem Suleimanem exiuit, eique manum osculatus, deditionem fecit. Sultanus autem Muhametes vbi rem omnem, vt gesta fuerat, & qui dolus interuenisset, accepit: dolore animi grauissimo perturbatus, confestim ex eo loco, quo tunc degebat, discedens abiit, & ad vrbem Beg-

bazarim

bazarim se contulit. Vnde rursum motis castris, Amasiam profectus est, & ibidem illa æstate mansit. Emir vero Suleiman, fratrem cum exercitu secutus, eodem & ipse peruenit. Sultanus omnes cum oppidis arces occludens, intra munitiones se cum suis continuit. Emir Suleiman mille modis aliquid occupare tentans, ne quidem vnius arcis vno potiri saxo potuit. Itaq; cum exercitu suo, nulla re memorabili gesta, Burusam rediit; ibiq; totũ se conuiuiis & cõpotationibꝰ dedit.

Secundum hæc contigit, vt Sultanus Muhametes aliquando & ipse suis cum proceribꝰ hilarior solito, cibis & potu se recrearet. Ibi tum sermone, ceu fieri solet, sermonem excipiente, Sultanus ait: Vtinam scire possem, quo res fratris mei loco sint, & vbi nunc degat. Vix illa protulerat, quum sui quemdam exploratorem venisse dicerent. Ei Sultanus ingrediendi potestatem fecit. Quapropter admissus, initio (pro more gentis) Sultano fausta feliciaq; precatꝰ omnia: Misisti non ita pridẽ, inqt, o maxime rex orbis, me mancipium tuũ ad vrbem Burusam, res omnes illic exploraturũ. Feci, quod imperabas; penitus omnia, quæ geruntur istic, speculatus inuestigaui. Frater tuus in hominum solitudine maxima, propemodum solus agit. Dũtaxat e suis sexcẽtos secum habet. Interdiu, noctuque, nõ nisi poculis exhauriendis occupatur; & adeo quidem, vt etiã balineum ingressus, vinum illic potare nõ desinat. Iam mensis integer abiit, ex quo ibi desidet, ac nihil agit aliud, quam quod vino se replet, epulatur, genio indulget. Nulla talis occasio rei bene gerendæ se deinceps offeret. Rectissime feceris, siquidẽ modo nec opinantem obrueris. Hæc quũ Sultanus audisset, non parum tali nuntio lætatus: O begi mei, o proceres, ait, ita nos diutius otiosos sedere non cõuenit. Nã si maxime in hunc modum desides & ignaui quieuerimus, prospera tamẽ fortuna se nobis haud offeret. Ostendit illa se propitiam in prœliis, nusquam alibi citius, quam in pugnis reperitur. Qui mecũ ad hanc expeditionem venire voluerit, veniat; qui nolet, heic maneat. Equidem omni modo discessurus sum, ait. Tum vero proceres omnes simul omnia Sultano felicia fortunataq; precati sunt, & quocumq; iussisset, ituros se promiserunt. Quo quidem audito suorum responso, mox eadem Sultanus Muhametes hora surrexit, ad iter se comparauit, Burusam recta contendit. Quum aliquot iam dies in itinere consumsisset, ad Sacarim fluuium Turcis dictum, Græcis Sangarium, peruenit. Forte fortuna tum de proceribus Emiris Suleimanis quidam, cui nomen erat Suleiman Subassa, censendi regni causa missus, ad illum ipsum locum peruenerat. Is exercitu Sultani Muhametis ad ripam Sacaris fluuij cõspecto, mox cum aliquo suorum equitum numero prouectus ante reliquum agmen suum, & in ipsa ripa Muhameticos alta voce compellans: O municipes, ait, pacati ne venistis, an inimici? Mox quidam animosi e Rumilia superiori Asiatica iuuenes, equis ad flumen adactis; Nos vero qui simus, aiebant, statim intelliges. Simul amne natatu transmisso, confestim in Suleimanem Subassam impetu equorum maximo contenderunt. Tum vero Suleiman Subassa, non amplius præsenti cum vitæ periculo cunctandum sibi ratus, ad Emirem Suleimanem, quanta fugæ maxima celeritate potuit, se recepit. Indulgebat Emir Suleiman, quo tempore Suleiman Subassa, Muhameticorũ e manibꝰ elapsus, ad ipsum [illegible] bat, poculis & genio suo, quodã in balineo; nec pensi quidquam habens, totus mero madebat. Ei significatus fuit aduentus Suleimanis subassæ. Mox ingrediundi potestate facta, venit ad Emirem in ipsum balineum Subassa; voto de prosperitate concepto, subiecit ea, quæ sibi accidissent in itinere, Sultanumq; Muhametem statim adfuturum nuntiauit. His Emir Suleiman auditis, quod manu tenebat poculum, ad terram proiiciens: Quam indignũ est, ait, hostẽ hũc quauis occasione reperta, cum suis in me copiis irruere, meq; bello lacessere. Quodnam huic remediũ inuenire possimus malo? Nimirum in Europæam Romaniam redeundum nobis erit, vti periculũ hoc p̄sens euitemus. Quumque constet, hostẽ in his locis non mansurum, sed in Rumiliam suam superiorem rediturum: aliquã deinceps habituri, ꝓpitio numine, sumus occasionẽ colligẽdi exercitus Europææ Rumiliæ, denuoq; reuertẽdi has in ꝓuincias, ac regni paterni sedẽ hosti

nostro de manibus extorquēdi & recuperandi. Alis vero bassa, rationibus hisce Suleimanis intellectis: O rex, ait, ꝙ proposuisti consilium, non est bonum. Quippe si hoc modo reuersus in Europæam Rumiliam fueris, magna temet ipsum onerabis infamia; nec intermittere volet hostis, quin illuc etiam te sequatur, & victum regno spoliet. Itaque rectum hoc consilium in isto negotio fuerit, vt huic homini ad opidū Genischeheris occurramus, & in circuitu* Tzakir-bignaris omnes illas fauces ac viarū angustias occupemus, easq; nostris munitas præsidiis teneamus. Hoc modo nos adgredi non audebit, nec expeditionem aduersus nos suscipere. Quippe nostra in potestate regni erunt incolæ, nec annonas eis suppeditari a nostris patiemur. Quo fiet, vt aliquot diebus in istis locis commorati, pænuriam annonæ diutius toleraturi non sint, sed discessuri, suamque repetituri Rumiliam superiorem. Nec est, quod vlla de causa tibi ab hoste metuas. Quippe si hac via rē adgrediemur, nec tamen nobis ea successerit; equidem auctor ero scribendę hosti epistolæ, qua ille perlecta, nō amplius illis in locis hærebit, sed retro cedet, ac domum abibit. Posteaquam hæc Emir Suleiman audiisset, feruere nonnihil animo cepit, & ignauiæ vitio valere iusso, cū suis ad indicata loca progressus, memoratas modo fauces occupauit, & suis cum pśidiis insedit. Deinde Chazis Eurenoses speculatū res hostiū missus fuit. A Sultano datū hoc explorandi negotiū Muhameti Sallis filio, & Achmeti Horozis filio. Forte contigit, vt exercitus vtriusque speculatores sibimet inuicem occurrerent, ac manum inter se conserent. Tamdem multis vtrimque cæsis, Emiris Suleimanis speculatores profligati, fugæ se dederūt; & suorum in castra reuersi, Sultanum adesse nuntiarunt cum octo millibus equitum, qui & ipsi viri fortes essent, & equis optimis vterentur. Atq; his tantis copiis quum adparatus Emiris Suleimanis impar esset, aiebant omnes, omnino necessarium esse; vt instituta consultatione, de modo gerendæ rei statueretur, & omnium saluti mature prospiceretur. Dum hi sic inter se colloquerētur, inexspectato vexillorum ab eis conspectæ fuere cuspides, tympanorum pulsus, tubarum clangores, aliorum instrumētorum castrensium auditi strepitus. Media in acie, quæ instar lunę plenæ sub vexillis suis ad octo millia magnanimorum e superiore Rumilia militum continebat, Sultanus ipse aderat; quem antecedētes Tzausij, perpetuis votis inter progrediendum prosequebantur, altaque voce fausta precabantur omnia. Quum autem ex hac terribili specie Sultanini exercitus nō exiguam Emir Suleiman concepisset animo formidinem, & fugam spectaret: hac Alis bassa trepidatione ipsius animaduersa, statim maxima cum vafricie litteras ad Sultanum Muhametem scripsit, ac domestico cuidam suo perferendas dedit; quarum hanc fuisse sententiā accepimus. O Sultane princeps orbis, equidem scire te volo, proceres tuos omnes defectionē a te moliri, magnumque tibi malum secreto parare. Nobiscum enim pacta quædam inierunt, & iuramento sancte præstito nobis promiserunt, se quamprimum te nobis in manus tradituros. Nec ab alio putes admonitionem hanc animo proficisci, quam illius hominis, qui diu & copiose patris tui panem & salem comedit; & quando te amat, hæc omnino tibi significare voluit. quæ quidem ex me quum iam ante cognoueris, tuis ipse rebus mature consulito; nec vbi quid mali secutum fuerit, mihi quidquam obieceris.

Locus ad fontem situs. lib. III. supra.

Vbi Sultanus has ab Alis famulo redditas sibi litteras pellegisset, minimas in partes eas discerpsit & abiecit, nec cuiquam aliquid hac de re locutus est; sed equum adscendit, tympana pulsari, tubas & instrumenta cetera sonare iussit, & velitationib⁹ in hostem vsus est. Hoc modo sex septemue diebus vtrimq; pugnatum. Neuter altero superior euadere potuit. Quippe licet Emir Suleiman fratri copiis impar esset, natura tamen loci per se muniti, & admodum angusti sic adiuuabatur; vt numerosiores Sultani copias, fauces illas expugnatum venientes, ipse nullo prope negotio cū paucis exciperet, nec minori facilitate repelleret. Accedebat & aliud impedimētum, quod septem diebus illis continuis vehemens flare vētus haud desiit, & immodicæ de cœlo pluuiæ ceciderunt. Præterea milites vtrimque, propter exanclatos

anclatos labores in velitationibus superiorum dierum maximos, destituti viribus omnino languebant. Quum autem in his difficultatibus Sultani Muhametis constitutus esset exercitus, accidit hoc etiam, vt vnus e palatinis ipsius, siue Portæ ministris, qui lingua Turcorum Ilias, more nostro Elias adpellabatur, & Sultano a poculis erat, (Saraptarium Turci vocant) deserto Sultano, ad Emirem Suleimanem transiret. Id vbi factum vidisset Sultanus Muhametes, mirifice perturbatus, arcessitis consiliariis suis; O vezires, ait, an non videtis, quo modo res nostræ de die in diem peiori esse loco incipiant? Nuper admodum misit Alis bassa suas ad me litteras, quibus secuturam meorum defectionem mihi denuntiauit. Quare si vera non essent, quæ scripsit; Saraptarius ille meus non aufugisset. Tum vero Baiasites bassa capite ceteros inter vezires erecto: Maxime rex orbis, ait, quid a mancipiis tuis fieri tibi possit? Diuino reguntur omnia consilio & prouidentia. Vides, quanto studio, quanto labore præteritis aliquot diebus in hostem pugnauerimus; sed inuita fortuna, nec rebus fauente nostris. Nunc autem, mea quidem opinione, pręstiterit; vt institutum nostrum ad aliquod tempus adhuc differamus, omninoque futurum speremus, vt Deo propitio melius ac prosperius nobis omnia cedant. Hoc ipsum ad tempus aduersariorum castigationem & pœnam reseruemus. Id consilium Sultanus Muhametes, etiam præter animi sui iudicium & voluntatem, acceptare coactus fuit; ideoque motis inde castris, non multo post ad vrbem Tocatam rediit. Magnæ voluptati erat Emiri Suleimani, quod fratrem illinc suo cum exercitu, tam instructo, tam numeroso, pedem rettulisse videret: eaque de caussa Burusam & ipse reuersus fuit, & litteras dari iussit in omnes partes imperij sui, quibus subditos monebat; vt celeritate, qua possent, maxima coactis copiis ad se venirent; quando bellum ipse quibusdam illaturus esset.

His litteris ab Emire Suleimane diuersas in prouincias dimissis, vt exercitus colligerentur; atque interim ipsomet adparatum belli maximum faciente, suisque rebus optime consulente: nuntiatum fuit ex opido Siurichisare vel Oxycastro, si propius eo se contulisset, omnino deditionem ei facturos Oxycastrenses. Hac illorum intellecta voluntate, Siurichisarem profectus est. quumque peteret, vt ipsa re præstarent, quod verbis se facturos receperant: animaduertit in irritum cecidisse, quod tam certo futurum sperauerat. Itaque diebus aliquot Siurichisarem militum suorum corona circumdatam, obsedit. Ab altera parte princeps opidi Caramanoglius, quum & ipse profectum illuc Emirem Suleimanem accepisset; occasionem in lucro ponens, cogitare secum ipse de opprimendo cepit Emire Suleimane, si quidem ita res tulisset; vnde non exigua sibi commoda speranda videbat. Sin ex animi voto res non successisset, aufugiendum aliquo statuit, ne Suleimanis in manus incideret. Propterea totus in hoc inuigilabat, vt aliqua via Suleimanem adgrederetur. Sed quum res omnes in hostium castris, eorumque præsertim multitudinem, exploratorum opera cognouisset: non ausus exercitum Suleimanis inuadere, fuga subita discessit. Emir vero Suleiman, hac eius abitione intellecta, Chazim Eurenosem cum imperio copiis quibusdam suis præfecit, & Caramanoglium a tergo persequi iussit. Caramanoglius ad vrbem * Ac-saraium se contulit, & Chazis Eurenoses eodem post ipsum perueniens, castris locum cepit. Caramanoglius in vrbe conuiuiis celebrandis deditus, litteras ad Sultanum Muhametem scripsit, & quemdam e suis misit, qui eas redderet. Petebat autem, vt in opido Kir-scheheri, quod a † planicie nomen hoc consecutum supra diximus, vel in arce Zemale, Sultanus & ipse conuenirent, sanctumque fœdus inter se percuterent, graui sacramento firmandum; quo sibi mutuo promitterent, alterum alterius non amicum modo, sociumque futurum; sed etiam amicorum amicum, & inimicorum inimicum. Præterea tenore fœderis huius & concordiæ, dimidiam partem ditionum Caramanoglij pro se Sultanus Muhametes acciperet; & ambo fœderis huius compre-

[* Pandect. cap. 58.]

[† ὁμαλόπολις. fine libri vij.]

henſi tabulis, Emirem Suleimanem regno expellerent; quod quidem fœdus perpetuo ſeruandum, in arce Zemale congreſſi ambo ratum habere ſe profiterentur, & conſuetis inſtrumentis munitum confirmarent. Ea de re certior factus Chazis Eurenoſes, ad Emirem Suleimanem cum traditis ſibi copiis reuerſus eſt, eique ſignificauit, quid inter hos actum eſſet. Addidit etiam, ſibi quidem videri, quando per hoc fœdus auctæ non parum vires hoſtis eſſent, minime in aperto loco deinceps hærendum; nec expedire, diutius vt iſtic iniuriis hoſtium expoſiti reperirentur. Eaque de cauſa regrediendum ad arcem Selaſilim, ibique ſubſiſtendum. Quippe ſi hoſtis illic in eos irrueret, aciem a tergo per ipſum muniri poſſe opidum, tantoque ſecurius in hoſtem a fronte dimicari. Placuerunt Emiri Suleimani hæ Chazis Eurenoſis rationes, ideoque motis caſtris ad opidum Ancaram ſe recepit, ibique caſtrametatus quieuit.

Interea vero, dum ad Ancaram Emir Suleiman hærebat; etiam Sultanus Muhametes ab altera parte, iam longius ab hoſte remotus, cum ſuis conſiliariis ac proceribus varias conuiuiorum, & alias voluptates ſectabatur. Forte contigit, vt aliquando Muſa quoque Zelebis, Sultani frater, quem ſecum habebat, conuiuio intereſſet. Is medio in epulo ſurgens, ad Sultanum acceſſit, manus illi oſculatus eſt, & amoris varia ſigna edidit. quæ quum grata Sultano acciderent: Mi frater, ait, quid nam a me fieri tua cauſa deſideras? Tum Muſa Zelebis reſpondens; Quando iubeor, inquit, mandato regio parere: dicam, quod mihi ad animum accidit. Non ignoras, o Schach olem, o rex orbis, quæ frater noſter Emir Suleiman hactenus in nos deſignauerit, quibus nos contumeliis & iniuriis adfecerit; quas ſi vindicare mihi per te licuerit, o rex, ad Isfendiarem me conferam, & ab eo naues petam, quibus in Europæam Rumiliam traiicere poſſim. Quippe futurum certo mihi fore polliceor, vt occaſionem commodam gerendæ rei præbente numine, magnum quid illic efficiam. Præterea dictus frater noſter, vbi de hoc conatu meo acceperit, abſque vlla mora tranſmittet in Europæam Rumiliam, vt meos in ea progreſſus impediat. Hoc modo tu, mi frater, ſolus hoc Aſiæ regno potieris. Ac ſi quidem mihi diuinitus conceſſum fuerit, vt Europææ Rumiliæ regnum in poteſtatem redigam: plane tibi promitto, me preces Hutbeas, quæ pro more Muſulmanorum concipi die feſti hebdomadarij pro felicitate ſaluteque Sultani noſtri ſolent, tuo fieri nomine iuſſurum; nec minus curaturum, vti moneta publica tuo titulo ſignetur. Quibus dictis, maiorem vt verbis ſuis fidem adſtrueret, ſacramentum præſtitit. Quapropter icto inter ſe fœdere, mutua ſibi auxilia polliciti ſunt. Sultanus etiam Muhametes equos propemodum infinitos, cum veſtimentis, & theſauris, Muſæ Zelebi donauit; & ſecundum hæc, quum alter alteri manum porrexiſſet, ac ſalutando, pro Turcorum more, valedixiſſet; ex iis Muſa locis diſceſſit, nec multo poſt ad Isfendiarem peruenit. Is autem Muſæ aduentu cognito, cum miniſterialibus ſuis palatinis obuiam ei profectus eſt; & humaniter exceptum, deduci magnificum iuſſit in palatium, ſplendidiſque tractari epulis, quarum miſſus vix numerari poterant. Cupiebat enim caritatem & amorem ei ſummum probare princeps Isfendiar, ideoque diebus eum aliquot ſecum retinuit. Quumque Muſa ingenue ſui deſiderium & inſtitutum animi faſſus fuiſſet, valedixit Isfendiari, & ad Caramanoglium profectus eſt: qui certior factus, eum aduentare; cum proceribus ſuis honorifice occurrit, & exceptum veneratione ſingulari, vt Emiri Suleimani ægre faceret, in elegantiſſimum deduci palatium mandauit, & inſigni epularum ſumtu luxuque, regium in morem tractari. Muſa Zelebis, tanta Caramanoglij perſpecta erga ſe beneuolentia; nonnihil vt ipſe quoq; genio indulgeret, ad aliquod id tempus permanſit.

Dum vero deliciis illis exquiſitis, & omni voluptatum genere fruens, apud Caramanum hærebat; nutu diuino contigit, vt in Europæa Romania Valachorum princeps, ab Akenziis ſiue volonibus

bus

bus Emiris Suleimanis in Europæa Rumilia, tantis adfectus detrimentis, vt omnis ipsius ad vastitatem redactus esset ager, vicissim & ipse de vindicandis suis, & suorum iniuriis, cogitaret. Quamobrem datis ad Isfendiarem litteris, & legato cũ his ad eumdem misso, petiit; vt Musam Zelebim sibi mitteret, cui ꝑ legatum suum ad se deducto filiam daturus esset vxorem, & regni sui ius cum filia concessurus: vt hac via liberari ab Akenziorum damnis & iniuriis posset. Vbi legatus hic ad Isfendiarem venisset, rursus ad Caramanoglium missus ab eo fuit, ibique Musam repertam adiit. Perscripserat autem Isfendiar de voluntate Valachi principis diligenter, & quam prolixe maxima quæque pollicitus is per litteras ad se datas fuisset, certiorem magno studio Musam reddiderat. Ei vero mirificam nuntius hic voluptatem adtulit, quum diceret, hoc ipsum hactenus in votis vnice sibi fuisse. Quapropter relicta Caramania, rediit ad Isfendiarem Musa cum legato Valachi; & impetratis ab eo nauibus, traiecto mari nigro; ad Valachiæ regnum adpulerunt. Lætus aduentu Musæ princeps Valachus, obuiam ei venit, & exceptum insigni cum honore ac veneratione, lautissime quouis ciborum & potus genere tractauit, ac variis etiam donis liberalissime coluit. Inde filiam quoque suam in matrimonium ei collocauit, & regnum obtulit.

Posteaquam Musa Valachiæ principatum adeptus fuisset, mox ille passim de ipso diditus fuit rumor; adeoque perexiguo tempore tantos progressus fecit, vt Europæa Rumilia prorsus occupata, summam rerum ibidem in vnum se transferret. Nec multo post nuntiatum Emiri Suleimani fuit, in Anatolia tunc degenti, profectum in Europam fratrem ipsius Musam Zelebim, regiones illas omnes suo subiecisse imperio. Magnopere perturbatus ea fama Suleiman, non modo de regno, sed etiam de incolumitate saluteque sua sollicitus esse cepit. Hinc Iacupem begum, auctum dignitate beglerbegi, arcis Selasilis timario donauit. Nam Alis Bassa iam fato functus fuerat, & quidem in hoc ipso Selasilis vel Ancaræ loco. Deinde cum veziribus reliquis re deliberata statuit, interdiu noctuque, citra vllam intermissionem, properandum; vt traiectis in Europam militibus, seditioni Musæ quam maturrime obuiam iretur. Hac de causa motis castris, summa festinatione versus vrbem Constantinopolim contendit; ac principi Constantinopolitano regiones quasdam pollicitus impetrauit, vt illic cum exercitu suo trans mare veheretur. Interim Musa Zelebis, intellecto Suleimanis aduentu, cum suis & ipse copiis aduersus eum perrexit; vnde factum, vt progressis celeriter exercitibus, tamdem alter in alterius cõspectu quodam in cãpo subsisteret. Quumque collato inter se pede dimicarent, nonnulli Europææ Rumiliæ proceres ex acie, Musa deserto, profugerunt; & Emirem Suleimanem adeuntes illius imperio se parituros ostenderũt. Quod quum fieri Musa Zelebis animaduerteret, arrepta fuga siluas ac montes petiit, & in iis latitans, hinc inde vagabundi latronis instar oberrauit. Emir vero Suleiman victoria potitus, Hadrianopolim accessit; solioque regio recuperato, totũ se pristino more; sumtuosarum epularum luxui, & poculis dedit.

Vix Emir Suleiman ex Asia digressus, in Rumiliam Europæam adpulerat, quum Iacupes begus, Anatoliæ beglerbegus a Suleimane creatus, qui antea Burusæam arcem pro Sultano Muhamete tenens, Emiri Suleimani prodiderat, nunc rursus ad Sultanum transiens, eidem per litteras significaret: adesse iam tempus illud optatissimum, quo felix & ꝓpitia fortuna denuo Sultani Muhametis esset amplexa partes; eiusq; dormiens felicitas experrecta, tantũ in animis subditorũ totius regni desiderium eius excitasset: vt omnino nihil ardẽtioribus votis expeterent, quam vti Sultanum suum Muhametem coram intueri præsentem possent. Hoc Muhametes accepto nuntio, mox equum adscendit, & abducto secum exercitu suo, versus Ancaram progressus, eodem celeri gradu peruenit. Confluxerunt huc ad ipsum & hostes illi pristini, iam reconciliati; nimirum Inal-oglius, & Kiupec-oglius, & alij; manumque Muhameti, pro more, sunt osculati: qui deinde regiones has, Carasiam, Aidinensem, Saruchaniam, Mentesiam, Tekensem, &

Germeanensem, itinere continuo peragratas, in potestatem suam denuo redegit; Burusamque veluti postliminio reuersus, ibidem rursus in solio se regio collocauit.

Semel interim ab Emire Suleimane victus in Europæa Rumilia Musa Zelebis, Hadrianopoli amissa, quam victor Suleiman ceu regiam sedem tenebat; quoties eodem cum fratre suo præliatum venit, semper fusus fugatusque fuit; & quadam cum manu suorum, ex oculis hostiũ se subtrahens, in siluis & montibus hinc inde vagari perrexit. Tamdem recepto animo, coactisque nouis, quorumdam opera, copiis: Iterum, ait, cum fratre meo congrediar, ac vel ipse meum periculo caput obiiciam, vel alieno capite potiar. quibꝰ dictis, in hostem recta profectus est. Præcipui cum eo proceres id temporis erant, Coion-Musa, quo nomine Musa gregarius significatur; & Michaloglius heros, (Gasim Turci dicunt) quem Ser-askerem siue maximum ducem exercitus sui Musa creauerat. Tum vero nuntiatum Emiri Suleimani fuit, adesse cũ exercitu Musam, ipsumq; Suleimanem cum suis vndiq; circumdedisse. Suleiman id temporis in balineo, pro more, poculis indulgebat; & illum, qui huius rei nũtium adferebat, grauiter verberibus cæsum, interfici iubebat. Ipse repetitis epulis, denuo potabat. Interea propius accedente Musa Zelebi cum exercitu suo, præcursores exercitus vtriusque mutuo congressi, manus cõseruerunt. Ibi tum Chazis Eurenoses ad Emirem Suleimanẽ ingressus: O rex orbis, ait, ecce Musa Zelebis, frater tuus, adest; & magnã exercitus nostri partem fudit, fugauit. Ei respondens Emir Suleiman: O tutor, inquit, imperij mei, (Lalam Turci, ceu nutritium, dicunt) o Chazi, ne mihi turbes epulum hoc meum. Frater ille meus Musa tantum animi non habet, vt huc venire, manumque conserere mecum audeat. His ex eiꝰ ore auditis, exiit Chazis Eurenoses, & Chasanem Agam adpellans: Ingredere tu, inquit, ad ipsum o Aga, cuius fortasse verba libentius admittet, ac iisdem facilius obtemperabit. Quapropter is etiam ingressus, aliquid admonitione sua maius impetraturũ se sperabat. Sed visa fuerũt Emiri Suleimani Chasanis verba tũ duriora, tum acerbiora; quam audire principẽ, a subdito prolata, par esset. Ideoque mandauit, vt ignominiæ causa, more nationibus illis familiari, quem supra libro huius historiæ quarto adtigimus, ei barba praecideretur. Itaque digressus ab Emire Suleimane, tali accepta iniuria, Chasan aga: Magnifici proceres, ait, quid de ista vobis, illata mihi, contumelia videtur? Siquidem hic honor est, maiori me princeps adficere vix potuit. Sed omnes vos scire volo, iam mihi cõstitutum, ad Musam transire Zelebim; ideoq; si qui palatinorum volent, abire mecum poterũt. His dictis, equũ suum cõscendit, & comitante palatinorũ maiore numero, discessit; coramq; Musa, postquam in eius castra venisset, se stitit. Exemplũ Chasanis agæ complures secuti proceres, capto ex tempore cõsilio, factaq; coniuratione, cũcti Suleimane deserto, ad Musam defecerũt. Quapropter apud Emirem Suleimanem alij non mansere proceres, quã Caratzes begꝰ, & Cara-Mucbil, & Vrutzes begus. Tali apud Emirem Suleimanem rerũ statu, monuere Musam quũ transfugæ, tum alij; fratrẽ ipsius solum in balineo voluptatibus & poculis suis indulgentem, nullos omnino secum habere salutis & incolumitatis suæ defensores. Quibus auditis, adacto Musa calcaribꝰ equo, fratrẽ vt inopinantem obrueret, maximo in eum prouectus est impetu. Sed interea significatum Emiri Suleimani fuerat, Chasanem Agam maiorem palatinorum numerum in castra Musæ secũ abduxisse, nec mediocriter hoc modo copias ipsiꝰ auxisse. Præterea begos siue ꝓceres alios cõplures, idem cõsilium secutos, se Musæ Zelebis partibus adiũxisse. Quod deniq; formidabilius esset, nuntiari dicebant; fratrẽ ipsius Musam, vniuersis cũ copiis aduentantẽ, mox adfuturũ. Tũ vero cepit Emir Suleiman errorẽ delictũq; suum adgnoscere, statimq; poculo, ꝗ manu tenebat, ad terrã proiecto, ingenti cum dolore pænitẽtis animi: Proh quam stulte, inquit, hactenus egi; quam honesto nomini, & existimationi meæ, fœdam inussi maculam infamiæ; quantum in periculum me conieci, dum corporis & gulæ libidini totum me dedidi miser. Quibus ita prolatis, equum conscendens, ad saraium

siue

siue palatium suum conferre se voluit. Sed Musa maiori studio properans, saraium illud, militum suorum corona cinctum, circumsedit. Quod vbi factum vidit Emir Suleiman, imo gemitu cordis, & lamentatione lugubri suam deplorans infelicitatem: Væ mihi misero, inquit, heu quam me grauis oppressit imprudentem calamitas, quam tristes delicti mei pœnas luo. Simul aliud euadendi remedium nullum animaduertens, ad tenebras vsque vespertinas semet abdidit; ac deinde primo crepusculo surgens, equo conscenso, Constantinopolim celeri fuga se recipere statuit. Quumque iam densiores essent obortę tenebræ, Turcomanum quemdam, hoc est rusticum natione Turcum, pretio cõduxit, vt indicem nocturni haberet itineris. Aderat ei nullus e procerum numero, pręter Caratzen begum, & Cara-mucbilem, qui Suleimanem soli tunc comitabantur. Vir improbus, dux itineris, sæpius inculcans, se viam tenere recta Constantinopolim ducentem, idque constanter adfirmans, aliam prorsus imprudentes in viam traxit. Quoties autem interrogabatur, ipsis ad opidulum vel pagum aliquem delatis, quod illi loco nomẽ esset, veram eius adpellationem dissimulans, falsam proferens; Ad hunc vel illum peruenimus locum, respondebat. Hoc modo deceptos, in locis admodum illi loco vicinis, e quo Constantinopolim deducendi discesserant, velut in orbem ad matutinum tempus vsq; circumduxit. Posteaquam sic illuxisset, vt alter alterum intueri iam posset, ad locum peruenere, cui nomen erat Dugentzi-ili. Tum vero dux itineris de industria çelerius antegressus & amicos quosdam suos conueniens: Ecce, inquit, Emirem Suleimanem profugum vobis adduco. Modis omnibus cauete, ne tam opportuna vobis occasione perficiendæ rei maxime insignis oblata, secordes & ignaui sitis. Hinc factum, vt rustici Turcomani concurrentes, Suleimanem cum suis circumdatum, medio in agmine suo concluderent, Caratzem begũ minimas in partes discerperent, Cara-mucbilem occiderent. Tamdem Suleimanis equum, sagitta transfixum, ad terram prostrauerunt; ipsumque Suleimanem captum, vinculis iniectis ligarunt. Erant inter hos Turcomanos quidam, qui Suleimanem innuentes: Hunc etiam interficiamus, aiebant. Vicissim occlamabant alij, nequaquam hoc faciundum, sed hominem ignis supplicio delẽdum. Non deerant denique, diuersum ab vtrisque sentientes, qui dicerent, neutros recte consulere. Mox enim adfuturum Musam begum, qui hunc quæsiturus esset. Dum hæc inter se verba commutarent, accessit propius ex improuiso Musa Zelebis, Emirem Suleimanem persequens; & hoc tumultu rusticorum audito, velociore cursu suos antegressus: Hem quid istuc est? ait. Simul captum Emirem Suleimanem fratrem vinculisque constrictum, in medio rusticorum conspexit. Mox eo lætus spectaulo, Coion-Musam abire iussit, & Emiris Suleimanis vitæ finem adferre. Qui Musæ mandato parens, suffocatum extinxit, & hoc modo beatorum cœtibus adgregauit.

Hic Emir Suleiman a migratione prophetæ Musulmanorum Muhametis anno ιɔ ccc v solio regio principum *Chr.* 1404.
Osmanidarum potitus fuit, & anno deinde ιɔ ccc xiii rebus humanis exemtus, *Chr.* 1411.
omnino vii annos, menses x, dies xvii regnauit.

Erat princeps bonus, hilari vultu, laudabili morum venustate præditus, insigni liberalitate nulli principum secundus; adeo quidem, vt a nonnullis etiam prodigus esse iudicaretur. Magnanimitate parem suo non habebat sæculo, nec rei militaris scientia. Procul ab omni tam superbia, quam inuidia remotus, in omnes homines beneficus, humanus, clemens, benignus erat. His adde iustitiæ, rectitudinis, integritatis laudem. Vixit eius tempore Molla siue Meulana Achmetes, hoc est, sapiens siue Doctor Achmetes, qui rhythmicis versibus librum historiæ Alexandri Magni composuit, & Emiris Suleimanis nomine publicatum edidit. Hic ab eo vicissim donis eximiis liberalissime cultus, fructum sui laboris vberem tulit.

IO. LEVNCLAVII

HISTORIAE MVSVLMANAE TVRCORVM LIBER VNDECIMVS.

MVSAICVS.



ESTAT exponendum adhuc vnius e fratribus illis Cadmeis imperium, quos interregni tempore tot intestinis bellis ac prœliis Turcorum maximas edidisse strages hactenus ostendimus; ac propterea ne quidem a Turcis pro legitimis haberi principibus, ex ipsa perspeximus historia. Sequar autem morem hactenus a me seruatum in hac commentatione, prius vt exhibeam legenda lectori de Musa Zelebi, quę Verantiano libro continentur; deinde rariora quædam & pleniora subiiciam, e Muratis Dragomani lecythis hausta.

Extincto igitur Emire Suleimane, Musa Zelebis rerum potitus, Hadrianopoli consedit. Sultanus autem Muhametes, qui Amasiæ degebat id temporis, quum accepisset, Musam Zelebim, Europæam Rumiliam ingressum, regiones illas in potestatem redegisse: mox & ipse prouincias in Anatolia sibi subiecit omnes, quas ante mortem suam Emir Suleiman, frater horum, possederat. Musa Zelebis, hoc animaduerso, de suis & ipse rebus cogitare diligentius cepit. Itaque vezirem sibi delegit quemdam, cui nomen erat Giursameliges; & alium, qui Mehemet begus Michaloglius vocabatur, Beglerbegum constituit; & tertium, quem Simaunæ filium Casim siue iudicem adpellabant, Casi-askerem vel iudicem maiorem castrensemue creauit.* Azaporum begum, Emiris Halemis officio donauit, cui Sanzacorum aut vexillorum commissa est cura. Sic & Sanzacatus, officiaque cetera, mancipiis sibi maxime caris tribuit. Emir Suleiman, rebus humanis excedens, Vrchanem filium superstitem, cũ filia quadam vnica reliquit. Ambo simul arrepta, Musæ patrui metu, fuga; Constantinopolim se receperunt. Hoc modo distributis inter mancipia Musæ dignitatibus, omnes Europææ Rumiliæ begi siue proceres iisdem exuti, priuatam ad fortunam redacti fuerunt. Faciebat autem hoc Musa Zelebis ob eam causam, quod ab illis Emirem Suleimanẽ, fratrem suum, proditum vidisset: ideoque metuebat, ne se quoque violata fide militari desererent. Præterea mos inoleuerat in illis Europæ regionibus, vt si quis begorum aut procerum suspectus esse cepisset; ad mortem quæreretur, vel in carcerem saltim, mitiori obtenta sententia, coniiceretur. Quod in perniciem suam quum fieri scirent Rumiliæ proceres, vltro semet ex oculis hominum subductos abdebant; visuri, quem his fortuna rebus exitum esset datura.

*Pandect. cap. 72.

Solus Eurenoses begus, aliorum quidem exemplo se non subtrahebat ex hominum conspectu; sed nihilo tamen minus præ formidine, qua sibi non parum a Musa metuebat, cęcitatem simulare cepit. Diditus hic de ipso rumor ita fuit, vt etiam ad aures Musæ perueniret: qui tamen ei fidem habere nolens, Eurenosem ad se perduci iussit; vtique rem certo exploraret, carnium loco ranas, a quarum esu Musulmani abstinent, coqui præcepit, & Eurenosi coctas adponi; monentibus eum tam ipso Musa, quam Musæ proceribus, velut honoris & beneuolentiæ causa, cibis vt illis vesceretur. Interim pro sua prudentia satis animaduertebat Eurenoses begus, quam infesto Musa Zelebis esset in ipsum animo: ideoque cæcorum more de industria manum hinc inde palpitans

tans extendebat, vt cibos adpositos quæreret. Eo conspecto, præcepit Musa Zelebis, vt sui manum eius ad propositos in mensa cibos dirigerent. Quo facto, ranis manum admouit, prehensas ingessit ori, & manducauit; nescire se simulans, quinam ille cibus esset; idque tanta cum vafricie, non iam vt ipse Musa dubitaret amplius, sed Eurenosem begum omnino cæcum esse crederet: adeoque suis diceret, eum reuera visum amisisse, nec suis oculis quidquam cernere. Simul ei potestatem fecit, ad prœdia sua, siue timaria, quæ possidebat, se conferendi. Secundum illa vero, quum Sultanus Muhametes in Rumiliam Europæam cum exercitu transmitteret; mox Eurenoses begus ad eum confugit. Nuntiatum ergo fuit Musæ Zelebi, transfugisse Eurenosem begum ad Sultanum Muhametem, & oculos ipsius cepisse facultatem videndi recipere. Tum vero Musa Zelebis, hoc intellecto, grauiter ac moleste rem tulit; quod pæniteret, Eurenosem ab se nō interfectū. Simul dixisse perhibetur: Abi vero & vale, o Eurenoses, qui malitiosa fraude tua manibus e meis animā tuam eripuisti. Ad summam, nimium furiosus & iracundus erat Musa Zelebis, & inprimis Europæ Rumiliæ begis infestus, quod fratrem suum deseruissent, eoq; prodito, suas ad partes transiissent. Frequenter etiā in ore verbum hoc habebat: Numquam proditores vti fortuna prospera, nec felices habere successus. Ceteroqui proceres suos, & milites, & alios rerum suarum administros, quos omnes vno vocabulo Sultani Turcici mancipia sua dicere consueuerunt, non leui beneuolētia prosequebatur, & perquam in eos liberalis erat. Solitum accepimus, aspris † cum Sultaninis cōmistis, implere scyphos argenteos, atq; ita suis eos Genitzaris, aliisue mācipiis donare. Vel obuium quemuis e suis, * vscufiam demtā e capite porrigere sibi iubebat; eamq; totam aspris & Sultaninis impletam cum mandato reddebat, vt inter socios munus hoc distribueret. Posteaquam vero Sultanus Muhametes in Europam traiecisset, omnes Europææ Rumiliæ duces ac milites eum deseruerunt, mansitque Musa solus cum ministerialibus & militibus suis palatinis, & cum Genitzaris; ceteris omnibus Muhametem adorantibus. Itidem postea, quo tempore Muhametes prœlio cum Musa congressurus erat, relictus hic a suis fuit omnibus, Genitzaris dumtaxat exceptis, vti paullo post indicaturi sumus.

† Pandect. cap. 18.

* Pandect. cap. 42.

Non tamen inter hæc bella ciuilia regni conseruandi curam ex animo suo Musa deposuit. Nam quum a Turcis Vidina defecisset, cum copiis eo profectus est, rursumq; domitam in ordinem redegit. Vlterius inde progressus, Preuedinen cepit, & Mutrin, quæ † alibi Piruade Madraque nominantur. Hinc in Laz-oglij regionem transiit, hoc est, in Seruiam, Lazari Bulcouitzij filio Stephano subiectam: & pontem fieri curauit, & Vgiebolim cepit, quo vocabulo notat interpres Verantianus limites latos significari. Equidem arbitror intelligi Vschebolim, de qua dictum * alibi, vel Ischebolim, priscis Scopelon, in agro Thracicæ Zagoræ Bulgarico; idq; de statim heic subiectis colligo, quum narrat auctor, hinc militem Musaicum, in omnes partes prædatum exeuntem, magnas opes adquisiuisse; atque etiam sæpenumero solitum ad vrbem vsque Constantinopolim excursionibus suis grassari; tanta cum vrbanorum trepidatione, vt ipsas etiam portas occluderent, nec aperiri sinerent. Referunt Annales Beccani, pro Vsgieboli, Chiupurlim Lazaricæ ditionis opidum, a Musa tunc captum fuisse, quod etiam propius a Silyurea, statim ibidem subiecta, & a Constantinopoli abest. Et colligere licet hinc, quantos Seruij, durantibus illis Turcorum fratrum lanienis, in ipsam vsque Thraciam progressus fecerint. Quippe Chiupurlis nomine lector aliud opidum non quærat, quam quod hodie Græcis illic Cuperi vel Cupri nominatur, & olim Cuperium dicebatur, auctore Niceta in III. Situm est inter Philippopolim & Hadrianopolim, a qua tamen interuallo propiore distat. Turcis nunc adpellatur Tzupri, & Cupri, quorum vtroque pons ipsorum lingua significatur. Et alibi monuimus, eos sic Græcas voces opidorum, & regionum, & aliorum locorum mutare, quamdam vt similitudinem cum sono priscarum retineant, & aliquid in sua

† Vide cap. 5. Pandectis.

* Pandect. cap. 36.

quoque lingua significent. Ita factum ex Cuperio, Cupri vel Tzupri, hoc est, pōs. Quippe pons illic est supra Meritzam vel Hebrum fluuium præterlabentem. Et quoniam deinceps opere sumtuosissimo pariter & pulcherrimo, quod vidimus, quidam Mustapha Bassa, cuius nomen in lapidea tabella medio põte legitur aureis inscriptum litteris, dictum amnem Meritzam heic strauit; iccirco vocat hodie barbarorum vulgus hoc opidum Mustaffa bassa Tzupri, siue pontem Mustaphæ bassæ. Vnde locus hic etiam de structo a Musa põte lucem accipit, nimirum supra Meritzam, ad Cuperium: quod etiam in Chiupurlim vel Chiupirlim mutatum, non est, cur quisquam miretur. Nam Chiupirli factum est ex Kiupri-ili Turcico, quo Cuperij ager denotatur. Sed nimium fortasse de his, ad historiam tamen intelligendam pertinentibus. Nunc eo redeamus, vnde digressi sumus.

In his Musaicorum militum excursionibus, quibus ad ipsa Constantinopoleos vsque mœnia grassabantur; accidit aliquando, vt Musæ Vezir Giursameliges, singulari cum industria, suis imprudentibus, ipsam in vrbem Constantinopolim se fuga reciperet. Ea res Musæ metum & trepidationem quamdam incussit, Giursameligis causa; quem formidabat. Ideoque mox iis e locis discessit, & Hadrianopolim reuersus est; vt videret, quem ei fortuna monstratura esset vultum. Ab altera parte cupidus erat Sultanus Muhametes cõmittendæ cum fratre suo Musa pugnæ. Bassa princeps apud Muhametẽ erat Baiasites. Ei præcepit, vti res omnes ad expeditionem & traiectionẽ in Europam quamprimum ordinaret & instrueret. Forte Giursameliges id temporis, relicta Constantinopoli, ad Sultanum Muhametem venerat. Quamobrem Baiasites bassa Sultano suo auctor erat, vt Giursameligem arcessiri iuberet, eumque deliberationi huic adhiberet, vt ipsius quoque iudicium intelligerent. Igitur vocatus, accessit; & interrogatus, qua via putaret in Græciam trãsmitti cum exercitu posse, respondit: omnino mittẽdum legatum ad Teggiurem Constantinopolitanum, qui cum eo pacem iniret. Alioqui mare cum copiis traiici nullo modo posse, quando Calliopolis esset in potestate Musæ, ac propterea traiectus ille Muhameticis clausus. Hoc audito consilio, mox aduocauere creatum recens vezirem Faselullam, qui prius Casis vel Iudex Geiuisæ fuerat; eumque Constantinopolim misere, ceu legatum. Quippe singularis hic amicus Teggiuris erat, ideoque profectus ad Teggiurem, facile perfecit, vt inter ipsum & Sultanum Muhametem pax cõstitueretur, ac fœdere nouo sancta cõfirmaretur. Secundum hæc discessit Burusa Sultanus Muhametes, ac versus Constantinopolim perrexit. Ei Teggiur ille magnũ nauium numerum trãsmisit, quibus ex Asia, suo cum exercitu, in Europam transportaretur. Quum autem Musæ nuntiatum fuisset, Sultanum Muhametem iam traiecisse Bosporum, propter Constantinopolim, & in ipsum recta contendere: mox Hadrianopolim fuga reliquit, & in Lazari Bulcouitzij regionem se conferens, eius principem Laz-oglium, hoc est Lazari filium Stephanum, adortus est. Sultanus autem Muhametes in loco quodam, cui nomen * Intzuge, castrã metatus consedit. Venit heic ad Muhametem quidam Musæ desertor, Eurenosis begi filius, Alis begus. Quo deinde die Muhametes Intzuga discessit, filius etiam Michalis, cui nomẽ erat Bagsi-begus, ad ipsum se contulit. Michal ipse Musæ Zelebis beglerbegus erat, ac filium suum nihilo minus illuc id temporis mittebat. Hoc modo Sultan⁹ Muhametes Hadrianopolim cum exercitu progressus accessit. Tum vero proceres omnes Europæi Musam deserentes, ad Sultanum Muhametem confluxerunt; nec apud Musam alij mansere, præter Akenzios. Inde Sultanus Muhametes, motis Hadrianopoli castris, in regionẽ Zirforum, quã paullo ante Musam hostiliter ingressum diximus, versus Sophiam, quærendi Musæ causa, perrexit. Hoc itinere alter exercitus in alterum incidit ad Samacouam, ibique manus conseruerunt. Ac desertus quidẽ a maiore suorum parte Musa, tamen aliquos adhuc secum Genitzaros habebat. Hi Musam monebant, vt secum iret; simulque pollicebãtur, se illum alio deducturos; sed noluit hoc facere. Quapropter etiam ipse Genitzarorum Aga siue tribunus

* Pande cap. 215.

bunus ad Sultani Muhametis partes transiit, in ipso prœlij pugnandi principio. Narratum deinceps ab illis accepimus Genitzaris, qui huic interfuerant prœlio; post ipsorum Agæ discessum, adhuc cum Musa mansisse † Tzohadarem Agæ, hoc est illum, qui a tergo pluuiam ei veste portare solebat. Hic Tzohadar ante, quam & ipse transfugeret, acinace stricto, nec opinantem Musam adgressus, totis viribus humerum eius vulnere grauissimo sic læsit; vt amplius in hostem Musa dimicare non posset. Hoc facto, Tzohadar ille fugã arripuit. Fugit & Musa, suos deserens Genitzaros; & inter fugiẽdum accidit, vt equus eius in fossam caderet. Quippe læso, ceu diximus, humero; non amplius ea vel manus, vel brachij vis erat, vt equum inhibere ac regere posset: ac multo minus viam norat, qua fugiendum esset. Habebat Musa mancipium quoddam, cui nomen Sarutzes. Is confestim abiit, & equo Musæ domini sui tendines incidit; vnde factum, vt humi collaberetur. Hinc Musam captum ad Sultanum Muhametem deduxit; nec multo post, aduentante vespera, suffocatus ex Osmanidarum instituto fuit, ipsumque cadauer extincti Burusam deportatum; vt illic propter aui Muratis monumentum & ipse conderetur. Regnauit annos IIIS. Venit in potestatem Muhametis hoc prœlio Mehemetes begus Michaloglius, qui Tocatam relegatus fuit, & in carcerem coniectus, cui nomẽ erat Bedeui Giardag vel Tzardag, id est, funis crassus. Captus etiam fuit Semaunæ filius Casis siue Iudex; & cum sexus vtriusque liberis relegatus Isnicam siue Nicæam, cum diurnis asprorum CIↃ annonis. Azeb-begi filius, Azeporũ peditum dux siue tribunus, post Emir-Halẽ creatus a Musa, quod supra cõmemoratum, ad Valachos aufugit. Quapropter vniuersa tamdem Europæa Rumilia Sultani Muhametis imperium accepit, anno a migratione prophetæ Musulmanorũ IↃ CCC XVI.

† Pandect. p.199.

Chr. 1415.

Habent lectores Musam Verantianũ: Iam & Haniualdanum dabimus, quem eo minore cum tædio lecturi sunt; quo narrationes ipsæ ꝓpius ad historiæ characterem genuinum accedũt, & res tradunt ab hactenus expositis pæne diuersas, adeoq; raras, & a nullis ita memoriæ proditas, quorum quidẽ in hunc vsq; diẽ labor in lucẽ, quacumq; lingua, prodierit.

Igitur vbi vitam hãc mortalem Emir Suleiman cum immortali cõmutasset, statim Musa Zelebis Burusam cadauer eius deportari, & pro more funus curari iussit. Ipse maxima celeritate Rumiliam Europæam peruagatus, vniuersam occupauit, & imperio suo subiecit. Simul inter begos & proceres Europææ Rumiliæ, clarissimos & illustrissimos quosque de medio tollere cepit; eam solã ob caussam, qđ existimari facile posse diceret, quid sibi facturi essent, qui principi suo, Emiri Suleimani, quam fidem præstitissent, nemini nõ constaret. Præterea missis ad finitimos vndiq; principes legatis, partim annui tributi solutionem ab eis exegit; partim alia cõsimilia, nec minus illis grauia molestaque, flagitauit. Inter ceteros erat princeps Constantinopolitanus, ad quem tributi exigendi causa, cum prætextu, quod Baiaziti patri iamdudum eius pensitatio promissa fuisset, vezirem dicti patris quondam sui, virum doctrina, & ingenio, & rerum vsu præstantem, Ibrahimem bassam, abire iussit. Is vero quum primum ingressus vrbem Constantinopolim fuisset, statim significari per internuntiũ Sultano Muhameti curauit, quam inepte se Musa Zelebis gereret, quamq; crudeliter in begos ac proceres quosdam suos sæuiisset. Quibus intellectis, confestim Sultanus litteras ad Ibrahimem, cum vestimentis quibusdam misit; eumque perhonorifice ad se inuitauit. Quapropter mot⁹ Ibrahimes arcessentis Sultani benignitate tam gratiosa, tam liberali; & adsensus est ipsius desiderio, & abq; mora semet ad iter comparauit.

Quum Burusam venisset, & erga Sultanum ea præstitisset omnia, quæ solent honoris & obseruãtiæ causa verbis dici, reipsa declarari ab iis, qui magnis operam suam principib⁹ offerunt: vicissim a Sultano dignitate Veziris & consiliarij cohonestatus fuit, & instructione quadã edoctus, quod eius officiũ esse, quas ad res vti Sultanus ipsius opera vellet. Hinc Sultano, pro gentis more, manum osculatus Ibrahimes, toto corde atque animo fidem ei suam addixit; officio boni clientis se functurum pollicitus.

Secundum hæc cepit Sultanus Muhametes cõsilium de traiiciendis in Europæam Rumiliam copiis, & quasuis in regiones vicinas datis litteris, hominum ad XVCIↃ coëgit, iisque secum sumtis, in Asiæ loca, trans Bosporum, e regione Constantinopoleos sita, se contulit. Inde quemdam e suis ad principem Constantinum misit. Iam *alibi vero dictum, imperatores Constantinopolitanos omnes a Turcis adpellari Constantinos. Nam qui tunc rerum in vrbe potiebatur, ceteroqui Manuelis Palæologi nomen habebat; cuius ad Ioannem filium educationis regiæ præcepta Græce Latineque publicauimus. Eius opera legati, fœdus inter Constantinum & Muhametem initum sancitumque fuit, his fere legibus: Neuter alteri damnum inferret, vel impedimẽto esset. Si regnum Europææ Rumiliæ consequi Sultanus Muhametes posset, omnino principem Constantinum omni honore adfectum coleret, seque gratum exhiberet: sin ab hoste Musa Zelebi victus profligaretur, debere principem Constantinum paratas habere naues, quibus & ipsum Muhametem, & suos, absque mora posset ex Europa in Asiam transuehere. In hãc quoque sententiam præstitum vtrimq; sacramentum. Interea vero, dum hæc tractarentur, hæsit e regione Constantinopoleos in Anatolia Sultanus Muhametes ad aliquot dies, & exceptꝰ a principe Constantino splendidissimis epulis fuit. Hinc transportatis in Europã Græcorum opera copiis suis, statim Muhametes illinc discessit.

*Pandect. cap. 51.

Quum ab altera quoque parte Musa begus aduentare Sultanum accepisset, ad locum progressus suo cum exercitu, quem Intzugen vocant, ibidem occurrere Sultano statuit. Is vero conspectis Musæ copiis, se felicem prędicans, quod eum tamdem reperisset; lætus in campo quodam, capto pro castris loco, consedit. Hinc vtrimq; missi speculatores, quum alteri in alteros incidissent; manus inter se conseruerunt. Musæ begi speculatores, terga dare coacti, magno cũ impetu versus Musam redibant, & in ipsius castra festinabundi ruebant. Tum vero Musaicæ legiones, quæ non speculatores suos, sed ipsum Sultanum Muhametem aduentare crederent, metu subito percussæ, iam fuga saluti consulendum statuerant. Sed quum deinde speculatores suos adgnouissent, mutato consilio, pedem loco nõ mouerunt. Iam nox adpetierat, ideoque neutra quidquam ex parte tentatum. Postridie vero quum illuxisset, exercitus ambo suas in acies, cohortes, series dispositi, & pars ad dextram, pars ad læuam ordinati fuerunt. Singuli gladiis, & ceteris armis instructi, ad prœlium pergebant. In acie Sultani Muhametis primæ Tatarorum cohortes conspiciebantur, alteræ Turcomanorũ; post Ancaranæ copiæ, quas Iapalis-oglij exercitus sequebatur. Tãdem suo proceres quoque loco consistebant. Hinc explicata vexilla, pulsata tympana, tubæ cum ceteris castrensibus instrumentis audiri ceptæ. Strepitus & tumultus ingens aëra totum impleuit. Milites pugnaces & magnanimi strictos acinaces suos, & pusdoganos clauasque ferreas, & hastas manibus suis prehendentes, series & ordines hostiles inuadebant & dissipabant. Vtrimque tali & tanto cum impetu pugnatum, vt sanguis riuulorum instar manaret, ibique cadauerum trunci propemodum infiniti iacerent. Ibi tum quidam ex proceribus Michaloglius begus, qui pugnæ huic intererat, ad Musam begum accedẽs: Adiungito mihi, ait, milites quosdam animosos, vt in fratrem tuum irruam, & res ipsius in angustum redigam. Ea vero quum Musa begus ex animo sincero dici putaret: Ipsemet, inquit, & quid agendum sit, nosti; & quos tibi viros fortes adiungere debeas. Itaque coniunxere se cum eo proceres quidam, & sub prætextu fictaque specie, quasi si adgredi hostem vellent, ad Sultanum Muhametem se contulerunt, eumq; circumstantes: Quid ex moris, dixere, moras nectis, o Sultane? Non vides fratrem tuum facile capi posse? Rectã dumtaxat in eum pergito. Musa vero begus, vt a proceribus suis, ad Sultanum Muhametem transeuntibus, se deseri vidit: & labascere cepit, & ab animi iudiciique viribus destitui. Quapropter exercitus tamdem ipsius vniuersus ab hoste fusus fugatusque terga dedit, copiis Sultanicis eos persequentibus; adeo quidem, vt etiam ipse Musa begus de ineunda fuga cogitaret. Sed habebat adhuc secum

ad se-

ad septem militum palatinorum millia, qui eum in medio sui receperant, & auribus eius inculcare non desinebant: Si a nobis discesseris, omnes ab hoste trucidabimur. Itaque te nequaquam a nobis dimittemus. Ex altera parte ne quidem apud Sultanum plures ccc remanserant, ceteris actos in fugam hostes persequentibus. Nihilo minus exercitum fratris fusum fugatumque conspiciens, Musam a suis destitutum capere conatus est; animoque magno, nec impetu minore, cum suis in eum irruit. Tum vero palatini milites illi, quorum ad septem millia Musæ fuisse reliqua diximus, infinitam vim telorum in Muhametem coniecerunt, ipsumque cum equo vulnerarunt. Quapropter ab instituto desistere coactus, & equo reflexo, suorum ad aciem recipere se volẽs; mox e suis adesse neminem, adeoque circa se, relictum a suis, meram solitudinem vidit. Ea de causa maximopere territus, tantummodo cum centum e suis, summum ducentis, retro cedens; in viam Constantinopolim ducentem se dedit, eamque sequutus, eodem adhuc die, vix credibili fugæ celeritate vsus, Constantinopolim venit, & vrbem ingressus est. Ibi prouidentia Constantinopolitani principis nauigia parata reperit, mare traiecit, Burusam perrexit. Exceptus a populo Burusæo cum veneratione singulari, & honorifica in vrbẽ pompa deductus fuit.

Ab altera parte, posteaquam Sultanus Muhametes fugiens inde discessisset; recepit in eius se castra Musa begus, & ibidem mansit. Exercitus autem Sultani Muhametis, quum a persecutione Musaici militis reuersus esset, seque suum ad Sultanum in ea venire castra putarent, quæ Musa begus iam occupauerat; in eius cõspectum progressi, mox se deceptos animaduerterũt. Musæ vero milites palatini, quos diximus, & spoliare volebant hos, & occidere. Sed Musa begus hoc minime fieri passus est, quum nihil hos culpa sua ꝓmeritos diceret; sed vnum hoc dumtaxat permisit, vt eos militari more spoliarent, ac deinde liberos abire finerent.

Hoc euentu rerum in Europa susceptarum reuersus in Anatoliam Sultanus Muhametes, quum Burusæ quietus degeret, ac genio cum amicis indulgeret: forte nuntiatum ei fuit, * Ismyr-oglium principem domo suis cum copiis egressum, occupasse regionem Aidin-ilim, & arcem, cui nomen Aia-Sulug, (Ortelius Hagiam Cariæ simpliciter dixit, & in Natoliæ tabula scripsit Aia-soluc, collocatque non procul eam a Magnesia Mæandri fluminis: ego supra monui, Aia Sulug Turcis dici, pro Hagios Seologos, id est, θεολόγος) obsidione cinxisse. Ni conatibus eius celeriter obuiam iretur, Saruchaniam quoque adgressurum, & in potestatem redacturum. Hæc quum Sultanus Muhametes audisset, arcessitos ad se Vezires suos interrogans: Qui vir est Ismyr-oglius, ait, vt ambire regnum ausit, & meas ingressus prouincias, arcem corona militum circumdare, & obsidere? Summam adhibete diligentiam, litterisque per vniuersum regnum hinc inde missis imperate, numerosæ quamprimum vt copiæ coëant, & quidem intra mensis vnius spatium ad me deducantur; vt expeditione suscepta, sic Ismyr-oglium tractem, vt toti mundo fabula fiat. Vezires, animaduersa perturbatione regis, absque dilatione litteras hinc inde per prouincias publicarunt, & exiguo tempore copias e quibusuis locis collegere, rebus ab omnibus instructas, ac prorsus insignes. Vnus dumtaxat Iacupes begus Ancyra suum non adduxerat exercitum, absentiæ veniam precatus, quod opidum illud ad Caramaniæ limites situm esset. Nimirum se vereri præferebat, ne se velut ab excubiis illis remoto, Caramanus etiam paratus accederet, & Osmanidarum regnum depopularetur. Sultanus his rationibus eius auditis, de concepta nonnihil iracundia remisit; eaque vultu dissimulata, corde tamen grauissimas aduersus Iacupem begum inimicitias concepit. Hinc collectos educens exercitus, hostiliter Ismyræam ditionem ingressus est. Territus aduentu Sultani Muhametis Ismyroglius, quamdam in arcem suam fuga se contulit, & veniam delicti petere cepit. Interim Sultanus Muhametes totum eius regnum in potestatem redegit. Ismyroglius tamdem ex arce quemdam e suis ad Sultanum misit, vtque sibi propitius

* supra, libro 9.

ignosceret, orauit; infimum se, vilissimumque Sultani mancipium professus. Simul hac sibi culpa condonata, numquam deinceps eiusmodi seditionẽ moturum se promisit, nec labe tali faciem (sic Turci loquuntur) amplius contaminaturum. Sultanus hac culpæ deprecatione satisfieri sibi passus est; ideoq; descendens ex arce princeps Ismyroglius, ad pedes eius semet abiecit. Muhametes, vt erat insigni clementia præditus, non culpam modo remisit, sed regnum quoque restituit; Hutbeis tantummodo precibus exceptis, & moneta: quarum illæ pro Sultani salute & incolumitate concipi deinceps, hæc eiusdem nomine signari, deberet. Hinc Sultanus iis regionibus omnibꝰ peragratis, benigne subditos adlocutus & consolatus, Burusam rediit.

Quũ adhuc in Ismyræa regione cum exercitu suo Sultanus Muhametes bellum gereret, venit ad eum ex opido Ancyra Iacupes begus, & manus eius osculatus est. Id tametsi Muhametes fieri permitteret, tamen adhuc ei plurimum infestus propterea, quod expeditionis initio cum militibus suis nõ comparuisset, læsæ maiestatis & proditionis anquisitum vel in carcerem coniicere, vel etiam capite damnatum flammis absumere decreuerat. Sed improbabant Sultani sententiam Vezires, ac neutro supplicio Iacupem dicebãt adficiendũ. Quippe si nunc ipsum, aiebant, in carcerem cõiieceris; scito longe dissitam esse hinc arcem Ancyram, & huius heroici viri filium illic degere, qui vindicandæ paternæ iniuriæ causa quiduis facturꝰ sit. Deinde considerandum hoc quoq; venit, Ancyram ostium esse Caramaniæ: nec sine causa metuendum, ne forte Turcorum e manibus excutiatur. His ergo rationibus & argumentis Vezirum suorum auditis ac perceptis, in illo quidem tempore Iacupis causæ cognitionem & pœnam Sultanus Muhametes distulit. Sed quum deinceps Burusa mouẽs, Ancyram peteret, eoque peruenisset: forte Iacupem begum aliquando remotis arbitris ad se iussit arcessiri, causasque pristinas dediti castri Burusæi, & alias, trãsactas & condonatas ipsi dixit: sed nihilo minus ei moriendum, iracundo furiosoque vultu, verbisque minacibus, adfirmauit. Iacupes, animaduersa regis indignatione: Fiat, inquit, o rex, quod fieri te velle video: sanguis meus innocens effunditor. Sed ipse tamen nullius alterius rei conscius mihi sum, quam quod summa fide tibi ex animo seruierim. Ad eoq; mihimet imprecor, vt si quod læsæ maiestatis crimen, aut proditionis, aduersus te sciens prudensque commiserim; nullam æterni numinis amplius erga me clemẽtiam & misericordiam experiar. Quæ verba prolocutus, sua sponte manus deorsum ita composuit, ac si vinculis constrictus captiuorum more teneretur, & hoc gestu coram Sultano adstitit. Tum vero Sultanus illico cuidam Balta-oglio mandauit, vt Iacupi abrepto manus ac pedes ferreis illigari catenis, atque ita vinctum in arcem Tocatam perduci curaret, vt istic in carcerẽ coniiceretur. Hoc modo Iacupes begus Tocatam manibus pedibusque ligatis deportatus, in carcerem conclusus fuit, cui nomẽ Bedeui Tzardag, quemadmodum etiam paullo ante hunc adpellauimus. Acciderunt hæc anno a migratione prophetæ Musulmanici Muhametis ɪↄ ccc xiiii. Inde Sultanus Ancyræ adhuc vel octo vel decem diebus exactis, Amasiam profectus est; & illic hilares aliquot sibi dies sumsit. Hinc rursus in Europæam Rumiliam statuit trãsmittendum, & repetito cum fratre Musa prœlio pugnandum. Ea de causa socero suo, principi Dulgadir-oglio, per litteras institutum suum significauit; vt tanto in negotio nec ipse genero deesse suis auxiliis & beneuolentia vellet. Chr.141[illegible]

Posteaquam Sultani Muhametis legatus hisce cum litteris ad principẽ Dulgadirensem peruenisset, ac singulari exceptus honore, qui legatis exhiberi cõsueuit, iussu principis fuisset: tamdẽ perscriptum eius nomine respõsum ad Sultani litteras, in hanc sententiam fuit:

Equidem minime dubito, rex mundi maxime, quocumq; te trahat expeditionis alicuius suscipiendæ desiderium, semper supremum illud cæli numen auxilio tibi esse, fortunam largiri prosperam, occasiones optatas præbere, felicem rerum susceptarum exitum, victoriamq; certam tribuere. Quamobrem si Deo res nostras ita disponente, fieri non poterit, vt ipsemet adductis ad te

copiis

copiis meis veniam, & hoc bello fidam operam nauem: nullo tamen committam modo, quin filium meum, mancipium tuũ, vt hoc tibi bello nostris cum auxiliis adsit, expediam.

Has Dulgadiroglij litteras legatus domum ad principem suum reuersus, Sultano reddidit. Is vero motis castris, Ancaram profectus est, & ibidẽ ad dies aliquot substitit. Interim collecti ex omnibus Sultanini regni partib. huc ad ipsum confluxerunt exercitus, iique numero propemodum infiniti, & armis quibusuis egregie instructi. Iam ad iter accincti, profectionẽ inchoaturi erant; quum fama subita nuntiaretur, filium principis Dulgadirensis aduentare. Tum vero Sultani Muhametis ꝓceres, in equos suos insilientes, obuiam ei prodierunt; & insigni exceptum honore, commodum & elegans in hospitium deduxerunt, omniq; luxu splendidarum epularum plane regium in morem tractarũt. Hinc Sultanus ipsemet in Diuanum, siue cõcilij publici locum egressus, quidquid ad epulum magnificentissimum pertineret, præparari iussit. Quumque parata iam essent omnia, * Capitzilarorum siue ianitorum bassa filium principis Dulgadirensis adduxit; qui Sultani manũ osculatus, e regione ipsius sedere iussus fuit. Sultanus adhuc durãte comessatione factus hilarior, vestem suam, qua tunc indutus erat, & equum insignem, quo solebat ipsemet vti, cum omni adparatu mensæ, tam aureo, quam argenteo, catinorum, patinarum, scyphorum, & aliarum rerum huc pertinẽtium, quarum sane maxim⁹ erat numerus, Dulgadirensis filio donauit: eiusdem proceribus, & aliis auctoritatis alicuius, honoris ergo factas vestes iniecit; & singulis aliquid offerri liberaliter iussit. Itidem epulo necdum finito, maiore Sultanus animi alacritate accensus, vezires & proceres suos adpellans; scire se velle dixit omnes, nunc in Europam se pergere, belli gerendi causa: sed suo loco cõtentum vno futurum equo, vno gladio vel acinace, & vno pusdogano, clauaque ferrea. Suffectura sibi de hostibus hæc sola spolia. Prædam aliam omnem, quæ hoc posset adquiri bello a quibuscumque, ipsis se militibus, ex lege societatis militaris partiendam, relinquere. Quæ prolocutus, barbam manu prehendit, & vniuersos intuitus: Aut patris, inquit, mei thronum hac expeditione regiũ recuperabo, aut ipsa cum vita caput amittam. Tum vero vniuersi, qui vel epulis adsidebant, vel sedentibus adstabant, vt omnia fausta feliciaq; Sultano se precari testarentur, alta voce adclamarunt: O rex orbis, nos animas & capita nostra pro salute gloriaque tuà deuouemus. Quocumque fueris egressus, & opem, & fauorem diuini numinis, victoriã tibi largientis, habes. Conceptis hac forma votis, vniuersi toto cũ exercitu se traiecturos in Europæã promisere Rumiliam, strenueque rem illic in hostem Sultani gesturos. Hinc Muhametes motis Ancara castris, Burusam profectus est. Interim vero, dum ipse hoc esset in itinere, confluxere Burusam omnes tam equestres, quam pedestres copiæ, in quibus erant hominum bello idoneorum ad XCIↃ. quibus iam collectis, discessum Burusa, rectaque Ialac-ouam itum; quo militum suorũ arma ferrea cũ loricis vehi curauerat. Inde quum ad Bospori lit⁹ peruenisset, principi Constantinopolitano per internuntiũ significari iussit, se iam cum copiis suis adesse. Lætus aduentu Sultani princeps, illico naues paratas adduci iussit, Sultano ipsemet obuiam prouectus est, omnẽ in excipiendo venerationem & honorem exhibuit, in augustali palatio quodam locum hospitij dedit, epulas magnificẽtissimas instrui iussit. Inter alia cum Sultano colloquia, grauissimas etiã de illatis sibi a Musa bego iniuriis, magno cũ animi dolore querelas miscuit. Quibus auditis, consolatus principem Constantinũ Sultanus Muhametes: Equidẽ tuas, ait, iniurias vindicabo, qui hanc in communem hunc hostem nostrum expeditionem suscipio, cui tu quoq; nobiscum intereris. Ad quæ Constãtinopolitanus imperator respondẽs: Admodũ, inquit, consenui, nec ad tolerandos expeditionis huius labores in effœto corpore vires suppetunt. Dicebat hæc Manuel Palæologus imperator, qui ab anno Christiano CIↃ CCC LXXXIIII, vsq; ad illum CIↃ CCCC XV, quo hæc gerebantur, totis iam triginta & amplius annis regno præfuerat, ad quos accesserunt adhuc quatuor ante, quam rebus humanis exce-

* Pandect. cap. 118.

deret. Annis enim xxxv regnasse traditur. Vnde colligi facile potest, & tunc fuisse pueᶜtioris ætatis principē, & grandæuum non multo post mortuū. Nihilo minus ætatis a Sultano id temporis impetrata venia, Christianorum militum non exiguam ei manum adiunxit.

Secundum hæc discedens Constantinopoli Sultanus Muhametes, ad fluuiū Thraciæ Vyzen progressus est. Heic ab Eurenose bego adlata ei fuit epistola, cuius hic erat sensus: Equidē te rogatum, o Sultane, monitumq; velim; tuis vt hoc, nostrisque des rebus atq; commodis, ne Musæ bego prœlij causā nunc cogites occurrendum ante, quam vbi locorum agat, per exploratores tuos cognoueris. Adeoque præstiterit, vt ab ipso longius exercitum abducas, Lazari regnum ingressus; vbi te velim angustis in locis, & siluosis, & montuosis habere castra; magnoque studio dare operam, vt illic tres Musæ begos ac proceres, videlicet Baracum begum, & Iegidem bassam, & Sinanem begum, regionis Trichalensis dominum, (Thessaliæ Trichala ciuitas est, priscis Tricca, Chalcocondyli Trica) tuas ad partes traducas, vt Musa deserto, tibi parere velint. Vbi deinde cum Musa congredi volueris, etiam me, mancipium tuum, tibi adfuturum, & fidelem nauaturum operam, scito.

Sultanus percepta litterarum sententia, liberaliter donatum Eurenosis internuntium ab se dimisit. Hinc eo cum copiis vlterius progrediente, fortē pars quædam exercitus hostilis conspecta fuit. Tum Muhametes Michaloglium abire iussit, vt quinam essent, intelligeret. Cognitum, esse Cara-Chalilem. Michaloglius quoque propius ad illum cum suis accedens, manum conseruit. Tamdem Cara-Chalil profligatus aufugit. Hinc suum Muhametes exercitum Hadrianopolim adduxit, & vrbem obsedit. Miserunt e suis opidani quosdam, Sultano Muhameti nuntiaturos; Nunc quidem minime se deditionem vrbis facere posse. Pugnatum aduersus fratrem iret. Vbi deinde patuisset, vter eorum fortuna benigniore victoria potitus esset: eius se potestati sua suorumque corpora cum fortunis, & vrbem ipsam, & arcem permissuros. Contentus hoc opidanorum responso Muhametes, ad planiciem campumue perrexit, quem * Zagora-loua nominant. *Pa. cap. Eo loco Musa Zelebis furtim castra Muhametis ingressus, exploratis omnibus animaduertit; vires suas nequaquam aduersus fraternas subsistere posse. Quapropter in saltus & siluas cum suis semet abdidit. Quod eum facere videns Sultanus, nihil admodum curauit. Hinc Philippopolim profectus, in valle, quam molarum vocant, idoneum castris locum cēpit. Inde mouens vlterius, propter amnis Meritzæ ripam, secundo flumine, duxit. Iegides bassa, cum Hamza bego, Ismyroglij filio, fere cum IICIↃ hominum Muhameticos secuti sunt, vt agmen eorum extremum carperēt. His ex altera parte conspectis, etiam Michaloglius cum Turcomanleris, qui & ipsi fere hominum ad IICIↃ æquabant, retro abiit. Concurrerunt Ismyroglij Iegidisque bassæ milites, cum Michaloglij copiis, acerrimo prœlio. Tamdem victor Michaloglius, aduersos fudit, fugauit. Musaici gradu celeriore, velut in morem fugæ, discesserunt: Muhametici, conuerso itinere, Sultanum secuti sunt. Hinc Baiasites bassa, sequente Michaloglio, exercitum antecedens; vna cum indicato Michaloglio transitum quemdam angustum inspecturus, ad matutinum vsque tempus saltuosa loca peragrauit, & in * artum quoddam iter peruenit, Capi Derbentum a Turcis adpellatum. *Pand. cap.20. Istic ea nox ab eis exacta fuit. Inde progressi vlterius, continuo diei & noctis itinere ad opidum Sophiam accesserunt. Conspectus & illic fuit Musa Zelebis, nec tamen ausus cum fratre congredi, fines eos hinc inde peruagatus est. Muhameticos ea res ne tunc quidem mouit, quorum turba castrensis ex opido Sophia sibi tum annonam, tum cetera necessaria comparauit; in quibus erant ad bellicas quoque machinas & instrumenta pertinentia.

Secundum hæc, motis Muhametici castris, via quadam inter montes arta profecti sunt. quumque superassent eas angustias, in planiciem opidi, quod * Scheher-Kiui nominant, descenderunt. *supra Sarkiu gitur. Heic quum essent, adlatæ Sultano fuerunt a Iegide bassa, & Baraco begō, & Sinane Trichalensi bego litteræ, verbis huius-

huiusmodi scriptæ: Nos tres, o mundi rex, iuuenes sum⁹, & tria millia militum habemus selectorum, & insigni virtute præstantium, quibus orbis hic vix pares habet. Tu quanta celeritate poteris, ad nos te conferens, tuas cum nostris copias coniungito. Hac epistola Sultano reddita, perceptaq; voluntate illorum, a quibus scripta fuerat: motis castris, summa Sultanus festinatione progressus est. Sub vesperam saltus Scheherkiuensis angustias ingressi, tota nocte, cōtinuato itinere, sub auroram ex illis angustiis prodeuntes, in loca planiora descéderunt. Tum vero Musa Zelebis iterum formam & habitum mutans, vili pileo caput tegens, dorso † gepenecum iniiciens, in Sultani fratris castra venit, & exercitum eius inspexit. Sed quum ne tunc quidem suis tantum confideret viribus, vt eis auderet occurrere, manusque conserere: perrexit hinc inde limitaneis in locis vagari. Sultanus id se nihil curare simulabat, sed castris mutatis, ad flumen, cui nomen Moroua, descendit. Hinc Baiasitem bassam ad principem Laz-oglium misit, (Stephanus Lazari Zirforum Despotæ filius intelligitur) vt auxiliares ab eo copias peteret, quibuscum Laz-oglius ipse Muhametis in castra veniret. Eodem quoque loco Iegides bassa, & Baracus begus, & Sinan Trichalensis begus, cum vegetorum iuuenum suorum copiis accesserunt, & Muhametis exercitui semet adgregarunt. Itidem Chazis Eurenoses begus & ipse sanzacum suum adducens; hoc est, constitutos sub vexillo vel administratione sua milites, quod non multo ante Sultano promiserat, impleuit. Venit etiam cum eo filius * Kiueris Teggiuris, & cum Muhamete se coniunxit. Tamdem & Laz-oglius, Zirforum princeps, in eiusdē Sultani castra suo cum milite concessit. Posteaquam hos omnes & singulos Sultanus Muhametes honorifice pariter, & singulari cum beneuolentia excepisset: motis illinc castris, ad locum, quē Iallu-dere nominant ab amne quodam, profectus est. Hinc itum in alium locum, quem adpellant Cursunlu. quo post se relicto, Vulci regnum Muhametes ingressus est, cuius princeps Vulc-oglius, ipsemet præsens omnē regionem suam Sultano Muhameti vtendā obtulit.

† *Pandect. cap. 72.*

* *Hic fuisse videtur princeps Christianus.*

Postea venit in planiciem siue campum Cosouam, tot prœliis pugnatis illustrem. Discedens e Cosouano campo, regnum Kiueris Teggiuris ingressus est. Heic ad Sultanum Muhametem venit Hamza begus, filius Ismyroglij, cū sanzaco siue vexillo suo, quod equitū quingentorum erat, & honoris causa Sultano manum osculatus est. Idem nūtium adtulit, quod ex Musæ Zelebis proceribus omnino nullus apud ipsum mansisset. Inde motis castris, Hartzebolim Sultanus cum exercitu suo progressus est. Hartzeboli mouens, ad flumen peruenit, quod Turci Carasu, ab aqua nigra, nominant. Hinc ad planiciē, quam Aladin-schach-rasi vocant, accessit. Eo loco venerunt ad Sultanum Muhametem omnes in illa vicinia regni subditi, seque parituros ipsius imperio professi sunt. Deinde Muhametes ab vna parte venit ad locum, cui nomen Tzamurli, & Tzamurlu: ab altera parte Musa Zelebis ad opidū Ichtiman accessit, quod suprà notauimus Stenimachum Græcis fuisse dictum. Hoc loco proceres suos Musa compellans, ab se defecturos dixit. Simul Tematzi-oglium, & Seutzi-oglium, ad se venire iussos, vinculis ambos constringi curauit. Eo conspecto, ceteri proceres omnes, Musa contemto, vnus post alium, duces, tribuni, centuriones, itidemque cohors vna post aliam, Muhametis in castra transierunt, eiq; ceu legitimo Sultano manus osculati, suam operam & obœdientiam obtulerunt. Id vero fieri videns Sultanus Muhametes, preces ad Deum fudit, & gratias agēs, ipsum cum facie caput humi prostrauit. Hinc ex eo discedens loco, propter Tzamurlim, media quadam in planicie, castra metatus, ad duos ibidem dies hæsit.

Ex altera parte, quum ita se Musę begi proceres gessissent, vt modo narratum: cum septem prætorianorum siue palatinorum militum suorum millibus ipse paullatim versus Sultanum progressus est, vt prœlium inire posset. Mox Sultanus etiam nōnullorum opera certior de fratris conatu factus fuit, qui suis cum copiis eum insectaretur, & necopinantem obruere cogitaret: simul ab iisdem admonitus, vt sibi caueret, ac vigilanter omnino prospiceret. Sultanus

his intellectis, arcessitos statim vezires ac begos suos, subito de re præsenti consuluit. Hinc tamquam prœlio dimicaturus, series cohortium tota cum acie dispofuit & ordinauit. Tum vero quodam ex angusto itineris aditu magnus oriri puluis est visus, qui magis magisq; cresceret. Inde conspecti venire milites, in agmina duo diuisi; quorum vnius series videri poterant. Vix Muhametici scire se cupere dixerant, quinam essent; quum priores aduentantes adgnoscerēt esse mugalos, siue iuuenes; post quos illi septies mille prætoriani sequebantur. Hinc Musæ begi vexilla procedebant. Ipse suos alta voce compellās, huiusmodi fere clamoribus incitabat: Sine mora, mei milites, tot nobilitati prœliis illustribus, in hos irruite; prius etiam, quam vel oculos aperire possint. Quibus dictis, confestim illi suis expeditis armis, & strictis vno impetu gladiis Muhameticos inuaserunt. Hi vero vicissim & ipsi leoninum in morem hostiles adorti sunt acies, & tam graui quidem impressione; statim vt earum series, cohortes, ordines, agmina disturbata soluerentur. Parum quidem abfuit, quin dissipatus Musæ Zelebis exercitus omnino in ipso pugnæ principio profligaretur. Sane si qui adhuc apud Musam proceres erant, mox cum suis turmatim ab eo discesserunt, & Sultani se copiis adgregarunt. Tum vero Musa mirifice flagranti partim præ indignatione, partim præ dolore animo, non sine tristi gemitu: Proh quam perij miser, ait. Felix illa, nostrisque fauens quondam fortuna conatib⁹, nunc suam a me faciem prorsus auertit. Hæc meæ scilicet insolentiæ præmia fero, has iniuriarum pœnas a me numen exigit, quas Emiri Suleimani, fratri meo natu maximo, præter fas & æquum intuli. Quæ quum dixisset, impatientis animi furore victus, in acies hostium medias profectus est; ac primum Tataros, inde Turcomanleros Muhametis inuasit. In hos dum prœliaretur, adgnitus a Baiasite bassa fuit; qui mox euocatis ad hanc expeditionem ex arce Selasili militib⁹ imperauit, vt ipsum abriperent, ac vinculis constringerent.

Dictum, factum. Mox illi Musām, ab omnibus partibus interceptū, circumdedere: qui se clausum instar ferę videns in casses incidisse, non amplius hosti resistendum statuit, obuersoq; vultu cum eo dimicandum; sed occasione fugiendi arrepta, calcaribus equum adegit, vt pleno saltu perruptis hostium turmis, ad suos recipere se prætorianos posset. Sed hos quoq; continuis pugnis exhaustos defecisse vidit, vt irruentibus vndique Muhameticis ad ipsum Musam capiendum, iam non amplius obiicere se possent. Quapropter eis vltro compellatis: Equidem, ait, a vobis discedo, vosque Deo commendo. Simul equum exstimulans, & cursu celerrimo liberam in planiciem prouectus, aufugit; & in locum peruenit, cui Tzamurlu nomē esse diximus. Erant illic foueæ frequentes, in quibus orizam illorum locorum incolæ seuerant. Heic equi currentis inhibere vim nullo Musa modo potuit, nec impedire, quo minus lutosas illas foueas ingrederetur. Itaque collapsus istic equus, etiam dominum excussit. Is vero dū erigere se niteretur, & in equum adscendere; circumuentus ab insecutis Muhameticis fuit, in quibus erant Baiasites Bassa, & Michaloglius, & Baracus begus: quorum iussu prius, quam respirare posset, captus; & vtraq; manu vinculis constrictus fuit. Ad exercitum vbi perductus esset, nonnullos miseritum est hominis; alij se reipublicæ Musulmanæ gratulari dixerunt, quod esset tamdem illa pestis regni finem habitura. Venit denique procerum e numero Balta-oglius, qui paucis ei verbis in Emirem Suleimanem, benignissimum principē, admissa facinora grauiter exprobrans; obstructis neruo faucibus, necari Musam iussit, & ad Sultanum Muhametem adferri: qui peremtum vidēs, commiseratione quadā tactus, illacrumauit. Rerum potitus est Musa begus annis III, mensibus VII, diebus XX.

Res humanas a migratione prophetæ Musulmanorum Muhametis anno ɔɔ CCC XVI reliquit.

IO. LEVNCLAVII
HISTORIAE MVSVLMANAE TVRCORVM LIBER XII.
MVHAMETICVS.

OLVPE mihi tamdē est, e turbis tam diu durantis interregni, fœdisque fratrum inter se lanienis, & bellorū ciuilium tempestatibus emergere, quasique tranquillitatis in portum quemdam adpellere; si tamē in hanc nationem, longe omnium inquietissimam, vel nomen tranquillitatis vmquam cadere potuit. Nam perpetuis hoc semper agitatum motibus, vel intestinis, vel exteris, fuit imperium. Sed nobis omnino sufficit ad eā, quam percipere nos voluptatem dicimus, hoc ipso peruenisse; quod cōfusissimam hactenus tot annorum, a Tataricis vsque temporibus historiam, in ordinem redegerimus; & adulterinos ex Osmanidarum regum catalogo (non omissis interim qualibusqualibus eorum factis) Sultanos, aut potius tyrannos expurgauerimus. Quorum in numero licet etiam Sultanum Muhametem hactenus haberi posse; vitioque abreptum ætatis, ad ambitionē pronæ, grauibus & ipsum prœliis de imperio dimicasse, nō omnino possumus infitiari: tamen deuoluta tamdem ad hunc amplissimi regni hereditate solida; significatum nobis diuinitus ex ipso cōcludere cogimur euentu, quod solius inter hos Muhametis principatus haud dubie pro legitimo sit adgnoscendus. Animaduerterunt illud ipsi quoq; barbari, qui hoc primum loco res a Muhamete, veluti vere Sultano & Padischacho gestas, ordiuntur; & ipsum patri nunc demum, explosis trium natu maiorum fratrum surrepticiis imperiis, successisse memorant; adeoque Sultanum inter Osmanidas quintum, disertis verbis adpellant; quod equidem notatu dignum arbitror, ob quasdā non leuis momenti causas, quas † alicubi digito dumtaxat indicauimus. Igitur ad exponendam huius, vniuerso denique potiti regno Sultani, exactam in gubernatione regia vitā, accedamus. Et quāquam ex vtrisque narrationib⁹, tam Verantiani, quā Haniualdani codicis, vna posset a me contexi non difficulter expositio: tamen ne quis se suo frudatum merito & laude queratur, morem hactenus obseruatū a me retinebo, & amborum explicationes in medium productas referam; priore loco Verantianæ tributo; altero Haniualdanæ reseruato; iudicio denique, cum ipsarum inter se rerum comparatione, lectoris acumini & sententiæ relicto.

† Pandect. cap. 2.

Sultanus ergo Muhametes, extincto Musa, solus heres imperij, Baiasitis inter liberos superstes, in tachtum sedemue regiam se collocauit. Tum vero tam prouinciæ, quam principes omnes, Osmanidarum regno finitimi, suos ad Muhametem legatos miserunt; quorum opera pax inter eos mutua sancta fuit, & certa partim renouata, partim icta fœdera.

Ceterum interea, dum ab Anatolia Sultanus Muhametes aberat, occupatus bello contra Musam fratrem in Europæa Rumilia gerēdo; Caramanoglius princeps suis cum copiis Burusam aditurus, Siuri-chisarem venit, suæ ditionis opidum: indeque facto belli principio, quauis ex parte flammis & ferro vastauit omnia, donec Burusam peruenisset. Erat id temporis Subassa Burusæ, quo nomine præfectum intelligi diximus, Chazis quidam Iueses aut Ibeses bassa: qui conuocato populo Burusæo, monuit omnes, aduētare Caramanoglium; rationem armorum suorum haberent, & in vrbis castellum se reciperent. Itaque locupletes omnes, & mercatores, quibus & nummorum, & aliarum rerum copia non deesset, arcem ingressi sunt. Adfuit statim Caramanoglius, & Burusam obsedit, ipsamque ciuitatem flam-

mis iniectis aboleuit. Inde fossas fieri iussit, & in eas tam Bunarbasi, viui fontis, quam lacus Burusæ vicini aquas, obsessis ademtas, immisit; & per cuniculos arce potiturum se putauit. Sed animaduertit eius institutum Ieuses bassa, & ignem cuniculis subiecit, ipsiusque Caramanoglij fossores occidit. Dũ vtrimque tam obsessi, quam obsessores his occupantur; adlatum fuit extincti Musæ cadauer ad Imaretum Caplizæ, hoc est, ad Thermarum Burusensium meschitam; quæ thermæ naturales & viuæ sunt, & Caplizæ nomen habent; licet alioqui viuis thermis proprium maxime nomen Ilitze detur. Quum hoc cadauer adduceretur, Caramanoglius eo conspecto, fugit. Habebat vero quemdam sui studiosissimum, qui hac eius fuga motus: Siquidem, ait, o Sultane, sic Osmanidarum cadauera fugimus, quid facturi sumus, quum viui nos adgredientur?

Secundum hæc venit Burusam Sultanus Muhametes, & copiis coactis, etiam Isfendiaris filium, & Germeani begum secum sumsit, ac bello Caramanoglium adortus est. Primum Ac-scheherim, Græcis Aspropolim siue ciuitatem albam dictam, opidanis vltro se dedentibus, cepit. Hinc Coniam cum exercitu progressus est, vbi Caramanoglius hosti occurrit. Pugnatum in planicie Coniensi, captusq; Caramanoglius fuit, cui nomen erat Mechemetes begus; & eamdem quoque fortunam ipsius filius Mustaphas expertus est. Horum vitæ miserꝰ Muhametes pepercit, tamdemque facta pax fuit, ex cuius legibus Muhameti traditæ cesserunt hæ ciuitates & arces: Ac-scheher, quæ Asprapolis, & Seidi-scheher, quæ Hierapolis, & Vclugi, & Kir-scheher, quæ Homalopolis, & Siurichisar, quæ Oxycastron, & Nigde, quæ Nagidos Græcis. Filium Caramanoglij Sultanus Muhametes splendide vestiuit, & vexillo ei porrecto, quod concessæ (veluti nos loquimur) in feudum paternæ ditionis argumentum erat, ad suos remisit.

Postea Burusam reuersus est Sultanus Muhametes, & indidem discedens, Hadrianopolim venit; vnde motis castris, Valachos petiit, bellum eis facturus. Ad hanc expeditionem ei tam Caramanoglius, quam Isfendiar, Casime bego filio duce, copias auxiliares miserunt. Quum propius ad hostem Sultanus Muhametes accessisset, ad ripas Danubij castra metatus est, & arcem quamdam exstruxit. Simul Akenzilaros siue volones in Valachos immisit, qui magnas illic opes sunt consecuti. Princeps Valachus, damnis suorum & suis motus, pacem fecit, & tributi siue Charatzi solutionem pollicitus, etiã filios suos ad Portam Sultani misit.

Hoc bello finito, Burusam Muhametes rediit, & expeditione noua suscepta, †Samsonis opidum cepit. Muhametis filius, Sultanus Murates, id temporis Amasiæ degebat. Capto, quod diximus, Samsonis opido, Muhametes litus maris adiit, & multos istic Tataros reperit; qui a Temuris Chanis vsq; temporibus illic superstites manserant. Eos Tataros omnes coëgit suis cum familiis & facultatibus in Europæam migrare Græciam, & in vrbis Philippopoleos finibus ad castellum se quoddam conferre, cui nomen * Conuza; vbi domicilia sua constituerent, commendati curæ cuiusdam Minet-oglij, qui nomẽ Mechmetis begi habebat. Hic Mechmetes begus Minetoglius in Conuza quoddam imaretum, vna cum adiuncto Carauanseraid condidit, & excoluit istæc loca, Tataris illic ad magnum numerum excrescentibus, ac fixa statuentibus domicilia.

† Pand. cap. 71. 58.

* Pand. cap. 79.

Fuerat id temporis Scheiches Bedredin, iudicis Semaunæ filius, Musæ viuentis adhuc Casi-asker, siue maior & castrensis iudex. Is quemdam a secretis habuerat, Burgluzen Mustapham. Sed quum extincto Musa, deportatus esset Sultani Muhametis iussu Bedredin Isnicam siue Nicæam, velut in exsilium: statim Burgluzes Mustapha se contulit in Aidinensem prouinciam, & Cara-borum, sic dictum lingua Turcica locum a naso nigro, quemadmodum vult interpres, (equidem priscis Carbura video Lyciæ dici opidum, aliis Barbura; & episcopi καρβύρων Leo imp. in eadem Lycia meminit, vnde perspicitur huius origo Turcici Caraborum, quod Murati Dragomano est Caraburum) quibus in regionibus valde multarum Murailucarum, hoc est, hæresium auctor exstitit.

Adeoq;

Adeoq; Burgluzes hic tantum effecit, vt Aidinensis ad ipsum deficeret ager vniuersus. Ritus excogitabat nouos & insolentes, seq; pro viro sancto gerebat, & fœda quædam alia non pauca profe-rebat in medium, a receptis aliena. Quū vero Scheiches Bedredin, iudicis Se-maunæ filius, hunc Burgluzen Musta-pham intellexisset armatū, aliquid mo-liri: etiam ipse Nicæa profugit, & Isfen-diarem begum adiit. Vbi tempus ad ali-quod ipso hærēte, forte cōtigit, vt nauis quædā inde noctu solueret, trans mare nigrū in Valachiam itura. Conscendit hanc Bedredin, & in Valachiam trans-uectus, siluam adiit, quam incolæ vulgo Mare arborum vocare solent. Interea Burgluzes ille Mustapha regionum su-perius indicatarum populos sibi pror-sus adiunxit. Itaque Sultanus Muhame-tes Baiasitem bassam, cum filio suo, Sul-tano Murate, Caraborū misit; vt homi-nis seditiosi tumultum compescerent. Profecti sunt hi, quod imperatum esset a Sultano, facturi. Sed eorum locorum in-colæ tanta veneratione ac beneuolen-tia prosequi Burgluzen Mustapham ce-perāt, vt etiam mota seditione, ipsorum ad tria millia Burgluzen armati sectaren-tur. Nihilo minus progressi Caraborum Baiasites bassa, & Sultanus Murates in-uasere Burgluzen, & acri hominē prœ-lio cū suis adorti sunt, quo magnus ho-minum ab vtraque parte numerus cæ-sus fuit. Tamdem vulneratus Burgluzes aufugit, quem persecuti Muhametici non viuum cepere, sed occiderunt. Si-mul iisdem regionibus recuperatis, mi-litibus suis, & aliis ministris illic timaria donarunt.

Hoc motu sopito, Manissam (prisci Magnesiam dixere) cum exercitu Baia-sites bassa properauit, ibiq; monachum siue religiosum Musulmanum reperit, *Torlacem Hudin Gemalim se nomi-nantem, qui & ipse hominum ad duo millia collegerat, ac secum habebat, o-mnes sui ordinis ac professionis, videli-cet Torlaces. Hi passim furiose grassa-bantur, & vias publicas infestabāt. Qua-propter & ipsos adgressus Baiasites bas-sa, dissipauit; & Torlacem Hudin-Ge-malim, eiusque discipulum quemdam, viuos in potestatem redactos, suspendio necauit.

* Pandect. cap. 171.

Interim Sultanus Muhametes opi-dum Siros vel Seres adiit, quod † supra monuimus esse priscorū Serras; & hinc mouens, Selenicam siue Thessaloni-cam circumfusis copiis obsedit, magno-pere conclusos vrgens, vt vrbe per dedi-tionem potiri posset.

† libro v.

Bedredin vero, Semaunæ iudicis fi-lius, e Mari arborum egredi volens, ali-quot improbos & sceleratos Sophilaros, siue deuotos & religiosos specie tenus, ante se misit in planiciem Zagorensem, cum mandato, vt dicerent; imperium Scheichi Bedredini deinceps datum es-se, regiumque thronum ipsi deberi: be-gos & proceres omnes ab eo stare: de-creuisse vexillum extollere, reque ipsa demonstrare, quod verbis nunc polli-ceatur. Fecere Sophilari, quod facere iussi fuerant; & Zagoram ingressi, popu-los earum regionum ad Bedredinis par-tes inuitarunt, nec alienos ab hoc motu repererunt, quum Bedredinem secutu-ros se profiterentur. Peruaserat eo ru-mor de Burgluzis Mustaphæ successib⁹ in regione Aidinensi. Quamobrem sei-psum efferēs Scheiches Bedredin, hūc sibi dūtaxat aiebat loco famuli operam nauasse. Prodiit tamdem ex arborū mari Bedredin cum satis magno sectatorum comitumq; numero, & cum Sophilaris impostoribus; aliquot etiam se cum eo coniungentibus ex illorū ordine, quib⁹ ipsa regionis erat illius commissa guber-natio. Cur autem hi partes illius ample-cterētur, causa quædā erat huiusmodi; q̄ ante hoc tempus, adhuc superstite Mu-sa Zelebi, quum ipse Casis-askeris siue iudicis maioris munere fungeretur, cō pluribus officia cadilicatuum siue iuris dicundi, pro auctoritate sua concesse-rat: ideoque valde multi eum ama-bant, & discipulos ipsius se profiteban-tur, iamque adeo veniebant, vti cum eo se coniungerent. Sed animaduerso denique, quam huic motui nihil omni-no inesset boni; sua sponte sic eo de-serto dissipati fuerunt, vt hominum ma-nus sane perexigua cum eo maneret. Sultanus autem Muhametes, quum hoc intellexisset; satis magnas eo co-pias suorum misit, qui Zagorensem in a-grum profecti, captū Bedredinem Ser-ras ad ipsum adduxerūt. Tum vero Sul-tanus inquirere primum voluit, quid de

Sophilari. Pandect. cap. 82.

Bedredine statuendum esset: occidendus, necne, videretur: & talem interficiendo, peccatum aliquod, nec ne committeret. Nimirum eius temporis Padischachi siue reges, adeo Musulmani vel iusti erant, vt hominē tantis obnoxium pollutumque sceleribus de medio tollere prius, quam alios consuluissent, non auderent. Aderat autem illic id temporis Talismanus quidam, vir doctus, cui nomen erat Meulana Chaidar, ac venerat istuc ex Aiamiorum vel Azamiorum regione, quo nomine Turcis Persæ veniunt. Is more Musulmano Fetfam, siue sententiam, pronuntiauit huiusmodi: Iure quidem hunc adfici posse capitis supplicio, sed nullo iure facultates eidē ademtum iri. Quapropter Meulanæ Chaidaris permissu Serris, intra opidum, quadam in taberna suspensus fuit.

Secundum hæc mouens inde Sultanus Muhametes, Burusam profectus est, & ibidem mansit. In mandatis autē suis quibusdam dedit, vt Hadrianopoli meschita vetus absolueretur. Alij referunt, meschitam hanc veterem ab Emire Suleimane fuisse inchoatam; & post ipsum, Musam quoque Zelebim eius aliquam partem exstruxisse. Tam vero fortunatum denique Sultanum fuisse Muhametem, vt eius sumtu & opera diligenti perficeretur. Præterea Burusæ nouum ædificauit imaretū. Hadrianopoli quoque seraium siue palatium condidit, ac deinceps Hadrianopoli reges Osmanidæ suam habere Portam siue regiam, ceperunt: quum Sultani superiores hac dignitate Burusam antiquitus ornassent. Id tēporis Hadrianopoli extra opidum ædificia nulla reperiebantur, quæ deinceps instar suburbiorum paullatim cepere foris construi.

Tamdem moriēs Hadrianopoli Sultanus Muhametes, ad Dei benedictionem, qui Turcis loquendi mos est, abiit. Hoc autem accidit anno a migratione
Chr. 1421. Muhametis prophetæ ⅠↃ CCCXXIIII.

Ante vero, quam vita decederet, testamēto cauit, vt suo loco Sultanus Murates filius regno præficeretur. Quod quidem hoc deinde factum modo fuit. Misere vezires prius, quam pater extingueretur, Zesnegirem bassam, hoc est prægustatorum principem, cui nomen erat Eluan begus, in Rumiliam Asiaticam superiorem, cuius in opido Amasia tunc Sultanus Murates agebat; vt eum moneret, nē moram interponeret, sed quamprimum ad Portam veniret. Erant Sultano Muhameti quatuor filij mares, & septem filiæ; quos omnes a morte sua superstites reliquit. Sed testamēto, siue supremo paternæ volūtatis elogio, Murati regius thronus adtributus fuerat. Accidit autem interea, dum ad hunc Muratem proficisceretur Eluan begus ille Zesnegir bassa, tamdem vt morbo confectus Sultanus Muhametes rebus humanis excederet. Tum vero præfecti rerum gubernationi bassæ, videlicet Iuses bassa, Baiasites bassa, & Ibrahimes bassa, cōcilio secretiore inter se habito, reque diligenter deliberata, Genitzaris significarunt, gerendum esse bellum in Anatolia. quo sane prætextu, iussi fuerūt illuc proficisci; & nuntiatū interea Sultano Murati, Burusam vt absque dilatione veniret. Simul ea mortem Sultani Muhametis occuluerunt industria, nullus vt hominum intra diem quadragesimum eā resciceret. Deinde cadauer eius eodem tempore Burusam adtulerunt, & Sultanum Muratem in regium collocauere thronum, anno ab interitu prophetæ Muhametis ⅠↃ CCCXXIIII. Chr. 1

Hæc de rebus, a Sultano Muhamete legitimi gestis imperij tempore, Verantianus nobis codex suppeditauit. Nunc de iisdem luculentiora quædam audiamus, nec vllum adlatura lectori tędium, ex historia Philippi Haniualdi petita, quam Muratem Dragomanum e Turcorum commentariis sat bona fide collegisse, iam toties diximus.

Quo igitur tempore Sultanus Muhametes, quintus inter Osmaneos princeps, aduersus Musam Zelebim bellum gerens, in Europæa Rumilia diutius hærere cogebatur; per eius absentiam factum est, vt insolentior redditus Caramanoglius, Muhametes begus, expeditione suscepta, Sifrichisarem adiret, quæ id temporis ad ipsius imperium spectabat. Illic exorsus hostiliter agere, ditionem Muhametis omnē in illo toto circuitu passim flammis, ferro, fœdisq; grassationibus depopulatus est, donec Burusam veniret. Erat tunc Subassa siue præfectus Burusæus, Chazis (id prænomen vsurpant, qui Meccam adierunt, & Me-

dinen)

dinen) Eiuases Bassa; qui ante Caramanidis aduentum, Burusæis ciuibus conuocatis: O Deo fideles, inquit, Musulmani, notum vobis est, in Europæa Rumilia nunc Sultanũ nostrum abesse. Venit autem bellum nobis facturus Caramanoglius. Quamobrem illi, qui & annonas inter vos habent, & ab aliis rebus necessariis non destituuntur, arcem vrbe nostra munitiorẽ ingrediantur, obsidionẽ hostilem nobiscum toleraturi. Si qui vero vestrum minus instructi, & egentiores sunt; potius, quam vt in hostis potestatem veniant, capitis salutisq; suæ curam gerant. Huic eius admonitioni populus Burusæus paruit. Nec multo post, suo cum exercitu Burusam veniens Caramanoglius, statim ab initio flammis vrbem concremauit, & arcem oppugnare cepit, suis eam fortiter inuadentibus, nec obsessis horum vim minore corporum & animorum vigore propulsantibus. Erat haud procul a mœnibus arcis quædam aqua putealis, quam haurire suos ad vsus ij, qui erant in arce, solebant. Eam Caramanoglius, in lacum vicinum deriuare cupiens, vt obsessis adimeretur; fossas extrinsecus ab arce ducentes ad indicatam paludem, fieri curauit. Sed animaduerso Caramanoglij consilio, cum suis ex arce Chazis Eiuases erupit, & fossores omnes interfecit. quo facto, spe sua Caramanoglius excidit. Nihilo minus arcem XXX diebus oppugnare non desiit. Exibant obsessi nonnumquam, & complures ex hostium militibus abreptos, in oculis & conspectu Caramanoglij suspendebant. Interim tamen ad eas obsessos angustias redegit Caramanoglius, vt omnino potiturus arce fuerit, si Chazim Eiuasem bassam propugnatorem non habuisset. Magno is animi feruore rem gessit, ac tametsi aliquando sagitta vulneratus esset; de sua tamen diligentia & sollicitudine nihil remisit. Cottidiè rumorem a se fictum inter suos spargi de Sultani Muhametis aduentu curabat, qui Musa debellato & occiso, iam esset in itinere, Burusæis suis opem laturus. His & aliis artibus in officio populum continebat, ad pugnandum in hostem excitabat, arcem tuebatur. Dum in hunc modum omnibus vtrimque res viribus gererentur, adlatum fuit denique præter exspectationem cadauer Musæ Zelebis ad imaretum, quod est ad Caplizen, vel ad thermas Burusæas. Eo Caramanoglius conspecto, statim illa nocte motis castris, via Girmastina discessit ac fugit. Tum vero Burusæi municipes, hostem irridentes: Itane cadauer, aiebant, Osmanidis extincti videns, terrore perculsus aufugisti? quid obsecro facturus eras, si viuus huc aduenisset? Interim ipse regione Hamid-ili transita, suum in regnum rediit. Dum esset autem in itinere, sequebatur eius copias a tergo coloni Turcomanleri, & cottidie, singulis præsertim noctibus, in hostium tentoria, forumquẽ rerum venalium irruebant, ac prædas eis ereptas impune secum auferebant. Acciderunt hæc anno Muhametani calculi IↃCCCXVI. Fungebatur apud Caramanoglium officio Cadileschéri siue iudicis exercituum, quidam Cara Mursel nominatus. Is compellato Caramanoglio: Modo me seruum tuum, ait, ad Osmanoglium miseris; equidem inter vos mutuo reconciliatos, pacẽm componam. Cui respondens Caramanoglius: Hem quid ais? inquit. Satis magnæ mihi vires sunt ad resistendum, si bellum mihi facturus venerit. Ita reiecto huius consilio, suam secutus est sententiam, quæ magnorum ei deinceps periculorũ causam præbuit. 1414

Ceterum extinctus iamdudum Emir Suleiman, quum supestes adhuc esset, Vrchanem filium suum Constantinopolim miserat. Eum deinceps, patre mortuo, quum Sultanus Muhametes & Musa mutuis de imperio pugnis dimicarent, princeps Constantinopolitanus minime se tueri fingebat; idque propterea, quod cum Sultano Muhamete fœdera quædam, pacisque leges iniisset. Eaque de causa puer etiam Constantinopoli digressus, ad regionem Carin-ouam se contulit, vt illinc in Valachiam vlterius proficisceretur. In his Carin-ouæ locis habitantes Akenzilari siue volones ad Vrchanem confluxerunt, & auxiliis ei promissis, Iambolim puerum, (quod opidum est Macedoniæ, vicinum agro Iambolensi, quem Chalcidicum prisci vocabant) deduxerunt. Hæc quum nuntiata Sultano Muhameti fuissent, itinere fe-

ſtinato puerum cũ ſuis obruere ſtatuit. Tum illi, quos diximus, Akenzilari Muhametis aduentu cognito, mox vniuerſi, puero deſerto, hinc inde dilapſi fugerunt. Habebat autem puer Lalam ſiue tutorem ac nutricium quemdam, cui nomen erat Zaganos. Is Vrchanem ſua conſtitutum in poteſtate, Sultano Murati prodidit; qui mox oculorũ vſu ſpoliatum, Buruſam tranſmiſit. Nec multo poſt & ipſe ſecutus, Buruſam venit. Erat ibidem & puella quædam Emiris Suleimanis filia, quã Muhametes Sanzacbego cuidam, ſiue præſidi prouinciæ, matrimonio iunxit. Puero quoque timarium locuples donauit in vicinia cuiuſdam opidi Phrygiæ, cui Geiuæ nomen Turci dant, priſcos Gaiu-comen ſiue Gaij opidulum dixiſſe, ſupra docuimus. Et comprehendebatur hoc timario vicus Chriſtianus, cui nomen erat Ac-hiſar, hoc eſt arx alba, Græcis Aſprocaſtron. Præterea quoties Buruſam veniebat Sultanus Muhametes, ſemper arceſſitum Emiris Suleimanis filium Vrchanem ad ſe inuitabat, & variis donis cumulabat; quum diceret, eum fratris ſui filium, omnino benigne tractandum, puerique placandum eiuſmodi muneribus animum. Nec Vrchanis quoque ſororem paſſus eſt liberalitatem ſuam deſiderare.

Hinc reuocans ad animum Sultanus Muhametes iniuriam ſibi a Caramanoglio per abſentiam ſuam, tanto cũ damno ſuorum illatam; quum primũ Buruſam adpulit, legatum ad Isfendiarem begum miſit, qui ſuis ei verbis denũtiaret: aut ipſemet auxiliares ſibi copias adduceret eius expeditionis cauſa, quam aduerſus Caramanoglium ſuſcepturus eſſet, aut e filiis aliquem mitteret, q. cum exercitu ſuo ſe coiungeret. Si poſtulatum hoc ſuum reiiceret, ad bellum ſe cõpararet: quando breui Muhametem armatum cõtra ſe viſurus eſſet. His auditis, illico filiũ ſuum Isfendiar, Caſumem begum, ire cum legato iuſſit. Conſimili modo Muhametes ad Germeanoglium miſit, qui verbis illum huiuſmodi ſuo nomine compellaret. Nõ ignoras, Germeanogli, quam nullo iure Caramanoglius me abſente bellum mouerit. Hãc iniuriam nunc equidem vlciſci paro. Quamobrem ſi mea tibi cara eſt amicitia, dabis operam; vt expeditionem hãc ſuſcepturo mihi per opidulum meum, a † Seidi Gazi nominatum, (hoc eſt, ab Heroë ſancto) pro exercitu meo tã annonam, quã alia neceſſaria mittas. Nam ſi hoc in officio, mihi præſtando, difficilem ſegnẽue te geſſeris; fac primo quoque tempore paratus & promtus ſis ad te defendendum. Quippe ſic bellũ hoc geram, vt te prius inuadam, ac deinde per regionem tuam Caramanoglium adoriar. Reſpõdit Germeanoglius, non id ſe tantum perlubenter facturũ, quod Sultanus peteret; verumetiam ſua ſponte ſuſcepturum hoc in ſemet ipſum laboris, vt annonæ copiam ipſius exercitus vberem haberet. Quod quidem ab eo bona fide ſic præſtitum, vt in eius ditione Sultano Muhameti nec in Caramaniam eunti, nec ex eadem redeunti, vmquam annona defuerit.

† Vi... dect. ... 152. ... re Pe...

Secundum hæc, anno a migratione prophetæ Muhametis ꟾↄ CCCXVII, Chr. 14... inſignem exercitum colligens Sultanus Muhametes, expeditionem Caramanicam ſuſcepit, ac primum duxit verſus opidum, quod Turcis Ac-ſcheher, Græcis Aſpropolis nominatur ab albedine: cuius incolæ, vbi primum cum copiis illuc veniſſet, deditionem fecerũt. Idem factũ de opido Beg-ſcheher, q. Deſpotopolis, de Seidi-ſcheher, quod Hierapolis Græcis eſt, de Aclig-hiſar. Præterea regionem Saiid-ili cepit, & in poteſtatem redegit. Poſt hæc regiam Caramaniæ Coniam militũ corona circumdedit. Tamdem immodici de cælo ceciderunt imbres, ac multa loca vaſtarũt, ipſaq; Muhametis etiam caſtra diluuio quaſi quodam obruta ſummerſerunt. Itaque Sultanus Muhametes, & Caramanoglius Muhametes begus, pacem inter ſe compoſuerunt; qua quidem inita, cum exercitu Sultanus diſceſſit, anno prophetæ Muhametis extincti ꟾↄ CCCXIIX. Chr. 141...

Hinc profectus in regiones Tzanici & Caſtamonæ, loca quædam expugnata cepit. Tum vero nuntiatum ei fuit, Caramanoglium denuo pactorum fœderumque fidem violaſſe. Quapropter iterum in Caramaniam Sultanus Muhametes duxit, & intra Coniam vrbem cum Caramanoglio conflixit: quo prœlio Muhametes begus Caramanoglius

a Sul-

a Sultanicis, vna cum filio suo Mustapha bego, captus fuit. Deinde recuperandæ libertatis amborum causa, traditis Sultano Muhameti castris & opidis sequentibus; Ac-scheheri, Seidi-scheheri, Aelugi, Kir-scheheri, Beg-scheheri, Sifri-chisare, Tzemazi, Nigde; rursus inter se pacem fecerunt, ac Sultanus Muhametes Caramanoglio principi, eiusque filio Mustaphæ honoris causa maximi pretij vestimenta donauit, sanzacum siue vexillum porrexit, quo vasallos eius factos significabatur, equos generosos cum variis ornamentis, mulos & camelos dedit, atque ita domum remisit. Caramanoglius autem vix ad castri partes extremas, in quo hæc agebantur, peruenerat; quum equos, a Sultano sibi donatos, e famulorum manibus, qui eos tenebant, sumi iubens; mox subiiceret, inimicitias cum Osmanoglio suas vsq; ad diem iudicij supremi duraturas. Quæ quidē verba prolocutus, inde discessit.

Anno postea mortui prophetæ Muhametis IↃ CCCXIX, quasdam Sultanus Muhametes e proximis tunc sibi locis copias coëgit, quibuscum missam a Caramanoglio manum auxiliarem, & aliam, quam Isfendiar begus ei, Casime filio duce suppeditauerat, coniunxit. Inde domo feliciter digressus, Danubium transmisit, & in eius fluminis ripa manens, arcem ædificauit, quæ Gergugi dicitur; itemque sequentia loca, Sagzim, & Ieni-Sulen instaurauit, quo posteriore noua Sule significatur. Hinc Akenzilaris excurrendi potestatem fecit, qui maxima cum præda reuersi sunt. Princeps autem Valachiæ (Transalpina heic intelligitur) per legatum Sultano Muhameti tributum suum misit, in postetum obœdientiam pollicitus, ac filios quoque suos ad Portam proficisci, honoris vt ergo Muhameti suam nauarent operam, iussit. Postea versus Vngariæ regnum progrediens Sultanus, in eadem Valachia Transalpina Seuerinum occupauit, arcem ab imperatore Seuero conditam & adpellatam. Christiani eorum locorum, quum eiusmodi successus Musulmanorum viderent, pacatiores facti sunt. Tres principum inter ipsos filij, Muhametis ad Portam, mandatis eius parituri, accesserunt. Prætereas se pollicitu sunt, quotiescumque sic vsus posceret, auxiliares Sultano copias missuros. Nec ex eo tempore Christiani principes hi quidquam aduersus Sultanum Muhametem hostile tentarunt. Eodem anno Sultanus ex equo cecidit, & expeditione Valachica defunctus, Hadrianopolim rediit.

Chr. 1419.

Anno sequenti IↃ CCCXXI, ingens tam in vrbe Burusa, quam in Asiaticæ Rumiliæ regionibus ac prouinciis terræ motus exstitit, quo cum opidis ædificia plurima corruerunt, & ipsæ regiones ad vastitatem quamdam redactæ sunt.

Chr. 1420.

Anno deinde proximo IↃ CCCXXII, magni variique tumultus exorti sunt in Asiaticæ Rumiliç superioris regionibus, & in locis Amasiæ Tocatæque vicinis. Inter alia, quæ acciderunt, hoc quoque memorabile; quod princeps Caraiussufes, e regione sua Cara-coionlu, (a nigris ouibus dicta, sicut & Laonicus incolas Mauroprouatadas vocat, vt supra libro sexto dictū, & alibi latius explicandum) in Armeniam veniens, vrbem & arcem Erzintzanem cepit, & Pyrim Omerem quemdam illic principem cōstituit; eoque facto, suum in regnum rediit. Postea Pyr Omer arcē Cara-chisarem suam in potestatem redigere cupiēs, cum copiis obsedit. Arcis autem præfectus Chasen, Achmetis Melici fili⁹, ad Sultanum Muhametem e suis quemdam misit, qui auxilium aduersus obsessores peteret. Præterea Chasan, filius Alp-Arslanis, Zindicum occidens; vrbem Tzanicum occupauit. Deinde Samsonem opidum, cum Bakire, cepit Isfendiar begus; & Hizirem begum, filium suum, iisdem locis præfecit. Eodem anno Cara-iussufes mortu⁹ est. Eius filius Ischender, regnum loco patris obtinuit. Schachus autem Ruchus, Temuris Chanis filius, (Sachruchum Laonicus adpellat, qui Turcis est Schach-Ruch, diuisis vocib⁹, tamquam Rex vel princeps Ruch: & proximus ab hoc Temuris filius Schiltepergo manuscriptio nō est Miramsla, quod nomen quidā prodiderūt, sed Miram-schach) magno cū exercitu venit, vt Ischenderi bellum inferret; quo fugiente, regia ipsius, cum regno, potitus est. Hic Schachus Ruchus Turcomanorum castra deprædatus est. Has in Rumilia superiore Asiatica turbas exortas, quum Sultanus Muhametes in-

μαυροπροβατάδες.

Quære de hoc in XIV lib. inf. expositione 11.

Schach Ruch Temuris F. inf. lib. XIIII

audiſſet; operam dedit, vt ſuis a ſubditis horum principum tyrannidem & iniurias auerteret: ideoque verſus indicatas regiones expeditionem ſuſcepit, omniaque partim vi & armis, partim humana quadam benignitate ſua ſopiuit, & hoc modo quietem ſuis reſtituit.

Bello, quod diximꝰ, in iſtis locis compoſito; feliciter Muhametes Buruſam rediit. Quia vero Caſumes begus, Isfendiaris filius, iampridem Sultano Muhameti ſignificauerat, ſe nũquam ab ipſius Porta diſceſſurũ: iccirco legatum Sultanus ad Isfendiarem miſit, qui ſuo nomine renuntiaret Isfendiari; Filium ipſius, & fratrem ſuum Caſumem, decreuiſſe ſecum manere, atque illa de cauſa ſe timarium ipſi ſuomet e regno conſtituiſſe ac donaſſe. Propterea ſe petere, vt etiam Isfendiar ipſe filio ſuo timarij loco ſequẽtes cum opidis arces; Toſſiam, (priſcis Theodoſiam Gangrenſem) Kiankaram, (olim Gangram) Calazugen, (ea vox caſtellum paruum ſignificat) Caſtamonam, & Bakir-Kiuren; hæc igitur filio loca poſſidenda concederet. Tũ vero Isfendiar ad Baiaſitem baſſam, Sultani Muhametis Vezir-azemem, ſiue primum a conſiliis, quemdam e ſuis ſenem & doctum Taliſmanum, Vaizem Muhametem miſit; qui ſuo nomine cũ hoc ageret, vt interceſſione gratioſa ſibi apud Sultanum Caſtamonam & Bakir-Kiuren impetraret, opida ſuis annonis adſignata. Quod ceteras arces & ciuitates adtineret, Kiancaram, Calazugen, Toſſiam, cum agris ſuis, & cum Bakiris Kiuræ quibuſdam prouentibus annuis; iſtæc omnia ſe ſponte ſua Sultano cõcedere, nec aliud petere, quam vt ea benigne ac libenter acciperet. Velle tamen hæc ipſi donata Sultano, quem roget vnice, ne Caſumi, filio ſuo, deinceps ea tribuat. Quippe ſceleratum hunc, & improbum hominem eſſe. Quibus Sultano a Baiaſite vezire renuntiatis, haud illubẽter is, quæ ab Isfendiare offerebantur, acceptauit. Inde Caſumi bego timarium in regno ſuo dedit, cuius limitem ac metam eſſe voluit Ilgar-dagim, hoc eſt, ſaltum vel montem Ilgarem. Hoc modo factum, vt Caſumes begus vſque ad mortem in aula Sultani, quã Portam dicunt, hæreret, nec amplius ad patrem ab illo tempore reuerteretur.

Dictum antehac, Muhametis Chanis filium Muratem Amaſiæ ſolitũ degere, quæ ciuitas a Ponto prouincia tam prope abeſt; vt habitans illic Murates facile ſemper intelligeret, quid in vicinia gereretur. Accidit autem, vt Samſonis opidum Chriſtiani municipes, igne ſuccenſum, in cineres redigerent; & ipſi naues ingreſſi, opido deſerto, diſcederent. Eius facti fama quum ad Sultanum Muratem adlata perueniſſet, Hamzam begum, Bitzeris filium, Aſiaticæ Rumiliæ beglerbegum illuc abire iuſſit, & Samſonem opidum Chriſtianorum occupare. Beglerbegus mandatum hoc exſecutus, ipſi Sultano Muhameti nuntiauit, e Samſone Chriſtianorum facile captum iri Samſonem Turcorum. Sunt enim opida duo Samſonis, alterum alteri valde vicinum. *De vtr. consul. 58 Pan.* Placuit Sultano Muhameti conſilium hoc alterius etiam opidi capiendi, ac propterea cum copiis eo profectus eſt. Interim vero ſe continebat Hamza begus intra Samſonem Chriſtianorum, & cottidie cum municipibus Samſonis Turcorum velitabatur; donec tamdem Sultanus Muhametes ad opidum accedens, cui nomen Marzoa, mox inde Samſonem pergeret, militumque corona ciuitatem necdum captam circumdaret. Erat autem in opido Samſonis Turcico princeps Hizir begus, Isfendiaris begi filius. Vbi primũ Sultanus Muhametes aduenifſet, cõfeſtim abſq; vllo prœlio ciuitatẽ Hizir begus dedidit. Quapropter Hamza begus, Bitzeris filius, Hizirem begum compellans; Cur, inquit, arcem ab hoſte nulla petitus pugna dedidiſti? Reſpondit Hizir begus; annonas omnes opidi ſui municipes e Chriſtianorum Samſone ſemper accepiſſe. Quo factum fuerit, vt Samſone Chriſtianorum diruto, & ab Oſmaneis occupato; nec habere victui neceſſaria potuerint Isfendiarẽſes Samſonij, nec aliqua tranquillitate quieteq; frui: quum vicinitas & amicitia ſua cum Oſmaneis alia non ſit, quam inter anſeres & anates eſſe ſoleat. Deinde præcepit Sultanus Muhametes Hiziri bego veſtem honorariam iniici, & prius amplis cultum muneribꝰ ac beneficiis, adpellans: Si voles, inquit, mecum viuere; timarium tibi ſane peramplũ dabo. Cui viciſſim libere ſui ſentẽtiam animi aperiens

riens Hizir begus: Degit tecum, ait, frater meus. Cum eo tam male mihi conuenit, vt quocumque tamdem ille viuit loco, mihi versari non lubeat. Quæ prolocutus, ad patrem Isfendiarem discedens se contulit.

Sultanus autem Muhametes occupata ciuitate Samsonia, dum Burusam reuerteretur; ad litus maris peruenit, quod scalam heic Murates Dragomanus, vocabulo Turcis, Græcis, Italis vsitato, nominauit. Plurimas vero Tatarorum in iis locis ædes & vicos reperit, idcoque suis hominib⁹ interrogatis: Hem, cuius isti subditi sunt? ait. Responsum, Minetis esse begi. Rursum Muhametes: Vbinam princeps illorum est? quæsiuit. Indicatum, Semcaris Tatari filium celebrare nuptias, quibus adsit. Tum vero Sultanus Muhametes ad Baiasitem bassam, vezirem suum, cōuersus: Equidem acceperam, inquit, Temurem ex hisce regionibus Tataros omnes abduxisse. Nunc principem ipsorum etiam nuptias heic celebrare dicitis. Quid hoc rei tamdem esse dicam? Itane suorū negotiorum voluptatumq; causa hinc inde vagantur, nec interim mihi, supremo harum principi regionum, meis in bellis operam nauāt? Omnino nobis hi terris e nostris expellendi veniunt. Simul ad se Minetem begū arcessiri iussit, qui Tataros suos omnes in viciniam Philippopoleos Thraciæ transferret, ac propter arcem Conuzam migrare, suasque sedes capere iuberet. Quod quidem ita factum, ac deinceps Muhametes begus Minetoglius dicto Conuzæ loco & arcem struxit, & ingens stabulum, pro viatorum hospitio: quum ibidem sibi quoque delecto domicilio, peridoneam ex animi sui sententia regionem reperisset.

Ceterum vt paucis antehac annis gesta, faciliorem ad intelligētiam illorum, quæ nūc indicanda nobis sunt, breuiter adtingamus; fuerat illo tempore, quum Musa Zelebis e medio tolleretur, iudicis Semauinæ filius, Sultani Musæ Cadi-Askerus siue iudex maior, Isnicam deportatus, & ex mera Sultani Muhametis benignitate ac gratia erant eidem annonæ concessæ. Habebat autem hic iudicis Semauinæ filius œconomum siue præfectum rei domesticæ quemdam, cui nomen erat Burgluzes Mustapha. Profectus ille Caraburum, & in ea regione seipsum venditans, quasi si sanctitatis insignem quemdam gradum adtigisset; sub eo simulationis prætextu & larua, maiorem partem regionis Aidinensis ad vota sua traduxit, virum se sanctum professus, & imperitum vulgus hominum ad sectam improbam, quam Ibahatam vocant, seducens; adeo quidem, multis vt famosus & celebris in regionibus esset. Quarum vbi rerum ad aures filij iudicis Semauinæ peruenisset rumor, fuga subita locum exsilij sui relinquens Isnicam, ad Isfendiarem begum profectus est. Deinde nauigio transmisit in Valachiam, quam sane delatus in regionem, maximum quemdam in saltum siluamue se recepit, quam Agatz Denizi, hoc est, Arborum mare, vulgo nominant; ibique degere solitariorum in morem, ficto pietatis prætextu cepit. Erant autem res omnes inter ipsum & Burgluzen Mustapham, perquam artificiose, summoque cum silentio compositæ. Itaque Sultanus Muhametes Baiasitem bassam aduersus Burgluzen Mustapham primū expeditionem suscipere iussit, qui suis cum copiis Caraburum veniens; summis in hostem viribus ita pugnauit, vt plurimi vtrimq; caderet. Tamdem Burgluzes occisus fuit, & in frusta dissectus. Hinc Manissam Baiasites bassa progressus est, ibique seditiosum quemdam monachum hæreticum, cui nomen erat Torlac-Kemal, cum discipulo & sectatore quodam suo, suspendit. Id temporis Sultanus Muhametes Serras profectus fuerat, ac Selanicam obsidere cogitabat. Interim iudicis Semauinæ filius, qui magnam illam Valachiæ siluam, Arborum mare nominatā, vt dixim⁹, ceu solitarius inhabitabat, hinc inde sceleratos aliquot latrones, religiosorū titulo misit, qui omnibus auctores essent, vt ad Iudicis Semauinæ filium confluerēt, cui datā aiebāt diuinitus regiā dignitatem, & qui totius orbis imperium consecuturus esset. Qui sanzacatum vel administrationē prouinciæ nancisci cuperet, ad ipsum veniret, expeditionem suscepturum ad occupandum orbē vniuersum. Burgluzen quoq; Mustapham, sectatorē hui⁹, in Aidinensi regione collectis copiis iam bellum mouisse, nec alia de causa, qum vt huius par-

tes propugnet. Hoc modo factū, vt magnus ad eum numerus hominum conflueret, sed improborum, & latrociniis, aliisque flagitiis deditorum. Præterea complures, ad ipsum ea quoq; de causa semet adgregarunt, quod Musa Zelebi adhuc superstite, Casi-askeris munere fungens, multis officia, dignitates, timaria, prædiaque seu possessiones impetrauerat. Ad extremum tamen animaduertentes, nihil ab eo recte agi; captū ad Sultanum Muhametem Serras abduxerunt. Venerat e Perside quidam in illa loca doctus vir, legisque peritus, cui nomen erat Meulana Chaider. Is a Sultano Muhamete suum in comitatum, adeoque familiaritatem admissus, & in hac causa cōsultus, quidnam ex sententia diuini iuris de hoc homine, qui & ipse prius in numero doctorū fuisset, & consultorum iuris, statuendū esset: respondit, eum iure mortis adfici posse supplicio; sed nequaquam permitti, vt fisco regio facultates ipsius inferantur. Quapropter in forum opidi productum, & ante tabernam quamdā laqueo suspensum, necarūt. Nihilo minus venere post aliquot dies ipsius discipuli, & extincti cadauer reddi sibi petierunt. Nec hodieque desunt in illis locis huius hæretici sectatores.

Quod ædificia Sultani Muhametis sacra, piisq; dedicata causis, adtinet: insignem in vrbe Burusa meschitam, cum imareto siue xenone, struxit. Dū ei meschitæ pagos, villas, & prædia quædam Christianorum adtribuere cogitaret, vt eorum prouentibus annuis frueretur; admonitus a quibusdam fuit, intra Musulmanæ ditionis fines, ad litus maris, arces & villas quasdam esse, quæ Constantinopolitani se iuris esse ꝓfiteātur. Hoc intellecto, ꝑquiri hęc loca iussit, & quosdam milites suos eis immisit. Inter alias, vltra Geibizen opidum, est Hereke; cuius arcis incolæ Christiani, se Turcicis a militib⁹ peti vidētes, arce deserta, Constantinopolim profugerunt. Ibidem est & alia, quam Eski-Geibizen vocant, hoc est, Geibizen veterem, cuius municipes tantum abest vt fugerent; vt etiam contra Turcos acriter pugnarēt. Nihilo minus arx capta Muhametis in potestatem venit, qui Christianorum ædes Musulmanis inhabitandas dedit. Est & alius cum arce pagus illic Darutziler, cuius incolæ certis legibus & pactis interuenientibus deditionem fecerunt, & promissa Turcis obœdientia, dictę Meschitæ ac imareto fuerūt adtributi, redit⁹ vt annuos ei penderent. Itidem pagus alius est, quē Pendicum dicunt. Eius coloni Cōstantinopolim fuga se receperūt. Idē ab illis quoque factum, qui Cartalim pagū inhabitabāt. Hæc castella pri⁹, quam Sultanus Muhametes II, Sultani Muratis II filius, Cōstantinopolim expugnasset, nonnumquā principib⁹ Cōstantinopolitanis, nonnumquā Musulmanis parebant. Sed postea, quam capta Cōstantinopolis a dicto Muhamete fuisset; omnino vi coacti, Turcorū imperium acceperunt. Ad Muhametis structuras vt redeam⁹, in vrbe Burusa meschitam eximiā ædificauit, vna cū imareto ꝓ viatoribus gratis excipiēdis; cui parem in orbe terrarum nullā esse conditā, pleriq; adfirmare nō dubitāt. Propter eamdē meschitā gymnasiū quoq; litterariū exstruxit, alendis iis, qui variis disciplinarū studiis occupantur. Præterea suo Sultanus hic sumtu instituit, vt quotannis ad vrbē Meccam, in qua Musulmanorum Dei templū est, quod adire plurimi solēt, ad horū alimenta peregrinorū, atq; etiam pauperū illic habitantiū, multæ (quas vocāt) eleemosynæ mittātur. Itidē meschitæ opidi Medinensis, vbi Musulmanorū prophetæ Muhametis monumentum est, multa prædia, multas possessiones adsignauit, vt earum prouentus annuos perciperet. Vbicumque locorum denique Sultanus Muhametes esset, numquam non die Veneris, hebdomadario festo, post preces habitas in meschita publica, pauperibus liberali manu dona, quę vulgo dicuntur eleemosynæ, veluti a commiseratione profecta, distribuebat.

Secundū hæc, anno prophetæ Muhametis extincti ɪↃ CCCXXIIII, mense anni quinto, cepit ægrotare Sultanus Muhametes Hadrianopoli: statimque filiū suum natu maximū, Muratē Zelebim, regni hæredē declarauit. Simul arcessitis consiliariis ꝑcepit, vt absq; mora filium suum primogenitum Muratem adduci curarent. Illi vero, perspecta voluntate sui principis, Eluanum begum, primū inter prægustatores, quem Turci Tzesnegirum bassam dicunt, aduocan-

di

di Muratis cauſa miſerunt. His nō contentus Sultanus Muhametes, eoſdem vezires ſuos adpellans: Fieri poteſt, inquit, vt etiam ante Muratis aduentum ipſe moriar, eaque de cauſa non leues in regno meo turbæ exoriantur. Quamobrem ſummo ſtudio danda vobis erit opera, ne prius, quam Murates adfuerit, de morte mea rumor in vulgus emanet. Heic omnis adhibenda cautio, ne quis me deceſſiſſe reſciſcat. Hoc ſupremo voluntatis elogio nuncupato, mox eum diuino nutu mors occupauit.

Regno Muhametes præfuit annis VII, menſibus XI, & aliquot præterea diebus. Poſteaquam Deo ſic iubente res humanas reliquiſſet, conuenere Baſſilari duo, Baiaſites & Cazis Eiuaſes, vt inter ſe de ſtatu rerum præſenti deliberarent. Chazis Eiuaſes baſſa conſuluit, vt omnis militia palatina mitteretur ad aliquod negotium expediendum, eoque modo Porta nonnihil ipſorum præſentium multitudine ac turba liberaretur. Quod vbi conſilium Baiaſiti quoque placuiſſet, indictum abſque dilatione Diuanum ſiue concilium publicum fuit, & in eo palatinis propoſitum, velle Sultanum aduerſus Iſmyroglium bellum gerere; ideoque mandaſſe, prius vt omnis Portæ militia mitteretur in Anatoliam, & cum Anatoliæ Beglerbego conuenire ad arcem Bagam iuberetur. His dictis illico ſtipendia militibus numerarunt, & Genitzaros in Aſiam miſerunt, Sultani nomine datis ad Anatoliæ beglerbegum litteris, quibus imperabant, vti confeſtim ad Bagam exercitum colligeret. Interim ipſi vezires in Diuano cottidie conueniebant: timaria, ſanzacatus, & officia dignitateſque ceteras conferebant: hos ſuis muneribus ſpoliabant, illos viciſſim euehebant; quaſi ſi viuus ac ſuperſtes Sultanus hæc ita fieri iuberet. Præterea medicus Sultani cottidie velut ad ægrum in oculis omnium intrabat, ac rurſum egrediebatur. Ceteri quoque medici cum variis pharmacis accedebant. Simul ad Eluanem begum veredarij citra intermiſſionem cum litteris mittebantur, quibus vrgebatur, vti quamprimum expediret id, cuius cauſa miſſus in Aſiam fuiſſet.

Accidit tamdē aliquando, vt Silichtarorum equitum prætorianorum legio tumultuaretur, & in ipſos baſſilaros irruens, diceret; velle ſe modis omnibus Sultanum ac regem ſuum videre. Mirari namque, cur numquam prodiret, ac ſe conſpiciendum præberet. Ad ea reſpondentes Baſſilari: Non ſinunt, aiebant, eum exire medici, ne valetudine nō ſatis adhuc cōfirmata, rurſus in morbum incidat. Tum vero Silichtari equites: Nos omnino, reſpondebant, ad Sultanum noſtrum ingrediemur, vt eū coram inſpiciamus. Videns Chazis Eiuaſes ab ipſis tam ſerio rem agi: Dumtaxat hodie, ſubiecit, quieti ſitis, & ipſū quiete frui ſinite, quum medicamento ſit vſus. Craſtino die Sultanum vobis in Diuanum exportabimus, ac liberum cuique veſtrum erit, vt ipſum in Diuano ſedentem intueamini. Aderat illic medicus quidam, cui nomen erat Giordiran. Is ad Turcos e Perſide ſe contulerat, & Gilderunis Chanis medicus fuerat. Verſutus vir hic, longeque vaferrimus, fraudem ac dolum inſignem adhibuit, vti tumultuantibus Silichtaris fucum faceret. Quippe ſub veſte Sultani, vel cadaueris potius ſedentis, a tergo puerum quemdam abdidit, ea quidem induſtria, manus vt mortui mouere poſſet, atq; ita ſurſum erigere, barbam ſuam vt demulcere ac tergere videretur. Hoc modo cadauere Sultani ad Diuanū exportato, ſtatim ex cōpoſito medicus hic, quē diximus, ad Baſſilaros acceſſit, tulipantum ad terram velut indignabūdus abiecit, ac voce graui eos obiurgare ſe ſimulās: Quid, inquit, iſtuc eſſe rei dicam? Itane Sultano plene conualeſcendi ſpatium nullum dabitis? qui vix curatum in morbum ſi reciderit, tot ſollicitudines noſtræ, quibus hactenus eum priſtinæ valetudini reſtituere conati ſumus, tot labores, abſque fructu ſcilicet omni perierint. Equidem quid de hoc facto veſtro dicam, neſcio. Tum Chazis Eiuaſes baſſa: Condona nobis, inquit, o medice, quod omnino facere nos vel inuitos oportuit. Nam Agalari, & equitum hi tribuni, Sultanum noſtrum ſuis intueri voluerunt oculis. Res nunc periculo caret, nec eſt, quod amplius metuamus; quum melius habere princeps incipiat. Hoc modo pacari ſe paſſi fue-

runt Agalari siue tribuni prætorianorum equitum, posteaquam suis ipsimet oculis Sultanum barbam suam tergentē conspexissent: visiq; certiores de Sultani valetudine facti, ad operas quisque suas discesserūt. Medici quoq; duo Sultanum ab vtroque latere corripuerūt, & intra seraij sui conclauia reportarunt.

IO. LEVNCLAVII

HISTORIAE MVSVLMANAE TVRCORVM LIBER XIII.

MVSTAPHAEVS, DE DVSME VEL suppositicio Mustapha.



EXPOSITVRVS hoc libro seorsum historiam vsurpati regni Turcorum a Mustapha quodam, qui se Baiasitis Gilderunis filium falso perhibuit, ideoq; Dusmis siue suppositicij cognomen a Turcis accepit, quod Græcis esset Pseudomustapha: rursus inhærendum consuetudini a me hactenus obseruatæ duxi, separatimque recensenda tam ea, quæ codex Haniualdanus, quam quæ Verantianus interpres memoriæ prodiderunt. Ac prior esto de rebus his, a Murate Dragomano cōgesta, narratio; posterior, quam Verantiana nobis exhibet historia.

Nati fuere Sultano Muhameti, cuius mortem in extremo libro superiori descripsimus, quinq; omnino filij, quorum hæc a Turcis traduntur nomina: Murates, Mustapha, Achmetes, Iussufes siue Iosephus, & Machmutes. Ex his Achmetes ante patrem rebus humanis excessit. Quo fit, vt moriēte patre dumtaxat ex eis quatuor superstites fuerint, & filiæ septem. Iussufes etiam, Machmutesque Zelebis, postea Burusæ, contagio pestis infecti, perierunt.

Sultani Muhametis occulta mors fuit eo, quo dictum, modo totis XL diebus, & vno: quibus exactis, venit Burusam Sultanus Murates, & throno regio pro more consedit, simulque mors Sultani Muhametis publicata fuit. Tum vero vidisses in vniuerso Turcorum imperio meras oriri seditiones, tumultus, discordias. Excitauerunt enim graues turbas ac motus tam Ismyr-oglius, quam Mentesoglius, cum ceteris eorum locorum principibus: tametsi deinceps legatis vtrimque missis, sopitæ nonnihil ad tempus aliquod fuere controuersiæ.

Eodem anno, quo patri Sultan⁹ Murates in imperio successit, ab æmulo licet, ficticio patruo Mustapha, non parum impeditus, vitam cum morte commutauit Ægypti Sultan⁹ & rex, cui Turcorum historiæ nomen Seychi tribuūt, quum aliquibus e nostris Syachin adpelletur. Eius, Turcis auctoribus, successor Tatar-begus fuit; cui nomen apud alios est Salbmander, haud dubie corruptum ex Sultan Tater. Sequenti anno Tatar-begus etiam quoddam in periculum incidit, eiusque loco Pars-begus Ægypti regnum consecutus est, cuius nomen hoc apud scriptores Christianos non reperitur.

Ad motus denique Mustaphæos vt accedamus, vbi primum Sultanus Murates, Muhametis filius, Burusæ principatum iniisset; inuentus est quidam in vrbe Selanicensi, vel Thessalonicensi, qui se filium Gilderunis Baiasitis Chanis Mustapham, iamdudum in prœlio Temuriano cōtra Baiasiticos amissum, profiteretur. Is primum se contulit ad opidum Thessalonicæ vicinum, quod † Vardarium nostris est, Turcis * Vardar Genitze, quo Vardar nouella significatur. Huc ad eum quidam ex Eurenosis begi filiis accesserunt. Deinde recta profectus est ad vrbem Siros, quam Serras priscis fuisse dictam, multoties indicauimus. Vlterius inde progressus, Hadrianopolim venit. Adeoque paucis

† Pan cap. 8. * Laone lib. nitZa xit.

paucis vt rem omnem expediam, imperio suo totam subiecit Europęam Rumiliam, & Portam siue regiam suã ad Vardarim Genitzen transtulit. His motibus Sultano Murati nũtiatis, proceres ipsius Baiasite Bassa compellato: Sane tu beglerbegus es, inquiunt, Europææ Rumiliæ, quæ nunc seditionibus his agitatur; & hactenus prouenientis in ea regione mellis dulcedinem percepisti. Iam tui muneris & officij fuerit, vt apes etiam, quæ mel istuc conficiunt, defendas. Nihil his aduersatus Baiasites bassa, bello contra Mustapham gerendo se parauit: quumque fretum ad Calliopolim cum copiis traiecisset, rumor increbuit, vniuersam Europæam Rumiliam, deserto Murate, Dusmis illius Mustaphæ partes amplexã. Quapropter & ipse Hadrianopolim profectus, ac Mustaphæ manum osculatus, priorem ab eo dignitatis gradum obtinuit, vt Vezir-azemis apud ipsum munere fungeretur. Post Baiasitẽ bassam, Tzuneites quoq; begus, Ismyroglij principis filius, ad Mustapham transiit; & in numerum Vezirum receptus fuit. De huius consilio pedites totius Europææ Græciæ, quos Iaias vocãt, Mussellemos fecit Mustapha; simulque ordinauit, vt nonnulli a militia liberi, domique manentes, his aliis ad bellum euntibus annonas & stipendia soluerẽt. Vnde mos adhuc superat, vt aspros L militantibus alij quieti & a militia vacantes suppeditent. Ac placuit, huiusmodi milites adpellari vel Azepos, vel Turcorum ad inflexionem, Azeplaros.

Secundum hęc mandauit Mustapha suis, vt omnes ad Calliopolim naues reficerentur. Præfectos etiam tormentorum belli maiorum, & artifices, quos vtrosq; Bombardarios vocant, quotquot haberi possent, colligi iussit, & stipendiis inuitatos ad se deduci. Equites etiam omnes, quos sua lingua Ispahios barbari vocant, e tota congregari Europæa Rumilia tam serio præcepit; vt horum nulli militiæ vacatio vel immunitas concederetur. Hinc clausis oculis, quod facere solent audaces, (libet enim barbarorum phrases aliquando retinere) Hadrianopoli prodiit, & cum exercitu progressus, in loco quodam castra metatus est, cui nomen Turci dant Sasli-dere, quodam ab amne, Sasli dicto. Necatus heic Baiasites Bassa fuit. Decreuerant vero Mustaphæi, traiecto freto Calliopolitano, transferre bellum in Asiam, & ipsam regni Muratis sedem Burusam petere.

Sultanus autem Murates, intellecto ficticij Mustaphæ consilio, iamque suscepta in Asiam profectione; quinque sibi bassas adiunxit, quorum hoc bello consiliis vteretur; videlicet Ibrahimem bassam, Chazim Eiuazem bassam, & tres Temur-tasis filios, Omerem bassam, Vrugem bassam, (male Baramus & Barancus apud Laonicum scribitur) & Alim bassam. His autem quinque bassis vnanimi consensu visum, vt Muhametes begus Michaloglius, e carcere Tocatensi liberatus, ad Sultanum Muratem perduceretur. Accesserat iam Murates ad flumen *Vlubatum, eiusque fluminis pontem solutum destruxerat, & ad pontis vnam extremitatem, ex altera fluuij parte, suo cum exercitu considebat. Venit deinde suppositicius etiam Mustapha suis cum copiis, & ex aduersa parte fluminis, ad alteram pontis extremitatem castris locum cepit. Quilibet e veziribus Sultani Muratis peculiare quid sibi curandum susceperat. Chazis Eiuases bassa cum suis ad ostium profluentis e lacu fluminis excubabat, ne præter exspectationem Mustapha cum copiis suis illic ad alteram ripam euaderet. Dum in hunc modum exercitus vterq; tam Muratis, quam Mustaphæ, coniectis in se inuicem oculis, alter alterius molitiones & consilia specularentur: venit tamdem e carcere Tocatẽsi Muhametes begus Michaloglius, a Sultano Murate de consilio Vezirum ab exsilio reuocatus. Quumque fluminis ad ripam, inter vtraque castra labentis, accessisset; statim exclamare verbis huiusmodi cepit: Bre Turc Turechan, hoc est, Heus Turce Turechan. Iisdem verbis & Giumuli filium, & Eurenosis begi filios, alta voce compellauit. Quapropter omnes illic ex Europæa Rumilia degentes in Mustaphæ castris milites ac begi ripam ad alteram fluminis confluxerunt, & salutato Muhamete Michaloglio, varia cum hoc habuere colloquia; qui Mustapham mentiri nomen hoc filij Baiasitis adfirmaret, ac sine dubio suppositicium esse

*Pandect. cap. 86.

diceret. Nonnulli quoque sermones inter se de re pręsenti conferentes, Muhametem begum Michaloglium adhuc superstitem esse plurimum mirabantur. Eadem Bassis quoque Mustaphæis, aliisque proceribus singillatim nuntiabat, scriptis etiam ad bombardarios litteris, quas cuidam Baiasiti Gionanli, trans flumen misso, perferendas ad eos tradidit. Tanta denique Murataei Vezires industria corruptos Mustaphæorum animos a partibus illius Dusmis alienabant, & suis adiungebant; vt Ismyroglio quoque bego Cara-Tzuneite, qui hactenus a Mustapha stabat, sibi reconciliato prorsus satisfacerent, ac suas ad partes hominem nullo pæne negotio traducerent.

Quo vero tempore Muhametes Michaloglius sua cum proceribus Europææ Rumiliæ colloquia trans amnem habuerat, ficticius ille Mustapha, quidquid a Michaloglio prolatum fuisset, audierat. Itaque paullo post Chazis Eiuases bassa subdolam Mustaphæ supposititio scripsit epistolam, in hæc propemodum verba: Significandum serio serenitati tuæ duxi, proceres omnes Europææ Græciæ cum bombardariis inita conspiratione decreuisse, Sultanum Muratem, nocte constituta fluuium, aliquanto spatio supra factum in eo pontem, cum suis transeuntem excipere, ceu principem suum, teque captum illi tradere. Quibus & alia quædam adiecit, hominis terrendi causa, tanto quidem artificio; verbis vt eius, & admonitioni, fidem Mustapha prorsus adhiberet: quandoquidem ad calcem litterarum adscripserat, ingenuo se studio rem omnem ei voluisse patefacere; summoque Mustapham hortari opere, maximam vt heic vigilantiam & cautionem adhiberet. Hac fraude tam subtiliter instructa, nocte Chazis Eiuases constituta prorsus eo loco, quem in litteris indicauerat, cum suis fluuium transiuit, ac pro felicibus auspiciis Sultani Muratis ingeminare milites alto clamore voces Musulmanici tegbiris Alla, Alla, Allahu, iussit; pulsatis interim quamplurimis etiam tympanis, ac tubis clangentibus, dum in hostem irrueret. Habuerat, vt diximus, scriptis ab Eiuase litteris fidem Mustapha; planeque rebus his iam succedentibus, in opinione sua magis etiam confirmabatur. Itaque totus præ formidine tremebundus, vix equum adscendere potuit, vt fuga saluti consuleret. Idem factitatum ab Ismyroglio, quocū litteras illas Mustapha iam ante communicauerat. Eurenosij vero, cum bombardariis, & cum Turco Turechane, non aufugerunt. Chazis Eiuases bassa Mustaphæ tentorium ingressus, ibidem mansit: ac subito pontem instaurari & refici iubens, vniuersas per eum copias etiam hostiles in castra sua traduxit, ea moderatione adhibita; ne quidem vt pilum, nocendi causa, cuiusquam adtingeret. Tum illi proceres & bombardarij, qui non aufugerant, ad Sultanum Muratem accedentes, manum ei sunt osculati. Vezir Muratis, Ibrahimes bassa, consilij crudelis auctor erat, vt omnes interficerentur. Sed Chazis Eiuases bassa mortis eos adfici posse supplicio negauit; quum diceret, ab Ismyroglio deceptos fuisse, qui testimonio suo Mustapham tyrannum Sultani Baiasitis filium esse confirmasset. Eius dum verbis fidem haberent, in errorem abductos: vbi vero cognouissent, supposititium esse principem; verum ad Sultanum se contulisse, nec vlli adfines culpæ putari posse. Gesta fuerunt hæc anno mortui prophetæ Muhametis IƆ CCCXXV. Chr.

Quum autem ficticius ille Mustapha fugiens, ceu dictum, ad Bagam flumen venisset, ac vadum reperire nequiret, vbi prius transierat: arcis Bagæ iudici magnam pecuniæ summam dedit, isque locum ostendit, quo vadari fluuius posset. Nouem heic, decemue dumtaxat cum Mustapha Bagam vado transierunt, eumque comitati sunt. Impedimenta cum thesauris, quos secum habuerat, ab hoste fugiens, ad Vlubatam siue Lopadium reliquerat. Tertio secundum hæc die, traiecto maris Hellespontici freto, Calliopolim adpulit, ac statim naues omnes, quæ istic aderant, ad terram subduci curauit. Simul præcepit, ne vel vni nauigio ad Asiaticum litus ab Europæo transmittendi potestas fieret; itidemque traiectus ceteros, & portus, & litora, præsidiis dispositis, custodiri præcepit.

Ab

Ab altera parte Sultanus etiam Murates fugientē Mustapham persequens, ad amnem Bagam venit. Quumq; significatum ei fuisset, iudicem Bagensem fictitio Mustaphæ locum traiectus ostendisse commodum: in illo ipso iudicem loco suspendi iussit. Hinc vlterius progressi, peruenerunt ad opidum, cui nomen Lepseke. Prisci Lampsacum dixere. quumque naues illic nullas inuenirent, hæsitabundi substiterunt; quid agēdum esset, hinc inde dispecturi. Tum forte fortuna nauis quædam ingēs mercatoris Genuensis in freto, reperta fuit. Erat & Calliopoli nauicularius quidam, Tacharetsus Halyb, quem Ibrahimem bassam nominabant. Hunc etiam adferri curarunt. Pretium vecturæ quatuor aureûm nummorum millia constitutum fuit, vt in Europam exercitus ex Anatolia transportaretur. His pactis initis, magna nauis illa militibus strenuis impleta fuit, ac versus armatas suppositicij Mustaphæ triremes deducta. Tum vero Mustaphæi bombardas maiores & minores e triremibus in Murataeos & ingens illud nauigium exonerarūt, nec eos propius ad se passi sunt accedere. Quare quum Murataei nulla se vi penetraturos ad triremes hostiles viderent, nauim illam magnam alio diuerterunt, & iuxta Cosli-derim adpellentes, exercitum in terram exposuerunt. Quum deinde reuersura nauis ad Asiaticum litus esset, irruere conatus est in eam Mustapha suppositicius, vt expugnatam caperet: sed aduerso numine, nihil efficere potuit. Rediit ergo nauis plena militibus aliis, qui & ipsi mox in terram expositi fuerunt. Posteaquam hoc modo iam magnus Murataeorum militum numerus in Europam transuectus fuisset, in fugam se ficticius Mustapha coniecit. Sultanus Murates & ipse freto transmisso, quodam in vicino Calliopoli loco, qui Musalla vulgo nominatur, & in quo festi dies agi solent, ad terram adpulit, & castra locauit. Inde Calliopolim tentauit, quæ se dedere noluit: adeoque Calliopolitani, displosis ex opido bombardis, multa Murateorum tentoriis damna intulerunt. Tamdem certiores de fuga suppositicij Mustaphæ facti, deditionem fecerunt. Hinc cum exercitu Sultanus Murates hostem insequi cepit, Hadrianopolim Mustapha se contulit, cuius vrbis municipes, intellecto Muratis Chanis aduentu, Mustapham flocci fecerūt. Quapropter Hadrianopoli relicta, rursus fugam arripuit. Ei Muratis milites a tergo semper inhærentes, nec vllam fugienti quietem concedentes; ad extremum in loco quodā hominem adsecuti sunt, cui nomen Kisul Agatz Genitze; statimque comprehensum & captum Hadrianopolim ad Sultanum Muratē deduxerunt, qui de pinna mœnium vrbis eum suspendi iussit, atque ita pendentem relinqui, vt omnis populus eum hoc adfectum supplicio spectaret; cuius quidem rei fama per vniuersum orbem terrarum publicata fuit.

Hæc prior illa seditiosi motus Mustaphæi descriptio est, qua Muhamete mortuo regnum Murati per vim eripere conatus fuit, ac genere quodam vsurpationis admirando, & historiis raro, sibi vindicare. Quis enim non summopere miretur, tanti principis filium, quantus fuit Gilderun Baiasites, amissum in prœlio, nec annis XVIII vsquā visum, fraudulenta suppositione alterius tamdem instar personati regis in scenā, non modo cum vulgi, sed procerum quoq; magnorum adplausu, potuisse prodire? Nūc de turbis iisdem & illa cognoscamus, quæ Verantiana nobis præbet historia: ne quid alicui præter officij rationem videri possimus omisisse, quod historiæ Turcicæ vel illustrandæ, vel perficiendę momentum aliquod adferre possit.

Quum Sultanus, inquit, Muhametes rebus humanis excessisset, ab omni parte tumultuari ceptum fuit; perturbatis vbique futurorum metu prouincialium animis. Princeps Ismyroglius, & ceteri proceres Asiatici, rebus nouis studuere. Prodiit etiā Thessalonicæ quidam Mustapha, Dusmis siue suppositicij nomine deinceps admodum celebris, qui se pro filio Baiasitis Chanis gerebat. Is ad opidum Vardarim Genitzen primo se recepit, & totam fere Græciam suo parentem nanctus est imperio, concurrētibus ad ipsum magnis sane copiis hominum. Deinde Seres siue Serras adiit, eoq; potitus est tum opido, tū castro, præsidiariis ac municipibus ei se dedentibus. Tū vero maior etiam Græciæ secuta defectio fuit, & ipse Mustapha Genitzen

profectus, suam illic regiam constituit. Horum deniq; motuum rumor ad Sultani Muratis aures, in Anatolia degentis, peruenit. Erat huic primus a consiliis Baiasites bassa, cui ceteri vezires id temporis non optime volebant. Itaque secretis inter se consiliis habitis, in eum conspirarunt: quod hominem suggerendis consiliis expeditis valere viderent, & ab aliis etiam rebus, ad comparandam auctoritatem potentiamq; maximam, instructum. Ibrahimes vero bassa, itidemque Chazis Iueses, Talismani erant, theologicis dediti studiis; ideoq; Baiasiti rebus gerẽdis impares, quonam illum modo de medio tollere possent, ignorabant. Tamdem Sultanum Muratẽ adeuntes; Non erit opus, inquiunt, o rex, vt tu loco tuo te moueas. Quietus & tranquillus esto, Lalamque tuum, siue tutorem & nutricium, Baiasitem bassam mittito, qui cum Mustapha confligat; præsertim quum ad eius officium maxime pertineat, vt hominem seditiosum opprimat, & tuis e regnis eiiciat. Hæc quum ab iis dicta fuissent, consederunt omnes proceres coram Sultano Murate, qui Baiasitem bassam adlocutus: Mi Lala, mi tutor, ait, Europæa te Rumilia ꝑcipue colit & obseruat. Quapropter hanc aduersus Mustapham expeditionẽ ipse suscipito. Quippe spem non exiguam habemus, homines illos Europææ Græciæ tui studiosissimos, posteaquam te conspexerint, deserto Mustapha mox ad te conuolaturos, & ipsum Mustapham tua causa necaturos. Baiasites, his auditis, libenter hoc onus, humeris suis imponi passus est. Itaq; dati fuerunt ei milites omnes ę Græcia, quotquot id temporis in Anatolia reperiebantur; adiunctis & aliis copiis, quæ hosti debellando suffecturæ viderentur. Cum his a Sultano Murate discedens, paullo supra Constantinopolim profectus est ad † fauces currentis celerrime Bospori, quem isto loco traiicere cogitabat. Sed quum illic eum nauium numerum nõ inuenirent, qui transuehendis ipsis, & ipsorum equis armisque sufficeret; pudore vero præpediretur, quo minus retro, qua venerant via, redirent: equos in mare, habenis manu prehensis, immiserunt; vt iuxta naues natatu traiicerent. Vlterius inde progressus, Hadrianopolim venit, manũ cum Mustapha conserturus. Tum vero statim illi milites Europæi, quos ex Anatolia secum adduxerat, inopinata defectione ad Mustapham transierunt. Quod ceteri quoque milites ab his fieri videntes, & ipsi diffugerunt; adeo quidem, vt suos dumtaxat apud se domesticos retineret, cum fratre quodam suo, cui nomen erat Hamza begus; qui coacti fuerunt omnes, vt hosti se dederent. Baiasitem bassam Mustapha dignitate Veziris ornauit. Iam Tzuneites quoque begus Ismyroglius ad Mustapham cum suis venerat. Idem Mustapha pedites Europææ Rumiliæ partim Muselimorum in ordinem redegit, partim iis donauit annonis, vt aspri L singulis numerarentur. Supersunt hodieque Muselimi, quorum opera quoties vtendum est, solent V, vel VIII, vel X domus ac familiæ militem vnum reb⁹ ab omnibus instructum mittere, cui stipendium asprorum L soluunt: quæ sane consuetudo tunc initium habuit, & adhuc durat. Militibus ipsis inditum nomen, vt Azapi, vel Azapleri vocarentur.

† Pandect. cap. 128.

His Azapis, & Ispahileris equitibus collectis, Hadrianopoli magnis & obstinatis animis discessum, & Sasli-derem itum, quo vocabulo flumen iuncosum significatur. Heic Mustaphæ consiliariis, & proceribus ceteris, minime visum diutius debere tolerari, Veziris vt munere Baiasites apud ipsum fungeretur. Animaduertebant enim, illius dignitate salua, nullo se loco futuros. Quapropter eum ad Mustapham calumniãtes: Magnopere tibi cauendum, aiebãt, ab hoc bassa tuo Baiasite; qui statim, quũ propius ad herum ipsius priorem accesserimus, a te deficiet. quod vbi factum ab eo fuerit, mox omnes tui milites exemplum eius imitabuntur, ac te nõ modo deserent, verumetiã hosti proditum offerent; quo perpetrato, nos vezires ac proceres tui pessime tractabimur. Mustapha vero, licet hominis interficiendi potestatem eis nequaquã faceret, quod horum improbitatem ac malitiam satis adgnosceret: vincere tamen suos non potuit proceres, qui de cõmuni omniũ consensu Baiasitem bassam adprehensum instar pecudis iugularunt. Deinde fratrem ipsius, Hamzam begum, mortis iti-

tis itidem adficere supplicio voluerunt: sed diuisis procerũ sententiis, quem alij poscebant ad necem, defendebant alij, nec interfici patiebantur. Hinc cogitare Mustaphæi de traiectu in Asiam, deque Burusana profectione ceperunt, vti cum Sultano Murate confligerent. Hærebat id temporis Burusæ Murates, cui nuntiatũ fuit, Mustapham magnis coactis copiis, in ipsum pergere. Murates veziribus ac begis suis conuenire iussis, quid agendum esset, consultabat. Interfuerunt huic concilio quinq; Muratæi vezires; Ibeses bassa primus, alter Ibrahimes bassa, cum tribus Temur-tasis bassæ filiis; Vmere bego, Vruge bego, & Ali bego: quibuscum & alij se coniunxere proceres, omninoque statuerunt ab exsilio carcereq; reuocãdum Mechmetem begum Michaloglium. Fuerat ille Musæ Zelebis beglerbegus, & quum Musam captum Sultanus Muhametes occideret, relegabatur Michaloglius ad vrbem Tocatam; vt istic in carcere conijceretur, cui nomen Bedeui Tzardag, id est funis crassus. Hoc modo factũ, vt aliqui mitterẽtur, qui hunc adducerent. Quum in castra venisset, iniectę fuerunt ei vestes elegantissimæ, variisque rebus declarata singularis beneuolentia.

Dusmes autẽ Mustapha, posteaquam Hadrianopoli discessisset, ad fretũ Calliopolitanum accessit, eoque traiecto,



*Michalitzen copias duxit. Interim adhuc Burusæ Sultanus Murates hærebat, nõ ausus alteri prodire obuiam, qui maiore numero militũ instructus erat. Qua ipsa quoq; de causa vezires & proceres omnes, qui Sultano Murati seruiebant, in eam venere sententiam; vt illum ducendum statuerent ad Emirem quemdam sanctum, (sic adpellare barbari solent ortos e posteritate vatis ipsorũ Muhametis) qui Burusæ degebat; vt quod humanæ vires imbecilliores perficere non possent, ab aliqua virtute diuiniore (de ipsorum saltim opinione) impetraretur. Quapropter ad illum deductus Murates, ad eius se pedes abiecit. Erat illis temporibus hic Emir Burusæ notissimus & celeberrim⁹, vti vir insigni morum sanctimonia supra mortales ceteros præditus: ideoq; cupiebãt dicti proceres a tam religioso viro gratiã quamdam (sic Turci loquuntur) Sultano suo fieri, vt illo bello potiri victoria posset. Dominus Emir, vti rem Sultano Murati gratam faceret, eiusq; conatui faueret, ad obtinẽdam de hoste victoriam; manibus suis benedictis (Turcorũ verbis vtimur) Sultani Muratis lat⁹ acinace cinxit, huiusmodi verba prolocutus: Abi, & in hostem recta perge. Deus ille iustus victoriam tibi cõcessit. Secundũ hæc nutu diuino contigit, vt Mustaphæ tunc ad Michalitzen degẽtis nares inflammatæ triduo continuo sanguinem guttatim emitteret, nec eo sistendo remedium inueniri posset. Interim Sultan⁹ Murates, ab illo sancto viro gratiam & benedictionẽ consecutus, cum exercitu suo Burusa discessit, & ad pontem fluminis Vlubadi (Lopadium dixere Græci, Turcis autem Vlu-bad magnum vẽtum significat) accessit. Heic pontem rescindi iussit, & castra metat⁹ est. Exacto superius indicato triduo, sanguis e Mustaphę naribus profluere desiit; ideoq; digressus e regione Michalizia, copias suas ad pontem Vlubadanum adduxit. Eum vero rescissum videns, & Sultanum Muratem ab altera parte pontis trãs amnem cum exercitu castra metatum: etiã ipse cis pontẽ cum suis ita cõsedit, vt exercitus vnus ab altero non magno distaret interuallo. Referunt historici ex illorũ ore, qui vixerunt id temporis, & hisce rebus, quũ gererentur, interfuerunt; dixisse magnũ illum Emirem, fuisse quidem Mustaphæ datum Padischachlucatũ, hoc est, imperium: sed trib. se vicibus cum propheta Muhamete collocutũ, eiusq; pedibus aduolutum, non desiisse continuis prophetã vrgere precib⁹, donec tamdẽ Sultano Murati Beglucatũ, hoc est, dominiũ & summam rerũ, impetrasset. Adeoq; magni dumtaxat Emiris illius benedictione factum, vt Sultanus Murates prius Vlubatam pergeret, quam Mustapha; quodq; sanguis e naribus Mustaphæ promanãs sisti prius nõ potuerit, quam Burusa Sultanus Murates discederet, & Vlubatam veniret. Aliquot deinde diebus vterque mansit in illis locis exercitus, alter alteri oppositus; neutro quidquam tentante, quo detrimẽtum alterutri posset inferri. Tamdem visum Mustaphæ veziribus, debere noctu Muratæas inuadi ex improuiso copias. Quapropter vltra pontẽ Vlubatensem progressi cum sele-

ctis Azaporum equitumq; turmis, iiſq; non exiguis, in caſtra Sultani Muratis irruere conati ſunt, & ſubita grauiſſimaque impreſſione legiones hoſtiles imparatas adgredi. Dum his illi conſiliis & cogitationib⁹ intenti ſunt, patefacti fuerunt exploratorum quorumdam opera Sultano Murati conatus Muſtaphæorum: qui confeſtim magnum militum numerum aduerſus hos inſtruxit, præſertim Genitzarorum; eoſque clam illic in inſidiis abdidit, qua veniendum Muſtaphæis erat. Quapropter exiſtimantes Muſtaphæ milites, nihil hoſti de inopinato aduentu ſuo cõſtare; progredi ceperunt, vt Murataeos opprimerent. Tum vero prodeuntes ex inſidiis Genitzari, gladios & acinaces ſuos ſtrinxerunt, impetuq; maximo Muſtaphæos adorti ſunt: qui quum hoſti tam acriter irruenti reſiſtere non poſſent, abiecta ſpe victoriæ, terga dederunt. Quotquot aderant hoc in conflictu Azapi, Genitzarorum in poteſtatem venerunt, non exiguo quoque numero ex iis interfecto. Qui viui manſerunt, abducti fuerunt a Genitzaris ad † ordum, hoc eſt, ad forum rerum venalium. Forte contigit inter alia, quidam vt Genitzarus Azapos duos ad tentorium cauponis adduceret, cibumq; ſibi peteret dari, quo famem ſedare poſſet; pretij loco duos illos Azapos offerens. Ni faceret, mox ante tentorium ipſius vtrique ſe capita præciſurum minitabatur. Motus Azaporum commiſeratione caupo, ne qua forte vis eis inferretur; cibum Genitzaro petitum dedit, & Azapos redemtos a morte vindicauit. Hoc modo factum, vt pro vno veruecis capite cocto, Azapi duo venderentur; quæ res Azapis ignominiæ maximæ ceſſit. Et eadem ex cauſa deinceps inter Genitzaros & Azapos exortæ fuerunt inimicitiæ mortales. Quippe nulla iungi ſolent Azapi familiaritate cum Genitzaris, ſed ſicubi eos reperiunt, occidunt: adeoq; ſi poſſent, omnes vtrimq; mutuo ſemet interficerent. Ad ſummam, infinitæ quædam inter eos ab illo tempore continuatæ ſunt inimicitiæ.

† Pandect. cap. 204.

Secũdum hæc curauere Sultani Muratis vezires adferri Mechmetẽ begum Michaloglium, vt antea dicere cepim⁹, eoque compellato: Cupiunt, o Mechmetes bege, dixerunt, quam honeſtiſſime tibi milites Europæ Rumiliæ. Quapropter ades, & amnis ad ripam te confer; ſublatoq; clamore, cognoſcendum te Muſtaphæis militibus præbe. Forte ſi te cognouerint, ac viderint, propenſis erga nos animis, ad partes noſtras ſponte ſua tranſibunt. Fecit Mechmetes begus Michaloglius, quod facere iuſſus fuerat: ad amnis ripam ſe contulit, & alta voce clamans: Heus, inquit, Europææ Græciæ municipes, quid vobis eſſe rei dicam cum viro ſuppoſiticio, & alienum nomen mentiente? cur illum ſequimini? cur talis in hominis comitatu vobis hærere libet? Ad Padiſchachi & Imperatoris veſtri filium accedite, qui legitimus vobis eſt princeps. Reſpõdere Muſtaphæi: Quis es tu, qui talia proferre corã nobis audes? Ego ſum Mechmetes ille begus Michaloglius, ait: Tum illi: Mentiris, inquiunt. Quippe quantum iam temporis interceſſit, ex quo Mechmetes begus rebus humanis exemtus fuit? Nam begus hic Michaloglius octo continuis annis in carcere detentus fuerat, ideoque iamdudum rebus humanis exceſſiſſe credebatur. Hac ergo de cauſa verbis eius fidem habere noluerunt. Tamdem Michaloglius nominatim quoſdam Europææ Rumiliæ proceres, & bombardarios quoſdam adpellauit; dum interrogaret, qui valeret hic vel ille begus, hic vel ille bombardarius; etiam præclarorum ſtrenuorumq; militum quorumdam nominibus editis. Tum vero ſtatim animaduertere, Michaloglium adhuc incolumem viuere: ceperuntque milites Europæi vado fluuium tranſmittere, begoque Mechmeti Michaloglio ſemet adiungere. Videns autem ficticius ille Muſtapha defectionem militum ſuorum, & ipſe deſertis caſtris aufugit. Quod quidem vbi factum fuiſſet, cõfeſtim hi proceres Europæi, Turchan begus, Giumil begus, Muratis begi filius, & Eurenoſes begus, ad Sultanum Muratem tranſiuere. Duſmes autẽ Muſtapha fugiens, vti dictum, ad amnem Boga-ſu (qua voce tauri aqua ſignificatur) acceſſit, & magnam aureorum nummorum ſummam iudici Bogano dedit, vt ei vadum oſtenderet, quo tranſiri fluuius poſſet. Ita denique Calliopolim, tranſmiſſo freto, adpulit: vbi dum

dum hæreret, naues trans fretū omnes ad litus Calliopolitanum traduci curauit. Secutus est fugientem Mustapham Sultanus Murates, quumque peruenisset ad scalam siue traiectum Calliopolitanum, deficientibus nauigiis nulla traiicere via potuit. Tamdem tamen inuenta quadam mercatoris naue, fretum eius opera traiecit, & in † Ezeam planiciē venit. Hoc quum Dusmi Mustaphæ nuntiatum fuisset, versus Bolaierden siue Bolairem profectus est, & directo Hadrianopolim itinere, Turcos omnes ex vniuersa Europæa Rumilia collegit, & in conspectum suum venire iussis annonas ac donatiua distribuit, aliaque maiora promisit; hunc se Subassam facturum pollicitus, illum sanzac-begum, alium denique Gierorum bassam, hoc est, militū caput. Hoc modo maximo coacti fuere numero Gieri siue milites, quos benignis verbis adlocutus: Siquidem, ait, secunda vice Padischachus & imperator factus fuero, vos omnes ad altiores dignitatū gradus eueham. His actis, in Sultanum Muratem profectus est, manum cum eo conserere cogitans. Vbi propius ad eum venisset, ceperunt animis deficere Mustaphæi milites, & fugæ se dare tam noctu, quam interdiu; ac tamdem vniuersi fuere dissipati. Videns autem hoc fieri Mustapha, statim & ipse fugam arripuit; & Hadrianopolim se recipiēs, ne quidem illic ausus fuit hærere; sed in locū quemdam properauit, cui nomen Kisul Agaz Genitze, hoc est, arbor noua rubea. Hoc denique loco substitit. Sultanus Murates recta Mustapham a tergo secut⁹, Hadrianopolim venit. Tum vero videntes Europææ Rumiliæ milites, Sultanum Muratem iam regio potitum solio; Mustapham vniuersi prodiderunt, & Kisul-Agazim Genitzen profecti, comprehendere miserum, & Hadrianopolim ad Sultanum Muratem perduxere: cuius iussu ad pinnam castelli suspēsus fuit. Et gesta fuerunt hæc ab extincto propheta Musulmanorum Muhamete anno ɪↄ ccc xxv. Chr. 1425.

IO. LEVNCLAVII

HISTORIAE MVSVLMANAE TVRCORVM LIBER XIIII.

DE MVRATE SECVNDO, E CODICE VERANTIANO.



ICTVM præcedenti libro, successisse quidem Muhameti patri filium Sultanum Muratem secundum, tam e testamēti paterni tabulis, quam de Vezirum præcipuorum auctoritate; sed impeditum a ficticio patruo Pseudomustapha fuisse, quo minus possessione regni quieta potiri posset. Nūc ad res ab eo post necē Pseudomustaphæ gestas accessuri, nouum motum Mustaphæū prius exponamus, quo germanus Muratis frater Mustapha, post illū suppositicium patruum, & ipse graues in Anatolia turbas excitauit. Intelleximus enim e principio proximi libri, reliquos inter filios Sultani Muhametis, Muratis fratres, Mustapham quoque nominari; qui & ipse magnorum in Anatolia malorum auctor exstitit, & detrimenta non exigua regionibus aliquot intulit. Tamdem accessit ad vrbem Isnicam siue Nicæam, eamq; totis xl diebus obsedit; sed occupare non potuit propterea, quod Sultanus Murates egregium vrbi militum suorū præsidium imposuisset. Monitus tamē fuit Murates, numerosas esse Mustaphę Zelebi copias, omninoq; metuendum, vt obsessa tamdē vrbe potiretur. Tum vero quemdā e suis ad Nicænos misit Sultanus Murates, qui eis suo nomine nūtiaret, consultū sibi videri, ciuitatē vt Mustaphę dederēt; sed nihilo min⁹ suis secreto partib. adhærerēt, ac tam oculos, quā aures in se dirigerēt; ita quidē, vt quū ipse venturus eo deinceps

cum copiis eſſet, prius ſibi portas vrbis aperirent, quam Muſtaphæi rem animaduerterent. Vbi præſes Iſnicæ, cui nomen erat Alis begus, Firozis begi filius, Sultani Muratis mentem intellexiſſet: ſignificari Muſtaphæ Zelebi iuſſit, vrbis ſe deditionē facturum; ſed ea lege, prius vt ipſe Muſtapha iureiurando promitteret, nullum ſe damnum vrbanis, iniuriam nullā illaturum. Quod ſacramentum vbi præſtitum fuiſſet, vrbem Alis begus dedidit. Stabant a Muſtaphæ partibus pleræque regiones & prouinciæ, ſed hanc animi ſui ſententiam publice non aperiebant. Sultanus denique Murates Hadrianopoli collegit exercitum, & profectione ſummo inſtituta ſilentio, noctu Nicæam acceſſit; cui mox apertæ ciuitatis ex compoſito fuere portæ, quēadmodum paullo ante diximus. Itaque ſummo mane Nicæā ingreſſi fuere Murataei milites, ipſo Sultano Murate foris manente cum aliqua ſui exercitus parte. Securi rerum ſuarū, & imparati Muſtaphæi milites, ſomno indulgebant; quum in eos Murataei ſubito irruerent, & omnes peſſime tractarent. Hic ab hoſte captus fuit, ille necatus, alius fuga ſibi conſulens, alicubi ſemet abdidit. Habebat Vezirem Muſtapha Zelebis, cui nomen erat Taggiadin-oglius, (Tazzadin-oglium nos pronuntiamus. Laonico Tezetines eſt lib. v. vbi hæc ipſa narrantur) ortus e ſuperiori Turcomania, non illis in locis inferioris Aſiæ vel Anatoliæ natus, Laonicus Erzinganis regum ſanguine cretum refert. Hic e balineo veniens, in Michaloglium incidit. quumque adgnouiſſet alter alterum, ita mutuis ſe conficere vulneribus ceperunt; vt Taggiadin-oglius denique Michaloglium occideret. Hinc animaduertens Taggiadin-oglius, alio res vrbis eſſe loco, quā ipſe crediderat; equo relicto, pedes ad templum quoddam ruinoſum fugit, ibique ſemet abdidit. Sed quæſiuerunt eum necati Michaloglij milites, & inuentū mox occiderunt. Hinc Muſtapha quoque Zelebis Sultano Murati traditus fuit, & mortis adfectus ſupplicio, propterq; patris ſui monumentum Buruſæ conditus. Sultanus autem Murates his peractis, Hadrianopolim rediit, & ibidem ad tempus aliquod ſubſtitit.

Ab Anatoliæ partibus ſtatim Caramanoglius, vbi cognouiſſet, Sultanum Muhametem rebꝰ humanis exemtum, adroganter elato capite, regionem Tekenſem ingreſſus eſt, vt opidum * Antaliam obſeſſum & oppugnatum iret. Id temporis erat in regione Tekenſi filius principis eiuſdē ditionis, quem Oſmanem Zelebim nominabant. Hic itidem ſe commouit, & cum ſuis ad montem Iſtanturem profectus eſt, in quo ciuitatis Antaliæ vireta ſunt. Omnes ſuis addictos partibus ita collegit, vt ingens ad eum numerus hominum cōflueret, qui ad obſidendam Antaliam conferre ſe cupiebant. Caramanoglij dumtaxat exſpectabatur aduentus, quod ſolus hic Oſman Zelebis Turcorum Oſmanidarum metu præpediretur, quo minus vrbem ſuis tantummodo copiis obſidione cingeret. Interim præter exſpectationē ſuam, & aliorum, in morbum incidit, ac diebus aliquot ſubſtitit.

* ca

In vrbe vero Antalia paullo ante vir animoſus & fortis erat, qui Oſmaneæ familiæ partes ſectabatur ac propugnabat aduerſus Tekenſem, & Caramanogliū & alios. Ei nomen erat Firozes begus, ac militauerat olim Sultani Muhametis æuo, nimirum Sultano Murati primo. Donauerat autem ei Sultanus Muhametes Antaliam, timarij loco, Turcorum more, poſſidēdam. Moriente poſtea tam Sultano Muhamete, quam Firoze bego, filius Firozis Hamza begus, Subaſſa Carachiſarianus ſiue Maurocaſtrēſis, comperto patris interitu, Carachiſarem cuidam e ſuis commiſit, & itinere ſuſcepto Antaliam ingreſſus eſt. quo ipſo tempore nuntiatum fuit, Caramanogliū ſuo cum exercitu ad obſidendam Antaliam venturum, itidemq; iam Oſmanem Zelebim Stanozam ſatis magnis cum copiis acceſſiſſe; ſed morbo correptum, minus recte valere; quod impedimentū ſi non interueniſſet, iamdudum adfuturum fuiſſe. Tali rerū ſtatu, ſatis animaduertebat Hamza begus, ni Tekoglium Oſmanem begum ipſe quadam anteuertiſſet arte, totam plane regionem Tekenſem ad eum defecturam, ac ſibi quoque difficilem futuram aduerſus eum defenſionem. Quapropter aduocatis ad deliberationem ſuis: Abeamus (inquit) prius, quam Tekoglij

copiæ

copiæ maiorem in modum excreſcant, & irruamus in eum; viſuri, an ipſo potiri poſſimus. Ad ea reſponſum a ſuis, non id temporis ei licitum extra vrbem prodire, quando Caramanoglium venturum conſtet. Ideoque cauendum, ne per ipſius abſentiam ciuitas ab illo & inuadatur, & in poteſtatē redigatur; quod quidem abſque ſumma ipſorum infamia & dedecore nullo modo abire poſſet. Negantibus igitur opidanis, Hamzæ bego fas fore ciuitatem deſerere; nihiloque minus hoc vrgente, conſilium vt aliquod huic rei tam ſalutari & vtili perficiendæ reperiretur: tamdem conclusum fuit, vt Hamza begus in vrbe maneret, ac ſuo loco quemdam aduerſus Tekoglium mitteret, cuius ei virtus ac fides eſſet explorata. Statim igitur Hamza begus hominem idoneum ſatis magna cum militum manu ex vrbe dimiſit, eoſque Stanozen petere iuſſit, & Tekoglium necopinantem opprimere prius, quam oculos aperire poſſet. quod quidem ea factum ab ipſis ſollertia, vt ipſimet Tekoglij milites horum aduentu repentino cognito, ſtatim ex morbo decumbentem e lecto ſuſtollerēt principem ſuum, ſecumque ſumerent; vt eo pręſente manus tanto maioribus animis cum hoſte confererēt. Nihil tamen hinc adiumēti tulere, ſed victi fuerunt ab Hamzæ begi militibus, qui cæſas Tekoglij copias fuderunt, fugarunt; ipſoq; Tekoglio interfecto, quicquid habebat, diripuerunt. Erat illi ſoror, quam ipſam quoq; captam, vna cum auro & argēto, facto & infecto, totaq; cū præda ſecum in vrbem Antaliam auexerunt. Hanc vxorem deniq; duxit Hamza begus. Cōmodum milites hi ſub noctem redeuntes, in vrbē intrauerant; quum poſtridie ſummo mane Caramanoglius adfuit, & intellecta Tekoglij morte, magnum ex eo nuntio dolorem cepit. Hinc adductis tormentis bellicis, & apte collocatis, muros vrbis quatere cepit. Interim ex altera parte bellum Sultanus Murates cum fratre ſuo gerebat, nec vmquā auxiliares vrbi circumſeſſæ mittebat copias; nedum vt illuc ipſemet ad obſidionem ſoluendam venire poſſet. Oppugnata fuit vrbs a Mechmete bego Caramanoglio totis ſex menſibus, quibus elapſis, nuntiatum Caramanoglio fuit, Sultanum Muratem a bellis fraternis & ciuilibus, obtenta victoria, liberatum; adeoque iam regio potitum throno & imperio, magnas coēgiſſe copias, quibus Caramanoglium hoſtiliter adgrederetur. Id vero quum accepiſſet, equum ſubito conſcendit, vt vrbem circumuectus, quonā ea loco potiſſimum oppugnari poſſet, & expugnari, ſuis ipſemet oculis luſtraret. Quippe ſi poſſet occupari mature, magnum ſe facturum iudicabat operæ pretium: ſin autem, ſoluendam ſtatuebat obſidionem ante, quā Sultanus Murates aduenisset. Dum hoc modo circum vrbem obequitat, paullatim ad locum quemdam accedit, quo tormentum ingens opidani, rebus ab omnibus paratum, habebant. Diligenter vero prius Caramanoglium, ante tentorium ſuum in equum adſcenſurum inſpexerant, & ſigna quædam notauerant, de quibus adgnoſci præ aliis poſſet; ac præſertim obſeruauerāt, eum equo vehi, certis notis ab aliorum equis diſtincto. Quum igitur e regione dicti tormenti tranſiturus eſſet, ſtatim ignem tormētario pulueri admouere bombardarij. Globus vero medium in agmē delatus eorum, qui Caramanoglium cingebant, & ad terram alliſus, rurſum exſiliit, & ilia cū femore Caramanoglij tanto impetu petiit, vt ſubito ex equo decideret. Mox ad eum adcurrere ſui, vt opem iacenti ferrent. Interim conſpexerunt obſeſſi quemdam equum, prius ab ſe notatum, qui medio ex agmine ſine vectore prodiret: vnde collegerunt, ipſum ab ſe læſum Caramanoglium, qui ſubito mortem iſtic oppetiit. Ei ſuperſtites fuere duo filij, quorum vni nomen erat Ibrahimes begus, alteri Aladin begus. Hi dum mutuas inter ſe ſucceſſionis cauſa ſuſciperent inimicitias, tamdem vniuerſi milites ad Ibrahimem begum tranſiuerunt. Id vbi factum vidit Aladin begus, in vrbem Antaliam ad Oſmaneos profugit. Ibrahimes vero begus impoſitum equo cadauer patris ſecum abſtulit, & impedimentis ac vaſis omnibus, ipſiſque tentoriis illic relictis, cum ſuis fugam iniit Oſmaneorum metu, ne forte prodeuntes ex vrbe, rebus eos perturbatis adgrederentur. Ea fuga verſus Caramaniam tota nocte continuata, poſtridie ſuos iam intra fines de-

lati, conuenerunt omnes, & sui principis cadauer ad spinam dorsi carne sua nudatum viderunt; vt præter ossa, nihil restaret amplius. Deportauere tamen id secum, vti paternis auitisque monumentis inferretur. Opidani vero, conspecta Caramanici exercitus fuga, prodierunt & ipsi extra vrbem, & castra spoliorum ac prædæ causa ingressi, magnis potiti fuerunt opibus. Hinc globum tormenti bellici, qui Caramanidi necem adtulerat, in vrbem reportarunt, & alligatum catena ferrea, ciuitatis ad suæ portam suspenderunt, vbi adhuc hodieq; conspicitur. Caramanienses quidem, quotquot Antaliam veniunt, vbi globum hunc vident, admodum excandescere solēt, ac sine ratione dicunt illic suspensum propterea, quod hominem neci dederit. Vicissim opidani saxum hoc Caramaniensibus de industria monstrare solent, vt eis ægre faciant. Hamza vero begus hac potitus victoria, mox Aladini bego Caramanoglio comitatum e suis adiunxit, qui eum ad Sultanum Muratem deducerent. Simul datis ad eumdem litteris, rem omnem, vti gesta fuerat a principio ad finem, ac præsertim interemti bombardę ictu Caramanoglij casum exposuit. Mirifice recreatus fuit hoc nuntio Sultanus Murates, & Hamzæ bego, meritis ornato laudibus, (quum ingeminaret, Aferin Hamza-beg, hoc est, bene se gessit Hamza begus) sanzacum vexillumque regionis Tekensis dedit, maiorisque fidei causa scribi donationis instrumentum siue mandatum iussit, quod sua lingua Baratum barbari vocant. Tradidit deinde Sultanus Murates Aladini bego Caramanoglio sanzacatum Sophianæ prouinciæ Sirficæ, sororemque suam ei dedit vxorem. Is ibidem in Europa deniq; vitam cum morte commutauit.

Sciendum vero, nec fidei datæ, nec promissorum tenaces esse de Turcorum sententia Caramanienses. Ipsorum (inquiunt) mores principum, & huius præsertim Mechmetis intueamur; ac videbimus, quam exiguam præstiti iuramēti rationem habere solitus fuerit. Primum aduersus Sultanum Muhametem bellum mouit, quo victus, † hostis in potestatem venit. Sultanus autem Muhametes victor ex commiseratione quadam hominem occidere noluit, sed libertate donato ditiones etiam bello captas restituit. Mechmetes vero begus, vbi primum ex hoc euasisset discrimine, sacramentorum & fidei datæ oblitus, inimicitias cum Sultano Muhamete prioribus grauiores exercere cepit. Accidit aliquando, vt fractis bello viribus suis, egregios quosdā homines interponeret, qui pacem inter Sultanum Osmanidam & se facerent, quam Caramanoglius ipse sacramento præstito confirmauit. Sed nihilo minus vix reconciliati fuerant, quū interiecto tempore perexiguo Mechmetes begus Caramanoglius pacem initam violauit, ac denuo Sultani hostis factus est. Quum autem id temporis contra datam fidem & iusiurandum ageret, forte præstantes illi viri, quorum interuentu pax constituta fuerat, ad Caramanidem accesserunt, eoque compellato: Tu nos, o princeps, dixere, pacis conficiundæ causa intercedere voluisti, teque pacem opera nostra factam, septem annis obseruaturum promisisti. Cur ergo necdum adhuc exspirāte termino pacta conuenta rescidisti, iusque iurandum temere violasti? Nequeunt eiusmodi facta bonum ac felicem ad extremum sortiri exitum. Quibus ille respondens: Equidem, ait, minime sum vsus voce Il, qua denotantur anni; sed voce Iel, qua venti significantur. Adeoque pacem me seruaturum promisi, non ad septem annos, qui sunt Iedi il; sed ad septem ventos, hoc est, Iedi iel. Hactenus autem a pacis initæ tempore, non septem modo, sed centies mille venti præterierunt. Ex hoc principis ipsius responso satis paret, quanti Caramanienses fidem datam, & sacramenta, verbis concepta religiosis, faciant. Iidem benedicti & maledicti discrimen nullum norunt, & communi prouerbio dicere solent, maledicti nomine lapides accipiendos, qui caput lædant ac vulnerent.

Inter Osmaneos quidem, & Caramanienses, nulla coire potest amicitia; coluntq; cum Osmaneis pacem & concordiam, quam diu nocere nō possunt. Adeo sunt alieni ab Osmaneorum moribus & institutis, vt in eorum regionibus ab auis, proauis, & abauis, ad quar-

† supra, libro 12.

tam & quintam vsque progeniem nati & educati, mordicus tamen mores & consuetudines Caramanicas, ipsa cum indole sua retineāt. Quum etiam in Osmaneorum regiones se conferunt, sane quàm pauperes veniunt, ac paullatim facultates & opes consequuntur. Nihilo tamen minus regiones suas dumtaxat iactitant. Eius rei causam hanc esse vult auctor historiæ Turcus, quod merces (inquit) Osmaneorum benedictæ sint, Caramaniensium maledictæ. Propterea bonis Osmaneorum inhiant, ac si quidem fieri posset, prædonum instar Osmaneis res suas eriperent, & in Caramaniam transferrent. Potest, ait, hoc etiam inde colligi & animaduerti, q̃d Caramaniēsis aliquis, quum in prouincias Osmaneas venit, & in aliquam Mahalam se confert, hoc est, vrbis alicuius vicum, id vnice dat operam, vt Kihaia siue primus in eadem Mahala fiat. Quod vbi arte nulla cōsequi ex animi voto potest, aut accusator fit, aut delator, vt calūniis toti vico siue Mahalę noceat; aut in amicitiam Subassæ siue præfecti vrbis, aut Mutesibi semet insinuat, qui pretia fructibus, aliisque rebus, ædibus etiam locādis, statuit; numquam vt aliquid mali agere desinat. Præterea si centum inter se conueniant homines, inter quos Caramaniensis dumtaxat vnus sit, neminē ille loqui sinit; nec tamen vlli, quid possit, extra Caramanienses suos, ostendit. Nec item beneuolis vllos oculis, præter suos, intuentur. Toties accidit, vt Caramanoglij principes ad exitiū propemodūm extremum redigerentur. Nec tamen vllus vmquam Caramaniensis fateri voluit, debilitatas suorum vires. Non etiam se victos ab Osmaneis vmquā dicunt, sed tantum aiunt, se solutis ordinibus fugisse; nec interim iactare se desinunt. Quod si cōfligentes cum aliis Osmanei damnum accipiant, id gloriæ sibi loco ducunt, & læti sunt, datamque fidem Osmanidis propterea violant. Admirabile profecto quiddam est, quod quum vnus alterum verberat, si verberatus vicissim videat illum vapulare, qui prius ipsum percusserat, ea de causa voluptatem percipit. Nam quæ tamdem illa voluptas esse potest, quum interim ipse plagas accipiat? quid eum iuuat, aduersariū ipsius ab alio male tractari? Ad summā, Caramaniēses adgnoscere suam debilitatem & impotentiam nequeunt.

¶Ad historiæ seriem vt redeamus, quo tēpore Sultano Murati cum fratre Mustapha negotium erat, commodum Valachorum quoq; princeps, traiecto Danubio, ditionē Osmanicam magnis adfecit detrimentis. Sed vicissim Murates cum suis deinceps in Valachiam irruit, vbi magnis aucti ditatiq; prædis & spoliis, Hadrianopolim reuersi fuerunt anno Muhametano IↃ CCC XXVI. *Chr. 1424.*

Hinc Murates in Anatoliam traiecit, & Ismyroglium principē ditionibus suis excussit, captis hisce regionibus, Mentesia, Aidinensi, Saruchania, & Emidēsi, anno post extinctum prophetam Muhametem IↃ CCC XXVII. *Chr. 1425.*

Hadrianopoli deinde rursus substitit, & principis Isfendiaris filiam sibi dari vxorem petiit, & accepit; sumtuosasque nuptias celebrauit, anno IↃ CCC XXVIII. *Chr. 1426.*

Secundum hæc ad bellum gerēdum profectus est in regionē Laz-oglianam, & Cozzam Despotam, hoc est principem seniorē Zirforum, (Stephanum intelligunt Turci, Lazari Despotæ filium, Georgij tunc iunioris adpellati Despotæ patrē) finibus suis eiectū, regno spoliauit.

Eodem anno copias in Ismyroglium misit propterea, quod Aidinēsem regionem vniuersam occupauerat, & principatum vsurpauerat tāta cum superbia & elatione animi; vt etiam ditionem Ismyræam cum Osmanea conferre auderet. Idem huic innixus adrogantiæ, cum Osmaneo conflixit exercitu: prœlioq; victus, in opidum munitissimum cōfugit, quod auctor historiæ Turcus Mestaureben nominat. Prisci Mastaurum adpellarunt, vrbem Lyciæ, de Leonis imperatoris sentētia Myrorum metropoli subditam. Osmanei fugientem persecuti, militum corona circumdederunt in opido, quod diximus. Quodam die princeps Ismyroglius, præter spem obsidentium, equo conscenso solus egressus, ita per media transiit hostium castra; nullus vt ei vel posset, vel auderet occurrere. Deinde profectus ad Caramanogliū, ipsius opem implorauit. Quumque nihil ab eo posset obtinere, denuo solus ad hostes suos rediit inexspectatus, perque media Turcorum castra penetrans,

opidum intrauit. Erat enim vir fortis & animosus. Obsessus inde tempus ad aliquod fuit, sed tamdẽ in hostis potestatẽ, strategemate quodã superioris, vna cũ filio venit, & capite pœnas luit. Hic Ismyroglius Osmaneos contemnere solebat, & lepores vocabat; quũ lupi adpellationem sibi tribueret. Filio quoq; suo Chasanis Lupi nomen indiderat. Quo tempore prœlio victus ab Osmaneis, aufugit; insignis & adhuc nota, de ipso cõposita fuit ab Osmaneis cantilena, cuius erat initium:

* Pandect. cap. 50. *Haud procul * Alasari, peramœni sunt vbi colles,*

Tractauere lupos quî timidi lepores?

Periit autem princeps hic Ismyroglius

Chr. 1427. anno post mortem Muhametis IↃ CCC XXIX.

Secundum illa bellis Sultanus Murates ipse nullis intererat, Hadrianopoli quiescens; quum interim suis imperasset, vt Laz-oglianam ditionem depopularentur, quod anno Muhametano IↃ

Chr. 1428. CCC XXX accidit.

Ceperunt inde Murataei milites totum prope Laz-oglianum regnum, cum omnibus eius castellis, ac ditionibus. Et in his erant Signan-Ada, qua voce murium insula significatur. Item Gugerzinlic, quo Columbarium denotatur, & pertinere prorsus videtur ad illos Zirfiæ propter Columbarium campos, quos Columbarios historici dixerunt. In Anatolia quoq; Iurgius bassa (Iorgutzen vocat Haniualdi liber) complures ditio-

Chr. 1429. nes occupauit, anno IↃ CCC XXXI. Manebat interim Sultanus Murates Hadrianopoli, quo loco mortuus est Ibrahimes bassa, anno proxime sequenti IↃ

Chr. 1430. CCC XXXII.

Nunc tamdem ad bellum prodiit Sultanus Murates insigne, quo Selenicam vrbem, priscis Thessalonicam, in pote-

† Pandect. cap. 121. statem redegit. Inde † Ioannis ad ditiones progressus, eas cum opidis & arcib⁹ cepit. Maximis hac expeditione Murataei milites potiti fuerũt spoliis, & opibus variis onusti domum reuerterunt, anno

Chr. 1431. Muhametano IↃ CCC XXXIII.

Rursus a belli occupationibus Murates abstinuit, natusque fuit ei filius, Sul-

Chr. 1432. tanus Muhametes, anno IↃ CCC XXXIIII.

Quiescens a bellis Sultanus idẽ Murates, ad Iaila montium se contulit, hoc est, ad frigida montium vireta, nonnihil vt illic se recrearet. Iussit etiam signari asprosnouos, anno IↃ CCC XXXV. Chr

Rediit hinc in vrbem Hadrianopolim, & ibidem ad aliquod tempus mansit. Tunc etiam contigit, vt die XXVIII mensis Schaualis, qui Mercurij dies erat, hora XXII, lumen solis ad horam dimidiam deficeret, anno IↃ CCC XXXVI. Chr. quo quidẽ anno sidus etiam caudatum, siue cometes adparuit; & Alis begus, Eurenosis filius, Albanensium fines ingressus, vt eos depopularetur, exceptus pessime suis cum Musulmanis fuit.

Iterum quiescẽte Hadrianopoli Sultano Murate, Sinan begus, qui Beglerbegi munere in Europa fungebatur, Sanzacos siue præsides suos limitaneos, Isacum begum, Turchanem begum, & alios quosdã conuenire iussit. Hos Alis begus, Eurenosis filius, præcessit. quumque nõ sine mutua quadam contentione cum copiis suis Albaniam ingressi fuissent, captam depopulati sunt, anno IↃ CCC XXXVII. Chr. 1

Dum Sultanus Murates ab expeditionibus bellicis rursus abstinens, Hadrianopoli hæreret; adferri filiam Vulci, hoc est, Georgij Vulcouitzij Zirforum Despotæ, iussit; eamque sibi matrimonio iunxit. Eodem anno filius Eurenosis, Alis begus, in Albaniam irruit, ac grassando multis illic spoliis & opibus potitus, anno demum sequenti proximo IↃ CCC XXXIX rediit. Chr. 14

Secundum hæc profectus est cum exercitu Sultanus Murates in Caramaniam, vbi cum copiis ei Caramanoglij principes occurrerũt, Alis begus, Mechmetis ad Antaliam cæsi frater, & Ibrahimes begus, eiusdem Mechmetis filius; qui tametsi manus cum eo conferent, tamen ipse victor Acscheherem vel Aspropolim, & Begscheherem vel Despotopolim cepit. Hinc cum Ibrahime bego pacem fecit, & in alteram Caramaniæ partem profectus, Alis imperio subiectam, opidum * Buruzin occu- * Pan pauit, anno IↃ CCC XL. cap. 9

Eodem tempore Meschitam vel sacram ædẽ veterem Hadrianopoli, quam Eski-zamien barbari dicunt, inchoari curauit; & suis ipse manibus die quodam Veneris, hebdomadario Musulmanorum sabbatho, primũ fundamenti lapi-

lapidem posuit. Hinc in Vngariam, belli gerendi causa, profectus est; traiectoque Danubio, sex in potestatem castella redegit, anno IↃ CCC XLI.

Omissis deinde bellis, nuptias (sic Turci loquuntur) Sultanus Murates celebrauit, hoc est circumcisionis festum; quo circumcidi iussit filios suos, Sultanum Aladinem, & Sultanum Muhametem. Finito Zunetto siue nuptiis hisce, Semendren cum exercitu adiit, eamq; cepit, anno IↃ CCC XLII. Illinc ad Belgradum accessit, quod vbi capere non potuisset; obsidione soluta, progressus est Neuabirden, idque castrum in potestatem redegit. Tunc & alias ei ditiones quasdam subdidit Schech-Abedin bassa, Beglerbegus Europææ Rumiliæ, cum Sanzacis suis limitaneis, Ishaco bassa, & aliis, anno IↃ CCC XLIII.

Mansit etiam deinceps Hadrianopoli Sultanus Murates, filiamque suam principis Isfendiaris filio dedit vxorem, & ipsas nuptias sumtu maximo celebrauit, anno IↃ CCC XLIIII.

Rursus Hadrianopoli Sultanus Murates hæsit, & Mesitem begum in Valachiam misit, vti per hanc progressus in Vngariam, regnum illud depopularetur. Sed ea res Mesiti bego cum suis non successit. Nam cæsæ fuerunt eius copiæ ab Vngaris, & ipse Mesites interfectus, anno IↃ CCC XLV.

Accepto cladis huiusce nuntio, Sophiam profectus est cum exercitu Sultanus Murates, & ibidem ipse cum parte copiarum manens, Schech-Abedinē bassam, Europææ Rumiliæ beglerbegum cum vniuersis eiusdē Europææ Rumiliæ militibus, & omnibꝰ Akenziis, & parte Genitzarorū aliqua misit, vt Mesitis begi necē vlcisceretur. His peragrata Valachia, regiones Vngarorū ingressis; sine ordine tam Akenzij siue volones, quam alij milites, hinc inde sic dispersi fuerunt; vt beglerbegus, qui Chadum bassa, velut eunuchus & castratus adpellabatur, ceteroqui dictus Schech-Abedin bassa, solus maneret. Hunc ergo suorum auxiliis & præsentia destitutū, Iancus siue Ioannes Huniades inuasit ex improuiso, viribus oppugnauit maximis, fudit & profligauit. Turci tamen hoc loco referunt, non cæsos fuisse suos, sed in aduersam fortunam incidisse. Dissimulant enim clades suas quanto maximo possunt studio. Propterea grauissime licet ab hostibus cæsi, non tamen id confitentur; sed dicere tantummodo consueuerunt, Signest ogradi; hoc est, malam sibi sorte obuenisse. Clades hæc eis accidit anno IↃ CCC XLVI. C. 1441.

Secundum hæc Ibrahimes quoq; begus Caramanoglius noui motus auctor exstitit, maximis in Anatolia turbis excitatis. Cuius rei nuntio ad Sultanum Muratem perlato, sine mora traiecit in Anatoliam; filiumque suum, Sultanum Aladinem, cum Europææ Rumiliæ militibus in Caramanoglium misit. Is vero territus hostium numero, quibus impar erat, in siluas & impedita loca se recepit. Hinc pace legibus certis renouata, rediit Sultanus Murates ea, qua venerat in Anatoliam, via; seque contulit Hadrianopolim, vt istic in omnem intentus rerum gerēdarum occasionem, subsisteret. Heic vero nuntium accepit inexspectatum de Sultani Aladinis, filij sui, morte; quem dum luget extinctum, rex Vngarorum, quem * Kiralem sui vocant, (* Pandect. cap. 54. & 106.) cum Ianco, & Laz-oglio Despota, maximis instructi copiis in eum profecti sunt versus Derbentum quoddam, siue fauces & angustias, quas Isladi-Derbent adpellant. Missi fuerunt aduersus hos primum Chasumes bassa, beglerbegus Europææ Rumiliæ, cum eiusdem Rumiliæ militibus; itemque Turchan begus, cum Akenziis. Profecti sunt hi quidem in hostes; sed Turchan begus Chasumi non ea fide, qua debuerat, in excipiendis hostibus adstitit. Vnde factum, vt Chasumes bassa, cæsis copiis, victus ab hoste fuerit, vltra Sophiā; quam hostis incensam flammis absumsit.

Quum primū hæ nouæ Sultano Murati nuntiatæ res essent, Hadrianopoli discessit, & cum Portæ siue palatinis militibus, (Capilucatum vocare Turci solent, velut exercitum prætorianum) & cum Azapis, & tam Europææ Rumiliæ, quam Anatoliæ copiis, hiberno tempore profectus, quum ingens frigus esset, ad hostes Christianos peruenit. Hi vero se Murati fortiter obiiciebant, & manus cum Turcis conserebant. Tamdem vero, conuersis agminibus, abscedere ceperunt. Turci, quum Christianos discedentes conspicerent, misere milites, qui

eos a tergo sequerentur. Hoc nomine dati fuerunt Europææ Rumiliæ milites Turachani bego, cum quatuor Sangiacis Anatoliæ præcipuis, quibus Asiaticus quidam begus, cui nomen erat Balaban bassa, præesse cum imperio iussus fuit. His in hunc modum missis, vt Christianis a tergo inhærerent, iamque factitantibus id, quod eis iniunctum fuerat; ventum denique fluminis ad Nissaua ripas, quod idem cum ciuitate Zirfiæ Nissa nomen habet, quam præterfluit. Ibi Turchan begus, & Balaban bassa, rebus inter se consultatis, tamdẽ statuerunt; quãdoquidem Christiani sparsim fugerent, a tergo persequẽdos esse. Consilium hoc vniuersis placuit. Itaq; subito milites Anatolici Christianos adorti sunt. Turchan vero begus absque mora reflexis habenis, cum Europæis suis fugam iniit. Quum viderent Christiani, fugere milites Europæos; & ipsi conuersis agminib⁹, in Anatolicos irruerunt, & acies eorum solutas fuderũt, fugarunt. Hoc conflictu Mechmetes Zelebis, Chalilis bassæ frater, qui Sanzacus erat Anguranus in Anatolia, captus a Christianis fuit. Adeoque Turcis magna clades, propter ignauiam militum Europæorũ, accidit. Quod si Turchan begus ad Derbentum Isladinum, siue fauces & angustias illas Isladinas, desertis Anatolicis retro non cessisset: nemo de Christianorum exercitu saluus euasisset. Sed Europæis discedendi potestatem fecit ipse Turchan begus, quum diceret; Nihil esse, quod istic in Christianos illos pugnare vellet. Tam exiguum esse numerum, vt includi pugno possit. Domum ad prædia sua se conferrent. Quorum sane verborũ causa deinceps idem Turchan begus in carcerem coniectus fuit, ex quo nihilo minus liber euasit; pristinamque gratiam, libertati restitutus, recuperauit.

Hoc rerum euentu, Sultanus Murates, itinere conuerso, Hadrianopolim profectus est: vbi pax inita cum Lazoglio fuit, eique restitutæ regiones, ditiones, opida, castra sua, cõtrouersiis omnibus sopitis ac transactis.

Secundum illa reb⁹ nouis Ibrahimes begus Caramanoglius studuit, & vniuersam Anatoliam variis turbis & confusionibus repleuit. Hoc intellecto, rediit in Anatoliam Sultanus Murates cum milite prætoriano, & Anatolico, copiisque ceteris, vt bello Caramanoglium persequeretur. Sed is Muratis aduentantis metu, magnas ad rerum suarum redactus angustias, fugæ se dedit; virumque sanctum & doctum, cui nomen erat Iacupes, ad Sultanum misit, vt pacem inter eos componeret. Hoc modo reconciliati sibimet inuicem, certis interuenientibus pactis, ad pristinam redierunt amicitiam. Quo vero tempore hi Christiani, quos diximus, ab vna parte se cõmouebãt aduersus Osmanidas, ab altera Caramanoglius princeps iisdem bellum faciebat; quidã Caramanoglio perquam familiaris, eo compellato, dixisse perhibetur: Recte factũ ab ipso, quod Osmaneos adgredi bello decreuisset. Quumque Caramanoglius vicissim hunc interrogaret, cur id recte fieri censeret: alterum illum respondisse, tamdem aliquando fututum, vt ipse Caramanoglius ab vna parte, Iancusque Choniates frater eius ab altera, sic Osmaneos vtrimque premerent & vrgerent; vt eos ad extremum de medio tolli, penitusque deleri necesse esset. Ea consentanea vero videtur esse Turcico scriptori huius historiæ narratio. Quippe sic omnino comparati sunt, inquit, a natura Caramaniẽsium animi. Legatos id temporis ipse princeps eorum mittebat ad reges & proceres Christianos, seq; vinculis artissimis ita cum eis coniungebat, vt vnum quid esse viderẽtur; idq; dumtaxat in eum finem, vt Osmaneis ægre faceret, & Christianis eos trucidandos traderet. Sedenim, ait idem auctor historiæ, satis notum est, quale quiddam esse putari debeat Musulmanorum cum Christianis coniunctio.

Sultanus autem Murates, his rebus gestis, Genitzaros, ceterosque milites suos, velut exauctoratos, ab se dimisit; imperioq; relicto, Manissam profectus est, priscis dictam Magnesiam, velut istic reliquum vitæ suæ tempus in quiete, sine fastu mundano, transacturus. Simul filium suum, Sultanum Muhametem, regio curauit in throno collocari; primumq; vezirem ei dedit Chalilem bassam, cui Casim Askerem siue iudicem maximum adiunxit, Meulanã (sic Turci Doctorem vocant) Husreuen; quod nomen

nomen huius historiæ libro primo idem esse cum Persico veteri Chosroë, monuimus. Acciderunt autem hæc anno post migrationem prophetæ Muhametis Ɔ CCCXLVII.

Chr. 1442.

Sed vix illa noua viuēdi ratione a Sultano Murate inita, nec satis adhuc constituto filij Muhametis imperio, redierūt ad arma dictus ille Kiral siue rex Vngar⁹, & Iancus Huniades; adscitis ad belli societatem Vngaris, *Sassiis, Alamanis, Latinis, Bozinensibus, Hertzecouiis, Valachis, & Frākis. Præterea Caramanoglius his, ex lege pactisque fœderis, obligat⁹ erat; vt & ipse copiis nō aspernandis bellum Turcis inferret. Et his Caramanoglij copiis ad calculum non reuocatis, erant in Kiralis Vngari castris hominū ad septuaginta vel octoginta millia, cum aliquot curruum quoq; millibus, præsertim ad vehenda tormenta bellica factorum. Milites eius vniuersi nigris erant armis induti. Sic instructus, insigni cum ferocia Belgrado veniens, ditionem Turcicam intrauit, * Mutren ac Sumlium euertit, ad Nicopolim & Perauadinum accessit, idque cinctum obsidione cepit, & vlterius progressus est. Sanzacus Nicopolitanus Mechmetes begus, filius Firozis, vna cū Akenziis siue volonibus, quotquot eorū aderant, extremū Christianorum agmen adgressus, milites aliquot occidit, & viuos aliquot cepit, armis ferreis munitos, quos ad Portā mitteret. Ab altera parte nuntiati fuerunt hi motus Sultano Murati, Manissę degenti, quam vulgus Italorum & aliorum Mangrisiam dicere solet. Sed tenax propositi sui Sultanus Murates, immiscere se denuo bellicis & aliis occupationibus, quibus sua sponte valedixisset, noluit: adeoq; misit ad Portā, qui veziribus, & aliis, regnum administrantib⁹, dicerent; Sultanū eos habere suum, cuius auctoritate in hostem proficiscerentur, & cū eo cōfligerent. Tamdem ei Vezires & begi per internuntios significari iusserunt, se nequaquam absque ipso perrecturos in hostem, quē pro Sultano suo prorsus habeant, & quē interesse huic expeditioni necesse sit. Sultanum Muhametē adhuc ætatis esse perimbecillis, qui tam ferocem Christianorum exercitum antehac non conspexerit. Præterea videri non abs re metuendum, ne forte tristis aliquis casus interueniat, & ne Musulmani talibus a Christianorū copiis, præsentissimo cum imperij sui discrimine, cædantur. Sic eum vrgere deniq; non desierūt, vt illius vitę tranquillæ locum deserere cogeretur, & Calliopolim se cōferre. Sed interim huc Franki (sic Italos a Turcis & ceteris orientalibus adpellari populis, indicatū supra, libro historię primo) magnum miserant nauigiorū numerū, & totā illius freti superficiem triremiū suarum multitudine cooperuerant. Tamdem Sultanus Murates alio se cōtulit, & versus Galatā, e regione * Genichisaris siue Neocastri, naui quadā Francorū vel Italica vsus, vna cū copiis Anatolicis in Europam traiecit. Hadrianopolim hinc profecto, dum nonnihil ibidē subsisteret, oblati fuere milites armati Christiani, quos Mechmetes beg⁹, Firozis begi filius, captos ab se Murati miserat. Horū interceptionē & captiuitatē Sultanus Murates habuit ominis & augurij boni loco, quū subiiceret, iustam esse causam suam, bellumque se legitimum suscipere, & infinitas Deo gratias agere. Simul bello gerendo semet accinxit, & Hadrianopoli maximis cum copiis Genitzarorum, Europæorum, Anatolicorumq; militum, Azaporum, & Akenziorum, discessit. Aderant exercitui magno numero Sarchores, qui vias sternunt, fossas complanant, cuniculos agunt, aliasq; sordidas obeunt operas. Vbi Sultan⁹ Murates ad hostium castra peruenisset, vtrimq; pugnari ceptum acerrimo prœlio; tormētis bellicis, balistis, arcub⁹, imbris in morem globos suos, saxa, sagittas excutientibus; vt pluere telis huiusmodi videretur, & letali quidē pluuia. Rex Vngarus in medio suorum agminum, equo insidens, superbo quodam fastu vehebatur. Iancus Huniades latus vnum ductabat, alteri Cara siue Niger quidam Michaël perat. Et omnes in Sultanum Muratem, tanto sane cū impetu ferebātur; vt aciei Sultaninæ cornu siue latus vtrumque disturbarent ac dissoluerent. Resistebant hosti milites Anatolici, longeque fortissime dimicabant; donec tamdem Anatolię beglerbegus Tai-Caratzes occideretur. quo cōspecto, cepere solutis ordinib⁹ Anatolici milites dissipari. Secuti sunt horū fugā & Europæi milites,

*Pandect. cap.122.

*Pandect. cap. [illegible]

*Pandect. cap.128.

& Akenzij. Nam Europæorum acies eminentiore quodam in loco constiterat, vnde quũ despectare posset in acies reliquas, & Anatolicos dispergi cerneret; etiam prius, quam ventum ad manus esset, terga dedit, ne vno quidem locum suum tuente; nec in illa fuga respexit vmquam, vt quid a tergo rerum gereretur, videret. Vnus dumtaxat Sultanus Murates suis cum turmis, quæ perexiguum militum numerum continebant, immobilis stetit; ac res suas pæne perditas videns, sublatis ad cælum oculis, in hæc verba prorupit: O iuste Deus, concede mihi vires & victoriam. O Muhamet, o Mustapha, gloriæ vertex, per miraculorum abundantiam, per † Gaib-erenlerorum abundantiam, qui Musulmanorum amici sunt, & inadspectabiles obambulant, per Chederum abundantiam, * fac quæso victoria potiar. Quibus sane precibus ab eo pronuntiatis, statim superbia quædam enormis, iusto Dei iudicio, regis animum subiit. Quippe magnanimi laudem vindicare sibi volens, & insigni arrogantia temeritateque speràs, se vel solum Murateos milites, qui Sultanum cingebant, dissipaturum; adacto calcaribus equo, ferociter in ipsum Muratem impetum fecit. Sed iusto numine Sultani fauente partibus, & Kiralis insolentiam castigante, prostratus ad terram inopinato lapsu fuit equ⁹ regius, & ipse rex in faciem corruit. Tum vero summa celeritate Genitzari aliquot adcurrerunt, & inprimis quidã, cui nomen erat Cozza Hizir, siue Georgius senior, ex Alpia familia natus, vir generosus & fortis, iacenti regi caput amputauit, & ad Sultanum Muratem adtulit. Is maximis Deo gratiis actis, mox Kiralis caput summa hasta præfigi iussit; qua quidem in altum sublata, vociferatione magna significatum vndique, Kiralis hoc caput esse. Nec mora, milites illi Musulmani, qui fugæ se dederant, ad Sultanum Muratem reuerterunt. Posteaquam Christiani hæc ita gesta vidissent, rẽ omnem Ianco nuntiarunt. Is nullo modo propterea territus, exercitum suum minime dissipari passus est, quum diceret; nõ regis se causa venisse, sed vti pro lege religioneque sua Christiana pugnarent. Atque hoc modo Christianos suos in officio retinens, non a fuga dumtaxat infami reuocauit; sed etiã bis terue grauissimo barbaros inuasit impetu. Ad extremum tamen acies hostiles redintegratas & multiplicatas cernens, fugam arripuit: ideoque Christianorum etiam exercitus ab hoste superatus, oculos in vnam fugam dirigere cepit. Turci vero Christianos fugientes vndique persecuti sunt, & in fuga cædẽdo grauissimis adfecere cladibus. Secundum hæc inuasere Christianorum currus Genitzari, & Azapi, & quotquot aderãt præterea milites; vbi sane pugnatũ acriter. Sed tamdem superiores, hostium impedimenta diripuerunt omnia, maximisque potiti sunt opibus. Hinc ad Sultanum Muratem reuersi, sua lingua vociferabantur, Bairam Cutlu Olsun; significare verbis his volentes, celebrari debere felix pascha. Simul instar * Bairami siue paschatis sui, festum ingens totis castris in ipso pugnati prœlio loco, triduo continuo celebratum. Die quarto motis castris, locupletes & opulenti de spoliis opimis Hadrianopolim se contulere, cuius incolæ victorib. ingressuris, velut in triumpho, varijs ornamentorum generibus festiuiores vicos vrbis reddiderunt, anno ꟾↃ CCCXLVIII.

Nec multis inde diebus Hadrianopoli exactis, denuo se regno Sultanus Murates abdicauit, filiumq; Muhametem regium in solium collocatum, procerum fidei cõmisit: ipse Manissam rediit, ac rursus ibidem constituere domicilium cepit. Sultanus etiam Muhametes nouos signauit aspros, & Hadrianopoli mansit, anno ꟾↃ CCCXLIX.

Non multo post, in ipsis regni Sultani Muhametis auspiciis, Hadrianopolis igne concremata fuit, & absumta. Genitzari quoque turbis eodem excitatis anno, quemdam in locũ secessere, cui nomen deinceps datum Buzuc-tepe, totamque per vrbem inde grassando, sursum deorsum agere ferre non desierunt omnia: quum bassam quoque Chadumen, hoc est eunuchum, cui nomen Schech-Abedin erat, vt ante dictum, ad necem poscerent, omninoque trucidassent, ni fuga Sultani Muhametis intra seraium se recepisset. Tamdem eis singulis stipendium semisse aspri vnius auctum fuit, atque ita motus ille sedatus. Ab hoc euentu locus, in quem secesserant,

† consule finem lib. IIII. supra.

* Ita sanctos Turci vocant heroas, Christianorum sancto Georgio similes.

* Pan cap. 2

Chr. 1.

rant, nomē Buzug-tepe deinceps accepit, quo mons ſemiſſis ſignificatur. Situs eſt autē collis hic ſupra vrbem Hadrianopolim inter vineas, eumque Genitzari tempore ſeditionis huius occuparāt; vt hinc prædæ cauſa per vrbem diſperſi, receptum haberent, quo tuto ſe cōferre cū ſpoliis poſſent. Et quia prius, quam e dicto colle deſcendere vellent, ſingulis aſpri ſemiſſe fuit auctū ſalariū; iccirco nomē huic colli dederūt, vt Buzug-tepe, ſiue mons ſemiſſis adpellaretur.

His tumultibus, & aliis cauſis impulſi, cū Vezir-azeme Chelile, vezires ceteri de cōmuni cōſenſu, denuo Sultanū Muratem, Maniſſa reuocatum, rebus adminiſtrandis præfecerunt, ac Sultanum Muhametem viciſſim Maniſſam deduci curarunt. Sultanus Murates, imperio reſtitutus, adpetente hieme bellum in Morea ſiue Peloponeſo geſſit, & Geremen Græcis Chriſtianis ademit; ipſaque Morea potitus, Charatzum ſiue tributum victis, ſingulos in annos ſoluendum, impoſuit. Quibus rebus geſtis, inde diſceſſit, & Hadrianopolim abiit, anno IↃCCCL.

Chr. 1445.

Quieſcens hinc a bellicis occupationibus Sultanus Murates, dum Hadrianopoli ſubſiſteret; natus eſt Sultano Muhameti filius, Sultanus Baiaſites, anno IↃCCCLI.

Chr. 1446.

Tum deinde Sultanus Murates regionem Ioannis, & reliquam Albaniam hoſtiliter adgreſſus, caſtellum Cotziazic, id eſt Cotziam vel Getiam paruam, ſiue nouellam, cum aliis duobꝰ caſtellis cepit, ac Ioannis ditionem depopulatus eſt. Princeps Albanenſium fugiens, intra munitionem Iſcodarenſis ſiue Scutarienſis opidi, quod Scodram quoque priſci dixere, ſe recepit. Sultanus Murates ditionibus iis potitus, Chriſtianorum templa, quæ vocantur eccleſiæ, diruit; & earum loco fana Turcica, ſiue Meſchitas exſtruxit. Legis autem Muſulmanæ periti regiones illas haud illubenter inhabitare ceperunt.

Hoc ipſo tempore, dum Sultanus Murates illic hęreret, nuntiatum ei fuit; Iancum loco Kiralis Vngarorum, adminiſtrationem regni in ſe tranſtuliſſe, nouumque bellum aduerſus Turcos moliri cum Vngaris, Saſſiis, Zechis ſiue Bohemis, Alamanis, Laginis ſiue Polonis aut Polachis, ſic a Lecho principe dictis, VVilenis ſiue Lituanis, & Valachis. Omnes hæ nationes in hoc bellum conſenſerant, magniſque coactis exercitibus, iam Belgradum peruenerant, vt inde Sophiam peterent. Excitus hac fama Sultanus Murates, Albania relicta, Sophiam ſe contulit; & ibidem caſtra metatus, ſuos in omnes partes nuntios cum litteris miſit, quibus tam Anatoliæ, quam Europææ Rumiliæ milites, cum XCIↃ Azaporum, & totidem Genitzarorum millibus, colligi mandauit. His adiuncti fuere variis e prouinciis coacti Sarchores, qui quaſuis ad operas ſordidas obeundas exercitum comitari ſolent. Maximus hic militum numerus ad Sultanum Muratem confluxit, vbi ſtatim expedita fuere tormenta bellica, ſclopetti, baliſtæ, peltæ, cum ceteris armorum generibus vniuerſis. Ab altera parte Valachi, qui ab Vngaris ſtabant, conſiliū traiiciendi Danubij, & Nicopolitanos agros flammis & ferro vaſtandi, ceperunt. Sed eorum finium limitanei proceres, Mechmetes begꝰ, Firozis begi filius, & Chaſan begus, & alij, ſumtis ſecum aliquot Akenziorum millibus, ad fugandos retro, diſſipandoſq; Valachos profecti ſunt; quo conſilio proſpere cedente, fuſi fuerunt ab eis, & graui clade adfecti Chriſtiani: cuius nuntio non parum exhilaratus Sultanus Murates, velut auſpicio quodam felici, cum LXCIↃ, plus minuſue, tam equitum, quam peditum, recta verſus Chriſtianos perrexit, & in planicie Coſouana tamdem eos eſt adſecutus. Conſtiterunt heic exercitus inſignes duo, alter e regione alterius; & mutuo denique congreſſi, dimicarunt acerrime, magno cum partis vtriuſque detrimēto: quod hæc inter eos pugna diem integrū noctemq; cōtinuaretur, & abſque intermiſſione tormenta bellica diſploderentur vtrimque, ſclopetis aduerſi baliſtiſque peterentur, ac tanta quidem telorum omnis generis abundātia; letali quodam vt horum imbre ſuper exercitꝰ & acies ambas pluere videretur. Iancus Huniades acie gemina Padiſchachi Turcorum vtrumque cornu adgreſſus, tanto cum ardore ac pertinacia pugnauit in hos & illos; vt fatigatos denique tam Anatolicos, quam Europæos, funderet ac fugaret. Solus

istic cum acie sua media Sultanus Murates immotus mansit. Obiiciebant hostibus scuta sua Genitzari & Azapi, tormenta bellica cum sclopetis in eos displodebant, & incredibili animorum vigore prœliabãtur. Quo factum, vt Christiani Sultanum Muratem, licet hoc vnum totis viribus facere contenderent, loco mouere nullo modo possent. Videre secundum hæc Turci prius profligati Christianos, ex ferreis armis totos cæruleos, aduentantes; & quod ipsimet se faterentur eis obsistere non posse, nonnihil retro cesserunt, ac duas in partes se diuiserunt. Itaque Christiani per medias hasce duas acies transierũt. Horum vero Christianorũ equi nudi erant, nec vllis armis cooperti. Quamobrem Turci a tergo mox eos adgressi, suos in nudas equorum partes stringere ceperunt acinaces, & quibus possent modis, eos ferire. Christiani, qui extremo in agmine suorum erant, ad anteriores properabant, seq; manibus mutuo prehendebant. Sed quum deinceps referre pedem non possent, fugę viam aliquam respicere ceperũt. Id quum Turci a Christianis fieri cernerent, statim omnes, qui prius ex eis in fugam a Christianis acti fuerant, ab omnibus se recollegere partibus, & Christianos adgressi, ad vesperam vsq; cum eis dimicarunt. Ex Christianis cæsi complures, mortem obiere. Si qui vero mortis periculum euaderet, partim ad currus suos, quib. erant munita castra, se recepere; partim pedites, equis amissis, aufugerunt. Inhærebant eis a tergo Turci. Quumq; Christianorum equi defatigarentur, & vlterius progredi non possent; magnas in difficultates coniecti Christiani, plerique tamdem omnes pedites ire cogebantur. Erat in iis locis frequens ædificiis quidam pagus, cuius incolæ metu exercitus vtriusque, relictis sedibus suis, aufugerãt. Quapropter ædes horum vacuas ingressi Christiani, ianuis occlusis, semet in eis abdiderunt. Ac tametsi pagi huius ædificiis Turci flammas iniicerent, non tamen ex eis prodiere Christiani præ formidine Turcorum, & intra domos ipsas igne maluerunt absumi. Hoc autem incendio pagi, quem diximus, excitato; tanta lux in illa planicie noctis eius tenebras discussit, vt luce diurna milites vti viderentur. Secundum hæc vndique Turcorum strenui milites hostium castra, curribus & plaustris infinitis obsepta, cinxerunt vsque ad vesperam, & a vespera vsq; ad diluculũ matutinum; interim continuata tormentorum displosione bellicorum. Ad extremum Iancus Huniades, qui ab infestis sibi Turcis, ob acceptas ab eo grauissimas clades, Iancu-Lain per ignominiam fuit adpellatus, veluti Ioannes improbus, animaduerso rerum Christianarum successu perinfelici, fraude Christianis suis imponẽdum statuens: Vos, inquit, heic immoti aduersus hostem subsistite. Mihi consiliũ, nostris vtile rebus, ad animum accidit. A tergo namq; Turcos adgrediar. Hoc modo fiet, vt vobis a fronte, me a tergo, summa virium eos cõtentione prementibus, omnino tamdem cæsos iugulatosque deleturi simus. Simul ipse cum familiaribus suis aufugiens, e præsenti se discrimine subduxit. Qui supererant intra munitionem plaustrorum Christiani, grauem hostis impetũ ad diluculum vsque sustinuerunt. Exorto iam die, nec a fronte Iancum, nec a tergo, nec extra castrorum munitionem vsquam cõspiciebant: adeoque iam Turci currus omnes & plaustra copiis suis circumfuderant. Quamobrem saluti suæ consulturi denique Christiani, quorum iam fractæ diuturno prœlio vires essent, post tot eo die labores exanclatos, tamdem terga dare ceperunt, & hinc inde dispersi fuerunt: Turcis ea sollicitudine dumtaxat occupatis, vt tergis illorum inhærerent, ac quamplurimos interficerent. Simul expugnata castrorũ munitione, currus cum impedimentis eis ademerunt, & quotquot erant in castris reliqui, partim in frusta dissecuerunt, partim captos seruituti manciparunt. Inter alios, etiam † Bani aliquot in potestatem venerunt, †12 cap. ac velut in triumpho deducti fuerunt ad Sultanum Muratem. Ex his Banis vnus erat is, qui Cara Mihal, siue Michaël Niger, in historiis Turcorum nominatur, ac tamdẽ libertati restitutus a Turcis fuit. Deinde conuenerunt Sultanum Muratem proceres, eumque compellauere vocibus huiusmodi: Bairam Cutlu olson, hoc est, felix ac benedictũ pascha Musulmanorum celebrator. Simul hero principiq; suo manus osculati, totum

istic

istic in ipso prœlij cōmissi loco triduum hilares exegerunt. Ipso autem Veneris die, quem Musulmani festum habent, post meridiem se contulit Sultanus Murates ad locum pugnæ, Christianos cæsos inspecturus; quorum in illa planicie multo amplissima numerus erat incredibilis, supra se mutuo collapsorū, & humi iacentium. Erat apud Sultanum Muratem Azaporū begus siue tribunus, vir ætatis prouectioris, & barba canus. Hūc adlocutus Murates: Adspice quæso, ait, o Azaporū bege, iugulatos hosce Christianos, quorum nulli adhuc incanuit barba. Tum ille vicissim: Hac ipsa vero de causa, inquit, hæc eis clades accidit. Quippe si qui fuissent inter hos senes, & rerum vsu præstantes; non tantam in calamitatem incidissent. Gesta fuerunt hæc anno ıↃCCCLII.

Elapsus autem fuga Iancus, tota nocte cū familiaribus suis hanc vrgere non desiit. Interim Lazoglius Despota, qui tunc Georgius erat Zirforum princeps, hinc inde suos emisit, & interceptū Iancum Semendren deduci curauit, vt istic eum amanter exciperet. Ac mansit sane Iancus apud Despotam ad aliquot eo loco dies. Hac re begis Turcicis vicinis nuntiata, mox, vbi Iancus id temporis esset, Murati significarunt; & eidem auctores esse ceperūt, vt intra Semendren oppressum Iancum in potestatem redigeret. Sultanus autem Murates: Mihi vero molestū est, ait, fœdum hominem Christianum, & suis exutum ditionibus, alium Christianū e fuga defatigatū capere, ac neci dare. Mallem numero maximo Christiani venirent, ac nobiscum pugnarent; vt egregios milites nostros, iterū victoria potitos, opimis satiare prędis, & collocupletare possemus. Iancus autem suas intra ditiones reuersus, hæc renuntiari verba Lazoglio iussit: Perpulchre tu quidē me Semendren tuam abduci voluisti. Quippe si me Turcus sibi tradi postulasset, profecto abs te prodit⁹ fuissem. Nec contentus hac expostulatione, graues in Despotam inimicitias & odia concepit, eumq; molestiis perpetuis exercuit. Sed reapse non hæc Lazoglij mens erat, quod ipsum Turcis dedere cuperet; sed omnem ei beneuolentiam exhibere volebat. Iancus autem alios ex ingenio suo metiebatur,

Secundum hęc profectus Hadrianopolim Sultan⁹ Murates, ibidem eo quieuit anno; nec expeditione belli occupatus vlla, castellum * Gergucum exstrui curauit. Id Verantianus interpres ait significare castrum ad cælum a terra pertinens. Hinc suos in Valachiam excurrere iussit, ac præterea Lazuslo siue Ladusláo, (nostrorum historiæ † Vladislaum vocant, Lazuslum Germani & alij Laslaum dicunt, voce Turcicæ ꝓxima) Draculæ filio, (qui Dracola Vaiuoda nostris est) Valachiæ principatum, per sanzaci vexilliue traditionem, contulit; eidemq; munera diuersa, cū vestimentis, misit; & comites adiunxit Akenzios, qui eum suam in ditionem deducerent. Horum auxilio Valachiam ingressus, & patris sui loco Begus siue regulus factus est. Sultanus interim Murates Hadrianopolim reuersus, ibidem hæsit, anno ıↃCCCLIII. C. 1449.

* Pandect. cap 125.

† Pandect. 137 cap.

Hinc in Albaniam denuo bellum transtulit, & Beligradum profectus, tormenta bellica suo constituit loco, velut oppugnationis initio fieri solet, atq; ita castellum obsedit. Sperabat autem futurum, vt ipsimet sua se sponte dederent: sed obsessis id facere recusantib⁹, hibernum tempus adpetiit. Hortabātur proceres, vt arcis oppugnatio summis virib⁹ fieret; quibus Sultanus Murates respondens: Si castrum oppugnabimus, inquit, magnum mihi numerum militum perire necesse erit. Meus vero sic comparatus est animus, vti vel vnum egregium militem amittere nolim, etiamsi L eiusmodi castellis potiri liceat. Quamobrē soluta fuit ab eis obsidio, domumque properatum. Eadem adhuc hieme filiam † Tochadiroglij principis, filio suo Sultano Muhameti coniugem dedit; splendidasque nuptias; Hadrianopoli manens, eo nomine celebrauit, anno ıↃCCCLIIII. Hinc Sultanum Muhametem ab se dimissum, Manissam abire iussit. Nec multo post, Sultan⁹ ipse Murates naturæ debitum persoluit initio mensis Mucharenis, qui mensis anni Turcici primus est. Regnauit annis XXX, non his incluso anno primo, quo impeditus ab æmulis duobus Mustaphis, ficticio patruo, & germano fratre, rerum plene potiri non potuit; extinctus anno ıↃCCCLV. Chr. 1450.

† Rectius Dulgadiroglu, Muratto sequente.

DE MVRATE SECVNDO, *ex Haniualdano libro.*

DESCRIPTA Sultani Muratis II vita,rebuſq; geſtis, ex commentario Verantiano; nunc Muratis etiam Dragomani labore traductas ex archetypis Turcicis de hoc ipſo Sultano Murate narrationes, more noſtro, pertexamus & recitemus; vt auidis percipiendi res Muſulmanas animis ſatisfaciamus,quos ſemper hactenus animaduertiſſe nullus equidem dubito, non ſine maturo & vtili cõſilio me Verantiani pariter, & Haniualdani codicis explicationes, in recẽſendis hiſtoriis Turcicis,voluiſſe coniungere. Nec quemquam arbitror eſſe, quẽ expoſitiones alterutrius ita percurriſſe pęnituerit;vt ſatietate,vel tędio potius, ex prioris lectione concepto, a cognoſcẽdis ab altero traditis abhorreret. Nam in eodem licet hiſtoriæ quaſi contextu, tamen ea tum narrationis,tum ipſarum rerum expoſitarum diuerſitas & varietas eſt; vt obrepere ſtudioſo memoriæ rerum humanarum ingenio nullum facile faſtidium poſſit. Sed abſque procœmio longiori,alteram hanc de Sultani Muratis rebus geſtis commentationem adgrediamur, quã non abs re polliceri ſuperiore poſſumus vberiorem.

Poſteaquam de Duſme,ſiue ſuppoſiticio Muſtapha, ſumtum fuiſſet ſupplicium; ſubſiſtens Hadrianopoli, tãquam in regia ſua, Sultanus Murates,legatos ad vniuerſos reges ac principes finitimos vndique miſit;& præſertim ad Vulcoglium, Zirfiæ Deſpotam, ſuos quoſdam homines quum alia ferre munera, tum quinque generoſos inprimis accipitres,quos falcones dicimus, iuſſit. Excepti ſummo fuerunt a Vulcoglio Muratæi honore, qui viciſſim per legatum litteras conſolatorias ad Sultanum Muratem dedit, quibus & mortem Sultani Muhametis, patris eius, deplorabat; & ipſi Murati, ad imperium accedenti, omnia fauſta feliciaque precabatur. His erant adiuncta maximi pretij dona,cum oblatione filiæ, ſiquidẽ Murati luberet eam vxorem ducere. Petebat tamẽ hoc etiam, vti Sultanus ipſi, quidquid a Sophia verſus ditiones Zirficas pertineret, ſuis ademtum maioribus, & ſibi,reſtitueret; quo nomine ſe viciſſim ei pollicebatur alia de ſuo ceſſurum regno loca, momenti maioris, & vberioris futura fructus. Hic Vulcoglij legatus ad Portam quum veniſſet,ſui mandata principis omnia diligenter expoſuit. Acceptauere Muratæi vezires, quæ offerebantur; & cum Vulcoglio certis tranſegere condicionibus,ſanctumque fœdus pepigerũt.

Miſit etiam Sultanus Murates legatum ad principem Conſtantinopolitanum,quo munere tunc fungi iuſſus fuit Fazelulla,iudex opidi Geibizæ, vir magnus,& indicato principi Conſtantinopolitano non parum notus ac familiaris. Princeps autem ille, (ſic eum Turci vocabant, regem vel imperatorem Chriſtiani)poſtulatis Turci de ineunda pace intellectis; O Fazelulla iudex,inquit,equidem vos accepi Vulcoglio Deſpotæ ditionem non exiguam cum opidis & arcibus reſtituere. Fac mihi quoque regionis id quondam meę reddatur,quidquid a * Vyze opido Conſtantinopolim verſus ſe porrigit: vt & ipſe pacem legibus tanto poſſim æquioribus vobiſcum facere.Legatus ex auctoritate ſibi a Murate conceſſa reſpondit,opidum † Tzurulum deinceps imperij Turcici Gręcique fines diſterminaturum, ac liberalitate Sultani Muratis Intzugen quoque Græcis concedi.Fuerunt hi limites Eurenoſoglio commendati. Feritzes begus regioni Valachorum oppoſitus,prædis agendis ſeque militemque ſuum ditabat.

Erat Sultano Murati minor natu frater,cui datum nomen, vti Cutzug Muſtapha,ſiue Muſtapha paruus adpellaretur. Muhametes pater ei regionẽ Amiſiam Galatiæ,quam Turcos Hamid-ilim vocare diximus,poſſidẽdam loco timarij dederat; & Germeanoglius princeps eumdem adoptauerat, vt ipſi, legitimis heredibus carenti, ſuo in regno ſuccederet. Hunc infelices quidam, & improbi homines,ad res nouandas impulſum,ſeduxerunt eo tẽpore, quo Sultanus Murates gerendo contra ficticium Muſtapham bello implicatus erat. Quumque copias a Germeanoglio & Caramanoglio ſatis magnas impetraſſet, Buruſam profectus eſt. Eo rumore didito,proceres Buruſæi pecuniam a ſuis municipibus & vicinis prouincialibus collegerũt, & pannos ſericos, e quibus centum veſtes confici poſſent, emerunt;legatoſq; duos,

duos, Ahim Iacupem, & Ahim Cademum, acturos cum Mustapha de compositione, miserunt. Is dum suum ad vrbem adduceret exercitum, castra loco quodam, cui nomen Fidie, metatus est. Legati Lalam siue tutorem & gubernatorem Musthaphæ, cui nomen erat Ilias begus, cognomentum Serabdar, (Laonicus Aliazem Saraptarem siue pocillatorem in v nominat) adierunt; & facta loquendi copia, paucis hanc Burusæorum sententiã exposuerunt. Adgnoscũt sane Burusæi Mustapham Zelebim pro filio sui principis & imperatoris, ideoq; libenter eum in vrbem admitterent, & omni non solum honore, verumetiam veneratione prosequerentur. Sed quo minus id eis integrum sit, Sultani Muratis, fratris ipsius industria factum est; qui prior occupata Burusa, tam idoneo præsidio, quam aliis rebus necessariis omnibus arcem egregie muniuit. Itaque rogant iidẽ Burusæi, ne propius ad vrbem suam cum copiis accedatur. Quippe quum primum eo veneritis, totus ager a milite vestro, quem ab externis principibus vobis concessum adducitis, prædis exhaustus vastabitur. Non enim ignorare potestis, quæ Caramanoglio cum Osmaneis nostris intercedant inimicitiæ. Quapropter rogamus, eam nobis gratiam facias, vt in regnum Osmaneorum hostilis hæc exterorũ militum turba nõ introducatur: neue permittas, vt Mustapha Zelebis imperij paterni ꝓuincias destrui sinat. Clementer agendum vobis cum Osmanidarum subditis, ciuibus vestris, statuite: nec perniciosa patriæ communi, sed salutaria potius consilia sequimini.

Hac Ilias begus Serabdar audita legatorum oratione, pecuniis acceptis, Burusæorum postulatis adnuit. Relicta namque Burusa, cum copiis Musthaphæi suis ad Isnicam accesserunt. Insigniter autem id temporis Isnica florebat, rerum omnium copiis abundãs. Illic Musthaphæ adsignatum in Ibrahimis bassæ saraio fuit hospitium, qui de consilio Lalæ, siue gubernatoris sui, quibusuis ex partibus ad Portam venientes timariis ac prædiis donabat; vti facere principes in ipsis regni solent auspiciis, quum beneficia siue feuda, quæ vocant, vasallis clientibusque suis conferunt. Simul vsurpatæ regiæ dignitatis causa, Musthaphæ Zelebis nomine scripta cunctas in prouincias mandata mittebantur. Quæ sane nuntiata quum Murateis essent, habito Vezires inter se concilio, clam scriptas ad Iliam begum litteras perferri curarunt, quarum erat hæc fere sententia: Sultanũ Muratem ipsi beglerbegatũ tum Anatoliæ donasse, cuiꝰ rei tũ testandæ, tũ confirmãdæ causa, iusserit instrumẽtum collati muneris, ꝙ Baratum siue priuilegium Turci vocant, expeditum ei mitti. Dumtaxat operam omnem adhiberet, vt Isnicæ Cutzugum Mustapham detinere posset, ne quo fuga se cõferret ante, quam ipsi cum copiis aduenissent. Hæc officij beglerbegatus oblatio tantopere placuit Iliæ Serabdari, Bassarum vt postulatis satisfacturum se polliceretur. His secreto & astute peractis, summa festinatione Sultanus Murates Hadrianopoli nouem intra dies Isnicam peruenit. Forte tunc Mustapha Zelebis, aduenietẽ Sultano, more Turcico (solent enim frequenter, & cottidie quidem corpus abluere) balineũ ingressus fuerat. Interim Michaelis etiam Cossis filius (Muhametes begus Michaloglius intelligitur, Laonico Michalines, præcipuus Muratis dux) vrbem vndiq; militum corona circumdederat, iamq; omni effugio inclusis ademto, ad vrbis portam, *Nicæni lacus ponti vicinam, accesserat. Eam portam vrbani aperuerant, vti cum hoste velitatum exirent. Muhametes begus Michaloglius reclusam inueniens, in vrbem per eam intrauit. Forte †Tazzedinoglius id temporis illic aderat ad vrbis portã, in quem, ab se conspectum, mox hastam Michaloglius direxit. Tazzedinoglius autem ex equo descendens, gladio Michaloglium occidit. Tum quotquot aderant Michaloglio milites & ministri, statim strictis acinacibus in eum irruentes, minutatim hominem in frusta dissecuerũt. His inter se pugnantibus, Ilias begus Serabdar insidentẽ equo Mustapham amplexus, adprehẽdit. Mustapha vero, Serabdarem adlocutus: Hem mi Lala, mi tutor, ait, cur mihi manũ iniicis? Vt tuũ, inqt alter, ad fratrẽ te deducã. Vicissim Mustapha: Ne me, q̃so, fratri meo tradideris, quẽ mei non miserebit. Ilias autẽ Serabdar ad ea nihil respõdens, Musta-

** Pandect. cap. 15.*

† Laonico Tezetines, lib. v.

pham ad Sultanũ Muratem adduxit, & Mesiti bego exhibuit, qui statim Sultano Murati hominẽ obtulit. Murates vero mox eadem hora mandauit, vt carnifici traderetur, familiari Osmanidarum genti supplicio necandus, quo cauere se dicunt, ne vel gutta pretiosi sanguinis illius Osmanei profusa solo spargatur. Et hoc quidem mox factum, extinctique cadauer Burusæ propter monumẽtum patris conditũ a populo Burusæo, secundũ ritus in lege Muhametana ꝑscriptos, fuit. Ilias Serabdar interrogatus, quamobrem proditionis infami nota se contaminasset, respondit: Specie quidẽ tenus adulescentẽ se prodidisse, sed intrinsecus hominis se functũ officio fidelissimi. Quippe si fratres illos duos armis inter se diutius cõcurrere siuisset, extremo regnũ detrimẽto adfecturos fuisse. Quapropter vniꝰ hominis peculiare damnũ minoris æstimari debuisse damno publico, & omnibꝰ cõmuni. Semper in hac opinione viros fuisse sapientes, necnon ita semper factitatum. Acciderunt hæc anno post migrationem prophetæ Muhametis
C.1414. IↃCCCXXVI. Eodem anno Murates etiam Constantinopolim terra marique circumdatam obsedit.

Cõpositis duorũ Mustapharum motibus, & victis ac dissipatis hostibus; visi sunt plures Sultano Murati esse vezires, quã status rerum ꝑsentiũ posceret. Eaque de causa Caratemurtasis filios ab officio remouit, Omuremq; begum ad Germeanogliũ misit, legati munus obiturũ: eiusdẽ fratri, Vrutzi bego, beglerbegatũ tribuit: Ali bego sanzacatũ prouincię Saru-Chanię tradidit. Duo dũtaxat vezires manserunt, Ibrahimes bassa, & Chazis Eiuases bassa. Lalæ siue nutricio & tutori suo, quem Burkitzen vocabant, Amasiæ prouinciam dedit.

Cogitabat iã quiete frui Sultanꝰ Murates, & Musulmanorũ suorum querelis audiẽdis, litibusq; cognoscẽdis operam dare: quum ꝑter exspectationẽ nuntiatũ ei fuit, Isfendiarem begum opido & arci
*Pandect. cap.58. *Taracli Borli suas circũfudisse copias, quo clausum vndiq; ꝑ obsidionẽ in potestatẽ redigat. Itaq; Murates ad Genischeherem accessit, quẽ illuc Isfendiaris filius Casimes begꝰ comitabatur. Quippe cõiunxerat is suas cũ Sultano Murate copias, quũ Isnicam iretur. Intellecto Muratis aduẽtu, cõplures ex Isfendiaris exercitu diffugerũt, & ad Casimem begum se cõtulerunt. Sultanꝰ deniq; Murates ad Borlim pede cũ Isfendiare collato prœliũ acerrimũ cõmisit, quo magnus hominũ numerꝰ in Isfendiaris exercitu partim cæsus periit, partim hostis in potestatẽ venit, ceteris omnino ꝓfligatis. Ipsemet etiam Isfendiar, ictu busdogani ferreęue clauæ ꝑcussus, in opidũ Sinaben fugiẽs se recepit, ꝙ veteres Synopen dixere. Sultanus Murates in vrbẽ Castamonam admissus, eam suæ ditioni adiunxit. Arx illis in finibus est Bakirkiure, ꝓpter quam e terra magna vis æris, ꝙ cuprum a præstantia, ceu Cyprium vocãt, effodit. Has æris fodinas renouari & instaurari iussit. Vbi tamdẽ Isfendiar successuum Sultani Muratis incremẽta cottidiana vidit, filiũ suum Muratem ad eũ misit, ꝗ patris nomine, ceu legatus, in hãc cũ eo sententiã ageret: Isfendiarem submisse petere, suum vt sibi cõdonaret errorẽ Sultanꝰ Osmanides. Eius patrẽ & auum insignibꝰ se semꝑ adfecisse beneficiis, & ipsum Muratem vt imperij, sic etiã patritæ auitæq; clemẽtiæ hæredem esse. Si bello cõposito recipiat in gratiã, quotãnis suas ipsius exercitui copias adiũcturũ, quoties in hostẽ exeundũ esset; ac ꝑterea filiã in matrimoniũ ei collocaturũ, & obiturũ oĩa, ꝗ a cliente, vel famulo potiꝰ, reꝗri & exspectari possint. Bassis quoq; varia, nec leuis pretij dona misit; ꝗb. illecti, ꝓ eo supplices intercesserunt. His omnibꝰ tãdẽ ꝓmoto Sultani Muratis animo, nouis recõciliata pax & amicitia legibꝰ fuit, & cũ exercitu Burusã reditũ, ãno vatis a migratione IↃCCCXXVIII. C.14…

Accusatus etiã id tẽporis apud Sultanũ fuit Chazis Eiuases vezir-bassa, quasi si cũ ꝓtorianis Portæue militibꝰ inita conspiratione, Sultanatus dignitatem adfectaret, ac bello Sultanum obruere moliretur; idque adeo certis ex argumentis aiebant posse deprehendi, vt etiã constaret, eũ sub veste sua loricã ferream gestare. Quę delationes quũ nonnihil animo Sultani suspicionis & sollicitudinis iniicerent, accidit tamdẽ, vt inter eꝗtandũ, velut aliud agens, dorsum bassæ contrectaret. Tũ vero lorica indutũ sentiẽs, ꝗd hoc sibi vellet, quæsiuit. Eiuases bassa respõdens, se metuere sibi ꝗbusdã a palatinis, ait. Parũ hæc excusatio fidei repetit, potiusque

potiuſque creditum delatoribus; & ſequutum ſupplicium, quo ferreo ſpeculo ignito, iuſſu Muratis, oculis eius admoto, viſum amiſit.

Ceterum quo tempore Sultano Murati ad Iſnicam negotium erat cum fratre ſuo Cutzugo Muſtapha, Volachoglius Direcola, (Dracola, Valachi principis Mirkię ſiue Marci filius, intelligitur) Danubio traiecto, multa ciuitati Siliſtrę, & agris eius intulit maleficia. Quãtumuis autem ne Turcici quidem milites ſuo deeſſent officio, tamen perpetua Muſulmanorum quietis interturbatio finem nullum habebat. Itaque miſere ſuos homines ad Sultanum Muratem, qui ſtatum rerum in iis locis ipſi nuntiarent. Reſpondit is, alio ſe nunc quidem occupari bello, ſed vindicaturũ tamen improbi hominis iniurias, vbi primum præſentibus ſe turbis nonnihil explicaſſet. Interea Ferizi bego mandaturum, vti cum militibus limitaneis, quauis bene gerẽdæ rei occaſione oblata, regionem ipſius inuadat, flammis ac ferro vaſtet, vtrumque ſexum in ſeruitutem abducat, agrum vniuerſum depopuletur. His ita curatis, ad indicatum bellum Sultanus Murates profectus fuit. Sed ab expeditione contra Iſfendiarem ſuſcepta reuerſum adiit Direcola regulus Valachus, & adductos ſecum filios duos ad Oſmaneam Portam, Murati quæuis ad obeunda miniſteria, ſponte ſua, culpam violatæ pacis deprecatus, obtulit. Ignouit homini Sultanus, & honoraria veſte donatum, ſuam in regionem remiſit.

Pace cum Direcola Valacho conſtituta, cogitare Murates de bello Arbanaſiæ vel Albaniæ inferendo cepit. Sed commendatis prius Eurenoſ-oglio finibus, & duabus quidem e partib⁹, aditum in regionem indicatam præbentibus; vt in omnes Albanorum motus, & commodas ad rem gerendam occaſiones intentus eſſet, iuſſit. quod quidem egregie tam ab ipſo, quam generoſis eius militibus præſtitum. Interim ipſe felicibus auſpiciis vxorem ductur⁹, Iſfendiaris principis filiam; ſumtuoſis neceſſaria nuptiis, in vrbe Buruſa celebrandis, adparari curauit. quumque iam inſtructa eſſent omnia, Zeſnegirum ſiue prægustatorum baſſæ, cui nomen erat Eluan begus, ſuperius etiam proditum, adducendæ ſponſæ negotium, inſigni cum palatinorum comitatu, dedit. Cum his duos etiã ſpadones, vel eunuchos, ſponſæ miniſteriis deſtinatos; Serefedinem baſſam, & Reichanem baſſam, miſit. Iiſdem procerum coniuges adiunxit, inter quas erant vxor baſſæ Chalilis, & Sultani Muhametis nutrix, Dadi Caduna nominata, & alia quædam domina, cui nomen erat Meritze Bula. Præterea Iacupis aderat begi Germeanoglij coniux, Paſa Kiretze vocata, cuius titulo nominiue priſtino Sultanus Murates Sahanæ nomen addiderat. Plures etiã, ſimiles his dominæ, magnorũ procerũ vxores, cum miſſis adducẽdæ ſponſæ cauſa profectæ ſunt. Iſfendiar epulum nuptiale, pro more gentis, in loco quodam præbuit; cui nomen Durekianis tribuitur: ſponſam vero deducturis in vrbe Caſtamona magnos honores exhibuit, & ampla munera liberaliter diſtribuit. Deinde ſponſam Kiretzæ, Dadique Cadunę tradidit; quæ ſuis eam cum comitibus, ceu iuſſæ fuerant, Buruſam deduxerunt.

Dum nuptias illic Sultanus Murates ſuas celebrat, Zirforum Deſpota Vulcoglius cuiuſdam e finitimis ſanzacbegi filium, cui Paſa begus nomẽ erat, cognomen Delu-paſa, quadam in arce ſua carceri iuſſit includi. Qua Murates audita contumelia, ſuo illata ſubdito; Lazoglianas regiones inuaſit, & in iis pleraque ſuam in poteſtatem redegit omnia, poſt obitum prophetæ Muhametis anno I Ɔ CCCXXVIII. Ch.1426.

Potitus imperatorio throno Sultanus Murates, fratres ſuos natu minores duos Iuſſuphem & Machmutẽ, captos in arce Tocata cuſtodiri voluerat. Nunc eoſdem ad ſe reduci iubens, tã externo vultu, quam intimo cordis adfectu ſibi recõciliauit; & quum aliis rebus eis plene ſatisfecit, tum etiã in vrbe Buruſa reditus annuos conſtituit, de quib⁹ ex dignitate victitarẽt. Itaq; deinceps iſtic manſerunt, donec peſtilẽti morbo correpti, rebus humanis excederent. E ſororibus ſuis tres, Caramanoglij trib⁹ filiis in matrimonium collocauit: vnam Ibrahimi, alteram Aladini, tertiam Iſæ. Praeterea duabus, Iſfendiaris begi filios duos maritos dedit; Ibrahimem vni, alteri Caſimem. Rurſum Cozzæ bego, qui beglerbegus erat Anatoliæ, pugnaq; Varnenſi

cæsus periit, sextam cõiunxit; septimam Ibrahimis bassæ filio, quæ iuuécula peregrinatum ad Meccanum Dei templum abiit; & ibidem est mortua.

Secundũ hęc iussit Vrutzem begum, Temurtasis filium, qui beglerbegi Anatoliæ munere fungebatur, in regionem Aidinensem se cõferre, perduelles istic, & proditores expurgatum & exactum. Nam licet id temporis arces & vrbes, Aiasuluga, (quam supra diximus videri nomen hoc consecutam a sancto Luca, velut Hagios-Lucas Gręcis adpellatam) & Tire, quæ Lydiæ priscis erat Thyatira, cum agris suis Osmaneæ ditionis erant: tamen Ismyroglij Tzuneitis begi causa, qui de prosapia principum Aidinensium erat ortus, numquam versipellis ille populus in vtramque partem propendere desinebat. Fruebatur etiam id temporis ad Osmaneam Portam timario siue prædiis suis, & annuis eorũdem reditibus, Isa begus, Aidinoglij nepos. Is in ore semper habebat, ni tolleretur e medio Tzuneites begus Ismyroglius, numquam Osmaneos Aidinensi prouincia tranquille potituros. Administrabat tunc eam beneficio Sultani Muratis quidam, cui nomen erat Iaxis begus. Huic perpetuum erat cum Ismyroglio bellum, qui tamdem Iaxis begi fratrem captum occidit. Quumq; Iaxis infirmiores essent vires, quam vt aduersus Ismyroglium subsistere posset: opem ei ferre iussus fuit Vrutzes begus, Anatoliæ beglerbegus. Itaq; coniunctis amborum viribus, nõ ausus congredi cũ eis Ismyroglius, intra munitionem se continuit, quã Turci hoc loco Hypsilin nominant in Haniualdano commentario, Verantianus interpres Ala-sar, vel Ala-hisar: priore nomine Græco, altero Turcico, eiusdẽ vtroq; significati. Nam Hypsili sublimem, scilicet arcem, denotat; Ala-hisar, prorsus idẽ, ὑψηλόκαστρον scilicet, adpellatione Græca. Et Ala-hisar ita cũ † Ala-scheher etiam idem est, vt libro III Turcos ostendimus & Geni-sar vel Geni-hisar, & Genischeher dicere, pro eadem Neapoli & Neocastro, q Neocastra numero multitudinis Prætor Græciæ noster effert. Alaser ab Ortelio non procul a Philadelphia collocatur, ad Madren siue Mæandrum flumen, in Lydia scilicet. Ad historiam vt redeamus,

ὑψηλά.

† Pandect. cap. 50.

quum hi duo, videlicet Vrutzes beglerbegus, & Iaxis beg⁹, suos in Ismyroglium adduxissent exercitus: magna totius agri parte potiti, nemine obuiam prodeunte, domum rediere. Nec tamen interim vllus Ismyroglij maleficiorum finis erat.

Ad extremũ Sultanus Murates, compellatis Veziribus bassis suis: Quousque tamdem, inquit, pertinax esse perget Ismyroglius hic in defectione, pditioneq; sua? Circumspicite tamdem eius opprimendi rationes, & ea rem cura gerite, finis vt aliquis sit harum molestiarũ. Ceteroqui iuro per Muhametis prophetæ puram animam, me vestris finem rebus adlaturum. Ad ea respõsum a Veziribus bassis, Vrutzem begũ reliquisse res humanas, (id illo ipso anno acciderat) & Anatolię beglerbegatum ipsius auctoritate Sultani tributũ Hamzæ bego. Fuisse vero genium & indolem Vrutzis eiusmodi, semper vt voluptariam vitã sectaretur, nec magnopere, quocumq; tamdem locorum se conferret, de hoste ppulsando sollicitus esset. Nunc autẽ Anatoliam administrari ab Hamza bego, viro diligenti, seuero, & inprimis reipublicæ tuendæ conseruandæq; studioso, cui totum hoc negotium cõmendaturi sint: nec dubitare, quin is felicibus suæ maiestatis auspiciis, rem omnem egregie sit confecturus. Nec mora, datis ad Hamzam begum litteris, huiusmodi quædam ei significarunt: Quum primum tibi mandatum hoc Sultaneum redditum fuerit, statim & tu, & Iaxis begus, & Saruchaniæ begus, & sanzacus Burusensis, qui † begus Sanzac-ili vocatur, coniunctis quanta maxima poteritis celeritate copiis, in Ismyroglium ducite, totisque viribus enitimini, vt prœlio cum eo congrediamini. Te vero per Deum obtestamur in primis, o Hamza bege, ne desis officio, neue cunctari velis in re, quæ ad reipublicæ salutem & incolumitatem, dignitatemque imperij tuẽdam, maxime pertinet. His ille litteris acceptis, exercitum cum adiunctis sibi proceribus collegit, & arcem Hypsilin absq; dilatione statuit adire: cui⁹ vt agri fines adtigissent, occurrit eis Ismyroglius, cum suis & ipse copiis paratus; commissumq; prœliũ fuit acerrimum. Tzuneitis begi (qui filius erat Ismyr-

† H

Ismyroglij) filius Curt-Hasen adpellatur, id est, Chasan Lupus, sumta secũ maiori exercitus paterni parte, quoddam in agmen hostile irruit, & fusum fugatumque persecutus est. Interim Tzuneites begus, Ismyroglij filius, perexiguus cũ copiis aduersus hostes ceteros substitit. qua re ab Hamza bego animaduersa, confestim Tzuneitem cum suis adgrediundum statuit. Sed is totus e prœlio puluerulentus in arcẽ suam se recepit, vt se nonnihil ablueret. Hinc filius eius Chasan reuersus, vt reliquas hostiũ copias dissiparet, infelici casu Osmaneorũ in potestatem venit; qui mox eo capto, copias suas ad arcem adduxerunt, eamque militibus circumfusis obsederunt. Diu vero durauit hæc obsidio, donec tamdem pactis certis interuenientibus, Tzuneites begus egressus arce suá, concessit in Osmaneorum castra; qui se pollicebantur eum missuros ad Sultanum Muratem, a quo se benigno exceptum iri animo, plane ꝑsuadere sibi deberet. Secundum hæc reuersus ad tentorium suum Hamza begus, Tzuneitis filiũ captiuum, Chasanem begũ, sedentem ibi conspexit. Comitabatur Hamzam Iaxis begus, infestus Tzuneiti bego fratris interfecti causa, qui mox Tzuneitem illa parte vestis adprehendit, qua ceruix tegitur, & in tentorium suum pertraxit: atque illico patris in conspectu filium mactauit, & ipsi deinde patri, Tzuneiti bego, caput amputauit. Hinc vtriusq; capita, sublimi hasta præfixa, sic collocauit; vt ab iis, qui arcem adhuc tenebãt, conspici possent. Tũ vero necatos illi principes suos, Tzuneitem, & Chasanem, videntes; ineuitabili necessitate coacti, tam arcem, quam se ipsos dediderunt. Accidit hoc anno post extinctum Muhametem IↃ CCCCXXVIII. quo & illa contigere Mentesoglio, sed paullo tamen ante, quæ modo nobis narranda veniunt.

Chr.1428.

Quo tempore Iacupes begus Mentesoglius rebus humanis excessit, duos superstites reliquit filios, quorum vni nomen erat Ilias begus, alteri Machmutes begus. Ilias begus hoc, de quo nunc agimus, tempore iampridem mortuus erat: Machmutes vero superstes, duos & ipse filios genuerat, quorum vterque Sultani Muratis ad Portam degebat, & honoris ei causa, pro more principũ, inseruiebat. Vnus Achmetis, alter Veisis begi nomen habebat. Secundum hæc Machmutes etiam begus, horum pater, vitam cum morte commutauit. Posteaquam de hoc extincto rumor ad Portam peruenisset, missi fuerunt ipsius ambo filij Tocatam; & timarij loco consecuti sunt arcem, illustrium virorum deputatam carceri, quem Bedeui Zardac adpellatum, aliquoties indicauimus. Regio vero Mentesia Balabani bassæ pro timario concessa fuit. Mentesoglij fratres in arce dicta conclusi, totam illic & hiemem, & insequentẽ æstatẽ exegerunt. Adpetente vero hieme secunda, cogendis rebus ad hibernandũ in carcere necessariis intenti, fœnũ inter alia siccum, quod sibi substernerent, adferri iusserũt. Quum adlatum fuisset, ei qui adtulerat, tantillũ non sufficere, dixerũt: iret modo, plusq; fœni secum adportaret. Quapropter is denuo discedens, infectum iam putredine quadam fœnum adtulit. Noluerunt hoc recipere captiui Mentesoglij, sed baiulo reddiderunt; qui vicissim sibi redditum exportauit, & abiit. Interrogante vero ianitore, cur denuo fœnum illud efferret: respondit, fœnum esse vetus, ac iam fœtere. Propterea begos id nolle, seque venditori merces putidas redditurum. Veises autem begus, per illius hominis absentiam, fœnum e prius adlato sacco quodam exemit & effudit, Achmetemque begum sacco fœni loco inclusit; ipso interim sacco sic fœno quauis ex parte distento, nullũ vt fraudis indiciũ exstaret, nec in eo latitare quisquã sentiretur. Inde sacco baiuli tergũ & humeros onerauit. Dossuarius vero, ꝓ indignatione murmurans? Quid hoc esse rei dicã? ait. Emunt hi begi, ac mox reddunt. Ex animo mihi mos hic ipsorũ displicuit. Quin & iracũdia vehementiore stimulatus: Equidem miror, inquit, hos homines. Nihil eis adferre possum, quod placeat. Cur fœnum siccum reiiciunt? Cur homines eiusmodi Sultanus Osmanides heic inclusos alit? Hæc inter murmura, voces acerbas, cõuicia ꝓgrediens, ex arce sacco clausum Achmetem begum exportauit. Is vero quũ e sacco ꝓdiisset, equum nanctus adscendit, & versus Cara-oylucum profectus est, locum habitationis æstiuæ, sicut

interpres addit, etiam nomē hoc Ioluc, & Oyluc, & Iayluc scribens. Facta superius est mentio loci, cuius nomen, Carie-Cusilu, pagum auium interpres reddidit. Ita Carie-Oilu fuerit pagus meridianus, aut meridiei expositus, ac vere æstiuus. Sin regionis est nomen, quod equidē statuo, & paullo post parebit, Cara-oiluc adpellata fuit a nigra meridie, qua scilicet aduruntur omnia. Nec Mesopotamiam intelligi dubito, regionem calidam & meridionalem : præsertim quum non multo post, vrbis in ea mentio fiat Hamidæ, quam Turci nunc Cara-hemid, siue nigrā Hamidam dicunt, veteres Amidam vocarunt. Itidē Roha statim heic memoratur, quam plerique volunt esse Mesopotamiæ ciuitatem Edessam Græcis, Rages Syris & Hebræis dictam. Postridie eius diei, quo discesserat Achmetes begus, quum illuxisset; apud arcis portam repertus fuit Veises begus, & iterū captus. Solus Achmetes begus euaserat, cuius discessus & fuga Sultano significata fuit. Itaque Veises begus e priori loco traductus in alium fuit carcerem; & carceris præfectus, siue captiuorum custos, ab officio remotus. Achmetes interim begus in Cara-oilucum veniens, illic non substitit, sed properauit in regionem suam se recipere. Quum autem id se conari frustra videret, tamdem in regiones Persidis est profectus.

Ad alias res a Sultano Murate gestas, vt redeamus; interim dum is anno post migrationem prophetæ Muhametis

Chr.1428. ıↄ cccxxx, in Europæam Rumiliam traiectis copiis, bellum in Lazogliana ditione gerens, arces & opida caperet; Muhametes begus Caramanoglius vrbem Adaliam, priscis Attaliam, inuasit & oppugnare cepit. Opidani die quodam videntes eum ad vrbem illo ex interuallo accessisse, vt ictus bombardæ pertinere ad ipsum posset: disploso & exonerato maiore tormento bellico, Muhametem adtigerunt, & ictu globi tormentarij prorsus in frusta discerpserunt. Hæc frusta Caramanienses, arculæ cuidam imposita, suam in regionem secum ominis auspicati loco, ne scilicet ad ludibrium in hostico manerent, abstulerunt. Moriens Muhametes begus filios tres, Ibrahimem, & Isam, & Aladinem, superstites post se reliquit. Habebat & fratrem Muhametes, cui nomen erat Bengis Alis begus. Is regium sibi vindicare thronum voluit, sed plerique populi, Caramaniæ regno comprehensi, hominis imperium abnuerūt. Tamdem Sultanus Murates Ibrahimi bego vexillum misit, quod ei suo nomine in manum traderetur; & gladium, quo cingeretur; vt hac inuestituræ (quam vocant) cærimonia, ceu legitim⁹ auctoritate sua princeps, in regni possessionem immissus adgnosceretur. Reliquos eius fratres duos, ad Portam venire iussos, apud se retinuit. Quo Muratis beneficio motus Ibrahimes, iis omnibus vicissim Murati cessit, quæ in regione Hamid-ili ceperat, etiam Ocligo quodam opido restituto. Sic factum, vt tempore non exiguo duas inter hasce familias, Caramanogliam & Osmanogliam, pax & amicitia mutua seruaretur. Existimasses amborum regiones in vnam coaluisse. Restitutam vero sibi ditionem Hamid-ilim Sultanus Murates Iliæ vel Eliæ Serabdari ceu timarium possidendam & administrandam dedit. Eodem anno casus accidere varij, Michaloglij filio, Cassimis filio, Schach-Melico bego, & Europææ Rumiliæ begis. Exercitus denique Damascenus, hoc est Misirensis vel Ægyptij Sultani, Cyprum occupauit.

Hoc etiam tempore regiones, Amasiana & Tocatēsis, a latronibus, quorum duces erant Kisultzis aut Kisulis Cozzę, hoc est senis rubri, filij numero quatuor, homines Turcomani siue Nomades, grassationib⁹ perpetuis sic infestabātur; vt quietem nullam haberent, nec itinerum securitatem. Quoties ab vno ad alterum opidum eundum esset, absq; comitatu magno viatores iter facere non poterant. Hos vti Iorgutzes bassa, qui tunc Sanzacatum Amasianum possidebat, aliqua tamdem via rationeq; subtili circumuētos e medio tolleret, & a latrociniis itinera publica purgaret : huiusmodi tamdem impostura quadam est vsus. Ficticium quēdam legatum supposuit, quasi a Sultano is aduenisset, ac mādata Sultani quædam, eximiis cum muneribus, quæ secreto Iorgutzes ei tradiderat, ferret. Idem scriptas a Iorgutze, sed nomine Sultani, litteras ad illos fratres

tres

tres singulos habebat, in hanc sententiam: Lala tutorque meus Iorgutzes, aduersus hostem meum Alp-Arslanem, expeditionem suscepturus est, vt ei bellum inferat, & prœlio confligat. Itaque vos etiam cum ipsius copiis vestras coniungite, quantumque potestis, hoc ei bello manum auxiliarem porrigite. Rebus ex animi sententia gestis, ad planiciem & campum Artuc-ouam proficiscimini. Ea regio vestrum sit ex beneficentia donationeque nostra timarium, vestra possessio. His litteris perscriptis, legato Sultani ficticio quosdam e suis hominibus Iorgutzes bassa comites adiunxit. Hi Kisulis Cozzæ filios adituri, se in viam dederunt; & eos in regione Tzoron-ili nominata degere cōpererunt. Quum ventum ad illos esset, internuntius Iorgutzis, heri sui Iorgutzis litteras; legatus Sultani, mandatum Sultani eis exhibuit. Singuli scriptas ad se litteras legi sibi curantes, gauisi sunt. Statim omnes latrones, grassatores, prædones, nebulones aliorum bonis inhiantes, his auditis, ad istos fratres conuenerunt; iamque adeo cccc militares & strenui Turcomanleri coiebant. Simul ad eosdem quatuor fratres alij quoque furtis & latrociniis, e quibus victitabant, nobilitati cōfluxerunt. Omnes tandem congregati, concilium quoddam instituerunt, quo inter alia decretum, vt si Iorgutzes bassa promissis non staret, aut contumeliosum aliquid in eos admitteret; tam in ipsum, quam reliquos omnes, acinaces suos stringerent; eisque trucidatis, regiones ipsorum prædis exhaustas depopularētur. His inter se conclusis, in planiciem Marzuanensem profecti sunt, & ibidem castris locatis hæserunt. Quumque Iorgutzes ex promisso nusquam adpareret, hinc inde sciscitātes interrogarunt, quamobrem Iorgutzes non aduenisset? Responsum, aduersa eum valetudine laborare, nec illam ob causam hactenus potuisse venire. Quapropter vlterius progressi, Amasiam accesserunt; & in vrbem perrecturis, Iorgutzis occurrit filius, insignem mæsticiam simulans, & his Kisulis Cozzæ filios verbis adpellans: Ignoscite nobis, obsecro. Pater præ nimia ægritudine venire non potuit, & eadem ex causa nobis eum deserere, vetante pietate, non licuit. Propterea nostro erga vos officio satisfactum nō fuit. Nunc id vnum petimus, vt nobiscum heic intra opidum ad aliquot dies otio, quieti, & genio indulgeatis. Epulabimur cottidie vobiscum, donec pater intra paucos, vti speramus, dies conualescat. Sin conualescere tam cito non poterit, equidem vobiscum proficiscar. Vos hosti debellando vel soli estis idonei, & † Sanosæ paratas instructasq; nos habemus copias: nihil adeo nobis vt patris opus sit præsentia, modo vos saluos & sanos nobiscum habeamus. His delenitos verbis, & summis adfectos honoribus, in vrbem Amasianam introduxerunt, singulis fratribus suum adtribuere palatium, vinum variis cum ferculis adposuerunt, & his rebus effecerunt, vt illi superbiendo insolescerent. Quum tamdē mero madidi obdormiissent omnes, mox correpti primum quatuor fratres & vinculis fuere constricti per homines eius rei causa dispositos. Deinde factum idem quadringentis illis vniuersis. Hinc amputata capita quatuor fratribus, quadringenti sic, vt vincti erant, intra carceres conclusi fuerunt. Immissus postea per ipsam carceris portā fumus, quo sic enecti fuerunt omnes, vti ne quidem vnus ex eis saluus elaberetur. Iorgutzes autem bassa tam felice consilij sui successu intellecto, statim cum suis equos adscendit, & celeriter admodum properans, ne qua rei gestæ fama ipsius aduentum anteuerteret, noctu domos & familias istorum Turcomanorum obruit & oppressit. Quippe summo mane Tzoronlium delatus, istic castra locauit; & familias indicatas adgressus, Turcomanis insignem prædam eripuit, ac tantam sane pecudum copiam; vt ouis aspro dumtaxat vno distraheretur. Vxores & liberi eorum, egestate coacti, ex aliis in alia loca vagabundi migrarunt, & omnes ad mendicitatem redacti sunt. Nec ab illo tempore populus Turcomanicus exercere latrocinia more pristino iis in locis potuit, quibus hi Kisulis Cozzæ filij non ipsi tantum operam dabant; sed etiam Chasani bego Dulgadiris filio, & Habili bego Cara-oilucoglio semper auctores erant ad easdem grassationes ex vna parte instituendas, dum ipsi ex altera prædas agerēt. Hoc modo

† *An Stanosa intelligitur, de qua huius initio libri?*

bassæ Iorgutzis industria securitas itineribus restituta fuit, & ipsæ regiones a latrociniis repurgatæ.

Præterea quædã erat arx in loco prouinciæ Osmanzucanæ, cui loco nomen Zeytun, vt arci Cozza-Caia, quæ vox antiquum saxum denotat. Arcis huius, admodum munitæ, dominus erat Haidar quidam begus, qui tantam annonæ copiam in arcem congesserat; vt præsidiariis ad centum annos suffectura videretur. Nec ipse vmquam ex arce prodibat. Erat ei filius Cassimes, quem nonnumquam vicinos ad proceres cum muneribus mittebat, vt eorum beneuolentiam vtcumque sibi conciliaret ac tueretur. Ei struebantur insidiæ, sed capi necdum potuerat. Aliquando patrem interrogans filius: Mi pater, ait, si forte contingeret, vt iis in locis caperer, ad quæ nonnumquam proficiscor, quid tu quæso mea causa faceres? Tum is viciſsim: Equidem, inquit, Deo te commendaui, mi fili. Quod me adtinet, ante mortem meam ex hac arce non egrediar; nec in senectute mea cuiquam gratificari possum. Iorgutzes autem bassa die nocteq; dumtaxat in hoc vnum intentus erat, vt arcẽ occuparet. Habebat in arce quemdam secũ Haidar begus Tayfurem Zelebim, quem valde diligebat. Hunc Iorgutzes perpetuis donis sibi conciliatum corruperat. Itaque Tayfur nocte quadam in arcis illud ædificium, vbi conseruabantur annonæ, clam ignem imposuit; quo arcis omnes annonæ consumtæ fuerunt. Id vbi Iorgutzes resciuisset, statim suis cum copiis aduolans, in arcem irruit. Haidar begus nullam tuendi se rationem reliquam videns: O Iorgutzes, ait, de me quidẽ iam factum est, quod futurum erat. Deum tamen optimum maximumque precor, vt citius etiã tuæ res ad exitum suum finemque perueniant, quam meæ peruenerint. Ac deinde deditionem arcis sua sponte fecit. Eam rem, vt gesta fuerat, Iorgutzes Sultano per suos nuntiari curauit. Sultanus vt arcis amissæ damnum compẽsaret, timarium insigne fructuosis in prædiis Haidari bego constituit, quorum vsumfructum ad mortem vsq; habuit. Iorgutzes arci, suam in potestatem redactæ, Sultani milites imposuit, a quibus adhuc hodieque tenetur.

Secundum hæc celebrauit Iorgutzes nuptias, ad quas Alp-Arslanis filium inuitauit, quem supra † Chasanis habuisse nomen ostendimus. †l. Is fraudem Iorgutzis animaduertens, dici libere Iorgutzi suo nomine curauit, siquidẽ hoc ipsius esset institutum, vt illos hactenus imperio suo subiectos Armenios sibi eriperet; veniret modo, sponteque oblatos acciperet. Se quidem ad Sultanum cogitare proficisci, quem esse saluum & incolumem optet, ac ditionem sibi magis fructuosam daturum, minime dubitet. Interim Iorgutzes Chasanem Alp-Arslanis filium necopinantem obruere nitebatur. Sed nondũ adhuc ad vrbem Tzanicum peruenerat, quæ Genech aliis scribitur, quum Alp-Arslanis filius obuiam ei sponte sua profectus occurrit. Eum aduentantem statim corripuit Iorgutzes, & Sultano misit; cuius mandato in arcem Burusensem deductus, & quadam in domo detentus fuit, vbi diu mansit. Iorgutzes autem captam ipsius cum familia coniugem deportari iussit Amasiam, & in custodiam dari. Tandem aliquando Chasan, Alp-Arslanis filius, qui Burusæ captiuus, vt dictum, detinebatur; astu circumuentum custodem suum artissime ligauit, seque de arcis muro quadam arte demisit. Erant ei iam ante certis in locis equi dispositi, quos conscendens, discessit. Exactis inde duobus annis, vltro reuersus est, ac Sultano se stitit. Tum vero Sultanus ei timarium in Europæa Romania dedit opimum ex certis prædiis, quo tam vxor, quam familia deinceps ad eum deducta fuit. Iorgutzes bassa hoc modo potitus Tzanico fuit anno Muhametano ıɔ ccc xxxı. c.141

Erat ad fluuium Rumiliæ siue Thraciæ, cui nomen Ergene, locus quidam, vbi Sultanus Murates amnem põte sternendum iudicabat. Is locus & siluosus erat, & lutulẽtus, & palustris, latronumque receptaculum. Nec vllum transibat tempus, quo non illic homines aliqui necarentur. Primum ergo Sultanus e thesauro suo præmia proposuit iis, qui siluas radicitus exscinderent, ac locum expurgarent. Deinde pontẽ eximium, centum & septuaginta pedes longum, construxit; & ad partem pontis alteram opidum condidit, inq; opido xenonem

vel

vel imaretum insigne, pauperib⁹ ac viatoribus excipiendis. Ad summam, condita fuit ab eo ciuitas egregia, cui nomē Ergene dedit. Quum autem prima vice coquendi essent in huius opidi xenodochio cibi, multos Hadrianopoli Sultanus Murates viros doctos, itemq; pauperes collegit, & huc adductis epulas dedit, nummos pretij maioris & minoris distribuit. Primo etiam die cibos omnibus ipse manu sua præbuit, & candelam primus accendit. Architecto xenonis & opidi vestes honorarias iniici iussit, & agros donauit. Opidi denique municipibus immunitates ab omni censu præstādo plenas concessit.

Secundum hæc commorāti Sultano ad Hadrianopolim, & die quodam conuiuium celebranti, nuntiatum fuit; Iacupem begum Germeanoglium, cum aliquo suorum comitatu, sua regione digressum iter instituisse, quo Sultanum aditurus esset. Ea re cognita, Burusam Sultanus veredarios misit, Burusæis denuntiaturos; vt siquidem reapse de aduentu Germeanoglij constaret, omnes Burusæi decuriones & municipes obuiam ei prodirent, ac venerationem & honorem eximium deferrent. Simul ipsi Sultano significarent, quo tempore cogitaret indicat⁹ Germeanoglius eum conuenire. Germeanensis vero princeps, quum Burusam venisset, a populo Burusæo, de Sultani sui præscripto, ac prout ipse princeps etiam merebatur, summis honoribus exceptus fuit. Hinc omnia superiorum Sultanorum monumenta Germeanoglius inspexit, & insignem pecuniæ summam hinc inde distribuit. Superstes adhuc id temporis erat Emir Seiides, cuius beatam (vt Turci referūt) adiit domum, & homini manum osculatus est. Ad Imaretum quoq; se conferens, Osmanis & Vrchanis monumenta visitauit, & ibidem viris eruditis, & aliis egentibus non pauca largitus est. Burusa profectus est Hadrianopolim, freto Calliopolitano traiecto; quumque peruenisset ad pontem & opidum Ergenen, de quibus paullo ante dictum; Sultanus ei Murates suos Vezires bassas & proceres obuiam misit, qui eum singulari cum obseruantia comitati sunt in vrbem, & magnificum quoddam in palatium, a metatoribus regiis adsignatum, deduxerunt. Postridie Vezires & alij bassæ Germeanoglium conuenerunt, & ante principem honoris caussa procedentes, ipsum ad Sultanum suum deduxerunt, vt ei manum oscularetur. Sultanus Murates hospiti Germeanoglio maximos honores exhibuit. Epulati sunt vna, toto triduo. Deinde Sultanus ei vestes honorarias iniiciens, summi pretij donis cultum in regnum suum remisit. Domum reuersus, vno dumtaxat adhuc anno vixit, ac deinde Dei iussu ad expers finis sæculum migrauit. Regnum suum ex asse Sultano Murati, testamento prius condito, reliquit.

Commiserat autem Sultanus Murates regni sui limites generosis quibusdam proceribus, & in his Lazogliani principatus fines Ishacum begum tueri iusserat. Quoties vero cumque dictus Ishacus begus in vicinorum agros excurrere, prædæ abigēdæ caussa, volebat: Vulcoglius, (Zirfiæ Despota Georgius intelligitur) instituto begi prodito, quo minus ille spoliis opimis potiretur, impediebat; ideoque spe sua deceptus Ishacus, plerumque vacuus domum redibat. Ea vero de re certior redditus Ishacus, Sultano Murati significauit, qua suos improbus ille contumelia non cessaret adficere. Motus hac Ishaci querela Sultanus; quæcumque Vulcoglio concesserat, recepit; & præclaram sibi nauantibus operam ministris suis donauit. Animaduertit inde Vulcoglius, Sultanum de inferendo sibi detrimēto cogitare. Quapropter illico legatum misit, qui verbis eum suo nomine compellaret huiusmodi. Offert tibi filiolam suam princeps meus, Sultane felicissime, dumtaxat vt eam ancillæ loco suscipias, quæ tibi seruiat. Nec noua fuerit hæc coniunctio, quando Sultanus etiam Baiasites, tuæ maiestatis auus, nostra natam e familia principem sibi connubio iunxit.

Præter filiam vero, quam Murati offerebat, magnā quoq; pecuniæ summam misit, bassis etiā sua separatim dona tribuens; quorum opera factum, vt Vulcoglij Murates satisfactionem admitteret. Is vero cedebat eidem Sultano, quidquid ab Alatze-chisare (nomen hoc arcem altam denotat) suam ad re-

gionem vsque pertineret: ac præterea relicti sibi regni nomine, singulos in annos se tributum soluturum pollicebatur. Hoc etiam stipulato promittebat, nequaquam se permissurum, vti per fines suos ex Vngaria damnum Sultani finibus inferretur. Aperta quoq; denuo via fuit in Bozinam excurrendi. Posteaquam huiusmodi cum Vulcoglio pacta fuissent inita pariter, & confirmata; iam sua in manu esse Vulcoglij regnum aiebat Murates, nec Gaurum illum deinceps vmquam fœdera violaturum existimans, quiescebat; præsertim, quod e Lazogliana regione iam tributum adferri cepisset. Potiti sunt hoc successu rerum Osmanei post migrationem prophetæ Muhametis anno ıɔ ccc xxxı. Secundũ hæc autem anno ıɔ cccxxxvı, rebus humanis excessit Lazoglius, (Stephanus Vulcouitzius, Lazari filius, intelligitur) & in eius locum filius ipsius Vulcoglius (hoc est, Georgius Vulcouitzius) successit.

Chr. 1429.
Chr. 1433.

Sed superiores ad annos, & res iis gestas, vt redeamus; obsidebat Sultanus Murates arcem Zirforum, quam Turci Gugerzinlic, veluti Columbarium, nominarunt. Ei subsidio venit Vngarorum exercitus, contra quem profectis Europææ Rumiliæ copiis; dissipati Vngari, & in fugam acti fuerunt. Ex his quotquot inter fugiendum vltimos adsequi potuerunt Osmanei, cæsos spoliarunt. Secutus hinc Iundus-oglij casus in Anatolia. Pestis etiam hoc anno Burusæ plurimum sæuiit, qua vir sanctus opinione Turcorum, Emir Seiides extinctus periit. Eadem peste correpti fratres Sultani Muratis, Iussufes Zelebis, & Machmutes Zelebis, mortui sunt. Item Vrchan begus, Sultani Emiris Suleimanis filius; & Ibrahimes bassa, & Chazis Eiuases bassa, & Tzirаces begus, & filij Scheichis Farhedinis Efendis, quæ vltima vox non Turcica, sed Græca, dominum significat. Præterea sol omnium doctorum iurisperitorum apud Musulmanos, idemque fidei Muhameticæ sol, cui nomen Fenari-oglius, obiit. Omnes inquam hi res hoc anno reliquerũt humanas.

ἀφέντης.
αὐθέντης.

Eodem anno Damascenorum exercitus, in Cara-iolucum egressi; ciuitatem, quæ Roha dicitur, euerterunt: Habilemque, Cara-oilucij filium, in seruitutem redegerunt. Hinc Cara-oilucius, itinere suscepto, principem Schachum † Ruchum adduxit. Is quum Ischenderem begum, Cara-Iussufis filium, inuaderet; fugam Ischender iniit. Schachus autem Ruchus vxores & vtriusq; sexus liberos Turcomanlerorum siue Nomadum seruituti mancipauit, eorumq; castra cum tentoriis diripuit, Eiraci quoq; regionib⁹ deuastatis, qua voce vicinam Bagdati priscam Assyriam accipere debemus. Ingens deinde pænuria rerum ad vitam sustinendam necessariarum iis in locis exstitit, qua numer⁹ mortalium maximus periit. Plerique Damascum, alij Rumiliæ Asiaticæ prouincias, fugiẽdæ famis causa, petierunt.

Sultanus autẽ Murates, imperij proferendi cupidus, suos aliquando Vezires interrogasse fertur, an vrbs Selanica (priscis Thessalonica) procul esset ab Hadrianopoli dissita? Responsum, vix quatuor hanc abesse dierum itinere, cis opidum Seres vel Serras sitam. Tum ipse vicissim: O serui numinis cælestis, ait, cur igitur heic otiosi quiescitis? quã fieri celerrime poterit, adparatus bellicos instituite. Quapropter illi bombardas & tormenta primum adferri curarunt. Deinde Calliopoli naues etiam deduci iusserunt. Bellum ipsum titulo propagandæ Musulmanæ religionis occeptum indictumq; fuit. Diuersis e locis magnæ militum coactæ copiæ. Dehinc itum ad vrbem expugnandam. Aliquot in hostem pugnatum diebus, sed expugnari ciuitas non potuit. Sultanus Murates suos compellans, inueniẽdam dixit aliquam rationem ac viam ciuitatis occupandæ. Quapropter Alis begus, Eurenosis filius: O Sultane felix, ait, hac vt vrbe potiamur, eam militibus diripiendam concedamus. Tum Murates proclamari totis castris iussit, prædæ potestatem militi factam; & siquidem vi ciuitas expugnari posset, cuilibet sua relictum iri spolia. Statim atq; spoliorum & prædæ nomen milites audiissent, scalas vndique muris admouere, nec concesso Gauris spatio vel oculos aperiendi, mox conscensis mœnibus in vrbem irruere: qua capta, milites amplissima potiti fuere præda, plurimis etiam mancipiis in potestatem redactis. Vnde factum,

ctum, vt domus vrbis habitatoribus vacuæ manerent. Ac deinceps opidi & agri Vardaris Genitzæ municipes in vrbem Selanicam transferri oportuit. Si cui militum quoque libuiſſet, tam ædes ad ſolitudinẽ redactas occupare, quam domicilium in vrbe ſibi conſtituere licuit. Iam potitus vrbe Murates, ad milites conuerſus: Hem mei milites, ait, quam dulce quiddã eſt, quam fructuoſum vobis, diripere ciuitatem aliquam; & opima præda ſatiari. Quamobrẽ danda vobis opera, ne pro religione Muſulmana pugnas obire deſinatis. Annus autem occupatæ Selanicæ, Muhametis a migratione IↃ CCC XXXIII erat.

Eodem anno Sultanus Muhametes natus fuit. Hoſtium quoque triremes (Venetos intellige, quorum Theſſalonica fuerat) fretum Calliopolitanum, quod fauces Turci vocant, occuparunt; & turrim, ab Emire Suleimane ſtructã, obſederunt: multaq; adeo prœlia, multæ ſtrages acciderunt. Poſtea pace cum Sultano Murate compoſita, diſceſſerunt. Hinc illam Emiris Suleimanis turrim Murates diruit ac deſtruxit, anno Muhametis exſtincti IↃ CCC XXXIIII.

Præterea Sultanus Ægyptiorũ Parsbegus cum exercitu profectus eſt in Cara-oilucium, qui tunc ad vrbem Hamidam erat, Amidam priſcis adpellatam. Sed tamdem pace facta, diſceſſit. Eodem anno ſolis etiam defectus accidit, quo totus ſolis diſcus adeo tenebris inuolutus fuit: vt ipſa cæli ſidera conſpicerentur.

Ad Sultanum Muratẽ vt redeamus, ſtatuit is, poſt captã Selanicam, bellum Vngaris inferre. Nam prædones Vngari nonnumquam ex agro Vidinenſi, traiecto Danubio, vicinis in prouinciis Turcicis longe lateque graſſabantur. Huic dum bello intentus eſſet, inexſpectatus rumor adlatus nuntiauit, Ibrahimem begum, Caramaniæ regem, ad Hamidili fines opidũ Beg-ſcheherim ſiue Deſpotopolim circumſeſſum in poteſtatem redegiſſe, ſanzacumque begum eius prouinciæ Serabdarẽ Iliam, captum in carcerem conieciſſe. Quamobrem Murati præſtare viſum eſt, vt in Caramanoglium ſe conuerteret. Sed in vtramque partem mirifice diſtinebatur. Simul enim & Vngari ſe commouebãt, dum Caramanoglius alibi Turcis negotium faceret. Adeoque certum eſt, inter Caramaniæ regem, & Vulcoglium, & Vngaros, mutuo fœdere deuinctos, ita fuiſſe conſtitutum: vt Vngaris ab vna parte Turcos inuadentibus, ab altera Caramaniæ rex eoſdem adgrederetur. Animaduertit autem Murates inſtitutum & molitiones eorum, ideoq; neutram in partem expeditionem ſuſcipere decreuit. Quo factum, vt Vngari arcem Gugerzinlicam cum exercitu peterent, (Columbarium eſſe, iam ante monuimus) obſiderent, tormentis diſpoſitis oppugnarent. Aduerſus hos miſſus a Sultano cum copiis fuit Sinan baſſa, beglerbegus Europææ Rumiliæ, qui cum ſuis caſtra metatus eſt in loco quodam, a caſtris hoſtilibus itinere medij diei diſſito. Aderat illic etiam Vidinenſis ſanzacus Sinan begus. Is tamdem reliquos compellans: O proceres, ait, a fide principi noſtro data diſceſſimus, omnes & proditores & deſertores ſumus. Mox Sinan baſſa beglerbegus indignabundus: Quæ iſtæc verba ſunt, inquit, abs te prolata? Siccine proditionis nos omnes inſimulas? Tum Sinan begus: Si nos, ait, datæ principi noſtro fidei memores eſſemus, non ab hoſte fieri pateremur ea, quæ facit. Arcem Sultani noſtri tormẽtis bellicis acerrime quatit, & oppugnandi finis nullus eſt, dum nos interim heic otioſi deſidemus. Id eo quoque indignius, quod Gaurus ille Muſulmanæ religioni ſit inimiciſſimus. Vbi nũc ardẽs ille veſter eſt religionis amor? Non adeo remiſſos & ignauos eſſe vos pudet? Ad ea beglerbegus Sinan: Fines, ait, hi tuæ commiſſi ſunt fidei. Tuum ad officium pertinet, vt opera tua ſtatũ rerum quamprimum exploratum habeamus. At quanam, inquit alter, opus eſt exploratione? Vox ipſa tormentorum, quibus opidi noſtri mœnia quatiuntur, ſtrepitus ipſe bombardarum tãtus eſt; vt equi noſtri, quoties diſploduntur, mirifice trepidantes, vincula pedum, quibus adſtricti cõtinentur, lacerata rumpãt. Aures vero noſtræ, bombardarum iam adſuetæ tonitruis, obſurduerũt. Nihil amplius ſcilicet audimus, nihil ad nos illa pertinere putamus. Nec mora, cõſcendens equum begus idem Vidinenſis: O viri militares, ait, quotquot religionis

feruore ducti, magnos animos geritis, me sequimini. Feminarum fuerit, in angulo latitare velle. Proferebantur hæc ab eo voce clara, quæ ab omnibus exaudiri posset. Quapropter omnes Akenzij, quos volones dicimus, omnes animosi iuuenes mox in equos suos insilierunt, & beglerbego posteriores hi per suos quosdam significari curarunt: Sinanem begum Vidinesem iam in hostes profectum, adiunctis sibi copiis Akenziorum vniuersis. Non se decere, suos vt illos commilitones deserant. Excitatus his suorum verbis & ipse beglerbegus, vniuerso cum exercitu mouit, & antegressos suos a tergo secutus est. Postridie summo mane Gaurorum ad castra peruenerunt. Illico pulsata fuere tympana, Turcorumq; tegbir inchoatum, quo ter alta voce Dei nomen repetere consueuerunt, Alla, Alla, Allahu; atq; ita magnis itum in hostem animis. Tum vero Christiani tãto cum impetu terga dare ceperunt, vt alter alterum prosterneret, ac pedibus conculcaret. Rex Vngarorum, totius exercitus impedimentis, & omni bellicorum instrumentorum adparatu, amissis; fugam arripiens, vix saluus & incolumis euasit. Gauri complures, in amnem se præcipitantes, perierunt. Musulmani milites opulenta ditati præda fuerunt. Hadrianopoli quidem venustus & elegans admodum puer Vngarus ccc aspris væniit. Potiti sunt hac victoria Turci, post Muhametis prophetæ migrationem anno
C. 1434. ɪↄ ccc xxxvii. fueruntq; suis eiusdem auctores præcipui, Sinan begus Vidinensis, & Europææ Rumiliæ beglerbegus Sinan bassa. Sequenti anno ɪↄ ccc
C. 1435. xxxviii, diem suum decus illud Doctorum Europææ Rumiliæ, Semsedin Fenaris, obiit.

Dictum superius, Ibrahimem begum Caramanoglium fuisse totius huiusce motus auctorem; quo decretum erat, vtrimque velut interceptum Muratem opprimere. Sultanus ergo Murates, illatas sibi vindicaturus iniurias, exercitum vna cum Isa bego Caramanoglio, Suleimane bego Dulgadiroglio, Zeinale Aladine, Casis Burchanedinis filio, collegit; & his in societatem belli adscitis, vrbem Ac-scheherim adiit, & occupauit. Inde Coniam profectus, itidem cepit. Ad summam, vniuersa Murates Caramania, præter interiores regni partes, potitus est. Eius vero consilium hoc erat, vt delitescentem in rupibus Caramanoglium vndique concluderet, atq; ita suam in potestatem redigeret. Hac de causa progressus, in locum, cui nomen Boscara, peruenit. Caramanoglius animaduertens, quid in animo Murates haberet; illico legatum Meulanam Hamzen misit, qui adito Sultano, culpam suo nomine deprecaretur; quando iam pænituisset eorum, quæ in ipsum admisisset; tentatamque nuper, & ex parte captam regionem Hamid-ilim, sponte sua restitutam reliquisset. Posteaquam hæc Murati legatus exposuisset, eidem manum est osculatus. Sultanus autem: Satis, inquit, o Meulana, peccatis eius iamdudum ignouimus. Nihilo minus iterũ hanc ipsam ei regionem, iure belli captam, liberali munere donatam reddimus. Si contumax esse pergat, deinceps Isæ, fratri eius, munere nostro, cedet. Isa vero id temporis apud Sultanum Muratem erat. Hoc modo Sultanus iracundia remissa, delictisque Caramanoglio condonatis, quemdam Meulanam siue Doctorem, cui Sucrullah nomen erat, ad eum misit, vt sacramentum exigeret, quo sancte polliceretur, numquam se deinceps vllo modo Sultani Muratis hostem futurum. His ita peractis, ad regiã suam Sultanus rediit, anno post excessum prophetæ Muhametis ɪↄ ccc xxxix. quo itidem anno Muhamet-schachus bassa, Fenaris filius, obiit; & Isa begus Caramanoglius in periculum incidit.

Exposuimus antehac, quas ob causas Ishacus begus apud Sultanum Muratem Vulcoglium accusauerit. Ad eas nunc illud etiam accedebat, quod satis animaduerterat Sultanus, vtrumq; motum eiusdem temporis, tam Caramanoglij, quam Vngarorum, ab illius capite profectum. Quapropter exercitum maximum coëgit, vt tamdem aliquando Lazoglium in ordinem redigeret. Is vero tempestatem in se venturam prospiciens, eius auertendæ causa legatum ad Muratem misit, qui significaret, dotem filiæ suæ iam paratam esse. mitteret hominem, qui eam adferret. His auditis, hortati sunt Vezires bassæ Sultanum, vt omnino

omnino sibi sponsam adduci curaret. Itaq; Reichan Aga, spado vel eunuchus, & Vrnecus Aga, missi a Porta fuerunt; vti cum Ishaci begi coniuge Vscupiam (priscis † Scopiorum vrbem) adiret, ac sponsam adduceret. Hi vero frequenti cum comitatu primum Vscupiam venerunt, deinde vlterius Semendren versus progressi sunt. Vulcoglius princeps obuiā eis, aliquot dierum itinere, procerum Christianorũ vxores misit, a quibus eximia cũ exhibitione honoris in opidum Semendren deducti, splendidoq; fuerunt in ædificio excepti, & laute tractati. Rerum inde dotalium index Vrneco datus in manum Agæ fuit, & sponsa missis a Sultano tradita, qui Hadrianopolim eam deduxerunt. Ibi nullæ celebratæ fuere nuptiæ, quod Gauri causa nuptiarum sumtum fieri nõ oportere Murates diceret. Nec apud se diu Sultanus eam retinuit. Burusam namque misit, qui filiam Musulmani principis Isfendiaris illinc Hadrianopolim ad se deducerent.

Secundũ hæc interrogauit aliquando Sultanus Murates Alim begum, Eurenosis filium, ecquis suorum itinera regionum Vngariæ nosset. Tum ille: si curam eius, inquit, rei mihi mandaueris, equidem seruus tuus illuc proficiscar, & regiones cum itineribꝰ explorabo. Abeant ergo tecum, subiecit Murates, tam Europææ Rumiliæ, quam Anatolicę copiæ. Alis autē begus: Immo, ait, satis mihi pace tua fuerit, si dumtaxat Akenzij mecum hanc expeditionem suscipiant. Itaq; Murates adsensus, ita rem gereret, inquit, vt ipse vellet, & optimũ fore sciret. Statim ergo conuenire iussi sunt ex omnibꝰ populis Akenzij, quorum coactis copiis, propter opidũ Temesuarum Alis begus Vngariæ regnũ ingressus est, integro mēse arma circumtulit, nusquā hostis adparuit, ingenti præda milites eius potiti sunt. Proditũ quoq; memoria, mancipiorum maiorē fuisse numerum, quam Akenziorum. Itidem relatum, Akenzios plerosque ad duo nummûm aureorum millia cõsecutos. Tam opimis cum spoliis Eurenosoglius Alis begus ad Sultanum Muratem reuersus: Expeditio nobis, inquit, o Sultane, modis omnibus in Vngariam suscipienda erit. Ita me Muhametes noster amet, vti peccatum & flagitiũ ingens est, eiusmodi regnũ Gaurorum in potestate relinqui. Persuasit his dictis Sultano Murati, de Vngaris vt inuadendis cogitandum statueret.

Ante vero, quam expeditionē susciperet, misit ad Vulcogliũ, qui ei diceret: Decreuisse Sultanum propter Semendren in Vngariam proficisci. Propterea monere Vulcoglium, vt hāc ad expeditionem & ipse paratus esset. Itidem filio Direcolæ Valacho denuntiatũ fuit, velle Muratem, vt copias suas quā maturrime cogeret, & Sultaneo cum exercitu coniungeret. Ni comparuisset, vltro se cum suis ipsum aditurum. Responsum a Direcola, se paratum inprimis ad parendum & inseruiendum Sultano Murati; adeo quidem, vt equorum etiam ipsius, & canum curā gerere non recuset. Hoc modo Sultanus, exercitu collecto maximo, ceptum iter prosequens, Vidinum accessit. Ductoris instar Lazoglius reliquum antecedebat exercitum. quumq; Danubium ad Vidinum transmisissent, multas arces Vngarici iuris capientes, Cibinium vsque progressi sunt, opidum Transsiluanię, siue Septemcastrensis regionis; quod Germanis nũc Hermestadium dicitur. In hunc modum XLV diebus per Vngariā hinc inde grassati, præda propemodum infinita potiti fuerũt. Hinc alium viæ ducem, quam a priore diuersam in reditu secuturi erant, Direcolam sibi sumserunt; ac per Valachiam incolumes intra fines suos se receperũt. Etiā Volachoglius ipse donis Sultanum eximiis coluit, & epulas insignes dedit. Nemo Christianorum obuiam Sultano Murati prodire fuit ausus, adeoq; Turci victores domum reuersi sunt. Sultanus ipse ad opidũ * Gergucum, priscis Chrysonicum deflexit, & arcē illic exstruxit; qua præsidiario milite, reliquisque munita necessariis rebus; Hadrianopolim ipse reuersus, ibidem mansit. Incidit hæc expeditio in annum Muhametanum IↃ CCC XL.

** Pandect. cap. 125.*

Chr. 1437.

Secundum hæc suis Murates auctor fuit, vt arcem Cotzazugum bello adgrederentur, quam Laonicus Gethiam nominauit. Misit autem illuc primum Isam begum, eumque prædis Akenzios exsaturare iussit. Paruit Isa mandato Sultani, quumque Volones ingressi essent

regiones illas integras adhuc, & a bello prorſus omni, militumq; graſſationibus intactas; mox ad cōgerendam prædam, hinc inde diſcurrerūt. Interim ne Chriſtiani quidem ſuis in rebus ſegnes ſe gerebant, ſed occupatis & occluſis itineribus anguſtis, quo minus hoſtes per ea tranſire poſſent, impediebant. Erat illic filius quidā principis Arbanoſiæ, quem Iſchenderem nominabant, hoc eſt Alexandrum; fueratque prima in ætate ſua, Muratis in ſeraio, velut intimus ei, longeque familiariſſimus puer, educatus. Idem Sultanus ipſi regionem hāc timarij loco vtēdam fruendam concesſerat. Nihilo tamen minus ab eo tamdem defecerat, & fuga deſerto Sultano, conceſſerat in has terras, vbi conſtitutum ei timarium fuerat. Hic igitur ab Iſa bego miſſis ad prædas agendas Akenziis itinera præcluſit. Quapropter Iſæi milites, quum vias ab hoſte viderent interceptas, mancipia primum omnia iugularunt; inde Gauros hoſtes adorti, tanto trucidauere numero, tamdem vt acinaces eorum hebeſcerent, nec ferire poſſent amplius, ipſis etiam ſagittis deficientibus. Ac tametſi magnus Turcicorum militum numerus illic ab hoſte cæſus eſſet, tamen regionis non exigua pars ab eis capta, Muratis in ditionem venit. Acciderunt autem hæc anno Muhametis extincti ıɔ ccc xl.

Iſchender begus. Pandect. cap. 121.

a. 1437.

Ceterum quo tempore Sultanus Murates hinc inde regnū Vngariæ cum exercitu peragrabat, inter alia certior factus eſt, Belegradum regni portam illius eſſe. Quapropter adnitēdum ſtatuens, vt eam ſibi portam reſeraret & aperiret; exercitu collecto, rumorē ſparſit, quaſi Belegradum adgreſſurus, & tōtis viribus expugnaturus eſſet. Interim ipſe Sauum amnem traiecit, & in regionem, cui Biline nomen, Akenzios ſuos prædatum immiſit. Hoc excurſu tanta ſpoliorum copia potiti fuerunt, vt elegans mancipium feminei ſexus cum vno pari Tziſmarum (calceamēti genus hoc eſt) commutaretur. Mancipium quoq; maſculum, curandis equis idoneum, aſpris cl diſtractum fuit. Maior etiam mancipiorum numerus erat, quam ipſius exercitus. Ad ſummam, ita memoria proditum accepimus; inde a primis vſque Muſulmanici nominis initiis, milites numquam opimioribus potitos ſpoliis. Euenerunt autē hæc a migratione Muhametis anno ıɔ ccc xli.

Poſteaquam Sultanus Murates Belegrado reuerſus, Vſcupiam veniſſet; acceſſit eum Iſhacus begus, &: Quam diu quidē, inquit, o felix Sultane, Vulcogliū Semendre frui permittimus; nec Caramanoglius, nec Vngari quieſcent. Direcolam quoque nobis ex animo amicum eſſe, non eſt qđ exiſtimes. Geminus eſt, ac lubricæ fidei. Reſpōdit Murates, exigendam prius in hibernis proximā hiemem; ac primo vere, quid ambobus fieri debeat, videndum. Itum hinc Hadrianopolim, & ibidem hibernatū. Vbi ver adpetiiſſet, ad Portam Vulcoglius & Direcola venire iuſſi ſunt. Vulcoglius non comparuit, Direcola duobus cum filiis Sultano ſe ſtitit. Quum primum hic aduenisſet, in carcerem Calliopoli coniectus fuit, filij capti Germeanenſem deducti ſunt in regionem, & in arce cuſtoditi, quā Egrigios Turci nominant. Græcis olim Crocuos adpellabatur, vti ſupra demonſtratum ex Leonis Imperatoris nouella de Thronis, quæ hāc in Phrygia ſalutari collocat, Germeanenſis regni finibus comprehenſa. Impetrauit eodem anno veniam Iſhacus begus eundi peregrinatum, ac viſitādi domum Dei Meccanā. Sultanus, quum æſtas aduenisſet, Semendren inuaſit. Vulcoglius arces ſuas muniens, & intra Semendren filios duos relinquens, in Vngariam profectus eſt. Eius regionem vniuerſam Murates vaſtari iuſſit. Milites Turcici tanta cum præda reuerſi ſunt, vt in opido Vſcupia puer quadrim⁹ aſpris xx diſtraheretur. Iſhacus begus Mecca rediit prius, quam Semendre fuiſſet capta. Quapropter ei miſſus eſt nuntius, qui moneret, vt arcem Nigebronigam obſideret. Hoc nomine Germeanenſe vexillū ei fuit adiunctum, cui præerat id temporis Oſman Zelebis, Omuris begi filius, Temurtaſis begi nepos, qui ſecundum hæc in prœlio Varnenſi cæſus occubuit. Accidit autem non multo poſt, vt in exercitu ſubitus quidam tumultus oriretur, quo mot⁹ Iſhacus begus, ſtatim equum conſcendit. Idem factitatum a militibus eius vniuerſis, qui Gauros ad l viderunt aduentātes, quos longa ſerie cohortes aliquot comitabantur. Et erant hi ſic diſpoſiti

positi & ordinati, vt pedites antecederent, equites a tergo subsequerentur. Irruebant vero Turcorum in aciem nubis instar nigræ. quod Turci videntes, pro more suo Dei nomen alta voce ingeminarunt, & pedites primū adorti sunt. Hi periculum sibi Turcicis ab equitib⁹ imminere conspicientes, vno mox impetu sagittas & tela coniecerunt in aduersos, & tanta quidem copia, sagittis vt pluere videretur. Sed minime territi propterea Musulmani, Gauros inuadere perrexerunt. Quumq; peditum acie perrupta, maioriq; parte pedibus equorū suorum proculcata, tamdem ad Christianorum equites a tergo collocatos penetrassent; mox illi vim tantam sustinere nō valentes, in fugam se cōiecere. Tum demum innumerabiles secutæ Christianorū cædes, quorum corporibus humi prostratis insistentes equi Turcici, solum ipsum adtingere non poterant. Tamdem exclamans Ishacus begus: Hem mei milites, ait, sufficit hactenus tam multos interfecisse: Parcite deinceps vitę reliquorum, & captiuos abducite. Venit hoc etiam anno post duorū plus minus mensium oppugnationem in Turcorum potestatem Semendre, Vulcoglij munitissima ciuitas, cum aliquot eiusdem principis arcibus. His impositi fuere præsidiarij Turcici, simulque constituti iudices in opidis & vrbibus, iuris dicundi peritissimi. Statim quoq; ceptum celebrari festum hebdomadarium diei Veneris in opido & arce Semendre ritu Musulmano, ipsaq; Semendre cōmendata fuit Turechani bego. Capti quoq; Vulcoglij duo filij, quum opidi deditio fieret, in arcem Dimetocam, quam Græcis Didymotichum fuisse dictam ostendimus, perducti fuerunt, & ibidem in carceres coniecti. Postea tamen illinc etiam exemti, & cum Balabane bassa Tocatam deportati sunt in eum carcerem, quem procerum custodiæ deputatum, Bedeui Tzardaci nomen habuisse monuimus. Iusserat eorumdē oculis Sultanus Murates prius admoueri ferrum candens, quo visus adimi Græcorū Turcorumq; more solebat. Ipse vero Sultanus hisce gestis rebus Hadrianopolim prospere rediit, anno Muhametico IↃ CCC XLII.

Schachus etiã Ruchus, Temuris Chanis filius, eodē anno expeditionē suscepit aduersus Ischenderē begum, Cara-Iussufis filiū. Ischender vero begus illum aduentare cōtra se quū accepisset, in Asiaticam Rumiliam superiorē profugit. Interim Schachus Ruchus omnes etiã regiones Eiracēses Arabicas & Assyrias depopulat⁹, ad solitudinē redegit. Hinc potit⁹ est Eiraci regno Tzihan Schach⁹, & Cara-oilucius princeps Ischēderis begi manu fuit interemtus. Ischender etiã in arce sua, cui nomē Oluntze, conspiratione filij coniugisq; suæ cæsus interiit. Secundū hæc ingressus Rumiliã Asiaticã Misirensis ac Damascenus exercitus, arcem Enicum vastauit. Hinc Erzintzanem quoq; cum Siuaste tentauit, ac deinde Damascum rediit. Postea mortuus est Sultanus Ægypti Pars-begus, cuius loco filius in Ægypto successit. Filium vero Parsbegi Tzacmaces Emir Achor, hoc est, stabuli præfectus, cepit; & ipse regio collocatus in throno, Sultanatum Ægyptium obtinuit.

Murates autem, propagandi semper auidus imperij, Turechanem aliquãdo iussit ad se vocari. quūq; venisset: Quid tibi videtur, ait, o Turechan? ecquã nosti rationem & viam occupãdi arcem Geremen, quę ostium est regni Moreæ siue Peloponesi? Sitã vero fuisse constat Geremen hanc in Isthmo Corinthiaco, & angusto illo sex milliarium Græcorū aditu, quo duo inter maria patet accessus terra in Peloponesum, Hexamiliū propterea dictus, hodie vulgo Græcorū Xamili. Nec Laonici narrationē de muro Isthmi huius a Murate expugnato legēti difficile collectu, vel ipsam Corinthū esse Geremen, vel opidū aliquod Corintho proximū. Turechan begus iis, quæ diximus, a Sultano verbis interrogatus: Arx illa Gereme, respondit, o Sultane, quodam modo prodigiosa videtur esse. Nam muri eius a mari ad mare pertinēt, ipsumq; mare Peloponesi regionē vniuersam circūfluit, instar vt insulæ sit, extra solū aditum terrestrem angustū, muris clausū, ad quos sitę sunt arces quinq;, custodes illius in regionē Moream aditus & ostij. Muniere vero Christiani singulas illas arces adparatu vario rerum omnium ad defensionē necessariarum. Quælibet etiã earum tribus ex partibus oppugnanda venit, si capi debeat. Erat inuadendæ Moreæ cupidissimus Sulta-

nus Murates, ideoq; bellicos adparatus fieri maximos curauit. Missus inde cum vexillo suo fuit Turechan bêgus, qui reliquos antecederet; idque propterea, quod Gereme sita esset in finib⁹ prouinciæ, quam ipse administrabat. Turechanem a tergo secutus est Sultanus Murates suo cũ exercitu. Quumq; Geremen ventum esset, animaduersum ab eis, sic structas arces illas quinq;, mutuum vt vna posset alteri ferre auxilium, si quis eas hostis tentare vellet. Econtrario sic paratus ad eas expugnandas accedebat Murates, vti vel decem potiturus eiusmodi castellis videretur. Nulla tormenta bellica secum adtulerat, vt expeditior esset in itinere; sed æs tantum aduexerat, ex quo fundi bombardæ maiores possent, id quod statim factum fuit. Hinc oppugnatio cepta murorum in Isthmo, quos diximus, & arcium; operæq; distributæ inter sancazos, quotquot in castris aderãt. Nullum quiescendi spatiũ Christianis cõcedebatur, qui circũ arces fossas egerãt. Eas Sultanus saxis & terra cõplanari iussit. Missi etiam, qui regionem depopularẽtur. Incredibile dictu, quas illi nancti fuerint prædas & opes. Ea vilitas & copia mancipiorum in castris erat, vt feminei sexus mãcipium sane formosum & elegãs ccc aspris venderetur. Abundabant infinitis milites vestimentis, quæ rapuerãt, & aureis, argenteisq; scyphis, ac patinis. Pannos curabat nemo, nisi qui reperti fuissent eximij, ne se grauaret impedimentis parum fructuosis. Hoc modo primum potitus est Morea Sultanus Murates, anno post extinctum

C. 1438. prophetam Muhametem ıↄ ccc xlii.

Secũdum hæc inauspicato profectus fuit in Vngariam, iussu Sultani Muratis, & occisus ab Vngaris † Imbre-hor Mesites begus; quo tempore Cula Schahin Europææ Rumiliæ beglerbegus erat. Is Sultanum adloquẽs: Iancus ille Gaurus, ait, o Sultane, vereque martalosus & explorator infidus, insidiarũq; plenus, magnam famulo tuo, Mesiti bego, iniuriã intulit. Siquidem hoc mihi mãdare volueris, ibo; Mesitisq; necati mortem vlciscar, & merito supplicio Gaurũ illum adficiam. Placuit Sultano Culæ Schahinis institutum, ideoq; potestatẽ ei fecit expeditionis huiusce suscipiendæ. Præter Europææ quoq; Græciæ copias, ad-

† Pandect. cap. 14. 200. & 228.

iuncta fuit ei pars exercitus Anatolici, cum Akenziis & Genitzaris. Profectus igitur in Valachiã, ibidẽ potare, cõuiuari, genio cepit indulgere. Quæ beglerbegi sui vita quũ proceribus ceteris displiceret, homine compellato: Non hic potandi locus est, aiebãt, nec voluptatibus indulgẽdi, quum in oculis hostẽ habeamus. Cula vero Schahin, ebrius e vino: Si tulipantum, inquit, meum dumtaxat inimicus hic viderit, ad aliquot dierum iter hinc a nobis aufugiet. Vix illud suis respõsum temere dederat, quum exercitus Vngarorum ab improuiso Turcis conspiciendum se præbuit. Tum Cula Schahin præ festinatione bolum, quem habebat in ore, deglutire nõ potuit; sed equo cõscenso, mox retro se fugiturum ostẽdit. Proceres autem Turcici: Quid facere cogitas? aiebant. in hostem nobis eundum, nec fuga capessenda, sed constanter pugnãdum. Castris illi nostris, & tentoriis potiti, sua pro libidine nũc abutũtur. Cula vero Schahin: Nocte dumtaxat hanc exspectetis, inquit. Media quum aderit, hos ego pro merito castigatos interficiã. Obortis autem vespertinis deinde tenebris, non amplius de inuadendis hostibus cogitans, quem illos dixerat formidaturos pileũ siue tulipantum suum, rapiendum eis reliquit; continuo interrogans, an a Danubio procul abessent. Itaque cæsus fuit Turcorum exercitus, anno ıↄ ccc xlv. C. 14[4]

Quum autem Caramaniæ princeps inaudisset, Turcos a Christianis in Europa cæsos & profligatos; magnam ex eo nuntio voluptatem capiens, expeditionem suscepit, qua populos Musulmanos, quotquot æstiuos menses exigunt in monte, cui nomen Emir-Dagi, hoc est Emirum vel propinquorum Muhametis, ac religiosorum mons siue saltus, inuasit & adflixit; vxoribus eorum, liberisque, tam maribus, quam feminei sexus, in captiuitatem abreptis, aut in exsilium actis. Deinde in oppidum Beg-bazar, quo principis emporium significatur, profectus; id peius etiam tractauit. Ad summam, quocumq; se conferret, ad eam redigebat omnia vastitatem; vt ipsi quoque Gauri crudelius in hostes suos sæuire nequeant. Cõtinuatæ fuerunt hæ depopulationes ad vrbem vsq; Kyotaien, quæ Cotyaium

priscis

priſcis adpellabatur. Quinetiam ab altera parte progreſſus Ancyrã,quæ nunc Enguri dicitur, nec Sifrichiſarem vel Oxypyrgum, nec Polouadinum intactũ reliquit. Præterea caſtrum Ac-hiſar, Græcis Aſprocaſtrum, & opidum Acſcheher, Græcis Aſprapolin, & opidum Begſcheher, quod iiſdem eſt Deſpotopolis, euertit ac diruit.

Hæc ab illo tam immaniter acta quũ Sultanus Murates accepiſſet, non ſuos tantummodo Muſulmanos ad bellum euocauit, ſed etiam ſubditos Oſmanidarum imperio Chriſtianos viciniores iiſdem adiunxit; & hiſce cum copiis ad regiam Caramaniæ Coniam, priſcum illud Iconium, profectus eſt. Princeps autem Caramaniæ fugiens, in ſaxo ſcopuloue quodam ſemet abdidit. Filius quoque Sultani Muratis Aladin Zelebis, cũ militibus ſuis egreſſus, ditiones Caramanicas grauiſſimis detrimentis adfecit; & vrbem, cui nomen Larende, deſtruxit. Ad ſummam, ciuitates hæ regionis illius principes, Conia & Larende, cum vniuerſis regni prouinciis, ad ſolitudinem redactæ fuerunt, ac meram vaſtitatem. Numquam talibus ad illud vſque tempus, inter Oſmaneos & Caramanienſes, vel certatum, vel ſæuitum iniuriis; quibus tamen auctor ipſe Caramanię princeps, Ibrahimes begus, occaſionem præbuerat. Quare culpã denique ſuam adgnoſcens, ſororem Sultani Muratis, coniugem ſuam, cum vezire ſuo, Cara Surure, miſit ad Sultanũ, ſuo nomine veniam ſuppliciter petituros, quem hactenus admiſſorum pænituiſſet, nec vmquam deinceps eiuſmodi motus concitaturum ſcirent. Quaꝓpter ad Sultani Muratis hi pedes prouoluti, rogabant vt ignoſceret, nec obſecrandi finem faciebant, donec ſororem is ſuam adloquens: Tu vero fideiubebis, inquit, pro marito tuo, numquam ipſum poſthac eiuſmodi ſe maleficiis ac perfidia contaminaturum. Illa vero reſpondens: O Sultane felix, ait, nec prioris equidẽ culpæ particeps fui, nec in hac conſenſus vllus interuenit meus: ſed omnia, quæ maritus meus fecit, inſtinctu filiorum Durgutis fecit. Ipſemet etiam culpam modo ſuam adgnoſcit ac profitetur, & a maieſtate tua veniam petit; meque miſit deprecatricem, quæ apud te intercedat, vt delicto ſuo benignus ignoſcas. Motus hiſce ſororis ſuæ precibus Sultanus, ſororio cõdonauit admiſſa, copiiſq; ſecum abductis, e Caramania diſceſſit. Et acciderunt hæc anno poſt prophetæ migrationem IↃ CCC XLVI. Eodem anno filius C.1441.
Sultani Muratis, Aladin Zelebis, mortuus eſt: itemque filius Fenaris Iuſufes Balis, & Zeinal Aladin, Caſis Burchanedinis filius, reb. humanis exceſſerunt.

Ceterum vbi Semendre capta, Turciſque completa fuiſſet incolis: mirificum ex ea re Chriſtiani dolorem perceperunt. Vulcoglius ditione ſua relicta, in Vngariam diſceſſit; & fimbriam veſtimenti regis Vngari ſupplex adprehendens, in eius ſe clientelã dedit, & opem aduerſus Turcũ implorauit. Forte tunc etiam miſſus a principe Caramaniæ legatus ad Vngariæ regem peruenerat. Is in mandatis habebat, vt regi mentem conſiliumque ſui principis exponeret; qui ſcilicet ei auctor eſſet adgrediundi Muratẽ ab vna parte, dum interim ipſe negotium ei facturus eſſet ex altera. Simul vberrimum regi fructum victoriæ demonſtrans: Europęam, inquit, Rumiliam tuis ipſe regnis adiicies, Anatoliam ſibi princeps meus occupabit, nec minus eiectis Vulcoglij regno Turcis, id principi ſuo reſtituetur: quibus rebus effectis, Oſmaneos e medio noſtrum radicitus exſtirpabimus. His inter Vngaros, Caramanienſes, & Vulcoglium, cõſtitutis: tamdem anno Muhametis ab obitu IↃ CCC XLVIII, rex Vngarus, Hu- c
niade Ianco comite, ſuum cum Vulcoglij copiis exercitum cõiunxit. Inde Belegrado tranſito, Alatzechiſarem, (caſtrum hoc altum ſignificat) & Niſſam, & Sarkiuen opida, flammis iniectis, exuſſerunt. Hinc ad anguſtias (Turci Derbentum vocant) ſaltus Iſladini profecti ſunt. Interim Sultanus Murates cũ principe Caramaniæ certis legibus facta pace, rebuſque tranſactis, in Chriſtianos arma conuertit, qui iam Iſladini ſaltus anguſtias illas ingreſſi fuerant, & ibidem conſidebant. Properauit eodem cum exercitu ſuo Sultanus etiam Murates, & diebus aliquot illic ſubſtitit. Erat autem hibernum tempus, alienũ & aduerſum prœliis committendis, & gerẽdis bellis; ideoq; Turci, viribus deſtituti, pugnam

inire nec audebant, nec poterant. Non minus & Christiani viribus exhausti, nec frigori diutius resistere valẽtes, noctem illic dumtaxat vnã hæserunt, ac deinde motis castris abierunt. Erat id temporis Casimes bassa beglerbegꝰ Europææ Rumiliæ, qui missus fuit, vt hostes fugientes insequeretur, & a tergo carpere non desineret. Christiani vero, quãuis illinc discesserant, tamen copias e suis selectas in insidiis abdiderant, quæ Casimæos Turcos secordes ac rerũ suarum negligentes repererunt, interceptos in medio sui circumdederunt, fratrem Chalilis bassæ, Machmutẽ Zelebim, Sanzacbegum id temporis Bolensem in Anatolia, ceperunt. Inde quum Vngari, rebus hisce gestis, itinere festinato discessissent: Casimen bassam, Europææ Rumiliæ beglerbegum, immensis sibi Vulcoglius donis conciliauit, & eo tamdem impulit, vt apud Sultanũ se rursus in gratiam reponeret, ac pacem impetraret. Quod ille quum fecisset, regnum Sultanus Murates, accepta nummorum aureûm ingenti summa, Vulcoglio restituit; filiosque duos, e carcere Tocatensi reuocatos & liberatos, patri remisit, quibus tamen iam ante visus ademtus fuerat. Ingresso deinceps Hadrianopolim Sultano Murati soror, Machmutis Zelebis coniux, pullis induta vestibus, vt in luctu fieri solet, occurrit; & manum osculata, supplex orauit, vt libertati maritus restitueretur. Eius cõmiseratione motus Murates, Machmutem Zelebim ab hostibus pecunia redimi curauit.

Hoc modo reuersus Hadrianopolim Sultanus Murates, Chalilem bassam adpellans: Equidem, ait, mecum ipse statui, filium meum, me viuo, regium in thronum collocare: meis vt oculis ipse videam, quam se fortiter in hostes Christianos sit gesturus. Itaq; mox ad Sultanum Muhametẽ Manissam missus quidam fuit, qui eum arcesseret. Turechan begus, re superiori cum Vngaris prœlio male gesta, captiuus ad arcem Tocatensem, includendus carceri, cui nomen Bedeui Tzardac fuisse diximus, iussu Muratis abductus est. Quippe causam princeps ipse præbuerat, vt Turci cum Christianis confligere suo cũ detrimento cogerentur: & accusabatur præterea, quasi secreto magnam cum Vulcoglio coleret amicitiam, remq; Turcicam hac pugna, desertis fuga suis, ꝑdidisset. Veniente secundum hæc Sultano Muhamete, Sultanus Murates eum sponte sua regio collocauit in solio, semetipsum abdicans imperio, Chalilemq; bassam Muhameti adiungens, qui apud ipsum Veziris & consiliarij munere fungeretur. Doctum quoq; virum, Meulanam Husreuen siue Chosroën, Casi-askerim & iudicem exercituum maiorem creauit: cetera suo loco, velut erant ordinata, reliquit. Ipse sumtis secum, Hamza bego, qui serabdar, hoc est, a poculis erat, & Ishaco bassa, Manissam ꝓfectus est, vltro principatꝰ & imperij possessione dimissa.

Quum autem illic Sultanus Murates iam sibi domiciliũ constituisset, ac filius Muhametes regnum loco patris administraret: Caramaniæ princeps, & Vulcoglius, his auditis, magnopere gauisi, res suas deinceps melius habituras sperarunt. Caramaniæ quidem princeps illico legatum ad Vngarum regem, & ad Vulcoglium misit, qui suo nomine verbis eos huiusmodi compellaret: Cur ita quæso, quiescitis, & otiosi vestrum in hostem estis? præclaram vobis & nobis offert occasionẽ ipsa fortuna, rei prosperrime gerendæ; quæ nobis e manibus ne temere, negligentiaq; nostra, elabatur; omnino cautio est. En Murates Osmanides delirare cepit. Imperium filio tradidit. Ipse cum ludionibus, scurris, mulierculis, in angulis vinearum comessatur, potat, genio indulget, rempublicam flocci facit. Tamdem expergiscimini, & ab hoste vobis illatas tot iniurias fortibus animis vlciscimini.

Hoc Caramanidis excitati classico reges & principes, quos diximus; exercitu collecto, Ianci† regionem ingressi sunt, eaque peragrata, Varnam petierunt. Hic autem Vngariæ Kiral siue rex, illius erat, vt Turci tradunt, regis filius, qui ad opidum Gugerzinlicam olim exercitum miserat; in quo sane, tamquam parum periti rerum nostrarum, prorsus errant. Nam dicere volunt, Sigismundum Vngariæ regem, & imperatorem, filium habuisse, vel nepotem ex filio, filiaue, Vladislaum Vngariæ regem, qui bellum hoc Turcis intulit. Sigismundum ab eis intelligi nomine regis, qui Gugerzinlicam obsederit, ex eo paret,

quod

quod is Columbarium (historici nostri Columbacium adpellāt, Turci voce suâ lingua Columbario respondente) circumsederit,& in vicinis campis Columbariis infeliciter cum Turcis cōflixerit. Huius filius dici more Turcorum posset Vladislaus, Vngariæ Bohemiæque rex, Casimiri Poloniæ regis filius, tamquam nepos siue pronepos Sigismundi ex filia Elisabetha, quæ Alberto Austriaco Augusto, & Vngarorum Bohemorumque regi nupta, filiam peperit Elisabetham, Casimiro Polono regi nuptam, dicti Vladislai matrem. Sed illo tempore Vladislaus alius Vngariæ præerat, Vladislai apud Vngaros II patruus, Casimiri Poloni frater, Iagellonis Lithuani filius, qui primus suæ gentis apud Polonos rerum potitus fuit. Eum seditiosi quidam Vngari, & Germanis infesti, loco Ladislai postumi, ex Alberto Aug. & Elisabetha Sigismundi Aug. filia nati, regem adsciuerant. Itaq; natus error hic Turcorum ex similitudine nominum Ladislai, qui vere Sigismundi ex filia nepos erat; & Vladislai, qui Ladislai pupilli regnum vsurpauerat, nec alia Sigismundum propinquitate tangebat, quam quod ex Heduige Poloniæ regina, Loysi † vel Ludouici regis filia, Mariæ Sigismundi coniugis sorore, natus erat.

Ad rem, quum hic Vladislaus prior Iagellonides, Vngarorum rex, bellū hoc aduersus Turcos moueret, Sultano Muhamete rerū quidem illo potiente, sed imbecillis adhuc ætatis atque iudicij pęne puero, vix annos XV nato cepit vniuersus Turcorum populus contra Sultanum Muratem tumultuari, seditiosisq; propemodum vocibus exclamare, nihil aliud hunc fecisse, dum regno semet abdicaret, quā quod Musulmanorum imperiū suis ipse manibus destrueret. Non leue commissum in hoc ab eo flagitium, quod vniuersæ reipublicæ detrimento sit maximo. Cur in hoc patriæ periculo dormiat? cur otiosus sit? quid tamdē exspectet? Quæ Sultano querelæ suorum significatæ, generosum eius animū impulerunt, vt quieti suæ valedicēs, vtilitatis publicæ causa, serio se compararet ad res gerendas, & Calliopolim ꝓperaret. Eo quum peruenisset, fretum illud maris angustū a Christianis occupatū animaduertit. Itaque versus regionē Cotzailim ꝓfectus, ad arcē Axe-chisar accessit, hoc est albam, vel Asprocastron, quam Turci nūc Anatoli-chisar adpellant, siue castellum orientis, vt † alibi declaratum. † Pandect. cap. 121. Ex aduersa parte Chalil bassa, de mandato Muratis, aderat; & e regione dicti castri orientalis, in Europa cum exercitu suo castra metat' est. Hoc ipso loco Sultanus Bosporum transmisit, & hoc modo cōuenerunt in Europa Turcorū exercitus, animisq; cōfidentib' in Christianos profecti sunt. Properans vero Murates, quāta maxima festinatione poterat, Christianis itinera præcludere conatus est. Tamdem in saltu montuoso propter opidum Varnense coëuntes vtrique pugnauerunt exercitus. Iancus Huniades Anatoliæ copiis oppositus fuit. Temurtasis filius, Anatoliæ beglerbegus, martyr opinione Turcorū factus, occubuit. Multi præterea proceres Sanzaci perierūt. Exercitus Europææ Rumiliæ secessit ex acie, remotoque satis ex interuallo ceteris a Turcorum copiis constitit. Sultanus autem, cum Capilucatu suo, qui prætorianus Turcis est miles, vno collectus loco mansit. Neque poterat vniuersus in vnam redigi simul aciem exercitus vno dūtaxat loco propterea, quod ob vallium colliumque frequentiam locus impeditus, & artior iusto, redderetur. Tamdem Turcis in vtroque cornu partim cæsis, partim fugatis, visum est Vngaro regi perexiguum agmen esse, quod Sultanum Muratem acie sua cingeret. Quare secum ipse cogitans, optatissimam sibi oblatam occasionem capiendi Turcorum principis, excitatis clamore militari suis, in ipsum Muratem, perrupturus agmen illud, quo circumdatus is erat, contendit. Tum Genitzari, regem cum suis irruentem conspicati, suam hinc & hinc aciem soluere. Rex, qua patefactū iter ei fuerat, ingressus est. Mox Sultanini milites equi regij pedes ferierūt, & humi vulneratum prostrauere. Nec mora, descendit ex equo suo quidā Cozza Hizir, & regi caput amputauit; ꝗ summa statim ꝓfixum hasta fuit, excitatusque clamor ingens, celebrādi nominis diuini causa, sicut in prœliis facere Turci consueuerunt. Quare quum milites etiam alij caput hoc interemti regis cōspexissent, ab omnibus denuo collecti partib. & inuadere Christia-

nos,& occidere maximo sane numero ceperunt, ipsis etiam curribus eorum, & impedimētis, in potestatem redactis. Nihilo minus & Christianorum se quodam in loco recollegere copiæ, Turcis denuo facturæ negotium. Sed animosissimi quique Musulmanorum in eos irruentes, quominꝰ coire plures possent, iam congregatos disturbauerunt, & dissipatorum tantam occidere multitudinem, vt magni cadauerum hinc inde iacentium cumuli conspicerentur. Ea res mirificam Musulmanis voluptatem peperit. Arabs quidam, scurra Sultani Muratis, ipso quoque propter victoriam exsultante Sultano, Turechanem begum e carcere Tocatensi, supplice voce Muratem deprecatus, liberare potuit, & obtinere. Proditum hoc quoque litteris, posteaquam victi profligatiq; Christiani terga dedissent, Dauudem begum, qui tunc Europææ Rumiliæ beglerbegus erat, hostes fugiētes integro diei noctisq; spatio persecutum, plurimos Christianos interfecisse. Quumque deinceps vniuersus Turcorum exercitus, saluus & incolumis, & opimis auctꝰ spoliis rediisset, proque more cuncti preces suas dicerent, ac numini gratias agerent: mandasse Sultanū, vti proceres & begi, quotquot e prœlio fuga se subduxerant, vestimentis muliebribus amicti producerentur, & omnibus dignitatibus ac honoribus exuerentur. Tum vero Sultani scurras pro eis intercessisse, veniamque deprecando cunctis impetrasse. Secundū hæc missi fuere quasuis in orbis terrarum partes victoriȩ nuntij, muneribus etiam destinatis ad ipsos principes, in quibus & mancipia capta de Christianis erant. Ad Sultanum Misirensem, quo nomine Turcis Ægyptius adpellatur, internuntio quodam Arabe bego, missi dono fuere Christiani plures, armis induti ferreis, & loricis; vt ex hisce præclaris victoriæ gloriosæ signis aliquod Turcorum nomini decus accederet.

Sultanus autem Murates, cæsis profligatisque Christianis, Hadrianopolim absq; mora reuersus, administrationem imperij, cui prius renuntiauerat, denuo sibi vindicauit, ac filium Muhametem Manissam deduci iussit. Commemorāt autem historiæ, Chalilem bassam, & Ishacum begum, & Isam begum, ceterosque proceres omnes, vnanimi consensu adiisse Sultanū Muhametem, & eidem auctores fuisse, patri regnum vt administrandum offerret. Simul expressis adfirmasse verbis, scire se, patrem minime oblatum a filio regnum accepturū. Posse tamen hunc iis vti verborum cȩrimoniis, velut dicis causa; plenum vt honorem exhibere se patri testetur. Hoc illorum audito consilio, Sultanum Muhametem postridie, quum ad Diuanum, siue concilij publici locum accessisset, fecisse statim hoc, qđ vti faceret, a proceribus pridie monitus fuerat. Sultanum vero Muratem initio quidem præ se tulisse, quasi nollet acceptare, quod offerretur: sed tamdem tamen simulatione quadam vsum, ac si precibꝰ illis obsistere diutius non posset, tam filij, quam aliorum votis cessisse, soliumque regium occupasse. Postridie venatum prodeuntem mandasse suis, vt omnia filio ad iter necessaria curarēt, Sarutzem ei bassam, & Ibrahimem bassam adiungerent, atq; ita Manissam remitterent. Factum hoc ab eis, vti pater iusserat. Hinc Zaganoses etiam bassa, licet masul factus, hoc est dignitate officioq; suo exutus, & Bali-kesren, quod Troadis est Palæocastrum, abire iussus; posteaquam eo se cōtulisset, oturacum tamen suum, siue salarium, (prouisionem vulgo dicunt) veluti rude donatus, retinuit. Hac potiti victoria fuere Turci anno post migrationem prophetæ Muhametis IↃ CCCXLVIII.

Quum autem rebus his gestis, aliquādo Sultanus Murates genio indulgeret; accessit Hamza begus, Iskenderis Arnauti vel Albanensis begi frater patruelis, & Murate compellato: Nuntiatum mihi est, inquit, o felix Sultane, loca tuæ ditionis in Arbanosia quædam ad Ischenderem begum defecisse. Quare si mandas, equidem illuc proficiscar, & arcem, cui nomen Acce-chisar, siue Belegradum, occupatam imperio tuo subiiciam. His auditis, ad Bassas ea de re Sultanus rettulit. Illi vero responderūt, omnino præstare, profectionem vt hanc ipsemet susciperet. Quapropter omnibus ad bellū hoc necessariis adparatis, arcessitoq; Sultano Muhamete, comes vt esset hac expeditione patri; mox itum Acce-chisarem, & arcis obsidio cepta. Fere duobus inde mensibus acriter oppugnando

pugnando

pugnando nihil actum. Tamdem aquæ Silano reperto, qua in arcem deriuata obsessi vtebantur; exhausere scaturiginem Turci penitus, atque ita siti propemodum enectos ad deditionem compulerunt. Prȩda potiti fuere non exigua. Simul hac arce capta, maior etiam pars regionis illius in potestatem venit, anno ɪↄcccʟɪ.

Volebat Sultanus Murates, hanc in Arbanosia victoriam consecutus, exauctorare militem. Sed nuntiatum Vidino fuit, Vngaros maximo cum exercitu & adparatu bellico iam domo profectos, in eum tendere. Quapropter & ipse recta Sophiam profectus est, & Europææ Rumiliæ copiis facultatem abeundi domum cuique suam concessit: Anatolicis præcepit, vt domum suos quosdam homines in Asiam mitterent, qui necessarias expeditioni suscipiendæ singulis expensas e timariorum prouentibus adferrēt. Interim ad Sophiam ipse cōsedit.

Hinc ei significatum fuit, via Taurunensi, vel (vt modo vocatur) Belegradēsi tantas ex Vngaria Christianorū venire copias: vt earū numerus fine carere videatur, nulloq; suorū domi relicto, cūcti ad bellū hoc gerendū prodiisse credantur. Quibus auditis, aiebat Sultan⁹ Murates, a diabolica Vulcoglij malitia totā hanc expeditionem esse profectā. Simul explorari iussit, quinā essent in hoc Christianorū exercitu viri principes, q̃ duces eximij. Missus igit̃ hoc nomine fuit Dogan quidā martalosus, hoc est explorator. Is versus hostiū castra se cōtulit, & ipsorū res speculat⁹, ad suos rediit, ac huiusmodi q̃dam de statu rerū hostiliū retulit: Ex præcipuis, q̃ veniāt, vnū esse Banū Poloniæ; alterum, Banum Bohemiæ; tertiū, Banum Vulcum; quartū, Banum Ceculorum. Hos omnes & singulos esse magnæ principes auctoritatis, & Vngariæ p̃sertim regnorū Gubernatores, instar regū; qui nō minores, quā reges ipsi, cogere possint exercitus. Omnium vero malorū, quæ Turcis imminere videantur, auctorē esse, verūq; fontem ac radicē, Iancum illum *Huniadem; qui cum copiis reliquos, ceu dux itineris, antecedat. Audita Murates exploratoris relatione, numinis se benignitati fidere dixit; rectaq; perrecturus in hostē, Sophia discessit. Iampridē enim cunctis e regnis

ac prouinciis suis exercitū & ipse numerosissimum coëgerat, adeoq; subsidiariȩ ab ipso quoq; Caramanoglio missæ copiæ venerant. In itinere voluit Sultanus Murates, vt ferreis armis & loricis induti suo in exercitu, ab illis secernerentur, qui talibus armis carerent. Quumq; milites suos recte videret armatos, duci exercitus a Caramanoglio missi, significari iussit; vt & ipse suos lustrandos cogeret, quo distincti ab inermibus ij, qui arma ferrea gestarēt, tanto facilius cōspici possent. Fecit ille, q̃ imperatum fuerat; militibusq; collectis animaduersum, sellas eorum equestres nullius esse pretij, pellibus ipsos indutos esse rusticorū more, zonis cinctos e funibus factis, tulipantis eorū capita rotundis & male compositis inuolui, scalas siue stapias e subtili corio sellis adnexas pēdere, gladios funibus alligatos gestare. Nimirum miserat Caramanoglius, quotquot inuenire potuerat abigeos ac fures equorum in regione Durgutensi. Sultanus autem Murates, his lustratis, in risum effusus: Retineat, inquit, exercitum suum sibi, nec auxiliares in posterum mihi copias mittat. Linguam modo cohibeat, nec duplex sit, & suo se loco contineat.

Secūdum hęc in hostem perrexit, firmo cū animi proposito cōmittendi aduersus eos prœlij. Quumq; peruenisset ad locum, cui Cursunli Kenisse nomen; intellexit, Christianos in campo Cosouā suis cum copiis cōuenisse. Quapropter eodem se conferens, die Veneris, in ipso solis ortu, ad Christianos accessit. Vbi primum copias eorum suis inspexisset oculis, statim ex equo descendit, & more Musulmano preces inclinationum (sic genuum flexiones vocant) duarum concepit, facieque ad terram allisa: Mi Deus, inquit, paucos hosce numero, si cum hostibus conferantur, Musulmanos tuos, ac pæne perditos, propter peccatorū meorum multitudinem a Gauris interfici ne patiaris; sed potius in honorem dilecti Muhametis tui defensos conserua. Precibus absolutis, mox pugnæ desiderio accensus, in equum insiliit, & Christianos cum suis inuasit. Acerrimum vero commissum mox prœlium fuit, & vexilla complura Christianis erepta. Ad vesperam vsque toto die prœliatum, ac tota nocte

[Margin notes: ...e Banis ...inde ct. cap. / *Huniad ...urati Dra... ...mano scri...]

rursus ad diluculum continuatæ cædes. Nec tantis satiati cladibus, etiam postridie, qui Saturni dies erat, infestissimis armis concurrerunt. E Turcis multi proceres interfecti, martyribus ipsorum adgregati fuerunt. Non minore numero Christianis ex aciebus illustres nobilesque viri cæsi perierunt, capti non pauci. Iancus fugæ beneficio saluus euasit. Vulcus Banus & ipse cum filiis terga dedit. Quem intelligant hoc nomine Turci, equidem diuinare non possum. Superstes erat id tēporis adhuc Georgius Vulcoglius, Seruiæ Despota; sed initæ cum Murate pacis legibus insistēs, huic prœlio noluerat interesse. Constat tamen eum patrocinio regum Vngariç se commisisse, clientemque regni factum. Vnde coniectari lubet, alij datum fuisse titulum Banatus Seruiæ, siue regni Vulcogliani, quū ipse Christianis adesse hoc prœlio, cum offensa Muratis, nollet. Ac monuimus* alibi, reuera ceteros inter Vngarici regni Banos, etiam recenseri Seruianum.

* dicto cap. 174 Pandect.

Nec desunt hoc loco quædam, ex ignoratione Turcorum profecta; veluti quum Poloniæ Bohemiæque Banos, procerum Vaiuodarumue loco, nominant. Ita Ceculos, gentē Transsiluaniensem, ceteris ab incolis Sassiis siue Saxonibus lingua moribusq; diuersam, gubernatorem pręfectumue quemdam habuisse, non infitiamur; Bano peculiari paruisse, negamus. Tamen heic Ceculorum Bani fit mentio, quem auctor historiæ refert hoc interfectum prœlio periisse. Polonum ait siue Banum, siue Vaiuodam, in hostis venisse potestatem, sed dissimulasse, quis esset. Distractum inde pluribus in locis, & tamdem libertati, Turcis imprudentibus, restitutum. Ceteri Christiani partim, ait, occisi sunt, partim capti. Bohemum denique regulum narrat a Turcis captum, & ad ipsum Muratem perductum. Adhibito interprete, Sultanus ei dici iussit; scire se cupere, quamobrem ab se nulla lacessitus iniuria, fines suos hostiliter ingressus fuisset. Respondit, fatali quodam casu factum, vt in eiusmodi captiuitatem incideret. Dicturum se tamen aliquid Sultano, si potestatem loquendi faciat. Adnuente Sultano: Primum, inquit, tibi polliceor; me, quoties imperaueris, ad quinque militum selectorum millia tibi adducturum, quibus in hostes tuos vtaris. Deinde patebunt arces tibi meæ, cum ditionibus & agris suis. Tributum quoque tibi singulos in annos soluam, quod exigere per tuos homines poteris. Omnia denique meis in ditionibus ex canonica lege tua Sultanina statuentur & administrabūtur. His auditis, subiecit Sultanus, se verbis ipsius nullam adhibere fidem, nec oblatis indigere. Regulus autem Christianus: Quisquis, ait, in regem adeo felicem, qualem esse te video, bellū mouet, & arma gerit; quasuis pœnas, quæuis supplicia meretur. Tum Murates strictum suummet acinacem carnifici tradens, ceruices homini absque mora præcidere iussit. Regulus autem Christianus: Vtinam, inquit, o felix Sultane, tua manu moriar. Sum enim & ipse vir magni loci atque ordinis. Caue, me vilis homuncionis manu confici iubeas. Iis verbis Sultano per interpretem redditis, significauit ille denuo carnifici sentētiam suam, qui mox ei caput amputauit. Incidit illustre prœlium hoc in annum a migratione prophetæ Muhametis IↃCCCLII. Sultanus quoq; Muhametes huic pugnæ, Manissa iussu patris euocatus, interfuit. C.144

Posteaquā Sultanus Murates e prœlio campi Cosouani victor ac triumphator Hadrianopolim reuersus aduenisset, arcessito Chalile bassa: Volo, inquit, filius vt meus Muhametes vxorem iussu meo ducat. Nosti Suleimanem begum, Dulgadiris filium, principem Turcomanum, bonis ornatum moribus, qui sincerā nobiscum amicitiam colit. Eius vt filiam cōiugio sibi copulet, volo. Respondit Chalil bassa, probari sibi sententiam hāc Sultani de filij nuptiis, ceu bonam, nec abhorrentem ab vtriusq; gentis dignitate. Statim ergo mandatū fuit, vt Hiziris Agæ coniux ad Suleimanem begum Amasia mitteretur. quç quidem iuit, quo iussa fuerat, ac Suleimanem begum conuenit. Erant id temporis Suleimani bego quinque filiæ, quas omnes & singulas ad illam matronam deduci iussit. Ea vero singulis inspectis, vnam, quæ sibi placuisset, elegit; illamq; manu prehendens, geminos ei, pro more gentis, osculata est oculos. Hinc ad Sultanum reuersa, benignos mores, humanitatem, ciuilitatem Suleimanis begi, & singularem

rem erga Sultanum obseruantiam, cum ipsius puellę formam venustisq; moribus, & indole, prædicauit. Adquiescens relationi mulieris & iudicio Sultanus Murates, denuo cum eadem illa matrona, Hiziris begi coniuge, quorumdam aliorum vxores nobilium & procerum regionis Rumiliæ superioris Asiaticæ misit, & iisdē regulos etiam illustres & magnificos adiunxit. His aduentantibus obuiam profectus Suleiman begus, honorē & cultū maximū exhibuit, hospitij locum splendidi tribuit, pro more lautissimis & sumtuosis epulis excepit, omni beneuolentia complexus amplissimis etiam donis liberaliter coluit. Hinc traditam Hiziris vxori filiam, dimisit. Ea vero matrona quū sponsam Hadrianopolim adduxisset, Sultanus sponsæ tanti pretij munera largitus est; vt adlata puellę dos, cum his comparata, prope nullius esset æstimationis. Secundum illa celebratæ fuere nuptiæ, quarū ornandarum causa, diuersis e mundi partibus inuitati comparuere principes, reguli, begi, iudices, Iurisconsulti, legis Muhameticæ doctores, domestici & externi, priuati & publici: variisque beneficiis tam pauperes, quam diuites, adfecti fuerunt. Ipsum denique vulgus abunde ferculis & cibis optimis exsaturatum fuit.

In hunc modum expositis hactenus rebus gestis, & vita Sultani Muratis; epilogi denique loco tam indolem ipsius eximiam, quam virtutes singulares, cum earumdem effectis, quæ merita sunt in homines, & sacræ publicæque structuræ, commemoremus. Erat igitur Sultanus Murates imperio suo subiectis, qui fortunæ tenuioris essent, instar boni pastoris; militibus, & aliis nobilioribus, amabilis & gratus. Professores quarumlibet disciplinarum iurisperiti, sanctæ homines & innocentis vitæ, religiosi, pauperes, ipso regnante perquam honorifice tractabantur, & in quiete summa tranquillitateque degebant. Quæcumque tamdem laudes ei tribuantur, infra meritum ipsius existimari debent. Diligenti vniuersas regni sui partes cura complectebatur, collabentes structuras erigebat, dirutas redintegrabat, parietinarum instar ob vetustatem deformatas instaurabat. Hadrianopoli, quæ Osmanidarum est regia, templum maius, (Zumam Turci dicunt) vna cum imareto, duabusque medressis, ac gymnasiis insignibus, exstruxit. Burusæ sumtuosum ædificauit imaretum, cum meschita, & gymnasio. Condidit etiam opidum ad fluuium Ergenen, & imaretum in opido, cum templo maiori. Præterea ponte constrauit idem flumen, ad indicatum Ergenis opidum in Thracia, centum & septuaginta pedes longo, cuius similem se vidisse negant multarum periti regionum viatores. Adde his imareta plurima, pro viatoribus & religiosis ab eo facta; multaque balinea, Zumas, religiosorum Zauias siue cellas, & medressas pro iis, qui litteras docent ac discunt. adeoque nemo tam regum, quam padischachorum, qui ante hunc apud Turcos rerum fuere potiti, testimonia magnarum virtutum, ac monumenta post se reliquit illustriora. Præterea singulis annis * Cuzzimu-barecum siue Ierusalemam, & ad locum Abrahami prophetæ, templumque Dei Meccanum, aureos ter mille quingentos mittebat. In Ancyrana vel Engurensi prouincia subassæ prædium quoddam, cui nomen Balic-hisar, cum pagis ac villis aliquot, pauperibus dictam vrbem Meccam inhabitantibus ex voto donauit, & annuo canoni soluendo in perpetuum obligatum esse voluit. Quacumq; demum in vrbe degeret, quotannis in editos familia prophetæ Muhametis aureos mille sua manu distribuebat: ac die Veneris, quo Musulmani festum suum hebdomadarium celebrare consueuerunt, in egentes liberalitatem exercere, donandis munusculis, (eleemosynas a commiseratione Christiani, vocabulo Græco, vocant; Turci Corban, quod sacris in litteris etiam nostris reperitur) ad mortem vsque non desiit.

* Pandect. cap. 210.

Mortē ipsam quod adtinet, hoc modo Turci Muratem rebus humanis excessisse prodiderunt. Exierat aliquando Sultanus Murates in Hadrianopolitanam insulam, animi causa, nonnihil vt exspatiando se recrearet. Insula vero Hadrianopolitana vocatur interiectum fluminibus duobus, Meritzæ Tunsæque, spatium; quod amœnos admodum hortos, campos, & prata complectitur. Ad seraium vero suum reuertens, haud procul a pontis initio, quo lapideo

ſaneque pulcherrimo dicti amnes in ipſa transſeũtur inſula, religioſum quemdam ſedere vidit. Accedentem propius Sultanum religioſus ille cõpellans: Heu mi Sultane Murates, inquit, pænitentiã agito. Quippe conſtituta tibi mortis hora non procul abeſt a termino ſuo. Hæc ab illo ſibi religioſo denuntiata quũ audiſſet, Sarutzem baſſam, qui præſens aderat, alloquens: Sis mihi teſtis, ait, o Sarutzes, quod omnium peccatorũ meorum nomine pænitentiam egerim. Aderat etiam ex altero latere Ishacus baſſa, quem itidem adpellans: Te quoque teſtem, inquit, eſſe volo actæ a me pænitentiæ. Rurſus eumdem Ishacum interrogans: Hiccine tibi notus eſt religioſus? ait. Noui hominem, mi Sultane, reſpondit. Buruſæ degit, & vnus eſt ex Emiris Sultani diſcipulis. Hunc Emirem Sultanum ſciant lectores habitum a Turcis fuiſſe pro viro ſancto, Muhametis e proſapia nato, (nam iis Emirum tribuere nomen ſolent) cuius adhuc Buruſæ monumentum ac ſepulcrum exſtat. Multis eum Muſulmani claruiſſe miraculis fabulantur. Superius etiam in his libris proximis eius mentio reperitur. Sultanus ergo Murates, his auditis, ſeraium ſuum ingreſſus, capitis dolorem ſentire cepit. Elogium ſupremæ voluntatis, ſiue teſtamenti tabulas, iamdudum condiderat, ac perſcribi curauerat. Hoc tempore dumtaxat filium ſuum, Sultanum Muhametem, vltimæ ſuæ diſpoſitionis exſecutorem; Chalilem vero baſſam, teſtamentarium nuncupauit inſpectorem. Tribus omnino diebus decubuit, ac die quarto, qui tunc nouilunij dies erat, menſis Mucharenis, peruenit ad aures eius (Turcorum phraſibus vtor) hic Alcuranicorum verborum ſonus: Abi, ad dominum tuum proficiſcere: ſtatimque ſpiritus eius hinc migrans, ad diuini numinis viciniam ſe contulit. quod quidem accidit anno poſt exceſſum e terris prophetæ Muſulmanorum,
C.1450. IↃ CCCLV. Ætatem exegit in adminiſtratione regia, ſummo cũ honore ſuo, meritiſque laudibus, annis XXX, VI menſibus, & VII diebus. quod tempus prope totum pugnandis aduerſus Chriſtianos, tuendę propagandæque Muſulmanæ ſuperſtitionis cauſa, prœliis conſumſit.

Nati Sultano Murati fuere filij ſex, his ordine nominibus: Achmetes, Alis, cui nomen Aladinis ſuperius tributum hoc libro fuit, Muhametes in regno ſucceſſor, Haſen ſiue Chaſan, Vrchan, & Cutzug Achmet, hoc eſt Achmetes minor, ſiue ſecundus, ex Isfendiaris begi filia prognatus. Is Amaſiæ diem ſuum obiit, & ibidem in monumẽto filiorum Sultani Muhametis primi, Sultani Baiaſitis I filij, ſepultus fuit. Itidem Sultanus Alis, quem Verantianus interpres, Annales Beccani, Murates ipſe Dragomanus paullo ante, nominant Aladinem, (vnde colligitur, Alis nomen ex Aladine deminutum, quod initio IIII quoq; libri monebamus) Amaſiæ rebus humanis exceſſit. Nec illatus tamen iſtic illi monumento, quod diximus; ſed cadauer eius Buruſam deportatum, & ad Sultani Muratis pedes collocatum ſepultumque, pro cõſuetudine Turcica fuit. Hadrianopoli Chaſan & Vrchan exſpirarunt, ac propter amnem Tunſam, in templo medreſſaque Darulis cuiuſdam Hadiſis, fuere conditi. Solus (verba Turcorũ interpretor) illud æui ſui pulcherrimum decus, & honeſtamentum Oſmanei generis, Sultanus Muhametes Chan, ſuperſtes manſit: quem numen cæleſte Sultanatus dignitatem mereri perſpexerat, quoque regnante res Oſmaneas inſigniter beare decreuerat.

Quum autem Sultanus Murates eo, quo dictum, obitu vitam in terris ſuam clauſiſſet: totis XIII diebus occultata mors eius fuit, nec vlli mortalium a ſuis reuelata. Curabãtur interim ad Portam omnia, more ſolito. Litteræ, cum mandatis, expediebantur. Regni negotia publica, priuata, minime neglecta iacebant. Medici cottidie, variis cum pharmacis ſuis, ad cubicula Sultani decumbentis (ſic enim palatinis ipſis, & prætorianorum quoque vulgo perſuaſum erat) itabant.

Adpulit tamdem Hadrianopolim Maniſſa Sultanus Muhametes, menſis Mucharenis die XVI, qui Iouis dies erat; & regium, pro more, tachtum ſiue thronum occupauit. Nec a militãtibus ad Portam, ceteriſque, cognita Muratis Chanis mors alia via fuit, quam ipſo Sultani Muhametis aduentu. Secundum hæc patris ſui funus illico Buruſam deduci,

duci, & monumento propter fratrem minorem, (Cutzug Mustapha dubio procul, Muratis ipsius frater, intelligitur) ex Isfendiaris filia natum, inferri iussit. Ipse regni ad gubernacula sedens, iusticiam & æquitatem suis, per vniuersum imperium, subditis administrare cepit.

IO. LEVNCLAVII

HISTORIAE MVSVLMANAE TVRCORVM LIBER XV.

DE MVHAMETE SECVNDO.



MVHAMETIS secundi vita, quam nunc adgredior, ita reperitur in vtroque, tam Verantiano, quã Haniualdano codice, descripta; dumtaxat vt initio diuersa quædam tradantur, & ab hoc quidem exposita pleniori nõ pauca stilo; ab illo, magis adnotata succincto: cetera prorsus ex iisdẽ hausta redditaq; Turcorum cõmentariis, liquido pareat. Hac de causa Muhametem vtriusque separatim non dabimus, sed belli dumtaxat Caramanici & Constantinopolitani expositiones, veluti non parũ inter se differẽtes, ex vtroq; codice transscribere decreuimus, vt cõparari ab auctoribus ambobus exarata possint. Quæ vero deinceps ad mortem Muhametis vsque sequuntur, quũ in vtroque prorsus eadem sint, vna tantummodo narratione cõplectemur; ne sine fructu bis eamdẽ, quod dici solet, cũ molestia tædioq; crãben lectorib⁹ adponam⁹.

Itaq; post mortem patris initia regni Muhametis huiusmodi fuisse, de Verantiano cõmentario licet intelligere. Sultanus, inquit, Muhametes magno cum triumpho, nec minore subditorum adplausu, paterno successit in imperio; mẽse Muchatene, die Iouis, qui decimus & sextus illius mensis erat.

Primus inde Caramanoglius arma corripuit, & ditionis Osmaneæ partem aliquam occupare cepit. Idem Sultanus etiam Muhametes fecit, illato vicissim Caramanidi bello. Tamdẽ ei Caramanoglius Ibrahimes begus occurrit, & interpositis personis quibusdam, cũ Muhamete transegit. Pace facta, Sultanus Muhametes Hadrianopolim profectus, seraium siue palatium regium ad Tunsam flumen, anno ICCCCLV cepit extruere. *Chr.1450.*

Secundũ hæc nouum Sultanus Muhametes exorsus est bellum, armis in Constantinopolim conuersis: quum inchoari structurã arcis Kessen-hisari, qua voce faucium arx significatur, (Græci Læmocastron dicunt) imperasset. Arx ea supra Galatam est sita, fuitque iussu Sultani Muhametis anno post extinctum prophetam Musulmanorum ICCCLVI, fabricari cepta. *Chr.1451.*

Hadrianopolim deinde concessit, & tormenta bellica fieri curauit, præsertim longa, serpentium instar, quas & serpentinas vocãt. Simul in omnes imperij sui partes mandata misit, quibus maximas colligi militum copias præcepit; & inter ceteros, Genitzarorum XCIↃ, cum XXCIↃ Azaporum, & aliis. Inde tormenta bellica, quæ Hadrianopoli fundi curauerat, quadrigis & curribus imposita vehi iussit, alligatis ad currus aliquot centenis bobus; ad quos accedebat etiam labor hominum, qui funibus eadem tormenta trahebant, donec Constantinopolim peruenissent. Illic ad oppugnationem suis quęque locis disposuerunt, ac versus muros vrbis hinc inde distribuerunt. Simul iisdem displosis & exoneratis, turres mœnibus adiunctas, & ipsas mœnium pinnas humi prostrauerunt. Hinc iuxta Galatam, vltra collem quemdam monti similem, transportari L vel LX naues in sicco curauit, explicatis velis, ac si medio in mari progrederentur. Hominum autem opera trahebantur hæ naues in illum maris sinum, quem Constantinopoli & Galatæ interiectum, Ceratinum

† Pandect. cap. 127.

† siue Cornutum vocant. Christianis vrbem propugnãtibus auxiliares quędam aduenere copiæ Francorum, hoc est, Italorum. Itaque totis viribus enitebantur, ne hostis vrbe potiri posset. Tamdem Sultanus Muhametes nutu Dei cepit vrbẽ, quũ militibus eam se diripiendam concedere dixisset. Tũc enim partim illecti prædæ cupiditate, partim indignitate cladium acceptarum impulsi milites, in vrbem vi summa perruperũt; & Christianis vltore gladio cæsis, vxores eorum, & vtriusque sexus liberos cepere viuos, vrbemque fœdum in modum diripuerunt. Venit autem Turcorum in potestatem Constantinopolis die vigesimo mensis Rebiul-euel, qui dies Martis erat, anno Muhametico ıↄ ccc lviii.

C.1453.

Hæc pauca de Muhameticæ gubernationis initiis exposita libro Verantiano continentur. Murates vero Dragomanus in hanc sententiam pleraque copiosius e Turcorum monumẽtis exscripsit. Sultanus, ait, Muhametes primo diluculo diei septimi mensis, qui Rezeb Turcis nominatur, anno post migrationem prophetę Muhametis ıↄcccxxxiii natus, anno deinceps ıↄ ccc lv, die xvi mensis Mucharenis, in auito patritoque Sultanorum solio consedit.

C.1431. Chr.1450.

Vix regnum auspicatus, administrandæ populis iusticiæ ceperat operam dare; quum nuntiatum ei fuit, Caramaniæ principem, Ibrahimem begum, quosdam improbos, sua natos familia, sed Venere partim vaga, partim adultera, secum habere: quorum vni nomen Germeanoglij dederit, & filium suum adiunxerit, vti cum exercitu Cutaiien eum deduceret; alteri nomen Aidinoglij tribuerit, & militibus instructo potestatem fecerit, regionem Aidin-ilim occupandi; tertium Mentesoglium adpellans, Mentesium inuadere regnum iusserit: dum interim ipse cum exercitu* Alasarem, vel Ala-hisarem oppugnatum pergeret. Erat id temporis Anatoliæ beglerbegus, Isa begus, Vsguris filius. Is Caramaniæ principe regionem suæ creditam fidei depopulante, misit e suis quemdam ad Sultanum Muhametem, qui ab eo veniam pugnãdi aduersus Caramanoglium peteret. Sultanus autem, cum veziribus suis, adsentiri postulato propterea noluit; quod officio vix hominem illum satisfacturum putaret. Statimque Muhametis ex decreto Masul factus est, dignitateque sua cum officio exutus. Ipsius autem loco Ishacus bassa, veste primum honoraria donatus, officium beglerbegatus Anatolici consecutus est liberali Muhametis munere; qui & baratum siue mandatum, eo nomine scriptum, a subditis vti reciperetur, pro more confici, & Ishaco tradi iussit. Sultanus etiam Muhametes ipse cum suis Burusam profectus est, cuius aduentu cognito, mox illi nothi spuriiq; diffugerunt, & in Caramaniam reuersi sunt. Quum autem ad opidum Acscheherim Muhametes progressus esset, occurrerunt ei tam Acscheheris, quam Genischeheris ciues, vltroque se in fidem recipi postularunt. Ibrahimes begus, Caramaniæ princeps, aufugit; & intra saxosas rupes se recepit. Deinde preces illas pristinas repetere cepit, quibus eorum se pœnitentia ductum, quæ perpetrasset, nihil aliud orare testabatur, quam vt supplici parceretur. Misit etiam ad Sultanum, qui suo dicerent ei nomine: Patrem ipsius, & auum, quotiescumque Caramaniam cum infestis armis ingressi fuissent, eamque suam redegissent in potestatem; tamen ex commiseratione, benignitateque singulari, spoliatis eam principib⁹ restituisse. Nũc etiam rogare Caramanoglium, eadem vt sibi gratia fiat. Offerre se vicissim Sultano Muhameti filiam suam, sanncteq; pmittere, quotannis suas missurũ copias, quemcumq: tamdem visum Muhameti fuisset illis in hostem vti. Quibus ad extremum addidere legati, se quoque pro suo principe supplices intercedere; certoq; sibi de clemẽtia Sultani Muhametis polliceri, semel adhuc maiestatẽ suam ipsi delictum hoc condonaturã. Hac oratione Sultanus Muhametes ita placari se passus est, vt absq; mora Machmutem begum Cassabis filium, ad Caramanoglium, belli componẽdi, fœderisq; renouandi causa, mitteret. Is ad Caramanidẽ profectus, iusiurandum ab eo, nomine Sultani Muhametis, exegit; quo sancte promisit, se numquã in posterum aduersus Osmaneam familiam vllas vel suscepturum, vel exercitũrũ inimicitias. Itaq; Sultanus Muhametes, pace cum Caramanoglio recõciliata, Burusam feliciter reuersus

* Pandectis cap. 50.

reuersus est. Posteaquam illuc peruentum esset, prodeuntes in Sultani conspectum Genitzari omnes, atque ordine consistentes, donatiuum ab imperatoris liberalitate petierunt. Hos Sultanus intuens, nō parum excanduit, ira tamen dissimulata; quandoquidem Chadumes vel eunuchus Schech-Abedin bassa, Turechanque begus, ei iam ante prædixerant, quid essent facturi Genitzari. Refertos tamen aspris saccos decem in eos distribui iussit, postque dies aliquot Curtzim Doganem, qui tūc Genitzarorū Agę siue tribuni nomine fungebatur, ad se deductū, grauiterq; verberatū, officio deiecit; idq; Mustaphæ bego curandum dedit. Nec minori seueritate centuriones, quos Iaia-bassas dicunt, tractari verberariq; iussit. Hinc Ishacum bassam in regionem Mentesiam misit. Is Veisis Menteśoglij filium, Iliam vel Eliam begum, ea prouincia penitus expulsum profligauit; ac deinde Cutaiien, in qua vrbe velut Anatoliæ beglerbegus degere solebat, abiit.

Reuersus autem Burusam e bello Caramanico Sultanus Muhametes, recta Calliopolim traiicere cogitabat, vt Hadrianopolim inde pergeret. Sed nuntiatū ei fuit, fauces illas Calliopolitanas id temporis a Christianorum nauibus obsideri. Quamobrem Muhametes, auctoribus consiliariis suis, per Cozza-ilianam prouinciam Bithyniensem profectus, supra Constantinopolim ad arcem Acce-chisar (Albam significat, vt e regione posita trans Bosporum, Cara-Cula siue nigra turris & arx dicitur) peruenit; & quo pater ipsius ante paucos annos, eodem & ipse loco traiecit; ac in Europoeo litore, prorsus ex aduerso dictæ arcis Anatolicæ Accechisaris, castra metatus consedit. Hinc Chalilem bassam adpellans: Mi Lala, mi tutor, inquit, hoc in loco necesse est arcem exstruamus. Statimque præcepit, vt illic arx noua, Turcis †Geni-chisar, & Genitze-chisar, Græcis Neocastron adpellata, conderetur. Arcis etiam nunc indicatæ, quæ sita trans Bosporum est in Anatolia, refectæ fuere turres, & arcem vtramque, tormētis impositis, ita muniit Muhametes: vt ab eo tempore nulla possint inter ambas, inuitis harū præsidiis, transire nauigia. Nouæ demum arcis absoluta structura, misit eo Sultanus Muhametem begum Ac-zapluem, qui perpetuis excubiis in omnes intentus esset, quotquot extra Constantinopoleos portas prodirent, & eorumdem armenta cum gregibus abigerent; tamdē vt vrbis portas ipsimet occludere cogerentur. Arcis non structura tantummodo, sed etiam munitio contra vim quamuis, eo curata fuit anno, singulari Sultani Muhametis studio; rebus in eam necessariis omnibus inuectis. Numerabatur autem ab interitu prophetæ Muhametis, quum Genitze-chisar conderetur, annus ccclvi. C.1451.

Posteaquam ædificata primum, deinde rerum omnium adparatu bellico peridonee instructa, durantibus adhuc hibernis mēsib⁹, Geni-chisar fuisset: adpetente iam primo vere, Sultanus Muhametes eumdem Chalilem bassam adpellans; Mi Lala, mi tutor, inquit; plane mihi degendū Constantinopoli hac erit æstate. Quū autem princeps Constantinopolitanus adparatum Muhametis, & sequuturam mox obsidionem vrbis intellexisset: consiliarium suum eximium ad Sultanum legati nomine misit, ac pacem ab eo postulauit. Is legatus a Turcis Kirloca, Chir Lucas a Philippo Gundelio V. C. Laonici non editi interprete, Leontares etiam, Notaresque nominatur in eodem Laonico typis excuso, velut imperatoris Græci primarius iudex, vt idē Chalcocondyles refert. De Chir Luca, & Kir Loca, dicam vno verbo; nomen hoc ei proprium fuisse, non gentilicium, lingua Græca vulgari; qua Kyr Lucas, dominū Lucam significat, quem Græci veteres Kyrion Lucan dicebant. Quidquid hic Kyr Lucas, imperatoris sui nomine Muhameti offerret, quidq; ageret, impetrandæ pacis causa: nihil omnino Muhametes admittere, nullam pacis ineundæ condicionem tolerabilem audire volebat. Venit tamdem maximo cum adparatu bellico, cunctisque rebus ad expugnandam vrbem idoneis; exercitu secum adducto longe numerosissimo, qui ex omnibus imperij Muhametis finibus ad hanc obsidionē vltro cōfluxerat. Versus muros & portas terrestres vrbem copiis suis circūfuderunt exercitus Europæi & Anatolici. Triremes armatæ, numero cccc, mari clau-

κῦρ λουκᾶς. κύριος λουκᾶς. Pandect. cap. 59. de Cyriscelebi.

debant obsessos intra vrbem, ne qui vel ingredi vel egredi possent. Naues etiam LXX e regione vrbis, propter Galatam, vltra montes illos transuectæ, velis expansis, inaudita cum industria & artificio per decliuia demissæ fuerunt in sinum maris, Constantinopoli & Galatæ interiectum, quem Ceratinum vocant. Hæ deinde milites armatos trans indicatum sinum in terram, subter ipsos vrbis muros, exposuerunt; vt scalis secum adlatis eos conscenderent, illo ipso momento, quo alibi mœnia turresque terrestres expugnabantur. Idem ille sinus etiam ponte cōstratus fuit, vt tanto plus negotij Byzantinis, & pluribus quidem e locis, exhiberetur. Princeps vrbis, Cōstantinus imperator, cum cōsiliario suo Kyr-Luca, suis auctor erat, vt vrbis deditio mature qualibuscūq; condicionibus fieret. Sed obstabant Itali, qui se dimicaturos summis aiebant viribus, nec ꝑmissuros, vt absq; sanguine hostis vrbe potiretur. Pugnatū vtrimq; totis L diebus & noctib. continuis. Ad extremū die quinquagesimo primo Sultan⁹ militi suo potestatē vrbis diripiendæ fecit, quę res ita Turcorū animos excitauit, vt in vrbem absq; mora vi perrūperent. Accepimus vrbē oppugnari ceptā anno Muhametano

C.1455. IↃCCCCLVII, die XVII mensis Rebiul-Euel, tamdē XX die mensis Turcici Tzemasiel-Euel, qui dies Martis erat, matutino tempore hostiū in potestatē venisse. Tum vero sæuitū in vrbe nullo nō immanis grassationis genere. Principi Cōstantinopolitano caput amputatū, Kyr Lucas omni sua cum familia captus fuit. Periit etiā Osmaneæ stirpis quidam, cui nomen Vrchan erat. Eū Turci Dusmen cognominãt, id est suppositicium, Græci genuinum fuisse tradunt: vtriq; Emiris Suleimanis ex Vrchane filio nepotē, Baiasitis I pronepotē. Vrbe direpta, milites amplissimis ditati fuere, saturatiq; spoliis; adeo quidē, vt hinc natū sit ꝓuerbiū, quo direptioni Constantinopoleos interfuisse vulgo perhibetur, ꝗ ditescit. Plurima contigere digna memoria, sed ob ꝓlixitatem recitatu difficilia. Quotquot ex vrbe capta nauigiis euasere Christiani, Siliuriam ꝓfugientes, arcē ingressi sunt. Deinde missis etiā Siliurię clauib⁹ ad Sultanū Muhametem, ipsius imperio se spōte summiserunt. Cozza quoq; begus Cōstantinopoli discedens, arcē, cui Cum-burgos, & aliam, cui Bogodos nomē, cepit. Chalil quoq; bassa die Mercurij missus a Sultano Muhamete suis cum militibus fuit, vt Burgo, ceterisq; captis arcib⁹, milites ꝑsidiarios imponeret, a quibus defenderētur. Nimis prolixū fuerit, omnia velle recensere, q̄ tamen euenisse cōstat. Quid eidem Chalili bassę acciderit, notum est. Quippe post occupatam Cōstantinopolim a Sultano Muhamete supplicio mortis adfect⁹ fuit. Primo post vrbem captā Veneris die celebratū ad Aiam Sophiam, (sic Turci scribunt) hoc est, ad Hagiam siue sanctā Sophiam, festū fuit lōge maximum; conceptęq; preces Hutbeæ Sultani Muhametis nomine, pro ipsius tā incolumitate, quā prosperitate, ritu veteri, quo Turci suis omnia fausta principibus optare solent.

Statim atq; Cōstantinopolis in potestatem venisset, ꝑfecti rerū capitaliū, siue Subassæ munus, Suleimani bego Sultanus Muhametes dedit. Hinc vrbem cædibus exhaustam, & pæne dirutam, nouis incolis frequentem reddere cupiēs, & instaurare; in omnes Osmanei prouincias imperij quosdā mitti iussit, q̄ publice denuntiarent vniuersis, patere Constantinopolim omnib⁹, qui quidē eo venire, suūq; domiciliū istic cōstituere vellēt. Hac in omnes regni partes diuulgata fama, quibuscūq; libuit, vrbis inhabitādæ potestas facta fuit, quæ quidem hac via pristinā incolarū frequentiā paullatim recuperare cepit. Missa deinde fuerunt etiam hinc inde ad iudices & subassas mandata, qui homines quarumuis regionum, tam opulentos, quam pauperes, migrare Constantinopolim iuberent. Hoc etiam modo factū, vt eo mortalium maior adhuc multitudo cōflueret. Sed postea, quam isti aduenæ Constantinopolim complessent, solo singularum ædium census impositus fuit, singulis annis soluendus. Ea re populus ille nouus maximopere territus & offensus, Sultani ministros grauiter increpare cepit: Itane vobis auctorib⁹ domos nostras in patria distraximus, & in exsilium quasi spōtaneum nos contulimus, vt heic pro Gaurorū ędib⁹ annuū cēsum pēsitarem⁹? haccene de causa nos huc trāstulistis? Simul ipsorum pars maior, abductis secum vxorib. & liberis suis, discessit. Erat inter

alios

alios Muhametis proceres quidam Cula Schahin, e paternis auitiſq; miniſtris ei reliquus, ætatis vir profectioris. Hic compellato Sultano: Pater auuſq; tuus, inquit, o felix Sultane, tot regnis, tot vrbibus occupatis, nullo tamē in loco ſoluendum ſoli nomine cenſum cōſtituerunt. Itaq; nec te noua par eſt introducere grauamina. Motus hac Schahinis oratione Sultanus Muhametes, ſoli cēſum remiſit. Hinc Conſtantinopolis incolarum multitudine rurſus impleri cepit, donec tamdem Muhametes, natione Græcus, Vezir baſſa factꝰ eſt. Is enim denuo Sultanum Muhametem ſeduxit, & lucri commodis illectum perpulit, vt iterū ſibi proponeret, omnino ſoli cenſum ab incolis vrbis exigendum. Quippe Muhametes hic Vezir Conſtantinopoli natus erat, & inuidia motus ægre tulerat, abſque vllo Muſulmanos onere domos vrbis ſuæ patriæ poſſidere. Quāobrem ſoli cenſus annuus ille, qui adhuc Conſtantinopoli ſoluitur, ipſo Sultanum ſeducente tunc ædificiis vrbanis impoſitus fuit.

De Sultani vero Muhametis ædificiis Conſtantinopolitanis hæc fere dicenda veniunt. Primum arcem exſtruxit, quæ ſeptem turrium, ſiue Gedi-culæ nomen habet, theſaurorum cuſtodiæ deſtinata. Poſt hanc Eski-ſaraium, ſiue palatium vetus ædificauit, idq; murorum ambitu capaciſſimo cinxit, nec tamen illic habitauit. Arcem tertiam ſibi cōdidit, quam inhabitaret. Ideoq; celſis eam exornauit intus ædificiis, & ſibi ſuiſq; regiā conſtituit. Ab huius vna parte muros vlterius duxit, & hortos illis incluſit. Erat in vrbe locus ſacer, quo Chriſtiani tēplum ſuæ religionis peruetus habebāt, ſanctis Apoſtolis dedicatum. Eo loco medreſſas octo ſiue gymnaſia pro ſtudioſis litterarum ſtruxit, & in horum medio templum eximium collocauit, & ex aduerſo templi magnum imaretū fieri curauit, iteq; ab altera parte Timar-hanam, quæ medicandis ægris eſt domus. Poſt ſingulas vero ſtudioſorum medreſſas, vnam tetimmen, quam vocant, iiſdem inhabitandā ædificauit. Simul vt omnibus horum gymnaſiorum doctoribꝰ, magiſtris, & incolentibus tetimmen ſtudioſis, ex imareto ibidem ſuo cibi, panes, alimēta cetera præberentur, ordinauit. Imaretum litteræ, quam Elef vel Alef vocant, ſimilitudinē refert. Hinc ornādi doctoris ſecretiorum diſciplinarum Schcichis Veſæ Zadis cauſa templum conſtruxit, cum cellis religioſorum; in quib & Deo ſeruiūt, & dogmata penitiora ꝑcipiunt. Præterea viro Turcorum opinione ſancto, † Ebu-eiubi-Enſari, templum cum imareto, gymnaſioq; ſcholaſtico, extra vrbem condidit. Ibidem ſepulcro eiuſdē ſancti, Ebu-eiubi-Enſaris, monumēti ædiculam impoſuit. Balinea quoq; multa fabricari iuſſit, quib. ſimilia nullus in orbe terrarum conſpexit. Preterea templum Aia Sophia, ſiue ſanctæ ſapientiæ Conſtantinopolitanum inſtaurauit, & quà ruinoſum erat, refecit. Ad ſummā, ita Sultanus Muhametes Conſtantinopolim totā renouauit, incolarumq; numero & copiis auxit: vt in vniuerſi huius orbis terrarū finibꝰ nullam vrbē huic parem poſſe reperiri, pleriq; teſtentur. In itineribꝰ etiā, quæ Cōſtantinopolim ducūt, multa Sultani Muhametis ædificia balineorū & hoſpitalium, pro viatoribus & mercatoribus, inueniūtur. Ipſa quoq; paſſim ab eo fuit inſtaurata Græcia. Deniq; viris in vrbe Conſtantinopolitana doctis, pauperibꝰ, pupillis, viduis mulieribus dona diſtribuere ſolebat, ex animi benigni liberalitate profecta, quæ dici conſueuerunt eleemoſynæ. Doctoribus etiam menſtrua ſalaria conſtituit. Quæ vero ſuis ipſe manibus largiebatur, nec modum, nec finem habebant.

† *Vide ſup. lib. 1.*

Expoſita captæ vrbis hiſtoria, paucis adnotauere Turci, ſcriptū apud ſe reperiri ſapientū in libris, ac præſertim in eo, cui nomen ſit Meſſabih; futurū, vt prius, quam exeat Degnal Lain, hoc eſt Antichriſtus improbus & maledictꝰ, bis Cōſtantinopolis occupetur. Primū gladio capiendam eſſe. Deinde iudicij tēpore adpetēte filios Iſhaci nō gladio, ſed ꝑ inuocationē diuini nominis eā capturos. Priorē vaticinij partem, de occupanda bellicis armis vrbe, iam impletam fatentur; & quidem illo tempore, quo Sultani Muhametis huius in poteſtatem ea venit expugnatione, quā hactenus e Turcorum monumentis hauſtam deſcripſimus. Alterius occupationis euentū, & q̄nam illi ſint Iſhacidæ, qui precibꝰ & hymnis ea potituri dicūtur, ipſe dies dabit.

Ad hiſtoriæ ſeriem vt redeamus, quę

deinceps propemodum eadem est in libris ambobus; eadem adhuc æstate, qua capta Constantinopolis fuit, anno Muhametico ꟾↄCCC † LVIII, exercitũ Sultanus in regionem Lazoglianam, & in Arbanosiam duxit; arcemq; Siuritze-chisárem vel Oxycastrum, & Mollam cepit, regiones ipsas depopulatus: vnde mancipia fuerunt abducta sine numero, quę Christianam hodieque religionem profitentia, passim in ambitu Constantinopoleos collocata reperiuntur, & ibidem adhuc rura colunt.

† Hinc adparet, numeris ante positis 857, inesse vitium.

Chr. 1454.

Inde Muhametes anno proximo ꟾↄ CCCLIX, arcem ab interprete Verantiano Neuaburim, a Murate Dragomano Nouabarden nominatam, cum agris & territorio suo cepit.

Chr. 1456.

Itidem anno ꟾↄ CCC LX Belegradum cum copiis adgressus est, sed occupare non potuit. Amisit autem illic Taim Caratzen, Europææ Rumiliæ beglerbegum: qui cæsus a Christianis in prœlio, more Turcorum relatus fuit in numerum Sehidorum siue martyrum & sanctorum. Eodem anno refert interpres Verantianus stellam siue cometen exortum, cui cauda gemina fuerit; vna directa versus orientem solem, altera versus occidentem. Murates autem Dragomanus, auctor Haniualdani codicis, ita traduxit hæc Turcorum ex historiis; vt dicat, duas hoc anno stellas caudatas adparuisse, quarum vna conspecta fuerit ad orientem, ad occidentem altera. Sultanus ipse Muhametes Hadrianopoli non excessit, nuptiis institutis, (Zunettum vocant Turci) quibus eius duo filij, Sultanus Baiasites, & Sultanus Mustapha, circumcisi fuerunt, anno ꟾↄ CCC LXI.

C.1457.

Moream hinc ingressus, arcem Gordum expugnauit, maiorique Moreæ parte potitus est, anno Muhametico ꟾↄCCCLXII.

C.1458.

Eductis rursus copiis, Semendren inuasit. Kiral vero, siue rex Bozinacus, sponte sua Semendren ei dedidit, anno ꟾↄCCCLXIII.

Ch.1459.

Denuo Moream ingressus, pleraque regionis opida cum castellis in potestatem redegit, ipso etiam teggiure siue principe capto, qui Demetrius erat Palæologus, vltimi regis Constantinopolitani frater. Eodem bello durante, quodam die Veneris, qui mensis illius erat XXIX, lumen solis defecit, anno ꟾↄ CCCLXIV.

C.146

Post hæc in Anatoliam traiectis tam Europææ Rumiliæ, quam Anatolicis copiis, Castamonam petiit, & vrbem illam cum agris suis, & cum alia ciuitate Sinope, occupauit. Princeps eius regionis erat Ismail begus, quem vniuersa cum sua familia, cum consanguineis & adfinibus, cum equitibus, quos Ispahios vocant, & ceteris eius prouinciæ militibus, in Europæam Rumiliam traduxit. Vlterius inde progressus, Tarabozanem siue Trapezuntem vniuersa cum regione subiecit imperio suo, capto etiam teggiure siue principe, Dauide Comneno Augusto, (sic enim vocari auebat) quem in Europam transmisit. Secutus & ipse cum exercitu, tamdem Hadrianopolim adpulit, & ibidem substitit, anno ꟾↄ CCC LXV.

C.146

Iterum vero suscepta sequenti anno expeditione, Valachis bellum intulit, & cum exercitu Danubium transmisit. Filius Diraculæ (siue Draculæ) quem nostri Vladislaum, Laonicus Vladum, Turci Casiclum hoc loco vocant, interdiu nusquam conspiciendum se præbuit; sed nocturnam in castra Sultani Muhametis impressionem ex improuiso fecit, qua tamen nihil hosti nocuit, nec suis prodesse rebus potuit. Quippe fugiens, interemtis militibus, seipsum perdidit. Solus namque relictus, regionibus & subditis suis desertis, in Vngariam se contulit; vbi tamdem rex Vngarus Casiclum Vaiuodam morte multauit. Eius loco Sultanus Muhametes ipsius fratrem Valachiæ principem creauit. Post domitos Valachos classe mari missa, cumque reliquis copiis ipse terra profectus, insulam Mitylinen, priscis Lesbum, suis cum opidis, & castellis, & ipso principe cepit, quem etiam viuum inde secum abduxit. Vtraq; victoria tam Valachiæ, quam Lesbi debellatæ, potitus est Muhametes vno & eodem anno, videlicet ꟾↄCCCLXVI.

C.146

** Vide dict. cap. 200. de Porta*

Secundum hæc Constantinopoli manens, turres illas ruinosas refecit, quæ sunt in * Catergo-Limano, hoc est ἐν τῷ τῶν κατέργων ἤτοι τριήρεων λιμένι, sicut Græci loquuntur, id est, in portu triremium, vel galearum, vt vulgo nominan-

minantur. Locus adhuc notus est, muris inclusus, forma quadrata, propter portam Con Capsi Turcis dictam; nec procul ab hodierno Turcorum Hippodromo, quo singulis diebus Veneris, ad exercitia sua conuenire solent equestria, distans; quem quidem Hippodromum sua lingua nominant Ispahi Meidan, hoc est, locum spatiosum vel aream equitum. Accepit deinde nūtium Muhametes de Francorum vel Italorum (Venetos intelligunt) in Moream adpulsu, & occupatione quorumdam locorum, quæ statim muniissent. Tum vero mox ab illo missus istuc fuit Machmutes Vezir bassa, tamdemque Sultanus ipse Muhametes etiam eo perrexit, Italos istos oppugnatum. Posteaquam de huius aduētu Christiani accepissent, non sibi manendum rati diutius, aufugerunt. Quo Muhametes intellecto, etiam ipse discedens, Machmutem Vezirem bassam suo loco reliquit ad conficiundas belli reliquias; qui magnam regionis illius partem Muhametis imperio subdidit anno ıↄ ccc lxvii.

Expeditionem inde suscepit in Bozinacorum regionem, vbi ciuitatem occupauit, cui nomen Baiter, aliis pluribus cum opidis. Ipsum quoque Kiralem siue regem Bozinacorum in potestatem redegit, & interfecit. Toto denique Bozinacensi regno potitus est, cum Caratze-dagea, & Hertzegij, prouinciis. Caratzè-dage significat nigrum saltum. Nostri Montem Nigrum Slauoniæ dicunt, & Hertzegium, vocabulo Germanico, ducatum; vt eam prouinciam Bozinacensem a regno Bozinacensi, ad quod tamen pertinet, distinguant; velut † alibi notatum. Reuersus Constantinopolim, istic aliquamdiu hęrere voluit, anno ıↄ ccc lxviii.

Vngarorum vero Kiral siue rex (Matthias intelligitur) opidum Bozinacensis regni Iaitzen inuasit, ad aliquod tempus obsedit, cepit, sui iuris fecit. Muhametes quoque, posteaquam id ab Vngaro factum cognouit, exercitu suorum coacto, Iaitzen profectus est, & opidum vicissim corona militū circumdedit. Quamuis autem grauiter admodum circumsessos premeret & oppugnaret, tamen ex animi sententia res non successit. Quippe Iaitzen expugnare non poterat, & ab altera parte Christianorum exercitus ei negotium facessere non desinebat. Quum ergo Turci nihil se proficere conatu suo maximo viderent, ad extremum proiectis in aquam, summersisque tormentis bellicis, obsidionem noctu soluerunt, ac discesserunt. Sultanus Muhametes Sophiam abiit, ibidemque substitit. Hinc in omnes mandata partes perferri curauit, & copias suas ad se conuenire iussit, quæ non exiguo sane numero confluxerunt. Cum his Machmutem bassam præmisit, qui quum Iaitzen necdum plane peruenisset, ac Sultanus Muhametes adhuc ad opidū Sophiam hæreret; nocte quadam perturbati Christiani exclamare ceperunt, adesse Turcos; ideoque Panico terrore quodam impulsi, deserta ciuitate, fugerunt. Id tanta cum trepidatione factum, vt dicto citius hinc inde dissiparentur. Aduenerant iam Turcorum copiæ, qui repertos in fuga pedestri Christianos mācipiorum in numerum redegerunt, & e spoliis opes adepti fuere maximas, anno ıↄ ccc lxix. quem qui proxime secutus est C.1464. & annus ıↄ ccc lxx, exactus a 1465. Sultano Muhamete fuit in otio, nec vlli datus expeditioni bellicæ.

Posteaquam vero quiescendi finem fecisset, ad arma rediit, & in Albania ditionem principis Ioannis inuasit; vbi milites eius insigni præda collocupletati fuerunt. Condidit autem in iis locis nouam quamdam ciuitatem, cui nomen inditum * Ilbasam, significatio- *Pandect. cap. vlt. nem habet grassatricis regionum, hoc est, quæ regiones vicinas hostiliter inuadit. Acciderunt hæc anno ıↄ ccc lxxi. C.1466. Eadem expeditione durāte, totam Arnautlorum vel Albanensium regionem in prouinciam redegit, anno Muhametico ıↄ ccc lxxii. C.1467.

Postea Caramanicum bellum occepit, quo pleraque loca regionis illius, ac præsertim ciuitatem Giul-chisarem cepit. Eam Græci dicerent Rhodopyrgon; vel Rhodocastron, ceu castrum rosarum. Verantianus interpres parum cōmode mancipiorum ciuitatē reddidit, quasi si dicta fuisset Cula-chisar. Has res gessit anno ıↄ ccc lxxiii. Nec vllis C.1468.

inde bellicis laboribus occupatus, Constantinopoli mansit, anno Muhametico
Chr.1470. ꟾↃ CCC LXXIIII. Otio vero dehinc valere iusso, bellũ mouit aduersus insulam, tunc Venetis parentem, quæ Turcis est Egribos, Italis Negroponte; priscis Eubœa quondam dicta fuit. Vrbs insulæ quoq; primaria, cum arce munitissima, quæ Chalcis olim nominabatur, iã apud Turcos aliud, quam Egribos, vocabulum non habet. Et ab Achaia, quã nunc a pratis irriguis Liuadiam adpellant, rapidissimo maris alueo dumtaxat interiecto, quem Canalem dicunt, & ponte castelloq; stratum munitumq; scimus, disterminatur. Huc Sultanus Muhametes itinere terrestri per Achaiam copias amplissimas duxit, Machmutes Vezir bassa Calliopoli cum classe mari adpulit. Obsessa ciuitas ab Azapis ceterisque militibus Turcicis fuit, & terribilem in modum oppugnata, tormentis bellicis muros vndique diruentibus. Deinde duabus ab vrbis partibus ligneos Turci fecere pontes, per quos in opidum milites suos immitterent; atque ita ciuitatem in medio militum suorum interceperunt. Nec Franki, tuendæ insulæ suæ caussa, quidquam omisere, triremibus nauibusque plurimis armatis: sed clausam a Turcis vrbẽ ingredi nulla via potuerunt. Itaq; dum classis eorum adhuc in opidi conspectu staret, Turci opidum acri oppugnatione adgressi ceperunt, omnesq; Christianos in frusta dissectos mactarunt; ne vni quidem mari Gauro vita cõdonata, sed omnibus interfectis. Posteaquam Gaurorum classis hæc tanta cum immanitate peracta vidit, ad fugam mox se composuit, vt incolumitati salutique suæ consuleret. Hoc modo vi potitus vrbe Muhametes, insulam totam, cum castris, opidis, arcibus, imperio suo subdidit, anno prophetæ Muhametis extincti
Chr.1471. ꟾↃ CCC LXXV. Mansit deinceps Constantinopoli Sultanus Muhametes, nec bellum aliquod vsquã gessit. Monetam vero signauit, quos aspros Turci dicunt, aspraturam veteres, hoc est, minorem argenteamue monetam. Hoc in eius otio transiit annus ꟾↃ CCC
Chr.1472. LXXVI.

Dum ita Constantinopoli quiesceret, vt dictum, Sultanus Muhametes; exercitus Vsunis Chasanis, hoc est, Chasanis longi vel proceri, Azemiorum Persarumue regis, Iusufze bego duce, qui princeps Tatarus erat, vrbem Osmanei iuris Tocatam inuadens, captamque diripiens, flammis iniectis exussit, & euertit. Hinc idem ille Iusufzes begus (sic a statura, ceu Iosephulus nominatus fuit) versus Caramaniam cum copiis suis abiit. Præses Caramaniæ, quatenus ea Turcis domita parebat, constitutus a patre Sultanus Mustapha, Sultani Muhametis filius, Iusufzi bego cum exercitu occurrens, manumque conferens, copias eius fudit, fugauit; ipsumque Persarum ducem captum, patri suo, Sultano Muhameti, Constantinopolim misit, anno ꟾↃ CCC LXXVII. Chr.

Tum vero Sultanus Muhametes ad omnes imperij sui partes mãdatis ac literis dimissis, conuenire milites suos vniuersos iussit, ex Europæa scilicet Rumilia, Morea, Zirfia, Anatolia, Caramania, Rumilia superiori Asiatica, Castamonea, Synopensi, Trapezuntina, Aladeulia, ceterisq; prouinciis collectos; ac præter hos, Azaporum ad XXCꟾↃ, XCꟾↃ Genitzarorum, XCꟾↃ palatinorum, hãc in expeditionem secum sumsit. His adde finitimos, mittendis auxiliaribus copiis obligatos; & Sarchores, obeundis in exercitu muneribus sordidis inseruientes. Adeoque LXX vel LXXX millia militum cõtinebat hic exercitus, quem in Vsun-Chasanem duxit, filiis etiã suis, Sultano Baiasite, Sultanoq; Mustapha, secum sumtis. Profectus in hostem tantis cũ copiis, velut oceani diluuio quodam Azemiorum regionem inundare cogitabat, & suam in potestatem redigere. Rex Persicus, Vsun Chasan, aduentãti obuiam progressus, astuto consilio Chasim Muratem, Europæę Rumilię beglerbegum, prius inuasit: cuius copiæ, quum impetum illum primum grauissimumq; sustinere non possent, Chasim Muratem beglerbegum suum, hinc inde dissipatæ deseruerũt. Quo factum, vt Chas-Murates occisus, cœtui Sehidorum & martyrum adgregaretur. Sultanus autem Muhametes in Vsun-Chasanem irruens, summis eum viribus adortus est. Vsun-Chasan vicissim & ipse magno in Sultanum Muhametem animo perrexit. Quapropter ambobus his exercitibus inter se congressis, inprimis

acre

acre commiſſum prœlium fuit. Filij Sultani Muhametis, Sultanus Baiaſites, & Sultanus Muſtapha, duabus a partibus Vſun-Chaſanem inuadentes, tormenta bellica maiora, ſclopetos, baliſtas in aciem eius exonerarunt, pluuiamq; telorum mortalium in eos immiſerũt. Tatarorum exercitus (Vſunchaſanis intelligit milites, qui maiorum origine Tatarus erat) ad tormentorum & ſclopetorum ictus ſubſiſtere non potuit. Erat in exercitus ipſo quaſi pectore, mediaque ſuorum in acie, Sultanus Muhametes; & ſummis vtrimque viribus dimicabatur. Anatoliæ beglerbegus Dauudes baſſa, Machmutes baſſa, Sultanus Baiaſites, & Sultanus Muſtapha, tamdem quatuor a partibus in hoſtem irruerunt. Hinc Vſun-Chaſanis filio, Zeineli Sultano, caput ab his amputatum, & exhibitum Sultano Muhameti fuit; tamdemque res Vſunchaſanis in anguſtum redactæ fluctuabant. Interim Turcis locuſtarum inſtar in aduerſos inuolantibus, animaduertens Vſun-Chaſan ab hoſte ſe circumdari; ſaltim ſaluti conſulendum ſtatuit, & fugam inire cepit. Mox & exercitus eius, qui militib⁹ Muhameticis amplius nequiret obſiſtere, tam effuſe ſemet in pedes coniecit; vt vniuerſa Tatarorum acies illa diſſipata, Turcorum vi profligaretur. Inſecuti milites Vſunchaſaneos Muhametici, quum ipſum Vſunchaſanem adſequi nullo modo poſſent; ad caſtra tentoriaque Vſunchaſanis ſe contulerunt, & † Ordam ipſius, ſiue forum caſtrenſe, diripuerunt. Omer begus, Turachanis begi filius, & multi alij proceres, qui Chaſi Murate cæſo capti fuerant, in caſtris Vſunchaſanis inuenti, libertatem receperunt. Poſteaquam prœlio ſuperatus fuiſſet Vſun-Chaſan, victorq; Muhametes cum exercitu ſuo regiones ipſius pro lubitu ſuo tractaſſet: retro tamdem abiit, arcemque Carachiſarem, Græcis Maurocaſtron dictam, ceu caſtrum nigrum, cepit. Sunt autem hoc nomine tres arces in Anatolia, triaque caſtella; de quibus heic vnum illud accipi debere, quod eſt in Cilicia ſiue Caramania, Corycumque Laonicus dixit, *alibi declaratũ. Quamquam alicui videri poſſet, aliam Carachiſarem intelligi, quæ ſita eſt in locis non ita pridem ante hoc tempus a Sultano Muhamete captis, verſus hodiernam Saſumam, quæ Saſima ſunt priſcis, a Gregorio Nazianzeno celebrata, & verſus Trapezuntem. Sed expendenda lectoribus illa relinquo, de Laonico Ioſaphatoque Barbaro ſumta, quæ alibi recitauimus. Addendum obiter, Carachiſarem tertiam in Phrygia quærendam, cuius ſuperius hiſtoriæ Muſulmanæ libro tertio, frequenter admodum in Oſmanis Gaſis vel herois vita, mentionem fecimus. Opimis denique ſpoliis onuſtus miles Muhameticus ex iis locis rediit. Victus autem prœlio fuit Vſun-Chaſan anno Muhametico ІↃ CCC LXXVIII, die XIX menſis Rebiul-Euel, qui Mercurij dies erat. Chr. 1474. Et memoria proditum accepimus, in ea fuiſſe ſententia & opinione regem Vſun-chaſanem, vt auſpicato ſe die Mercurij pugnaturum aduerſus Muhametem propterea crederet; quod rex quidam Tzihan Schachus, cum Saide bego, Tzincanio vel Ægyptio rege, manũ die Mercurij conſerens, eumdem victum fudiſſet, fugaſſet. At enim auſpicatus ille dies in nefaſtum Vſunchaſani cõuerſus, & inauſpicatũ fuit. Adeoq; tamdẽ præ ira & indignatione triſtior ſolito fact⁹, morbũ contraxit, qui vitæ ipſius finem adtulit.

Sultanus autẽ Muhametes Conſtantinopolim reuerſus; ibidem manſit, & Suleimanem baſſam, qui Europææ Rumiliæ beglerbegus, & eunuchus ſiue caſtratus erat, Iſchenderien miſit, hoc eſt Alexãdriam, quæ & Scodra nominatur, vt † alibi dictum, eius tam obſidendæ, † Pandect. cap. 121. quam oppugnandæ cauſa. Dimicatum vtrimq; ſæpius, & acerrime quidem. Latus vnum vrbis dirutum fuit ictibus tormentorum, quibus etiam complures ex obſeſſis necati perierũt. Ad extremum tamen animaduerſum, id temporis eam expugnari nulla vi poſſe. Tunc etiam Sultanus Muhametes Vezir-azemem, ſummumq; conſiliarium ſuum, Machmutem baſſam, Conſtantinopoli ſupplicio mortis adfecit, & cœtui Sehidorum ſiue beatorum adgregauit. Accidit autem hoc eiuſdem anni menſe, qui Rebiul Euel dicitur, & quidem mẽſis illius die tertio.

Suleiman vero baſſa, prorſus Iſchenderiæ capiundæ ſpe deiectus, obſidione

soluta, suos in Moldauiam duxit, ibique pugna cum principe Moldauiensi congressus est. Sed quia Turcorum exercitus in oppugnatione dictæ ciuitatis Ischenderiæ multum vigoris amiserat, iamq; grauis hiems ingruerat, cuius ingens frigus magis etiam milites adfligebat, resistere copiis Moldauiensium minime potuerũt, ac propterea clade quadam adfecti sunt, anno mortui prophe-
Chr. 1475. tæ Muhametis IↃ CCC LXXIX.

Hærebat adhuc Sultanus ipse Muhametes Constantinopoli, sed interim Vezirem suum, Geducem Achmetem bassam, mari expeditionem suscipere, classe instructa, iussit. Quapropter ille multis cum militum millibus, Azaporum inquam, & Genitzarorum, & aliorum, Casam profectus, eamdem cepit, & Menkien, & alias insuper arces, opida, regiones, cum ipsis populis Osmaneo subiecit imperio.
† Pandect. cap. 45. † Kirimiorũ quidem, ac Destensium numerosissimæ copiæ coram bassa comparuerunt, eiusq; se potestati ac fidei, nomine Sultani Muhametis in clientelam recepti, permiserunt. Gestum hoc anno Muhametico
Chr. 1476. IↃ CCC LXXX.

Hinc iam Sultanus ipse Muhametes bellum Moldauis illaturus, ex omnibus imperij sui partibus amplissimas copias coëgit, quibuscum Moldauiam ingressus, die quarto mensis Rebiul-Euel cum Vaiuodæ Moldauiensis exercitu conflixit, eumque fudit, fugauit. Ipse Vaiuoda suis desertis, terga dedit. Sultanus vero Muhametes Moldauiam suis diripiẽdam concessit. Hinc ea relicta, nouam suscepit in ipsa bruma expeditionẽ, qua exstructam ab Vngaris munitionem ad amnem Morauã, cepit ac diruit. Tamdem mensis Ramasanis die quinto Constantinopolim reuersus, ibidem mansit,
Chr. 1477. anno Muhametico IↃ CCC LXXXI.

Dum illic hæreret, muris arcem in vrbe Constantinopolitana, siue seraium palatiumque, cinxit. Interim beglerbegum Europææ Rumiliæ, Chadumen vel eunuchum Suleimanem bassam, Einebachtum misit, (Naupactum dixere veteres) vt eam vrbẽ obsidione cingeret, & in potestatem redigeret. Sed hoc institutum ei non successit. Alis quoque begus Michaloglius Vngariam, peragrata Valachia, prædandi causa ingressus, nihil effecit; reuersus anno IↃ CCC LXXXII. c

Duxit denique copias Sultanus Muhametes ad opidum Ischenderien, hoc est Alexandriam, idque militum corona circumdatum oppugnauit, adhibitis etiam tormentis bellicis & sclopetis: quumque muros vrbis ab vna parte diruisset, præcepit suis, vt impetum in eam facerent, expugnatamq; caperent. Hæc illic dum gererentur, sol dimidia sui parte defecit in ipsa meridie. Quantumuis autem magna multitudo Turcorum ad Ischenderien periret, tamen eam in potestatem redigere non potuerunt. ideoque re discesserunt infecta, relicto dumtaxat Achmete bego Eurenosoglio, qui obsidionem continuaret, & vrgere clausos, vti se dederent, non desineret. Tamdem municipes vrbis ad extrema redacti, certis eam condicionibus hosti dediderunt, anno IↃ CCC LXXXIII. c.1

Deinde rursum mansit Constantinopoli Sultanus Muhametes. Alis vero begus Michaloglius, & Isa begus, Chasanis begi filius, & Balis begus Malcozoglius, maxima cum Akenziorum multitudine, qui priscis volones dicebatur, quum per Valachiam in Vngariam penetrassent; ex improuiso ab Vngaris obruti fuerunt. Periit hoc prœlio cæsus Isa begus, & Sehidorum in numerum relatus est. Musulmanorum exercitus a Christianis victus, non parum detrimenti accepit. Mensis autem Zemasiul-Euellis die tertio terræ motus grauis accidit, anno post extinctum prophetam Muhametem IↃ CCC LXXXIIII. c.14

Hærens iterum Constantinopoli Sultanus Muhametes, Messichem bassam, Vezirem & cõsiliarium suum, cum classe, maximisque copiis Azaporum, Genitzarorum, aliorumque militum, mari misit ad occupandum vrbem Rhodum. Sed irritus ille conatus fuit, ideoque spe Rhodi capiundę deiecti, domum redierunt. Eodem tempore Geduces Achmetes bassa cum alia classe mari Francorum vel Italorum in regionem ab altera parte profectus, Apuliæ metropolim Otrantum, priscis Hydruntem, cum agro suo cepit, anno IↃ CCC LXXXV. chr

Sultanus denique Muhametes in Anatoliam traiiciens, die tertio mensis Rebiul-Euellis, qui tunc Iouis erat dies, circa tertiam horam a meridie, quod

tempus

tempus*Ikindi nomen apud Turcos habet, propter opidum†Geiuisen, in Teggiurum prato, quod Teggiur-Tzair a Turcis adpellatur, diem vitę supremū in terris clausit. Tum vero Genitzari, conuerso itinere, Constantinopolim redierunt; & vrbe direpta, Muhametem bassam, Meulanæ filium, interfecerunt.

IO. LEVNCLAVII

HISTORIAE MVSVLMANAE TVRCORVM LIBER XVI.

DE BAIASITE SECVNDO, EX HIstoria Verantiana.



IVBET iterū geminas hoc commētario de Baiasite secundo complecti narrationes, quum expositionis in vtroque libro magna sit diuersitas; & iniquum cēseamus, alterutrius historiā, culpa nostra cū alia confusam, laude sua priuari. Præmittuntor autem, quæ codice Verātiano sunt tradita.

Sultanus Baiasites, Sultani Muhametis Chanis filius, die XIX mēsis Rebiul-Euellis, qui tunc Martis erat dies, in regio se throno collocauit, & aliquot Cōstantinopoli diebus hæsit. Interea frater eius, Sultanus Zemes, e Caramania cum exercitu mouit, & Burusam profectus, ibidem substitit. Ex altera parte Sultanus etiam Baiasites exercitum collegit, & Constantinopoli relicta, Bosporum ibidem traiecit, in Zemem Sultanum profecturus. Achmetes bassa, qui metropolim Apuliæ supra nominatam occuparat, ea præsidiariis Turcis cōmendata, mox in aduersam Apuliæ transmisit Arbanosiam, & in itinere Sultanum Baiasitem adsecutus, cum eius exercitu se coniunxit. Quum decem diebus vtriusq; fratris inuicē oppositæ sibi constitissent copiæ, pugnam in Genischeheris siue Neapoleos planicie commiserunt, qua tamdem Zemes Sultanus victus, & ita profligatus fuit; vt celeri fuga, Caramaniam versus, sibi consuleret. Sed ne istic quidem tutus esse potuit, quum recta Sultanus Muhametes in illum contenderet, & his quoq; regionibus eum expelleret. Quo facto, Constantinopolim reuersus, ibidē substitit. Dum vero bellū hoc in Caramania Geduces Achmetes bassa, Sultani Baiasitis auspiciis, gereret; coactis Itali copiis, Apuliæ metropolim recuperarunt, & ingentem Musulmanorum numerum ad mancipiorum condicionē redegerunt, anno IↃ CCC LXXXVI. C.1482.

Secūdum hæc denuo suscitatum fuit in Caramania bellū fraternū, Zeme Sultano e peregrinatione Meccana reuerso, nouoq; prœlio fratrem adgresso, quo negotij plurimum ipsi exhibuit. Sed ad extremum tamē Zemes Sultanus fusus fugatusq;, mari Francorum in regiones concessit; Baiasite Constantinopolim redeunte, quam mensis Ramazanis initio reliquit, Hadrianopolim profectus. Sequentis inde mēsis Scheualis die sexto, qui Iouis erat dies, noctu Vezires & consiliarios ad cœnā inuitauit, cum præcipuis suorum, & cum Agalaris siue tribunis. Hoc conuiuium, quo vinum inuitatis propinauit, ad mediam noctem vsque continuatum fuit; dataq; honoris causa vestes singulis, qui huic epulo intererant, excepto dumtaxat Geduce Achmete bassa, quem etiam interfici iussit, anno IↃ CCC LXXXVII. C.1483.

Tunc etiam Caramani principis filius, Casumes begus, die mensis Muharenis vltimo vitam cum morte commutauit. Sultanus autem Baiasites bellum moturus, Sophiam accessit, & ibidem hæsit, Anatoliæ milites, & Europææ Rumiliæ colligens. Interim opida duo diruta propter Morouam flumen instaurari curauit. Absoluta fuerūt initio mensis Zumasiul-Euellis, ac deinde Baiasites motis castris, Constātinopolim rediit, & quieti se dedit, anno IↃ CCC LXXXVIII. C.1484.

Hærebat, vt dictum, Constantinopoli Sultanus Baiasites, quum mẽsis Rebiul-Euellis die XXI, qui Martis erat dies, incendium Hadrianopoli fuit exortum, quo totum illud forum deflagrauit, a Turcis Bit-basar, hoc est, forum sarcinatorum vel interpolatorum adpellatum; itemque † Tachtal Cala, quæ mimorum vel scurrarum est area, cum Besestano, mercatorum ædificio splendido & amplo, in quo merces illi suas maximi pretij distrahebant. Hæc omnia loca flammis absumta, redactaq; fuerunt in fauillas & cineres.

† Pandect. cap. 248.

Secundum hæc inchoatum Hadrianopoli fuit die XXVI mensis Rebiul-Achiris, qui Martis erat dies, ædificium imareti siue xenodochij noui, a Sultano Baiasite, propter ripam fluminis, e regione seraij siue palatij noui regij. Simul autem iacta fuere fundamẽta huius imareti, qđ diximus, & medressæ siue gymnasij litterarij vicini, & Timar-hane, quæ domus est medicandis & curandis ægris dicata. Discessit hinc Hadrianopoli, bellum in * Cara-bogdania gesturus, cuius opida cepit, præsertimque die XXVII mensis Zumasiul-Achiris, qui tũc Mercurij dies erat † Ac-girmenen occupauit; vnde reuersus Hadrianopolim, quietem amplexus est, anno ꟾↄ CCCLXXXIX.

* Pandect. cap. 71.

† Pandect. cap. 159.

C. 1485.

Tunc etiam die quodam Mercurij, qui IX mensis Muharenis erat, inter Ikindi & vesperam, de tribus solis partibus duæ defecerunt, tenebris inuolutæ. Sultanus Baiasites in loca montuosa frigidaque se recepit. Ad eum missus accessit legatus Misirensis Ægyptius, & alius legatus Vngarus, & tertius ex India. Posteaquam singulorum postulatis satisfecisset, ad suos domum reuersi sunt.

Deinde Alis Chadumes eunuchus, siue bassa, qui beglerbeg⁹ erat Europææ Rumiliæ, cum Europæis copiis, & Portæ Prætoriiue militibus, † Silichtaris, & Ispahi-oglanis, & Akenziis aut volonibus Europæis, Padischachi Baiasitis permissu per Valachiam (minor intelligitur) in Carabogdaniam siue Moldauiam irruit, cum XXX vel XL CIↄ hominum; eamque regionem flammis & ferro depopulati, sub finem mensis Ramasanis Hadrianopolim redierunt, anno ꟾↄ CCCXC. Sultanus inde Baiasites initio mensis Muharenis saluus & incolumis se Constantinopolim contulit, vt illic ad aliquod tẽpus maneret. Frater autem Alis begi Michaloglij, Europææ Rumiliæ beglerbegi, cui nomen erat Ischender begus Michaloglius, itemq; Balis begus Malcozoglius, vna cum Valachiæ militibus ingressi Carabogdaniam, bis terue regionem vniuersam feliciter peruagati sunt; opimisq; cum spoliis discesserunt.

† Pandect. cap. 228. versus finem.

C. 1486.

Ab altera parte regni Turcici, versus Arabes, hoc est Syros, Sultanus Missirensis Ægyptius, cui tunc imperanti nomen erat Sultanus Cati-begus, vna cum suo consiliario, quem Diuidarem vocabant, & cum Temure bego, cum militibus Ægyptiis, Damascenis, Halepensibus, ad vrbem Adanensem accessit, & ad Tersum siue Tarsum; ibique castris idoneum hi locum ceperunt. Ex parte vero Turcorum, eius loci Sanzac-begus, nimirum Musa begus, & Sultani Baiasitis gener Ferhates bassa, cum ceteris Anatoliæ Subassis siue præfectis, & timariotis, maximo cum impetu agrum Adanensem inuaserunt, & cum hoste manum conseruerunt. Erant coniuncti milites Ægyptij, & Halepenses, & Vsbegi principis, cum Temure bego. Quapropter vi summa Turcos adgressi, Musæ bego caput amputarunt, Ferhatem bassam interfecerunt, reliquos itidem male tractarunt. Contigit hoc initio mensis Rebiul-Euellis. Sultanus autem Baiasites iterum cogere copias iussit Achmetem bassam, Hertzegi filium, Anatoliæ beglerbegũ; nec Anatolicos dumtaxat colligere milites, sed etiam Europæos, duce Muhamete bego, Hiziris Agæ filio. Hi ductis in hostem copiis, ad fines vrbis Adanorum prœlio cum Vsbego Temureque bego congressi, acerrime dimicarunt. Sed iterum Vsbegus in eos necopinantes irruit, & Anatolicos milites cecidit, capto Hertzecoglio, nec paucis Turcorum proceribus occisis. Hac suorum intellecta clade, mox Sultanus Baiasites veziri suo, Dauudi bassæ, IIII CIↄ Genitzarorum dedit, vtque cum prætorianorum & aliorum militum multis millibus, & cum Anatolicis Europæisque copiis, ipsoque beglerbego Europæ, Chadume vel eunucho Ali bassa, bellum hoc aduersus Ægyptios gereret, imperauit. Traiecerunt hi ad Calliopolim cum tormentis bellicis, &

cis, & sclopetis, & aliis armis infinitis; Arabumque fines, qui Mauri siue nigri vulgo dicuntur, petierunt. Erat enim iam compositum, certis interuenientibus pactis, bellũ Carabogdanicum, quo prius in Europa Turci distinebãtur. Hoc modo Dauudes bassa numeroso cum exercitu contendit aduersus Ægyptios, ad quorũ limites Dulgadiroglius princeps, ceteris cum proceribus Aladeuliis, se cum eo coniunxit; vt viribus vnitis, Mauros inuaderent. Tum vero milites Ægyptij, relicta ciuitate Halepo, suos intra fines longius se receperunt. Adlatum igitur in castra mãdatum Sultani Baiasitis ad Dauudem bassam fuit, quo ei significabatur, non hoc esse gerendi diutius belli tempus. Militẽ modo domum dimitteret, & ipse suum ad Sultanum rediret. Paruit imperio Sultani Dauudes, ac pedem retulit. Dulgadiroglius etiam retro abiit. Proceres * Varsacenses, qui priscis Pisidæ sunt, & ad Caramaniæ regnũ tunc pertinebant, denuo cum Dauude bassa transegerunt. Genus hoc hominũ valde ferox & barbarum est, & furtis ac latrociniis deditum. Sedes eorũ sunt inter Adanorum vrbem, & Ereglien Caramaniæ, quam alibi diximus Heracliam fuisse vocatam antiquitus; & montuosis in locis habitant. Turki denique sunt, hoc est Nomades, illuc e Tataria profecti. Quosdam tamen ex horum proceribus Dauudes bassa cepit, & carceribus inclusit. Hinc ex iis locis abiit, ac militem exauctorauit, tamdemque venit in agrum Thraciæ Vyzenum, vbi tunc Sultanum Baiasitem reperit; qui mense Scheuale rediit Hadrianopolim, & ibidem aliquamdiu mansit.

Eodem mense venit etiam missus ab Vngaris ad Baiasitem legatus Baxoglius, hoc est, Baxensis reguli filius, quod Baxum in Vngaria situm ad Danubium vidi, supra municipium satis celebre Tulnam. Vir hic illustris & clarus erat, cuius etiam ad nostram vsque durauit ætatem familia, quam Baxaiorum gentem Vngari vocant. Et Sultanus Baiasites ei magnum honorem exhibuit, epulis pro more sumtuosis excepto, & grauib. auro vestibus, magnaq; pecunia donato, atq; ita domum remisso. Posteaquam Hadrianopoli discessisset, in itinere suo ꝓgressus, iam a Semendre vel Sendereuia Zirforum non procul aberat. In ea vicinia Gasis vel heros quidam, militarique virtute præstans vir degebat, instar leonis, natione Turcus, quem Gasim Mustapham adpellabant. Huic inimicitiæ cum Baxolio veteres intercedebant, ideoq; pleno equi cursu persecutus hominem, & armis adgressus, fœda tam eius faciei, quam capiti vulnera inflixit, quibus iste Baxoglius extinctus periit, eodem loco Mustapha quoque Gasi peremto. Contigit hoc vltimo die mensis Silcadis, anno Muhametico IↃ CCC XCI. C. 1487.

Initio mensis Muharenis, quo Turci annum suum auspicari solent, anno IↃ CCC XCII, cepit Hadrianopoli manere C. 1488. Sultanus Baiasites, ad aliquot istic menses hærens; donec die XV mensis Schabanis inde discedens, in itinere * Bairamum maius celebrauit. ** Pandect. cap. 215.* Hinc Constantinopolim adpulit, & ibi substitit. Mensis autem Silcadis die X, iam absoluto xenone vel imareto nouo Baiasitis, Hadrianopoli recens structo, celebratum in eo primum fuit, quod conoclucum Turci vocant, hoc est conuiuium vel epulum, ad quod inuitati comparent omnis generis viri docti, diuites, pauperes, circulatores, improbi, probi, mendici, & omnium egeni rerum: qui sane tunc vniuersi concurrebant ad nouum illud imaretum Sultaneum, ibique genio pariter indulgebant. Quippe tam bonis hoc epulum, pro more, quam malis adparabatur. Erant etiam ordinati & dispositi ante xenonem ipsum xenodochi, siue piarum ædium curatores & œconomi, qui tum alios, tum inprimis ægrotos, & morbis infectos, ad destinata ipsis loca ductarent. Interim Baiasites continuo Constantinopoli manebat. Et imareti hæc initia fuere celebrata die mensis Silchizis vltimo, & Mucharenis primo, anno IↃ CCC XCIII. C. 1489.

Hinc Sultanus adhuc Cõstãtinopoli quiescẽs, in omnes imperij sui partes litteras misit, quibus Azapos Europæ & Anatoliæ colligi præcepit, pariterq; tribus ducibus, Chadume bassa, Chalile bego, tũc Europæ beglerbego, & Chasane bego, Anatoliæ beglerbego, tam Anatolicos, quam Europæos milites, vna cũ Genitzaris, & palatinis siue prætorianis, aduersus Ægyptios ire iussit. Eodem tem-

pore venit Cõſtãtinopolim orator Vngarus, & ad Baiaſitem admiſſus, legationem ſuam expoſuit.

Initio deinde mẽſis Rebiul-Achiris, die Martis, Conſtantinopoli Chadumes baſſa diſceſſit, Boſporoq; traiecto, qua potuit celeritate maxima Caramaniam petiit, & Ægyptiorum fines ingreſſus, Adanorum vrbem inſtaurauit, Tarſum refecit. Hinc ſeptem vel octo caſtellis in poteſtatem redactis, ibidem manſit.

Interim Hadrianopoli ante templum vetus, quod Eski Zuma Turcis dicitur, in taberna Moteſibi, vel extraordinarij præfecti, qui nimirum primus eſt in vico quolibet, & illic tam ædibus locandis, quam diſtrahendis mercibus pretia ſtatuit, (Moteſili ceteroqui vocatur) die v menſis Rebiul-Euellis, exortum fuit incendium, quo forum calceolariorum, & alterum, in quo bombycinæ merces diſtrahũtur, magno cum hominum detrimento iacturaq; deflagrarunt. Rurſus in eadem vrbe, menſis Rezebis initio, die Iouis, noctu cepit incendium in Iſhaci baſſæ vico, quod ipſum quoq; nõ parum damni dedit. Aliis ſecundum hæc vicibus, die XXIIII menſis Rezebis, & IIII mẽſis Ramazanis, qui Veneris erat dies, in eadem Hadrianopoli, cõſpectus fuit hiatus terræ, ſeptemq; diuerſis in locis ædificia de cælo tacta fulmine fuerunt.

In Aſia vero Turci milites Ægyptiorum agros ingreſſi, ſeptẽ caſtella ceperunt. Ægyptiorum autem copię monte tranſito, quem Turci Bacras adpellant, Taurũ Ciliciæ priſci, niſi fallor, ante naues Turcicas venerunt, eaſq; præterire voluerunt. Sed Turcorum claſſiariis horum trãſitum impedientibus, dum manus vtrimq; conſererentur; exortus ab improuiſo vehemẽs ventus fuit, qui naues inter ſe colliſas ita cõquaſſauit; vt ex eis non paucæ damnũ acciperent, ac vel rumperentur, vel prorſus interirẽt. Diſceſſit hinc Maurorum exercitus, equorumq; natatu flumina duo magna traiecit. Octauo die menſis Ramaſanis, q. Veneris dies erat, in hoſtẽ incidere, nec tamen illũ a fronte ſunt adorti, ſed a latere dextro: quo factum, vt Caramanienſes copias inuaderent, ac diſſiparent. Simul in eodem cornu dextro milites Anatolicos adgreſſi ſunt. Hi quũ obuertere frõtem Ægyptiis cum beglerbego ſuo non poſſent, nec eorũ impetũ ſuſtinere: ſolutis ordinibus, hinc inde diſſipati ceſſerunt, nec curruum ſuorũ, & impedimẽtorum habita ratione; dũtaxat in hoc intẽti, vt inde ſemet aliqua via proriperẽt. Maurorũ vero exercitus in hoſtis irruit impedimenta, eaq; diripuit. Hoc quum fieri viderẽt illi, quotquot impedimẽtis aderant; etiã ipſi, quidquid poterant, rapiebant; atq; ita diffugiebant, vt vna pars alteram non reſpiceret, ſed vnum hoc tantummodo ſibi proponerẽt, vt aliqua via diſcedere poſſent. Occurrit hinc recta Maurorum exercitus exercitui Turcico. Mãſere ſuo loco Genitzari, & acriter in hoſtem dimicarũt. Ac tametſi eis nullæ ſummitterentur auxiliares copiæ, tamen loco ſe minime mouebãt. Europæi certe milites, in acie ſua ſubſiſtẽtes, nemini ſuorum ſuccurrebãt, vbicumq; tamdẽ dimicaretur. Sed hoc Ægyptiorũ impoſtura & fraude factũ fuit. Quippe cõtra milites Europæos nõnihil progreſſi, aliquandiu his obuerſi conſtiterunt. Deinde camelorũ non exiguũ numerum adduci curarũt, iiſq; patinas ſiue lãces æreas obductas ſtãno impoſuerũt, quæ ſole ſplendẽte plurimũ collucebãt, vt e longinquo ſpectãtibus homines eſſe viderentur armati. Milites quidẽ Europæi ſplendorẽ hunc intuentes, armatos camelis inſidere cogitabant, & oculis in eos directis, aciẽ ſuã non promouebant. Interim Alis baſſa; totuſq; prætorianus equitatus, ad horam vſq; ſecundam poſt meridiem, (ea Turcis Ikindi dicitur) in hoſtem præliabantur. Tamdem videns exercitus Ægyptius, hos nullo prorſus accepto detrimẽto, magis magiſq; pergere ſe tueri, atq; etiam alacriores reddi; pedem referre cepit. Hoc modo diſcedentes Mauri, & ad flumen delati, natatu trans amnẽ in alterã euaſere ripam, & in caſtra ſua cõceſſerunt: vbi mox animaduertere currus ſuos diſſipatos, e caſtris abiiſſe. Nam qui ab eis in caſtris relicti fuerant, quum viderẽt ambos inter ſe prœliantes exercitus, præ formidine quadam, ne forte ſui milites inferiores diſcederent, ſuæ conſulere ſaluti & incolumitati volentes, hinc inde diffugerant. Igitur hi Maurorum currus in ea peruenere marini litoris loca, quibus in locis Turcorum claſſis ſtationem ſuam habebat. Quippe nullum iſtic aliud iter

erat,

erat, nulla via, qua ceteroqui transire potuissent, ac discedere, præter illam in litore maris, quam diximus. Tum vero nauales socij Turcicæ classis, curribus &impedimentis hostiũ conspectis, mox e nauibus in hos egressi, oblata diripere ceperunt. Fugientibus Mauris, quidam ex eis interfecti fuerunt, alij suis rebus spoliati. Milites vero Mauri, quos modo sua reuersos in castra diximus, quum ea vacua suorummet hominum discessu reperissent: inter se conuenerunt, & instituta consultatione, quid agendum videretur; propemodum obstupefacti, satis mirari non poterant, quid suis tamdem accidisset. Vt breuibꝰ rem omnem complectar, & ipsi fugam spectare ceperunt. Alis ab altera parte bassa, ceterique begi Turcorum, & ipsi multo melius se facturos censebant, si discederet, quam si diutius manerent. Quippe parum in castris, ab hoste pariter & suis direptis, vti diximus, relictum eis vel annonæ, vel aliarum rerum necessariarum erat. Ideoq; si quid superabat, vna cum tentoriis, & plaustralibus tormentis bellicis reliquerunt, & itineri se totos dederunt; quum captis in ea regione castellis tam præsidia, quã cetera defensioni necessaria imposuissent. Nec vnus quidem ipsorum a tergo mansit, totaq; nocte ad diluculum vsq; profectionem cõtinuarunt, semper vlterius progrediẽdo, quousq; poterant. Consimiliter parum aberat, quo minus etiam Maurorum copiæ disturbarentur, ac diffugerent. Sed Varsacensis quidam ad eos inexspectato venit, ac milites Rumorum (id est Turcorum, quibus ob deuictum Romæorum siue Græcorum imperium, nomen hoc oppressæ gentis mãsit) dissipatos fugisse nuntiauit. Id vbi de Turcis Maurorum exercitꝰ intellexisset, adpetẽte die suos cõscenderunt equos. Primo diluculo colloquebantur inter se, quemadmodũ in rebus obscuris, & necdum certis fieri solet; aiebantque, fortassis hostem fraude quadam vsum. Hoc metu præpediti, ad horam vsque tertiam diei substitere prius, quam flumine transmisso, in alteram se conferre ripam auderent. Simul emissis in omnes partes speculatoribus, quum inspectis & exploratis vndiq; locis in toto illo circuitu, nihil hostile deprehenderent: traiecto flumine, Turcorum in castra venerunt, ingressique horum tentoria vacua, duobus illic tribusue diebus hæserunt; nec vllo penitus hoste conspecto, fugisse Osmaneos senserunt. Quapropter annonis ab hoste relictis vescentes, ad vicinum castellum se contulerunt, idque cum ciuitate tormentis bellicis quatere ceperunt. Ex altera parte fugientibus Turcis, cum bassa proceribusque suis, & quidem per Varsacensium fines, verbis exprimi non potest, quantum a Varsacidis iniuriarũ & damni fuerit illatum; quum innumerabiles ab eis & spoliarentur, & interficerentur. Tamdẽ Eregliam peruenerunt Osmanei, Cariæ ciuitatem in Caramania, priscis Heracliam dictam: vbi tẽpus ad aliquod subsistentes, quantopere fuisset imminutus ac debilitatus exercitus, animaduerterunt. Erat interim adlatum Sultani Baiasitis mãdatum, quo præcipiebatur, vt Alis bassa, cum proceribus quibusdam aliis, ad ipsum absque mora proficisceretur: quod quidem ab his factum, Anatoliæ militibus ad vrbem Eregliam diebus adhuc aliquot hærentibus; qui tamdem & ipsi fuerunt exauctorati.

Quum Maurorum exercitus Rumos exauctoratos accepisset, Adanonorum vrbis obsidionem vrgere cepit, eamque non multo post in potestatem redegit, anno IↃ CCC XCIII. Secundum C.1489. hæc mansit Constantinopoli Sultanus Baiasites, & Budacum begum Caramanoglium, cum Europææ Rumiliæ beglerbego Muhamete bassa, Hiziris begi filio, cumque militibus Europæis vniuersis, vt Aladeuli bellum inferrent, misit. Ischenderi bego Michaloglio sanzacatum siue prouinciam Caisariæ commendauit, & in huius vt belli societatem veniret, præcepit. Expeditione suscepta, forte contigit, vt inopinato filius Aladeulis ab eis caperetur. Huic eruti fuerunt oculi. Pater Aladeulles, ea re sibi nuntiata, statim collectis militibus in hos perrexit. Posteaquam exercitus vnus alteri occurrisset, prœlio pugnatum vtrimque terribili. Tamdem Budacus begus hosti terga dedit, dispersis hinc inde militibus, quos secum habebat. Ischender begus Michaloglius ab hoste captus, & Cairum missus fuit. Hæc quum accidissent, res vicinorum

Aladeuli Rumorum siue Turcorum superioris Rumiliæ, sursum deorsum ferebantur, ipsis in maximo metu constitutis. Et Aladeules quidem begus de inuadenda dicta Rumilia cogitabat, sed nihil tamẽ effecit. Referenda vero sunt
Chr. 1490. hæc ad annum IↃ CCC XCIIII.

Non se mouit hoc tempore Constantinopoli Baiasites. Sultanus autem Misirensis exercitum suum ad Caramaniæ fines ire iussit, nec multo post legatum quoque misit ad Sultanum Baiasitem, qui superbo quodam ex contemtu, legatum ad se noluit admittere. Posteaquam vero Constantinopolim is aduenisset, magnis Maurorum exercitus Caramaniam damnis adfecit, potioremq; partem regionum illarum direptã, flammis & ferro vastauit. Eo Baiasites accepto nuntio, milites Europæos collegit,
† Pandect. cap. 243. & cum palatinis ac prætorianis † Besictasim abiit, ibique castra metatus substitit. Hinc expeditæ iussu ipsius in omnes imperij fines fuere litteræ, quibus mandabatur, vt milites vndique conuenirent. Eius rei fama etiam ad Mauros vsque didita fuit.

Hoc ipso tempore, pridie illius diei, quo die Sultanus Baiasites Besictasi discessit, mẽse Schabane, cælum Constantinopoli tonuit. Primo mane ventus exstitit, hinc pluere cepit. Tum vero subito radiis solaribus abditis, armamentarium fulmine tactũ fuit, & puluis bombardicus, qui quodam in templo collocatus adseruabatur, fulminis impetu fuit accensus. Hinc statim in aëra sublatum hoc templum, rursus in duas tresue plateas ac vicos decidit, & homines illic omnes saxis obrutos neci dedit. Postridie, quam admirabilis hæc tempestas accidisset, retinuere Sultanum Baiasitem Besictasi, qui frequentes conuenerant, proceres ac begi propemodum omnes; habitoque concilio, non permiserũt eum traiicere in Anatoliam: quod dicerent, esse tempus a gerendo bello prorsus alienum: annonæ pænuria laborare regiones illas: magnam apud Turcos militum copiam non inueniri: Maurorum Ægyptiorumue denique discessisse Turcorum a finibus exercitum, domumque reuersum esse. Non admodum abhorrebat ab hisce consiliis Sultanus Baiasites, ideoque de monte in montem animi gratia pergebat; vtque se recrearet, ac voluptatem caperet, Hadrianopolim ꝓfectus est. Numquam enim diu in vno loco, propter sæuientem vbique pestilentiam, commorabatur. Hac etiã de causa reliquit Hadrianopolim, & Ypsalam se conferens,
ibidem Bairamum, quod † Chazilerorum siue peregrinantium vocant, anno † Pa cap. 215.
IↃ CCC XCV celebrauit.

Hinc Gumulzinam Baiasites abiit, Ypsalamq; versus iterum pergens, Hadrianopolim rediit; & exactis in illa vrbe diebus aliquot, Constantinopolim profectus est, vbi diutius hærendum statuit. Huc id temporis ad eum venit legatus Sultani Misirensis, qui non sine magno honore ac reuerentia, quum aliis rebus, tum etiam conuiuiis exceptus fuit. Sultanus quoq; Baiasites legatum, qui hunc comitaretur, Cairum misit anno IↃ CCC XCVI. Chr.

Hic legatus quum illuc venisset, pax inter Sultanum Ægyptium, & Osmanidem, facta fuit: & Adana Tarsumque Turci reddiderunt Ægyptio, cum omnibus opidis & arcibus, quæ ante bellum hoc in Ægyptij potestate fuerant. Hoc modo pax illis restituta fuit regionibus.

Tunc etiam rebus humanis princeps Vngarus excessit, Ianci Huniadis filius: quo extincto, Seuizæ filius cristas erexit, & captum mortui regis filium, Ianci nepotem, in carcerem coniecit, ac seipsum Kiralem Vngarorum constituit. Regio deinde throno potitus, legatum ad Sultanum Baiasitem misit, pacemque cum eo certis legibus fecit. Initio deinde mensis Scheualis, hora diei secunda, quoddam exortum Burusæ fuit incẽdium, quod vrbis aliquot fora cum vicis absumsit. Sultanus etiam Cairensis legatum eximium misit, anno IↃ CCC Chr. 1
XCVII.

Baiasites vero Constãtinopoli digressus, Hadrianopolim accessit; nec procul inde locatis castris, aliquot diebus hæsit, magnũ se bellũ moliri dicẽs. Simul Europæis Anatolicisq; copiis collectis, quibus & palatinos Portæ milites, & Akenzios adiũxit, numerosum in primis exercitũ coëgit. Tum deniq; sui propositũ animi retegẽs, bellum sibi terribile gerendum ait aduersus Vngaros; statimq; Sophiam duxit.

duxit. Sed quum hoc Vngaricum ei bellum parum succedere videretur, Anatoliæ copias, cum Achmete bego Sophię reliquit, Dauudem bassam versus Vscopiam misit: ipse Iahia bassa cũ Europæis militibus antecedere iusso, Manastirum abiit, & omnes ibidem milites suos conuenire voluit. Recta deinde Ioannis in ditionem progressus est. Miserat etiam naues eo quasdam, a quibus interclusa fuerunt itinera, quibus aufugiendum & elabendum Arbanosiis erat. Hi vero in montuosa & aspra loca se receperunt, ad altissimorum vsque montium vertices collectis suis, ibique manserunt. Eorum locorũ itinera tam impedita difficiliaq; sunt, vti ne corniculæ quidẽ istic excrementa sua reiiciant, nec ipse diabolus in ea baculo subnixus se conferat. Libet enim Turcorum phrasibus pęne ridiculis vti. Subiiciunt iidem, tradi quibusdam ab historicis, gentem istam educationis vitio male moratam esse, principib⁹ suis parum fidam, vna dumtaxat vti lingua; tributum nullũ velle soluere, bellis imminentibus aspra loca petere, collectis ibi suis subsistere, prœliari, saxa in hostẽ deuoluere, lanceas in eosdem torquere serpentinis linguis similes, arcus habere ligneos, sagittas egregie ferro munitas, & veneno tinctas. His tamen omnibus posthabitis, præsertimq; sagittis illis noxiis, animosi milites Turcici montes hosce pedites conscenderunt, & accommodatis ad brachia peltis, humi rependo summos in montes, & eorum cacumina tamdem euaserunt: vbi Christianos illos, Muhameticæ legis hostes adsecuti, gladiis suis confecerunt; vxores eorum, cum liberis, seruituti mancipарunt; villas & pagos, flammis iniectis, exusserunt ac vastarunt. Hinc Baiasites, itinere conuerso, Manasterum rediit; ibique diebus aliquot substitit. Quo vero die cum copiis suis indidem mouit, accessit ad eum quidã sceleratus & improbus, ingentis staturæ, cum anulo ad aurem læuam adpenso, ceruice crassa, deruisij habitu amictus. Hic interficere Padischachum Baiasitem voluit, quum se Mechdim esse ꝓfiteretur. De Mechdi vero fabellæ Turcorum referũt, quod e familia prophetæ Muhametis ortus, inadspectabilis obambulet. Addunt etiam, hunc in hominum lucem aliquando proditurũ, & aliquod ad tempus imperio potiturũ. Postea vẽturum quemdam alium, cui nomẽ tribuunt Degnal, & Antichristum fore prædicãt. Hic igitur acinacem stringens manu prehendit, & in Baiasitem recta perrexit. Eius Tzausij deiectis animis, vt hominis impetum euitarent, aufugerunt. Quapropter hic facinorosus ad Baiasitem absque vllo impedimento, iugulandi eius causa, contendit. Sed aderat Padischacho Ischender bassa, qui subito pusdoganum in hunc latronem contorsit, & ictu graui sic hominem prostrauit, vt in caput humi prouolueretur. Hinc frustulatim à Baiasiticis concisus fuit, & imperator Musulmanorum Hadrianopolim venit, anno ɪↄ ccc xcviii. *Chr. 1493.*

Dum quiesceret Hadrianopoli Baiasites, quidam Aga siue tribunus, Iacupes eunuchus, Bozinẽsis prouinciæ sanzacus, excursionem se facturum in Vngariam, præconio publico denuntiauit: & cum Akenziorum tribus quatuorue millibus Vngariam ingressus est. Vngarorũ vero beglerbegus, (sic Banum vocabulo Turcico dignitatis pæne similis auctor exprimere voluit) quem †Direnzilem Banum adpellabant, ei cum xʟcɪↄ Christianorum occurrit; manumque conseruit. *† Pandect. cap. 174.* Sed is Dei nutu pugnæ fuit exitus, vt dissentientibus inter se Christianis, victoria Turci potirentur. Exercitus enim Christianus, in illa perturbatione dissentientium animorum, terga dedit; adeoque Direnziles ille Banus viuus in hostium potestatẽ venit, & compedibus ferreis constrictus, ad Sultanum Baiasitem missus fuit. Is vero magnam ex hac victoria voluptatem cepit, qua potiti fuere Turci anno ɪↄ ccc xcviiii. *Chr. 1494.*

Secundum hæc substitit ad aliquod tempus Constãtinopoli Baiasites, & diu regno quieto & trãquillo est vsus. Tamdem vero collectis exercitibus amplis, versus Einebachtũ, priscis Naupactum nominatam, profectus est; missa quoque mari classe nauium cc, quæ classi Christianorum aliquoties occurrerunt, & pluribus in locis aduersus eam dimicarunt. Ex his postremo prœlio nauali accidit, vt quidam Christianus, Lurdani nomen habens, (Lauredanum Venetum intelligit Turcus auctor. Et ge-

rebatur hoc aduersus Venetos a Baiasite bellum) nauim suam ad Budaci Raisi nauim iniectis harpagonibus adfigeret, idem & alio Christiano ex altera parte nauis eiusdem faciente. Quapropter interceptus ab his in medio Budacus Raisus, maxima virium contentione aduersus vtrosque pugnabat; quum naues inter se cohærere pergerent. Tamdem Christiani paratum artificio ignem in Budaci Raisi nauim coniecere, quo non illa tantummodo, sed etiã reliquæ duæ Christianorum accensę fuerunt; eo quidem euentu, flammis vt simul omnes tres naues absumerentur & perirent. Continuatum nauale prœlium fuit, donec vtraque classis Einebachtum propius accederet. Tum vero Christianorum naues inde discesserunt. Turcica vero classis Einebachtum adgressa, suis e tormẽtis bellicis quasi pluuiam quamdam globorum in ciuitatem emisit. Baiasites etiam terrestri ad vrbem itinere venit. Quo factum, vt Christiani magnam mari classem adhibitam Inebachto videtes, & ipsum Padischachum præsentem; suamet sibi sententia spem omnem auxiliorum præciderẽt. Quumque summa cum animi molestia perspicerent, ad deditionem faciundam omnino se cogi: tamdem ex vrbe magistratus ipsi prodierunt, & adlatis secum pro more clauibus, Einebachtum Sultano Baiasiti dediderũt, anno ꟾↄ cccc v.

Chr. 1499.

Abiit hinc Baiasites Hadrianopolim, & ibidem menses hibernos exegit. Posteaquam æstas adpetiisset, iterum magno cum exercitu terrestri, plurimarumque nauium classe, Methonen profectus est. Vbi classis illuc adpulisset, insignem vrbi terrorem incussit, tormentis bellicis in eam displosis. Ea deinceps e nauibus in terram exposita fuerunt, actæ versus ciuitatem fossæ, muri tribus aut quatuor in locis tormentorum perpetuis ictibus ab vtraque parte quassati mensem integrum, noctu & interdiu: quæ res effecit, vt pluribus in locis mœnia ciuitatis diruta iacerent. Quodam vero die, quum vrbs in hunc modum oppugnaretur; accidit omnem præter opinionem, vt mari naues Christianæ quatuor, auxilium vrbi laturæ, adpellerent; & astu Methonæ portum ingressæ, milites secum aducctos in vrbem immitterent. Tum vero Baiasites horum aduentu Christianorum offensus, militi suo potestatem vrbis diripiendæ fecit, modo per vim ea potiri possent. Quo milites erecti promisso, mox in illam oppugnatione acerrima tam e continenti, quam mari conuolarunt & irruerunt; ac stimulis indignationis animos vrgentibus, hora fere post meridiem tertia, quæ Turcis Ikindi dicitur, vi ciuitate potiti sunt. Tum vero gladiis peremti fuere mares omnes adulti, feminæ cum pueris in seruitutem abreptæ. Capta fuit vrbs initio mensis Muharenis, proximoq; post occupationẽ Veneris die, festo Musulmanorum hebdomadario, ceptæ primũ in ea peragi preces, quæ *Namasi Turcis adpellantur.

Hinc vlterius progressi, recta Coronem duxerunt, opidum Methonæ vicinum. Vix autem castra inter Methonen Coronenque prima locauerant, quum adlatæ fuerunt a Coronensibus, in castra Turcorum, opidi claues, ac Sultano Baiasiti traditæ. Factum hoc etiam eodem mense Muharene, anno ꟾↄ cccc vi. Chr.

His vrbibus captis, Giafiri siue Christiani Veneti, sumtis secũ Hispanorum auxiliis, non exiguo cum tormentorum bellicorum, nauiumque numero, Mitylinen adgressi sunt; & tormentis ad quatiendos muros rite dispositis, sic opidum oppugnarunt; vt quingentos ad cubitos vsque mœnia ciuitatis ab ipsis fundamentis prostrata diruerent. Eius rei nuntij Mityline Constantinopolim venerunt, & quo ciuitatis illius insulæque loco res essent, exposuerunt. Tum absque mora naues Constantinopolitani refecerunt, Azapos vel euocatos (scilicet in militiam) conscripserunt, festinatione summa collegerunt, in naues imposuerunt, Mitylinen ire iusserunt. Ante hoc tempus minime Constantinopoli moris erat, vt Azapi describerentur, (hoc est, vt aliqui referrentur in militum catalogos, ab aliis domi manentibus alendi, ceu libro XIII superius declaratum) minus etiam Constantinopolitani soluebant collationem, quæ Turcis Auarizi dicitur, & nomine classis armandæ solet exigi. Sed quando necessitas id tẽporis ita postulabat, & facti sunt istic Azeporum catalogi, & ipse mos inoleuit, ac mansit. Itaq; classis hæc Constanti-

stantinopoli, quemadmodum indicauimus, adparata & instructa, Mitylinen se contulit. Interea Christiani ciuitatem octies oppugnarunt, nec tamen ea potiri potuerunt. Tamdem intellecto classis hostilis aduentu, obsidione soluta discesserunt. Byzantini vero Mitylinen nauigarunt, & refectis locis, ab hoste destructis, Constantinopolim redierunt. Tum denique coacti fuere magistratus Veneti, vt honoraria Baiasiti munera mitterent, & pacem impetrarent, confectam anno ɪↄ cccc vii.

Secundum hæc, bella nulla Sultanus Baiasites gessit, sed Cõstantinopoli mansit, pluribus annis in otio tranquillitateque senili exactis.

Anno deinde ɪↄ cccc xv, mensis Zumasiul-Euellis die sexto, primo noctis tẽpore, post * Namasi Iatzu, hoc est, post Turcorum preces illas, quæ noctis hora secunda concipi solent, horribilis & magnus terræ motus accidit, quo turrium, tẽplis adiunctorũ, fastigia rupta corruerunt, meschitarum cubæ rimas egerũt, pluribus in terram deiectis; ædium infumibula humi prostrata sunt, vrbis muri fissi, turres eorũ ac pinnæ collapsæ. Plurimi quoq; mortales a parietibus & muris corruentib. oppressi perierũt. Quũq; nemo non saluti suæ consuleret, domo sua quilibet egrediebatur, & in aperta sub dio loca cõfugiebat. Si quis adiunctã ædibus suis areã, si hortum habebat, in aream, hortumue confugiebat: cui neutrum erat perfugij loco, publicas in plateas se recipiebat. Tantus nocte prima terræ motus huius erat impetus, vt omnes vtriusq; sexus homines somnum oculis tã tota nõ viderent suis; sed formidabili spectaculo exanimati miserabiliter exclamarẽt. Nonnulli preces ad coronam (sic Turci vocãt, ad imitationẽ superstitiosorum etiam apud nos hominũ) recitabant, alij legebãt orationes quasdam, peccatorum vt indulgẽtias impetrarẽt; non deerant denique, qui certis se votis ad ipsum vsq; diluculum obstringerent. Durauit inde noctu & interdiu terræ motus hic ad dies xl, singulis vt horis, citra intermissionẽ sentiretur. Sultanus autem Baiasites, tanto in vrbe detrimento accepto, missis tam in Europęam, quam Anatolicam Rumiliam mandatis, ad lxxxcɪↄ tam architectorum & fabrorum, quam mercennariorum colligi iussit, & Constantinopolim mitti. Postea quam eo venissent, architectus Cõstantinopolitanus, quem Meimarem Turci dicunt, Ingenierum Itali, velut artificem industrium, fabros singulos in loca sua distribuebat, cum operarum præfectis & exactoribus: omnibus autẽ præesse iussus fuit Genitzarorum Aga siue tribunus, Iunusces Aga. Sultanus ipse Baiasites Hadrianopolim abiit, & ibidẽ mãsit.

Accidit post hæc in Anatolia, quodam in loco regionis Tekensis, cui nomen Kisul-Caia, saxum rubrum significans; vt quidã nominatus Chasan Chelife, cum alio quodam, qui Schach-Culi vocabatur, & puer siue famulus ipsius erat, res nouas moliretur. Hi quadam in spelunca pluribus annis ætatem egerãt, & Sultanus Baiasites eis ad sex septemue quotannis asprorum millia, Deo rem se gratam facere putans, cuius illi cultum religiose profiterentur, mittebat. Sed erant † Kisulbassæ vel Persæ, qui ea semet in loca contulerant. † *Pandect. cap. 188.* Tamdem ipso die nundinarum vel mercatus Antaliensis, quę ciuitas priscis Attalia dicebatur, magnis cũ copiis hominum vrbem ingressi diripuerũt, captũq; Cadium siue iudicẽ adfecere supplicio, quatuor in partes dissectũ, quæ templorũ siue meschitarũ in turribus totidem suspensæ fuerũt. Hinc quosdã e suis quasuis in partes dimisere, nuntiatum populis, omnino se victoria potituros. Motum quoq; suum legis siue superstitionis suæ sociis significarunt, hoc est Kisulbassis: qui mox omnes ad eos sic confluxerunt, vt hominũ ad xcɪↄ secũ haberent, collectis præterea de Tekensi prouincia plurimis. Quumque dictis e locis discederent, Caragosen bassam, Anatoliæ beglerbegum petierũt, eumq; prœlio terribili sic adorti sunt, vt istic Kisulbassarũ fines atque limites esse viderẽtur, & Osmaneorum illi subditorum fortunas hinc inde grassando diriperent. Cõmiserunt & alterũ Kisulbassæ cũ Osmaneis prœlium, eosq; fusos fugatos vicerunt. Caragoses ipse bassa saluti suæ fuga consulturus, a persequentibus Kisulbassis captus, & Cutaięn perductus fuit; vbi virũ egregium, in conspectu ciuitatis palo transfixum, Sehidorum agminibus adgregarunt. Dissentiebant animis & opinionibus

Sanzacbegi Anatolici, quæ quidem erat cauſa, quamobrem in prœliis hoſti reſiſtere nullo modo poſſent. Eadem vſus occaſione Kiſulbaſſarum hic princeps, ſuas indies auxit vires, & quum alia regionibus his intulit mala, tum flammis eas & ferro vaſtauit. Hinc relictis illis locis, Aidinenſem prouinciã ingreſſi ſunt. Interea Sultanus Corcutes (Baiaſitis hic filius erat, cui datum hoc nomen ab incutiendo terrore) Padiſchacho Baiaſiti ſtatũ rerum omnium, & quid iis in locis gereretur, ſignificauit. Excanduit Sultanꝰ Baiaſites aduerſus Vezires ſuos, Alim baſſam, & Achmetẽ baſſam Hertzecoglium; quum eis obiiceret, quantum illi Kiſulbaſſę damni ſuis dediſſent, ſe tamẽ interim nullo verbo ab eis monito. Simul Ali baſſæ mandatum ſuum exponi iuſſit, vt in Anatoliam celerrime ſe conferret, meritiſque pœnis hos improbos adficeret. Ni faceret, ſe cutem ei viuo curaturum detrahi. Fecit Alis, quod imperatum fuerat; & in Anatoliam veniens, cum Sultano Achmete, Baiaſitis & ipſo filio, coniungendos exercitus ſtatuit: quibus acceſſerunt etiam copiæ numeroſę militum palatinorum, & Genitzarorum, & aliorum plurium. Duxit hos Alis baſſa mediam in Anatoliam, & ad Kiſul-caiam profectus, ſubſtitit. Sultanus etiã Achmetes, cum vno ſuis e filiis, Amaſia diſcedens, huc venit, & cum Ali baſſa ſe coniunxit. Aliquot hinc ab eis quieti militũ dati dies in illis locis. Interim verſus Caramaniam progreſſi fuere Kiſulbaſſę, cuius prouinciæ beglerbegus Haidar baſſa, cum Zindi Chelile, (nomen hoc Chelilem gladiatorem ſignificat) qui Sanzacbegus erat in eadem regione, prœlium cum eis commiſit, quo prœlio tam Chaidari baſſæ, quam Zindi Chelili capita fuerunt amputata, relatis ambobus in numerum Sehidorum. Hinc vero diſcedentes Kiſulbaſſæ, planiciem ad quamdam perrexere, cui nomẽ Zibuc-Oua datur, campum virgarum ſignificans. Situs eſt inter Caramaniæ Caiſariam, a qua milliaribus Græcis XLVI abeſt, & Siuaſten, a qua ſexageſimo quinto milliario diſtat. Hic eorum diſceſſus quum Ali baſſæ nuntiatus eſſet, non parum animo perturbatus & excandeſcens, (hoc Turcis eſt, homini ſurſum animam in caput inſilire) verbis ſuos huiuſmodi eſt allocutus: Quiſquis bene mihi vult, equũ adſcendat. Itaque ſtatim conſcenſis equis, pleno curſu progreſſi ſunt; donec in planiciem, cui Zibuc-oua nomen eſt, perueniſſent. Tum Kiſulbaſſæ, Oſmaneorum aduentu cognito, ſtatim caſtelli cuiuſdam inſtar camelos in ambitu cõſtituerunt, & in medium munitionis illius ingreſſi; portas etiam ad interualla certa reliquerunt, per quas egredi pugnatum cum hoſte poſſent, & hoc modo parati ad excipiendos Turcos in acie ſtabant. Ab altera parte, cum Ali baſſa militum ad IICIƆ plus minus venerant: & quia totis XV diebus iter illud curſim confecerant, tum ipſi defatigati erant, tum equos ſuos pæne dixerim enecauerant. Alis autem baſſa, ſuis compellatis: Eamus, inquit, in hoſtem; & cum eo confligamus. Aderat vir quidam multo rerum vſu præſtãs, Cara Muſa nomine, Oloſegorum * Kihaia, quem nos Vleſetzorum baſſæ locum tenentem vel vicarium dicere ſolemus. Is Ali reſpondens: Exſpectemus, ait, donec aduenerint illi milites, quos a tergo reliquimus. Nam hoſtes hi quidem progredi iam deſinũt, nec e manibus noſtris elabentur. Vel ad duos dumtaxat dies exſpectate, donec Ramaſanis filius veniat. Tum Alis baſſa: Quis, inquit, eſt Ramaſanis ille filius? E poteſtate nimirum Alis exierat, ad inſaniam redactus. Itaque ſubito cum ſuis in hoſtem pugnare cepit. Dum Kiſulbaſſæ Turcos irruentes exciperent, forte vulneratus ſagitta Chaſan Helifes, confeſtim exſpirauit: vnde ſtrepitus & clamor ingens intra munitionem, quam diximus, exortus fuit. Alis inde baſſa calcaribus equum adegit, & medios inter Kiſulbaſſas prouectus, dũ ſtrenue pugnaret, occubuit. Poſteaquam id accidiſſet, mox ita cogente neceſſitate, milites ipſius fugere ceperunt. Quamobrem in itinere ſuo Kiſulbaſſæ progreſſi ſunt abſque impedimento, quumque Perſicos fines adtigiſſent, Tebrizium recta contenderunt. Obuiam vero † carauana quædam eis venit, cuius omnem hominum multitudinem occiderunt, merces diripuerũt. Ea carauana Schachi Azemiorum ſeu Perſarum Iſmailis erat. Hinc Tebrizium iſti pergunt, eorumq; duces omni ſtudio beneuolentiam Iſ-

mailis

mailis captare cœperunt. Schachus autem Ismail: Cuius, inquit, iussu patris mei iurati & adoptiui (Sultanum Baiasitem intelligebat) bassas occidistis, & tantis damnis subditos eius adfecistis? Respondere, se totam hanc expeditionem ipsi⁹ Schachi causa suscepisse, Iezideosque vel hæreticos cæsos puniuisse, dumtaxat vt ipsi gratificarentur. Ad ea vicissim Schachus: Quamobrem vero necastis eos, ait, qui cum carauana proficiscebātur? cur merces illas rapuistis? Hoc vero facinus quum excusare verbis non possent, mandauit Schachus Ismail, vt horum milites aut deni, aut viceni begis suis traderentur, hinc inde distributi: capita vero seditiosorum Cordzis, vel stipatoribus sui corporis, & satellitibus obiicerentur, vt eos interficerent.

Post hosce Kisulbassarum tumultus, Tarabozane vel Trapezunte discessit Sultan⁹ Selimes, & nauim ingressus, per mare nigrum Cofen siue Capham traiecit. Hinc versus Europæam Rumiliam tendēs, ad opida Kilin & Ac-girmenen, quæ Græcis est Asprapolis, Bialogrodū Polonis, accessit. Sultanus autem Baiasites, intellecto filij Selimis aduentu, Cadium vel Prætorem Constantinopolitanum Sari-gresem, & Seimen aut † Seguanem bassam, legatos suos obuiā ei misit; vt Selimis animum moderarentur, & bonam ad frugem reuocaret. Hi quum ad eum profecti venissent: Pater, aiebāt, tuus significari tibi iussit, vt tuum ad sanzacatum prouinciamque redeas. Nam ceteroqui futurū dicit, vt etiam fratres tui, moti exemplo tuo, suis e prouinciis exeant, resq; nouas cum imperij Musulmanici detrimento moliantur. Ad ea Sultanus Selimes respondens: An non diuinitus præceptum est, inquit, vt saltim quisq; tertio vel quarto quoque anno semel eat visitatum suos? Etiam ipse motus hoc præcepto, patrem meum visitatum proficiscar, ac deinde meum ad sanzacatum reuertar. Quidquid omnino rationum in medium adferrent, non tamen efficere poterant vllis verborum blanditiis, vt retro, qua venerat via, domum rediret. Quapropter reuersi sunt ad Sultanum Baiasitem hi legati, qui statim iisdem remissis, filio dici voluit; Semendren ei patris liberalitate donatam. Illuc se conferret, ac ibidem maneret. Negauit hoc se facturum Sultanus Selimes vllo modo prius, quam suis patrem vidisset oculis, & manum eius osculatus esset. Acciderunt hæc anno ɔɔcccccxvii. Chr. 1517.

Sultanus inde Selimes ad vrbem Hadrianopolim propius accedens, castra metatus est. Tū vero Sultanus etiam Baiasites Hadrianopoli mouens, milites a rebus omnibus instructos secum sumsit, & Constantinopolim ire instituit. Selimes, cognito patris adparatu, comitatusque frequentia: Quum pater, inquit, Hadrianopoli tantummodo Constantinopolim proficiscatur, nullum in itinere hostem inuēturus est, cuius causa tot begos, totque milites secum ducere debeat. Sed equidem video, quid cum animo suo facere constituerit. Nimirum fratrem meum, Sultanum Achmetē, regno præficere cogitat. Quibus dictis, castra Selimes mouit, & antecedentem patrem recta secutus est, donec vterque Zorli vel Tzuruli fines adtigit. Ibi cum patre filius prœlio congredi cœpit. Adeo debiles ex arthretico morbo pedes erant & crura Baiasiti, vt equitare non posset, tantumque curru veheretur. Hunc currum velis obduci iubens, opem numinis iusti precibus implorabat. Quum aliquamdiu pugnatum esset, victæ fuerunt Sultani Selimis copiæ, qui omni suo thesauro cum impedimentis relicto, fugam arripuit, & ad litus Nigri maris, in pagum quemdam, cui Midia nomen est, properauit. Huc vbi peruenisset, nauim ingressus, Cofen nauigauit. Sed eadem adhuc hieme rursus itinere maritimo in Europæam Rumiliam traiecit. Nam ab altera parte, iudex castrensis maximus, (Casi-askerem barbari dicunt) Muegedis filius, & Tazis fili⁹, qui * Nischanzis bassæ munere fungebatur, (hoc est, qui sigillorum erat custos) & Iunuses bassa, Sultano Achmeti familiares, munera hinc inde distribuēda magno numero congesserant, & publice famā de Sultani Achmetis aduētu spargebāt, eūq; paterno potiturū imperio, quasi minime dubitātes adserebant. Intellexerant horum conatus & cōsilia Genitzari. Quamobrē nocte quadā excitato tumultu, horū ædes vi pfregerunt & expugnarūt, & quidquid in eis reperiri posset, diripuerūt. Chasanis etiam bassæ domum adorti spoliarunt, aliaq; plura

* Pandect. cap. 228.

satis insolenter & proterue perpetrarũt. Venerant in vrbem nonnulli, a Sultano Achmete missi; qui fugæ remedio suam tueri salutem coacti fuerũt. Secundum hæc misere Genitzari quosdam e suis, qui Sultano Selimi significarent, ad vrbem modo veniret: se quidem ipsum in throno regio collocaturos. Accessit & Sultanus Achmetes haud procul Vscudari, e regione Cõstantinopoleos, quam prisci Chrysopolim dixerunt, ad pagum Mal-tepen, quo vocabulo diuitiarum mons singnificatur. XIIII a Constantinopoli pagus hic milliaribus, trans Bosporum in Asia situs, abest. Is sua cum patre, vicissimque cum filio mutua pater consilia communicabat. Et misit ei pater nummûm aureorum summam non exiguam. Quibus Achmetes acceptis, inde discessit, & ex illo tempore portus maris omnes, (scalas Turci cum Græcis & Italis adpellant) omnesque reditus Anatoliæ, cum portoriis & vectigalibus, in potestatem suam redegit. Administrabat etiam, patre viuente, quasdam in Asia regiones & opida Sultanus Corcutes, eiusdem Sultani Baiasitis filius: quem Sultani Achmetis mancipia quædam improba lædere ceperunt, & in possessione ditionum suarum turbare. Quamobrem profectus Calliopolim Sultanus Corcutes, ibidem cum duobus aut tribus e suis nauim ingressus, Constantinopolim abiit, & in meschitam quamdam, e regione domiciliorum sitam, in quibꝰ Genitzari degunt, diuertit. Ea re Baiasiti nuntiata, remouit ipsum longius a Genitzaris pater, & penitius intra vrbem ei metatorum opera iussit hospitium adsignari. Patris inde manum, bona cum ipsius venia, pro consuetudine gentium illarum osculatus; suum in hospitiũ, quo diuertere iussus fuerat, rediit. Iam Sultanus quoque Selimes ad †Pontem minorem venerat, quod opidum non procul ab vrbe distat. Ei Sultanus Corcutes obuiam profectus fuit. Quum alter ad alterum accessisset, in equis se mutuo salutarunt, & amanter inuicem collocuti sunt. Ingressus vrbem Selimes, ad Genibaxam, (hoc ab hortis nouis loco nomen est) medio in prato sub tentoria diuertit; Corcute suum in hospitium se recipiente.

† Pandect. cap.196.

Conuenere secundum hæc Genitzari, & propius ad diuanum, qui Sultanei concilij locus est, progredientes; decem Iaia-bassas, hoc est præfectos militares, ad bassas suo nomine legarunt, hac vsuros oratione; Se pro suo Padischacho & imperatore Sultanum Selimem habere, Padischachi Baiasitis filium. Patrem enim manibus ac pedibus mancum, non amplius vel interesse, vel præesse bellis posse gerendis. Hoc modis omnibus indicarent Sultano Baiasiti, lubens vt regno semet abdicaret, filioque Sultano Selimi Padischachlucatum & imperium sponte traderet. Ni feceritis, exeuntes vos e diuano meritis suppliciis adficiemus, & nihilo minus Sultanũ Selimem regium in thronum collocabimus. His dictis, ingẽtem maioris formidinis causa strepitum ac tumultum, sublatis clamoribus, excitarunt. Audita legatorum oratione, decem illos Iaia-bassas secum vezires ipsi bassę suum ad Padischachum introduxerunt; eique sententiam Genitzarorum, quam hi significare bassis iussi fuerant, exposuerunt. Respondit imperator Baiasites, quamdiu saluus & incolumis ipse futurus esset, nemini suum se traditurum imperium. His dictis, Mustapha bassa, qui Vezir-azem, siue primꝰ a consiliis erat, suum Baiasiti titulum tribuens: Deuletlu Hunggiar, inquit, (hoc est, felix & potens imperator auguste) nos salem & panem tuum comedimus. Interfici nos iube. Nam quum primum hinc abs te discesserimus, mortem Genitzari nobis inferent. Tum Baiasites: Quid vero vobis videtur? inquit. Siquidem imperio me non abdicauero, venturine sunt, vt mihi vitam adimant? Illi facturos hoc quidẽ negauere Genitzaros, sed iniectis tamen spiculorum suorum vncis in caphtanum ipsius, (hoc est, in mandyam †vel tolomanem) de sede regia vel inuitum detracturos. Id quum Padischachus audisset, ad aliquod tempus ea, quæ dicta fuissent, expendens; inde rursus erecto capite, Bassas intuens, & compellans: Equidem, ait, imperium meum Selimi filio meo dedi. Quæ verba quum Genitzaris renuntiata fuissent, magno cum plausu discedentes, ad Sultanum Selimem se contulerunt. Et acciderunt hæc anno ꟾↄ CCCC XVIII.

† Pand. cap.199.

Chr.151

Postridie misit Sultanus Baiasites arcas thesauri regij, cum ipsis bassis, ad filium

lium Selimem; præcipiens eis, vt Padischachum & imperatorem suum adiret: sed eidem nomine suo dicerent, petere patrē viginti dumtaxat dierum dilationem. Interea nouis in hortis (Geni-baxam Turci nominant) ipse degeret, donec vrbe pater excederet, ac Dimetocam profectus, ibidem maneret. Hæc quum significata Sultano Selimi, nomine patris, essent; Liberū, inquit, esto per me patri meo, rerum vt summā cum bassis suis administret, quam diu voluerit. Altero die patrem adiit Selimes, eique manū est osculatus. Tum surgens e tachto pater, quo vocabulo significatur regū sessioni deputatus apud Turcos locus: Accede mi fili, ait. Tu Padischachus es, ego me regno abdicaui. Heic te sedere par est. Selimes autem respondens: Nequaquam, mi pater, ait. Equidem mancipium sum patris & domini mei. Nihil aliud in votis erat mihi, quam vt vultum mihi tuum intueri liceret, ac manum osculari. Tachtum sedemque regiam tibi fortunari opto. Mihi nil gratius erit, qui mācipium tuum sum, quam vt hinc bona cum pace tua discedam. Tum Baiasites: Fili, ait, ex animo tibi throno regio cessi. Sed hoc tibi consulo, ne quem absque causa interficias. Adsensus admonitioni paternæ Selimes, ad tentoria sua, quæ in Genibaxa siue nouis hortis habebat, abiit. Postridie Genitzarorū Agam arcessiuit. Quum aduenissent Genitzari, diuanum siue cōcilium habitum fuit, in quo primum eos Selimes adpellans: An me vultis, inquit, adgnoscere pro vestro Padischacho? Genitzaris se velle respondentibus, denuo quæsiuit: At si quis vestrum res nouas molitus fuerit, an hūc puniri a me patiemini? Adnuētibus illis; Accipiam igitur, inquit, oblatum imperium. Die sequenti, quum ad eum bassæ venissent, ad arborem Genitzarus quidā, qui auream in capite gestabat *vscufiam, suspensus; & Vlefetzus quidam capite plexus fuit. Eam luit pœnam Genitzarus ille propterea, quod itare soleret ad Sultanum Achmetem, ac frequenter redire, velut explorator. Posteaquam Sultanus Selimes ad imperium hoc modo peruenisset, frater ipsius Corcutes, naui conscensa, Manissam rediit.

Post aliquot deinde dies digressus Constantinopoli Sultanus Baiasites, Dimetocam se contulit. Eum Sultanus Selimes extra portam vrbis, quā dicūt Hadrianopolitanam, deduxit. Inter eundum, Baiasites remotis velis, quib. ipsius currus erat obductus, de pluribus rebus e curru cum filio collocutus est, eumq; non paucis vitæ recte agendæ præceptis & consiliis instruxit. Hinc alter alteri valedixit. Baiasites Chapsen delatus ad flumen, cui nomen est Sasli-dere, hoc est amnis iūcosus: adpetēte mortis hora, reb⁹ humanis excessit. Fun⁹ inde Cōstantinopolim deductū, & monumento, quod viuus, propter imaretū, & Zumam tēplumque sui nominis, sibi struxerat, illatum fuit.

DE BAIASITE SECVNDO, *ex Haniualdano codice.*

FAtebuntur omnes, quibus commentarios hosce nostros legere libuerit, magnam Turcicis rebus ex Haniualdani codicis historia lucem inprimis accedere. Vidimus hoc verum in iis, quæ supra, compluribus in locis, dedimus: & modo parebit illustrius, vt equidem arbitror, ex iis, quæ liber ille de Sultani Baiasitis secundi rebus gestis insignia, rerumque copia maiori exposita, continet. Accedamus igitur ad ea cognoscenda, sic tamen, vt initium narrationis ex historia Verantiana repetamus; omissum heic eo cōsilio, ne semel dicta, cum molestia lectorum denuo repetantur.

Posteaquā inito Baiasites imperio, fratrē nouis studere reb⁹ accepisset, ideoq; cum exercitu traiecisset in Asiam: venit, vt dictum, e Caramania suis & ipse cum copiis Zemes, & castra castris fraternis propter Anatoliæ Neapolim opposuit. Heic dum sine prœlio, dieb⁹ aliquot abeuntibus, ambo cōmorantur; certior factus fuit Baiasites, Geducem Achmetem bassā ex Apulia, relictis ibidē, ad redactorū in potestatē locorum defensionē, idoneis præsidiis, in castra venisse. Læt⁹ hoc nūtio Baiasites, adduci virū iussit. Is vero, quū ad Sultanum venisset, cōfestim ex equo desiliit; & propius ad eū pedes accedēs, manū principi, pro more gētis, osculat⁹ est; eiq; fausta regni auspicia precat⁹. Acciderat vero quondā ante plures annos, pugnāte Sultano Muhamete aduersus Vsun-chasanem, Baiasite Mustaphaq; filiis eius expeditionis sociis, vt in ipso prœlio, quum dextro Baiasites aciei cor-

nu præesset, Sultanus Muhametes ad eam aciei partem, Baiasiti commendatam, respiceret; & ordines illic, seriesque nonnihil confusas, & perturbatas, animaduerteret. Itaq; Geduci Achmeti bassæ mandarat, vt iret, aciemque Baiasitis melius instrueret, ac suis ordinibus restitueret. Quapropter Achmetes bassa busdoganum clauamue ferream in manum sumens, dictum latus dextrum suos ad ordines seriesque reuocauerat, & tamdem ad ipsum quoque Sultanum Baiasitem venerat: quo interrogante, quid vellet, quidue faceret in acie sua? responderat Achmetes quasi per obiurgationem, itane disponendam censeret aciem? itane series ordinandas? adeoque pluribus eum verbis paullo acrioribus tetigerat. Itaque commotus id temporis Baiasites, quasi minitabundus subiecerat, inuēturum se suo Geducem Achmetem aliquando loco & tempore. Cui vicissim Achmetes: Quid obsecro tu mihi facturus sis? dixerat. Vbi regnum ad te peruenerit, equidem lateri meo gladium non amplius accingam. Huius ergo rei, verborumque suorum memor Achmetes bassa, quo tempore nūc Sultano Baiasiti manum osculaturus erat, gladium suum ad equi sellam suspenderat. Hoc vero quum Sultanus Baiasites vidisset, necdum id, quod olim acciderat, animo Achmetis excidisse deprehendit. Adducitur interim equus Achmeti bassæ, qui statim in eū insiliit. Tum vero Sultanus Baiasites eum baculum, quem manu gestabat, ceu magistratus symbolum, (Græcos sceptra dixisse, notatum † alibi) mox Geduci Achmeti porrigens; Mi Lala, mi tutor, ait; itane tamdem ex tanto temporis interuallo te video? Nunc ipsum tempus postulat, vt iterum coniungamur, & rerum gerendarum societatem ineamus. Accipe gladium, eoque latus tuum accinge, ac præteritorum obliuiscere. His actis, respexit ad dextram læuamque Geduces Achmetes, & ordinatas perfunctorie vidit acies. Quapropter adpellatis bassis: Itane vero in hostem itur? inquit. Itane solet ordinari acies, & res militaris administrari? siccine domini vestri negotia recte curatis? Hæc dicens, & per ipsas acies ordinesq; militum incedens, ad Genitzaros & Palatinos denique peruenit. Illi mox Achmete conspecto, clamorem sustulerunt, & saluum eius aduentum gratulati sunt. Tum Geduces Achmetes: Hem mei commilitones, ait, non iam salutandi tempus est. Multis in locis militię fuit hactenus inter nos societas. Nunc quoque pro salute patriæ, pro incolumitate patris patrię, principis nostri, capita nostra periculis alacriter obiiciamus. His prolatis, Genitzaros apte dispositos in ordinem redegit. Hinc Europææ Rumiliæ militum aciem obequitans; etiam ibi cohortes seriesque recte distribuit. Hoc modo totus exercitus ex aduētu Geducis Achmetis singularem voluptatem cepit, eoque nomine sibi gratulatus est; & animos maiores sumsit. Hactenus Zemis Sultani milites Baiasiticis superiores erant, eosque sæpenumero fundebant, fugabant. Sed quum primum Geducem Achmetem bassam in castra Baiasitis venisse nuntiatum esset, ipsimet animis non parum deiectis, principi suo dicebant; adesse Geducem Achmetem bassam, hostilis nunc exercitus imperatorē. Tum Zemes: Hai Cachpezne, hem meretrix illa mulier, inquit, vnde tamdem huc adpulit? Non potuit ergo, secundum hæc, Sultani Zemis exercitus Baiasiticis amplius resistere. Quatuor aut quinque Azaporum millia Zemes Genitzaris opposuerat, quos ita cæsos a Genitzaris constat, vt nulli superstites ex Azapis manserint. Itaq; Zemes Sultanus hāc rerum suarū condicionem, exercitu profligato dissipatoque, magna cum animi mæsticia deplorauit. Sultanus autem Baiasites victoria potitus, ibidem castra metatus est, vbi hostem superauerat; omnesq; captiuos ad se perduci iussit. Dictum, factum. adducti fuerunt omnes. Tum vero censuit, eos in libertatem restituendos. Sed Geduces Achmetes, eius sententiæ repugnans: O felicissime regum, ait, sane recenter admodum imperio potitus es. Terror aliquis aduersus te delinquentibus incutiendus erit. Me quidem auctore, supplicio mortis hos omnes adficies. Factum ergo, quod consulebat Achmetes, & omnibus amputata fuere capita. Zemem inde secutus est a tergo Sultanus Baiasites, ad vrbem Coniam recta se conferentem. Ibi quum triduo Zemes substi-

† Pandect. cap. 173. & 199.

substitisset, thesaurum suum, argētum & aurū factū, infectum, cum reb⁹ aliis, quæ auehi poterāt, abstulit; & matrē suā, cum filio filiaq; sua, secum sumens, in Sultani Misirensis regnū ꝓfectus est. Vix abierat Conia Zemes, quū eodē & Baiasites veniret. Zemes autē Sultan⁹, fraternis insidiis & vi liberat⁹, a Sultano Misirensi petiit, vt sibi potestatē faceret adeūdi templi Meccani, quod visitare peregrinātes Musulmani religionis ergo solent. Id ab Ægyptio non difficulter impetratum. Quapropter eodem anno Zemes peregrinatum abiit ad tēplum Meccanum, ibiq; pro more loca tēpli omnia plustrauit & inspexit. Deinde reuersus, nouum aduersus fratrē bellum molitus est, nec Sultanū Ægyptium, id dissuadentē, audire voluit: apud quē tamen interim matrē suam, cū filio filiaq; reliqt. Intellexit mature Sultanus Baiasites, Zemem cum copiis aduersus ipsum venturū. Proceres quidē nōnulli clam datis ad Zemem litteris, hortati fuerāt, vt veniret; simulq; polliciti, se regnū ei tradituros. Hac ille de causa Misirensis e regno cum copiis mouerat, & expeditionē hāc susceperat. Sultanus autē Baiasites, Zeme iā bellum exorso, suis vti rebus consuleret, ne quid eæ detrimenti ꝑ absentiam suam caperēt; Iahiam bassam in Europæam Rumiliam misit, eiq; baratum siue mādatum, litteris exaratū, dedit; quo mandato curā ei conseruandæ tuendæq; cōtra quosuis hostes Europææ Rumiliæ cōmittebat: dignitates & officia cōferendi potestatē faciebat: regni Græciæ totius administrationē integrā tradebat. Quamobrem ꝓfectus ad creditas fidei suæ regiones Iahia bassa, Sophiæ cōsedit; omnesq; begos ac ꝓceres, cū ipsis Europæis exercitib⁹, ad se venire iussit: qui sane totum illum annum Sophiæ apud Iahiam bassam, Europææ Rumiliæ beglerbegum, exegerunt. Iahia vero bassa, cōmissæ sibi rerū administrationi satisfactur⁹, dignitates, officia, timaria, possessiones, agros, prædia, cū fructibus annuis, nōnullis cōcessit, aliis ademit: quando Sultani Baiasitis priuilegio plenum ius & hæc, & alia libere agēdi, nanctus fuerat. Interim Baiasites ipse cum militia palatina, cumq; copiis Anatolicis, aduersus fratrē suum Zemem ꝓfectus est. Oriri vero ceperūt in eius exercitu rumores varij, ꝑsertimq; sparsum, ꝓceres quosdam regē sibi delegisse Zemem; vnde tamdem animorum secuta distractio. Sultanus etiam Baiasites de suis dubitare rebus, iisq; metuere cepit: quarum quidē stabiliendarū causā, pecunias in militē suum maximas erogauit. Tamdē & Zemes animaduertit, neminē illorum, qui se studere partibus eius ꝓfessi fuerant, ad se transire; ꝙ iam Baiasites omnium animos largitionibus immensis occupasset. Quapropter saluti suæ consulturus, in rupem quamdam secessit; e qua digressus, ad mare se cōtulit, & Rhodum nauigauit. Tradūt aliqui, Sultanum Zemem, quum nauim ingrederetur, vltro suos homines ab se dimisisse, quos secum habebat; eisq; potestatē fecisse, quo vellent, abeundi: datis pri⁹ ad Sultanum Baiasitem, fratrē suum, litteris; & aliis, ad Geducem Achmetem bassam exaratis. Ipse dumtaxat e suis septē secum sumēs, mari Rhodiam, quam diximus, ꝓfectionem instituit. Princeps autē Rhodius eum velut in custodia diu admodum habuit, cui Sultanus Baiasites quotannis magnā aureorum nummûm summam, ad fratris alimenta, soluere solebat. Postea princeps idem Rhodius Zemem Francorum & Italorum principi misit. Eo nomine Turci Karolum VIII, Francorum, & postea Neapolitanorum regem, intelligunt.

Ab altera parte rediit Sultanus Baiasites, superato fratre, Cōstantinopolim; & ꝑscriptas a fratre litteras vidit ac perlegit. Simul dubitare de Geduce Achmete bassa cepit, opinionemq; sinistram cōcipere, ne forte Zemis ille partes amplecteretur. Itaq; veredarios ad eum Baiasites misit, qui hominē cito venire, militēq; secum reducere iuberēt. Olim vero Geduces Achmetes Ishaci bassæ filiā duxerat vxorē, quam oblati a Mustapha Sultani Muhametis filio vitij causa, de quo dictū † alibi, diuortio repudiatā ab se dimiserat. Eā ob rē Ishacus bassa cū Geduce Achmete grauissimas exercebat inimicitias. Sed tam ferox erat Geducis Achmetis indoles, vt omnino nemini cederet. Si qd in ipsum ab Ishaco bassa contumeliose diceret, retorquebat animo magno, parque ꝓ pari referebat, & ipsum bassam Ishacum flocci faciebat. Nāctus igitur hāc Ishacus bassa se vindicādi de Geduce Achmete occasionem,

† *Pandect. cap.143.*

Sultani Baiasitis animũ,per se suspicacẽ, & Achmeti parum ex indicata causa ꝓpitium, magis aduersus eum inflammare cepit,&aures eius absq; intermissione obtundere, Geducemq; ꝓditionis insimulare,quæ in neruum eruptura tamdẽ esset. Vtebatur &aliis dolis ac fraudibus, dũtaxat vt Achmeti noceret, & insidias strueret. Postquã ergo Geduces ex hoc bello rediisset,visum est Sultano Baiasiti, collectos ꝓceres suos omnes ad epulũ inuitare. Quum conuenissent,sumtu splendoreq; maximo excepit eos, & vinũ cum eis haurire cepit. Vnus dũtaxat Alis begus Michaloglius, ad Sultanum semet excusans:Numquam,ait,o Sultane,vinum hactenus bibi.Quapropter oro, ne mihi vinũ propines, nec vti me vino cogas.Huic ergo soli concessum,vt a vino abstineret.Quum poculis Baiasites incaluisset,proceribus singulis & omnibus, honoris ergo, iniiciẽdas adferri vestes,elegantibus tinctas coloribus iussit; & cuiuis eorũ scyphum argenteum deauratum,nummis aureis plenum,donauit.Achmeti vero soli vestẽ nigrã, auro intertextã, iussit iniici. Videbatur Achmeti nescio quod infaustũ omen inesse vesti nigræ. qua de causa nõnihil excandescẽs:Hem Cachpogli, hem fili meretricis, ait, quũ tibi tale ꝗddam esset in animo contra me moliri,cur impurũ hoc vinũ me bibere coëgisti? q̃ prolocut⁹,humi deiecto vultu sedit. Proceres autẽ onerati mero,a Sultano Baiasite discesserunt, humũ prius osculati,ꝓ more Turcorũ,& rege collaudato. Nemo tamen egrediebatur,quin pri⁹abeundi licentiã aSultano in pedes erectus,&vini,ꝙ hausisset,copiã excusans, petiisset & impetrasset. Quippe nõ inuitus eos dimittebat ebrios Baiasites,ꝗ deinde suis a capitzilaris siue ianitorib⁹ deducti,cõscensis equis,domũ se recipiebãt. Tũ vero Geduces etiam Achmetes discedere conatus est.Sed interpellans eũ Sultanus Baiasites : Mi Lala, mi tutor, ait,mane tuo loco,quo nũc sedes. Est enim, ꝙ tecum agã.Hoc modo post discesũ reliquorũ procerũ, Achmetem illic retinuere Baiasitici , moxq; captũ, miserabilẽ in modũ excruciarunt; quum ꝗdem Sultanus Baiasites mãdaret,vt necaretur.Intimus vero Sultani eunuchus Aga, ne quid tale p̃cipiti consilio fieret,dissuadens: Ne ꝓpperes,inq̃t, o Sultane, mortis hũc adficere supplicio,quẽ tantopere militia palatina cũ Genitzaris amat,obseruat, colit.Videndũ pri⁹,quonam res euasura sit. Hoc modo quũ is Achmetem occidi nõ sineret,occultatus alicubi fuit. Quũ vero ceteri proceres e cõuiuio Sultano Baiasitis,domũ quisq; suã,excepto Geduce dũtaxat Achmete,rediissent:cepit de salute patris sollicitus Achmetis esse filius, & modo ad hũc, modo ad illũ ex ꝓceribus cursitare,q̃d de patre factũ esset, vt inquireret.Tamdẽ cognouit,detentum fuisse iussu Sultani Baiasitis, vt morte multaretur.Idem ex ipso quoque seraio nũtiatum ei fuit. Quapropter hinc inde media nocte discurrẽs,ad domicilia Genitzarorum venit,& sublato clamore cũ eiulatu:Væ misero mihi,commilitones, ait.Sultanus patrẽ meũ intra seraiũ detinuit,iamq; adeo mihi futurũ nũtiatur,vt eũ interficiat. Hoccine tã indignũ facin⁹ in eũ admitti sinetis o milites egregij? Nõ salem &panẽ cum patre meo comedistis? Hæc illo,voce lamẽtabili, ꝓlocuto; certiores de eo, ꝙ immineret Achmeti,periculo redditi Genitzari; statim illud Bre bre suũ ingeminãtes,cõuocare suos omnes ceperũt, & gladiis armisque ceteris instructi, pleno cursu ad Sultani seraiũ se cõtulerunt.Erãt occlusæ,ꝙ noctu fieri solet, seraij portæ. Quapropter excitato clamore, cito portã aperiri iusserũt. Quidã eorum conuiciis vtebãtur, alij nescio quas minas spirabãt.Sultanus autẽ Baiasites , hoc diro Genitzarorũ furore animaduerso, conceptaq; formidine,ne ꝗd grauius tẽtarẽnt;volẽs,nolens, seraij portam aperiri iussit. Interim ipse cõscendens ad fenestrã clathratam,q̃ supra portã erat,&arcũ manu cũ sagitta tenens: Quid vultis,ait, cõmilitones? ꝗd a me req̃ritis?Tũ illi,cõtumeliosis in herũ verbis: Exiguo nos,aiebãt, temporis interuallo te mastigiam,te verberonem ebriũ,te Bengim siue baccalaureum, (sic eum ꝓpter litterarũ studia ꝑ irrisionem nominabant)ad sobrietatẽ reuocabim⁹. Itane regię dignitatis titulo,quẽ geris,& officio satisfacis?Fac quamprimũ Geduces Achmetes heic nobis sistatur,vbi vbi tãdem est.Ni feceris,ipsi tibi relinq̃mus expendendũ,quid nos facturi sim⁹. Insignẽ animorũ efferatorũ ostẽdebant iracundiã Genitzari,quũ hęc dicerẽt.Itaq;

videns

videns Sultan⁹ Baiasites,eos nimiũ quãtum exasperari: Hem mei cõmilitones, ait, exspectate paullisper,sedatis animis. Est apud me Geduces Achmetes in seraio meo, sineq; mora vestrũ in conspectũ prodibit. Quamobrẽ Geduces statim exiit. Vbi vero ꝑductus ad seraij portã,Genitzarorũ oculis exhiberetur: statim animaduerterũt illi,quã inique fuisset habit⁹; & prorsus aliter quã eiusmodi vir mereretur. Quippe vestibus exutum Baiasitici,tormẽtis subiecerant;& capite modo,pedibusq; nudis, intima dumtaxat ei relicta subucula, dimiserãt. Genitzari vero indignati,statim e Baiasitici pueri capite tulipantum rapientes, Achmetis imposuere vertici; subitoque ꝑceperunt, vt vestis adferretur, quam mox ipsius humeris iniecerunt; & summa cũ exhibitione honoris ipsum extra seraiũ comitati sunt. Quum primum Geduces Achmetes exisset: Hilares estote cõmilitones,inquit. Illi statim exclamãtes: Vt vales? aiebãt: qui rerũ tuarũ status est? Ipsi deniq; Baiasiti trepidationẽ iniecerunt, iracundiæ calore demõstrato,& animorũ abalienatione; qua territi tota facies imbuta pallore fuit. Tum vero Geduces Achmetes, Genitzaros adpellans: Mei cõmilitones, ait, hãc mihi gratiã facite, seditionem vt hãc, tumultũq; sedari patiamini. Sultanus Baiasites, princeps & dominus noster est. Quidquid tamdẽ ei ꝑpetrare contra me visum fuerit,ego tamen obœdientiam ei debitã prestiturus sum. Fortasse nos ipsi nostro nõ satisfecimus officio,quã ob causam irat⁹ mihi,se gessit inclementius. His verbis Genitzarorũ motus compescuit. Sed nihilo tamen minus in palatinorum militum animis hæsit acerbitas quędam,& odium erga Baiasitem; qui ex illo tẽpore, territus hac eorũ ferocia,non parum a Genitzaris abhorruit. Geduces autem Achmetes veziris dignitatem retinuit,minime propter hæc, quæ acciderant,masul factus, aut priscis honoribus abdicatus.

Hoc tẽpore Sultanus Baiasites Zemis Sultani filium in arce noua Cõstantinopoli strangulari iussit. Ei nomẽ erat Caigubus-Schachus. Hinc ꝓfectus est Hadrianopolim,vbi quũ degeret, rursus Ishacus bassa,pristino stimulat⁹ odio, Geduci Achmeti bassæ calumniis suis insidiatus est,tamdẽq; Sultanum Baiasitem ꝓpulit,vt nocte quadã ipsum curaret interfici. Referũt historici,tẽpore Sultani Muhametis inter vezires ingenio & iusticia Machmutem bassam excelluisse; strenuitate vero,virtuteq; militari,regẽdis exercitib⁹,& expugnãdis vrbibus ac populis, Geducem Achmetem bassam primas tulisse. Posteaquã exortæ fuissẽt inter Sultanũ Baiasitem,& palatinos milites, inimicitiæ; significatũ Baiasiti fuit, eorũ tumultuũ auctores fuisse quosdam officiales,ac ꝑsertim eos,q̃ Sultano Muhamete,patre ipsi⁹,reb. humanis exemto,Muhametem bassam interfecerãt,& vrbis direptioni causam ꝓbuerant. Itaq; malorum auctores hosce segregauit a se inuicẽ,& ad loca timariorum suorũ,siue possessionũ misit;perscripto post eos dimissos mãdato ad sanzacos begos & Cadios cuiusq; regionis, vt ipsos supplicio mortis adficerẽt. Palatini autẽ hoc Baiasitis instituto animaduerso, nouos mot⁹ excitarũt. Ea res occasionẽ Baiasiti præbuit,vt tamdẽ coactis omnib⁹ suis ꝓceribus diceret,habere se quiddã in animo, q̃ perficere cuperet. Vocauit autẽ ad se singulos seorsum, animiq; secretũ illud reuelãs, cogitare se rettulit de necandis ad vnũ Genitzaris omnib⁹. simul q̃siuit, an ipsos hac in re perficiũda socios habiturus esset? an etiam perfici rẽ posse iudicarent? Habebat iã ante collectas Akenziorum copias,quorũ opera Genitzaros interficeret. Sed hisce de rebus cũ begis singulis colloquẽs imperabat, consilium vt hoc celarent,ne qua Genitzarorũ ad aures emanaret. Hæc res dũ secreto agerẽtur,intrantib⁹ ad Sultanum frequẽter, & exeuntib⁹ denuo ꝓceribus; ceperunt has Genitzari suspectas habere actiones, & inter se de statu rerũ suarum periculoso colloqui. Ad summã,totũ illud negotium detectum fuit. Et quamquã Sultani Baiasitis ꝓceres omnes adsentiri se huic consilio ꝓfiterentur, tamẽ Alis begus,& Ischender beg⁹,vterq; Michaloglius,hero suo cõtrariũ cõsulentes: O felix imperator,aiebãt, hæc animi tui sentẽtia locum habere neq̃t. Aberrat a scopo,nec rationi est consentanea. Demus, hos abs te iam interfectos. Nihilo minus omnes arces munitionesq; tuę,Genitzarorũ in potestate sunt. Quid igitur effecturum te putas? Hos si necaueris,illi seditionẽ concitabunt. Interim vastabitur

imperium tuũ. Taceo ne fieri q̃dem posse, vt interficiantur. Sũt enim armati, & ad defensionẽ instructi: nec quisquã Akenziorũ hos audebit adgredi. Meram nomini tuo dũtaxat irrogabis infamiam. Quo rectius omnino facturus es, si huic sentẽtiæ tuę valedixeris. Has Michalogliorum rationes expendẽs Sultanus Baiasites, ab instituto suo discessit. Quũ autẽ a Sultano Baiasite Alis beg⁹ egrederet̃, irruebãt in eũ Genitzari, verbisq; cõtumeliosis vtentes: Bre Kyosftheor, clamabãt, (hoc est, heus tu scatophage, q̃ sterc⁹ edis, & adsentator es) tune de nobis occidẽdis cogitas? Alis autẽ begus respondens: Hem mei cõmilitones, ait, equidẽ per animã patris mei vos obtestor, ne me quidquã mali cõtra vos molitũ existimetis. Dimittite sinistras illas vestris ex animis cogitationes. Nũquam fiet, q̃ futurũ suspicamini. Verba dumtaxat inania sunt. Hãc vobis ceruicẽ, hoc caput do pignori. Quę ꝓlocutus, nõnihil fidei apud ipsos inuenit, & ex eorũ manibus euasit. Sultanus etiã Baiasites animaduertit, instituti sui finẽ fore noxium. Consulebãt ei ꝓceres, & exercituũ duces, vt expeditionẽ aliquã susciperet, qua placari Genitzarorũ animi possent, & ipsius institutũ tegi. Iussit ergo Baiasites ei significari, quãprimum vti se pararẽt ad bellũ, quod virib⁹ maximis gerere decreuisset. Quũ autẽ Hadrianopoli digrederetur, seorsum Genitzari suam ordinauerũt aciem, nec sibi cũ Sultano quidquam esse commune voluerũt; adeoq; recusarũt eum, quod alioqui fieri solet, in mediũ agmen suum admittere, quod sui necandi, penitusq; perdendi consilia Sultanũ iniisse dicerent. Tum vero Baiasites propius ad Genitzaros accedens: Hem mei cõmilitones, ait, quo res vestræ loco sunt? qui valetis? Occlamauere Genitzari: Tu nos delere, tu disperdere cogitas. Sed parati ad excipiendã & propulsandam vim sumus. Veniant modo, qui nos interfecturi sunt. Simul arma sua Baiasitis oculis spectanda cum ferocia quadam exhibebãt. Is vero mitigaturus eorum animos: Vos ego commilitones, ait, pro meis alis duco, sanctamq; patris animam testor, nequaquam id futurum, quod suspicamini. Bellum mihi gerendũ est, ad quod vestra mihi opus erit opera. Quibus verbis a Baiasite prolatis, omnes vezires ac proceres diuani mox intercesserunt, vt negotium hoc componerent, ac Genitzaris fidẽ facerẽt, nihil eis a Baiasite discriminis imminere. Quapropter eũ ex more mediã in aciẽ suam receperũt. Baiasites autẽ versus Carabogdaniam cum exercitu ꝓficiscens, Danubium traiecit, & arcem Kilim obsedit, ac deditam occupauit. Quumque p̃sidiarios ei milites imposuisset, castris inde motis, ad arcem Ac-girmanem accessit, & illã quoq; militũ corona circumdatã obsedit. Durauit hæc obsidio mẽsem integrũ. Turris castelli diruta fuit, fossæ in circuitu terra cõplanatæ. Quũ incolæ Christiani viderẽt, arcẽ vi ꝑuenturã in hostis potestatẽ: pace petita, deditionẽ fecerunt. Suis indigenę locis fuere relicti, q̃ aliũde huc cõmigrauerant, Constantinopolim abducti, & ibidem habitare iussi. Potit⁹ est hisce locis Baiasites anno post extinctũ prophetã Muhametem IↃCCCCLXXXVIIII.

Hinc Cõstantinopolim reuersus, posteaquam ad aliquod tempus illic hęsisset, quasuis ad partes imperij sui litteras & veredarios misit, copiasq; militũ tam Anatoliæ, quã Europææ Rumiliæ collegit, Vngariam inuadere cogitans, eius vt regni populos castigaret. Vbi Sophiam adpulissent, coacto vezirum cõcilio, dissuadere ceperũt Baiasitis vniuersi proceres expeditionẽ hãc Vngaricam, præsertim Ishacus bassa, & Ibrahimes bassa, & Dauudes bassa. Mitis ac benignus princeps erat Sultan⁹ Baiasites, ideoq; libẽter iudicia suorũ audiebat. Et adferebant̃ ab eis in mediũ hę fere rationes, quãobrem abstinendũ ab expeditione dicta censerent: q̃ proceres inter se nõ essent vnanimes, quibusdã Zemi Sultano studentib⁹. Zemem ipsum aiebant in Italia degere, nec sciri posse, q̃d de illo tãdem futurũ esset. Hoc modo territus Baiasites, cõsilium suũ mutauit; & omissa ꝓfectione Vngarica, militẽ in Arbanosiam duxit, qui villas & agros aliquot illic diripuit. Quum viderent Genitzari exigua se lucra consequi, nullum inter hostes & tributarios discrimen habuerunt. Reuersus inde Cõstantinopolim Baiasites, aliquamdiu quieuit. Admodum iam consenuerat Ishacus bassa, ideoq; rude donari petebat, quod oturacum dicere Turci sua lingua solent, vt vulgo prouisionẽ. Ei Baiasites in vrbe Selanica dedit

oturacum suum, quo profecturus, Sultano dixit; omnino se ipsi auctorem esse, siquidē regno diu frui cogitaret, vt Constantinopoli degeret, nec inde temere discederet. Tandem Ishacus bassa Selanicæ rebus humanis excessit. Baiasites vero Constantinopoli mansit, ac deniq; versus Ægyptios fines extēdere manus cepit, occupatis opidis, Adanensi, Guderensi, & Tarsensi, quæ hactenus Ægyptio principi paruerant. His ab se captis, præsidia suorum Baiasites imposuit. Sultanus autem Ægyptius suos & ipse misit exercitus, qui ciuitates & arces amissas recuperarent. Baiasites ex aduerso Caragosem bassam, Anatoliæ beglerbegum, cum copiis Anatolicis, itemq; Michaloglium Ischenderem begū, Akenziorum ducē, magno cū numero militū in Ægyptios ire iussit; vt eorū agros ac limites depopularentur. Erant id temporis inter principem Aladeulem, & Sultanum Baiasitem inimicitię. Quare quū Caragoses bassa, & Ischender begus, cōiunctis copiis ad fines Aladeulis peruenissent; cepit Ischender begus quingentis cum militibus exercitū reliquū antecedere, sequentib⁹ hos a tergo totidē aliis: ceteri cū Caragose bassa mediā tenebāt aciem, & postremū claudebant agmen. Postcaquā inaudisset Aladeules, Ischenderem begum primo venturū loco: cū suis in insidias semet abdidit, & quos secū habebat a Sultano Misirēsi missos ccc siue Zindos, siue † Zingos & Isingos, alicubi loco quodā occulto abscōdit. Quū igitur Ischender begus, suis illis ıↄ comitatus, ad has Aladeulis insidias peruenisset; circūdatus vndiq; fuit ab hostibus, ex iis, quas diximus, insidiis; quib⁹ Akenzij conspectis, statim arrepta fuga dissipati sunt. Ischēder beg⁹ ab altera parte, duobus cū filiis, nō aufugit. Filius autem eius primogenitus, cui nomen erat Michal begus, vir strenu⁹ & fortis, equo deiecit quēdam, ex insidiis illis ꝓdeuntē, & interfecit: sed vicissim nō ipse dūtaxat, sed etiā pater, cū altero filio, captus in hostiū potestatē venit. Quū autem Michalem begum, Ischenderis begi primogenitū, vinculis Aladeulij milites constrictū in castra sua deducerent: forte fortuna frater illius, quem trucidauerat, eū intuēs: Hem, inquit, meum tu fratrē occidisti. Pœnas delicti lues. Statimq; stricto acinace, caput ei amputauit, idq; suum ad principē Aladeulem detulit. Amputatū filio caput mox etiam patri monstratum Ischenderi fuit eo loco, quo captiuus detinebatur; vt tanto maiorem animo dolorem perciperet. Simul Aladeulis nomine interrogatus aliquoties, an caput hoc adgnosceret? tamdem respōdit, iret Aladeules, & caput illud pudico membro suæ cōiugis admoueret. Caussam quidē nullam esse, cur id sibi iuberet ostēdi. Offensus his Ischenderis begi verbis Aladeules beg⁹, itaq; graui commotus, Ischenderis begi caput calceamēto, ꝙ illi tunc ad manū erat, & Turcis Itz-educ sua lingua nominatur, percussit. Sed vicissim Ischenderis misertus, alterū filium eius, Iaxim begum, vinculis liberatū dimisit; ipso Ischendere ad Sultanū Ægyptiū deduci iusso, q̃ totis annis quatuor, & amplius, illic captiuus māsit.

Quum autē Caragoses bassa videret, q̃d hoc cū Aladeule prœlio duci primarū aciei Turcicæ copiarum Ischenderi accidisset: vlterius reliquo cum exercitu progredi noluit, sed missis ad Sultanum veredariis, quid euenisset, nuntiari iussit. Baiasites animaduertens, hos minime rebus gerendis idoneos; domum vti reuerterentur, imperauit. Contigerunt hæc anno post interitum prophetæ Muhametis ıↄ cccLxxxx. C. 1486.

Secundū hęc coactis denuo tā Europęæ Rumilię, quā Anatolicis exercitib⁹, cū ccc Genitzaris, & aliis copiis numerosis, Achmetem bassam, Hertzegi filiū, versus fines Ægyptios Baiasites misit. Itidē ex altera parte Misirenses copiæ motis castris, & ipsæ planiciē ad quamdam progressæ sunt, quæ Tzucur-oua nominat᷑: vbi mox Achmetem bassam Hertzegi filiū adorti, prœlium cōmisere. Sed Achmetes bassa suis a militibus desertus fuit. Itaq; cæsæ fuerūt eius equestres copiæ, tantumq; cū militia palatina medio mansit in campo, quo dimicabatur, cum Ægyptiis manus cōserens; e quib⁹ nonnullos ipsemet busdogano suo, siue claua ferrea, suis ex eq̃s deiecit: ac vicissim ei manus ab Ægyptiis læsa fuit, duobus digitis abscissis. Tamdē in eum ferocius irruentes, captiuū abduxerunt. Interim pugnare Genitzari medio in cāpo contra Misirenses non desierunt, nulla rerū suarum habita ratione, nec hosti ceden-

† Pandect. cap. 165.

tes; donec ab Ægyptiis vndiq; circūdarentur,& pauci,nimirū ccc dūtaxat,aduersus ingentē hostiū multitudinē prœliantes,magnopere deminuerētur; vtut a Tzindis exiguus ille numerus dissipari nequiuerit. Tamdē rebꝰ eorū ad extrema redactis,adlocuti sunt eos Ægyptij, subque religione iurisiurãdi ꝓmiserunt, minime futurū,vt interficerentur.Quibus verbis persuasi Genitzari, deditionē fecerunt.Hinc armis ademtis,illæsos abire Tzindi ꝓmiserunt, anno post migrationē ꝓphetę Muhametis iɔcccxcii.

Chr.1488.

Sultanus autem Baiasites rursus Anatolicas &Europææ Rumiliæ copias,cum quatuor Genitzarorū millibꝰ, Ali bassæ tradidit.Eumdem variis instruxit armorum generibus ad debellãdos hostes,ꝑsertimq; tormentis bellicis,quæ curribꝰ & rotis imposita vehi solēt:additis etiam ccc vestibus honorariis, e thesauro suo depromtis;quas iis iniiceret,qui strenue rē in hostes gesturi essent.Præterea mari classem armauit,eamq; magno militum numero instructam versus Alexandriam Misirensem misit:vt a tergo copiis Ægyptiacis iter intercluderent,ipsorumq; fines direptos flammis & ferro vastarent. Duxit Alis bassa traditum sibi aduersus Ægyptios exercitum, & in planicie ciuitatis Adanorum in eos incidit.Noluit heic Alis bassa consiliis ceterorum ducum ac procerum obsequi,sed opinioni suæ mordicus inhærēs, semetipsum adrogãter & superbe decepit. Vnde factū, vt exercitus Ægyptius Anatolicorū aciem adgressus cæderet ac fugaret. Interim Europææ Rumiliæ milites, nulla suis ope lata,diffugerūt; & Alis ipse bassa totus adtonitus, quid ageret, ignorabat. Ex altera parte Tzindi, quodam & ipsi errore circumuenti,licet Osmaneos cæderent, tamen illos victores, se victos existimantes, hosti terga dabant. Adeoque montem ea nocte transierunt, quem prisci Taurum, Græci recentiores Maurum siue Nigrum dixerūt,Turci Bacras adpellant. Nec exiguus Tzindorum numerus Halepum quoque se recepit, exercitumque suum a Turcis profligatum nuntiauit. Naues etiã Sultani Baiasitis, quæ ad montem Bacras peruenerant,&ibi stationem habebant, multos e profugis Ægyptiis, illac transeuntibus,displosis tormentis bellicis interfecerunt:Ab iisdem capta nauis magna regis Ægyptij,plena frumento,&omnis generis annona,fuit.Ali vero bassa fugiente,quum hoc prœlium fuisset inchoatum; Osmaneus etiam exercitus terga dedit, vt incolumis euadere posset. Ei tam Aladeules begus, quam Varsacidarum natio, quorum hac fuga trãseundi fines erant,itinera præcludebant: quotquot e Turcorum castris & acie veniebant,rebus suis spoliabant: si qui resisterent,ac se suaque tueri vellent,occidebant. Ab altera parte primarius Ægyptiorum dux Vs-begus montem Bacras cum suis adscenderat, ac ibidē subsistens, hostium metu se continuerat. Huic Aladeules begus e suis quemdam misit nuntiatum,Osmaneos fugisse.quo intellecto,cepit esse dubius rerum suarum Vsbegus,& cum acie prima suorum loco mouens, vt quid de hoste factum esset,videret; animaduertit, eorum neminem amplius istic remansisse, castra que viris esse vacua. Nimirum Alis bassæ ignauia secordiaque factum fuerat,vt Ægyptiorum exercitu iam profligato & fugiente,Turci quoq; suarum rerum neglecta condicione, quam meliorem habebant,terga darent: quo factum, vt tot thesauri, tot adparatus Sultani, cum reipublicæ detrimento perirent;ac tanta nomini Osmanidarum irrogaretur infamia. Pauci quidē milites eorū in Anatolia, tot interfectis, fuere superstites; xviii vexillis sanzacorum ad vrbem Cairum Sultano Misirensi oblatis. Acciderūt hæc anno Muhametano iɔccccxciv. C.1490.

Rursus inde Sultanus Baiasites exercitus Europææ Rumiliæ cum Anatolicis collegit, eisque de palatina militia Genitzarorum millia quatuor adiunxit, Dauudemque bassam abire cum his iussit, & acceptas ab Ægyptiis iniurias vlcisci.Vir robustus ac generosus erat Daudes bassa, qui hac expeditione suscepta,misit ad Aladeulem, eumque inuitauit,vt ad se veniret. Obsecutum petitioni suæ multis muneribꝰ coluit, & honoraria veste donato dixit;dandam vtrique operã,vt bellū inter Sultanum Baiasitem Osmaneum,&Sultanum Ægyptiū cōponi posset. Hoc ergo nomine missi fuerūt ad Sultanum Baiasitem veredarij, ducibꝰ Ægyptiis & procerib.idē ad Sultanum suū quoq; factitantibus. Interea

vero,

vero, dum vtriusq; responsum exspectabatur, hinc inde milites vtrimq; distributi certa quædã in loca fuere, ne quid hostile tẽtaretur. Sultanus Ægypti prior legatum suum ad Sultanum Baiasitẽ misit. Pax deniq; coiit. Ægyptius Achmetem Hertzecoglium, & Ischenderẽ Michaloglium, ceteris cum captiuis omnibus, qui apud Ægyptios detinebãtur, liberos dimisit. Vicissim Sultanus Osmanides Adana, cũ ceteris opidis & arcibus occupatis, & cum illa magna naui, quam captam fuisse diximus, restituit. Hoc modo tamdem mutuo sibi reconciliati fuerunt anno Muhametano ıↄ ccc xcvi. Chr. 1492.

Quo tempore verò bellum hoc inter ambos hosce Sultanos, Baiasitẽ & Ægyptiũ, transigebatur; degebat in Italia Zemes Sultanus, Baiasitis frater. De illo tũc varij fuere sparsi rumores. Nec deerant, qui dicerent, Zemem Sultanum, a Christianis adiutum, expeditionem aduersus fratrem moliri. Gratum palatinis ac prętorianis esse militibus, & ab ipsis etiam proceribus desiderari. Quæ sane quandoquidem vulgo spargebantur, & erant in ore omnibus; manere Baiasites Constantinopoli, præ illorum, quæ possent euenire, metu solebat; nec vllam in partem mouebat bellum, cuius gerẽdi causa ipsi egrediũdum cum aliquo esset imperij rerumq; discrimine. Nũc vero bellis vndiq; sopitis & compositis, venerunt ad eum cunctis a vicinis legati: quibuscum de cõtrouersiis & inimicitiis omnibus transegit, & antiqua fœdera renouauit. Vt igitur ab omni quoque metu fraterni belli & insidiarũ se liberaret, misit in Italiam Mustapham begum, Capitzilarorum bassam, siue ianitorum principem; qui sub prætextu perferẽdi expensas annuas, a Baiasite pro Zeme Sultano promissas, eum veneno tolleret, vti sane feliciter conatus hic opera Mustaphæ Baiasiti cessit. Proditum tamen est, etiã hac † Pandect. cap. 154. in re principis Itali (Papam † intelligunt hoc nomine Turci, quẽ & Franc-begũ, & Rum-begum, velut Italum Romæq; dominum adpellare solent) consensum interuenisse. Idẽ princeps Italus etiam cadaueris auehẽdi potestatẽ fecit, quod Mustapha begus secũ abstulit, & Burusam deportatum, ibidem pro more monumẽtis auitis intulit, annò a migratione C. 1493 prophetæ Muhametis ıↄ ccc xcvii.

Secundũ hæc missus fuit in Bozinensem prouinciã Iacupes bassa spado, qui quũ profectus eo fuisset, diuersas in partes excurrendo, Christianorũ agros depopulatus est. Gerebantur hęc autumni tempore. qua quidẽ ex causa nõ procul a fluminibus & aquis discessum. Aderat Iacupi bassę socius expeditionis Chasan begus, Alis begi filius: cui præcepit, vt & ipse Christianorum fines ingressus, prædas ageret. Illectus spoliorum cupiditate Chasan begus, ad iter absque mora se comparauit, flumineq; Copa traiecto, milites suos prædatũ emisit, qui maxima sane vi spoliorum potiti fuerũt. Ad suos inde redituri, veniunt ad eum locũ, quò Copa fluuius eis transeundus erat. Sed quod amnis interea, dum abessent ipsi, pluribus aquis auctus intumuisset; non iam transiri amplius vado poterat. Itaq; capto ex tempore cõsilio, versus fluminis fontes sursum progredi, atq; ibi demum trãsire decreuerunt. Sed iis in locis Christiani, cæsis arboribus, vias impeditas reddiderant; ipsasq; siluas, Turcorum aduentum exspectãtes, insederant. Itaque delatus ad ea loca Chasan begus cum animosis commilitonibus suis, volens nolens coactus fuit eos adgredi. Ex altera parte Christiani magnam sagittarum copiam in eos excusserunt, cæsisq; nonnullis, alios viuos in potestatem redegerũt. Omnino pauci equites euasere, ceteri suos illic equos relinquere coacti fuerunt. Quotquot incolumes ex hostium manibus elapsi erant bellicosi iuuenes, ad Chasanem begum se collegerunt. Christiani vero, qui hos ꝓfligauerant, nuntiauere suis, iam antea Turcorum inuadendorum causa coactis, iam cæsos esse Turcos opera sua, & exiguum ad numerũ redactos. Reliquias ipsi conficerent, nec vllum elabi sinerent. Tum vero Banus Kiraloglius (de Duce Ioanne Coruino, tunc Croatiæ, Dalmatiæ, Bozinæq; Bano, Matthiæ regis non ita pridẽ extincti filio notho, Turci loquũtur) milites suos coactos in occulto loco quodam abdidit, & reliquiarum Turcici exercitus aduentum exspectauit. Turci vero quum ad locum insidiarum peruenissent, ab erumpentibus ex insidiis Christianis vndique circumdati & intercepti fuerunt. Quid facerent aduersus recentes & armatos, laboribus

exhausti, armis & equis exuti, cæsi denique iam ante a Christianis? Nimirum solus Chasan begus, Alis begi filius, cum duobus aut tribus suorum, in montuosos saltus fugæ beneficio se recipiens, ex siluis in siluas, ex montibus in montes penetrauit, ac tamdem saluus hostium manus euasit: ceteri milites omnes a Christianis capti fuerunt, anno Muhametano ıↃ CCC XCVIII. C.1494.

Veris initio proximi, quo damna Iacupes Bassa, superiori anno a Christianis accepta, maioribus vicissim illatis malis, compensaret; exercitum collegit, quo continebantur equites Ispachij, quotquot eorum habere potuit, & Akenzilari siue volones, & Voinuchi, quo nomine veniunt rustici quidam Græcæ originis, in locis Bozinæ regno finitimis habitantes, & religioni adhuc Christianæ addicti; sed misera seruitute oppressi, facere coguntur, quidquid eis a Turcis imperatur. Erant instructorum egregie militum ad IIII CIↃ, cum adparatu necessario rerum omnium; vt congredi cum hoste, siquidem ita res posceret, quocumque loco & tempore possent. Christiani de profectione & instituto Iacupis bassæ certiores facti, regi Vngaro nuntiarunt, Bozinensem begum Turcicum magnis cum copiis eius regnum inuasurum, idque grauissimis adfecturum detrimentis. Quapropter Kiral siue rex Vngarus, Banum vel beglerbegum suum, regnorũ Turcis vicinorum præsidem, admonuit; vt aduersus irruptionem Turcorum se muniret. Simul e militia sua partim palatina & ordinaria, partim e prouinciis euocata, quosdam limitaneis istis adiunxit; vt in vniuersum ad XV CIↃ Turcis, alienos fines ingredientibus, opponi possent. Hi quodam in campo, quem Kirbacum vocãt, Turcis occurrerunt. Occeptum inter ambos vtrimq; prœlium, quo strenue quatuor illa millia Turcorum, quindecim millia Christianorum adgrediendo, tam acriter in eos dimicarunt: vt impetum aduersæ aciei sustinere non possent, adeoque primi terga darent equites, quos insecuti Turci partim occidere, partim cepere viuos. Equitatu Christianorum dissipato, septẽ vel octo millia peditum, in qua pugnatum erat planicie, substiterunt; & quia viam fugiendi securam omnino nullam sibi reliquam videbant, ibidem in acie manserunt. Hi grauissima clade adfecti, misereque cæsi a Turcis fuere: quorum alij septem vel octo, plures alij captiuos, inuicem alligatos inter se, victoria potiti abduxerunt. Inde missi quidam Constantinopolim ex præcipuis mancipiis ad Sultanum Baiasitem, & in eis Banus ipse † Direnzilis; † Pa cum litteris, quæ gestæ feliciter rei seriem explicabant. cap.1 His conspectis, singularem e victoria Baiasites voluptatem cepit; & Banum catenis ferreis illigatũ, trans mare Cara-chisarinam ad arcẽ misit, vt istic exsularet; suisque militibus, quotquot eo prœlio fortem nauarant operam, annonas auxit, & timaria tribuit. Accepit autem famam pugnæ prosperæ Baiasites anno Muhametano ıↃ CCC XCIX. C.149

Procreauerat Sultanus Baiasites octo filios mares, quibus hæc erant ordine nomina: Sultanus Abdulla Zelebis, Alem Schachus, Tzihan Schachus, Achmetes, Machmutes, Corcutes, Selimes, Muhametes. Abdulla Zelebis, viuo patre, necatus, res humanas reliquit.

Dum Constantinopoli Sultanus Baiasites otiosus hæreret, Russorum princeps legatum ad Carabogdaniæ principem misit, qui ei proponeret optionem horum alterutrius: vel vti fœdere se cum eo coniungeret, quo consociatis armis Turcum hostiliter adgrederentur; vel inferendum ab se bellum exspectaret. Ad ea respondit Carabogdaniensis, eripuisse sibi Turcum ante non multos annos quasdam arces, antiquitus ad Carabogdaniæ, regionis suæ, iura spectantes. Veniret ergo cum copiis Russorum princeps, arcesque nuper amissas, Acgirmanem Kiliamque, sibi recuperaret. Id si fecisset, vltro se pariturum ipsius imperio, morigerumq; deinceps clientem futurum. Hoc Russiæ princeps accepto responso, coactis exercitibus suis, in Carabogdaniã profectus est. Expenderat cum animo suo rem omnem Carabogdaniensis, & in eam denique sententiam venerat; vt omnino statueret, nihil effecturum aduersus Turcos Russiæ principem: ideoque pacem, quam cum Turcis inierat, minime sibi violandam; nec ea valere iussa, suscipiendas aduersus hos inimicitias, ducebat. Id tempo-

temporis Messiches bassa Silistrẽsis sanzacus erat, ad quem Moldauus suos veredarios misit, qui nuntiarent, principem Russiæ collectis copiis, in Moldaui cogitare fines, eumque bello adgredi decreuisse. Rogare Moldauum, vt ex lege fœderum suppetias veniret, nec tam necessario tempore sibi deesset. Impeditus aliis negotiis Messiches bassa, ferendi auxilij causa nullam hoc tempore potuit expeditionem suscipere, cui coram ipsemet adesset. Coactis tamen ıↄ cc aut ıↄ ccc militibus, iisdem cum imperio quemdam præfecit, cui nomen erat Nasuch-beg-ogli, vel Nasuchis begi filius: atque ita Carabogdaniam hos ingredi iussit, eiusque principi contra Russos opem ferre. Quum ergo Russorum exercitus ad Moldauiæ limites accessisset, etiam Moldauus eis obuiam acie prodiit instructa. Simul e suis quemdam misit ad Russorum principem, qui ei nuntiaret, aduentare copias Turcicas, ipsum adgressuras; iamque propemodum adesse, tanta quidem hominum multitudine, vix vt eam capere vel ipsa regio possit. Quare si saluum & incolumem se toto cum exercitu vellet, remedio maturo rebus suis consuleret. Ad ea Russorum princeps respondens: Equidem, ait, auxilium Moldauo laturus accessi. Cur igitur is Turcum aduersus me concitatum adduxit? Negauit hoc ab se factum Moldauus, adeoque Turcum dixit absque scitu & consilio suo, Russi principis expeditione cognita, cum copiis adcurrisse. Caueret ergo sibi, ne diutius illis in locis commoraretur. Quippe si vel vnicam istic noctem adhuc hæreret, omnino futurum, vt in Turcorum casses incideret, nec iis e locis elabi sine maximo damno, præsentique suorum discrimine, posset. Territus hisce Moldaui verbis Russorum princeps, nec aliam euadendi ex eo periculo viam inueniens, rogare Moldauum, atque adeo per illud obtestari numẽ cepit, quod vtrique communi religionis cultu venerarentur; ne se barbaris nomini Christiano infestissimis proderet, sed tam diu Turcorum impetum inhiberet, donec ipse retro cedens in tutum suos abduxisset. Moldauus animaduertẽs, quãtam Russorum principi formidinem ac trepidationẽ iniecisset: vtendum oblatã censuit occasione, nũmorumq; dari sibi summã non exiguam petiit, aut Turcos se Russis immissurum minitatꝰ est. Itaq; Russus tam periculoso, sicuti persuasus erat, rerum suarum statu ad animum reuocato; sine mora currũ nummis & aliis muneribꝰ oneratum, opera Capizilarorum bassæ, siue ianitorum suorum præfecti, Moldauiæ principi misit; magnopere rogans, ne Turcis se pariter, ac suos obiectos, ad internecionẽ deleri sineret; sed abeuntibus aliquod fugę spatiũ concederet. Simul quanta celeritate maxima poterat, ex iis locis cum exercitu discessit. Interim Turci ab altera parte venientes, quũ quo res essent loco, quidue fuisset actum, resciuissent: adito Moldauo, cuius precibus exorati accesserant, expostulare ceperunt; quod a Russis pecuniã accepisset, nullaq; Turcorum auxiliariũ ratione habita, non modo communem hostem inultum abire siuisset; verumetiam vltro monuisset, vt fuga matura rebus ille suis consuleret. Sibi debita fuisse de Russis spolia, quæ non satis fidorum culpa sociorum amiserint. Ad ea Moldauus, ingentem fuisse Russorum exercitum, quocum manus, impar ipse copiis, conserere non potuerit; multo minus de hoste tam potẽti victoriam sibi polliceri. Quapropter aliud nihil reliquum fuisse, quam vt iis astu fraudulento imponeret, quos viribus superare nequiuisset. Irent ipsi, fugientesque Russos persequendo, quæ ad se pertinere spolia dicerent, armis hosti iam trepidanti extorquerent. His auditis, mox Turci Russos a tergo persequi ceperũt. Hi vero iam cum impedimẽtis ad Derbentum quoddam, vel artum ac difficilem montis aditum siluosi peruenerãt; vbi per angustas eis clisuras iter faciundum erat: quum ex improuiso Turci superueniẽtes, impeditos ob viæ difficultatem a tergo mox adgrediuntur, & impressione subita territis omnibꝰ, cõplures Russorum currus diripiunt. Confestim Russorũ princeps currꝰ ordine collocari iubet, eisq; suos veluti munitione quadam obducit: vt hoc Turcis obiecto impedimento, sui tanto securius in eos dimicarẽt. Erat autem perexiguus illorum numerus, viri nimirum septingenti dumtaxat, vel octingenti; quorum vi-

res tantis copiis opprimendis minime sufficiebant. Itaque nonnullis suorum amissis, labascere Nasuch-beg-oglius animo cepit; omissoque prœlio, quo nihil effecturum se videbat, signum receptui dedit; & in Carabogdaniam cum suis reuersus, qua venerat via, domum se recepit. Hoc autem dolo Russis Carabogdaniensis imposuit anno prophetæ Muhametis extincti ıↃ CCCC I.

Chr. 1496.

Posteaquam Sultanus Baiasites de hoc motu Russorum accepisset, sanzacatum Silistræ, Messiche bassa remoto, Bali bego Malcozoglio commisit; eique mandauit, vt excursione Russorum in regiones instituta, longe lateque cuncta diriperet. Itaq; collectis ille de sua prouincia copiis, per Valachorum agros in Russorum fines irruit, prædam coëgit amplissimã, suos collocupletauit e spoliis, hostium ditiones ferro & igni depopulatus est, & nullo ab eis accepto detrimento reuersus, anno Muhametano ıↃ CCCC II.

Chr. 1497.

Secundum hæc petiit a Sultano Baiasite Balis begus, vt Russorum agros iterata impressione sibi liceret inuadere. Non adnuit modo Baiasites eius postulato, sed omnes etiam Akenzilaros Europææ Rumiliæ, cum Ali bego Michaloglio, Balim Malcozoglium hac expeditione comitari iussit. Itaq; de mandato Baiasitis omnes adesse sibi iussit. Sed Alis begus Michaloglius ex æmulatione quadam ægerrime tulit, adiunctum se Malcozoglio, sub eius signis præter dignitatem militaturum. Itaq; non ipse dũtaxat interesse huic expeditioni noluit, sed etiam exercitum suum apud se cõtinuit, nec ire cum Malcozoglio permisit. Quæ res institutum huius non parum impediit, quum ante, quam colligi copiæ satis magnæ possent, sine fructu non exiguum ei tempus e manibus elaberetur. Tamdẽ aliquando serius, quam par esset, & alieno anni tempore, cum exercitu domo profectus, iterum per Carabogdaniæ fines transiit, incolas eius regni damnis grauibus adfecit, atq; ita Russiam cum suis ingressus, fœdissime diripuit ac vastauit; demumq; spoliis onustum exercitum, cum innumerabili mancipiorum copia reducere cepit. Sed quod tardius, vt dictũ, iter hoc suscepisset; hiems eum, quæ illis in locis frigore quodam incredibili sæuire solet, cum suis oppressit. Ad hoc incommodum, grauius etiam accessit malum, annonæ pænuria. Quumque per Moldauiam, qua venerant, redire constituissent: suo princeps Carabogdaniẽsis exercitu collecto, quo minus fines suos, & subditorum suorũ, quos nuper ingressi non leuiter adflixerãt, nouis detrimentis illatis inique vexarent, obstitit: neq; transitu tãtummodo prohibuit, sed eos etiam, qui transire conati fuissent, occidit. Nullam eis deniq; copiam annonæ comparandæ fecit, vnde tantus exercitus ad extremam famem redactus, & summas in angustias coniectus periit. Etiam inter proficiscendum exorti vehementes ac furiosi quidam venti, sic eos disiiciebant; vt in ipsum mare nonnulli, quum iter in eius litore facerent, in alias aquas alij, cœnosasque voragines ac paludes, præsenti cum vitæ discrimine, præcipites impellerẽtur. Equi penitus omnes partim inopia pabuli, partim vi frigoris interierunt. Si quis vel leuandæ famis, vel alia quapiam ex causa discederet a suis, peribat. Quidam pedum, alij manuum digitos, & ipsas manus; hi nares, aures illi frigore corruptas amiserunt. Ad summam, grauissimis oppressi malis, & eas ad miserias redacti fuerunt, vt e multis pauci domum, incolumi vita, redirent. Hæc tam infausta Turcis expeditio suscepta fuit anno a migratione prophetæ Muhametis ıↃ CCCC V.

Expositis ordine tribus his expeditionibus, vna Russorum principis aduersus Carabogdaniæ Vaiuodam; reliquis duabus Turcorum contra Russos, quasi vindicandæ iniuriæ Moldauis illatæ causa: subiiciamus sane paucis quorumdam explicationem, vt obscuriuscule Turcorũ ab historicis dicta lucem aliquam accipiant, & commodius intelligi possint.

Per Russorum principẽ innuunt Ioannem Albertum, Poloniæ regem, Russiæ Podoliæque ducem, quæ Carabogdaniæ regiones finitimæ sunt. Huius vero Carabogdaniæ vel Moldauiæ princeps id tẽporis Stephanus erat, vir magnus, & Turcis pariter, ac nostris inuictus. Aduersus hunc expeditionem præcipue cum Russis ac Podoliensibus suis rex Polonus suscepit, sub prætextu recupe-

recuperandi Moncastri & Kiliæ, quas duas munitiones inferioris ac maritimę Moldauiæ, paucis ante hoc tempus annis, Stephano Baiasites eripuerat: quum interim aliud institutum animi sui rex tegeret, quo Moldauiam, armis occupatã, Sigismũdo fratri suo minimo natu, Stephano vel interemto, vel eiecto, tradere decreuerat. Sed facile vir astutissimus animaduertit, quid occulte rex moliretur: ideoque conatibus eius partim aperta vi, partim fraudibus insidiosis obuiam iuit. Nomine Derbenti, siue clisurarum, accipienda silua montuosa fagina, Bucouina dicta, duorum latitudine milliarium Polonicorum, angustam & præruptam inter montes asperaque saxa viam habens, sicut eam Martinus Cromerus trigesimo & vltimo historiæ suæ libro descripsit. Rem gestam narrat anno Christiano CIↃ CCCC XCVI. Nec in paucis sane dissidet a Musulmanorum expositione, q̃ nobis heic repetere non lubet. Ad ipsum Cromerum lectores remitto. Expeditionem secundam, quæ prior est Turcorum in Russiam excursio, Cromerus idem ad annum Christianum nõ proxime sequentem, videlicet CIↃ CCCC XCVII, quod Turci faciũt, sed alterum ad hoc CIↃ CCCC XCVIII, rettulit; me Turcorum potius probante sententiam. Addit, supra cẽtum millia Russicorum mancipiorum a Turcis abacta fuisse capita. Tertiam expeditionẽ, qua Russos iterum inuasere Turci, numeroso cum exercitu, septuaginta videlicet millium, anno CIↃ CCCC XCVIII, sub finem mensis Nouembris, quod alienum anni tempus heic Turci vocant, susceptam fuisse commemorat; eaq; Turcorum millia plane quadraginta, & amplius, periisse. Turci notarunt, hoc euenisse suo IↃ CCCC V anno; qua quidem in re, pro more suo, quem alibi † declarauimus, ad finem expeditionis, & reliquiarum exercitus sui reditũ respiciunt: qui dubio procul in anni sequentis CIↃ CCCC XCIX principium incidit propterea, quod Turcos tardius domo profectos & ipsimet fatentur, & diserte Cromerus ostendit. Gregorius etiam Duzanes manu scriptus eumdẽ cum Cromero ponit annũ, & absumtas incendiis vrbes Russicas nominib⁹ vitiatis recenset, Koloniam, Balticã, Prussam, Nouam ciuitatem; quarum incorruptas adpellationes Cromerus edidit, Iaroslauiã, Radimnam, Præmislam, Præuorscum. Sed de his satis, quum ipsam Cromeri Polonicam historiam, vberius pleraque narrantem, cuiuis adire liceat. Ad historiæ Musulmanæ seriem redeamus.

Sultanus Baiasites iampridem metu fratris, Zemis Sultani, cuius interitũ suo superius exposuim⁹ loco, liberatus; bellum aduersus Venetos, grauibus inimicitiis impulsus, suscepit: coactisq; numerosis militum copiis, vrbem Einebachtum, Græcis olim Naupactum vocatam, cum omni agro, eidem finitimo, suam in potestatem redegit, anno post extincti prophetæ Muhametis mortem IↃ CCCC V. C.1499.

Nec multo post, iterum collectis tam Europææ Rumiliæ, quam Anatolicis copiis, Moream siue Peloponesum ingressus est; & in ea prouincia ciuitates aliquot, Mutunen, (priscis Methonen) Coronen, & opidum vicinum, quod modo Turcis Iauarinum dicitur, Nauarinum nautis Italis, Auarinus Græcis hodiernis, Pylus denique veteribus adpellabatur, occupauit. Eæ res anno post migrationem prophetæ Musulmanorum Muhametis IↃ CCCC VI, maiori C.1500. ex parte Baiasitis ipsius auspiciis gestæ fuerunt.

Dum secundum hæc Constantinopoli desidens in otio Sultanus Baiasites, a rebus gerẽdis abstineret; venit ad eum profugus Imirzes begus, Vsun-Chasanis Aiemiorum regis e filio nepos; quẽ perhumaniter excepit, & diurnis annonis centum asprorum donauit. Tamdem suam quoq; filiam ipsi matrimonio iunxit. Fugæ vero caussam Imirzes begus huiusmodi quamdam habuit. Schachus Persarũ Iacupes, Vsun-Chasanis filius, in regno patri successerat. Eius vxor, cõiugali fide violata, flammis erga quẽdam illicitis exarsit: & impellente vesano animi furore, marito poculum veneno mistum & infectum letali præbuit. Hausit is ex oblato poculo, quumque propter ipsum filius adstaret, etiam illi poculum porrexit, vt biberet; quod quidem a filio, sic iubente patre, factũ. Sed Iacupes statim, quum bibere desiisset, veneni vim sensit. Quapropter vxori mox suæ poculum obtulit, vt etiam ipsa

biberet. Negauit illa se posse bibere, variasque causas nectere cepit, cur id temporis a potu abstineret. Sed Iacupes illico manum ensis sui capulo admouens, eumque stringens, vt biberet, coëgit: simul vxori perfidæ caput amputasse traditur. Hoc modo tria fuerunt eodem elata tempore funera, quum & vxor, & Iacupes ipse, cum filio, periissent. Nullos autem pater a morte sua superstites reliquit filios, ideoque tumultus exstiterunt in regno maximi, seditionesque periculosæ; quibus factum, vt si quis ad regnum adspiraret, mox ab alio necaretur. Ad extremum prorsus extincta magni Vsun-Chasanis apud Persas, & cetera familia regia, solo dumtaxat hoc Emirze bego reliquo, qui tantis in lanienis fuga sibi mature consuluerat: legatos Persæ tot ærumnarum pertæsi, quas in illis discidiis pertulerat, ad Sultanum Baiasitem miserunt, qui communi totius gentis nomine dari sibi quemdam ab eo filium peterent, vti sane numerosam is subolem genuerat, quem regno suo præficerent. Abnuit Baiasites, quod postulabatur; quum aliis causis impulsus, tum quod lubricæ fidei, libidinique tumultuantium credere filium ex se natum nollet; ac multo minus heredem legitimum, cui filiam dedisset vxorem, violato iure gentium, & adfinitatis artissimæ recens initæ vinculo posthabito, spoliandum auita possessione duceret. Itaq; rebus infectis, legati domum rediere. quumque suis Sultani Baiasitis responsum exposuissent, iussi sunt ad eum reuerti, denegatoque filio petere; dumtaxat vt Imirzen begum, regibus suis editum, magnique Vsun-chasanis e filio nepotem, quem ipse sibi generum adsciuisset, in regni spem Persis mitteret: vt maioris inter amplissimas nationes cõiunctionis causa, nati saltim ex ipsius filia nepotes aliquando rerum apud Persas potirentur. His legatorum postulatis intellectis, orare Sultanum Baiasitem socerum cepit Imirzes begus, vt non eundi modo potestatem faceret, ad recuperandum sibi debitum, & oblatum vltro regnum: verumetiam copias aliquas daret, quibus instructus, tanto maiori cum dignitate, nec securitate minori, regios ad penates auorum suorum reuerteretur. Sed recusauit id etiam facere Baiasites, quod illico futurum diceret, vt reuersus a seditiosis e medio tolleretur. Maneret secum, nec suam, coniugisque, filiæ suæ, salutem in apertum discrimen coniiceret. Habiturum aliquando repetendæ Persicæ ditionis occasiones magis certas, & minus periculosas: quo quidem tempore nec honori filiæ pater, nec generi commodis ac maiestati socer vllo modo defuturus esset. His auditis, facile perspiciebat Imirzes, non permissurum Baiasitem socerum, vt id tẽporis in Persidem se conferret. Quapropter aliam sibi viam statuit aperiundam, qua sui desiderij metam adtingeret: Dauudemque bassam in consilium adhibuit, & enixe rogauit, vt, quando discedendi potestatem a Baiasite socero non posset vllis impetrare precibus, saltim ipsius ope, bonaq; cum venia, tam necessarium iter sibi suscipere liceret. Probauit institutum Imirzis Dauudes, eique facile concessit ex auctoritate, quam veluti Vezir primarius obtinebat amplissimam, vti quamprimum ad repetendum in regno Persico ius suum ꝓficisceretur. Habebat Imirzes begus cingulũ a patre sibi relictum, quod maximi æstimabatur, cum pugione vel ense militari, (hantzarem Turci dicunt) non minoris & ipso pretij, quod variis & exquisitis gemmis esset ornatus. Vtroque Dauudes Imirzen begum defrudauit, dum abeundi licentiam faceret. Quo facilius vero socerum Baiasitem Imirzes discessu necopinato falleret, ne quod itineri scilicet impedimentum obiiceret; dispositi clanculum cottidianis in hospitiis equi fuere, quorum sæpius commutatorum opera quam celerrime, veredariorum in morem, Persicos ad fines euaderet. Itaque nocte quadam egressus, initium fugæ fecit; & equis ad hoc, vti diximus, in itinere dispositis vsus, ad Vsun-Chasanis aui regnũ peruenit. Statim atq; diditus fuisset de ipsius aduentu rumor, quidam imperij proceres ad eum se contulerunt, & velut heredi principiq; legitimo debitã se præstaturos fidem & obœdientiam professi sunt. Simul eorum opera collectæ fuere copiæ, quarum præsidio longius progredi, ceterasq; regni prouincias in ordinem redigere posset. Interim maior in dies ad eum cõfluebat regulorum ac nobi-

ac nobilium Persarum numerus, vt eius imperiũ pleraque iam Azemię regna lubenter adgnoscerēt. Hoc modo regiam potestatem apud suos adeptus Imirzes, legatum ad Baiasitē socerum misit, qui successum rerum suarum ei nuntiaret: se nimirum deniq; restitutum imperio maiorum suorum, quod felicitati fortunęque soceri acceptum ferret. Subditorum partem maximam vltro se summisisse, paucis exceptis, qui necdum fidei sacramento se ipsi obstrinxissent. Eos quamprimum armis ad officium reducendos, quam quidem ad rem pręcipue soceri auxiliis opus sibi fore perspiciat. Destitui namque sumtibus & impensis, ad bellum gerendum necessariis; quum a pecuniis inops ad regnum recuperandum accesserit. Quapropter eum maiorē in modum orare, ne generum tam necessario tempore desereret, quo parum a prospero fine rerum suarum abesset. Se, cum regno suo, semper in eius potestate futurum. Dumtaxat vxorem, & quam petiisset pecuniam, mitteret: vt reliquias belli conficere, totumque regnum suis subiicere legibus posset. Baiasites, intellecto generi sui rerum statu, mox filiam suam, quæ Imirzæ bego collocata in matrimonium erat, nō exigua cum pecuniæ summa, nec parui pretij thesauris, ad Imirzen begum transmisit. Dum iter ad maritum Sultana, cum insigni comitatu suorum, faceret; cogitare secum Imirzes begus cepit, qua ratione, quoue modo regni sui proceres omnes in vnum cogere, velut ad conuiuium quoddam, & hoc astu suam in potestatem redactos occidere posset. Imitari namque facinus Geducis Achmetis bassæ cupiebat, qui soceri sui Baiasitis dux non ita dudum præcipuus, eadem arte pellectum in insidias Caramanum principem interfecisset. Sic enim secum ipse statuebat, numquam se regno secure potiturum, nisi proceres immodica præditos potētia prius e medio sustulisset. Id visum fieri percommode posse, si conceptis in eos iris plane dissimulatis, omnes amanter ad epulas, cædi destinatas, inuitaret. Sed præter spē accidit, vt quidam ex intimis Imirzæ bego pueris, qui huius consilij particeps factus fuerat, secretum proderet, suique periculi proceres admoneret. Itaq; conatus Imirzis anticipandos rati, simul omnes in eum irruerũt, ac letaliter vulneratum neci, quam ipsis intentauerat, dederunt. De hac Imirzis cæde certiores in itinere facti, qui coniugem eius, Sultani Baiasitis filiam, cum thesauris in Persidem deducere iussi fuerant; non ausi vlterius progredi, ne quod fortunarum ac vitæ discrimen adirent, in arcem quamdam vicinam se receperunt: vnde patri, quò loco res essent, & quid marito suo apud Persas accidisset, Sultani filia per suos nuntiauit. Quamobrem cōsulturus incolumitati filiæ pater, aliquot ei begos Sanzacos, cum aliqua militum manu misit, qui eam secure domum reducerent. Hoc modo necatus Emirzes a proceribus suis, periit. Sultanus autem Baiasites, quum intellexisset, quid inter Imirzen ac Dauudem bassam fuisset actum, & præsertim, quod is auctore Dauude, contra voluntatem suam, ad Persas, præsenti cum salutis periculo, se contulisset: inæstimabilem ei zonam illam, cum hantzare, quibus Imirzen spoliarat, ademit; ipsumque Dauudem, veneno petitum, extinxit. Et acciderunt hæc anno post migrationem prophetæ Muhametis ꟾↄ cccc xii. Chr. 1506.

Admodum iam consenuerat Sultanus Baiasites, & podagræ morbo tantopere excruciabatur; vt expeditiones bellicæ perquam ei graues essent, ac perpetuo Constantinopoli, præ debilitate virium, hærere cogeretur. Interea vero, dum ipse in lecto plerumque decumberet, tam vezires & cōsiliarij Portæ, quam ceteri proceres & sanzaci, citra metum omnem ac verecundiam, regni fructus ac reditus interceptos absumebant, & impune tenuioris fortunæ homines atrocibus iniuriis potentiorum per summum scelus exagitabantur: nec eorum querellæ, qui per vim opprimebantur, vel ab ipso Baiasite, vel ab aliis, administrationi rerum præfectis, exaudiebantur. Erant cum imperio, potestateque tantum non absoluta, vezires omnino tres; Alis bassa, & Achmetes bassa, quem † Hertzecoglium siue Ducis filium nominabant, & Iachia bassa tertius. Hi mentem atque animum, & rationes Baiasitis omnes perspectas habebant; ideoque pro lubitu suo, quidquid eis visum fuisset, agebant. Machmutes Zele- † Pandect. cap. 161. & 162.

bis, Sultani Baiasitis filius, & ipse tyrannidem vsurpare ceperat; patrisq; mãdatis parum obsequens, insolẽter in omnibus se gerebat. Quapropter infestus filio pater, eum tolli de medio præcepit.

Dum hic rerũ status in Osmaneo, sane nõ optimus, esset imperio; maioribus etiã quasi procellis ac tempestatib⁹ agitatum Azemiorum regnum fluctuabat. Quippe tumultus alij alios semper excipiebãt, idq; potissimũ ex ea causa, quod e posteris magni regis illius Vsun-Chasanis nulli superstites amplius essent, ad quos imperiũ illud iure pertinere videretur. Hinc intestinæ dissẽsiones, & bella ciuilia procerũ, inter se de dominatu contẽdentium; factionesq; diuersæ, tam populo Persico, quã ipsi regno perniciosæ. Tamdẽ in ea regni prouincia, quam Gilanem vocant, vltra regionem † Carabagi nomine celebrẽ, Ismail quidam exstitit, patre nat⁹ insigni & religioso viro, Erdebilensi regulo, qui rationẽ colendi numinis intimam & ipse tenebat, & ostendebat aliis; quumque nomen ei proprium esset Chaider, etiã vulgo * Scheiches adpellabatur, ab innocentis vitæ pura sanctimonia. Chaider ipse patrem habuerat Tzuneitem, eadem ex causa Scheichis nomẽ promeritum. Tzuneites autem ortus erat e regia Nigrarum ouium familia, cuius mentionem supra fecimus; hoc est e gente, quæ apud Græcos Mauroprouatadum nomen habuit, a nigris ouibus, cui nomini adpellatio Cara-coionlu, lingua Turcica respõdet. Et tradunt iidem Turci, principes hos Mauroprouatadas imperio fuisse deiectos & priuatos Osmanis sancti siue Sehidi Muhametani tempore. Tzuneites autem, subditus & cliens, aut vasallus Vsun-Chasanis regis erat, tanta nominis celebritate clarus; vt omnes reguli proceresq; Turcorum, religione quadã tacti, donis eum quibusdam colerẽt. Inter ceteros, etiam Sultani Osmanidæ quotannis aliquid ei largiebantur, cum præfatione verborũ huiusmodi: Mittit hic, vel ille Sultanus Osmanides, sancto viro, Scheichi Tzuneiti, tzirac axiesi, hoc est, aspros siue pecuniam cãdelabri. Fertur etiam Temur Chan Tatarus ipsum visitare coram voluisse, quo tempore viri sanctitatem & innocentiam admiratus, triginta millia captiuorum ei condonauerit. Quũ vero Sultanus Muhametes secundus apud Turcos imperio potiretur, visum fuit ei, nullos ampli⁹ Scheichi Tzuneiti nummos, pristino suorũ more, mittẽdos. Tzuneites, qui nesciret id secum statuisse Muhametem, quum solitum præteriisse temp⁹, quo sibi munus illud ab Osmanidis principibus mitti cõsueuerat, nec tamen adparere summam asprorum, a tot annis receptam, videret: misit e suis, qui Sultano Muhameti diceret; cupere Scheichem Tzuneiten causam cognoscere, cur aspros mitti solitos, hactenus ei non curasset ad Teken siue monasterium xenonemq; suum eremiticum tradi. Respondit Muhametes, lingua sibi vernacula: Vallahe Tekesin cozza vlmistur: hoc est, Per Deum, vetus ille Tekæ vel eremitici xenonis & monasterij præfectus iam mortuus est. Quod si Tzuneites ipse aliquid haberet, quod sibi mittere vellet; id sane se quam lubenter accepturum. Hæc Muhametis verba quum Tzuneiti renuntiata fuissent, permoleste respõsum tulit; quasiq; graui accepta iniuria, rem omnem queribundus ad Vsun-Chasanem detulit, regionũ Persicarum principem, cuius imperio Tzuneitis etiã ditio, quam in prouincia Ghilanensi sitã, Erdebilis nomẽ habere diximus, continebatur. Et ortus erat hic Vsun-Chasan e principibus regni, quod Albarum ouium nominabatur, barbaro vocabulo Ac-coionlu. Græcis, nomine linguæ suæ posterioris, tunc etiã vsitatæ, † Asproprouatades adpellabantur, ab albis, vti nunc indicatum, pecudibus vel ouibus. Rex Vsun-Chasan illatam a Sultano Muhamete Scheichi Tzuneiti cõtumeliam, & ipse adeo indigne tulit; vt inter alias causas, quibus impulsus, bellum deinceps aduersus Sultanum Muhametem gessit, etiam hac ad inferenda Turcis arma non parum exstimularetur. Quippe quum videret, magnam quotannis pecuniæ summam, magnamque populi multitudinem, Scheichis Tzuneitis causa, suos intra fines ex ipsis etiã Osmanidarum prouinciis confluere, quæ res ex tanto mortalium cõcursu singularem ipsius nomini famã & existimationem pariebat; in posterum Muhametis contumaci superbia nonnihil de hac gloria sua decessurũ, vti facile secum existimare poterat, ægerrime ferebat: adeo-

† Pandect. cap. 63.

* ibidem cap. 81.

μαυροπροβατάδες. Laon. lib. 7. vbi vitiose Mauroprobantes.

† Laonic. lib. 9. vbi corrupte [illegible] probatani in edito, [illegible] sprobata[illegible] in Gunde[illegible] versione [illegible] nuscripta [illegible] gitur.

adeoque perpulit eum hæc indignatio, tanto celerius vt armis adpetēdum Muhametem statueret; ipso etiam Tzuneite flāmis hisce faces subiiciente, quemadmodum vsuuenire solet, vbi homines ambitiosi partam semel auctoritatē ab aliis aut violari, aut imminui cum dedecore suo, animaduertunt. Pugnatum sane secūdum hæc inter Vsun-Chasanem & Muhametem in ea planicie, trans oppidum Artzerumen, ad decimum milliare Græcum, quæ iam adhuc Pasin-oua nominatur vocabulo barbaro, quo planicies siue campus anserinus significatur, ob anserum copiam, quæ illuc cōuolare perhibentur; licet indicasse me superius meminerim, libro secūdo, priscos etiam Pasini campum, & fossam vallumque Pasini, (πασίνυ χάρακα) non ignorasse. Victus autem eo prœlio rex Vsun-Chasan, insigni cū infamia fugit. Quūque se constitutum in periculo non exiguo videret, votum animo suo concepit, quo sancte pollicitus est, daturum se filiam suam Chaideri, Tzuneitis filio, siquidem ex eo discrimine saluus & incolumis ad suos rediisset; id quod etiam reapse præstitit. Quippe domum reuersus, filiam suam, voti reus, Tzuneitis filio Chaideri dedit vxorem; quo matrimonio factum, vt familiæ duæ regiæ, nimirum Mauroprouatades, a nigris ita dicti pecudibus, a quibus ortum Chaider ducebat, & Asproprouatades, ab albis adpellati ouibus, ad quos Vsun-Chasan generis originem sui referebat, in vnam hodieque clarissimam gentem Sophinorum felici vinculo coalescerent. Nec deinceps Vsun-Chasan tractabat arma, sed a bellis gerendis abstinens, curam castrēsis administrationis, & rei militaris omnē, genero suo Chaideri, Tzuneitis filio, commendabat. Vnde progressu temporis accidit, vt Chaideris filij posterique, paterna virtute meritisque commendati, ad Persici regni clauum peruenirent: fuitque primus ex his cum potestate regia Schachus Ismail, Chaideris filius, Scheichis Tzuneitis nepos. Hic Ismail, vt tandem eo reuertamur, vnde digressi sumus, in superius indicata Ghilanensi regione degebat, & adhuc admodum iuuenis erat. Quumque supra modum ætatis prudens, Vsun-Chasanis regnum tot seditionib⁹ ac bellis intestinis adtritum, gubernatore destitui videret, qui res confusas in ordinem redigere, fluctuantes ad tranquillitatem reuocare, pæne perditas felicitati pristinæ restituere posset: audendum aliquid statuit, quod & cum vtilitate reipublicæ, & honore dignitateque sua cōiunctum esset. Id eo sibi fore procliuius animaduertebat, quod vniuersi regionis incolæ tam in cultu numinis, quam vitæ religiosæ degendæ præceptis, rationes ab ipsi⁹ auo Scheiche Tzuneite, patreque Chaidere præscriptas, sectarentur; illorumq; memoriam, velut illustrium eximia pietate virorum, singulari cum veneratione colerent. Iidem tantorum virorum nepotem & filium Ismailem, mirificis animorum studiis complectebantur, & ad quæuis ei præstanda obsequia se paratissimos semper exhibebant. Quippe non ex auita patritaque dumtaxat gloria, magnam sibi conciliarat auctoritatem; verumetiam virtute propria clarus, aui patrisque vestigiis insistebat, & exemplo sane laudabili ceteris, in omni vitæ officio, cum admiratione cunctorum præibat. Vnde fiebat, vt etiam ipsi, licet annos adulescentiæ necdum egressus esset, honoris & obseruantiæ causa Scheichis adpellatio tribueretur; ea potissimum de causa, quod aui & patris imitatione, viam sinceri penitiorisque cultus diuini mortalibus, ipsorum quidem opinione, rectam & expeditam patefaceret. His ergo tam feliciter hactenus iactis inuadendi regni fundamentis fretus, tamdem colligere quasdam copias, & cum eis in apertum prodire cepit. Quumque palam signa quædam, ac vexilla sustulisset; compellare mortales instituit, & exhortari; suæ militiæ semet addicerent, se præeuntem sequerentur, quicumque consultum summæ reipublicæ cuperent, quicumque sibi bene vellent: sibi denique, suisque consiliis obsequerentur, si tantis e malis tamdem aliquando cogitarent emergere. Missis etiam diuersas in regni partes suis hominibus, & hæc, & his consimilia publicari passim iussit. Itaque cunctis ad eum cottidie magis ac magis confluentibus, intra non magnum temporis spatium ad decem hominum armatorum millia coëgit, & cum eis expeditionem

suscepit; institutis aui patrisque posthabitis ac neglectis, qui diuinæ legis & religionis obseruantissimos se declarauerant. Vt tamen interim & partam semel existimationem tueretur, & suos in officio continere posset; aiunt eum Turci nouam quamdam sectam, formamque religionis excogitasse, suis accommodatam consiliis, institutis & cupiditatibus. Hinc regium nomen vsurpauit, seque Schachum adpellari voluit. Cum exercitu vero, quem collegerat, Vsun-Chasanis regnum ingressus, quoscumque cum copiis obuios habuit, singulari felicitate cæcidit, vicit, profligauit. Nec iam vlli proceres amplius ei poterant obsistere, nec impedire, quo minus adflante prosperrimis ceptis fortunæ perpetuo blandientis aura, Persarum imperio potiretur. Quippe quum vniuersus regni popul⁹ hos Ismailis successus videret, ac frustra niti nonnullos e Persarum regulis animaduerteret, vt Ismailinæ victoriæ cursum interrumperent; vltro desertis aliorum partibus, ad Ismailis patrocinium confugit, eiusque se potestati permisit. Vicissim Schachus Ismail omnes, quotquot ipsius imperio se sponte subiiciebant, lubens in clientelam accipiebat; suisque locis, fortunis, honoribus restituebat. Profectus inde Tebrisium, præcipuam regni sedem, throno regio consedit; nec Vsun-Chasanis imperium sibi tantummodo subdidit, & administrare suo cepit arbitrio: verumetiam illi regno, per se licet amplissimo, non paucas finitimarum regionum prouincias sane nobiles adiecit. Vicinum est imperio Persico regnum, vltra portas illas ferreas, ad Caspium mare, quas barbari Temur Capi nominant, situm; cui qui princeps præest, Ieschil-Bassa, seu viride caput, ex causis alibi † declaratis, adpellari solet. Ad illam quoque regionem Schachus Ismail, imperij proferendi causa, manus suas extendit. Rex autem consiliis & conatibus eius obuiam iturus, exercitum collegit, & aduersus Ismailem duxit, vti de summa rerum cum eo dimicaret. Sed vicit hunc regem, Ieschilem bassam, Schachus Ismail; eiusq; copias numerosissimas fudit ac fugauit. Quapropter e rerum gestarum fama nomen inclutum cõsecutus est in omnibus orbis terrarum prouinciis, propeque pro monarcha præcipuo id temporis habitus fuit. Subditis suis per vniuersum regnum, & iis, quotquot in comitatu palatioque regio ministeriis vel togatis, vel castrensibus addicti, militabant; tam patris & aui sectatoribus in religione, quam proceribus quibusuis; itemque tam Christianis, quam Musulmanis, edixit; vt omnes tegumenta capitum rubro tincta colore gestarent, indeq; nouum suis nomen indidit, vt Kisul bassæ, siue capita rubra dicerentur, & ab Osmanicis hac quasi tessera discernerentur. Tantum vero sui amorem Schachus Ismail in animis omnium suorum excitauit, vt quidquid tamdem iureiurando confirmandum esset, concepto per ipsius Schachi caput iuramento verum adseuerarent. Itidem si quid Schachi nomine mandaretur, tam viri, quam feminæ, tam pueri, quam senes obtemperabant; & quidquid imperatum fuisset, promtissimis studiis exsequebantur. Si quis alicui bene precari vellet, aliis verbis non vtebatur, quam huiusmodi: Schachus desiderium tuum impleat, animique tui voto fauens adnuat. Preces, quæ * Namasi solent a Musulmanis vocari, cottidieque statis horis concipi, nouas Schachus Ismail instituit, & a formula prophetæ Muhametis alienas ac diuersas. Itidẽ ipsius instituto Persæ tres primarios eiusdem prophetæ Muhametis sectatores non amplius in honore ac veneratione, sed odio habere ceperunt. Nummis, quos vel aureos, vel argẽteos signabat, hæc erant ab vno latere inscripta verba: *La illahe illallahu. Muhammedun resul allahe.* quorum verborum hic sensus est: *Non sunt Dy, præter vnũ Deum: & Muhamed Dei nuntius est.* Alterũ latus sequẽtium vocũ litteras cõtinebat, *Ismail halifé lullahe*, quarum sensus: *Ismail vicarius Dei.*

Secundũ hæc petiit ab Aladeulio principe Schachus Ismail, misso ad eũ internuntio, vt filiam suã vxorem sibi daret. Ac disertis verbis legatũ suum Aladeuli bego dicere iussit, vt vel filiam suam matrimonio sibi cõiungeret, ac tegumentum capitis rubro tinctum colore gestaret, seq; Kisulem bassam profiteretur; vel certo sibi ꝑsuaderet, Schachũ Ismailem cum exercitu propediẽ adfuturũ, totisq; viribus Aladeuli bellum illaturum. Sed

† Pandect. cap. 234.

Aladeules non modo non adsensus est Ismailis postulato, verumetiam præ se tulit animum ab eius societate atq; amicitia prorsus alienũ. Hinc inter eos exortum bellũ fuit, in quo Schachi Ismailis exercitus victas Aladeulis begi copias profligauit; inter alios, qui eo prœlio ceciderunt, etiam vno de filiis ipsius interfecto. Quapropter Aladeules, adgnita virium suarum imbecillitate, quibus Ismaili par esse nullo modo posset; legatos ad eum misit, qui pacem peterent, eiq; suo nomine renuntiarent; Contendere maximis ab eo precibus Aladeulem, nõnihil dilationis sibi concederet, vt interposito temporis spatio perexiguo, statuere de rebus, ad vtriusque dignitatem pertinẽtibus, tanto commodius posset. Accepturum se perlubẽter Ismailis imperium, atque etiam daturum ei filiam coniugem, & rubrum tegumentum capitis gestaturũ. Saltim non nimium properare se cogeret. Interim suam ad regiam se conferret Ismail, dum ipse de mundó muliebri filiæ prospiceret, deq; rebus aliis, ad nuptias spectantibus; vt pro dignitate tãti regis in Persidẽ quam ornatissima deduceretur. His Aladeulæ verbis fidem adhibens Schachus Ismail, magnam ei pecuniæ summam donauit, quæ filiæ doti cederet; misso quoq; rubro capitis inuolucro, quod suo nomine gestaret. Posteaquã hoc vsus astu princeps Aladeules, Schachum Ismailem, longe se superiorem, cum exercitu ab se remouisset: quemdam e suis ad Sultanum Baiasitem cum litteris misit, in quibus perscripserat; Schachum Ismailem aduersus se magno cum exercitu suam in ditionem venisse, præterq; spem rebus ab omnibus imparatum obruisse, quod eius imperio se summittere, filiam vxorem dare, caput rubro tegere pileo recusasset. Ad summam, nõ modo quid actum fuisset, Baiasiti significauit Aladeules; verum etiam penitus ei rerum suarum statum detexit, & exposuit. Cõclusio deniq; litterarum, eiusmodi cum petitione coniuncta erat, vt auxilium sibi quam maturrime ferret Baiasites, & aduersus hostem adeo potentem se defenderet. Ni faceret, Aladeulem extrema necessitate compulsum, Ismailis se potestati permissurum: vnde procul dubio maiores Ismaili vires sint accessuræ, quibus ad opprimendos tanto facilius Osmanidas paullo post sit vsurus. Acceptis his ab Aladeule litteris, in hanc ei sententiam Sultanus Baiasites respõdit; Abstineret Aladeules ab Ismailis amicitia, nec vel eius imperio se subderet, vel matrimonio filiæ generum adoptaret. Tegumentum vero capitis, ab Ismaile missum, stercoribus impositis ei remitteret, cum huiusmodi verbis: Faceret Ismail, quidquid omnino facere posset, extremis etiam viribus: numquã ei propterea filiam daturum Aladeulem, ac multo minus cliẽtem Ismailis futurum. Posteaquã hoc Sultani Baiasitis responsum Aladeules ex litteris eius, & homine suo, quem hoc nomine miserat, percepisset: mox quemdam ad Schachum Ismailem ablegauit, qui suis ei verbis huiusmodi quædam nuntiaret: Constituisse secum Aladeulem, nec Ismailem herum adgnoscere, nec filiam ei coniugem dare. Nimirum Sultani Baiasitis clientem se profiteri, præ cuius metu nihil horum facere nec audeat, nec possit. Schachus Ismail, hac Aladeulis intellecta sententia, vehementer indignatus, quod illusum sibi videret; coactis illico copiis, intra fines Aladeulis profectus est. Ab altera parte, quum primum Aladeules accepisset, Schachum Ismailem hostiliter in ditionẽ suam cum exercitu venturum: missis ad Sultanum Baiasitem veredariis, ei maxima quasi volantium celeritate nuntiari curauit; in procinctu contra se Kisulem esse bassam. Rogare Baiasitem, promissa nuper auxilia mitteret, nec se desereret, qui iussu ipsius non dubitasset omnem cum Ismaile coniunctionem respuere; nec imperium hominis dumtaxat recusare, verumetiam verbis non parum contumeliosis iras ipsius in se prouocare. Nũc ad eius opem confugere, cui se maluerit adiungere; quemque potius, quam illum alterum, adgnoscere patronum, ac debitis obsequiis & veneratione, ceu dominum, deinceps colere decreuerit. Mox vbi Sultanus Baiasites hos Ismailis motus, & periculum Aladeulis cognouisset; tam ex Europæa Rumilia, quam Anatoliæ prouinciis, exercitum cõscribi iussit, cui palatinis e militibus ad quatuor millia Genitzarorum adiunxit: & præfectum his omnibus Iahiam bassam

misit, vt se Schacho Ismaili opponeret, conatib⁹ hominis obuiam iret, Aladeulem defenderet, hostem Persam a ceruicibus eius depelleret. Itaq; missi fuerunt in omnes Osmanei partes imperij, qui milites excirēt, & festinare quantis possent viribus, iuberent; vti quamprimum ceteris adgregati copiis, in hostē, principi populoque fœderato & amico damnum inferentem, pergerent. Dimissis cum mādatis huiusmodi nuntiis, iter Iahia bassa cum aliquibus, quas secum habebat, copiis versus Aladeulis fines instituit. Ab his inter eundum plerorumque sanzac-begorum, in itinere repertorum, tentoria deiecta in ipsorum fuere capita, non sine probris & contumeliis verborum, quibus eis conuiciabātur, quod ignauo dediti otio, segnius ad expeditionem institutam, quæ moram nullam, ob hostis præsentiam, ferre posset, concurrerent. Hoc modo Baiasitici profectionem, quāto potuere studio, maturarunt. Ex altera vero parte Schachus etiā Ismail cum exercitu suo progressus, in planicie propter opidum, cui nomen Casrie, (fortassis Caisarie vel Cæsarea intelligitur) cū suis castra metatus est. Ea vero moderatione certis ex causis est vsus, vt Sultani Baiasitis milites nequaquam hostiliter inuaderet. Aiebat enim, nihil esse sibi negotij cum Baiasite Chane: prorsus inter ipsum, & se nullas inimicitias intercedere. Dumtaxat Aladeulem adgredi cupere, qui sibi multiplices iniurias intulisset. Hunc solum sibi castigādum proposuisse. Nullam non beneuolentiam Osmanidę sibi de se pollicerentur. Hæc quū Baiasiticis nomine Schachi nuntiata fuissent, vicissim misere, qui Schacho Ismaili responderent: Ditionem Aladeuliam esse iuris Osmanei. Non esse, cur Ismail sua causa discederet ex iis locis. Maneret modo, suumq; præstolaretur aduentum. Mox adfuturos, & acri prœlio Persicas ipsius copias inuasuros. Animaduertebat Schachus Ismail, maiores inter vtramq; partem oriri turbas & tumultus indies; & omnia ruptis fœderibus antiquis, ad apertum inter Osmaneos, & se, bellum tendere, quod excitari nolebat; adeoque multis de causis ab eo plurimum abhorrebat. Necdum illuc belli dux a Baiasite creatus, Iahia bassa, cum copiis suis aduenerat. Itaque prius, quam hostile quid inter vtrosque tentaretur; discessit ex iis regionibus Ismail, & in regnū suum cum exercitu suo rediit. Progressus interea fuerat ad Anguram vsq; Iahia bassa, Baiasitici exercitus Imperator: quumque videret abeuntem retro, motis castris, Schachum Ismailem; etiam ipse pedem rettulit. Acciderunt autem hæc anno post migrationem prophetæ Musulmanorum Muhametis ıɔ CCCCXIIII. Ch

Dum vero pergeret Sultanus Baiasites, de causis indicatis, hærere Constantinopoli; terræ motus ingens accidit, quo grauissime succussa tellus passim tremuit. Ædificia magnitudinis insignis, ecclesiæ Christianorum, templa Musulmanorum, cum turribus, muris, parietibus suis, vbique per vniuersam Constantinopolim quassata, fissa, diruta, collapsa sunt. Exstructum quoq; recens ab ipso Sultano Baiasite templum corruit, turribus eius diruptis, & humi prostratis. Præterea templum Sultani Muhametis secundi misere laceratum fœdatumque fuit. Ædificia plurima damnum ingens accepere, sub quibus humi procumbentibus, non exiguus oppressorum mortalium numerus periit. Nec vna dumtaxat vice succussum solū tremuit, sed continenti motu subsultare non desiit. Correptus autem formidine Sultanus Baiasites, relicta Constantinopoli, licet ęger pedibus, Hadrianopolim discessit. Verum nec illic a succussione libera tellus erat. Quapropter historiarum monumentis est proditum, vitandi periculi causa, Sultanum Baiasitem id temporis, ex arboribus & tignis longe maximis, ędificium ligneum exstrui curasse, quod deinde securitatis suæ causa conscenderit; quando trabes, sic inter se iunctæ, nō tam facile dissoluebantur; nec more parietum lapideorum rimas agebant, quas eorumdem ruinę statim comitabantur. In hac ergo lignea domo sessitabat, nec vmquā fere telluri se credebat. Motus autem hic continuo mensis vnius spatio durauit, absque vllo laxamento, vel cessatione. Quum vero terra tremere tamdem aliquando desiisset, peritos rerū astronomicarum, & philosophiæ naturalis, colligi Sultanus Baiasites iussit: eosq;, postquam conuenis-

uenis-

ueniſſent, de cauſis & rationibus abditis, ob quas hoc modo terra moueretur, & quidnã huiuſmodi prodigia portenderent, interrogauit. Inter alia reſponſum ab iis, ſecuturas annis proximis per vniuerſum orbem terrarum clades horribiles, ac profuſiones ſanguinis immẽſas, cum aliis malis & calamitatibus, quibuſcum genus humanum miſere conflictaturum eſſet.

Eam hiemem Sultanus Baiaſites Hadrianopoli totam exegit. Vbi primum deinde ver adpetiiſſet, miſſa paſſim per vniuerſum ipſius imperium fuere mandata de colligendis mercenariis, & cæmentariis, & aliis fabricatoribus, q. Conſtantinopolim mitterentur, vt vrbem reficerent. Hoc genus hominum Turci Serechores ſiue Sarchores vocant, quorũ id tẽporis ad quadraginta millia Conſtantinopolim dumtaxat cõfluxiſſe perhibent, eamq; fœde collapſam ac dirutam inſtauraſſe. Mota vero terra fuit anno poſt migrationem prophetæ Muſulmanorum I Ɔ CCCC XV.

Quum autem videret Sultanus Baiaſites, quantopere iam ipſe conſenuiſſet, & quantos ex podagra dolores & cruciatus perpeteretur, quorum vi ſic adflictus & debilitatus eſſet, vt pedibus amplius vti nullo modo poſſet: cogitare de ſubſtituendo ſibi filio cepit, cui nomen erat Achmetes; vt ſe viuo Sultani dignitatẽ adeptus, imperium loco patris adminiſtraret. Ac merito regnum huic tradendum exiſtimabat, qui ordine naſcendi primus inter ceteros filios, adhuc ſuperſtites, ab ipſa natura ius regni conſecutus videretur. Quapropter omnes imperij ſui proceres, ac prouinciarum præſides, quos ſanzacos dicunt, & ſubaſſas, qui arcium & opidorum præfecti ſunt, Hadrianopolim velut ad calata comitia conuenire iuſſit: vt inſtituta deliberatione publica, cõmunibus omnium ſuffragiis ac ſententiis decerneretur, quiſnam potiſſimum e filiis patri ſurrogandus eſſet, qui & in præſentia regnum Oſmaneum, patre præ morbi vi decumbente, moderaretur; & eo rebus humanis exemto, citra controuerſiam in imperio ſuccederet. Quantum vero pater hac de Achmete filio, ſibi ſubſtituendo, ſollicitudine tamdem profecerit; e ſubiectis non multo poſt expoſitionibus adparebit. Tunc quidem certe turbarum in Oſmaneo regno plena erant omnia, quemadmodum in magnis imperiorum mutationibus vſuuenire plerumque ſolet. Poſteaquam enim Schachus Iſmail, proſperrimo victoriæ curſu, magnas illas Perſidis ꝓuincias, incredibili celeritate ſibi ſubiecerat; adtonitis ad inſuetam felicitatẽ mortalium, præſertimq; vicinorum animis, ex omni paſſim Anatolia Turci, quos operis huius initio Zurcos, quaſi Nomadas, adpellatos fuiſſe diximus, ruſticum genus hominum, itidemque complures alij, qui ex rapinis & latrociniis victitabant, turmatim ad eum confluebant. Grata nimirum eis erat illa religionis noua quaſi facies, quã Iſmail ſane plauſibilem introduxerat; gratior etiam libertas, vel licentia potius, qua præter Muſulmanorum morem, ieiunia ſuperſtitioſa cum precibus cottidianis reiiciebantur. Hac præcipue de cauſa magnus ex Oſmanidarum prouinciis hominum concurſus ad Schachum Iſmailem exſtitit. Quapropter vt mature huic obuiã malo Sultanus Baiaſites iret, tam ad ſanzacos præſideſque prouinciarum Anatoliæ, quam ad Cadilaros ſiue iudices mandata miſit; quibus eis imperabat, vt itinera paſſim præſidiis impoſitis occluderẽt, & omnes ad Iſmailem confugientes interficerent. Paruere Baiaſitis edicto præſides ac iudices ad aliquod tempus, nec paucos e fugitiuis interceptos occidere. Sed quũ nullis tamdem ſuppliciis fugientium veſania coërceri poſſet, ſuis ad Sultanum Baiaſitem miſſis hominibus, quã parũ ſeueris in fugitiuos animaduerſionibus & pœnis ꝓficerẽt, edocuerunt. Itaque reperto Baiaſites alio mali remedio, regiones Anatolicas perq̃ri iuſſit, & capitis adfici ſupplicio, quotquot rubris vti pileis deprehẽſi fuiſſent. Si qui vero adhuc ambigere viderentur, nec aperte ſectã Sophinam profiteri; cũ vxoribus, liberis, & familiis ſuis, in Moream ſiue Peloponeſum relegarentur, vt illic ad litus maris habitantes, & hoſtium iniuriis expoſiti, ſemper in armis excubare cogerentur. Itaque miſſi fuerunt in Anatoliam & Europæam Rumiliam veredarij, qui paſſim tales inquirerent. Ab his complures interfecti, nec pauciores in exſilium acti, pagis

integris & villis euacuatis. In ea vero planicie, quæ Dobritze vocatur, (ab opido Dobiro, ni fallor, cuius & Zoſimus noſter libro 11 meminit) in Bulgaria verſus mare nigrum ſita, cuius metropolis eſt Varna, (Laonico quidem edito Dobrodicia, manu ſcripto Gundeliano Dobrotitia, libro hiſtoriæ ſexto, nominatur) magnus gladiorum numerus repertus fuit; quibus homines, excitata ſeditione, ſubito poſſent armari. Mittebãtur enim a Kiſul-baſſa quidam ficticia ſpecie, quaſi ſi Scheiches eſſent, hoc eſt, ſecretiorũ doctrinarum profeſſores ac magiſtri; qui paſſim Oſmanidarum ſubditos exhortarentur, vt ad primã aduentus Schachi Iſmailis famam ſe paratos oſtenderent; quando is breui, ſuſcepta inſigni expeditione, ſuo regiones Oſmaneas imperio ſubiecturus eſſet. Et hi quidem indicata via mortalium animos ſibi cõciliabant, magnamque gladiorum, & quorumuis aliorum armorum copiam in promtu habebant. Interim regnũ Turcicum in maximis turbis conſtitutum agitabatur, ac Sultanus Baiaſites podagra laborans, quaſi truncus quidam in lecto decũbebat; nec vti membris, quotquot infra zonam in humano ſunt corpore, poterat. Vſq; adeo vires eius defecerãt. Huc etiã accedebat filiorum ipſius immodeſtia, qui graui morbo patris inſolentiores facti, poſthabitis omnibus pietatis officiis, res nouas moliti ſunt. Erat Amaſiæ Sultani Achmetis aula, Corcutes Zelebis regionẽ poſſidebat, cui nomen Aidin-ili; & in opido prouinciæ illius præcipuo Maniſſa, quã Magneſiam dixere veteres, habitare ſolebat. Tzihan Schachus Zelebis Donguſli degebat, q; opidum eſt Cariæ, Caramania comprehenſæ. Sultanus Selimes ſibi conceſſam a patre Tarabozanem ſiue Trapezuntem incolebat. Cofe, quam Capham nos dicimus, Sultani Muhametis erat. Quæ ab his improbe ſcelerateq; fierent, Sultanus Baiaſites pater non ignorabat. Ideoq; tamdem iuſto dolore motus, Sultanum Tzihanem Schachum, & Sultanum Muhametem, faucibus obſtructis necari iuſſit. Habebat autem Tzihan Schachus filium Muhametem. Ei ditionem, quam pater obtinuerat, auus donauit: Cõfen vero, quam Muhametes poſſederat, idẽ auus Baiaſites alteri nepoti ſuo, Sultano Suleimani, Sultani Selimis filio, conceſſit. Quum vero tamdem Sultanus Baiaſites exhauſtas corporis ſui vires videret, cogitare ſerio de Sultano Achmete, filio natu maximo, ad imperium euehendo, cepit: quod quidem vt eo facilius perficeret, Genitzaros filio muneribus cõciliandos ſtatuit, & eorumdem voluntates explorandas, an Achmetem ad imperium admiſſuri viderentur. Sed varie tentatis horum animis, alieniores ab eo deprehendit. Quippe Sultanus Achmetes craſſus ac præpinguis erat, ideoque minus ad res gerendas idoneus. Sultanus autem Selimes omnium iudiciis digniſſimus exiſtimabatur, qui regno præficeretur. Eum mirifice prædicabant, ei fauſta feliciaq; precabãtur omnia. Solus Baiaſites Achmetem beneuolentia ſingulari complectebatur, adeo quidẽ, vt is permiſſu patris in Anatolia trãſmarina rerum omnino potiretur, plena cum poteſtate regnũ adminiſtraret, reditus prouinciarum, patri debitos, ſibi retineret, idq; patre nequaquam aduerſante. Quum autem diu Baiaſites abſq; fructu Genitzarorum ſtudia filio captaſſet, tamdem eorum animos inſigni liberalitate ſtatuit expugnãdos, aſprorum mille congiario ſingulis promiſſo, modo Sultanum Achmetem ad capeſſendum imperiũ in vrbem admittere vellent. Sed illi pertinaciter in opinione ſua perſiſtentes, nullo modo ſe parituros Achmetis imperio reſponderunt. Dum hæc Conſtantinopoli tractarentur, intellexit abſens Sultanus Selimes inſtitutum patris, quo regnũ Achmeti tradere conaretur. Itaque non parum & ipſe commotus, quod in ſucceſſore deligendo nullam a patre ſui rationem haberi permoleſte ferret, ad Pontum Euxinum ſiue nigrum mare naues fabricari curauit, quibus Cofen traiiceret. Præterea cum Murteza bego, principe Tatarorum, fœdus & amicitiã certis legibus iniit, & hac inter alias; vt Murtezæ filia Sultano Suleimani, Selimis filio, deſponderetur. Poſteaquam hoc modo ſibi regem illum adiũxiſſet, a quo copias auxiliares non exiguas impetrare poterat: traiecto magna feſtinatione mari, Cofen adpulit, vbi filius eius, Sultanus Suleiman, ab auo Baiaſite rebus adminiſtrandis præfectus fuerat. Eius prouinciæ

prouinciæ reditus, & tributa, cum portoriis, ac vectigalibus vniuersis, Selimes intercepit; nec vllum inde patri teruncium misit.

Dum rebus in hunc modum confusis ac perturbatis, non parum fluctuaret imperium Osmanidarum; etiam alij quidam noui, nec minus periculosi motus exstiterunt. Accidit enim, vt quidam in regione, quæ apud barbaros * Teke-ili dicitur, propter vrbem Almatzucam, in quodā natus opidudlo vel emporio, quod Bazartzuca vocatur, Scheichem siue religiosum doctorem se profiteretur, & Schachoculis nomen vsurparet. Magnæ vir hic apud eius regionis populum auctoritatis erat, & adeo quidem, vt etiam Sultanus Corcutes eum inuisere non dubitaret, & missis frequenter muneribus coleret. Præterea Corcutis pater, Sultanus Baiasites ipse, monasterium ei, cum cellis quibusdā, quæ Zauiæ barbaris dicuntur, exstruxit. Et certam ab eodem Sultano Baiasite pecuniæ summam, annonarum nomine, quotannis accipiebat. Populus regionis vniuersus ad ipsum confluebat, & quum alia dona, tum pecudes ouesq; secum adferebat, pro suis quisque facultatibus, quæ mactarentur, & in ipsius ac pauperum vsum erogarentur. Nam ingens hominū concursus erat ad hui⁹ Scheichis imaretum, siue monasterium, & xenonem; ideoq; non exiguę fiebant expensæ, tam ad eos, qui cottidie moti fama celeberrimi viri, ad locum hunc veniebant, quam ad ipsos etiam sectatores eius alendos, qui iam sane magnum ad numerum excreuerant. Hoc rerum ipsius statu tam prospero, quum existimationem apud omnes egregiam consecutus esset; tamdem suasu mali genij seductus, improbum facinus adgressus est. Cœpit enim aliquando sectatores & discipulos suos adloqui, subdolisque verbis ostendere, iam destinatū felicitati stirpis Osmaneæ tempus effluxisse, nec amplius eam in illo rerum humanarum fastigio permansuram. Imminere mutationē maximā, qua totius orbis imperium ad se peruenturū esset. Gladiū sibi diuinitus datum iri, quo populos vniuersos suo subiecturus esset imperio. Nihil aliud restare, quā vti propediem secutura rerum mutatio populis denūtietur. Fortasse nō defuturos, qui suas in partes cōcessuri sint, & spōte sua debitā præstaturi obœdientiam. His sectatores eius auditis, (Isicos Turci dicunt, vt nostri solitudinarios vel eremitas) cōfirmare Scheichem in opinione sua ceperūt, eiq; certo futurū promiserūt, vt omnes ipsius imperio se perlubenter submitterent. Quapropter eis p̄cepit, vti secretum hoc passim publicarēt, & cōuenire populos ad diē mercat⁹ proximi iuberent, vt haberi conciliū de mutatione status publici posset. Tū vero sectatores ipsius per vniuersam regionem dispersi, habere Scheichem quoddā arduū dixere negotiū, quod cū omnibus communicaturus esset, modo mercatu p̄ximo frequētes ad se confluerēt. Paruit mandato Scheichis populus vniuersus, quumq; maximo numero conuenisset, prodiit ad eos e monasterio suo Schachoculis, & causas indicti ab se concilij expositurus: Aduocare vos, inq̄t, ad celebritatē hanc volui, quo me docente cognosceretis, p̄teriisse iam tēpus illud, ꝙ hactenus florenti Osmanidarū fortunæ diuinitus cōcessum fuit. Nūc ad metam suam regnū eorū peruenit. Iccirco maximas rerū vicissitudines ante oculos videmus. Sultanus Baiasites instar trunci cuiusdam immobilis ex podagra decumbit, amissis omnibus corporis viribus, & vsu membrorum. Eius filij graues inter se, contra leges fraternæ caritatis, inimicitias exercent. Interim discidiis ac bellis intestinis imperij robur adteritur, nec amplius durare regnū ipsorum poterit. Mihi gladium cœleste numen in manus dedit, vt nouum in orbe regnū constituam. Quapropter adeste, meque ducem vestrum sequimini, qui maximis vos opibus auctos beabo. His & aliis verborum præstigiis tamdem eis persuasit, etiam sublato vexillo, peralacriter vt omnes ipsum, correptis armis, sequerentur. Nec deerant equites, (Ispahilaros Turci dicunt) qui cum eo se coniungerent. Omnes incolæ totius regionis Teke-ili turmatim ad eum concurrebant. Erat etiam subassa quidam Vstazi-oglius, quem Caragoses bassa, beglerbegus Anatoliæ, non tantum suo remouerat ab officio, sed etiam timario, siue prædiorū suorum reditibus priuauerat. Is itidē ad Schachoculim venit, & seditiosis semet adgregauit; ꝙ oblatā sibi tā

commodam occasionem, iniurias Caragosis bassæ vindicandi, minime negligendam duceret. Hoc modo coactis iam non exiguis copiis, recta versus vrbem Cutaien, quæ Caragosis Anatoliæ beglerbegi sedes erat, contenderunt. Beglerbegus autem, quum intellexisset, vniuersam hanc seditiosorū colluuiem aduersus se pergere: quanta potuit celeritate maxima, milites suos collegit, & hostibus obuiam profectus, quum primum in eos incidisset, rem prœlio committendam statuit. Sed fortuna parum prospera dimicans, non modo victus ab eis fuit, sed etiam in potestatem ipsorū, capta Cutaie, venit. Tum vero nimium quantum insolescentibus seditiosorum animis, per summam licentiam & impunitatem grassari, & quocumque venissent, omnia depopulari, & extremam ad vastitatem redigere ceperunt. Quumq; semper vlterius progrediētes, ad arcem Carachisarem peruenissent: dedi eam sibi postularunt, vtque tanto facilius id a præsidiariis impetrarent, ipsum Caragosem bassam, asino impositum, circum arcem duxerunt, ac variis adficere contumeliis & iniuriis. Sed nihil his rebus omnino perfectū apud Carachisarinos, qui bellica tormenta tanto ferocius in hostes explodebant, ac ne mentionem quidem vllam deditionis admittebant. Quapropter iritati perduelles, Caragosem bassam illic palo transfixerunt, horribili genere supplicij; totamque regionem direptam, cladibus adflixere maximis. Igitur ad Sultanum Baiasitem missi fuere veredarij, qui graues illas Anatoliæ calamitates ei nuntiarēt. Is vero confestim quatuor Genitzarorum millibus Alim bassam instruxit, & Ispahilarorum quoque cohortes aliquot eidem adiunxit, vti cum copiis hisce bellum seditiosis inferret. Simul Alim occulte monuit, daret operam, vt eadem occasione rem sibi longe optatissimam conficeret: nimirum vt arcessitus in castra Sultanus Achmetes filius, velut ad expeditionem communibus auxiliis suscipiendam, ab eo Genitzaris commendaretur, & hac via successionem in regnum paternum cōsequi posset. Vtinam quidem, inquit, hac in re tibi voto meo satisfacere liceat. Videamus saltim, quid tua nobis efficere possit industria. Nec ista cum Ali tractasse contentus Baiasites, etiam litteras ad Sultanum Achmetem filium per veredarios misit; quibus in litteris perscriptum erat, ablegatum a patre talibus & tātis cum copiis Alim bassam, vt bellum aduersus seditiosos in Anatolia gereret. Consultū vero sibi videri, vt etiam Achmetes ipse cū Ali bassa copias suas coniungeret, & in eius castra veniret, veluti cum eo belli societatem initurus. Id autem in illum fieri debere finem, vt exercitui cōmendatus Achmetes, delatum a militibus imperium acciperet. Nihil enim patri magis in votis esse, quam vt Achmetem suo loco rerū summæ præfectum videret. His ex sententia Sultani Baiasitis ad hunc modum dispositis, in Anatoliam cum exercitu profectus est Alis bassa; cuius aduentu cognito, statim ad ipsum venit Achmetes, sub prætextu quidem coniungendarum copiarū, sed reapse paternum vti consilium exsequerentur. Summa vero fide, studioque singulari perficere conatus est Alis, vt Sultanus Achmetes locum in exercitu medium consequeretur, qui more Turcorum ipsius Sultani & imperatoris esse solet: vt tacitis quasi suffragiis in eum locum admissus, pro rege consensu militum adgnosceretur. Eam ob causam Genitzaros Alis adpellans: Sultanus Achmetes, ait, & rex & imperator noster est. Itaque recte facturi estis, mei commilitones, si eum pro more maiorum, in medium agmen vestrum receperitis. Responsum a Genitzaris, Alim ipsum sibi datum a Sultano Baiasite, cui tamquam capiti supremo hac expeditione parerent. Nullum se, Baiasite superstite, Sultanum alium adgnoscere. Locum sibi debitum in absentia Sultani, cuius nunc vices gereret, alteri ne traderet. Se quidem alium neminem in aciem mediam admissuros. Maneret ergo suo loco, neque morem nouum introduceret. Sin autem, sciret hac in re Genitzaros ipsi nequaquam obtemperaturos. His dictis, admittere Sultanum Achmetem, sicuti postulatum fuerat, plane recusarunt. Quapropter is reiectus a Genitzaris, separatim & copias suas ductabat, & castra metabatur. Interea vero, dum hęc in Osmanidarum exercitu fierent, hinc inde Scheiches ille Schachoculis p imperij Turcici fines in Anatolia grassabatur,

tur,& omnia passim flammis ac ferro vastabat. Quum autem inaudissent hi seditiosi, tam Alim bassam cum quatuor Genitzarorum millibus, quam Sultanum Achmetem alio cum exercitu contra se missos, propediem adfuturos: cedẽdum hosti, maioribus instructo copiis, & fugam ineundam censuerunt. Osmanei, qua poterant celeritate, fugitiuos insequebantur: sed facile tamen animaduertebant, se vix vniuerso cum exercitu fugientes expeditius adsecuturos. Quapropter aliud Alis bassa consilium iniit, deque toto exercitu suo trecentos equites selegit, qui & manu promti ac strenui supra ceteros essent, & equos longe præstantissimos haberent. Horum quemlibet a tergo Genitzarum peditem vehere secum iussit, vt hi quoque numero trecenti, celeritate pari, cum indicatis equitibus ad hostes peruenire possent, eorumque profectionem, aut fugam potius, tantisper sistere; donec vniuersus eos adsecutus exercitus, nullo negotio cæderet ac profligaret. Cognouit inde Schachoculis per exploratores suos, Alim bassam cum parte copiarum vestigiis suorum inhærere, nec a se magno iam interuallo abesse. Quamobrem sibi recta fugiendum ad Kisulem bassam, Schachum Ismailem, statuit. Sed quum vrgere suos Alis bassa non desineret, vt equorum cursu perpetuo fugitiuos persequerentur, ne qui tantum damni rebus Osmaneorum dedissent, impune possent elabi: peruentum ad eos denique, cum CCC illis equitibus, & CCC Genitzaris, de quibus dictum. Ibi tum Schachoculis cõsistere suos, & castra munire iussit: quod quidem factum, de consilio ipsius humi, pro more suo, procumbentibus in ambitu castrorum camelis; (solent enim hoc illi facere, quoties eis vel imponendæ sarcinæ, vel itinere confecto rursus adimendæ sunt) & iumentis ceteris, equis ac mulis, circum castra sic constitutis, vt instar valli cuiusdam seditiosorum exercitum vndique clauderent, & ab Osmaneorum inuasione tuerentur. Ex altera parte, suos illos CCC equites, totidemque Genitzaros, hortatus est Alis bassa, quum primum ad hostem accessisset, vt impetu vehementi septum illud perrumperet, & territis aduentu inopinato seditiosis, nullum se defendendi, nec respirãdi spatium concederet. Itaq; totis viribus & equites in eos irruebant, & Genitzari suis armis camelos interficiebãt. Alis ipse bassa, suis vt animos adderet, nec ducis modo, sed militis etiã boni munus obiret; primus inter suos in hostem pugnabat, & tãta quidẽ ferocia, min⁹ vt in illo feruore sibi caueret. Quapropter ab aduersis interceptus, ante periit, quam a suis ei subueniretur. Genitzari, posteaquam & Alim bassam cæsum, & equitum suorum copias ab hoste disiectas viderunt; etiã ipsi terga dederunt, vt fuga saluti consulerẽt, ac denuo se cum exercitu suo cõiungerent. Quisquis igitur euadere poterat, ad suos retro celeri fuga se recipiebat. Nec Osmanei dumtaxat hoc factitabant, sed ipsi quoque Schachoculini ab altera parte pleno cursu discedebant ex iis locis; vt Varsacidarum regionẽ, qui Pisidæ priscis adpellabantur, ingredi ante reliqui Turcorum exercitus aduẽtum possent, ac in præruptis illis, inuiisque locis, aduersus iniurias eorum se defendere. Nec infeliciter eis hoc consilium cessit. Quippe Turcis ab Alis bassæ interitu tardius progredientibus, peruenire sine detrimento Schachoculis & Vstazi-oglius suis cum copiis ad Schachum Ismailem, Persidis intra fines, potuerunt; vbi satis commode ab Ismaile Kisule bassa, Persarum rege, fuerunt excepti; præsertim alter ille ducum Vstazi-oglius, cui sanzacatus apud Persas regia liberalitate tributus fuit.

Interim audiens Sultanus Selimes, Alim bassam a patre Baiasite cum quatuor Genitzarorum millibus trans mare missum, vt cum Sultano Achmetẽ se coniungeret: etiam ipse Capha discessit, quo paullo ante profectum Tarabozane diximus, & quemdam e suis ad patrem misit, qui ei nuntiaret; Exiuisse domo Sultanum Selimem, & patris adeundi causa iter instituisse, quo tanto temporis ex interuallo debitam ei venerationem exhiberet, ac manum oscularetur. Etiam atque etiam orare, bona cum patris venia sibi hoc facere liceat. Respondit Baiasites, aduentum filij Selimis nequaquam sibi gratum fore. Maneret suo loco, nec illinc vllo prætextu discederet, modo saluam

sibi beneuolentiam paternam cuperet. Sed minime patris hac denuntiatione territus Selimes, inchoatum iter continuare perrexit. In vsum vero suum tria fere millia Tatarorum e locis Caphæ vicinis secum sumsit, & Hadrianopolim profectus, haud procul ab vrbe, velut in conspectu patris, castra metatus consedit. Ægre ferens aduentum filij pater, misit qui ex eo quærerent, cuiusnam rei desiderio motus, Hadrianopolim venisset. Respondit Selimes se, posteaquã intellexisset, omnes prouinciarum præsides ad Sultanum Baiasitem confluxisse, nequaquam voluisse committere, vt ipsius in eo conuentu præsentia desideraretur; quando se paternis ex sanzacis vnum esse, perlubenter adgnosceret; ac paternis amicis & fœderatis amicum, hostibus inimicum se profiteretur. His auditis, dubitare Sultani Baiasitis aulici cepere, quonam hic Selimis motus tenderet; quum dicerent, mirari se non satis posse, quo consilio Tatarorũ exercitum in cõspectum patris & ipsorum adduxisset, ac secũ retinere pergeret. Vel eum exauctoratum discedere quamprimum ex iis locis iuberet, vel futurũ sciret, vt ipsi correptis armis in Selimem irruerent. Hæ vezirum procerumque voces exaudiebantur, qui tamen non omnes inter se plane consentiebant. Interim misit ad hos palatinæ militiæ præsides Sultanus Selimes, eosq; monere pariter, & inuitare non dubitauit; vt ad se in castra venirent, & imperiũ sibi consentientibus omnes suffragiis traderent. Tum vero vezires a Selime sibi metuentes, quem de inuadendo regno cogitare viderent, præ formidine modestioribus vti verbis, atque etiam palpum ei ceperunt obtrudere; dum fateri se dicerent, potissimum imperij ius ad ipsum spectare. Genitzari denique suis ei verbis nuntiari iusserunt; Iret nunc, quo vellet. Alio tempore non defutura ei studia sua ad obtinendum id, quod peteret. Sultanus autem Baiasites filij causa maiore in metu, quam ceteri, versabatur. Itaque misit ad eum, qui suo nomine significarent: Esse patris hunc erga filium Selimem animum, vt perlubenter ei sanzacatum prouinciamue daturus sit aliam, siquidem ea minus ipsi placeret, quam hactenus obtinuisset. Ad ea verba patris respondens Selimes, Tarabozanem se minime reuersurum ostendit. Tum Baiasites: Equidem ei tradam, inquit, & Semendrinum, & Nicopolitanum, & Alatzechisarinum, sanzacatus insignes, & inprimis opulentos. His meo beneficio locis deinceps præsit. Simul expediri litteras donationis (baratum barbari nõminant) præcepit, quibus Selimi prouinciæ nominatæ mandato patris addicebãtur; & subditis imperabatur, vt ei, voluntate paterna sibi præfecto, lubẽter in omnibus rebus parerent. Hoc baratum mox filio pater reddi iussit, eiq; dici; statim vt illas in prouincias & sanzacatus se conferret. Sultanus autem Selimes, absque mora longiori, Zagoram cũ suis abiit, ad sexagesimum lapidem ab Hadrianopoli distantem, vt ostensum † alibi prolixius; atque ibi cũ suis castra metatus, in omnes Europææ Rumiliæ partes scriptas misit litteras, quibus ad se viros bello claros ac strenuos e quibusuis regionibus inuitabat, & annonas eis, amplissimaque timaria, sane quam liberaliter offerebat. Milites etiã gregarios, ac prædones quoque, si qui militari virtute præditi ex rapto forte victitassent, ad castra sua pellexit; in diurna stipendia, pro more Turcorum, proque merito cuiusuis, aut sex, aut octo vel nouem, aut decem vel plures etiam aspros singulis pollicitus. Hoc modo coactus ab eo fuit exercitus, quo viginti hominũ millia continebantur. Præterea, ne stipendia militibus numeranda deficerent, omnes auri & argenti fodinas Europææ Rumiliæ, quibuscumque tamdem in locis eæ reperirentur, suam in potestatem redegit; itidemq; tributa, vectigalia, reditus prouinciarum & vrbiũ, decumas omnium rerum, quidquid denique ad Sultani ius proprie pertinet, & ei⁹ exigi nomine solet, sibi vindicauit; ac suos homines misit, qui hæc a subditis exacta sibi redderent, & in castra sua conueherent. Ad summam, totius administrationis auctoritatem plenam in se transtulit. Præterea cunctis in itineribus, quibus Hadrianopoli vel ad inferiores, vel ad superiores regiones pergitur, tam vias publicas obsedit, quam defendendis iis idoneas arces & vrbes occupauit, suisque militibus impositis muniuit: vt omnes quibusuis e locis ac partibus Europææ Rumiliæ,

liæ, quibuscumque de causis, ob quascumq; negotiationes profectos, & dictis in itineribus repertos interciperent; & ad Sultanum Selimem adductos, eidem sisterent: qui rationibus & negotiis eorũ examinatis, & cognitis, q̃d de singulis esset faciundum, arbitratu suo statueret.

Ceterum posteaquam tantas Sultanus Selimes iam paratas haberet copias, mox patri bellum inferre, deque summa rerum manus cum eo conserere sceleratus & impius filius decreuit: vt oppresso primũ Baiasite, tanto facilius rationes Achmetis quoque fratris interturbaret; ne patris auxilio, qui modis omnibus huic vni regnũ tradere studeret, se præterito & excluso rerum potiretur. Vt autem milites haberet ad dimicandum instructiores, & paternis hac etiã in parte superiores: omnis generis arma, quibuscumque locis, & hastas præsertim militares, earũq; spicula ferrea, cõgeri iussit, & curribus imponi: quo sine molestia laboreque militũ, ad ea loca veherẽtur, in quibus & armare suos, & aleam prœlij subire cogitabat. Interim ipse cũ copiis expeditis, ad inuadendũ necopinato patrem, magnis itineribus contendit. Erat Baiasiti nũntiata filij profectio, nec eum nefaria Selimis consilia, cũ indigno & abominabili conatu, latebant. Quapropter aduentus subiti fama territus, misere senex languidus, & viribꝰ corporis exhaustus, trepidantis animi curis excruciabatur. Exiguas sane copias secum habebat, nec temere furentis filij militibus obiiciendas, quibus longe numero impares erant. Necdum etiam redierãt ex Anatolia Genitzari cũ Ali bassa motus ad illos cõpescendos missi, quos diximus. Et norat hos præcipuũ exercitus sui robur esse. Quum deniq; nullũ aliud in tã pręsenti discrimine remediũ rebus suis inueniret, minime filium Hadrianopoli statuit exspectandum; sed ita vt erat pedibus æger, imponi se currui iussit, ac sumtis secum palatinis aliisque copiis, quas ad manum id tẽporis habebat, Hadrianopoli mouit; vt filij conatus anteuerteret, ac prior ipse Constantinopolim adpelleret. Intellecta patris fuga Selimes, insequendum maxima celeritate ratus, militẽ suum properare iubet; nec multo post in relictos a tergo speculatores & excubias exercitus paterni delatꝰ, statim eos inuadi & cædi præcipit. Erat tunc suis in castris Sultanus Baiasites, ad opidum Thraciæ Vizen; & porrectis ad cælum manibus, aduersus iniurias filij numinis opem implorabat. Quum autẽ pater castris motis Vizen reliquisset, iãq; versus Cõstantinopolim, ad mare, quod vrbem alluit, & Propontidis mare dicitur, cum exercitu suo tenderet: medio Selimes in itinere superueniens, nec ꝓgredi copias paternas, nec in loco constituto castra metari passus est. Hoc modo in planicie villæ cuiusdam, quæ Sirt-Kiui dicitur, propter amnem Tzorlensis opidi, quod Tzurulum prisci nominabant, instructis vtrimque aciebus, ad manus ventum, patrisq; militem conatu nefario filius exsecrabilis adoriri prœlio cepit acerrimo. Quare cogi se videns Sultanus Baiasites ad dimicandum, currum suum, quo vehebatur, sisti iussit, & Muhametis prophetæ vexillum explicari. Iam medium diurni cursus sui spatium sol confecerat, quum Baiasiticorum & Selimiorum acies infestis signis cõcurrerent, ac tanto quidem cum impetu; vix vt historiarum in monumentis alia pugna, maiori contentione virium, & animorum ardore pugnata reperiatur. Nitebatur acies Baiasitica bonitate causæ, cui secretꝰ iusti numinis fauor accedebat, horum animos confirmantis, & excitantis ad vindictam spretę patriæ tam potestatis, quam auctoritatis; Selimiorum e contrario manus labefactantis, ex ipsa turpis & immanis impietatis conscientia. Quapropter omnino fusæ fugatæque fuerunt Sultani Selimis copiæ, pluribus in acie cadentibus; ceteris captis, & vlciscendi seuerius inusitati criminis lęsæ maiestatis causa, fœde trucidatis & interemtis. Sultanus ipse Selimes cum paucis suorum terga dedit, & quo minus in potestatem patris veniret, fugæ beneficio velocis euasit ad mare nigrum: quo rursum traiecto, Capham reuertit. Pater autem Baiasites, insigni quidem illa, sed aduersante naturæ legibus, & lugubri victoria potitus, Constantinopolim saluus cum copiis ingressus fuit. Pugnatum inter patrẽ & filium inauspicato prœlio, post excessum e terris Musulmanorum prophetæ Muhametis anno IↃ CCCCXVII. C.1511.

Totam secundum hoc prœlium hie-

mem proximam, pceres Europææ Rumiliæ, ſubaſſæ, præſides omnes, aliiq; in dignitate cōſtituti qualibet, Sultani Baiaſitis ad Portam, Conſtantinopoli manentes, exegerunt. Quippe detinebat eos ſecū Baiaſites, nec ad ſua reuertendi poteſtatem faciebat; quod totus in hoc eſſet, vt pducto Cōſtantinopolim Sultano Achmeti filio natu maximo, quē inprimis diligebat, cōtumacia nupera Selimis offenſus, imperij ius omne ſe viuo traderet. Obſecuti ſunt in hac re voluntati Baiaſitis omnes Vezires ſiue conſiliarij, Baſſæ, Begi, Subaſſæ, proceres: quibus ille viciſſim, gratam vt hanc eorum ſibi teſtaretur obœdientiam, & veſtes honorarias, & alia munera donauit. Simul concepta iuriſiurandi formula, ſingulos & omnes ad præſtationē eius adegit: vti ſancte nimirum promitterent, ſe fidelem Sultano Baiaſiti quum aliis in rebus, tum præſertim in Achmete filio ſucceſſore regni deſignando, pro viribus operam nauaturos. Dedere fidem Sultano ſub religione dicti ſacramenti omnes, pro eo ſe vitā profuſuros, & capita quibuſuis periculis obiecturos: nec vmquam ipſum, quam quidem diu ſuperſtes in terris futurus eſſet, vllo modo deſerturos. Nanctus igitur horum ſuffragia pro Achmete filio Sultanus Baiaſites, ægerrimo ferebat animo, ſuis aduerſari votis palatinā militiam; qui Sultanum Achmetem regia dignitate potiri nullo modo ſinerent, nec vllis adduci præmiis, donatiuis, precibus poſſent, vt ei ſe, tamquam legitimo patris ſucceſſori, parituros polliceri vellent. Vt igitur hoc vnicū remoueret impedimentum, quod animi ſui deſiderio repaguli cuiuſdam inſtar obiici videbat, quo minus ad metam poſſet optatiſſimam peruenire: denuo veziribus & conſiliariis ſuis, ceteriſque proceribus ad concilium vocatis: Inueniendum vobis, inquit, aliquod vel conſilium, vel remedium mitigādi duros illos palatinorum militum meorum animos, qui mihi tam pertinaciter aduerſantur; aut alia quædam excogitanda ratio, qua vel inuitis ipſis filius meus Achmetes huc adducatur, & ſummæ rerum præficiatur. Ad ea Baſſæ vezires, præ animorum anxietate ac mœrore, nihil omnino reſpondere potuerunt. Solus Chaſan baſſa, qui Europææ Rumiliæ beglerbegus erat, ceteris animoſior: Equidem miror, inquit, hāc trepidationem ac formidinem veſtram, abiectique vilitatem animi. Quid iſtos quæſo nos curamus Genitzaros? Omne penes nos imperandi ius eſt, omnis auctoritas. Cur de republica Genitzaros in conſilium adhibere velimus? Quibus auditis, etiam is, qui munere Caſi-aſcheris, ſiue maximi caſtrenſiſque iudicis, id temporis fungebatur: Recte locutus eſt, ait, Chaſan baſſa, in cuius ſententiam pedibus equidem eo. Tum vero confirmatis aliorum quoque procerum animis, rectum hoc omnibus viſum conſilium; quod quidem vt exſequerentur, datum viris fortibus ac ſtrenuis negotium, per vim adducendi Conſtantinopolim Achmetis, vt inuitis etiam Genitzaris ad dignitatem Sultaneam eueheretur. Hæc licet in conſilio ſecretiori acta fuiſſent, ac decreta: tamē, incertū cuius pditione, in vulgus emanarūt; ſignificatumq; Genitzaris fuit, eo res eſſe loco, vel nolentibus vt ipſis Achmetes in imperio patri ſucceſſurus ſit. Quippe Chaſanem baſſam, & Caſi--aſcherem, & omnes vezires ac pceres vnanimi cōſenſu ſtatuiſſe quoſdā ad Sultanum Achmetem mittere, qui eū Conſtantinopolim deducant; vt in tachto ſiue throno regio, collocatus, adminiſtrationem rerū liberā & abſolutā loco patris accipiat. Genitzari vero procerū hoc conſilio cognito, mox eadē nocte concurrerunt armati, maximūq; tumultū excitarunt. Audiſſes vocem Bre-beri perpetuis clamoribus ingeminantes, qua cohortari & incitare ſe mutuo barbari conſueuerunt. Simul impetu maximo Chaſanis domū adgreſſi, p vim expugnarunt. Chaſan ipſe baſſa fugæ beneficio manus eorū euaſit, quidquid autem erat in domo vel auri, vel argenti, vel gemmarū, vel lautioris & pretioſæ ſupellectilis, prædæ cuiuſuis expoſitum, penituſque direptum a Genitzaris fuit. Hinc ad Caſi--aſcheris domū, eodem furore duce, delati; vim parem admouerunt, & foribus perfractis, quidquid vſquam inuenirent, abſtulerunt. Nec, ad ſummam, ab ædibus aliorum quoque baſſarum & procerum abſtinuere; ſolo Achmete baſſa Hertzecoglio, ſiue Ducis filio, excepto; cuius domo pariter, & rebus, ita pepercerūt, nullū

prorſus

prorsus vt detrimentum acciperet. Postridie summo mane, quum primum illuxisset, consociatæ Genitzarorum omnium copię, de communi consensu ad Sultanei seraij siue palatij fores cursitarunt; vt Sultanum Baiasitem adirent, vel in eum per summam insolentiam potius irruerent. Simul inconditis vociferationibus, minis etiam interiectis, aperiri sibi fores absque mora iusserunt. Ni facerent, non vi dumtaxat eas apertum iri; verumetiam alia secutura, cum eorum, quotquot intus essent, periculo coniuncta. Nimirum omnia pro imperio gerebant, efferatis animis; quos nullus neq; pudor, neq; metus, neq; Sultani sui respectus in officio continebat amplius; quemadmodum in seditionibus ac turbis huiusmodi militaribus vsuuenire plerumque solet. Territi minis ac tumultibus his omnes, qui cum Baiasite intra seraium degebant, non exiguo in metu versabantur, & in aperiendis foribus tardiores erant. Genitzarorum vero cohortes ne latum quidem vnguem inde discedebant, sed continuo pulsabant fores, vtque tamdem aperiretur, vrgebãt. Itaque quum videret Sultanus Baiasites extremã Genitzarorum vesaniam nullo corrigi remedio posse, nec iras mitigari: prius, quã furoris illius impulsu fœdius aliquid perpetrarent, aperiri portas iussit; quibus reseratis, in seraium mox infusi nullo ordine Genitzari, recta Sultani Baiasitis conclaue petierunt. Quumque non minori cum ferocia suum ad principem ingressi fuissent, intuitus eos Sultanus Baiasites: Quid hoc esse rei dicam, o commilitones? ait. Quis hic concursus vester? Cur in hunc modum irruitis? Quid a me fieri vultis? Quod petitis, dabitur; quod requiritis, concedetur. Animorum saltim vestrorum sensum ac desiderium exponite. Tum illi: Domino nobis opus est, inquiũt, ad imperij clauum qui sedeat, remque publicam non tantum ex ęquo & bono administret, sed armis etiam defendat. Miserrima regni facies est, subditorũ oppressiones finem nullum habent, omnia sursum deorsum voluuntur, canonicæ leges proteruntur pedibus, nec minus ipsi per summam iniuriã proculcamur. Violentiæ nullus est modus, quã prouinciales sic vbiq; vexantur, vt ab interitu parũ absint: ipsæ regiones ac prouinciæ moderatoribus æquis, & reipublicæ studiosis, destituuntur. Regnum vniuersum a bassis & sanzacis luxu perditis absumitur. Libidini procerum exposita sunt omnia. Nec quisquam est, qui modũ malis hisce statuat, qui remedia tantis reipublicæ vulneribus adhibeat, qui subditis oppressis manum porrigat, & opem ferat: qui hoc ipsum denique regnum ab interitus præsentissimo discrimine vindicet. Nam te quidem quod adtinet, frustra tantis malis abs te remedium exspectamus. Tertius hic, aut quartus annus est, ex quo te grauiter e podagra decumbentem, cubiculi tui parietes inclusum tenent. Aditus ad te nemini patet. Querellas nec publicas, nec priuatas audis. Quonam modo res administrentur, scire nequis. Iamdudum nec prouinciarum Anatoliæ prouentus, nec regionũ Europææ Rumiliæ reditus thesauris publicis inferuntur. Hinc regni friget ærarium, hinc egestatem publicam oriri videmus. Maturo nobis consilio focus hic resuscitãdus est, si saluum hoc imperium volumus. Ad ea Baiasites: Quid igitur, ait, faciundum vobis videtur? Tum illi, non sine vociferatione: Duce nobis, inquiunt, opus est, quẽ gerendis necessario bellis sequamur, cui vires corporis integræ sint, q militiæ labores obire possit. Quousq; tamdem sic iacebimus? quousque tam ignauo torpebimus otio? Lubẽs equidem, respondit Baiasites, ducem vobis dabo, qui etiã hoc ipsum imperiũ administret. Sententiam mihi tantũmodo vestrã exponite, quo scire possim, quemnam vobis præfici cum imperio velitis. Vicissim Genitzari: Nos alium, inquiunt, præter te, regem nullum desideramus. Saluus tibi thronus, tibi saluum imperium esto, quam quidem diu superstes eris, & anima tua domicilium hoc tui corporis incolet. Non est, quod nos te solio tuo deturbare velle cogites. Quippe cetera minime nos tædet imperij tui, dũtaxat vnum hoc requirimus, vt quando tu prę languore virium nullis amplius nec pręesse, nec interesse potes expeditionibus; belli ducem nobis pręficias, qui rem militarem administret, ex vmbra nos in solem ac puluerem, & ipsos in hostes publicos ducat: tamdem vt eorum insolen-

tiam, diuturna segnicie nostra nimium quantũ auctã, reprimamus. En vobis, ait Baiasites, e numero vezirũ bassarũ meorũ aliquẽ dabo, quemcumq; volueritis. Respondere Genitzari, nequaquã se deinceps ad bella, Bassarum ductu gerẽda, prodituros. Ergo, subiecit Baiasites, non auspiciis modo, sed ductu etiã meo bella geramus: atq; adeo, si quidẽ vobis ita videbitur, expeditionẽ aliquã instituamꝰ. Excepere Genitzari, nullo id fieri modo posse, quãdo labores itinerũ ferre Baiasites amplius nequiret, & pluribꝰ annis a bellicis expeditionibꝰ abstinuisset. Ego vero pedibꝰ æger, inquit Baiasites, curru tamẽ vti possum. Replicarunt Genitzari, vel regem, vel exercitus ducem, qui belli tẽpore curru vehatur, nõ posse muneri suo plene satisfacere, tametsi maxime velit. Adeoq; Baiasitem vrgebãt, vt exhaustis ipse viribꝰ senex, caput aliud vegetum sibi ꝓficeret, qui rebꝰ ita flagitantibus exercitui præire, laboresq; militiæ tolerare posset. Ad ea respondit Baiasites, non corporis dumtaxat viribus bella geri; sed multo magis animi vigorem requiri. Exemplum sibi sumerent a Palatino Valachiæ, †Bassara Vaiuoda; qui, licet alienus a religione Musulmanorũ, tamẽ in debilitate viriũ maxima se quamprudenter gesserit: ac tametsi totis septẽ annis, instar trũci, quadrigæ impositꝰ, hinc inde veheretur; tamen insigni cũ satisfactione subditorũ, rempublicã Valachorum suorũ administrauerit. Volubiles, & inconstantes, rerũq; nouarum perpetuo cupidos esse regionis illius populorum animos: sed nihilo ꝓpterea magis, ob infirmitatem & ægritudinẽ pedũ, a principe suo, ceteroqui bono, iusto, sapiẽti, rebusq; gubernandis ingenij ꝓstantia satis idoneo, alienatos fuisse. Maximopere se mirari, quid viris alioqui grauibus, & in omni erga principes suos obsequio, tot a sæculis, supra mortales ceteros cõstantibus, in mentẽ venisset; quidue tam fortes animos impulisset, vt præter morem maiorum, Sultanum suũ desererẽt; fluxæq; fidei fœdissimã notam, perpetua cũ infamia subire nõ reformidarẽt. Non leuiter hæc Baiasitis verba Genitzarorum animos pupugerunt. Ideoq; culpam vt hanc instabilitatis, ac perfidiæ sceleratæ, remouerẽt: Nos te, principẽ nostrũ legitimum, aiebant, nequaquã deseruimus; nec abs te faciem nostram, nec animos, studio rerum nouarum, auertimus. Te solio sedere regio, te cum imperio manere cupimus. Auctoritatẽ tuam, maiestatẽq;, nullo plane modo volumus imminutam. Quicumque tibi nõ obœdierit, a nobis seuere, pro merito suo, punietur. Penes te solum esto ius omne regni, solus imperãdi potestatẽ habeto. Dumtaxat auctoritate tua nobis quidam præficitor, qui nos in officio contineat, qui Osmaneæ gentis exercituum ductor sit, quem præter ingenij vim, nec corporis robur destituat; vt tam pace, quam bello, quocumque tempore sic vsus exegerit, optatam & salutarem Musulmanæ reipublicę operam nauare possit. Quum instare Genitzaros tanta contentione videret Sultanus Baiasites, vt aliquẽ viuus suo loco substitueret e filiorum numero, velut heredum imperij legitimorum: tamdem, quod fieri iamdudum optabat, iterum tentare volens, an forte mitioribus nunc animis impetrare posset: Equidem melius, ait, nec reipublicę, nec vobis consultum putabo; quam si filium meum, Sultanum Achmetem, lubentibus animis exercituum imperatorem acceperitis. Negarunt hoc illi se facturos, nec vllo modo Achmetem pro domino, nec militiæ præfecto, agnituros. Quippe filius tuus, aiebant, Achmetes plane tibi similis, non nisi truncus quidã est, ac terræ põdus inutile; nullius alacritatis, imbellis, obesus, totus præ corporis crassicie rotundus. Nos & acrem, & agilem, & sanguinarium requirimus; qui seueritate sua prouincias ipsas, & populos & populorum præsides domare possit, & in ordinẽ redigere; qui virili prẽditus animo, res magnas & memorabiles suscipiat. Sultanus Baiasites, spe sua frustratum se videns: Quem igitur optatis? ait. Respondere Genitzari, velle se filium ipsius alterum, Sultanum Selimem, dignũ imperio, dignũ auctoritate castrensi maxima, qua copiis Osmaneis vniuersis præesset. Pertinax in opinione sententiaque sua Sultanus Baiasites, huic postulato Genitzarorum diu noluit adsentiri. Quod quũ vezires, ceteriq; proceres, qui præ formidine Genitzarorum vix animi compotes erant, deque vita prope desperabant, animaduerterẽt; tamdẽ ipsa necessitate voces eis

† Pandect. cap. 159.

paullo

paullo liberiores exprimente, Baiasitem obtestari ceperunt: Da quæso, Sultane noster, petētibus hoc Genitzaris; maius vt malum vitare possimus. E contrario Baiasites: Equidem, ait, amici mei, nequaquam alteri spōte mea regno cessurus sum. Occlamarunt illi vicissim, non esse, cur hoc cogitet. Mansurum ipsum in solio regio, nec dignitatis vllā deminutionem passurum, sed administrationis iure pristino potiturum. Ad extremum, videns Sultanus Baiasites, nihil sibi reliquum amplius esse remedij, quo malis imminentibus occurreret, ac Genitzarorum postulata sine periculo reiiceret: Quando, subiecit, aliter omnino fieri nequit, cōcessum vobis esto, quod petitis. Filius meus Selimes ducis exercituū munere fungitor. Tū vero Genitzari pergentes vlterius, etiā baratū siue mandatum, hoc nomine scriptū, dari sibi postularunt; quo Sultani Baiasitis decretum, de concesso Selimi filio magistratu, contineretur. At Baiasites futurū respondit, vt confecto barato, ereptum sibi regnum Selimi traderetur. Illi vero vicissim opposuere, ni baratum Selimes haberet in manu sua; nullam eius apud exercitum futurā auctoritatem, nullum nec imperium, nec obœdientiam. Quapropter haud dubie requiri, baratum vt ei tradatur. Et hac quidem illi constanter in sententia perstiterunt. Ex altera parte non minor in negando Sultani Baiasitis erat pertinacia. Genitzaris autem denuo rem vrgentibus, quod aliter valere, quod actum esset, infitiaretur; omninoque baratum habere se velle, maioris fidei causa, dicerent: adsensus eis tamdem Baiasites, baratum rei gestæ testandæ causa fieri permisit. Tum vero nec concesso Genitzari barato cōtenti, rursus occlamarunt; etiam necessario thesauros a patre Selimi filio tradendos esse, quibus vteretur arbitratu suo, soluendis militum stipendiis, & alias ad necessitates publicas. Heic circumscriptum se pæne videns Sultanus Baiasites, indignabundus exclamat; si quidem ita se res habeat, ipsum etiam regnum ab eis Selimi datum; nec videre se, quo modo pater, ademtis thesauris, regiam potestatem sit retenturus. Hac de causa plane secum constituisse, thesauros non filio tradere, sed sibi seruare. Tum vero ferociori vultu, & oratione, Genitzari: Ne nescias, inquiunt, o Sultane, nostri sunt illi thesauri, de quibus rixamur. Nam vbicumq; locorum exercitus ipsi degunt, illic & thesauros seruari necesse est, ex quibus eis annonę soluantur. Quapropter aduersari nobis desine, quodque iam ante nostrum est, nobis sponte tuā restitue. Simul ab hoc postulato suo minime se discessuros ostendunt. Ex aduerso Baiasites, obstinato prorsus animo, thesauros se dimissurum abnuit. Rursus ergo vociferari cum tumultu cepere Genitzari, thesauros daret. Id si recusaret facere, præbiturum occasionem vna re tribus sibimet ipsi malis; vti nimirum & regnum amitteret, nec thesauros retineret, ac vitam denique suam præsens in discrimen adduceret. Quapropter e furore Genitzarorum animaduertens Baiasites, nullam superesse viam, qua dimoueri a proposito suo possent, quandoquidem ad grauiores etiam minas progredi non vererentur: ipsorum denique cedendum violentiæ ratus, volens nolenti (quod dicitur) animo thesauris cessit, eosque se filio Selimi, designato exercituum imperatori, traditurum promisit. Itaque Genitzari, qui iam pro Sultano Selime baratum a patre Baiasite cum thesauris extorsissent, quod inde concepissent animis suis gaudium dissimulare diutius non potuere; sed auspicatis vocibus ei faustissima quæque precantes, SVLTANO SELIMI MVLTOS ANNOS exclamarunt, eumque variis ornauere laudibus. Simul ad ipsum veredarios complures, aliis alios continuo sequentibus, ablegarunt; qui peroptatum ei nuntium ferrent, ac vocibus adsiduis vrgere non desinerent, quamprimum vt Constantinopolim veniret. Quippe non regnum ei modo Genitzaros a patre, magnis & acerbis contentionib⁹ impetrasse; verumetiam scriptum eo nomine baratum, cum ipsis thesauris accepisse. Nihil restare nunc amplius, quā vt hoc Genitzarorum, nomini suo deuotissimorū, insigni beneficio quamprimū frueretur: ideoque daret operam, vt absque vlla, vel minima dilatione, mox itineri se cōmitteret, & Constantinopolim properaret. Posteaquam hi veredarij lætis

cum nuntiis ad Sultanum Selimem venissent,lõge aliter,atq; ipsi futurũ existimarant,adfectũ reperere.Non enim incõsiderate nũtiis hisce fidem adhibere voluit,sed in dubiũ reuocãs omnia,cũctabũdus hæsitare cepit:nec itineri se,quo petebatur,confestim dedit;vti qui prius etiam a Genitzaris se deceptum,speque sua præter opinionem deiectum meminisset. Haud facile mihi quisquam, ait, hoc regnũ eripiet. Certas equidem occasiones eius apiscendi quietus exspectabo, quæ vltro, suo tempore, se mihi offerent.Interea vestris me seditionibus non immiscebo,nec ad turbas ac tumultus vestros accedam. Illi vero vicissim: Quid ais o Sultane noster?inquiunt.Itane regnum a nobis oblatum respuis?Itane Genitzarorum tuorum fidem suspectam habes? Atqui nos de dignitate felicitateq; tua maxime solliciti sum⁹. Pater tuus præ senectute sic languet,sic annis pariter, & morbis exhaustus est; vt a morte quã proxime absit, ac vel hodie, vel cras reb⁹ humanis excessurus videatur. Quo magis maturandum tibi,prius vt Cõstantinopolim adeas, & fauore palatinorum militum pedem in imperio figas,quam animam ille reddat. His rationibus & argumentis sibi tamdẽ persuaderi passus est Sultanus Selimes,serio rem a Genitzaris agi; nec temere tam commodam occasionem aut respuendam,aut negligendam, sed vtraque manu prensandam. Quapropter vt itineri se quamprimum accingeret,nec a iustis copiis destitutus iret: tria Tatarorũ millia stipendiis suis conduxit, hisque palatinam militiam suam adiunxit,atque ita profectioni principium dedit. Ei Genitzarorũ cohortes aliquot obuiam profectæ fuerunt. Interim autem,dum in itinere tam Selimes esset,quã occurrentes ei, ceu dictum, Genitzari: Sultanus etiam Corcutes nauigio Constantinopolim adpulit, ac ꝓpter zauias, siue domunculas seraij Genitzarorum, tẽplum quoddam ingressus,ibidem mansit.Neque vero magnum ille comitatũ secum adduxerat, sed adulescentem inprimis sibi familiarem dumtaxat vnum secum habebat.Statim atque Genitzari de Sultani Corcutis aduentu, qui non procul ab ipsorum seraio, quodam in templo se contineret,certiores facti fuissent: confluxerunt ad ipsum,& manum ei sunt osculati.Sultanus autem Baiasites, quum aduenisse Corcutem intellexisset;quam aduentus ille sui causam haberet, interrogauit.Simul ei dici iussit,vt vrbe Constantinopoli sine mora rursus excederet,ac domũ, suam in prouinciam, rediret. Hæc quum Baiasitis ianitores vel ostiarij, (Capitzilaros dicere lingua sua consueuere barbari) præsentibus Genitzaris, non sine minacibus verbis, Corcuti nuntiarent: commoti fuere Genitzarorum animi,quasique cum Capitzilaris expostulantes: Regulus,aiebant,auicula sane parua, sub rubo se quodam abscondit. Quid hoc vobis molestiæ creat? cur eum expellitis? adeoque pati nullo modo voluerunt, vt a Capitzilaris vrbe Corcutes abigeretur.Postridie misit Sultanus Baiasites filio suo, Sultano Corcuti,triginta saccos asprorum;suisq; præterea mãdauit,vt hospitium aliquod ei curarent,in quod diuerteret. Itaque metatores ei Casi--ascheris siue iudicis castrensis domum adsignarunt,in quam se conferret,& qua pro diuersorio,dum Constantinopoli mansurus esset, vteretur.Futurũ vero sperabat Sultanus Corcutes,(qui olim auo Muhamete secundo moriẽte,per absentiã patris in tachto siue solio regio collocatus a Genitzaris fuerat, quo patri Baiasiti regnum integrum,excluso Zeme Sultano, per hunc filium Corcutem conseruaretur) vt imperiũ,patri ademtũ, ex illo pristino iure, patrisq; ꝓmisso,sibi nũc a Genitzaris restitueretur.Sed q̃a statim Genitzari,post sedatos tumult⁹, ad Sultanum Selimem veredarios miserãt,qui suo nomine certas ei cõdiciones offerrẽt,quibus admissis,spõte sua Selimi sacramẽtum ꝓstituri essent: nihil ab eis obtineri potuit,quod acta cum Selime rescindi posse negarent.Ideoque Corcuti respondentes: O Sultane noster, aiebant, ante nouem decẽ dies huc ventum oportuit,&prius adeo, quam nostros ad fratrem tuum veredarios mitteremus.Nunc semel acta transacta, saluo tam pudore nostro,quam existimatione,retractari nequeunt;nec inueniri remedium,quo tibi consulamus. Itaque videns Sultanus Corcutes, quo loco res essent: Quandoquidem, ait,ad fratrem meum Selimem misistis, o Genitzari,de iis cũ eo tractaturos, q̃ dicitis; equi-

equidē regnū nec adfecto, nec deſidero; ſed ipſum Selimem ei præficiendum iudico. Præterea verum vt fatear, potiſſimum huc ea de cauſa veni; quo fratris alterius, Sultani Achmetis, ſucceſſionem in regno paterno pro viribus impedirem; cui parens noſter adprime fauet, & quem miſſa pecuniæ non exigua ſumma iuuare voluit, vti vel largitionibus, vel copiis etiam collectis, per vim nobis aliis omnibus imperium præriperet. Hos in itinere theſauros equidem intercepi, & huc mecum adtuli; quo nimirum eadem opera patris ſimul, & fratris conatus irritos redderem. Nec fingebantur hęc a Sultano Corcute, ſed reuera Sultanus Baiaſites pater, Achmeti filio, ſuis e theſauris ingentes ſaccos, nūmis refertos, miſerat: quos in itinere Corcutes ad illum perferri quum comperiſſet, obuiam paternis ad Achmetem nuntiis profectus, interceperat; & Conſtantinopolim ſecum aduexerat. Dedit etiā Corcutes ex interceptis hiſce nummis donatiuum Genitzaris, nimirum cc aſpros in ſingula capita. Ceterū hoc ſtatu rerum, tamdē Sultanus Selimes propius ad vrbem Conſtantinopolim acceſſit. Ei Corcutes obuiam progreſſus, ad * Zecmegen ſiue Pontem minorem occurrit, vt fratrem exciperet. Id autem vtrimque factum in equis. Nam iis inſidentes & ſalutauere ſe mutuo, & dextras iunxerunt. Hinc verſus vrbē inter colloquia mutua profecti, poſteaquam hāc intraſſent, & iam Selimis ab hoſpitio nō procul abeſſent: alter alteri rurſum ſalue valeq; dixit, ac deinde Sultanus Corcutes ad diuerſoriū ſuum deflexit. Cohors vero quædam Genitzarorum ante Sultanum Selimem incedens, eum cum ſuis ad locum deduxit, cui nomē eſt Geni-bacza, quo nouus hortus ſignificatur. Huc Selimes diuertens, ſub tentoria, nouis illis in hortis fixa, ſe recepit.

Poſtridie Sultanus idem Selimes ad patrem Baiaſitem ſe contulit, eiq; manum eſt oſculatus. Compellans autem filium pater: Equidē, ait, tibi de regno, mi fili, etiam atque etiam gratulor; idq; feliciter & auſpicato vt ineas, opto. Sane non leuibus ex indiciis animaduertimus, hanc felicitatem tibi, prę cæteris filiis meis, fuiſſe deſtinatam ac debitam. Dumtaxat hoc vnicū abs te peto, temporis vt aliquod mihi ſpatium concedas heic commorandi, donec opidum † Dimetoca, terræ motu nupero grauiſſime († Pandect. cap. 28.) ſuccuſſum, dirutum, & humi proſtratum nonnihil inſtauretur, & heic ad iter me comparem; vt tibi cedens, illuc proficiſci, quodque mihi vitæ reliquum eſt, ibidem exigere poſſim. Interea vero Genibaczeis in hortis ipſe degas. Ad ea Sultanus Selimes: Fiant, inquit, mi pater, omnia dumtaxat arbitratu tuo. Quamobrē parari Sultanus Baiaſites omnia ſuam ad profectionem neceſſaria, quodq; diximus opidū Dimetocam inſtaurari, ac refici abſq; mora, maximo illuc operarū miſſo numero, curauit. Interim māſit ſuo loco Selimes, & Corcutes ad Sanzacatum, prouinciamue ſuam rediit; auct⁹ etiam ſanzacatu Mitilines, q̄ Leſbus eſt inſula; quā priori Sanzacatui ſuo Aidinenſi, beneficio fratris adiectā, Conſtantinopoli relicta, marique tranſmiſſo, mox adiit. Deinde paratus ad iter Sultanus Baiaſites, ſumtis ſecum neceſſariis, currum adſcendit, ac Dimetocam abiit. Eum comitabatur Ionuſes baſſa, ſic ipſo volente Baiaſite; qui hunc præcipue diligebat, & ad mortem vſque ſuam, ſecum manere cupiebat. Antequam Sultanus Baiaſites Conſtantinopoli diſcederet, valedixit filio ſuo, Sultano Selimi; & omnes baſſæ Vezires cum Genitzaris extra vrbem cum ipſo prodierunt, eumque nonnihil deduxerunt. Prius vero, quam vrbe, curru vectus, exiret; etiam Sultanus Selimes, nē diſcedenti patri, qua is per vrbem iturus eſſet, occurreret; ex hortis Genibaczeis ad Ac-ſerai bazarum, hoc eſt, ad albi palatij forum ſe contulit; ac deinde per plateam, quæ longa dicitur, deſcendit. Hinc ad Hippodromum, quem barbari † Atmeidanem vocare ſolēt, pergens († Pandect. cap. 130.); tamdem ſeraium Sultaneum ingreſſus eſt. Aberant, vti dictum, quum hoc ipſe faceret, tā baſſæ vezires, quam Genitzari, Baiaſitem nimirum extra vrbem deducētes. Hoc vero deductionis officio perfuncti, Sultanum Selimem cū pompa regia per vrbem comitari Sultaneum ad palatium volebant: ſed vbi nouos ad hortos Genibaczeos perueniſſent, non amplius illic Selimem inuenerunt. Ea re non parum perturbati fuere Genitzarorum animi, quod dicerent,

antiquitus in more atque instituto illius imperij fuisse, vt ab ipsis rex nouus in palatium sedemque regiam deduceretur: eumque morem a Selime neglectum, ægre se ferre non dissimulabant. Sed has eorum voces & expostulationes Sultanus Selimes non curauit, quasi si eas non audiret. Interim digressus Constantinopoli Sultanus Baiasites, in itinere, quo Ionuse bassa comite Dimetocam pergebat, grauiter ægrotare, deficientibus eum corporis viribus, cepit. quumque iam ita progressus esset, vt inter Chapsen, quod opiduli nomen est, & Hadrianopolim veheretur: ibidem in via publica res humanas relinquens, animam exhalauit. Extincti cadauer ab iis, qui eum comitabantur, Constantinopolim reuectum fuit, & eo loco ritu barbaro conditum, quo viuus ipse meschitam cũ imareto struxerat. Et acciderunt hæc anno post migrationem prophetæ Musulmanorum Muhametis IↃCCCC XIIX, eo mense, qui Sefer ipsis dicitur. ch

IO. LEVNCLAVII

HISTORIAE MVSVLMANAE TVRCORVM LIBER XVII.

DE SELIME PRIMO, EX HANIVALDANO Muratis Dragomani commentario.



OSTEAQVAM Sultanus Selimes in tachtũ siue thronum regiũ collocatus, splẽdidissimo funere patrẽ extulisset: ante omnia Genitzaros in Anatoliam trans mare vehi iussit, ac deinde cum Europææ Rumiliæ copiis & ipse, relicta Constantinopoli, transmisit; & toto cum exercitu aduersus fratrem suum, Sultanum Achmetem, profectus est. Achmetes autem, videns Sultanum Selimem iam regio potitum solio, cuius imperio se spõte summisissent, quotquot ad Portam vel togati vel armati militabant, & cui regnum fere vniuersum, præstito fidelitatis sacramento, pareret: thesauris suis, & exercitu satis instructo, secum sumtis; Derenden se contulit. Interim Sultanus etiam Selimes ad vrbem Angurim, q̃ priscis erat Ancyra, profect⁹; fratris discessu ex iis locis cognito, Machmutem Zelebim, †Imrehorem bassam, siue præfectũ stabuli sui, qui tunc temporis Sanzacus & præses erat Burusensis, cum exercitu Sultanum Achmetem a tergo sequi iussit, & omnibus eniti viribus, vt illum in potestatem redactum ad se perduceret. Fecit is, quod facere iussus fuerat; ac tametsi celeritate maxima in persequendo vteretur, non tamen adsequi potuit Achmetem, multoq; minus eum cum suis adgredi, nec prœlio superatũ comprehẽdere. Quapropter ad herũ suum, Sultanum Selimem, rebus infectis rediit. Et accedebat alia causa, cur reduceret exercitum; quod hiems iam scilicet adpetiisset, quæ militem cogeret in hiberna distribuere. Sultanus Selimes in prouinciis ab se captis, Achmetiq; fratri primo statim in Asiam traiectu ademtis, sanzacos & præsides instituit; eisque fines illos aduersus fratrem defendendos commendauit. Hinc retro copias duxit, quumque Burusam venisset, Genitzaris in hiberna se conferendi potestatem fecit; qui commeatu impetrato, Constantinopolim abierunt. Ipse vero Sultanus Selimes Burusam sibi delegit, vbi suo cum comitatu hiemem illã exigeret. Erat Selimi fratris filius, Tzihane Schacho natus, nomine Muhametes Zelebis, qui extincto patre, Dongusli sanzacatum paternum adeptus possidebat. Eum bello Sultanus Achmetes adortus, viuum ceperat, & apud se in custodia detinebat. Nunc vero Muhametes hic, Tzihanis Schachi filius, ex Achmetis patrui custodia profugus, ad alterum patruum Selimem se recepit. Egregius sane iuuenis, planeque bellicosus ac strenuus, quem omnes in oculis ferebant.

bant.

† Pandect. cap. 228.

bant. Nec deerat ſtatura corporis eximia, vultus honeſtus & liberalis, membrorum elegantia rara, vires denique venuſtati formæ reſpondentes: quibus omnibus tam animi, quam corporis dotibus, mirificam mortalium beneuolentiam & amorem ſibi conciliauerat. Gratus Zelebis huius Muhametis aduentus Sultano Selimi fuit, ideoque peramanter eum excepit, & benigne habuit. Quum in conſpectum Selimis primum veniret, huiuſmodi verbis eum compellaſſe traditur: Vltro me tibi dedo, mi patrue, vinculis alterius patrui Achmetis ereptus; teque ſupplex oro, vitam vt mihi condones, qui toto reliquæ mihi vitæ tēpore, beneficio tuo ſeruatus, mācipium me tuum profitebor, & a Porta comitatuque tuo numquam diſcedam. Eum viciſſim Sultanus Selimes bono animo eſſe iuſſit, nec a ſe quidquam mali metuere; quando nullam eius vitæ vim adlaturus eſſet. Quo magis etiam ipſius animum confirmaret, vt omni formidine depoſita, patruo fideret; menſæ ſuæ Sultanus Selimes eum adhibebat.

Primo ſecundum hæc vere cepit Sultanꝰ Achmetes abſq; mora ſuas educere copias, & propius ad Selimem accedere, prœlio de rerū ſumma cum eo dimicaturus. Erant Achmeti præſtantis indolis aliquot filij, & inter alios Sultanus Murates eminebat, iuuenis magnanimus, & inprimis generoſus. Is patrē, Sultanum Achmetē, adpellās: Si bene tuis conſultum vis rebꝰ, mi pater, ait, ex hiſce regionibus diſcedēs, alia tibi loca magis ſecura quærito, q̄ tutum nobis hoſpitiū præbeant. Nā de hoc quidem imperio retinendo nō eſt quod amplius cogites. Sultanus enim Selimes omnia ſuā in poteſtatem redacta poſſidet, nec tuis expelli viribus, longe te rebꝰ omnibus ſuperior, poterit. Ad ea Sultanus Achmetes: Quo diſcedam, quoue me conferam, inquit, o fili? Si relictis Oſmaneis finibus, ad exterum quemdam principem aufugero, dūtaxat vt aliquo in angulo latitē; prorſus in illius poteſtatē, captiui cuiuſdā inſtar, ero. Quis illam miſeriam, & incertitudinem rerum ſuarum, ex alterius arbitrio pendentium, æquo ferat animo? Nonne multis modis præſtiterit, me ſemel occumbere gladio peremtum, quā patrio regno extorrē, cottidie mortis in metu verſari? Hæc dicens, Muratis filij rationes & cōſilium nequaquam admiſit. Iam præterierant, vt dictum, hiberni menſes, & vernum tempus adpetierat. Propterea Sultanus etiam Selimes ſuis coactis copiis, Buruſa diſceſſit; vt primo quoq; tempore bello fraterno finē imponeret. Metuebat enim, ne Sultanus Achmetes aufugiens, hinc inde ſedibus incertis vagaretur; nec in conſpectū ipſiꝰ veniret, aut pugnæ copiā faceret. Quāobrem litteras ficticias plurimas in diuerſa loca miſit, quæ partim vezirū baſſarum, partim Genitzarorū nomine perſcriptæ, monebāt & incitabant Achmetem, veniret modo quamprimū: omnes Portæ ꝓceres, milites omnes palatinos, a Selime læſos, & iniuriis adfectos, eidē infeſtos eſſe: perquā iracūdum, & igneæ naturæ hominē, in quoſuis ſubito ſæuire. Notos ipſis eſſe benignos Achmetis mores, & inſignē erga ſubditos clementiā. Accederet ergo ſine mora, nec de fide ſibi addictiſſimorū dubitaret; qui cōſpectis ipſiꝰ ſignis, mox ad eum, deſerto Selime, defecturi eſſent. Hæ deniq; litteræ tā aſtute, tam fraudulenter erāt exaratæ, minus vt his ab impoſturis ſibi cauens Achmetes, in viā ſe daret, ac verſus Selimem pergeret. Hoc modo cōuenerunt amborū in planicie Geniſcheheris ſiue Nouæ ciuitatis exercitꝰ. Selimes ita copias ſuas inſidioſe quæuis in loca diſtribuerat, vt interceptus ab eis in medio Sultanus Achmetes, euadere nuſquam poſſet. Itaq; Selimiorū in manus venit, & ad Selimem deductus, eius iuſſu familiari Oſmanidis genere mortis adfectus, compreſſis faucibꝰ, & fracta laqueo gula, fuit. Cadauer enecti Buruſam deportatum, ibidē maiorum monumentis intulerunt. Achmetis filij, patre cautiores, venire cum eo noluerant, ab inſidiis patrui ſibi metuētes. Eorum vnus, cui nomen erat Sultanus Murates, in Azemiorum ſiue Perſarum regionem ſe recepit: alij duo profugerunt in Ægyptum: quartus a Sultano Selime necatꝰ periit.

His rebꝰ geſtis, licet æmulū regni præcipuum Achmetē Selimes e medio ſuſtuliſſet; e vulgi tamē ſermonibꝰ animaduertebat, necdū ita ſibi ſtabilitum imperiū, vt de eo ſine cōtrouerſia deinceps rē tinēdo, ſecurꝰ eſſe poſſet. Quippe fratrē aliū adhuc ſuperſtitē habebat, Sultanū

Corcutem; & fratrum præterea filij non pauci superabant. Sultanus Corcutes ad Manissam, priscis Magnesiam dictam, degere solebat. Alemis autem Schachi, Tzihanisque Schachi, fratrum iampridem extinctorum filij, prorsus a Selime sibi non metuentes, sed ipsius bonitate potius & clementia freti, de ineunda fuga ne quidem hactenus cogitauerant. Igitur vt incolumitati principatus sui mature Sultanus Selimes cōsuleret, Fakiches & Meulanas suos (hi barbaris Doctores sunt, & legis periti) conuenire iussit, & omnibus ad concilium arcessitis: Quid vobis, ait, definiendum in huiusmodi quæstione videtur? præstat ne tolli de medio quinque, vel octo, vel etiam decem potius, quam vt populis regni totius inter se diuisis & adflictis, ipsa respublica detrimentum, non sine vastitatis extremæ periculo, capiat? Responderunt illi iuris & legum Muhameticarum periti, sine dubio fore melius, vt homines octo vel decem desiderentur; quam vti tot regiones grauibus turbis ac tumultibus inuoluantur; quorum finis alius esse nō possit, quam vt tamdem ad deplorandam vastitatem, & exitium extremum redigantur. Hac eorum intellecta sententia, statim Sultanus Selimes coire palatinos ministros & milites suos iussit omnes, velut ad conuentum & comitia, (Diuanum Turci nominant) in quibus de summa republica, communibus omnium sentētiis & suffragiis decerneretur. Posteaquam conuenissent, ex ipso prodiens ad eos conclaui suo Selimes, vniuersos interrogauit; an suis parere vellent imperiis, an dicto audientes essent? Ad ea respondentes vna voce palatini omnes: O Sultane noster, aiebant, non est quod de fide nostra, deq; nostris obsequiis & obœdientia dubites. Nullis heic opus verbis. Ipsa re periculum facito. Tum vicissim Selimes: Facturi ne igitur estis, quod mandaturus sum? Impera dumtaxat, inquiunt, effectum dabitur. Ergo, subiecit Selimes, hac hora vos initium facere volo perquirendi fratris mei Corcutis, & omniū, quos fratres mei post se reliquere filios; vt inuenti captique, statim ad me perducantur. Pessime profecto vobiscum agetur, si culpa negligentiaque vestra, vel vnum solum euadere fuga permiseritis. His auditis, mox in cohortes & manipulos diuisi Genitzari, ad ea loca se cursitabundi contulerunt, quasiq; auolarunt; quibus in locis & Corcutes, Sultani Selimis frater, & eiusdem Selimis fratrum filij degebant. Quumq; maius a fratre Selimes, quam a fratrum filiis, tam sibimet ipsi, quā regno periculum imminere iudicaret: capiendi Corcutis negotium ipse sibi sumsit, eoque nomine cum parte copiarum exiit. Hoc modo dispersis vndique non paucis, & subita quidē profectione, quæ nemini quærendorum in mentem venire potuisset: inuenti fuerunt omnes, & in potestatem a Selimiis redacti; qui sine mora captos abduxere secū, & Sultano suo stiterunt, vti facere iussi fuerant. Is vero fauces eis obstrui, & guttur elidi præcepit. Proditum historiæ monumentis est, vno & eodem tempore septem numerata fuisse funera necatorum; & in his vnū fuisse Sultani Baiasitis filium Corcutem, ceteros sex eiusdem e filiis natos nepotes. Hinc Burusam deportati fuerūt omnes, & illic, pro more prisco, maiorum suorum Osmanidarum monumētis adgregati. Turcorum quidem vulgus vniuersum ob mortē Sultani Corcutis, & Muhametis Zelebis, Tzihanis Schachi filij, grauiter indoluit, & hos duos inprimis deplorauit; quum libere dicerent, eos ingenti cum reipublicæ damno, nec sine scelere cæsos. Ne quidem ipse Sultanus Selimes a lacrumis abstinere potuit, quibus largiter & amare profusis, ad aliquod tempus eis parentare non desiit. Acciderunt autem hæc anno post extinctum prophetam Muhametem 1 0 cccc xix. Chr. 1511.

Sublatis e medio fratribus, fratrumque filiis; vniuersis Sultanus Selimes, aduersante deinceps nemine, potitus est Anatoliæ prouinciis: quibus inde singulis suos sanzacbegos, a quibus administrarentur, præfecit. Quæ loca Sultanus Achmetes, Amasianæ prouinciæ, siue Cappadociæ præses, possederat; ea loca Chemdemi bassæ (Chendenem pronūciant alij) regēda commisit. Aliis itidem alias regiones adtribuit. Hinc in Europam redeundum statuens, fauces maris, apud priscos Hellesponti adpellatione nobiles, ad Calliopolim transmisit. Indidem quoq; digressus, aucupio semet

inter

inter eundum, ferarumque venatu non desiit oblectare, donec Constantinopolim peruenisset; quam ingressus, ad aliquod tempus a rebus bello gerendis abstinens, quieuit. Huc complures oratores, ex diuersis orbis terrarum partibus, ad eum confluxere; qui nomine principum suorum ei de feliciter adito maiorum suorum regno gratularentur, & prosperum faustumq; multos ad annos imperium, pro regum more, mutuo sibi bene precantium in ipsis regnorum auspiciis, optarent. Comparuit inter legatos ceteros, Sultani Misirensis orator, quem Cairensem, vel Ægyptium potius, dicere nos consueuimus. Eum perbenigne Selimes excepit, & honorifice habitum, ad regem suum remisit. Schachi Persarum, Ismailis Kisilis bassæ legatus, leonem secum adtulerat, quem principis sui nomine Selimi donaret. Eiusmodi muneris oblationem Sultanus Selimes iniquo ferens animo, non parum indignatus est, leonē a Schacho Ismaile sibi missum. Quid hoc esse rei dicam? inquit. Itane princeps ille nobis infestus, ex mera quadam animi malignitate, feram nobis immanem, quæ discerpere quosuis obuios solet, huc misit? Hæc dicens, Ismailis legatum nullo nec in honore, nec in pretio habuit, ac ne respicere quidem voluit. Quumque domum deinde, suum ad principem, remittendus esset: vicissim aliquot canes magnos; oris fœdi, legato tradi iussit; quos secum in Persidem abduceret, ac principi suo, Schacho Ismaili, nomine Selimis offerret. Simul suis præcepit, vt absque mora legatum hunc Persicum, trās Bospori fauces in Asiam vectum, extra fines Osmaneos properare iuberent. Hoc modo dimissus ille, discessit. Sultanus autem Selimes non his dumtaxat oratoribus, postquam exposuissent, quorum negotiorum causa venissent, abeundi potestatem concessit: verumetiam pari ratione ceteris, quibuscumque tandem e terrarum regionibus adpulissent, abunde satisfecit; datoque responso, singulos ad principes suos remisit. Aderat Vngarorum quoque regis orator, (is erat Vladislaus rex Iagellonides) quem in conspectum admissum, interrogauit Sultanus Selimes; quas ob causas ablegatus ad Osmanei principis Portam fuisset. Respondit is, se propterea suis ab Vngaris illuc proficisci iussum; vt, quando recens ipse Turcorum regno potitus, patri Sultano Baiasiti, amico & fœderato suo, successisset; tam regis sui, quam populi Pannonici nomine, de felicibus imperij auspiciis ei gratularetur. Simul oratione prolixa commemorabat, qui consensus animorum, quæ fœdera, quæ pactiones inter ipsius patrem, ac regem gentemque Vngaram, compluribus ab annis intercessissent. Sperare suos, Selimem cū ipsis eamdem pari religione culturum amicitiam, & hac etiam in parte vestigiis paternis institurum: idque tanto lubentius vt faceret, eorumdem se fœderum denuo pangendorum causa, tam a rege, quam ordinibus Vngaris, plena cum potestate missum. Ad ea Selimes, satis insolenter ac superbe respondens: Heus tu, inquit, o Gaure, senex annosus ille, qui fœdus vobiscum iniit, & amicitiam, quam tantopere iactitas, adeo diu sancteq; vobiscum coluit, iam mortuus est. Ad me deuolutum est iure legitimæ successionis imperium. Meo nunc in arbitrio positum, an iisdem vobiscum pactis stare, necne velim. Et quidem ne nescias, trium annorum adferri mihi tributum a vobis volo. Id si præstitum fuerit, recte feceritis, & ex vsu vestro: sin autem, ad bellum gerendum parati quamprimum sitis; quod equidem, tributo denegato, sine dilatione vobis inferam. Legatus, his auditis: Nihil, ait, hæc ad me pertinent, qui missus ad te nullo sum alio nomine, quam vt tibi de inito regno gratuler. An tibi tributum aliquod a rege regnoq; nostro debeatur, nouit is, qui rerum apud nos potitur. Idem an tributum soluere tibi velit, secum ipse statuet. Mitte, qui postulatum hoc tuum regi nostro, regnique proceribus exponat; ac facile, quid facturi sint, cognosces. Quum satisfactum Selimi hac oratoris excusatione fuisset, ad suos eum absque omni dimisit iniuria: simulque Tzausium quemdam palatinum, (ita barbari nobiliores in aula regis sui ministros adpellant, quorum opera variis in negotiis expediundis ita solent vti, quemadmodum principes nostri commissariis, quos vocant) aliquo

cum comitatu regem ad Vngarum ablegauit, qui tributum ab eo trium annorum, nomine Sultani Osmanidis exigeret. Sed impetratū omnino nihil, quod Vngari se Turcis tributarios esse pernegarent. Sultanus inde Selimes Hadrianopolim profectus, hiemem illic proximam exegit.

Quum autem Schachi siue regis Persarum Ismailis orator ad herum suum, legatione perfunctus, rediisset: quam indigne ab Osmaneorum Sultano exceptus habitusque fuisset, exposuit. Commotus iniuriis hisce Schachus Ismail, hostili erga Selimem animo esse cepit. Ne tamen ipse primus violatæ pacis auctor esse videretur, Sultano Murati Zelebi, Sultani Achmetis filio, quem patre contra Selimem infeliciter rem gerēte, Persicos ad fines profugisse diximus, vt Kisulis bassæ patrocinio tutus aduersus insidias & vim patrui Selimis esset, exercitum suo cogere permisit in imperio; quo vindicandæ necis paternæ causa, ditionisq; recuperandæ, quam pater possederat, Selimi bellum faceret. Venit is in Anatoliam cum hisce copiis, & Osmaneis in prouinciis longe lateq; grassatus est. Tum vero magni per Asiam vniuersam exstitere motus, quod passim ab omnibus dictitaretur, haud dubie Schachum Ismailem, qui Sultanū Muratem, Achmetis filium, exsulem tutandum suscepisset, propediē magno cum exercitu venturum, Asiæq; prouincias omnes occupaturum. Et mirifice propensi erga Schachum Ismailem Anatolicorum omnium erant animi. Hoc rerum statu, quum primum ver adpetiisset, misit Sultanus Selimes in omnes imperij sui prouincias veredarios cum litteris & mandatis, tā in Europæam, quam Asiaticam Rumiliam; quibus vniuersis vbicumque locorum subditis suis significabat, constituisse suo se cum animo, quamdam expeditionem momēti maximi suscipere. Propterea singulis & omnibus mādare, quamprimum ad eam vt se pararent, atq; ita sibi prospicerent; vt instructi rebus ab omnibus ad continuandam anno integro militiam essent. Cogitare nimirum se, de bello Kisuli bassæ summis viribus inferendo; nec finem progrediendi aduersus hostem facturum, donec ad Azemiorum regiam Tebrisium peruenisset, & ipsum Schachum Ismailem vel in ordinem redegisset, vel etiam fortunis & ditionibus vniuersis exutum penitus euertisset. Id nisi factum esset, numquam se suos intra fines reuersurum aiebat. Maximas igitur ad hoc bellum coëgit copias, & præter adparatus omnium rerū insignes, quos fecit, etiam thesauros secum sumsit amplissimos, quibus alere militem posset. Hadrianopoli deinde relicta, Constantinopolim profectus est; vbi transmissis versus Vscudarim (Scutarium Græci nominant, veteres Chrysopolim) Bospori faucibus, Anatoliam ingressus est. Occurrerunt aduentanti exercitus Anatolici, seque cum eo coniunxerunt. Referunt auctores historiarum, in Selimis exercitu, posteaquam milites omnes ad eum iam confluxissent, numerata fuisse hominum ad trecenta millia. Currus præterea trahebatur ab equis octingenti, tormentis dumtaxat bellicis onerati, quas bombardas dicimus, & alio rerum, ad expeditiones bellicas pertinentium, adparatu. Nullus vmquam princeps Osmaneæ stirpis maiores ante hoc tempus coëgisse copias fertur. Tam igitur insigni cum exercitu Sultanus Selimes contra Persas profectus est. Quum autem nuntiatum Schacho Ismaili esset, Sultanum Selimem Osmanidam, Rumiliæ tam Europææ, quam Anatolicæ imperatorem, tanto cum numero militum & adparatu bellū ipsi Schacho illaturum, finesq; Persicos ingressurum: etiam ipse veredarios in regiones ac ꝓuincias suas omnes dimisit, qui subditis vniuersis denuntiarēt, ad bellum vti quisq; se quamprimum pararet. Quo factum, vt cunctis edicto parentibus, exercitus ampli sane cogerentur. Præterea regionum illarum incolis, per quas Sultanus Selimes cum suis trāsiturus erat, a Turcis imminentia proposuit ante oculos pericula; quibus perterrefacti, tanto lubentius ex iis locis migrarent, & alias in regiones vltro distributi se conferrēt, in quas deductos huius dumtaxat expeditionis tēpore Schachus Ismail cupiebat. Id autem eo dictus Kisul bassa consilio faciebat, vt iis in prouinciis solitudo mera quædam efficeretur, per quas Turcorum ducendus erat exercitus. Quippe si hoc fieret, futurum non ignorabat, vt

Sultani

Sultani Selimis copiæ nullas illic annonas, pabula nulla reperientes, ad extremam rerum ad victum tam hominum, quam iumētorum pertinentium, pænuriam redigerentur, & absque vlla clade sui militis interirent. Non infeliciter hoc Schacho Ismaili consilium cessit. Sultanus enim Selimes Vsun-Chasanis regnum post hæc ingressus, omnia passim loca, per quæ iter ei faciundum erat, vastata reperit, ac deserta. Sic autem Selimes profectionem suam instituit, vt tempore nouilunij mensis Rebiul-euelis Constantinopoli discederet, ac itinere cōtinuo Persicos ad fines progrederetur, & totis quatuor mensibus in via consumtis, vsque ad diem mensis Rezebis secundum; tamdem hoc ipso quinto mense regni Persici prouincias intraret. Quumque semper vlterius, hostis quærendi caussa, pergeret; iamque non procul a Schachi Ismailis regia, peruenisset in campum, siue planiciem, quæ Casuitzun nominatur: exercitum Schachi Ismailis illic tamdem inuenit, eumque vidit in ea planicie castra metatum, hostis aduentum opperiri. Non ignorauerat Schachus Ismail, quanto cum exercitu Sultanus Selimes in Persidem irrupturus esset. Ideoque ne suos temere tam numerosis Turcorum copiis obiiceret, ac prœlio ingenti semel ab hoste victus, in periculum amittendi totius regni veniret: omnes omnium regionum suarum milites, & quascumque suis a populis vires habere poterat, coēgit; vt multitudine licet inferior, non aspernandum tamen exercitus robur adduceret, de quo Turci victoria potiri non sine sanguine, multoq; labore, nec minori periculo, possent. Collegerat enim e suis vltra septuaginta, vel ad octoginta potius hominū millia; qui non more Turcorum fere inermes erant, sed omnes armis ferreis, instar Europæorum grauis armaturæ militum, egregie instructi. Cum his in planicie, superius indicata, perquam confidenter Sultani Selimis aduentum pręstolabatur; vt animose cum eo confligeret, cruentumq; de rerum summa certamen iniret.

Posteaquam igitur exercitus hi duo maximi mutuum in conspectum venissent, subsistere Sultanus Selimes suos, & castris locum capere iussit. Inde quanto posset opere manus ad cōserendas properās, aciem suorum, certos in ordines, series, cohortes apte distributā, instruxit. In latere dextro copias Europææ Rumiliæ collocauit, Anatolicas in sinistro disposuit. Europææ Rumiliæ beglerbegus id temporis, Chasan bassa, in dextro; Sinan bassa, beglerbegus Anatoliæ, in læuo cornu curabat. Sultanus autē Selimes Azapos, quos Zelebes siue nobiles barbari vocare cōsueuerunt, proximo ante se loco in acie consistere voluit. Post Azapos, ipse sibi locum sumsit; tam Genitzarorum, qui præcipuum exercitus Turcici robur censentur, quā palatinæ militiæ, de qua dictum † alibi, copiis cinctus. Ab altera parte Schachus etiam Ismail, acie sua militariter admodum ordinata, vti sane vir fortis, & rei bellicæ peritissimus erat, mouere cum copiis in hostē, & impetu maximo Turcos adgredi cepit. Erat apud eum dux copiarum facile primæ ceteros inter omnes auctoritatis, quem Vstazi-oglium nominabant. Is, vbi primum ad manus ventum esset, in Sinanem bassam, qui velut Anatolię beglerbegus, ceu dictum modo, copiis Anatolicis præerat, cum suis irruit. Inde patefacta sibi per mediam Turcorum aciem via, turmas Azaporum, quos Zelebes dicunt, & ferocia pari, collocatos in latere dextro Europææ Rumiliæ milites adortus est. Primo statim congressu, tanto cum furore negotium Azapis Zelebibus fecit; vt impetus maximi vim nequaquā sustinentes, equorum pedibus obtererentur. Hinc in Chasanem bassam pari ardore penetrans, illum etiam prostratum vicit, & Europæos eius milites dissipauit. Nec his contentus, ad ipsum quoq; Sultanum Selimem vi summa perrupit, vti paullo post dicetur. Sed interim, dū res tātas, cum hostis ipsius stupore, molitur & gerit: etiam ab aduersa parte Sinan bassa, cum Anatolicis copiis, Vstazi-oglij turmas & cohortes, aciemque disiecit; & vlterius progressus, ipsum quoque Schachum Ismailem inuasit, & aciem eius aliquantum inclinatam, terga dare coēgit, ac fugientibus instare nō desiit. Vicissim Schachus Ismail, Azapis maiori ex parte cęsis ac deletis, quos Zelebum nomen apud Turcos habere di-

† *Pandect. cap. 228.*

ximus; ad Europææ quoq; Rumiliæ militum aciem pergens, pari felicitate rem in illos etiam gessit; quibus sane fusis ac fugatis, beglerbegus horum, & dux, Chasan bassa, peremtus ab hoste cecidit. Nec vnus dumtaxat Chasan, sed alij quoque cum eo proceres magno numero, sanzaciq; begi, & prouinciarum præsides, occubuerunt. Quibus ei rebus tam prospere succedentibus, mox in Sultanum Selimem recta cum victricibus turmis suis contendit. Selimes autem Schachum contra se venientē conspicatus, Genitzaros suos, quorum acie stipatus erat, adloqui cepit; eosque militari paucorum verborum exhortatione pristinam ad virtutem, generosos vt animos, & manus inuictas, tam necessario tempore principi suo probarent, incitans: Hem mei Gasilari, hem mei strenui milites, ait, nunc tempus est nauandi præclaram in oculis imperatoris vestri operam, nunc oblata vobis occasio rei fortiter & animose gerendæ. Efficite quæso, viros vt esse vos videam. His dictis, vniuersum militiæ palatinæ, quo circumdatus erat, exercitum in Azemios Schachi Ismailis, pedem inferentes, immisit. Nec minus Sinan bassa cum Anatolicis militibus eumdē Schachum Ismailem a tergo summis viribus inuasit, cominusque rem gerere non dubitauit. Hoc modo Schachus Ismail ab vtriusque copiis interceptus ex vna parte, perpetuis bombardarum maiorum, & sclopetorū ictibus adpetebatur, ab altera cominus pugnare cogebatur. Quūque Turci stragem ingentem Persarum ederent, tamdem Schachus Ismail cum suis cedere coactus, & lutosum quemdam ad amnem eius loci, Turcorum vi pulsus fuit. Fortissime tamen se gessit Schachus Ismail, cum Azemiis suis; vtpote qui ab hora Cusluci, (medium hoc temporis interuallum est, inter ortum solis ac meridiem) vsque ad horam Ikindi, qua tertia fere post meridiem hora denotatur, more nostro vespertina dicta, prœlium continuare non desierit; adeo quidem, vt totis haud dubie septem horis omnium acerrima post homines natos pugna durauerit. Nihilo min⁹ animaduertit ad extremum Schachus idem Ismail, nihil se tanta contentione virium cum suis aduersus Osmaneos dimicando proficere, quibus lōge numero militum impar esset; iamque adeo rem eo deductam, capitis vt discrimen tam sibi, quam suis adeundum esset. Accedebat & alia causa, quod ictu sclopeti læsus, minime vulnus id negligendum putaret. In hisce dum cogitationibus versatur, & exercitu suo grauiter adflicto, pæneque ad internecionem deleto, nequaquam se Sultano Selimi parem viribus amplius esse posse, tacitus ipse secum fatetur: ecce recens Turcorum agmen impetu vehementissimo in se ferri videt. Tum vero conuersis, absq; dilatione longiori, habenis; ex acie sua se proripit, & montis ad cuiusdam vicini crepidinem equi cursu incitatissimo properans, fugæ beneficio velocis ex hostium manibus elabitur. Exercitus Ismailis a Selimiis cæsus occubuit. Quidam in amnem lutosum, quem diximus, cum equis ingressi, quum e cœno nullis euadere viribus possent, ibidem extincti perierunt. Alij tam inter pugnandum, quam inter fugiendum, ab equis hostium, eos persequentium, proculcati & obtriti fuerunt. Hi necati denique, illi capti. Tentoria Persarum, cum thesauris regiis, cum veste, cum tachto vel throno regio, cum omnibus impedimentis, cum camelis & mulis, cum omnis generis annonis, in Turcorum potestatem venerunt. Tanta butyri, tanta mellis aderat copia; vix vt oculi ad inspectandas res huiusmodi sufficerent. Capta quoque fuit ipsius Ismailis vxor quædam, ac magno præterea numero mulieres Persicæ, quarum opes erant immēsæ propemodum, quas secum vehebant. Innumerabilis Persarum multitudo tam inter prœliandum, quam postea periit.

Concludit deniq; narrationem hanc epiphonemate tali scriptor historiæ Turcicus, vt dicat, inter maxime diros & horribiles dies, vnum hunc iudicij diem fuisse. Libet enim ipsius hæc verbis exponere, quæ in ipsorum lingua tacitæ nescio quid efficacitatis habent, & significanter admodum efferri videntur. Sultanus etiam Selimes, pugnato iam prœlio, & hoste cæso, tam illustri victoria potitus, ex equo descendit, & suum in tētorium se recepit. Omnis illa præda,

præda, quam diximus, in castra, cum armis & loricis ferreis, congesta fuit. Adlati etiam in eadem castra captiui plurimi, & eximij sane quidam, quorum in primo illo post commissum prœlium furore, nonnulli Turcicis a militibus interfecti. Totus, ad summam, Sultani Selimis exercitus opimis spoliis ad satietatem onustus, & auri argentique copia mirifice collocupletatus fuit. Relictarum vero ab Azemiis mulierum causa, Sultanum Selimem adiere milites; & quid de illis faciundum esset, interrogarunt. Is iudicem exercitus maximum, quē Casi-ascherem Musulmani dicunt, arcessiri iussit; eumque de captiuis mulierculis Persicis, quid agendum videretur, consuluit. Iudex autem castrensis maior, ad hanc quæstionem respondens: Nequeunt, inquit, hæ mancipiorum in numerum referri, nec seruarum haberi loco, quum Muhametanam religionem sectentur; & iniquius etiam cum eis agetur, si quidem interficiantur. His auditis, sua rem Sultanus Selimes sententia definiens: Vestem eis omnem, inquit, mundumque muliebrem, & omnem ornatum adimite, præsertim gemmarum, aliorumque cimeliorum; atque ita spoliatas, ad suos redire sinite. Nullam tamen heic legem vobis damus. Arbitrio vestro rem omnem permittimus. Agite, prout visum vobis fuerit. Et quamquam hanc de feminis Persicis sententiam Sultanus Selimes, ab æquitatis & humanitatis legibus non omnino recedentem, tulisset: tamen vxorem Schachi Azemiorum Ismailis ad maritum suum redire non siuit, sed Nisanzi bassæ suo, de cuius officio dictum † alibi, legitimo apud Musulmanos matrimonio iunxit. Hac autem Sultanus Selimes tam nobili, ceu dictum, potitus victoria; prædam illam amplissimam, quam de cæsis Azemiis collectam fuisse rettulimus, opesque ceteras, quibusuis militibus auferendas vltro concessit, & curribus auehendas. Si qua vero, tamquam non magni operæ pretij, negligerentur a militibus, vel ceteroqui propter ingentis & lautioris prædæ amplitudinem, quadrigis & sagmatariis iumentis imponi non possent: ea ne rursus in hostium potestatem redirent, flammis iniectis concremare vissum. Seraia quoque, siue regia palatia, cum aliis ædificiis Schachi Ismailis, & cum vrbe loco prœlij vicina, dirui Sultanus Selimes, & funditus euerti iussit. Hinc milites suos adloquens: Equidem, ait, omnino domum ex hac expeditione mea nō prius redire constitui, quam vrbem Azemiorum primariam Tebrisium ingressus sim. Quapropter imperatoris sui mandato parens exercitus, iis locis relictis, in quibus pugnatum fuerat; Tebrisium versus ire cepit. Hoc iter integri mensis spatio continuatum. Vbi deniq; propius ad Tebrisium, cum exercitu, Sultanus Selimes accessisset; non abs re veritus, ne aduentus sui, copiarumq; suarum victricium, fama territi opidani, vrbe deserta, diuersas in partes, ablatis & auectis secum opibus suis, & maximi pretij mercibus, quibus inprimis ciuitas illa supra ceteras omnes totius orientis vrbes abundare solet, diffugerent: præconem e suis quemdam ad eos misit, qui suis verbis hæc illis renuntiaret: Significari vobis iubet Sultanus Osmaneorum Selimes, causam nullam fore, cur Tebrisienses vrbe sua metu Selimis excedere, atque alio fuga nō necessaria se conferre velint. Nemini se facturum iniuriam, nemini facultates & opes suas ademturum; minus vrbem militi suo diripiendam concessurum. Dumtaxat vnum hoc se petere, satis magnam vt annonæ copiam tam sibi, quam exercitui suo paratam habeant. Posteaquam Tebrisiani voluntatem Sultani Selimis ex iis, quæ per suos ipsis dici iusserat, intellexissent; ac præterea de sermonibus eorumdem, quanto iustitiam Selimes studio, quanta religione seueritateque coleret, accepissent: manendum in vrbe censuerunt, nec alio diffugiendum; sed insigni annonæ parata copia, quemadmodum facere iussi fuerant, aduentum ipsius exspectandum. Simul ex omni opidanorum numero, quotquot in dignitate constituti supra ceteros erant, & opibus adfluebant, obuiam Sultano Selimi extra vrbem, eius excipiendi causa prodierunt. Quumque post primum occursum, & gratulatorias, pro more, de saluo aduentu voces, eum versus vrbē aliquamdiu comitati fuissent: tamdem ipsum in planiciem peramœ-

nam, haud procul ab vrbe Tebrisio dissitam, cum exercitu deduxerunt, vt istic castris locum deligeret. Fixis inde tentoriis, & castris ordinatis, præconis voce Sultanus Selimes in exercitu suo proclamari totis castris iussit: Velle se suos omnes admonitos, vt sibi cauerent, ne quis vlli ciuium Tebrisianorum quidquã, vel vno manguro, vel grano dumtaxat æstimandum, per vim eriperet. Si quid alicui vel emere, vel distrahere luberet; id vrbem ingressus, modeste compararet, aut venderet. Eadem securitate Tebrisienses in castris, & castrensi rerum venalium foro versarentur, ac libertate fruerentur. Secundum hæc, amplissima Sultano Selimi a Tebrisianis oblata fuere munera; qui vicissim eos ad oscula manuum suarum admisit. Vbi deinde dies Veneris aduenisset, quo festum suum hebdomadarium celebrare Musulmani solent, vt Christiani dominico vel Solis die: mandauit Sultanus Selimes, vt ea templa, quæ rex Vsun-Chasan olim in vrbe condiderat, sed Schachus Ismail partim abolito sacrorum in iis vsu deserta stare voluerat, partim omnino profanauerat, vel in stabula camelorum commutata, vel in granaria, vel etiam in armamentaria; rursus & instaurarentur, & repurgata lustrataque ritu Musulmano, pristinis vsibus restituerentur. Tunc etiam in tẽplo ceteris maiori, quod idem rex Vsun-Chasan in vrbe construxerat, ex edita turri, pro consuetudine Musulmana, clamari ceptum a Muessinis Hozzalaris, de quibus † alibi dictum; vt populus ad conuentum publicum, & preces in templo concipiendas inuitaretur. Ipsemet etiam Sultanus Selimes balineum ingressus, posteaquam se Muhametico ritu lustrationis abluisset, idem illud templum maius intrauit, & eodem Veneris die, festo nimirum hebdomadario, preces ibidem suas dixit, & sacris Musulmanorum publicis interfuit. Precibus absolutis, nimium quantum in vrbe triumphum pompamq; Sultanus Selimes spectandam exhibuit; quum & tubæ cum tibiis & fistulis, ceterisq; musicis castrensibus instrumentis inflatæ sonarent, & tympana militaria pulsarentur. Præterea bombardæ maiores, cum sclopetis, explodebantur; quibus auditis Azemij tonitruis inusitatis, præ nimia trepidatione quid agerent, ignorabant. Simul ortus ex displosis tormentis hisce bellicis fumus aëra totũ sic offuscabat, vt ipse sol aheneo disco persimilis videretur. Posteaquam hac regia plane cum magnificentia Sultanus Selimes Tebrisianis se conspiciendum præbuisset, extra vrbem in castra sua reuersus est. Cogitabat autem Selimes illam hiemem in eo regno exigere, quæ iam velut ante fores aderat, & vrgebat, vt in hiberna miles distribueretur. Hac de causa ministros suos palatinos omnes, & omnes proceres, ad concilium venire iussit, eisque sententiam animi sui proposuit; se nimirum decreuisse mensibus hibernis proximis in ea regione commorari, nec prius ex ea discedere, quam sui iuris vniuersam, in potestatem redactam, effecisset. Est inter alias regni Azemiorum prouincias quædam, cui nomen † Carabagi datum ab vuis aut vineis nigris; regio perquam opulenta, rerumque copia mirifice abundans, quæ tam ad hominum victum, quam iumentorum pabula pertinent, & supra Ghilanis prouinciam sita. Significabat in concilio suis Sultanus Selimes, se cum animo suo constituisse, deductum militem suum in hanc ipsam regionem Carabagensem, quam commodissime in hiberna collocare; quod ager is omni annonæ genere, ad alendum exercitum, adflueret. Placuit hoc Selimis institutum bassis veziribus siue consiliariis, & aliis proceribus vniuersis; qui rem totam ad arbitrium ipsius remittebant. Mustapha vero bassa, Iuruis filius, etiam milites palatinos in consilium adhibendos aiebat; vt prius sciri posset, quid ipsis in hac de hibernis deliberatione videretur. Excanduit ad hanc vocem Mustaphę bassæ Sultanus Selimes, & mox indignabũdus: Quid ais? inquit. Egone mancipia mea consulere debeam? Ergone pluris ipsos, quam me facis, ac magis obseruas; quasi qui dignitatẽ apud me tuã, & auctoritatẽ sustineant? ideone tãtis officiis ego te, tãtisq; stipẽdiis & annonis beo? Quid dicã obsecro? quid de te statuã? quid agã? Hæc nõ leui cum iracundia quadã effatus, cõfestim Mustaphã bassam, veziratu siue cõsiliarij munere deiectum, expelli a conspectu suo cum ignominia iussit; & quem-

† Pandect. cap. 34.

† Pandect. cap. 63.

quemdam morionem post eum misit, qui mandatu ipsius postilenam Mustaphæ bassę abscinderet. Morio, quemadmodū iussus fuerat, a tergo Mustapham bassam insecutus, vbi ad eum peruenisset; in equo sedenti, dedecoris & ignominiæ causa, postilenam resecuit. Id vbi factum videre Genitzari, quidq; de milite in hiberna deducendo consultaretur, intellexere; mox ingenti cum fremitu, & indignatione: Quodnam, exclamarunt, tantum Mustapha bassa facinus admisit, vt iniuria tā insigni, tamque graui contumelia meruerit adfici? Siccine Sultanus noster in hostico nos hibernaturos cogitat? Age vero, Sultane Selimes, ad nos accedito, nobiscum te coniungito, siquidem ita tibi videbitur. Abeamus hinc, Azemiorum hostili solo quamprimū excedamus. Sin aliud tibi visum, fac quod animo lubitum est tuo. Nos te vel inuito fines intra nostros reuertemur. Ipsam tua causa vitam extremo periculo nuper exposuimus. Hostem tuum ingenti prœlio victum profligauimus. Quid a nobis desideras amplius? Cur hinc inde, nullo cum fructu, vagabūdos oberrare cogis? Desine tamdē abuti patientia nostra. Non est quod cogites, nos posthabitis focis nostris, in alieno, & hostili quidem solo, hanc hiemem exacturos. His dictis, obsequi Sultani Selimis voluntati recusarunt. Itaq; videns ille, nullo se modo pertinacibus a Genitzaris impetraturum, vt iis in locis hibernandi causa manerent; rationes omnium Tebrisij ciuium, & facultates explorari; ac locupletissimos quosque, præsertim mercatores, artificesque variis in opificiis eximios, referri nominatim, perscribique certos in indices iussit. Proditum monumentis historiarum legimus, eum pro cuiusque facultatibus, magnas aut minores pecuniæ summas a locupletibus exegisse: præstantium vero tam artificum, quam opificum familias, plus minusue ter mille, Taurisio secum abduxisse; suasque deinceps in regiones Osmaneas transtulisse. Nec quo Persidem ingressus fuerat itinere, suos intra fines rediit; sed recta † Naxuuanum profectus est. Vrbs vero Naxuuanum mirifice rebus omnibus abundat, in solo sita fertili, & quorumcumq; fructuum feraci; adeo quidem, vt vbertas cuiusuis annonæ circa Naxuuanum maxima sit, & amplissimis facile copiis hominum alendis sufficiēs. Secundum hęc ventū ad amnem, quem Tzodanem dicunt. Quumq; progressi deinde Gurginorū siue Gurtzinorum, qua voce Georgiani finitimi Persis intelliguntur, ad fines essent: feruens animo Sultanus Selimes imperator, omnino Gurtzinorū regiones ingredi se velle dixit, & acribus verbis suos ad suscipiendum hoc iter compulit. Vezires autem, ceterique proceres, quotquot aderant in exercitu, præ formidine, qua feroces ad minas Selimis expauescebant, tantum non habebant animi; suas vt ei rationes exponere, vel ore paullo liberiori dicere sententias auderent. Soli Genitzari nonnihil eum interpellabant, & tanto facilius vt intractabilem hominis animum flectere possent, modestioribus aliquātō, quam prius ad Tebrisium, verbis vtentes: O Sultane noster, aiebant, octauus iam, vel nonus etiam mēsis præteriit; ex quo graues hoc bello labores & ærumnas sustinemus. Cum hoste crueto congressi prœlio sumus. Nullæ nobis exhaustis vires amplius superant. Ipsa nos arma nostra deficiunt, & adparatus ceteri, quos in expeditionem hanc iussu tuo fecimus. Vestes etiam, quas domo nobiscum adtulimus, vsu plane consumtæ sunt. Ad eam deuentum egestatem, vt tzaricas, rustica scilicet calceamina, gestare pedibus, in perpetuis itineribus hisce cogamur. Etiam atq; etiam te, Sultane noster, rogamus & obtestamur; ne noui belli molestiis exanclandis nos iampridem languentes adfligas & obruas. Quippe tam misero statu rerum nostrarum, alio nos implicare bello non possumus. Hac oratione tam moderata, pœneque supplici, nihil impetrare Genitzari potuerunt. Obduratus enim Sultani Selimis animus, nullas vllius hominis rationes, argumenta nulla, nullas omnino preces admittebat; & pertinaciter in proposito persistens, aliter fieri nullo modo posse dicebat, quam vt arma Gurtzinis inferret, & aperto Marte fines eorum infestaret. Si vos annonæ destituunt, inquit, rem annonariam vobis abunde curabimus: si vel arma, vel adparatus alij desunt; a me vobis arma dabuntur, a me rerum ne-

cessariatũ quosuis adparatus exspectate. Quibus dictis, primarium inter ceteros Capitzilarorum siue ianitorum duces, cum tribus militum millibus præmisit; vt exercitui reliquo subsequenti viam in Carendinorum regionem aperiret, villas & pagos depopularetur, occurrentes cum armis incolas cæderet. Simul a tergo se cum copiis vniuersis secuturum pollicitus est. Capitzilarorum dux, imperio Sultani Selimis obsequẽs, agrum Carendinum, patefactis itineribus, ingressus est; & non exiguam illius terræ partem, cæsis passim villarum & pagorum incolis, eorumque facultatibus direptis, graui sane damno adfecit. Hoc autem modo grassantibus Turcis aliquot begi siue proceres Gurtzinorum, qui licet Gauri, & a Musulmana religione alieni, tamen & viri fortes erant, & manu promti, suos ad fines occurrerunt, ac manus cum eis haud impigre conseruerunt. Acriter hoc vtrimque prœlio pugnatum, nec pauci fuere desiderati. Princeps autem Gurtzinorum, qui nulla culpa sua bello se peti a Sultano Selime videret, e suis internuntios quosdam ad eum misit, qui suo nomine cum ipso in hanc sententiam agerent. Missos nimirum se dicerent Gurtzinorum a principe, significatum Sultano Selimi; principem illum, pro summo Sultanum Osmanidam rege, perlubenter adgnoscere; nec inimicitias vllas scire, quæ inter ipsum & Selimem vllo vmquam tempore intercessissent. Habere vires suas exploratas, & probe cognitas; nec vltra eas quidquam moliturum. Multo minus Sultani Selimis exercitui victorioso & maximo, perexiguis cum copiis suis obuiam iturum, vti cum eo confligat. Haud dubie Selimem magnum, & præpotentem, & fortunatum imperatorem esse; nec vlla facile vel a Gurtzino, vel ab alio quouis, ei simili, offensa prouocandum. Quapropter hoc ab eo dumtaxat petere, quamprimum vt nuntiaret, quid fieri vellet, quid imperaret, quid posceret. Minime defuturum officio principem Gurtzinum. Modo voluntatem Sultani Selimis intellexisset, postulatis eius vltro, rebus in omnibus facturum satis, & obsecuturum. Hæc quum Selimes audisset, nec minus ex oratione legatorum, modestam Gurtzini principis humilitatem ac submissionem perspexisset: huiusmodi responsum eis dedit, vt diceret, ab ipsorum principe sibi satisfactum. Et quandoquidem is vltro se polliceatur obsecuturum in omnibus, mox operam daret, vt annonæ paratæ quamprimum exercitui Selimis essent. Quibus Gurtzino principi renuntiatis, confestim ille boues octingentos, & ouium millia quatuor in castra Turcorũ misit; tantumq; præterea farinæ pariter & hordei, quantum coquendis panibus sufficeret, qui carnium donatarum muneri responderent. Sultano prȩterea Selimi, quum hȩc mitteret, dici denuo iussit: Gurtzinum principem, ipsius se famulum mãcipiumq; profiteri; amicum amicis eius, & inimicis hostẽ. Quæ ipsa quoq; verba quum Sultano Selimi perplacuissent, e Gurtzini principis finibus a Turcis abducta mancipia restitui iussit. Hinc vlterius est progressus, vt tamdem intra sui limites imperij perueniret. Non sine magnis hoc militum ærumnis, rerumque difficultatibus confieri potuit. Quippe laboratum annonæ pænuria longe grauissima. Perierunt & equi, fame passim extincti propemodum omnes. Ipse vero Sultanus Selimes vrgere profectionem nõ desinebat, quod hiems adpetiisset, cuius illic nõ mediocre frigus esse solet. Plurimum deminutus in illis desertis locis fuit exercit⁹ Selimis, donec tamdem fines Osmaneos adtigit. Tum vero sine dilatione Selimes Europææ Rumiliæ copiis, & Genitzaris, discedendi potestatem fecit: ipse castris hibernis, tam pro se, quam comitatu suo, locum idoneum ad vrbem Amasiam delegit. Potitus est autem victoria tam insigni de Schacho Ismaile Sultanus Selimes, anno post excessum e terris prophetæ Musulmanorum Muhametis ıɔ cccc xx. Chr.151

Vere secundum hæc proximo, reuocauit Selimes exercitus ad nouã quamdam expeditionem, cum Anatolicis instituendam militibus, & quinque Genitzarorum millibus; ex quibus anno superiore tria millia sclopetis instruxerat in itinere, quo post commissum cum Kisule bassa prœlium, suos intra fines rediit; vt tantis Genitzarorum copiis etiam satis magnus sclopetariorum numerus

non

non deesset. Itaq; cum his Kemachen (Kemani scribitur Murati Dragomano) profectus, eam vrbem cũ finitimis prouinciis in potestatem redegit, & suo adiunxit imperio. Quotquot in vrbe capta reperit, qui virilis essent sexus; eorum nemini vitam condonauit, sed omnes interfici iussit. Inde necessariis vrbem rebus, & annonis copiosis instruxit, omnique præsertim armorum genere muniuit; præsidiariis etiam impositis, a quibus defenderetur. His rebus gestis, exercitum iis e locis abducens, regulum Aladeulem inuadendum statuit; & Sinanem bassam cum aliqua militum manu præcedere iussit, vt ei bello principium daret, & hosti negotium facesseret, donec Sultanus ipse cum exercitu maiori superuenisset. Princeps autem Aladeules, præcurrente Sinanis & Selimis aduentum fama, periculi sui admonitus; militem & ipse suum collegit, astutoque consilio Sinanem bassam noctu decreuit opprimere, nihil tale nec metuentem, nec exspectantem; vt aliquam copiarum hostilium partẽ prius deleret, quam reliquum Selimes adduxisset exercitum. Sed dux Selimis Sinan bassa, vir callidus & vafer in primis, Aladeulis instituto cognito, sollertia sua conatum eius anteuertit; ipsumque cum suis interceptum circumdedit, & hostili exercitu deleto, principi Aladeuli capto ceruíces amputari iussit. Præterea Turcorum in potestatem tres eius venere filij, quibus & ipsis gladio percussis ac interemtis; vniuersa principis Aladeulis regio sub iugum Turcicum missa. Relictus autem fuit illic Sinan bassa, qui regnum describeret & censeret, vt annui reditus certi constituerentur. Fecit is, quod hac in parte faciundum erat; ac militibus sua cuique, pro ratione meritorum, timaria prædiaque distribuit.

Eodem anno feliciter alibi quoque gestæ res a Turcis fuerunt. Obtinebat Sanzacatum Bozinensem Ionuses bassa, vir fortis & acer. Is in regno Bozinensi, cuius a decessore suo recuperati non exiguam partem rex Vngarus adhuc id temporis possidebat, & ipso quoq; Vngarorum in regno complures arces, plus minꝰ octo vel decem, Turcorum in potestatem redegit; & Vngarorum limites vastans, grauissimis damnis adfecit. Inter alias munitiones, quas cepit, etiam Tesnam, & Socolum, & Cotorosinam, arces non ignobiles occupauit, ac sanzacatus sui finibus adiecit. Multa quoque pręsidia castellaque finium eorumdem, in quibus Vngari milites hiberna siue stationes suas habere solebant, intercepit ac diruit. Hæc quũ rex Vngarus ferre diutius nollet, & illatas a Turcis iniurias vindicandas statueret: Banum suum, virum bellicosum, Batorim Ispan-oglium, (hoc est, Ispani vel Isphani, qui Stephanus Vngaris & Turcis est, Batorij filium) copiis idoneis instructum, ad arcem misit, e regione Semendræ sitam; vt ex ea Semendren obstructis itineribus & obsideret, & infestaret; & in omnem occasionẽ eius capiendæ intentus esset. Aduexerunt hi secum vim magnam tormentorum bellicorum, ad quatiendos arcis Semendrinæ muros: quibus ex lege disciplinæ militaris apte collocatis, oppugnare munitionem ceperunt. Erat id temporis Sanzacus Semendrinus Balis begus, Iachiæ bassæ filius. Is quum non mature dumtaxat hunc Vngarorum motum animaduertisset, verumetiam sanzacatus sui fines ingressos, ea moliri videret, quæ ad eripiendam Selimi, sibique Selimis præfecto, Semendren spectarent: celeres illico nuntios, qui veredarij priscis erant, Volachi nunc a barbaris adpellantur, & mutatis ad festinationem iumentis vti solent, ad Sultanum Selimem, Asiaticis rebus intentum, misit; eumque de Christianorum in iis locis conatu, certiorem reddidit. Erat id temporis Selimes occupatus expugnãda Kemani, quam alios Kemachen scripsisse diximus, & suo † loco Camachum Armeniorum esse docuimus. Illic quum Balis begi litteras, nuntiumque motus Vngarici, & Semendrinæ obsidionis, accepisset: secum deliberare cepit, & cum aliis, an ipse propter imminens a præferoci gente Pannonia periculum, exercitibus in Anatolia sub ducis alicuius e suis, puta Sinanis aut alterius, imperio relictis, in Europam conuolare per equos dispositos ad incendium illud in tempore restinguendum, exiguo cum comitatu deberet; an potius Asiaticis rebus, satis

† *Pandect. cap. 5. & 204.*

auſpicato cedentibus, ipſummet adeſſe; perq; ſuos alia via Semendrinis ſuccurri, præſtaret. Ac re quidē omni diligenter ad conſilium reuocata, ſententiæ poſteriori placuit inſiſtendum. Balis interim begus, dimiſſis in prouincias ſibi vicinas, celeritate ſumma, nūtiis; ſanzacbegos omnes ad opem ferendam arceſſiuit, quotquot in Europæa Rumilia māſerant, ad expeditionem Aſiaticam Selimis iuſſu non euocati; quorum erant in numero, begus Nicopolitanus, & Alatze-chiſarinus in regione Zirforum, & Iſuornicenſis in regno Bozinacorum, & Caſſimes begus, Ichtimanis opidi agriq; præſes, quod in Zirfiæ ſiue Seruiæ, Bulgariæ, Macedoniæque finibus ſitum, a Græcis Stenimachum fuiſſe dictum, e Prætore Græciæ noſtro ſuperius oſtendimus. Ad ſummam, ſeptem ſanzacos, ſuis cum copiis auxiliaribus, coëgit: ad quas acceſſere milites voluntarij, quos abſque ſtipendiis, ſpe ſolius prædæ, reliquum exercitum comitantes, Akinzileros barbari vocant. Nam & horum numerus aliquis ex proximis Europææ Rumiliæ prouinciis confluxit, & indicatorum ductu procerum, ad Balim begum ſe contulit. Anteuertit auxiliares ceteros aduentu maturiore Muſtapha begus Iſuornicenſis, a quo proximi fuerunt in hoc ad Balim begum cōcurſu Volachi, ſiue Valachi, quotquot agrum Semendrini ſanzacatus incolebant. Inde reliqui begi, de quibus dictum, cum Bali ſe coniunxerunt, & cū Iſuornicenſi Muſtapha, ſuis vt intra Semendren obſeſſis ſuccurrerent. Iam Chriſtiani diſpoſitis obſidionalibus tormentis, & expugnatricibus machinis, Semendræ mœnia continuis ictibus ita quaſſarāt, vt aliquā munitionis pars diruta, plane collaberetur, nec exiguam Gauris ſpem arcis occupandæ præberet. Habebant Gauri pedeſtres copias, quæ cū ipſis bombardariis ad machinarum, & totius inſtrumenti tormentarij cuſtodiam defenſionemque collocatæ, vallum bombardis & foſſam obduxerant, atque ita ſuis illis e caſtris muros arcis oppugnare tormētis bellicis nō deſinebant. Reliquus exercitus diſpoſitis in circuitu curribus, qui perpetua ſerie mutuo ſe contingebant, ea ſepti forma, quod barbaris Iſtabor, noſtro more quadrigariū ſiue ploſtrale dicitur, (quamquam Iſtaboris nomē etiam Turcos e lingua Venedorum mutuatos arbitrer, quibus Tabor aggerem munitionemque ſignificat) ſemet vndique munierat; & aliquo ex interuallo ab arce diſiunctus, tam ingreſſuris, quā exire cupientibus vias & aditus omnes præcludebat. Tamdem Muſulmanorum copiis auxiliaribus, obſidionis ſoluendæ cauſa, propius ad hos accedentibus, alta voce Chriſtiani, Turcos adeſſe clamitarunt; nec ſtrepitum in caſtris, tumultumque leuem excitarunt. Tum milites illi Chriſtiani, qui tormentis, vt dictum, bellicis aderant, irruentibus in ſe Turcis impetu non exſpectato, longeque grauiſſimo, quod ad arma viciſſim aduerſus eos expediunda nullum ſibi ſpatium concedi videret; ſtatim abiecto reſiſtendi prœliandiq; cum hoſte conſilio, Turcis irrumpentibus ceſſere, nulloq; negotio ſuis a munitionibus ad inferiora loca pulſi & deiecti, ad reliquas ſe copias ſuas, quas lōgius ab obſeſſa Semendre remotas, caſtris ſepto curruli munitis ſe continuiſſe diximus, receperunt. Hinc ab omnibus Turci partibus, velut in eos impreſſionem facturi, quando Balis etiam begus aduenerat, ordines ſuos, & cohortium ſeries, vna cum vexillis, non hoſti ſpectandas dumtaxat exhibuere; verumetiam ita promouere, iam vt ab eis haud procul abeſſent. Ibi tum perterrefactus Chriſtianorum exercitus, ob nimiam ex inopinato caſu perturbationem animorum, tollere clamorem cepit; aliis alios compellantibus; vnde tamdem ex improuiſo tantæ Turcorum copiæ Chriſtianis imprudentibus emerſiſſent. Solus tamen Iſuornicenſis ſanzacus ſuis cum copiis, itemq; Ianaci Turcorum, (ſic iuuenes imperterritos barbari vocāt, a ferocia cordis, quod Ianum ſua lingua dicunt, veluti corde præditos, & cordatos, aut animoſos potius) & pedites Volachi Semendrinæ prouinciæ, ſe coniunxerunt; ac reliquis ſubſiſtentibus, in Chriſtianos progreſſi, manus cum eis conſeruerunt. Quippe ceteri begi ſe non mouere loco, quem ad locum procedentes, aciem ſuam Chriſtianis oſtendiſſe diximus. Nec dubium eſt, ſi quidem Balis begus tuba ſignum prœlij dediſſet, elatumque vexillum geſtari ſuas ante copias iuſſiſſet; omnino

futurum

futurum fuisse, vt summa cum infamia dedecoreque terga Christiani darent, seque fuga manifesta Turcorum ex oculis eriperent. Nunc perspectis Turcorum diuersis studiis & institutis, quorũ alij pedem in Christianorum copias inferrent, alij semel occupatum locũ non deserentes, a prœlio penitus abstinerẽt, aliquem suorum misere numerum, qui cum Turcis pugnæ cupidis confligerẽt, aut velitando potius eorum impetum sustinerent, ac reprimerent: dum ceteri plaustris & curribus suis secum sumtis, fugę beneficio suos intra fines se recipere possent. Et hoc quidem eis satis prospere cessit. Etenim obiectis hosti, à tergo imminẽti, plaustris suis, vim omnem Turcorum irruentiũ eludebant, & continuo cum eis velitari non desinebant; donec ad Belegradum, quã Albam Grę-cam nominãt, suos intra limites se contulissent. Nec item Balis begus cum suis, & cum ceterorum begorum copiis, hostem persecutus est: sed vnus dũtaxat Isuornicensis præfectus, cũ collectis hinc inde Ianacis & animosis iuuenib⁹, quos diximus, & cum Semendrinæ ꝓuinciæ Volachis, Gaurorum fugientium tergis inhærens, admirandis eos, perpetuisq; pugnis exercuit. Multos hi currus hostium aut interceptos, aut vi Christianis ademtos diripuerunt.

Inter alios erat quidam, cui nomen Dauudes Balis, strenuus & magnanimus iuuenis, dux Azaporum, qui præter cæteros milites præsidiarios, Isuornicensi munitioni, quæ in agro Bozinacorum est, impositi; sub eiusdem artis præside, Mustapha bego, militabant. Et propter res non paucas, ab eo fortiter gestas, toto Bozinẽsium regno famosum erat Dauudes huius nomen. Is in hisce dimicationib⁹, quibus inter proficiscendum vtrimque concurrebatur, hastam Belegradensi quodam a milite relictam in manus sumsit, medium in campum adacto calcaribus equo se contulit; Christianus vt aliquis in medium prodiret, petiit; qui militari more, duello secum, ex prouocatione congrederetur; paratum se dicens ad profundendam singulari certamine animam, siquidem ita sors tulisset; vel ad promerendum aliquod militare decus, si victrici dextra caput hosti superato præcidisset.

Hac prouocatione facta, mox Christianus quidam miles extra suorum agmen prouectus, in Dauudem Balim recta contendit. Ille venientem conspicatus, equo ad cursum incitato, quanto impetu maximo potest, homini occurrit. Impulit summis alter alterum viribus, sed robustior Christiano Dauudes, hominem equo deiecit; & nulla interposita mora, humi prostrato ceruices amputauit. In reditu caput interemti Balim ad begum adtulit, qui virum animosum benignis excepit oculis, & virtutis ergo collaudauit, nec indonatum ab se dimisit. Ad summam, Christianorum non pauci vel cæsi periere, vel capti Turcorum in potestatem venerunt. Eam tamen promeruere laudem, Turcis ipsis testibus, quod ordinibus aciei suæ nullo modo solutis, sed integris, non solum e castris ad Semendren suis discesserint; verumetiam hoste grauiter a tergo incumbente, profectionem suam sic vrserint, vt quam minimum fugæ similis videretur. Belegradum quum peruenissent, in Vngariam ad suos, transmisso flumine Sauo, reuersi non nullo cum dedecore fuerunt. Ab altera parte, potitis victoria Turcis, tormenta Balis begus ab hoste relicta, tam maiora, quam minora, cum omnis generis armorum, & aliarum rerum adparatu congessit; & quidquid ex his auehi poterat, auexit; cetera Semendrinam in arcem deportari iussit, quo ducenti quoque, vel trecenti Vngari, quibus erant iniectæ compedes ferreæ, catenis ferreis inter se colligati, miserando Christianis spectaculo deducti fuerunt. Idem Balis begus hostibus erepta quatuor aut quinque vexilla, cuspidibus ex more Turcorum inuersis, ad Sultanum Selimem, victoriæ scilicet argumenta pariter & monumenta, perferri curauit: eidemque capita plurima, cæsorum a ceruicibus resecta, cum multis mancipiis Christianis, hac expeditione captis, in Asiam transmisit. Sed quod hæc vẽtura tardius in castra Selimis sciret, nuntium præire celerem voluit, qui celeritatis causa mutatis equis, Sultanum de parta victoria certiorem redderet, & vti res illæ gestæ, quoque nunc in statu commissi fidei suæ fines essent, edoceret. Sultanus

autem

autem Selimes, his intellectis, magnam animo voluptatem ex eo nuntio cepit; ipsumque veredarium honoris ergo veste donauit insigni, sumtibusque refusis, quos in itinere fecerat; etiam nummarium munus † xxxcIↄ asprorum, liberaliter adiecit, & dignitatem officiumque Subassilicatus eidem concessit. Hoc officium Subassæ declaratum aliquoties superius, significari videlicet eo tã præfectum rerum capitalium, quam Porcolabum; quo nomine Valachico pariter & Bulgarico, præfectus arcis aut munitionis alicuius intelligitur. Cromerus Burculabum in † historia sua, Valachicas res commemorans, scripsit.

† Summa colligetur in aureis vel piastris, ex capite 18 Pandect.

† libr. 22. Poloniæ.

Eodem fere tempore Bozinacorum regno, quod Matthias rex Vngar⁹, Vladislai tunc imperantis decessor, Muhameti secundo per vim extorserat, vicissim Turcorum ad obsequium reducendo summopere intentus Ionuses bassa, qui Bozinensis sanzacatus titulum gerebat, cum militia dicti regni nouam expeditionem suscipiens, & tormentorum bellicorum aliquem numerum secum trahens, sitam ad amnem Sauum arcem Pozzegam, siue † Potschegam, quæ iuris Vngarici tunc erat, obsedit; totisque viribus tam bellicorum instrumentorum, quam militum suorum oppugnatam, cepit & occupauit. Præterea segetes agrorum, & vineas, & hortos Iaitzæ vastans, quæ Bozinensis regni metropolis est, & Vngaris tunc adhuc parebat, in eius ambitu funditus omnia perdidit. Sultanus etiam Selimes, rebus in Anatolia prospere gestis, rediit in Europam; & hiemem, tunc imminentem, Hadrianopoli transegit. Acciderũt autem hæc anno Muhametano IↄCCCCXXI.

† Pandect. vlt. cap. sub finem.

Chr. 1514.

Sequentis inde veris initio, quasuis in prouincias suas Sultanus Selimes tam litteras, quam veredarios misit; & iis omnes præfectos regionum, arcium, ac opidorũ, cum quibuslibet annonas habentib⁹, & prędia siue possessiones, quos timaratos Græci Turcique dicunt, tum ex Anatoliæ, tum Europææ Rumiliæ finibus vniuersis euocauit, & ad se cõfluere iussit. In Europæa tamen Rumilia, quã diximus, certis & grauibus de caussis, Akinzileros vel excursores, & illos equites Ispahios, qui timariis decem asprorum millia non excedentibus fruerentur, in Europa domi suę manere permisit, militiæque tunc imminentis vacatione donauit. Ceteris Akinzileris opulentioribus, quos secum ad expeditionem hanc educebat, Chasanem begum, Omeris begi filium, ducem prefecit. Ionusem præterea bassam, sanzacum prouinciæ Bozinacẽsis, maiorem ad dignitatem euehens, Europææ Rumiliæ beglerbegum creauit; & Bozinæ sanzacatum Mustaphæ bassæ, Iuruis filio concessit; cuius supra mentionem, in expositione belli contra Schachum Ismailem Persici, fecimus. Præterea si qui ex Europæa Rumilia, ceteroqui nullam ad militiam obeundam adstricti, spõte sua semet ad expeditionem hanc offerrent, itemque Ianacos, quos ætate iuuenes, ita dictos a corde paullo antea, veluti cordatos & animosos, monuimus; perlubẽter inauctorauit, & bonos equos habentibus, cottidiani salarij nomine, pro more Turcorum, duodecim aspros constituit. Hoc modo collecta tria vel quatuor potius equitum idoneorum millia, cum duobus Genitzarorum millibus, ad opidorum Cara-hemidæ, (quę priscis Amida dicebatur) Kemanisque siue Camachi fines, quas vrbes ambas Kisuli bassæ vi armorum extorserat, misit; quũ ante profectionẽ eis Imrehorem bassam, stabuli sui præfectum, cum titulo ducis præesse iussisset. Præterea sanzacis orientalium prouinciarum in mãdatis dedit, vt omnes suas copias cum eodẽ Imrehore bassa cõiungerent: vnde factum, vt dictus Imrehor bassa, confluentibus ad eum Sultani Selimis iussu tot sanzacorum præsidumue militibus, tamdem in exercitu suo LcIↄ, plus minus, hominum haberet; quibus imperij Selimiani fines orientales, aduersus omnem Ismailis Kisulis bassæ vim, præsidiis amplissimis abunde muniri, nulloque negotio defendi poterant. Tamdem & ipse Sultanus Selimes nouam suscepturus expeditionẽ, & suismet quidem auspiciis ac ductu, non alicuius legati, magnum tam armorum, quam aliarum bello necessariarum rerum adparatum instituit. Inter alia vero, maiorem vt hosti terrorem incuteret, supra numerum priorem sclopetariorum, quos vel a patre relictos acceperat, vel armauerat ipse, tria quatuorue nouorũ sclopetariorum millia,

quo

quo tanto numerosiores horum copiæ forent, instruxit. Hinc suis ad ineundam profectionem excitatis, Hadrianopoli discessit, & cum exercitu se Constantinopolim cōtulit. Nec multo post, vrbe relicta, non militem modo transmisit in Anatoliam, Vscudarina vsus ad traiectum scala, quam Scutarinam Græci dicunt, vt † alibi declaratum; sed etiam ipse Bospori fretum illud angustum eadem via transiuit, & in Asiam profectus est. Inde progrediens vlterius, concurrentes ad se cunctis e prouinciis Anatolicis militum copias cum eo, quem ex Europa secum adduxerat, exercitu coniunxit: atque ita longo demum itinere limites Aladeulij regni petiit, ad quos vbi peruenisset, Halepum recta contendit; Halepo digressus, in Damasci fines, quam Schamum recentiori vocabulo nominant, perrexit. Eæ regiones & vrbes in ditione Sultani Misirensis erant, quem Ægyptium dicimus. Is quum inaudisset, quantos Sultanus Selimes adparatus bellicos fecisset, quam insignem, maximis exercitibus coactis, expeditionem instituisset: oratorem cum mandatis ad eum misit, qui suis ei verbis nuntiaret; Constanter hactenus inter Sultanos Misirenses, & Osmanidas, diuturnam sane pacem fuisse cultam, quam nullis ipse turbaturus esset iniuriis; nec de vlla sibi constare, quę inter ambos intercederet, inimicitia: seque adeo paratum ad præstanda Sultano Selimi quæuis amica tum officia, tum etiam obsequia; nec iampridem initum sanctumque fœdus, sua quidem ex parte, violaturum. Interim hæsitabundum, velut ignarum consilij Selimis, nescire, quo tendant arma, quæ tanto cum adparatu Selimes expediat. Si pristinis pactionibus stare cogitet, etiam atque etiam petere Sultanum Misirensem, vt institutum animi sui non inuitus aperiat. Si quid etiam ab se desideret, libere sententiam suam exponat: daturum operam Misirensem, vt in omnibus voluntati Selimis satisfaciat & obsequatur. Sineret hoc ab se impetrari, nihil vt mutuam in amicitiam admittatur. Non nouam hanc vtriusq; gentis esse confœderationem. Nec a patre tantummodo, sed etiam inde vsque ab auo Selimis, inter Osmaneos & Ægyptios firmum non leuis exstitisse necessitudinis vinculum. Eo nunc semet artius etiam constringerent, nouumque fœdus inter se, si quidem ita videretur, icerent. Hæc Selimi suo nomine dici iubens, exemplum modestiæ singularis de se, tantæ potentiæ gloriæque rex, Turcis ipsis testibus, edebat. Sed vbi deinde Sultanum Selimem, regni sui Suriaci fines ingressum, seque præter exspectationem circumuentum animaduertit: ad caput ei prosiliit anima, quemadmodum Turci loquuntur, hoc est, magnopere perturbatus ac territus inopinato casu fuit. Ideoque summa festinatione regno suo Misirensi egressus, vrbem Suriæ suæ Schamum, priscis Damascum adpellatam, petiit. Ab altera parte Sultanus Selimes flocci faciens, quæ a Misirensis oratore dicerentur, hoc vnum tantummodo respondebat; bellum se Sultano Misirensi, a quo ipse missus esset, inferre. Quamobrem domū ad principem suum rediret, eumque moneret, vt arma quamprimum ad excipiendam vim Selimis expediret. Rebus in hunc modum constitutis, vterque Sultanus, Selimes ex vna, Misirensis ex altera parte, qua poterant celeritate maxima, promotis ad Halepum, propter beati Dauidis prophetæ sepulcrum siue monumentum copiis, ibidem castra castris opposuerunt, nec multo post ad manus venerunt. Sultanus Selimes aciem suam, velut imperator rei bellicæ vel inter primos peritus, certos in ordines, turmas, agmina, seriesq; distinctam, elegantissime struxit; tormentis bellicis, vt ictus horum tanto certiores in aciem aduersam dirigerentur, a fronte collocatis. Exercitus autem Misirensis nec impetum Selimiorum, nec tormentorum frequentissimos ictus, qui magnam ipsorum aciei cladem inferebant, sustinere diu potuit: multo minus firmissimam, & perquam ipsis terribilem Turcorum aciem perrumpere. Quapropter diuisis iidem Misirenses agminibus, diuersis in partibus Selimios inuadendos statuerunt. Sultanus autem Selimes alio quoque prius, quam confligeret, strategemate fuerat vsus. Nam Alim begum, Schachi Suarensis

filium, cuius mentionem ſuperius, in expoſitione belli Dulgadirenſis aduerſus Aladeulem fecimus, occulto quodam, & hoſtium oculis haud expoſito loco, cum aliquot militum millibus in inſidiis abdiderat, eiq; certum tempus indicarat, quo prodire dictis ex inſidiis, & hoſtem impreſſione necopinata deberet adgredi. Fecit Schachi Suarenſis filius, quod imperatum fuerat; & plane quo iuſſerat momento Selimes, ex inſidiis illis erumpẽs, a tergo Miſirenſes adortus eſt: qui iam in medio tam ab acie Selimia, quam Suar-oglij copiis intercepti, a fronte pariter, & a tergo, ad internecionem cædebantur. Profligato tamdem Ægyptiorum exercitu, potitiſque victoria Turcis; Sultani Miſirenſis caput, vna cum reliqui cadaueris trunco, repertum fuit, & ad Sultanum Selimem adlatum. Is eo conſpecto, pro more gentium illarum, ablui cadauer, & ſepeliri iuſſit; ac ſupra monumentum ipſius domunculam exſtrui, qua tegeretur. Hoc autem exitu prœlij, quum vrbes vicinæ regem ſuum cum exercitu cæſum & interemtum, Selimemque ſuperiorem euaſiſſe conſpiceret: mox Halepum, vrbs ſane magna, cum arce ſua, victoris arbitrio fideique ſe permiſit, Selimis imperio deinceps parituram ſe profeſſa. Redegit hanc ille ſuam in poteſtatem, tanta cum moderationis & clementiæ laude; ne quidem vt vlla ſanguinis gutta ꝓfuſa fuerit. Inde ſecuta ciuitatis exemplum vniuerſa regio, Selimi non inuita ſe ſubiecit, legibus ab eo datis in poſterum obtemperaturam pollicita. Secundum hæc egreſſus vrbe populus Halepienſis, Selimis in caſtra venit; vbi proceres Halepitarum, & ſplendidiſſimi quique, Sultanum Selimem adierunt, eumque pro more verbis honorificis, & omne ſubiectionis ſtudium teſtantibus, ceu principẽ ſuum exceperunt. Selimes eis perbenigne reſpondit, & vti viciſſim gratificaretur; pacatus in vrbem venit, eamque totã perluſtrauit. Motis deinde caſtris, Damaſcũ verſus omni cũ exercitu profectus eſt. Damaſceni, qua Selimes vrbem ingreſſurus erat, viam publicam pannis ſericis conſtrauerunt, & alios ei longe ampliſſimos honores, indicandæ ſubiectionis gratia, exhibuerunt. Padiſchachus Selimes vrbem ingreſſus, ciues ſacramentum ſibi dicere iuſſit; & exercendæ iuriſdictionis ergo; iuſticiam adminiſtrauit, ad aliquod in vrbe tempus ſubſiſtens. Hac vero victoria potitus eſt anno Muhametano ıↄ cccc xxii.

Interea dum victor Selimes ad Damaſcum hæreret, omnes illi Zindi (gladiatores ea vox ſignificat) vel Ægyptij Mameluchi, qui cæſo ſuorum exercitu fugæ beneficio ſalui ex ea clade potuerant euadere, quum primum in Ægyptum ſe recepiſſent; indicto ſuorũ concilio, regem nouum in extincti locũ ſuffecerunt. Sultanus autem Selimes ab altera parte legatos in Ægyptum miſit, qui eis ſuo nomine ſignificarent: Arma Selimem aduerſus ipſos ſumta depoſiturum, pacemq; facturum, ſiquidem ad ſe in caſtra venire, fidei ſacramentum p̄ſtare, ſuo imperio ſe ſubmittere non recuſarent. Sin eas condiciones reſpuerent, ad bellum proſequendum ſe pararent; quando cum victricibus copiis nõ multo poſt ipſe Miſirenſes intra fines penetraturus, inque regni viſceribus intimis eos quæſiturus, & ad pugnam vel inuitos adacturus eſſet. Zindorum proceres, quotquot in Ægypto id temporis erãt, audita Selimis hac tam minaci & indignitatis plena legatione; rurſus indixere comitia publica, deque tanti momenti negotio communibus ſententiis in medium, præſente rege nuper admodum electo, ꝓlatis conſultare cœperũt. Nouus autem Sultanus ille Miſirenſis, re prius accurate cum animo ſuo perpenſa & examinata, tamdem in cõcilio paucis ſuos adlocutus: Mei commilitones, inquit, fruſtra Sultano Selimi nos opponimus, cuius tãtę vires ſunt, vt eas ſuſtinere nullo modo poſſimus. Rebus noſtris adhuc integris, quum florentiſſimis & numeroſis inſtructi copiis eſſemꝰ, ingenti nos ille prœlio ſuperauit, clade graui adfecit. Quid nunc victis faciet? Nullum aliud rebꝰ noſtris, pæne deploratis, remedium ſupereſt; niſi noſmet vt pede noſtro metiamur, nec imperij noſtri fata temere præcipitemus. Et quando Selimi pares eſſe nequimus, aduerſarij violentiæ cedamus; & in præſentia demus operam, vt pacem ab eo condicionibus quã maxime tolerabilibus, ſiquidem æquas non admiſſura victoris inſolentia videatur, impe-

impetremus. Perpetuæ fatalesq; rerum humanarum,& in primis regnorum vicissitudines sunt. Osmanidarum fortuna maximos hactenꝰ orbis principatus, extinctis præpotentibus regum familiis, suas sub leges redegit: & tyrannus hic felicitate sua maiorum res gestas obscuraturus,& imperium suæ gentis ad summum culmen quoddā euecturus existimatur. Itaque si nos obiicere tanto velimus impetui, verendum profecto non abs re, ne plane pessumdatos euertat ac proterat. Seruemꝰ nos temporibus magis propitiis, quando dies ipse dabit occasiones ea damna resarciendi, quæ nobis hoc tempore non tam vis immensa Selimis, quam fati necessitas ineuitabilis inferre videtur. Nō semper hac Turci prosperitate rerum fruituri sunt. Modo quæ nobis adhuc superant, in potestate retineamus: haud difficulter aliquando nunc amissa fortibus animis, & pugnacibus dextris recuperabimꝰ. Hęc licet à Sultano Misirensi, principe grauissimo,& magni rerum vsus, sapientissime dicerentur: haudquaquam tamen Zercassis (ex eā namque gente maior procerum pars apud Zindos constabat) probari videbantur, quod aliis opinionibus innixi, diuersa plane consilia sectarentur. Aiebant enim, minime vero videri simile; Selimem, licet elatum, obtenta tam illustri victoria, tantis cum copiis Ægyptum inuasurum; cuius aditus omnes vel suis in Ægypti finibus, & Suriæ, munitionibus obstructi vel plurium dierum solitudinibus inuiis occlusi essent. Si maxime victoriam prosequendam duceret, vel Suriæ reliquias in potestatem redacturum, quod intra tempus exiguum fieri nequeat, ipsis interim relicto reparandi & instaurādi belli spatio; vel de adeunda non ductu suo, sed veziris alicuius, Ægypto cogitaturum. Quicumque tamdem venturus esset, ei se cum exercitu progressuros obuiam, maximisque viribus restituros. Potius etiam mortem in prœlio fortiter obituros omnes, quam ignominiosam & infamem nomini suo pacem cum Selime faciant. Hanc in sententiam quum maior eorum pars, reiecto noui regis consilio, pedibus iret; responsum legatis Sultani Selimis datum, & cum eo suum ad principem remissi fuerunt. Eius responsi summa fere huiusmodi erat: Non habere Selimem iustas inferendi sibi belli causas, qui pactis & fœderibus antiquis religiose stetissent; nec amicitiam, cum Sultanis Osmaneis initam, vllo modo violassent. Si tamē omnino bellum nullo iure ceptum, continuare vellet; ac nouis iniuriis Sultanum Misirensem cum Mameluchis suis, equitibus fortissimis, & ad arma natis, prouocare decreuisset: absque mora modo veniret, aduersarios inuenturus ad dimicandum paratos, & quiduis potius, quam certaminis aleam subterfugituros. Hoc vbi suis a legatis Selimes responsum accepisset, mox in Ægyptum proficisci victore cum exercitu statuit,& tam longam, tamque periculosam ad expeditionem necessaria, in primis ad annonæ copiam pertinentia, comparauit. Præsertim vero plurimos vtres fieri curauit; quos Mescas barbari dicunt, & Kirbas siue Curbas, ad aquam iumentorum opera vehendam, totius in vsum exercitus, in illis aridis, Arabiæ Suriæque finibus interiectis solitudinibus, e corio factos. Et Curbæ peculiariter ab eis adpellantur vtres coriacei minores, quibus singulis, aqua repletis, iumento imponendis vnus aliquis sufficit. Posteaquam abunde tam his exercitui rebus, quam aliis, ex animi sententia prospexisset: confestim relicta Damasco, versus Ægyptum suos ducere cepit. Certis autem ex causis Sinanem bassam, id temporis Anatoliæ beglerbegum,& primum a consiliis, qui Vezir-azemes barbaris est, cum non exigua militum manu præmisit; qui reliquum exercitum, Selimis ipsius ductu secuturum, antecederet. Sinan vero bassa Selimianis e castris illo cum milite digressus, ad opidum in ipso solitudinis arenosæ situm aditu, quod Azbiie nominatur, accessit; & quinque vel sex diebus illic hæsit. Præceperat animi cogitatione Selimis consilia Sultanus Misirensis, ideoque suis e principibus quemdam, cui nomen erat Tzan-burdi Gasali, quique Melikimoriæ munere fungebatur, quod apud Turcos officium Beglerbegi est, cum duobus millibus famulorum suorum, quos Mameluchos adpellare solebant Misirenses, & cum tribus millibus Æthiopū, (eo vocabulo Ægyptios intellexit auctor histo-

Mesca, Kirba.

Meliki-Morie, Turcis beglerbegus.

riæ Murates Dragomanus) miserat: qui propter vrbem Gazam omnia passim obsiderent itinera, nec Selimianos illac in Ægyptum transire sinerent. His ille cum copiis in Suriam profectus, haud procul a Gaza locatis castris, consedit; aduentum Selimiani exercitus illic prę-stolaturus, & vlterius iter, Ægyptũ versus, impediturus. Non carebat exploratoribus suis (& in primis Turci horum vti solet opera) Sinan bassa, quos speculatũ res hostiles emiserat. Ab his de Tzanburdis Gasalis exercitu certior factus, quonam ille loco castra metatus aduentum suum opperiretur; noctu cum suis mouens, vt inopinata profectione citius ad Arabum æthiopum (de Misirensibus Murates loquitur) castra perueniret, ea celeritate progressus est; vt insequenti die, sub ipsum prandij tempus, quatuor aut paullo minus horis ante meridiem, in hostium conspectum accederet, & sine mora longiori, mox ad conflictum se pararet. Factum idem ex altera parte, totisque viribus vtrimq; concursum. Propitij denique numinis concessu, victoria penes exercitũ Sinanis Bassę stetit, copiis Ægyptiorũ cæsis & profligatis: quorum sane nõ exigua multitudo a Turcis heic interemta cecidit. Quũ aliis, qui nominis alicuius erant, tum etiam Alexandrię præfecto caput amputatum fuit, & necatis quinque sanzac-begis idem vsuuenit: gregariorum militum, qui periere, nec inito numero, nec in litteras relato. Interim vero, dum hæc alibi, non longo tamen interuallo a Gaza, gererentur; arbitrati ciues Gazæi, Sinanem bassam propterea, ꝙ noctu suis e castris, haud ꝓcul ab vrbe Gazæorũ dissitis, ad opprimendum celeriter hostem excesserat, aliqua formidine percussum aufugisse; non omnes dumtaxat ægros a Turcis in opido relictos interfecerunt, sed etiam in castra Sinanis irruentes, quotquot istic reperere Sinanem secuturos, direptis, quas secum habebant, facultatibus, contrucidarunt. Defendebant se quidem Turci, quanto poterant opere; sed insolentes & efferati Gazæi, viribusque potiores, ad internecionem eos delere prœliis adsiduis haud desinebant. Erat iis in locis ædificium amplissimum, (Carauansaraium Turci dicunt, Iouius Carabasram vicum, ceu nomine proprio, vocauit) ad vsum xenodochij vel hospitalis domus exstructum. In id plerique Turci se receperant, qui sane quum omni ex parte diu pertinacibus a Gazæis oppugnarentur, ac tamdem perfractas ab ipsis fores xenonis viderent: prius, quam hostes irrumpere possent, adactis calcaribus equis, tanto cum impetu per easdem fores exierunt; vt pulsis retro Gazæis, incolumes euaderent, nec fugæ finem facerent, donec ad alterius xenonis ædificium, priori sua non cedens amplitudine, peruenirent; ac Gazæis vlterius progredi non ausis, eodem diuerterent. Commodum & illud Turcis hisce saluti fuit, ꝙ summissæ quædam auxiliares suis copiæ, Padischachi Selimis iussu, plane tũc in tempore locum ad illum confluerent. Ac vidisses Æthiopes Ægyptios, his conspectis, vicissim terga dantes, hinc inde dissipari. Sultanus autem Selimes, maiori cum exercitus parte quoddam ad opidum quum peruenisset, cui † Remlie nomen: ibidem de Sinanis bassæ victoria nuntium accepit, cuius causa lætitiæ singularis edita signa plura fuerũt. Remlienses non pauci prius, quam ad se Turcorum exercitus accederet, opido suo relicto, fugam arripuerunt, in diuersa loca dispersi. Quapropter ingressi Remlien Turci, nemine resistente, cuncta diripuerunt; & incolas opidi, quotquot vna cum aliis Remliensibus non aufugerant, homines plus minusue trecentos neci dederunt. Hoc loco mansit Padischachus, & quieuit cum iis copiis, quas secum adduxerat, ad aliquot dies; donec subsecutus vniuersus exercitus ad eũ perueniret. Interea vero, dũ illic subsistendum videret, sumtis secum suis aliquot famulis, absq; maiori hominum comitatu & numero, nec vllis cum impedimentis, † Cutzimubarecum profectus est, (sic Hierusalemam Turci iam nominant) & vrbis eius omnia loca perlustrauit. Postridie Cutzimubareco discedens, Gazam petiit; & illuc altero veniens die, suas cum Sinane bassa copias omnes cõiunxit. Celebratum istic ab omni fuit exercitu festũ † Bairami, quod Musulmanis inter alia totius anni maximum est; vti nobis, & Hebræis, quod Pascha dicitur. Heic quoque Selimes exercitu relicto, monumẽtum Abrahami pro-

† Pandect. cap. 109.

† Pandect. cap. 110.

† Pandect. cap. 115.

prophetæ, cuius mentionē Musulmani numquā faciunt, quin eum titulo amici Dei cohonestent, nō sine specie religionis inuisit. Bairami denique feriis peractis, & ipso Selime sacris illis ex itineribus ad exercitum reuerso, castra dicto e loco mota fuerunt; eoque ceptum iter ordine, semper vt vnius diei spatio Sinan bassa cū suis reliquas copias antecederet. Gaza profecti, venerunt ad locum, cui nomen, Han-Ionus. Hana, vel integra voce Timar-hana potius, apud Turcos Imaretorum vel xenodochiorū species est, tam gratis pascendis, quam curandis ægris facta. Græci Nosocomium dixerunt. Alterum vocabulum xenonis auctorem Ionusem indicat, qui suo sumtu, pios ad vsus, id ædificiū struxerit. Eo die, Sultani Selimis iussu, primo noctis crepusculo, Capitzilarorum Kihaia siue Tihaia, quemadmodum aulici vocem hāc pronuntiāt, hoc est, Capitzilarorum vel Ianitorum Bassę vicarius aut legatus, vna cum carnifice missus ad Husainem siue Chuseinem bassam, qui Vezir & consiliarius Selimis erat, eum in tentorio suo faucibus laqueo compressis extingui, & ante tentorium mox humo curauit obrutum sepeliri. Factum hoc ab iracundo principe propterea, quod temerario præcipitique consilio Selimis aduersatus, monuisse perhiberetur; ne per eiusmodi solitudinem, tanto cum exercitu proficiscendo, præsens in periculum se coniiceret. Selimes autem, suum secutus institutū, contraque Chuseinis opinionem progressus, castris octauis arenosas illas solitudines felicissime cū exercitu superauit; & quemdam in locum siue pagum veniens, cui Salichia nomen, (Salachien alij vocant, Bel-
† lib. 2. cap. 76.
lonius † Salatiam) ibidem castra cū suis metatus est. Quippe metu iam liberatus erat omni, qui nō parum ei molestiæ creauerat hactenus; dum continuis in curis versaretur, ne forte vel annonæ, quam tamen vberem secum aduexerat, vel aquæ, locis in illis aridis rarissimæ pęnuria laboraret exercitus, & interiret. Sed ea Selimes heic quoq; fortuna fuit vsus, tantis vt hominum iumentorumq; copiis nusquam, tot intra dies, tam desertis & arenosis in locis, ob largos e cœlo delapsos imbres, aqua defuerit. Iam vero, posteaquam Salichiam adtigissent; quatuor dumtaxat dierum itinere, non amplius, a Misirensi regione, quam Ægyptum, & ab ipsa etiam vrbe, quam Cairum vulgo dicunt, aberāt. Quum ad Salichiam refect⁹ commode cum iumentis miles fuisset, motis castris, quod restabat itineris, Misirem siue Cairum versus inierunt. Tum vero præmissi a Sultano Misirensi equites Æthiopes Ægyptij, plus min⁹ bis mille, Selimianos milites in ipsa profectione circumdatos ab omnibus partibus inuadere ceperunt, & quotquot eorum annonę pabuliue causa reliquis a copiis discederēt, eos interceptos secum abduxere. Quoties etiam iis e locis Turci matutino tempore mouerent, quibus in locis pernoctatū fuerat; in iumenta sagmataria, rebus ad annonam præcipue pertinentibus onerata, magnum equites hi Misirenses diuersis e locis impetum dabāt; nec eis inferre damna, grauissimas exhibere molestias, itineris impedimenta perpetuis velitationibus & pugnis obiicere desinebant, donec Selimiani fines Ægyptios adtigissent. Dū hoc modo Turci progrederētur, & ad Misiris vrbem de die in diem propius accederent: interea Sultan⁹ Ægyptius, cum numerosis suorum copiis, vrbe Misirensi exiit, & ante Misirem in via publica, qua Selimi cum exercitu suo veniendum erat, sic castra collocauit; vt a fronte hostem aduentantem, a tergo ciuitatem ipsam haberet, ac Turcis hos ad eā aditus obstrueret. Ante castra machinarum bellicarum ingentem numerum constituit, fossas hinc indę trāsuersas egit, vallum quoq; trabibus immissis duxit, pectorali pariete quodā in summa valli parte facto, & interciso; vt idonea loca, foraminaque tormētis in hostem displodēdis ne deessent. Curauerat huc adduci statuiq; bōbardas centū & quinquaginta, partim longitudinis, partim molis & magnitudinis inusitatæ. Milites ipsi Misirēses, quos Sultanus eorū in hæc castra secū adduxerat, quum aliis armis, tū etiam clupeis rotūdis, quas peltas dicimus, serico tectis & obductis, instructi erant. Vbi iam vnius itinere diei Turcorū exercitus a Misirensium copiis & castris aberat, emissæ fuerūt in eos a Sultano Misirensi quædā equitū turmæ, quæ leuibus prœliis hostes ꝓuocarent, & res ipsorū quocumq; possent modo, specu-

larentur. Dũm hi Turcos velitationibus aliquot elicientes, adoriuntur; quatuor equites Zindi, nominis alicui⁹ & auctoritatis, ad hostes, suis desertis, transfugiunt; eisq; Sultani Misirensis insidias, cõsilia, rationem castrorum metationis omnem, & quonã essent modo disposita tormenta bellica, ꝓdunt ac patefaciunt. Inaudierat quidẽ iam ante Selimes aliquid de his rebus, & astutissimi hostis instituto: sed horum aduentu monituque, de periculo suo, quod in Ægyptios recta ꝓficiscens incurrere potuisset, edoctus, mature sibi ꝓspexit, vt hostẽ nihil cogitantẽ minus, quam suas detectas artes & cõsilia, strategemate necopinato eluderet. Quamobrẽ motis postridie castris, acies suorũ artificio militari, prorsus aliter, atq; futurum sibi pollicebantur hostes, instructas aduersus Ægyptios progredi iussit. Habebat apud se Sinan bassa manum selectissimorum equitum insignem, qua laborantibus suis vel in vno, vel altero latere, succurreret. Hæc Sinanis acies suum nõ procul ab Anatolicorum agmine, qui dextro in cornu cõstiterãt, locũ sortita fuit. Ante milites Anatolicos, iuxta Sinanios equites, trecenti pedites sclopetarij stabãt. Totidẽ in cornu læuo, q̃ Europææ Rumiliæ tributum copiis erat, Genitzaros sclopetarios habebat Ionuses bassa, q̃ hoc latus curare iussus fuerat. Padischachus ipse Selimes, aciẽ suorum mediã obtinens, in oppositã sibi mediam Sultani Misirensis ipsius aciẽ proficisci visus ab initio fuit; sed ex itinere directo paullatim deflectẽs, versus hostium cornu dextrũ suos ꝓmouit. Hoc modo factũ, vt Anatolicorũ exercitus in ipsas hostium bombardas ꝓgredi putaretur; & Europææ Rumiliæ militũ cornu, q̃ lęuum erat, ad mõtis †vicini latera ꝓtenderetur. Tum demũ animaduerterũt Ægyptij, Turcicas acies, cõsiliis ipsorũ proditis, in aduersas bombardas atq; machinas minime perrecturas; sed clusis illarũ ictibus, nulloq; prorsus accepto detrimẽto, non ꝑuisis in locis Sultaninos exercitus, & auersos q̃dem, inuasuras. Itaq; subito suis vt rebus cõsulerẽt, plerosq; currus, quibus impositę machinæ vehebantur, iumentorum & boum opera sic alterã in partem maxima celeritate traduxerunt; vt iam dirigi Selimis ipsi⁹ in aciẽ mediam cõmmode possent.

† *cuius & Zosimus lib. I. in Claudio Imp. II. meminit, vt Ægyptiæ Babyloni adiacentis.*

Hoc modo ꝓgressis cõtra se inuicem ad iustũ interuallũ aciebus, certatũ vtrimq; tormentorũ ictibus; quorũ pleriq; nullũ Selimianis detrimentũ inferebãt, ipsorũ errore libratorũ, q̃ machinas sublimius, quã par erat, erexerãt; ideoq; globi tormẽtarij supra Turcicorum agminum series, absq; damno earũ, ferebãtur & euolabant. Aliqui tamen ad Selimis equestres copias delati, nõnullis equis exitio præcipue fuerũt. Habebat exercitus Selimian⁹ quinquaginta machinas currules, e quibus in hostem pilæ frequentes emittebantur: nec ex altera parte Sultanini tormentorũ artifices fulminib⁹ suis Osmaneos petere desinebant. Sed q̃ artifices Selimiani lõge Misirensib⁹ in hoc genere p̃starent, partim eorũ tormẽta vi globorũ perfregerũt, partim ipsos aut interfecerũt, aut dissiparunt. Quippe tormenta Misirensium pleraq; non recentiũ artificum industria, sed antiquitus e-rãt facta, rudibus illis sæculis; nec vsus illis a multo tẽpore Sultanorũ quisquam fuerat, quorũ in armamẽtariis situ & rubigine tam foris, quã intrinsecus vitiata, vel displodi non poterãt, vel adstantium p̃senti cum discrimine dilacerata & rupta, plus damni suis, quã hostibus adferebant. Exercitus Ægyptius Zindorum equitũ, quos ipsi Mameluchos nominabãt, decem milliũ plus minus erat. A tergo collocata fuerat Æthiopum Ægyptiorũ, quos Arabes ipsi dicũt, acies amplissima, tamq; numerosæ multitudinis, vt infinita videretur. Horũ extrema claudebant agmina mille quingenti sclopetarij. Aciebus in hũc modũ vtrimq; constitutis, posteaquã ad manus ventũ esset; maxima Zindorũ siue Mameluchorum pars ita versus aciei Selimiæ cornu dextrum in Sinanem bassam irruit, vt in sinistro latere neminẽ propemodum relinquerẽt, omnib⁹ ad oppugnandũ id, quod diximus, cornu dextrũ maxima vi transeuntibus. Sinan vero bassa, videns hos in se facturos impetũ, minime ꝓpterea territus cessit; sed excipiendos animose statuit. Erat ei ꝓxima, quod prius etiam indicatum, Anatolicorum acies, dextrum latus in exercitu Selimis obtinens. Ea conspecto Mameluchorum impetu furioso, terga dedit; ipso quoque Schachi Suarensis filio fugam cum iisdem ineunte. Quamobrẽ desertus ab his Sinan

bassa,

bassa, solis cum equitum suorũ turmis, & trecẽtis illis Genitzaris sclopetariis, quos diximus, a Mameluchis interceptus & obrutus fuit. Tũ vero tam acri ceptum inter vtrosq; prœlio dimicari, vix vt in vllis rerum ante id tempus gestarum monumẽtis aliquod huic simile reperiatur. Tamdem nacti sunt hostes occasionem a tergo quoq; circumueniẽdi Sinanios, vt vndiq; pressi, quo nam potissimum se verterent, ignorarent. Habebat propter se Sinan bassa selectos ex omni militum suorum numero quinquaginta viros in primis strenuos, & manu promtos; qui summa virtute non tantũmodo pro gloria, sed etiam heri suaq; salute pugnãtes, cæsi ab hostibus omnes interierunt: ceteri milites eius vniuersi vulnerib⁹ confecti, deq; Genitzaris sclopetariis plures, quã ducenti, fœde trucidati ceciderunt. Etiã ipse Sinan bassa deniq; prostrat⁹ humi fuit, quũ corpore lancearũ ictus excepisset octo. Milites autẽ ipsius indignũ facinus admissuros se rati, si ducẽ suum in potestatẽ Misirensium relinquerent; vi summa perruperunt in hostem conglobati, repertũq; Sinanem eis eripuerunt, & impositum currui secum auexerunt. Sed exhaustis ob inflicta tot ei vulnera viribus, superstes esse diu nõ potuit; adeoque prius, quã huic prœlio finis imponeretur, exspirauit. Interim Selimes imperator hostilis aciei cornu dextrum adortus, tam diu ꝑpellere non desiit Ægyptios; donec omni spe resistendi abiecta, pedem vltro referrẽt. Ex Zindorum procerib⁹, quotquot in Sinanem bassam irruerant, eumque cum suis ad internecionem prope deleuerant, saluus euasit nemo; Gazali dumtaxat excepto, cum aliis quibusdam, ereptis quidem illis e ꝑsenti mortis periculo; sed grauissime tamẽ vulneratis. Allan sane begus, (Allam enuntiatur ab aliis) vnus e proceribus maximis, quem e nostris Iouius Hylmis nomine †Diadarij, quod amplissimæ dignitatis erat, intelligere videtur, a suis orator aliquando missus ad Sultanum Selimem, ictu bõbardæ læsus, in crure vulnus accepit. Præterea cuidã alij magnatum e numero, cui nomen erat Serchenges, itidẽ grauiter vulneratum crus alterum fuit, vt Turci commemorant. Is Iouio fuerit potius Orcomas, opinor, quã Bidon, ob similitudinem nominis. quamquam Bidoni emissam falcone pilam, equo traiecto, genu alterũ perfregisse tradat. Adlatus vterque fuit ad Selimem postridie, quam pugnatũ esset: ac statim ambobus, vindicãdæ Sinanis bassæ necis causa, pro more Turcorum, acinace capita resecta. Ad summam, cæsus fugatusque Misirensium exercitus, terga dedit; & in primis nobili claraq; Selimiani victoria potiti fuerunt.

Secundũ hæc profugit Sultanus Ægyptius in Nili fluminis insulam, & receptis ad se militum, e superiori prœlio superstitum, reliquiis; aliisque præterea copiis Ægyptiorum æthiopũ, Arabum, & cuiusuis alterius nationis hominum collectis; ibidem denuo castra metatus est, aliqua reparandi sui, tuendique contra vim Turcorum imperij spe concepta, sicut animo sane magno præditus erat. Sed quod ex accepto pugna nupera detrimento grauissimo territos, & deiectos animis suos, aperto Marte victricibus Sultani Selimis aciebus minime duceret obiiciendos: astu rem in posterum gerẽdam, & pugnis inopinatis hostium vires, qui præsertim in alieno regno locorum nõ satis gnari essent, frangendas & adterendas statuit. Id vero consilium quo tanto felicius ei succederet, nocturna primũ impressione, sex millibus Zindorum instructus, imperatorẽ Selimem cum suis, ob partam victoriam rerum omnium securis, imprudentem obruere subito, decreuit. Sed quũ nocte rei peragendæ destinata, cũ copiis ad castra Selimis accessisset; ea sic posita munitaque reperit, vt inuadi sine periculo satis euidenti nequirent. Nam tribus dumtaxat in locis aditus ad castra Selimiana patebat, quæ sane loca Selimis & Turcicorũ ducum prouidentia tam machinis bellicis, in hostes aduenturos directis, quam præsidiis impositis, egregie contra vim quãlibet erant obstructa. Quo factum, vt spe rei prospere conficiundæ destitutus, vrbem cum copiis ingrederetur; & in eius opportuna maxime loca toto exercitu distributo, maiora passim minoraue constitueret agmina, prout ipsa posceret necessitas, quæ hostem ab ingressu arcerent; ac si maxime nullis circumdatam mœnibus vrbem intrasset, summis exceptum reiectumque viribus, vicissim expellerent. Sed hoc quoq; ple-

num desperationis extremæ consilium Selimi proditū a Zindis decem fuit, qui more hominū desertis partibus suis, iam ruinam minantibus, victoris fortunā secuturi, Turcorum in castra cū hoc nuntio transfugerant. Ea nocte Selimianus exercitus a ducibus suis de Selimis consilio, Misirensis vrbis expugnationē tentaturi, admonitus; quāto poterat studio, diligentiaque maxima, rebus ab omnibus semet instruxit & adparauit; vt omnes ad imperatoris sui iussa, citra dilationem vllam capessenda simul, & exsequenda, singulas in horas se promptissimos exhiberent. Itaq; postea, quam caligine nocturna, tenebrisq; depulsis, illuxisset: ex indicatis castris eductum militem suum, propius ad vrbem Selimes admouit, vt ea tamdem capta, Zindorumque reliquiis extinctis ac deletis, optatum bello finem imponeret. Interea, dum hic ab vna parte Turcorum in castris adparatus, ad vrbem totis viribus inuadendam fieret; minime cessatū ab altera, quæ supremi periculo interitus se proximā videret, ni summa contentione manuum & ingeniorum, conatus hostiles eluderet, omnemque Turcorum vim alacriter propulsaret. Itaque Zindi portas & aditus omnes incredibili celeritate communierunt, fossas per vicos vrbis transuersas egerunt, aggeres excitarunt, itinera viasque publicas trabibus obsepierunt, parietibus perfossis immisere fenestellas & foramina, per quæ cōtinuis ictibus tela quæuis in hostes contorquerentur. Statuerunt enim occlusis domorum ianuis, ex interioribus earum partibus, deq; tectis ædium, quæ in oriente plana sunt, vt in eis consisti possit, & inambulari, sagittis eiaculandis, lignis & saxis deiiciendis, telis aliis & armis quibuscumque se defendere, Turcisque non varia modo damna, sed etiam perniciem extremā inferre. Quum hæc a Zindis & Mameluchis equitibus, nullum plane laborē vel sordidissimum obire salutis publicæ causa recusantibus, fieri viderent vrbis incolæ, tam lautioris fortunæ, quam tenuioris: nimium quantū exemplis horum incitati, communes ad operas, omnibus profuturas, vltro conuolarunt; & mutuo certamine quodam suscepto, non tantum illos adiuuandos, sed etiam pertinaci laborę atque industria superandos censuerunt. Hinc in omnibus vrbis regionib⁹ iidem incolæ, pari vigore animorum, & arcus, & sagittas suas, & arma quæuis obuia corripuerunt; vt irrupturis mox hostibus animose semet obiicerent, & a Tur- c.15
corum iniuriis seipsos, & vxores liberosque suos vindicarent ac tuerentur. Vix ad defensionem eo, quo dictum, modo Mameluchi cum Misirensibus se comparauerant, quum in vrbem Turci tam Europææ Rumiliæ, quàm Anatolici milites ex omnibus partibus, non pedites modo, sed etiam equites irrumperent. Itaq; ceptū inter vtrosque prœlium longe post homines natos atrocissimum, alteris pro victoriæ præmio, manubiis infinitis; alteris pro sua, suorūq; salute pugnantibus. Nec vllus erat in vrbe locus expers cædium, quibus sane continuis, absque vllo laxamento, totum triduum trinoctiumq; sæuitum inaudita diritate, plurimumque cruoris humani profusum fuit. Quotquot erant e Genitzaris sclopetarij, globorū quasi tempestatem quamdam in Ægyptios excussam immittebāt. Quibus in ædibus Misirenses, velut arcib⁹ inclusi, deiectione saxorum, & quauis in subiectos materia prouoluenda, graues Turcis clades inferebāt; eas in ædes e plateis Genitzari sagittas & sclopetorum ictus dirigebant: adeo quidem, vt si qui Zindorum vel per fenestras, vel de tectis illis suis planis, inferēdi Turcis detrimenti causa prospectarent; certis, ac letalibus Genitzarorum telis ferirentur. Iidem machinis bellicis, & aliis instrumentis, fores ædium, e quibus damnum acciperent, cum parietibus ipsis perfringebant: ac deinde repertos in eis Zindos & Zercassos, penes quos solos imperium militare apud Ægyptios erat, summis cruciatibus & tormentis prius subiiciebant, deinde quadam exquisita trucidare studebant immanitate. Si qui vero desperatis rebus, saluti suæ fuga consulere conarentur, sed interceptis per vniuersos vrbis vicos & compita viis omnibus, exitum plane nullum, & nullum effugium inuenirent: in ipsius Nili præterfluentis vndas se præcipitabant, iisque summersi miserandum in modum perire malebant, quam parcere nesciis acinacibus & telis hostium crudeliter

inter-

interfici. Dimicatum denique prœlio propemodum ineffabili, quod in tertium diem, nullis ne nocturnis quidem induтiis intercedentibus, ancipiti Marte productum, quoties ob Turcorum multitudinem, & paucitatem Zindorum, iamiam finem habiturum videbatur; toties rediuiua virtute Mameluchorum, & animorum magnitudine prorsus incomparabili redintegratum fuit. Iam præter cæsos a Mameluchis & Misirensibus Turcos, mille quingenti Selimiani milites grauiter ab iisdem vulnerati sagittarum, lapidum, aliorumque telorum ictibus erant. Etiam ipse Ionuses bassa telo petitus, letale propemodum vulnus accepit. Ad extremum, ita de rebus Ægyptiorum pro diuina sua sapientia statuente cęlesti numine, penes inuictum fortunatumque Selimem victoria stetit. Zindorum Mameluchorumque, cæsorum a Turcis in hac vrbis expugnatione, supra quatuor millia perierunt. Et adegit eos tamdem ad desperandum de rebus suis casus quidam inopinatus, quo tot hactenus continuatis prœliis egregie probatus animotum in eis impetus omnis, subito retusus & extinctus euanuit. Quippe superioribus diebus proximis, quum dubiis animis incerta plerumque prœliorum euenta, suarumque dimicationum aduersus Turcos exitum, sollicite secum expenderent: visum eis fuerat, equos suos in spatioso quodam campo collocare, perpetuo rebus ab omnibus instructos, vt in eos insilire, siquidem vltima necessitas ita posceret, ac veloci fuga se violentiæ Turcorum & cædibus eripere possent. Hi forte quibusdam reperti a Turcis equi, prorsus & intercepti fuerunt, & abducti; spesque Mameluchorum omnis, quam extremam in fuga collocauerant, amissis equis, euanuit. Non enim viam vllam videbant, qua saluti suæ discessu pedestri potuissent consulere. Sultanus ipse Misirensium denique res suas deploratas animaduertens, cum triginta dumtaxat militum suorum comitatu, quadam e platea, quam aduersus hostes defendēdam susceperat, profugus; vbi summa celeritate Nilum ad amnem peruenisset, oblatum forte fortuna nauigium ingressus, fluminis ad alteram ripam transmisit, vt Turcorum manus euaderet. Id vbi nuntiatum Sultano Selimi fuisset, barbaram Breberi vocem ingeminans, qua exhortari & vrgere semet Turci ad properandum solent, hostem insequi iussit. Quumque Nili fluminis ad ripam se contulisset, inuentis nauigiis pontem iniecit, & exercitu suo partim pontis ope, partim aliis modis traducto, manus iterum cum Sultano, Zindorumque reliquiis, trans Nilum conseruit; quibus ad extremum hoc quoque prœlio victis, suis præcepit, vt a tergo fugientibus inhærerent, ac persequendi finem nullum facerent, donec ipsum Misirensem Sultanum comprehēdissent. Quod vbi summo denique peruestigandi hominis studio factum fuisset ab eis, in potestatem redactus, & Misirensem ad vrbem perductus fuit. Heic demum, ludibrij causa, vilem in mulum imponi iussus, ad tertium vsque diem per vrbis omnia fora, vicos, & compita maxime celebria, miserando fortunæ instabilis spectaculo & exemplo, circumuehitur; & ad extremum, quadam in vrbis Misirensis porta, laqueo suspensus, enecatur. Post deuictos vltima pugna Zindos, singulas Turci domos in vrbe Misirensi perquisiuerunt, & inuentos mille Zindos, & amplius, qui semet in eis abdiderant, extraxerunt; vtque suorum, qui tot acerrimis prœliis perierant, neces vlciscerentur, in publicū productos interfecerunt. Præterea reperti cum Misirensi Sultano sexies mille Zindi, quo tempore Turcorum in potestatē ille veniebat, iussu Selimis in carceres fuere coniecti. Sæuitum in omnis generis, ætatis, & sexus homines, quauis immanitate, truculentia, libidine, rapinis, toto triduo; tamdemq; die quarto pax vrbi data, fœdisq; sceleribus, & horrendis illis grassationibus, ita pręcipiente Selime, modus & finis impositus. Facta superius mentio fuit vnius e proceribus Ægyptiis, nimirum Zanburdis Melicmoriæ siue Beglerbegi, magnæ viri apud ipsos auctoritatis. Hic quoque Selimis ad clementiam confugiens, in gratiam se recipi petiit; & quam postulabat veniam ac pacem, obtinuit. Hoc modo redacta Selimis in potestatem fuit vrbs Misirensis, qui thesauros deuicti ab se, mortisq; supplicio adfecti Sultani, & Zindorum

equitum, tota iuſſit vrbe conquiri: cui mandato quum nemo non pareret, infinitæ propemodum repertæ fuerunt opes, & ad Selimem adlatæ. Secundum hæc etiam reditus, ſiue prouentus, & fructus tam reliquarum vrbium, quam prouinciarum Ægypti, cum vectigalibus, ac tributis omnibus ſibi Selimes vindicauit, certos in codices redigi præcepit, quoque pacto ſolui quotannis, & ærario inferri deberent, recte atque ordine conſtituit. Et quando tot pugnatis hactenus prœliis non exiguum militum ſuorum numerum amiſerat, magnaſque copias e reliquis in Ægypto relinquendas videbat, quæ recẽs in ordinem redactas, nec adhuc adſuetas iugo Turcico gentes in officio continerent: veredarios Conſtantinopolim cum mandatis ad Pirim baſſam, quem rebus illic per abſentiam ſuam adminiſtrandis præfecerat, & ad filium ſuum Suleimanem Zelebim miſit; quibus eis imperabat, vti celeritate ſumma claſſem nauiũ trecentarum milite complerent, & curſum iuberent Alexandriam verſus ſine mora dirigere, quo copiis illis ad ſupplementum legionum ſuarum vti poſſet. Erant hæc mandata Selimis ad vtrumque forma quadam ſeuera & minaci perſcripta. Quapropter & ipſe Suleiman Zelebis filius, & Piris baſſa, quo Selimis imperio ſatisfacerent, nuntios in omnes regni Turcici partes, omneſque prouincias, hinc inde diſpoſitis ad celeritatem vſuros equis, dimiſerunt: vt quotquot adnuente Sultano Selime, hoc Ægyptio bello, vacationem a militia impetrauerant, ac domi manſerant, tam militaribus officiis fungentes, quam timaratos Iſpahilaros, prædiiſque donatos milites alios, ad expeditionem nouam ſe quamprimum parare iuberent, velut in Ægyptum nauigaturos. His adiungebantur & Azepi, quos Zelebes ſiue nobiles Turci dicunt, & aliud quoddam hominum genus, non militantium, ſed operas ſordidas in complanandis itineribus, foſſis agendis, excitandis aggeribus, & alias his ſimiles obeuntium, quos Zerechores & Sarchores nominare barbari ſolent. Congeſta fuit in naues etiam annonę, pro tanto mortalium numero, copia; reſque ſumma feſtinatione ac diligentia curatæ prorſus omnes, ad claſſis vſum neceſſariæ. Duo denique millia Genitzarorum, præter ceteros milites, Conſtantinopoli coacta, cumque Sanzacbego Alatzechiſarino, & Iſchenderis begi Michaloglij filio, Machmute bego, nauibus impoſita fuerunt. Simul ipſis imperatum ducibus, vt quanta maxima celeritate poſſent, in Ægyptum properaret. Fecerunt hi, quod iuſſi fuerant; & verſus Alexandriam, vrbem Ægypti maritimam, recta nauigãtes, tamdem eo cum claſſe peruenerunt. Imperator vero Selimes, quum ſuos illuc adpuliſſe cognouiſſet; etiam ipſe profectus eſt ad eos, tum vti militem ſibi miſſum exciperet, tum vt ipſam quoq; claſſem, a ſuis inſtructam, contemplaretur. Itaque ſe dedidit aduentanti Selimi Alexandria, proque more præſtito ſacramento, poteſtati eius fideique non inuita ſe permiſit. Hinc onerata ſpoliis Ægyptiis fuere nauigia, ſane quam opimis: & iiſdem impoſitæ machinæ bellicę maximo numero, cum variis opibus, quarum illic ingentem neceſſe erat inueniri copiam, tot a ſæculis, in tanta rerum Miſirenſis imperij felicitate cõgeſtam. Secundum hæc remiſſa Selimis iuſſu Conſtãtinopolim claſſis fuit, & ipſe cum exercitu, quem recens aduectorum militum ſupplemento ex animi voto adauxerat, Miſirenſem ad vrbem reuerſus, ibidem ad totos ſeptem vel octo menſes hæſit, ordinandis & conſtituendis regni rebus intentus. Quippe non Miſirem modo, cum Alexandria, ceteriſque vicinis vrbibus, in poteſtatem redegit: verumetiam diſſita longius opida, cum vniuerſis Ægypti regionibus, imperium ſuum accipere coëgit. Et quia victor ipſe iam in iura ſublatorum e medio Sultanorum Ægypti ſuccedebat, etiam vicinarum Ægypto regionum principes, quotquot antiquitus vel annua ſoluere Sultanis tributa, vel eoſdem certis muneribus colere conſueuerant, vltro ſui ſemet admonebant officij; quæque regibus extinctis præſtare ſolebant, nunc rerum potito Selimi per ſuos mittebant exhibenda. Hos inter erant quum alij plerique Arabum reguli, tum etiam is, cuius imperio Mecca, Muſulmanis vrbs ſacra, Deique domus dicta, parebat. Vocant hunc ipſi Seriphem, & familia prophetæ ſui Muhametis ortum plane ſibi

perſua-

persuadent. Is cum proceribus, & præfectis quibusdã suis, nec sine cetero comitatu regio, Selimem adhuc in Ægypto degentem adiit: & eximiis quibusdam donis oblatis, eidem maioris honoris ac venerationis ergo, manus etiam cum suis est osculatus. Selimes vicissim non ipsi dumtaxat regi, sed etiam proceribus, quum alia munera, tum magni pretij vestes, nummorumque non exiguam summã donauit. Et quia mos antiquus a pluribus sæculis inoleuerat, vt Ægypti princeps quotannis Meccam, ad ædem Abrahami, tegumentũ quoddam sericum mitteret, quo tota illa domuncula cooperiretur, quodque † vestis prophetæ nomen habet: etiam Selimes, Ægypti iam princeps, & illorum successor, minime committendum duxit, vt in hac cærimonia conseruanda minus esse regibus superioribus aut liberalis, aut religiosus videretur. Itaque tegumentum e serico factum, ad ædẽ indicatam, quam sua lingua Musulmani Kiaben Dei nominant, pro more tegendam, misit.

His rebus e consuetudine prisca, & animi sui sententia, cõstitutis & curatis; Ionusem bassam Selimes nõ vrbi modo, sed etiam toti regno Misirensi præfecit. Eidem satis magnas militum copias in Ægypto reliquit, & in his e Palatinorum numero duo millia, cum totidem millibus Ispahilarorum. Regnum ipsum certas in prouincias diuisum, quas barbari sanzacatus dicere solent, inter proceres sanzacbegos distribuit; quibus omnibus, supremo cum imperio, quod beglerbegatus officium vocant, Ionusem bassam præesse iussit. Inde non exiguos & ipse thesauros secum auehens, ex vrbe Misirensi discessit, in Europam vt tamdẽ aliquando rediret. Secutus est Imperatorem, iam ab vrbe digressum, officij & honoris ergo Ionuses bassa; quo scilicet eũ aliquo vsq; comitaretur ac deduceret. Forte Selimes de secreta quadam Ionusis bassæ defectione nõnihil inaudierat, qui iuste delatus, an per calumniam fuerit, incertum. Selimes quidem, hoc ei nomine nimium quantum iratus, in itinere, quum progrederetur exercitus, & ipsemet equo veheretur, aduocari Ionusem bassam, & quum propius accessisset, ex equo deiici iussit, & capite multari. Hoc mortis genere Ionuses bassa, vir magnus & memorabilis, interiit. Hinc Selimes regias in administranda tam vrbe, quam tota regione Misirensi vices, eodem cum iure ac potestate, quam nuper Ionusi bassæ concesserat, Chairi bego commendauit; qui præfectus Halepi quõdam, rebus tam Sultani Misirensis, quam Zindorum siue Mameluchorum adhuc integris, fuerat; & bello inter hos ac Turcos exorto, suis desertis, in partes Selimis transierat, eique sacramentum, quod fidelitatis adpellant, dixerat. Vsus etiam fuerat ipsius consilio Selimes, vt experientis viri, & rerum humanarum longe peritissimi, quum in Suria deuictis primo prœlio Mameluchis, in ipsam Ægyptum, ad conficiundas belli reliquias, expeditione suscepta penetrare decreuisset. Quippe Chair hic begus ei tunc ostenderat, quo potissimum tempore, quoue cum adparatu, Ægyptium illud iter instituendum esset; & Selimes, perspecta viri prudentia, rebus in omnibus ei paruerat. Ac licet explorandæ hominis fidei causa, nonnumquam inter proficiscendũ occultis eum modis tẽtauerat: semper tamen & sinceritatẽ eius, & integritatem animi, & in omni officio fidem cõstantiamq; singularem, & ab omni tum perduellione, tum proditione prorsus alienam, certissimis indiciis & argumẽtis deprehenderat. Huic igitur viro Selimes Ægyptum gubernandã tradidit, & ipse cũ exercitu Suriã petens, vbi Damascũ peruenisset; ibidẽ hærendũ, & exercituũ quieti temporis aliquod spatiũ concedendum statuit.

Interea vero, dum in his locis hæc a Selime gererentur; alibi Muhametes etiam begus, Imre-hor bassa, siue maximus stabulorum præfectus, ad fines prouinciarum Kisulis bassæ relictus, eodem fere tempore stupendis propemodũ aduersus Persas victoriis vsus, mirifice Kisulis bassæ res, & maximi momẽti consilia perturbauit. Quippe Schachus Ismail, dũ Selimes totus Ægyptio bello distineretur, amplissimas suorũ copias coegerat: vt eum vel ad excedendum e finibus Ægypti, rebus infectis, compelleret; vel Asię prouinciarum aliqua parte, præsertimq; Suria, si pertinacius Ægypto sub iugum mittendæ inhiaret, nec auocari ab ea se pateretur, exueret. Eam ob causam regulos & proceres orientis omnes,

quotquot ipsius imperio parebant, itéq; regni Bagdatini vel Assyriorum præfectos ac duces, vniuersa cum militia regionum illarum exciuerat, veluti graue Turcis bellum illaturus. Vbi tam copiarum duces ac tribuni, quam ipsi coiuissent exercitus: animi sui sententiam eis aperuit, Turcicarumq; ditionum limites vt peterent, & prœlio cum Imrehore bassa Selimio congrederentur, edixit. Simul eis spem prope certam ostendit gerendæ feliciter rei, quando per absentiam Selimis, Ægyptio bello cum maxima parte Turcicorum exercituum occupati, subsidia nulla limitanei milites habituri essent, atque ideo timidius in aciem aduersus ipsos prodituri, vel etiam præ formidine loca Persicis finitima regionibus deserturi; quæ tali rerum euentu, nullo ipsi negotio vel recuperaturi, vel occupaturi essent; & eiectis hostibus, ceu præmium victoriæ, possessuri. Nihil ab eis nec ad nominis Persici gloriam laudabilius, nec ad priuatos ipsorum vsus & cōmoda fructuosius fieri posse, prædicabat.

Posteaquam Muhametes begus Imrehor bassa de hoc motu Persici regis, & expeditione, qua copias suas Turcicis immissurus esset finibus, accepisset: etiam ipse, coactis militibus suis, ad excipiendos hostes quā maturrime se comparauit. Erant in eius castris duo Genitzarorum millia, totidemque sclopetarij, præcipuum scilicet exercitus robur. Ad hos accedebant & alij milites, a begis earum regionum, & orientalibus regulis adducti, quotquot imperium Osmanidæ principis adgnoscebant: & inter alios, Achmetes quoque begus, sanzacus Kemanensis, vel Camachinus, ex Armeniorum finibus, aderat. Ad summam, ex vniuersis illis Turcorum prouinciis coacta militum plus minus ad LCIↃ, cum Muhamete bego se coniunxerant.

Progressus denique Kisulis bassæ, Persarum regis exercitus, Diarbekiris prouinciæ fines adtigit; quam prisci velut interiectā fluminibus, Mesopotamiam nominare solebāt. Occurrit aduentantibus Sinan begus, iter eorum impediturus; quo minus scilicet pedem vlterius, in Osmanidæ regis ditiones, inferrent. Id quum absque prœlio fieri nullo modo posset, nec a conserendis manibus is, quem diximus, Sinan begus abhorreret: velitationes quædam occeptę fuerunt acres, in quibus superiores viribus Persæ, Turcicas copias pedem referre, non sine pręsenti periculo grauioris damni, coëgerunt. Parum enim aberat, quo minus perturbata confusaque Turcorum acies, a Persis cæderetur. Ex parte quidem solutis ordinibus, dissipati Selimiani milites, iam terga dabant. Sed interuētu suo nox alteros ab alteris diremit, & inexspectato remedio Turcorum a copiis detrimentum maius auertit. Hoc modo nocturnis ingruentibus tenebris, vtrimque ad capienda castris idonea loca properatum.

Muhametes begus Imrehor bassa, correcturus id, quod admissum per imprudentiam temeritatemq; fuerat, bono animo suos esse iussit; multisque rationibus ostendit, Azemios ab se, modo suis obtemperatum consiliis esset, haud dubie vinci posse. Nam quod eas, quæ tūc in acie sua fortuito casu quodam accidissent, turbas adtineret; nullius has momenti putādas, quum nihil inde captum sit detrimenti, & vtilis ad congressum proximum futura sit huius erroris recordatio. Quod si etiam Persæ insolentiores, ex prosperis hisce velitationum primarū auspiciis, effecti sint: haud dubie cessurum hoc ipsis maiorem ad perniciem, quandoquidem hominum more securiores redditi, magis in vtrāq; sint aurē dormituri, nec impressionem vllam Turcorum formidaturi. Suum vero consilium si milites Osmanei sequi velint, omnino faciundam in hostem, iam successu momenti leuis præferocē, nec suis prospicientem rebus, per eius ipsius noctis tenebras, impressionem subitam & improuisam: de cuius exitu felici tanto sibi milites polliceri maiora certioraque debeant, quanto nunc ipsi facti sint malo suo cautiores, & accessione copiarum quarumdam suarum non paullo sustinendis aduersariis firmiores. Quippe nonnulli cum militibus suis orientales reguli, qui superioris diei prœlio non interfuerant, iam sub noctem in castra profecti, reliquo cum Muhametis Imrehoris exercitu se coniunxerant. Quum nemini nō ducis Selimiani Muhametis hoc rectum visum fuisset consilium,

filium, placuit eidem Imrehori Muhameti bego, Genitzarorum duo millia, quæ secum habebat, ante ceteros disponere; quo primi tum aliis armis suis, tum maxime cum sclopetis, in hostes, ab his nequaquam instructos, irruerent; reliquis exercitus præfectis hos insequi iussis, vt inuadentium militum obruti copia Persæ, quo se potissimum loco, quoue modo defenderent, ignorarent. Ergo Turci magnis animis, adhuc concubia nocte, horis aliquot ante diluculum, in iacentes humi, stertentesque Persas irruerunt; rebus ita prius ordinatis, vt statim ad primum ipsorum impetum, perterrefaciendis hostibus, tubæ clangerent, diuersa tympana castrensia pulsarentur, maximi clamores militares excitarentur. Simul exorta rerum hac inopinata confusione, Turci milites vna vice diuersis in partibus hostes adorti, terribilem edidere stragem; quum aduersus eorum vim & impetum Persę, rebus ab omnibus imparati, cōsistere nullo modo possent, adeoque pedibus etiam protererentur. Vrgebant inchoatam feliciter horum cædē summa Turci contētione virium, & interfectis propemodum innumeris, reliquos eo tamdem adigebant; vt hinc inde sparsi dissipatique, non Turcis obsistendum, sed terga danda censerent. Quotquot sane celeris fugæ beneficio non elabebātur, eos vniuersos hostilis absumebat gladius. Quum abeuntibus denique tenebris illuxisset, nec Persarum in castris vllæ restarent copiæ, quæ Turcis semet opponerent: ad prædam conuersus miles, infinita iugulatorum capita, cum equis, armis, vario rerum adparatu, diuersisque spoliis congessit, quorum multitudo numerum excedebat. Præter alios milites gregarios, illustres & magni nominis XVII reguli Persici, Turcorū hac impressione nocturna cæsi occubuerūt. Hos inter, primum facile locum obtinebat Cara-Chan, Diarbekiris siue Mesopotamiæ sanzacus & præses; quem ordine sequebantur, Mirzes begus, Cara-Chanis pater; Virasses begus, Cara-Chanis frater; itemque regulus, cui nomen Coremases begus; & Hassan begus, Kefensis præses. Id opidum Kefe, vel Cafe, vel Kiofe, situm est in Assyria, siue Bagdatina Babyloniaue regione, bidui remotum itinere ab vrbe Bagdatensi vel Babylone noua; quo loco cæsus fertur Alis Chalipha, Muhametis prophetæ gener: & solent ibidem, non ipsa in vrbe Bagdatina, sollemni ritu Musulmanorū imperatores a Chalipha, propter ipsius Alis sepulcrum siue monumētum inaugurari, quod alibi latius, loco magis idoneo, nobis explicandum. Cecidit etiam Suncur begus, Cara-Chanis frater; itēq; Sultanus Congruses, præfectus Bagdatinus; Hoha Sultanus, præses vrbis & regionis in Persia, quæ nomen habet Sultaniæ; Keukebes Sultanus, Hemedanis in eadem Persia pręses; Durmises Chan, pses Orcanus; Muhametes begus, præses Kemanēsis in Armenia minori; alius itē Muhametes begus, præses Helebensis; Budaces, Kessani vel Cassani præses in Persia; Muhametes begus, Aruisinus præses; Musilensis itē præses in Mesopotamia; & præses Asmisinus; Sarditzes begus, regulus Curtus; Ibrahimes begus, pses Comēsis in Persia; Iusuphes denīq; begus, pręses Saraputanus in Mesopotamia. Cū his regulis, etiā militum cæsa sex millia perierunt. Quū ista Turcis victoria cederet, Sultan⁹ Selimes in Ægypto adhuc hærebat. Ei rem omnē Muhametes begus Imrehor bassa, quemadmodū gesta fuerat, p litteras & internuntios significauit: ideoq; singulari Selimes adfectus gaudio, singulis Genitzaris, quotquot illi prœlio interfuerāt, asprorū mille cōgiarium donari iussit, & multa lætitiæ signa curauit edi. Potiti vero fuerūt hac aduersus Kisulem bassam victoria Turci anno post Muhametis prophetæ migrationē ex his terris IO CCCC XXIII. Chr. 1517.

Dictū antea, Sultanum Selimem Ægypto deuicta, rebusq; regni recēs in potestatē redacti, prout vsus poscebat, recte constitutis; in Suriam profectum, ad vrbem Damascum aliquamdiu māsisse. Nunc tamdē inde digressus, Halepum se cōtulit, & hibernos ibidē menses exegit. Quippe quo minus ex iis regionibus discederet, incertis rerū, quæ de Kisulē bassa nuntiabātur, rumorib. & fama præpediebatur. Etenim Schachus Ismail nō exiguas collegisse copias, & nouam suscepturus expeditionē ferebatur; ita tamen, vt nihil certi, variātibus hominum sentētiis, de re tota cognosci posset. Sultan⁹ Selimes, ne discessu ex iis locis suo;

fines imperij non satis magnis præsidiis munitos, hostis violentiæ præpotentis exponeret, neue nuper admodum partas etiam prouincias in discrimen & turbas nouas coniiceret; mandata quædam ad Pirim bassam, Constantinopoli gubernandæ per absentiam suam præfectum, misit: quibus equitum inauctorari quinque millia præcepit, ac præterea sibi ccc mitti iumenta sagmataria, nummis onusta, voluit. Piris bassa, litteris hisce sibi redditis, & voluntate Selimis intellecta; mox & equitum quinq; millia, constitutis in singulos stipendiis, conduxit; & quam adferre secum iussus fuerat pecuniæ summam, in Suriam suscepta profectione deportari curauit, ibiq; Sultanum Selimem ad vrbem Halepum adiit. Is Pirim bassam cum Anatolicis & Europæis exercitibus ad flumen propter Siuasten Armeniæ minoris reliquit, cui nomen Turci dant Kisul-irmac, a rubedine; quod sua lingua Græci Erythropotamon redderent: ipse dumtaxat, pro more Sultanorum, cũ militia palatina Constantinopolim se contulit, & vlterius pergens, Hadrianopolim accessit; eamque deinceps æstatem in Gumulzinæ,† Caualæque campis, ac finitimis locis, venationi & aucupio deditus, exegit. Hinc reuersus Hadrianopolim, milites in Asia cum Piri bassa relictos, quod a Kisule bassa nullus motus aduersus Turcos amplius pertimescendus videretur, exauctorari iussit; qui hac impetrata dimissione, domum quisque suam abierunt. Idem factum de duobus Genitzarorum millibus, quos hactenus tuendorũ aduersus Persas finium causa, Muhameti bego Imrehori concesserat; nũc excitos illis e regionibus, ad suas reuerti ædes & familias, sinebat. Quippe quum Kisuli bassæ, Schacho Ismaili, ex voto cõsilia, resq; tentatæ hactenus, non successissent; tamdẽ is vltro tumultibus ac bellis valere iussis, quietem & pacem amplexus fuerat. Et hæc quidem anno prophetæ Musulmanorum Muhametis extincti ɪↄ cccc xxv acciderunt.

† Pandect. cap. 43. & 44.

Chr. 1519.

EIVSDEM SVLTANI SELImis imperium, & interitus, e codice Verantiano.

HACTENVS recitata de Selime primo, sane non vulgaria, Murati Dragomano debentur; cuius historia quum hoc loco finem habeat, nec Selimis exitum nobis exponat: operæ pretium me facturum existimaui, si quę desunt commentario Murateo, de libro Verantiano supplerem; & ex eodem alia quoque memorabilia lectoribus, eadem opera, peculiari narratione repræsentarẽ; quæ quidem, meo iudicio, cupidis integræ Turcorum historiæ non poterit nõ esse grata & accepta. Sed ipsam ad rem accedamus, monitis prius iis, qui hæc legere volent, vt ad superius indicata sub finem vitæ Baiasitis secũdi, memoria recurrãt.

Extincto patre, traiecit in Anatoliam Sultanus Selimes, & Angurim, quæ priscis erat Ancyra, cum exercitu profectus est. Cuius rei nuntium quum frater eius, Sultanus Achmetes, accepisset: fuga sibi consulens, ad limites Maurorum vel Ægyptiorum se contulit. Tum vero Sultanus Selimes Burusam regressus, filios Schach-Zadeorum (sic regibus suis editos Turci vocant) occidit, hoc est, patris sui nepotes, e fratribus suis prognatos; ac præterea Mustapham bassam interfici iussit. Inde Manissam versus, quam veteres Magnesiam, Christiani vulgo Mangresiam vocant, copias duxit; alteri fratri, Sultano Corcuti bellum illaturus. Is vero Selimis intellecto consilio & aduentu, Tekiensem in prouinciam se recepit, cuius fines a nobis *alibi declarati sunt. Statim mandato Selimis hunc persequi iussus Casumes Capitzi-bassa, de qua voce dignitatis & officij suo loco † dictum, in specu & antro quodam latitantem reperit, & in potestatem redactum, ad herum suum Selimem perducere voluit. Sed occurrit eis in itinere Kirengin-oglius, cognomento Chior-Zeinal, a visu distorto; qui Corcutem vsitato genti Osmanidarum mortis genere, de medio sustulit. Obiter addendum de Kirengin-oglio, videri quemdam intelligi, natum in regione Kirenginis, quam Murates Dragomanus in expositione superiori proxima rerum a Sultano Selime gestarum, Carendinem & Carendanem nominat, & intra Gurginorum siue Georgianorum fines sitam ostẽdit. Cadauer necati Sultani Corcutis Burusam deportatum, & ibidem monumento fuit illatum.

* Pan. cap. 51.

† Pan. cap. 11.

Hoc fratre rebus humanis exemto, litteras

litteras Sultanus Selimes ficticias, nomine militum Palatinorum, quos Osmanidæ mancipia Portę vocare solent, scribi iussit, & ad fratrem alterum, Sultanum Achmetem, mitti; quarum sane litterarum hæc erat sententia: Significare Sultano Achmeti militiam Prætorianam, potitū recens rerum Selimem, per summam atrocitatem, in proprium sanguinem, & in magnos meritis & auctoritate viros, iisdem innocenter trucidatis, desæuiisse; nec præter Sultanum Achmetem, & filios, ex Osmanea familia quemquam superstitem esse. Tam cruentum imperium, ipsis in auspiciis principatus, magnam tyranno inuidiam & odium, præsertim apud aulicos, pēperisse. Nullum aliud superare deploratis pæne rebus remedium, præter hoc vnicum, vt ad exercitum Achmetes ipse veniat, & militibus e propinquo se conspiciendum præbeat. Ita plane futurum, vt omnes in ipsius partes transeant, & Selimem comprehensum Achmeti sua sponte tradant. Huiusmodi litterarum quinquaginta, plus minus, exempla Selimes Achmeti per suos, astu summo, reddi curauit. Quapropter is inopinata fraude circumuentus, & nimium suo cum malo credulus, adductis Caramaniæ secum copiis, & Iognollis, qua voce Turcis dicuntur animosi & auidi pugnæ milites, Selimem inuadere statuit. Erant apud eum nonnulli proceres, qui rebus ipsius addictissimi, quoties vt sibi caueret, nec iter illud susciperet, hortabantur; toties prolatas Achmetes hasce litteras, sibi missas; in eorum præsentia legebat, ac relegebat. Inde rursus iis compellatis: Demus, aiebat, harum aliquas, adeoque decem, vel etiam viginti, suppositicias esse. Num propterea de reliquis, tāto numero mihi redditis, idem adfirmabimus? Hoc modo propositi tenax, cum milite suo progressus est, ac Genischeheris siue Nouæ ciuitatis in planiciem venit, & obuium Sultano Selimi se dedit. Sedenim mox velut in oculi momento cæsus fuit Achmetis exercitus, Achmetes ipse captus, & interfectus; cadauer extincti Burusam missum, & maiorum monumentis illic adgregatum, anno Muhametano ɪↄ cccc xx.

Secundum hæc potitus plene regno Selimes, quum nullus imperij superesset æmulus, & ipse tacitis quibusdam stimulis excitaretur ambitionis & cupiditatis immensæ, qua maximos principatus orbis animo iam pæne deuorauerat: debellādi Kisulis bassæ causa copias amplissimas collegit, bellicos adparatus insignes fecit, machinarū plostralium ingentem multitudinem congessit: ac denique cum quadringentis hominū millibus expeditionem suscipiēs, Azemiorum fines ingressus est, & aduersus Schachum Ismailem recta duxit. Hic vero minime Sultani Selimis aduentu territus, ei se quadam in planicie, quā Gialdranam, siue nostro more pronuntiādo, Zaldrāniam vocant, obiecit. Infestis illic armis & aciebus vtrimq; concursum, prœliaque continuata fuerunt a matutinis horis ad tempus vsque postmeridianum, quod Turcis Ikindi, nobis vespertinum dicitur. Acerrima quidem hæc pugna longe maximam mortalium stragem edidit. Erat in acie Schachi Ismailis quidā e primis eius proceribus, quem Vstazi-oglium nomināt Turci, quidam e nostris Vsta-oglium; quo nomine filius doctoris significatur, vti priore filius parui doctoris, vel magistrelli, quū formæ sit deminutæ; nec tamē vsquam harum adpellationum vlla ratio exposita reperitur. Sunt etiam, qui Vstagelu-oglij nomen ei dant, quo denotari arbitror procreatum ex Istigelu familia Persica, nunc etiam potenti apud Azemios, & famosa: videturque vocabulum Istizelu-ogli mutatum ab hostibus vel æmulis in Vstazi-ogli, contumeliæ causa: de quo tamen vt quisque sui statuat ex animi sententia, per me quidem licet. Hic igitur Vstazioglius vnum aciei Selimiæ latus, in quo collocati erant Anatoliæ milites, maximo adortus est impetu: & alterum cornu, in quo Turcorum milites Europæi consistebant, ipse Schachus Ismail summis viribus inuasit. Anatoliæ beglerbegus, qui copiis suis Anatolicis in cornu læuo præerat, irruentem in se ducem Persicum Vstazi-oglium excepit egregie; fortiterque pugnando tamdem obtinuit, vt ipsimet Vstazioglio cęso caput a ceruicibus amputaretur. Aduersus Europæorum militum aciem, quæ dextro erat in latere, pugnatum a Schacho Ismaile, terribili

quodã, & acerrimo genere prœlij; quo, præter alios milites gregarios, & proceres interfectos, Europææ quoque Græciæ beglerbegus letalem plagam accepit, & fatis ita iubentibus, res humanas reliquit. Quum huius dextri lateris aciei Turcicæ in angustum pæne, summa Schachi Ismailis Persarumque virtute ac impetu, redactæ essent copiæ: mox suos subleuaturi laborantes, animosi duo fratres, Alis begus, cui lingua barbara Turis siue firmi cognomentum erat inditum, & Muhametes begus, vterque Malcozzides, equos intra Schachi Persarum Ismailis turmas, calcaribus adhibitis, adegerunt; & ipsummet Schachum Ismailem petentes, compluribus editis in conflictu mauortiis facinoribus, tamdem vi perruperunt hostium agmen, & vsque ad crepidinem erectorum in sublimiori loco vexillorum Schachi Ismailis penetrarunt, ac ipsimet Schacho mortiferum vulnus inflixerunt. Quod vbi factũ regi suo conspexissent fidissimi custodes corporis, & satellites eius, quos Cordzileros sua lingua Persæ dicunt, & † alibi nos adtigimus; suos expedierunt in eos tam acinaces cominus, quam lanceas eminus, & interfectos ambos Sehidorum ac beatorum cœtibus adgregarunt. Ad extremum Schachus Ismail, cum suis, hora fere tertia post meridiem, quam Ikindi vocant barbari, fusus fugatusque fuit: & ipse, relictis omnibus rebus illic suis, & adparatibus quũ bellicis, tum aliis, ipsisque thesauris, & mulieribus, & tentoriis, Tebrisium versus fugam instituit. Itaq; Turci castris & impedimentis eius (ordum dicunt eæ gentes) potiti, diripuerunt omnia. Venit etiam in potestatem eorum ex Schachi Ismailis vxoribꝰ vna, reliquis mulieribꝰ, quotquot more Persico secutę castra fuerãt, itinere pedestri Persas suos comitãtibus, vti cum eis Tebrisium se reciperent. Schachus Ismail, vbi Tebrisium venisset, minime ratus illic diutius hærendum, ob propinquitatem hostis, quẽ in ea se loca secuturum arbitrabatur; exiguo cum comitatu suorum, quem Turci xv, summum xx hominum numerum non excessisse volũt, vltra Tebrisiũ ad interiores Persidis regiones, versus vrbem Sultaniam, itinere sex dierum a Tebrisio distantem, se contulit.

† Pandect. cap. 189.

Nec eum opinio de hostis consilio fefellit. Quippe Sultanꝰ Selimes, illustri prœlio victor, vlterius in hostiles ꝓuincias cũ exercitu progressus, Tebrisium accessit; & a ciuibus in vrbem admissus, antequam discederet, artifices in diuersis opificiis excellentes, & alios in vrbe præcipuos, Tebrisio relicta, Constantinopolim migrare coëgit. Ne longius autem cum exercitu suo Selimes iis a finibus recederet, adeoq; primo statim vere, subigendis regionibus Persicis, partã prosequi victoriam posset; in agro Carabagensi, rerũ omnium feracissimo, collocare militem suum in hibernis constituit. Ea regio supra Ghilanem Persidis, versus Armeniam maiorẽ est sita, quod alibi † prolixius ostensum. Sed voluntati † eius aduersati Genitzari, nullo fieri modo, quod ipse proposuerat, permiserunt. Quapropter eo redactus ipsorum pertinacia fuit, vt motis inde castris, suos intra fines itinere difficillimo concederet; Amasiamq; profectus, ibidem hibernaret. Initio proximi deinde veris Amasia mouens, ad vrbẽ Armeniæ minoris Kemachum, Persici iuris, exercitũ duxit; eamque Kisuli bassæ ademtam, regni sui finibus adiecit. Hinc Sinanem eunuchum siue castratũ bassam, cum copiis aduersus Dulgadiroglium, regionis Aladeulię principẽ, vt ei bellum inferret, misit. Is expeditione suscepta, rem ea felicitate gessit; vt Dulgadiroglio principi superato caput a ceruicibus resecari iuberet, eiusq; ditiones ac prouincias Ali bego, Schachi Suuarensis filio, donatas traderet. Secũdum hæc mota fuit a Genitzaris ad vrbẽ Amasiam seditio, qua durante, Piris bassæ domum adgressi, totis viribus inuaserunt & oppugnarunt. Id tẽporis Achmetes bassa Ducaginoglius, de cuius familia dictum alio * loco, Veziris munere fungebatur. Hunc suspectum Sultanus Selimes habens, velut excitatæ seditionis auctorem, interfici iussit; palam professus, hoc ea se causa facere, quod ab ipso profectum fuisset, quidquid iis turbis insolẽter admissum a Genitzaris esset. Postea motis Amasia castris, Constantinopolim Selimes abiit: quo quum adpulisset, generum suum, Ischenderẽ bassam, & Tatzi-zaden, hoc est, Tatzis subolem, qui Casi-asker, siue iudex maximus exercituum erat, & ter-

* Pandect. cap. 186

tium

tium denique, cui cognomen erat Baliemezes, officium Seimen bassa, (Seguanem bassam alij pronuntiãt) occidit. Et hoc officio Seguanis bassæ qui fungitur, præfectus est maximus omnium Sultani iumentorum, quæ a ferendis oneribus sagmataria dicuntur; & hominum præterea plurimorum, qui curam illorum gerunt, vt † alibi latius explicatum. Cognomen vero Bal-iemez datum ei fuit ex eo, quod melle non vesceretur. Causam, cur hos etiam interfici iuberet, hanc solam adferebat; quod ipsi quoq; tumultus excitati nuper a Genitzaris, auctores exstitissent. Acciderunt autem hæc anno Muhametano ıɔ cccc xxi.

Secundum hæc collegit denuo Sultanus Selimes numerosas militũ copias, & Constantinopoli relicta, in Anatoliã traiecit exercitum: quum alteram expeditionem aduersus Azemios & Persas suscipere, suo cum animo cõstituisset. Verum Sultanus Misirensis, qui rerum id temporis in Ægypto Suriaque potiebatur, & cui Canseui Gauri nomẽ erat, suspectũ hoc Selimis iter habebat. Quippe non tantum ipse, sed etiã omnes eius proceres & Zercassi, qui vulgo Mameluchi nominabantur, metuebãt; ne forte vires illas in se præter exspectationem conuerteret, ac bello prorsus imparatos obrueret. Itaque suis etiam coactis exercitibus, ad Halepum, vrbem Suriæ magnam, quæ ipsorum imperio continebatur, accesserunt. Id vbi renuntiatum Sultano Selimi fuisset, omisso bello, quod aduersus Azemios instituerat, Mauros vel Æthiopas Ægyptios adgredi statuit: eaq; de causa ductis ad eorum fines copiis, hostilem inuasit exercitum in loco nõ procul ab Halepo dissito, vbi sepulcrum Dauidis prophetæ quõdam fuisse vulgi opinione creditur, & inditũ loco nomen adhuc testatur. Ibi commisso terribili prœlio, tamdem superati & cæsi fuerunt Ægyptij; Sultanusq; Misirensis, Canseues Gauris, vsus infelici sorte, non solum occubuit; sed etiam humi iacenti caput a ceruicibus resectũ fuit. Quæ cædem euaserant Ægyptiorum reliquię militum, hinc inde dissipatæ fugerunt. Potiti victoria Turci, mox omnes in iis finibus vrbes ceperunt; impositisque præsidiis, regno suo deinceps adiunxerunt. Halepũ sine mora se Turcis aduentantibus, toto cum agro suo, dedidit. Ei cum imperio sanzacbegus quidam præesse iussus a Selime fuit, qui ceteris etiam prouinciis illorum locorum, & ciuitatibus, præsides suos dedit, a quibus administrarentur. Motis hinc castris, Damascum progressus est, & hãc quoque suis cum finibus in potestatem redegit. Interim dilapsi fuga Zercassi, Misirem siue Cairum se contulerunt, & in extincti Sultani locũ substituere principem alium, cui nomen erat Tumanbais, quique primi a consiliis munere tunc fungebatur. Sultanus autem Selimes Damasco digressus, vt tam illustri victoria, quam adeptus erat, vteretur; cum parte copiarum Sinanem bassam Hadumem siue castratum, versus vrbem Gazam, & illorum locorum solitudines p̃misit: nec multis interiectis diebus, etiam Selimes ipse, cum reliquo se mouit exercitu, caput imperij Misirensis, Cairum petiturus. Ab altera parte Tumanbais apud Ægyptios ad Sultaneã dignitatẽ euectus, Zanberdim cognomento Gasalim, Damasci præfectum, satis magnis instructum copiis, in Suriam proficisci Damascum versus iussit; vt hostes impediret, quo minus vlterius progrederentur. Is vbi Gazæorum ad vrbem accessisset, forte cõtigit, vt eodem tempore Sinan quoque bassa vicinis in locis ad opidũ Remlen subsisteret. quũque de Gasalis aduẽtu per exploratores cognouisset, nocturni commoditate itineris vsus, tãta celeritate in hostem perrexit: vt postridie satis mature Gasali occurreret, acerrimoq; prœlio cum eo decerneret, ad extremum stante penes Sinanem bassam victoria. Zercassi partim a Turcis occisi perierũt, partim fugientes intra solitudinis proximæ latebras se receperunt. Sultanus autem Selimes quemdã e suis, natione Zercassum, nomine Muratem, ceu legatum suum certis cum mandatis adire Sultanum Tumanbaim iussit: a quo spretus Selimis orator ille Murates, non modo non admissus in conspectum, verumetiam violato iure gentium interfectus fuit. Sultanus interim Selimes cũ exercitu progrediens, ad opidum Remlen venit. Acciderat vero paullo ante, quum Sinan bassa profectione nocturna Remlen de-

ſerens, ad excipiendum Zanberdis exercitum totis viribus contenderet, vt inopinatum hoc iter Oſmaneorum Remlenſes fugam interpretarentur; & caſtra Sinanis ingreſſi, quidquid in eis relictũ a Turcis fuiſſet, diriperent; ac repertos in iiſdem homines occiderent, necatorumque cadauera frequentes in puteos illorum locorum coniicerent. Id facinus improborum hominum vbi ſignificatũ Selimi fuiſſet, arceſſitis ad ſe Remlenſibus, auctores maleficij capitis adfici ſupplicio præcepit. quo factum, vt plerique Remlenſes gladiis cæſi ab irato milite Turcico, qui ſuorum cædem vlciſci cuperet, iugularētur; ac ſexui dumtaxat femineo parceretur. Hinc ad vrbē Cutzimubarecum, quæ priſcis erat Hieroſolyma, profect⁹ imperator; eius omnia loca ſacra religionis ergo viſitauit & inſpexit, vnamque noctem illic quieſcens exegit. Ac veſpertinas quidem, vel Ikindinas preces, cum iis, quæ more Muſulmanorum has proxime ſequuntur, & Axa nominari ab ipſis ſolent, vocibus † alibi declaratis, in vrbis illius meſchita ſiue templo præcipuo; nocturnas vero, quæ hora noctis inchoatæ ſecunda dici fere ſolent, in Cuba Sechra, quod ibidem eſt fanum Solomonium, concepit. Eadem ſpecie pietatis & alia ciuitatis loca quum perluſtraſſet, poſtridie ſummo illinc mane diſceſſit, & ad exercitũ mature peruenit. Motis inde caſtris, Gazam perrexit; vbi militum ſuorum eam reperit partem, quam cum Sinane baſſa ſuperioribus diebus exercitũ reliquum antecedere iuſſerat. Inde caſtris iterum relictis, ad Abrahami prophetæ ſepulcrum abiit; quo itidem confecto itinere, totis viribus eniti cepit, vt ductis in Ægyptum ſuis, vrbem regni primariam Cairum occuparet. Illam vero profectionem ſic inſtituit, vt Sinan baſſa ſemper ex aliquo copias ceteras interuallo præcederet. Verebatur enim, ne qua tantis in ſolitudinibus, quas tranſituri erant, vel annonæ, vel aquæ, vel aliarum rerum pænuria premeretur exercitus. Meminere quidem barbari ſuis in commentariis, veneficorum veterum Ægyptiorum carminibus obiectas haſce Cairo ſolitudines, per quas imperatores ſane pauci ductare magnos exercitus potuerint. Sultanus autem Selimes,

† Pandect. cap. 210.

iacta velut alea, rem laboris pariter ac periculi plenam tentare non dubitauit, ſuaque ſic iter hoc vrſit induſtria; nemine vt aduerſante ſolitudines aridas, nec parum tranſituris formidabiles, ingrederetur. Quumq; locum ad quemdam perueniſſet, cui Deiris nomen inditum, & vbi caſtra tũc haberi neceſſe erat: nocte, poſtquam illuc adpuliſſent, proxima Chuſeinem baſſam ex ea necari iuſſit cauſa, quod conſiliũ Selimis de tranſeundis locis tam difficilibus, tanto cum exercitu, velut anceps, & magno cum diſcrimine cõiunctum, improbare fuiſſet auſus, ipſumque principem ab eo dehortari. Secundũ hæc cottidianis ſemper vlterius perrectum itineribus, factumq; ſingulari felicitate Selimis, vt in tam aſpro & ſicco ceteroqui deſerto nuſquam eos mediocris aquæ copia deficeret. Quippe ſecreto quodam propitij fauore numinis lapſæ de cælo frequētes pluuiæ diebus illis fuerunt, quæ reſtinguendę tam hominum, quam iumentorum ſiti abunde ſufficerent, donec tamdem pagum ad quemdã ventum eſſet, cui nomē Salichie. Spectat is verſus Miſirem vel Ægyptum, & vrbem eius Cairum. Heic vero iã emenſi moleſtiſſimas illas ſolitudines erant. Ideoq; reparatis illic nonnihil viribus, Ægyptum verſus, itineris reliqui conficiundi cauſa, progreſſi ſunt. Non ignorabat aduentũ exercitus Selimij Tumanbais, Sultanus Miſirenſis; qui vires vt hoſti pares, aut ſaltim non multo inferiores opponeret, adparatũ belli maximũ fecit, collectiſq; numeroſis militũ ſuorum copiis, extra vrbē Miſirēſem prodiit, & caſtra ſic metatus eſt; vt eorum obiectu ab hoſte tuta ciuitas eſſet, & eidem pręcluſus in hanc, ab illa parte, qua tunc veniebat, aditus. Dum his in caſtris Ægyptius cõmoraretur, non mediocres ſuorum manus ad eum confluxerunt. Inter alia viſum hoc quoq; conſultum, vt illic tormenta bellica diſponerentur, qua venturus hoſtis exſpectabatur. Hoc modo parati, Turcos opperiebātur. Sed quidam e caſtris Miſirenſium fuga ſe ſubducentes, omnia ſuorum conſilia cum inſidiis, quæ ſtruerentur, Selimi prodiderunt. Quibus rebus intellectis, illam omiſere viam Oſmanei; & alia reperta, quæ nullis eſſet impedimentis hoſtium, & inſidiis

expo-

expoſita; præter opinionem, turbinis inſtar, eos adorti ſunt. Et geſta fuerunt hæc anno poſt exemtum rebus humanis Muſulmanorum prophetam Muhametem IↃ CCCC XXII. Chr. 1515.

Poſtea vero, die XXVIII menſis Silchitzis, inde vſque matutino a tempore, ſecundam ad horam, vel tertiam Ikindinam, pugnatum inter vtroſque prœlio cruentiſſimo, & in aciei Selimiæ dextro latere Sinan baſſa mortiferum vulnus accepit; quo ſubito proſtratus, æterno ſic iubente Deo, rebus hiſce terrenis valedixit. Id tamen ad extremum Oſmaneæ partis virtute perfectum, vt Zercaſſorum acies diſſipata, nullis ordinibus ſeruatis, fœde diffluerct. Ad montes proximos nonnulli fugiebant, ad ciuitatem Miſirenſem alij. Quapropter Oſmaneis vrbs, ceteroqui nullis clauſa portis aut munitionibus, patere cepit. Tum vero Zercaſſi plerique reliqui fuga, præ formidine, confeſtim inita; ciuitatem reliquerunt, & Seidenſem in prouinciam ſe receperunt. Sultanus autem Selimes ad Nili fluminis ripā caſtra metatus, ſuo cum exercitu conſedit. Interim Zercaſſi mittere ſuos exploratores hinc inde non deſinebant, & occaſionem inuadēdi caſtra Selimiana nocturno tempore, quærebant. Tamdem eis nox inſtituto cōmoda ſe viſa fuit offerre, qua ciuitatem ingreſſi, ſatis magnum Oſmaneorum numerum, qui tunc in vrbe aderant, interfecerunt. Eius facti rumore per tumultū ac trepidationem, vt fieri ſolet, nocturnam latius ſparſo, atque etiam ad Turcicos milites extra vrbem, & ipſum adeo Selimem in caſtra perlato: mox arma corripuit exercitus, & copiis hinc inde diſpoſitis, ad viarum aditus, quibus hoſtis acceſſurus erat, vis magna machinarum bellicarum collocata fuit. Itaque Zercaſſorum hic quoque conatus in irritum cecidit.

Chr. 1516. Anno deinde IↃ CCCC XXIII, die quarto menſis Muharenis, quū primum illuxiſſet, miſſus fuit in vrbem a Sultano Selime Ionuzes baſſa, qui cum Genitzaris per ipſos vrbis vicos, compita, plateas, occupandæ Miſiris cauſa Zercaſſos adgrederetur; eoſque prœlio victos, vrbe tamdem expelleret. Pugnatū congreſſu longe cruentiſſimo, Ionuzeſque baſſa teli iactu tam periculoſum in corpore vulnus accepit; vt ipſis viribus eum deficientibus, in non exiguo vitæ diſcrimine verſaretur. Is caſus Sultanum Selimem tātopere commouit, vt maiorem militum ſuorum partem ex equis deſcendere iuberet; qui pedites vrbem ingreſſi, contra Zercaſſos ante meſchitam Sultani Chaſanis horribili reapſe prœlio tam diu dimicarunt; vt vici plateæq; plenæ cæſorum cadaueribus eſſent. Ad extremum tamen iterum ſuperati, & in fruſta diſſecti fuere Zercaſſi, compluribus etiam viuis in poteſtatem redactis. Sultanus ipſe Tumanbais, cum aliquo ſuperſtitum numero, Seidenſem in regionem, anno eodem IↃ CCCC XXIII, Chr. 1516. die XXII menſis Muharenis, aufugit.

Quamobrem tot prœliis victor Sultanus Selimes, copias ſuas itidem victrices, ſecum in vrbem, profligatis hoſtibus, duxit; & Iuſufis in thronum, (quo vocabulo Turci Ioſephum, Iacobi patriarchæ filium intelligunt, ſupremū quondam Ægypti gubernatorem) ſe collocauit; eumque tot a ſæculorum interuallo, dignitati ſuæ reſtituit. Zercaſſis vero, quorum ad duo millia Turcorum in poteſtatem viui peruenerant, amputatæ iuſſu Selimis ceruices fuerunt: reliqui, plus minuſue, quingēti vita donati, vincula carcerumque cuſtodias, ne qua poſſent elabi, ſubierunt.

Secundum hæc miſſus ad Sultanum Selimem legatus quidam fuit, qui Caſis ſiue Prætoris, iudiciſue munere fungebatur. Is habitu geſtuque ſupplici Selimis in conſpectum veniens, non precibus modo, ſed lacrumis etiam profuſis, vt delictis Sultani Tumanbais ignoſceret, eique culpam ſubmiſſe deprecanti, pacem daret, rogauit. Hac oratione legati Selimes audita, non modo verbis, verumetiam per litteras benigne reſpōdit; ſe libenter hactenus admiſſorum veniam Tumanbai facere; viciſſimq; ſuos ad ipſum legauit, qui de pacis ineundæ condicionibus eum informarent. Hos a Selime miſſos, & ad ſe proficiſcentes, interfici Sultanus Tumanbais a ſuis eſt paſſus: cuius facinoris indignitate motus Selimes, tantopere excanduit; vt captiuos e Zercaſſis ad vnum omnes, nemine penitus excepto, crudeliter iugulari præciperet. Hinc cum exercitu ſuo Nilum amnē tranſmiſit, eo prorſus ani-

mo; Sultanum vt Tumanbaim summis viribus adgrederetur, & extrema denique pugna, quantumuis ancipiti, bello finem imponeret. Tumanbais vero, qui tot cladibus & prœliis fractus, Selimi se viribus imparem adgnosceret; omnem salutis in fuga spem collocandam statuit. Eum qui caperet, a tergo iussus insequi fuit equitatus Europæus. Sed ipsimet eorum locorum Æthiopes, ac præsertim sapiētes viri, qui regionem vnius hominis deditione grauioribus a malis & ærumnis liberandam censerent, itinera viasque fugienti præcluserunt omnes; ac Tumanbaim denique, suam in potestatem redactum, Sultano Selimi tradiderunt.

Chr.1517. Hoc modo factum, vt anno Muhametano IↃ CCCC XXIII, mensis Rabiul-euelis die XVII, Selimis imperatoris iussu, media in vrbe Misirensi, ad portam, cui nomen Suueile, Tumanbais suspenderetur; imperioque Zercassorum deleto & abolito, Misirense regnum vniuersum in ordinem Selimes imperator Osmanides redigeret. Potitus autem rerum, suis Ægyptum administrandam dedit, & sanzacbegos siue prouinciarum ciuitatumque præsides instituit. Ipsam vrbem Misirensem, quam vulgo Cairum dicunt, Ionuzi bassæ gubernandam commisit. Tamdem Sultanus Selimes, ordinatis omnibus ex animi sententia, saluus & incolumis, cum thesauris & opibus amplissimis castra Misire mouit; & Gazam versus ire cum exercitu, domum reducendo, cepit. Reliquerat autem in Ægypto Misirensem ad vrbem cum Ionuze bassa Chairem quemdam begum, e proceribus Ægyptiis, olim præfectum Halepi, qui pugnis superioribus aduersus Ægyptios Sultanos, & Mameluchos, egregie se gesserat, ac bene de Sultano Selime, suorum desertor, meritus fuerat. Is astu quodam vsus, obsignatas ad Sultanum Selimem litteras misit, quibus in litteris perscripserat; magnopere laudari ab AEgyptiis AEthiopibus Ionuzem bassam, & in acclamationibus publicis auspicatas hasce, regibusque solis debitas ingeminari voces; *Alla ienzur Sultan Ionuz*: quibus sua lingua precentur & optent; vti Sultanus Ionuzes diuinitus sospes & saluus conseruetur. His & alias criminationes adiecit, quibus Sultano Selimi Ionuzem suspectum reddebat, quasi si defecturus ab eo videretur. Posteaquam has a Chaire bego litteras Sultanus Selimes accepisset, magnopere territus, a Ionuze sibi metuere cepit. Itaque mandatum litteris exaratum Misirem ex itinere misit, quo præcipiebat, vti nulla interposita mora Ionuzes ad se bassa veniret, ac per absentiam suam Misiris administrationem Chairi bego commendaret. Fecit, quod imperabatur, Ionuzes bassa; relictaque Cairo, Sultanum Selimem secutus est, & in deserto cum exercitu progredientem reperit. Imperator autem, dum inter proficiscendum cum Ionuze bassa colloqueretur, subito commotus, equo deiici hominem, & a Solachorum bassa interfici iussit. Hinc profectione per Asiam continuata, Constantinopolim tamdem adpulit; & in vrbe regia, post expeditionē diuturnam, quieuit.

Anno denique IↃ CCCC XXVI, post obitum Muhametis, mense Ramazane, digressus Constantinopoli Sultanus Selimes, Inzugen abiit. Eo loco vetus erat olim quoddam castellum, quo nūc diruto, pagus frequens, & non exiguæ magnitudinis conspicitur. Huc vbi peruenisset, ac more Musulmanorum, qui lauacris, lustrandi sui caussa, creberrimis vti solent, balineum fuisset ingressus: exorta fuit ei fistula quædam in dorso, pugni magnitudine, quæ medicis herpes exedens dicitur. Ac reapse nihil aliud erat, quam id malum, quod engile barbaris, carcinoma siue cancer nostris adpellatur. Nihil tamen hoc moratus, ad eum perrexit locum, quo loco proximis annis cum patre conflixexat. Nec is a Zorlo procul abest, in eius amnis ripa, qui Zorlum alluit. Quum autem vlterius, ægritudine corporis ingrauescente, progredi nullo modo posset: explicari tentoria, figique iussit, atque ibi mansit, vt curaretur. Simul vsus est opera Iara-bassæ, hoc est, chirurgi sui principis; & Hegim-bassæ, quo nomine medicum primarium barbari, priscis archiatrum nominatum, intelligūt. Interim vero, dum illic, valetudinis caussa, Selimes ipse subsisteret; missi ab eo tum Piris, tum Achmetes bassa, cum Chr.15

Defter-

Defterdaris siue quæstoribus, Hadrianopolim fuerunt; vt Bairamo, sollemni barbarorum festo, necessaria compararent & instruerent; quo splendide, ritu Musulmanis vsitato, celebrari ab eo, mox subsecuturo, quemadmodum sane futurum sperabat, Hadrianopoli posset. Vnus apud eum Ferhates bassa relictus, ceteris abeuntibus, mansit. Ac tametsi diligentiam medici chirurgique maximam, suo principi curando, adhiberent; nihil tamen hac omni eorum opera profectum fuit, ideoque desperatis conseruandæ ipsius vitæ remediis, die septimo mensis Scheualis, & eo quidem ipso in loco, quo manum cum patre quondam conseruerat, relictis hisce rebus humanis instabilibus, ac perpetuæ vicissitudini obnoxiis, ad certas animorum in altera vita sedes migrauit; quod ipsum eodem, post decessum prophetæ Muhametis, anno contigit Iↄ cccc xxvi, quem paullo ante posuimus.

Mors Sultani Selimis decem continuis diebus occulta, nec ab vllis in exercitu palatino militibus animaduersa fuit. Ferhates autem bassa, ne qui tumultus, ob excessum eius ex hac vita, prætorianis ab agminibus, vti plerumque Sultanis extinctis fieri solet, excitarentur; quãta poterat celeritate maxima, quosdam e suis Manissam, quæ priscis erat Asiatica Græcorum Magnesia, cum litteris ad Sultanum Suleimanem, Selimis filium, perscriptis misit: quibus in litteris eum & de patris morte certiorem reddebat, & vti confestim, nulla prorsus itineri mora interposita veniret, hortabatur. Pellectis hisce litteris, non illubenter itineri se Sultanus Suleiman accinxisset, regni paterni, ad quod per eas vocabatur, occupandi causa: sed quod aliquid fraudis subesse vereretur, ac patris sæuiciem, tot hactenus immanissimis suorum probatam cædibus, non ignoraret; mouere se loco non fuit ausus, prȩsertim quum vnius Ferhatis epistolam, quam nullæ ceterorum bassarum litteræ comitarentur, suspectam haberet. Noluerat autem Selimis obitum Ferhates vel ipsis patefacere bassis ante, quam sui Suleimane secum adducto rediissent; ne res cum pluribus communicata, quemadmodum plerumque fieri consueuit, imprudentia tamdem alicuius emanaret. Sed quum suos incassum missos, nec habitam sibi soli a Suleimane fidem, animaduerteret: non diutius rem differendam, sed ceteris bassis, & in primis quidem Piri, statuit aperiundam. Quapropter hominem sibi fidissimum misit, qui secreto mortem Selimis exponeret. Ea cognita, mox in castra venere consiliarij principes; quumque suis oculis Sultanum vita defunctum conspexissent, cum nouis ad Suleimanem a Ferhate bassa scriptis, suas quoque coniunxere litteras, quibus exemtum haud dubie rebus humanis patrem adfirmabant, & filio causis pluribus ostensis auctores erant, vti quamprimum ad se, præcipiendæ præsertim seditionis castrensis ergo, quam Genitzari, morte sui principis intellecta, per ipsius absentiam moturi essent, properaret. Hæ litteræ de consilio bassarum creditæ fuerunt Ispahoglanorum tribuni legato siue vicario, quem Tihaiam dicere barbaris mos est; vt permutatis ad celeritatem equis, eas ad Sultanum Suleimanem perferret. Simul eidem iniunctum, serio monitum Suleimanem vrgeret, vt in viam sine dilatione se daret, ac omni eniteretur opera; quo prius, quam militum prætorianorum turbulenta natio, comperto patris ipsius interitu, seditionem concitare, Constantinopoleos diripiendæ causa, posset; ad vrbem ipse conuolaret, ciuiumque bonis ab insolentia militari vindicandis, in tempore de suis bene mereri occiperet. His denique redditis sibi litteris, subito Sultanus Suleiman relicta Manissa, Constantinopolim perpetuo contendit itinere; summaque festinatione vsus, ad opidum Vscudarense, trans Bosporum, e regione Constantinopoleos situ, peruenit. Traiecit huc ad ipsum tribunus Genitzarorum, quem Agam illi dicunt, & biremi exceptum (caicam Turci vocant) trans fretum Bosporium Constantinopolim vexit. Ibi vero ad locum traiectus, quem gentes illæ scalam nominare vulgo solent, Genitzarorum cohortes ei frequentes occurrerunt, quos ipsorum Aga compellans: En Padischachus vester, en imperator, ait. Ad quam vocem mox illi ante Suleima-

nem ordine incedentes, velut imperatorem ad seraium palatiumue regium deduxerunt. Secundũ hæc, congiarium ab eo Genitzari, paulloque largiores annonas petierunt, & haud difficulter obtinuerunt. Postridie funus Sultani Selimis in vrbem Cõstantinopolim illatum ductumque fuit, & exsequię siue preces, quæ Turcis Inamasi vel Namasi dicuntur, celebratæ. Quæ omnia dum rite curarẽtur, pedes ante paternum funus incedebat Sultanus Suleiman filius; atque ita deportatum cadauer ad meschitam, cum imareto coniunctam; quæ quidem ædificia duo viuus ipse construxerat. Illic in monumento, pro cõsuetudine Osmanidarum, conditus fuit. Sultanus autem Suleiman, peractis exsequiis paternis, ad seraium palatiumue Sultaneum se contulit; & occupato throno regio, die XVII mensis Schaualis, anno Muhametano IↃCCCCXXVI, Padischachi Turcorum & imperatoris munus ac dignitatem est auspicatus. Chr. 1

IO. LEVNCLAVII
HISTORIAE MVSVLMANAE TVRCORVM LIBER XVIII.

DE SVLTANO SVLEIMANE SCHACHO secundo, e codice Verantiano.



Potitvs rerum Suleiman Schachus, post aliquot mẽses militum suorũ magnas conscripsit copias, de Belegradi obsidione cogitans, quod est in limitibus Zirforum & Vngarorum, ad confluentes amnes, Danubium Sauumque, situm opidum; idq; ne temere, nec irrito conatu adgrederetur, adparatus ad oppugnandum & expugnandam munitionem maximos fecit.
Chr. 1521. Anno denique IↃCCCCXXVII, die mensis Zumasiul-Euelis vndecimo, belli fecit in Europa gerẽdi principium; misso Rumiliæ vel Europææ Romaniæ beglerbego, qui castrum munitissimum vi caperet, quod Sabatziam nostri adpellant, Turci Bogiurtulen, vocabulo significãte castellum noxiæ, vel pestilentis herbæ: cuius ea nominis erat ratio, quod sępius antea cruẽtis ac feralibus inter Vngaros Turcosque prœliis de illius possessione pugnatum fuisset; quum ad Sauum commodissimo positũ loco, traiectum fluminis ei⁹ ex agro Zirfiano in Sirmiensem Vngaricum, tueatur. Beglerbegus Sabatziam cum exercitu profectus, vbi primum ad arcem venisset, milites impetum summis in eam viribus dare iussit; & feliciter expugnatam cepit. Abire tamen hoc fine multo sanguine nõ potuit, quum vtrimque plurimi caderent, & non paucorum inter Christianos nobilium a ceruicib⁹ recisa capita, pro more barbarorum, cũ honestioris loci condicionisq; mancipiis, ad Padischachum perferrentur.

Piris deinde bassa præcedere, de sententia Sultani Suleimanis, cum exercitus aliqua parte Belegradum vsq; iussus fuit; vt eius opidi, quod obsidere decreuerat, populum vniuersum aduentu subito & inopinato, circũfusis, pro more, militibus intra munitionem & mœnia compelleret, atq; hoc modo quoddam obsidionis initium faceret. Ipse nulla dilatione interiecta, præmissas secutus est copias: quumque propius ad Belegradum accessisset, apte machinas collocari bellicas, fossis & vallo castra muniri, cuniculos agi curauit; quibus absolutis, ignem puluerį tormentario, cuius magnam hinc inde copiam per cuniculos abdiderat, immitti iussit: vnde factum, vt vi dicti pulueris opidum Belegradense cum munitionibus suis æquatum terræ subrueretur: vtque paucis exponatur, quem obsidio finem habuerit; venit

in

in Sultani Suleimanis Osmanidæ potestatẽ Belegradum, anno post excessum e terris Musulmanorũ prophetę Muhametis ɪↄ cccc xxvii, mense post susceptam hanc expeditionem quinto, nimirum die xxvii benedicti faustique mensis Ramazanis, quemadmodum loqui more suo Turci solent.

Sequẽti deinceps anno ɪↄ cccc xxviii, die xx mensis Rezebis, alteram Sultanus Suleiman instituit expeditionem, vt opidum & insulam Rhodum in potestatem redigeret. Diebus vero quindecim prius, quam loco se moueret, vt bellum ad hoc proficisceretur, Mustapham bassam cum classe Rhodum mari p̄misit: ac postea Padischachus ipse, trãsmisso freto Bosporio, cũ terrestrib⁹ copiis in Anatoliam traiecit, rectaq; versus prouinciam Mentesianam, qua contineri obiectam Rhodo Lyciam, suo † loco diximus, perrexit; portumq; petiit, & scalam siue locum traiectus, vbi quamproxime Rhodus a continẽti abest, cui nomẽ Marmara Turcis, aut Marmora, sicut Græci enuntiant. Hoc e loco milites nauigiis in aduersam transuecti fuerunt insulã Rhodum, quos secutus imperator, ad vrbem insulę cognominẽ cũ copiis vniuersis, tã terrestrib⁹, quã maritimis, accessit; eãq; artissima cinctã obsidione, tũ versus insulã, tum ab altera parte mari clausit. Ad primũ Sultani Suleimanis aduentũ Christiani, quotquot erãt in vrbe, magnisque sumtis animis, eã contra vim Turcorum ꝓpugnaturi videbantur, mœniũ pinnas variis exornauere pannis sericis, & coccineo colore (scarlatũ vulgo nominant) tinctis, quos purpureos & ostrinos prisci dicere solebant. Simul alia q̃dam edebãt animorũ exsultantiũ signa, quasiq; prænuntios felicis rerũ exit⁹, a sua parte triũphos. Nec vbi deinde Turcis oppugnãtibus, illis vrbẽ defendentib⁹, vtrimq; serio ventũ ad man⁹ esset, quidquã ex hac in eis alacritate deminutum: sed omnis hostiũ diu retusus impetus, & incredibili virtute sic defensa Rhodus fuit, nulla tãdem vt reliqua Suleimani esset via, qua se voti cõpotem futurum sperare posset. Mons tamen ab vrbe nõ procul aberat, & quidem e regione situs; quo Turcorũ princeps diligentius inspecto, ꝙ extremũ & vnicum ad expugnãdam ciuitatẽ offerre se remediũ videbatur, tẽtandum statuit. Quippe non solum quidquid in castris erat agrestium, calonũ, & reliquæ inutilis ad arma turbæ, curandisq; sordidis operis destinatæ, quos sarechores dicere Turci solent; verumetiam milites ipsos sumtam ex eo monte terram ad vrbis fossas deportare iussit, ac ꝓtrudere: quo tamdẽ effectum, vt labore, propter operarũ multitudinẽ, deproperato, Rhodiorum fossæ, vel inuitis ipsis, complanarentur. Simul bellicorũ omnis generis tormentorum vi munitiones vrbis, & turres, & mœnia deiecta fuerũt; actisque nouis sub terra cuniculis, suffossa murorũ & reliquorũ ædificiorum fundamẽta: quibus operibus, diuersis in locis, interdiu noctuq; continuatis, diruta denique cõplura fuere ꝓpugnacula, nec aditus in vrbem barbaris vna patuit via. Quamobrem obsessi, tamque ferociter hactenus oppugnati Christiani, quod ad extrema se redactos, laboribus ac vigiliis exhaustos, partimque vulneribus confectos, partim ob cæsorum multitudinem magnopere deminutos viderent, abiecta tuendæ diutius vrbis spe, cogitare de faciunda condicionibus quã maxime tolerabilibus deditione, cogitare cœperunt. Princeps vrbis, qui † Megalo-Mastor adpellabatur, & ipse breui ciuitatem in hostis potestatem venturam animaduertens, missis ad Sultanum Suleimanem legatis, ignosci tam sibi quam suis petiit; Rhodumque se deditorum ipsi pollicitus est, si condiciones hasce sequentes admittere vellet: Nimirum, vt eis facultates & opes suas secum auehendi copia fieret, nulli Christiani Rhodienses a Turcis in seruitutẽ abriperentur, nec ipsorũ vxores & liberi ius ingenui status libertatemue pristinã amitterent, sed omnes suis maritis ac parentibus relinquerẽtur. Has deditionis leges quũ Turcorum princeps adprobasset, ac de omnibus ad eã spectantibus vtrimq; cõuenisset: egressi extra vrbẽ incolę, munera Padischacho quædã obtulerunt, in eius conspectum admissi; traditaq; Turcis Rhodo, facultates & opes suas, ex vsu commodoq; suo, non vrgentibus eos nimiũ Turcis, nec vllã vim inferentibus, exportarunt; demũq; cõiugibus ac liberis etiam suis vtriusque sexus eductis, in nauigia sua se contulerunt, & in Italiam, quæ populis orientalibus Frankia dici-

† Pandect. cap. 216.

tur, abierunt. Erant in vrbe carceres mancipiis pleni Musulmanicis, quæ deditione facta, diuturnis erepta vinculis, libertatem recuperarũt. Et potiti Rhodo fuere Musulmani die tertio mensis Seferis, qui tunc Christianorum more computando, vigesimus & quintus erat Decembris, anno Muhametano ıɔ cccc xxix, hoc est, in fine cıɔ ıɔ xxii, & sub initium cıɔ ıɔ xxiii anni Christiani. Nec Rhodus tantummodo Turcis cessit, tota cum insula; verumetiam subditum iisdem Rhodiis antehac opidum & insula Stanco, priscis Cos, vna cũ alia quadam eorumdem arce, quam in Anatoliæ continenti sitam Turci Bedrum, nostri Sanctum Petrum, vel Sancti Petri castellum vocant, in potestatem barbarorũ venit. Græcus quidem interpres horum, non diffitetur Bedrum esse castelli vel opidi nomen; sed haud scio, an non imperite dictum adiiciat ab Hippodromo, voce Græca; quasi nõ a Petro, sed Hippodromo fuerit adpellatum, quem illic exstitisse significat. Fieri quoque potuit, vt Podromum nostri occidentales, religionis causa, in S. Petrum commutarent.

Sultanus vero Suleiman, his gestis rebus, Rhodum reliquit; & Constantinopolim reuersus, ibidem nonnihil quiescendi causa mansit. Iussu autem ipsius in Anatoliam Ferhates bassa iam ante transierat, vt Schachi Suuarensis filium, quem supra diximus Alim Schach--Suuar-oglium fuisse nominatum, e medio tolleret, ac regionem Dulgadiriam prorsus in prouinciæ beglerbegatusue formam redigeret. Eius principis ditio Marassum metropolim habebat, vrbem propter Euphratem fluuium, in Armeniæ Cappadociæque finibus, Mesopotamiam versus sitã, & Marassum, a Marsya fluuio, de quorumdam opinione, dictam: idemque suæ regionis intra limites, longe spatiosissimos Asiæ superioris campos tũc possidebat, quibus a Turcis hodieque nomen Zibuc--oua, siue planiciei Zibucciæ datur. Et hæc ipsa planicies nobili Armeniæ municipio Erzintzani finitima est, vt † alibi a nobis ostenditur. Nomen lingua barbarorum accepit a virgis & virgultis. Quippe Zibuc aut Sibuc-oua, virgarum campum significat. Nec vna vocabulum hoc habet in Asia planicies, sed duabus, ceteroqui diuersis, datum a Turcis; quod suo quoq; * loco docuimus. Erat autem Alis begus antiquo maiorum suorũ iure legitimus & indicatæ modo ditionis, & Dulgadiriæ totius, tũc a Turcis maiori ex parte possessæ, dominus & heres, velut ex Aladeulia familia Dugadirogliorũ prognatus. Sed insidias Turci non tam ipsi, quam regno struebant; quod vndique suos intra fines conclusum, ab extraneo principe, quantumuis Musulmano, possideri moleste ferrent. Quinetiam verebantur, ne iam ante maiorũ ditioni, regnante Sultano Selime detracta, princeps hic aliquando præpotentis alicuius vicini regis, Ismailis puta Sofini Persici, q. tunc adhuc superstes erat, auxiliis recuperaret. Propterea fatentur ipsimet auctores historiæ Turcicæ sinceriores, per calumnias apud Sultanum Suleimanem fuisse delatum; quum constet, Osmanidas intra sui limites imperij viros principes, antiquis & illustribus natos familiis, ferre nullo modo posse; sed in hoc totos incumbere, quo tandem his sublatis, omnem ab eis sibi metuendi causam remoueant, & ipsorum populos in ordinem redactos, leges Osmaneas accipere cogant. Missus autem hoc nomine Ferhates aduersus Alim, ne Rhodio bello necdum finito, temere nouo, nec minus fortasse graui futuro, Turcos suos implicaret; astu rem omnem conficiundam statuit, tanto certiori euentu, quod innocentiæ suæ sibi cõscius Alis, ac propterea nihil a Turcis insidiarum, nullam vim metuens, facillime circumueniri posse videretur. Accessit igitur ad Suuaroglij fines suis cum militibus, absque maleficio, nec vllum præire passus rumorem, ac si veniret infesto in eum, & hostili animo. Quumque iam ab Ali bego non procul abesset, ægritudinem simulare cepit, & missis ad eum legatis, aduentum suum significari iussit; quasi summopere peteret, vt in hac imbecillitate virium, quæ subito ac præter exspectationem ipsum destituissent, ad se venire non grauaretur. Habere se, quæ secreto, maximis de reb9, cum eo communicaret: adeoque sic vrgente mortis imminentis & fati lege, quæ nullas admittat indutias, in ipsius & filiorum præsentia, supremæ voluntatis elogium, testamento condito, nuncupaturum: & quando

† Pandect. cap penult. in itinere Suleimanis, castris LVIII.

quando nullum in iis finibus nec amiciorem, nec fidum magis Osmaneæ familiæ sciret, eidem creditos sibi Sultani Osmanidis exercitus traditurum. Nihil in Osmaneos vmquam Alis begus admiserat, sed inde vsq; a primis adulescẽtiæ annis summa semper eos fide coluerat. Quapropter nullũ ne suspicioni quidẽ, nedum diffidentiæ, locũ relinquens; nõ solus, sed filiis omnino quatuor comitatus, ad Ferhatem bassam properat: qui fraudis & imposturæ successu lætus, perfidiæ spreta infamia, patrẽ cum filiis quatuor, e vestigio iussit interfici. Quo facinore patrato, necatique Suuaroglij principis ditionibus, ac subditis, Osmanidarum adiunctis imperio; festinatis itineribus ad Sultanum Suleimanem rediit, & ad eum, occupationi Rhodiæ vrbis intentum, venit.

Secundum hæc, quũ occupata Rhodo Constantinopolim Sultanus Suleiman victor reuersus esset; tumultum ac seditionem in vrbe Genitzari, die XXIII mensis Rezebis, excitarunt; & vi tam Aiasis bassæ, quam Abduselamis supremi Dephterdari, vel ærarij Cameræque (sicuti nostris in aulis modo loqui solemus) præsidis ædes expugnarunt, ac diripuerunt. Nocte vero proxima, Mercurij diem secuta, militari denuo concursu nocturno, turbisque suscitatis, Ibrahimis & Mustaphæ bassarum domos vi perfractas & apertas ingressi sunt; sed ab insolentia, qua superiori nocte in diripiendis Aiasis & Abduselamis ædibus vsi fuerant, abstinuerunt.

Prima Sultani Suleimanis aduersus Vngaros expeditio, qua Belegradum eis ademit, paullo ante a nobis est exposita. Nunc sedatis Genitzaris, alterius iisdem inferendi belli consilium cepit: ideoque publicari voluit, expeditionem se magnam suscepturum; vti milites scilicet ad eam se pararẽt. Quumq; suorum gerendis armis idoneorum ad quinquaginta, vel sexaginta potius millia collegisset; versus Vngariam profect⁹, Sauum, Drauum, Danubiumque pontibus strauit; & exercitu traducto, quædam opida passim illo in itinere cepit; ac regni caput, vrbem Budam, petendam & occupandam statuit. Rex autem Vngarus, quem Kiralem sua lingua dicunt, infesto Sultani Suleimanis aduentu cognito; & ipse cõscriptis militib⁹ suis, qui toto corpore muniti ferro cærulei coloris erant; insigni cũ adparatu rerũ bellicarũ Turcis occurrit. Quum alter ab altero nõ procul abesset exercitus, tamdem die quodã Mercurij, circa nominatã nobis horã vesperarum, Turcis Ikindinam, tertiã scilicet a meridie, Christiani man⁹ cum Islamis (ita Musulmanos se dici velle, sępius indicatum) conserere ceperũt: statimq; tam acri concursum vtrimq; prœlio, magna vt hominũ edita strage, nonnulli etiam insignes viri mortẽ inter pugnãdum oppeterent, alij grauissime vulnerarẽtur. Vbi tẽpus ad aliquod fortiter vtrimq; dimicatũ fuisset, solutis deniq; Christianorum acieb⁹, etiã ipse rex fuga sibi consulere volẽs, casu quodã interiit. Tũ vero terga dantibus, & effuse fugientib⁹ vndiq; Christianis; hostes Turci superatos acerrime persecuti, partim occidere, partim viuos in potestatẽ redegerũt. Suleiman Padischachus tam illustri prœlio victor, rebus apud Vngaros tũ aliis plurib. ex caussis, tũ insperato regis interitu misere pturbatis, victoriam prosequi, & vlterius intra regni viscera, cum victricibus penetrare copiis decreuit. Hoc modo nemine prorsus occurrẽte, nec vsquã progressum ipsius impediente, ad Vngarici regiã imperij, Budam pṽenit; eaq; nullo resistẽte potitus, quum aliis exercitum spoliis, tum mancipiorum sexus vtriusque maximo numero ditauit. Acciderunt autem hæc ex voto Musulmanorum, anno Muhametis prophetæ terris erepti IↃ CCCC XXXII.

His rebus in Vngaria feliciter gestis, occupataq; regũ sede Buda; militẽ Sultanus Suleiman suos intra fines reduxit, & Hadrianopolim primo reuersus, ad aliquod ibi tempus hæsit. Inde Constantinopolim profectus, fine deniq; diuturnis itineribus imposito quieuit.

Secutus est in Anatolia Deruisllarorum, qui monachi Muhametani sunt, motus; & in ea quidem Anatoliæ parte, quæ nomen Gielali (nostro more Zelali pronuntiatur) apud interpretem Verantianum habet. Ea quænam sit regio, statim parebit, integro Selasili restituto nomine; quod e superioribus huius historiæ libris, quinto & aliis, lectores adgnoscunt. Intelligitur enim Ancyræ finitimus ager, apud pri-

ſcos adpellatione Galatiæ notiſſimus. Et ipſum Gielas-ili vocabulum, quo regio Gielas ſignificatur, ad Galatiæ nomen alludit; licet eorum obliti nō ſimus, quæ ſuperioribus libris de Selaſſi opido diximus. Sed magis hæc mihi nominis origo placet. Seditionis autem illius auctor exſtitit Calender † ſiue monachus quidā, dict⁹ à nobilitate ſua Zelebis. Quippe natum ſe perhibebat ex antiquiſſimo poſterorum Chazis Bectaſis genere, qui rerum apud Turcos potiente Vrchane Gaſi, Oſmanis filio, (quemadmodum alibi * prolixius commemoratum) quum tegmen album, quod Zercolam barbari dicunt, ante omnes alios ipſius Vrchanis capiti, pro viro ſancto & religioſo inprimis habitus, impoſuiſſet; vſum eiuſmodi Zercolarum coloris albi, Turcis militibus, auctoritate ſua, cōmendauerat. Hic ergo monachus, adiuncto ſibi Deruiſlarorum ſuæ profeſſionis & ordinis aliquo numero, rebus nouis ſtuduit; & cum ſectatoribus ſuis opponentes ſe ſanzacos regionumq; præſides aliquot adortus fudit, fugauit; adeo quidem, vt ad arma, victis illis, vniuerſa ſpectaret Anatolia, nec leue rebus Oſmaneis periculum imminere videretur. Sed ad primum tumultus huiuſce nuntium, Ibrahimes baſſa, cuius deinceps clariſſimum nomen, ac par propemodum auctoritati Sultaneæ poteſtas in Oſmanei regni adminiſtratione fuit, inſigni cum exercitu in Anatoliam, Sultani Suleimanis iuſſu, profectus; Calenderem hunc inter ipſa potentiæ creſcentis initia, ſuis cum Deruiſlaris, & aliis ſeditioſorum copiis, oppreſſit. Auſus enim cum Ibrahime congredi monachus, infelici ſucceſſu pugnati licet fortiſſime prœlij, ſua cū factione victus, occubuit. Ita rem geſtam narrant alij, quos Annalium Beccanorum inte[illegible]es eſt ſecutus: Verantianus autem tradit, ab Ibrahime baſſa captum, & interfectum fuiſſe.

† Pandect. cap. 171.

* lib. IIII hiſt. Muſulm.

Oppreſſis in Aſia Deruiſlaris, & motibus eorum ſopitis, tertium Sultanus Suleiman bellū Vngaris intulit. Quum autem iam fines eorum ingreſſus eſſet, occurrit aduentanti Banus Erdelienſis, quo nomine Turci Ianuſium Vaiuodam Tranſſiluanienſem intelligunt; præſtitaque Padiſchacho Suleimani obœdientia, (libet enim ipſius interpretis Verantiani verbis vti) ſe in eius poteſtate futurum promiſit. Viciſſim Padiſchachus captam Vngariæ regiam Budenſem ei tradidit, Vngarorumque regem conſtituit. Vlterius inde cum exercitu progreſſus, Viennā adiit, & obſidione cinxit. Quūq; directis in eam machinis bellicis, cuniculis actis, militibus in ipſas hoſtiū munitiones immiſſis, vrbem grauiſſime XX diebus continuis oppugnaſſet, iamque partem propugnaculorum aliquam diruiſſet, nec oppugnandi finem prius facere vellet, quam ea vi deditioneue potitus eſſet: hiems acris eum, præter exſpectationem, & ipſum anni tempus, oppreſſit; adeo quidem, vt cadentibus ex aëre largiſſimis niuibus, & hiberno frigore ſæuiente, tanta diutius incommoda nec ipſi milites, nec iumenta tolerare poſſent. Quapropter obſidionem vrbis ſoluere coactus, ex regionibus iis cū exercitus reliquiis diſceſſit, & Conſtantinopolim abiit. Incidit autem hæc expeditio Sultani Suleimanis in annum Muhametanum IↃ CCCC XXXV. C.152

Secundum hæc ſollemni ritu & pompā circumcidere, pro more Muſulmanorum, filios tres Suleiman pater inſtituit. Eam feſtiuitatē barbari Duzunem ſiue nuptias, & Zunettum nominare ſua lingua ſolent; ac volebat hanc pater in vrbis ea celebrari area, quam vulgus vel aream ſerpentum, a trium inter ſe conuolutorum ſerpentum columna, de qua dictum † alibi; vel Atmeidanem, tamquam equorum aream, ſiue Græco vocabulo Hippodromum, vocare ſolet. Circumciſi fuerunt, hac durante celebritate, filij Suleimanis; Sultanus Muſtapha, Muhametes, & Selimes, anno Muhametano IↃ CCCC XXXVI, menſe barbaris Silchade nominato. Chr.

† Pan cap. 1

Annis poſt hęc duobus elapſis, q uūa morte Muhametis ann⁹ IↃ CCCC XXXVIII agetur, iterum Conſtantinopoli Sultanus Suleiman die menſis Ramaſanis VIII diſceſſit, maximo cum exercitu Hiſpano principi bellum illaturus. Eo nomine Karulus imperator Auguſtus a Turcis intelligitur, qui fratrem Ferdinandum Cæſarem, nō deſignatum modo, ſed etiam ritibus antiquis diademate coronaque cinctum Vngariæ regem, aduerſus clientē Suleimanis, Ianuſium Erdelij Vaiuodam, regni de ſententia C.153

noſtrorum

nostrorum vsurpatorẽ, defendebat. Hac in expeditione Padischachus Suleiman ad ipsos Alamanorum fines vsq; progressus, in eorũ agros Turcicas immisit copias, spatioque mensium duorum in iis locis sua circumtulit arma; quocumque veniret, omnia ferro & flammis euastãs. Giafiri (sic Christianos Turci nominare consueuerunt) aperto Marte Suleimani nusquam occurrebant, (Turcorum verbis vtor) nec suas ei vires, quasi qui prœlio de rerũ summa decernere cuperent, obiiciebant: sed a fronte dumtaxat, & a tergo, & ab vtroque latere furtim Suleimanis agmina carpebãt; ac passim defatigatos, & viribus exhaustos, ob molestias itinerũ, milites intercipiebant. Hoc denique modo mancipiorum Turcicorum numerus haud exiguus in eorũ potestatem venit. Inter alia contigit, vt Casumes Vaiuoda, (sic Vngarorum more cognominabatur, apud quos diu militauerat, vti sequentibus e libris adparebit, tamquam dux siue capitaneus) Michalogliorum familia nat⁹, bona Padischachi venia cũ duodecim Akinzilarorum voloniumue millibus, ex Europæa Rumilia collectis, ab exercitu reliquo discederet; vt penitius in hostium fines progressus, opima suos præda collocupletaret. Variis hi milites opib⁹, ac spoliis amplissimis potiti, quũ infinitam rerũ mancipiorumq; copiam secum traherent, in castra redituri, prius sane, quã cõiungere cum suis se possent, in aditu derbenti cuiusdam (sic fauces & angustias viarũ barbari dicunt) armatis Christianorum copiis occurrerunt. Erãt ex Alamanorum hi natione milites, qui onustos præda Turcos, expediti; nihil tale metuentes, ab exploratoribus edocti suis; defatigatos, recentes; inermes, cataphracti; ignaros deniq; viarum, ipsi regionũ suarum peritissimi, subita quadam impressione, ac præter exspectationem adorti, tãtam eorũ ediderẽ stragem: vt animosissime dimicantes ceteroqui Turcos, hostileq; diu sustinentes impetũ, propemodũ ad internicionem delerent. Casumes quidẽ Vaiuoda fatali casu cęsus occubuit, & ex Akinzilaris illis alij pro religione Musulmana mortem oppetentes, in martyrum canonẽ a suis relati, proq; ipsorum opinione Sehidi facti sunt; alij nec hostibus resisti posse, nec vllum vsquam effugium patere vidẽtes, victoribus Alamanis se dediderũt, & in seruitutem abducti mancipiorum more fuerunt. Et quoniam exactis iam mensibus æstiuis, non multo post hiems erat adpropinquatura: non diutius in illis hærendũ locis Padischachus statuit, sed itinere conuerso, suos intra fines, ac deinde Constantinopolim se recepit. Illic vero dum subsisteret, Sultanũm Mustapham filiũ natu maximũ, ex vrbe dimissum, sanzacatui siue prouinciæ, quam ei donauerat, pesse iussit. Eius sanzacatus nomẽ in historia quidem Verantiana nõ exprimitur, sed Annales Beccani Manissam Anatoliæ, veteribus Asiæ minoris Magnesiam, vsitatam maximorum natu Sultanidarum sedem, diserte nominant. Ad Amasianam tamen prouinciam deinceps eum translatum constat. Et gesta fuerunt hæc, quę de Suleimanis Alamanica rettulimus expeditione, cum ceteris, anno Muhametano ıɔ cccc xxxix. Chr. 1533.

Interea vero, dum ꝓfectus ad Alamanicũ bellũ Padischachus, rem nauiter aliis in locis gerebat; classem princeps Hispanus instruxit, eiq; ducẽ præfecit, cui Andreas Doria nomẽ erat. Cũ illo vires mari suas etiam Megalo-Mastor cõiunxit. Ita magnum militiæ Rhodiæ magistrum ac principem hodieq; Turci, vocabulo a Græcis accepto nominare solent. Accesserunt & aliorum Italiæ principum auxilia, quæ quidẽ ex icti contra Turcos cum Hispano fœderis legibus summittebantur. Megalo-Mastor is erat, qui superioribus annis ꝓximis intra Rhodi mœnia conclusus, obsessus, & ad extrema redactus; Sultani Suleimanis humanitate saluus, impetrata delictorũ (sic Turci loquuntur) venia, post vrbem deditam euaserat. Erat horũ classis vniuersa rebus ab omnibus instructissima, qua quidẽ naues maiores quinquaginta, totidemq; triremes, & hominum armis idoneorum ad xxvcıɔ continebantur. Ea cum classe, copiisq; naualibus, inopinata nauigatione Moream, Peloponesum priscis dictam, petierunt; primoque statim impetu Coronen, nobile regionis illius opidum, & Balubadram, (corruptum ex Palæopatris nomen est, quo Patræ veteres significantur) & arces geminas, quibus ostium Corinthij, nunc Lepantini, Naupactiiue sinus vtrimque

clauditur,(Dardanellos adpellare vulgo solent) in potestatem redactas occuparunt. Inde pedestrib⁹ equestribusq; copiis,quas secum suis in nauigiis aduexerant, in Moreæ passim regiones a mari remotas,& mediterraneas immissis,vniuersam diripuerũt;maxima feminarum & puerorũ multitudine secum abacta, proq; mancipiorum cõdicione satis duriter habita: quæ quidem anno post extinctum prophetam Musulmanorum Muhametem ↀcccccxxxix acciderunt. Chr.1533.

Adquisiuerat superiorib⁹ annis,multo ante,quã hęc gererẽtur,ex egregiorũ facinorũ fama nomẽ illustre quidam Mitylenæus,ex insula Lesbo nimirũ oriundus;quẽ Iognolli titulo Turcicæ cohonestãt historiæ, quo iuuenes & viri animosi,sponteq; in prœlia ruẽtes, ornari a barbaris solẽt. Ceteroqui propriũ ei nomen Hairadin erat,& tã indole,quã manu promptus, eximia virtute bellica pstabat. Piraticam quoq; diu fecerat,& in Christianos mari sæpissime dimicarat. Quibus impulsi facinoribus complures ei⁹ similes Iognolli, rerũ gerendarũ auidi,cũ ipso se coniunxerant; & fabricatis instructisq; nauibus, hinc inde maria pcurrebãt,vt rẽ facerẽt. Tamdẽ cum suis in id mare delatus Hairadin,quod versus occidẽtem solem situ, nostri Atlanticum, Arabes & Turci Magribum vocant,ciuitatẽ quamdã Barbariæ,(hoc nomine veteres quoq; maritimam adpellasse constat Africã) erepta Christianis arce,occupauit;quæ ciuitas Cesaira barbaris,& Algierum dicitur,apud priscos Iulia Cæsarea fuisse creditur. Captam semel vrbẽ, psidio satis magno suorum imposito, vigilanter & custodiendã, & in potestate retinendã statuit. Atque his rebus gestis effecit,vt apud Francos (sic Italos Turci vocant) fama nominis ipsius sane quam celebris esset; quum quidẽ ab eis Barbarussa vulgo vocaretur. Quo tẽpore Sultanus Selimes apud Turcos rerũ potiebatur, missis pro more barbarorũ nonnumquã muneribus, obseruare se principẽ illum,& colere testabatur. Hinc eo rebus humanis exemto,quũ Hairadinis nomine dona consimilia successori Selimis & filio, Sultano Suleimani redderẽtur;intellectis Padischachus plerisq; factis eius egregiis,quosdã e suis ad eũ misit, qui hominẽ benignis verbis inuitatũ ád se perducerẽt. Hairadin Suleimanis voluntate cognita,mox opidũ suum Cesairense quorumdã virtuti fideiq; cõmmisit, qui ceteros inter omnes, quorum vtebatur opera,plurimũ excellerẽt: ipse cum honesto comitatu, & aliquot triremibus,Cõstantinopolim abiit, vt honoris ergo Padischachi manũ oscularetur. Is vero perhumaniter exceptũ magnis adfecit honorib⁹, & maris ei beglerbeglucatum siue præfecturã maximã, supra sanzacos insularum Mediterranei maris omnium,quotquot Osmaneo continerentur imperio, dedit; cum annuo quadragies centum millium asprorũ stipendio,quam summam Verantianus interpres ad aureorum, quos coronatos dicũt,octoginta millia,cum explicatis† alibi rationib⁹ nostris omnino consentiẽs, redegit. Præterea maiori hominem dignitate Padischach⁹ ornauit,inter Vezires & consiliarios suos relatum:qua quidem ex causa deinceps a Turcis Hairadin bassa fuit adpellatus. Hinc instructæ rebus ab omnibus, armatæq; triremes cẽtum, Hairadini fuere traditæ:quod mense Silchade facto contra Christianos expeditionis maritimæ principio, bellum eis in Albo mari, quod apud Turcos Acdenizi, Græcis Aspra Thalassa, nostris Archipelagus nominatur,intulit;ac versus Moream,non ita dudũ infestis Christianorum armis petitam, & ex aliqua parte sub iugum missam, Osmaneis ademta recuperaturus, cursum direxit. Posteaquam Christiani de Turcicæ classis,& ipsius Hairadinis aduentu accepissent; relictis opidis,& castellis,& agris in Morea captis,naues suas ingressi sunt,& in Frankiam Italiamue se receperunt. Turci vero,post fugam Christianorum, adductis in ea loca ccc Genitzaris, & ccc Azapis, itidemque cc fabricensibus, & ædificiorum reparandorum peritis, Coronen cum ciuitatibus ceteris refecerunt, præsidiario milite munierunt,inque seruitutem abductorum loco nouis immissis colonis iterum compleruntur, & a solitudine vindicarũt. Hairadin vero bassa, rebus hisce perfectis, eadem cum classe Barbariam versus nauigauit, & ereptam Mauris vrbem Tunisim iurisdictioni suæ subiecit, & ibidem mansit. Ac gesta fuerunt hæc anno Muhametano ↀcccc xl. Chr.1534

† Pandi cap. 18.

ἄσπρη θάλασσα.

Sequitur

Sequitur eodē fere tempore gestum aduersus Azemios Persasue bellū, & vrbis Bagdatinę siue Babyloniæ, q̄ hoc ipso bello Sultani Suleimanis auspiciis in potestatē Turcorū venit, occupatio: quarū rerum initia prius, & occasiones explicādæ. Inter alios ꝓceres Azemios, Vlema quidam begus erat, apud Schachum Tachmasem, Schachi Ismailis filiū, facile primū dignitatis auctoritatisq; locum obtinēs. Is Schacho Tachmase deserto, in Asiaticæ Rumilię ꝓuincias Osmaneas ꝓfugiens, Constantinopolim abiit; ibiq; se in clientelā Sultani Suleimanis, sacramēto fidei ex more p̄stito, dedit. Huius instinctu Padischachus ad expeditionē aduersus Azemios instituendā animum adiecit. Quippe Schachus Azemiorum, eiusq; tam principes, quam subditi, religionē falsam & impiam ꝓfitentur, vt Osmanei quidē existimāt, ab ea plurimum abhorrētes. Reiiciūt enim ꝓphetæ Musulmanorum discipulos & successores, eosq; proterue maledictis incessūt. Huius igitur abominabilis nationis e medio tollēdæ causa bellū hoc Sultanus Suleiman suscepit, & ante omnia sanzacatum Carahemidanū finitimæ Persarū regno Mesopotamiæ, quondam Amidensem nominatū, Vlemæ bego dedit: qui mox Cōstantinopoli militē conscripsit, & inter alios, maxime sibi Iognollos adiūxit, in hostes gerēdæ rei cupidissimos, vti de iis antehac dictū. Cū hisce copiis ad sanzacatum suū perrexit. Imperatū quoq; fuit ceteris eorum locorum sanzacis, vt quocūq; suos Vlema begus ducere vellet, cum auxiliari milite semper illi p̄sto essent, ac subsidium ferrent. Secundum hæc suscepit Vlema begus expeditionē aduersus regulū quemdam e gēte †Curtorum siue Chaldæorum, cui nomen erat Serefes begus; & manu cū eo cōserta, superior exstitit; hosteq; cæso, cui caput a ceruicib⁹ auulsum fuit, ditiones ipsius occupauit, & ꝓuinciæ suę finib⁹ adiecit. Indicatum superius, initio regni Sultani Suleimanis, eum principē, viuo patre, solitum Manissæ degere. Fuerat illi, adhuc priuato, perquā familiaris, & multo gratior etiam post mortē patris, cum eo ad imperiū vocato, Manissa Cōstantinopolim venerat quidā ætate iuuenis, admodum eloquēs, & in speciē pompamque cōparata sapientia quadā præditus, cui nomen Ibrahimes. Is initio mancipium ipsius, paullatim ex domestica cōsuetudine carior, maiores ad gradus honorū cōscenderat; adeo quidem, vt a Sultano Suleimane tamdē dignitate supremi cōsiliarij, quem Vezirazemem barbari dicunt, ornaretur; & tanta sane cū imperij potestate, solius vt Ibrahimis ex arbitrio pēderet tam dare quidpiā, quam auferre; iubere pariter, & ꝓhibere. Quidquid edicere Padischachus vellet, Ibrahimis volūtati obsequebat̃; & quęcūq; de illius sentētia gererentur, rata solebat habere omnia; nullo rerum discrimine, rectene fierent, an sequius. Nullius vtebatur hominis cōsilio, prçterquā Ibrahimis; absq; cuius scitu, adprobatione, mādato, nihil omnino licebat agere. Immo q̄ maius erat, Ibrahimes hic absq; decreto Padischachi sanzacatus & ꝓuincias, quib. ipsi placuisset, donabat. Nec tantū solus ipse supra vezires ceteros eminēs, inspector erat omnium, quę gererentur: sed etiam omnes illi, qui militaribus & ciuilib⁹ officiis fungebantur, ceteris præfecti ministris regiis, ex ipsius plerumq; familia dignitates ad illas euehebantur. Tā propitia deniq; fortunæ blādientis aura votis eius adflāte, spiritus animo concepit immensos, & fastu quodam inusitato se Cōstantinopoli non aliter adpellari voluit, quā Ser askerSultanum, titulo summum imperatorē exercitus Sultanei significante. Struendis etiam Constantinopoli maximis & sumtuosis ædificiis opes ac potentiam suā ostentabat. Inter alia, seraium siue palatium Constantinopoli splendidissimum & amplum in primis cernitur, quod Atmeidanis vel Hippodromi ad aream situm, propemodum infinitis impensis, & regio luxu, conditū ab Ibrahime fuit; q. hoc in ædificio, longe superbissimo, cū numerosa supra modum familia, quoties ad vrbē esset, habitare solebat. Hic igitur Ibrahimes iussu Padischachi Suleimanis in Anatoliā traiecit, & Anatolicis Europæisq; coactis exercitibus, vt Azemiis bellum inferret, ad vrbem Surię nobilem Halepum profectus est. Inde Carahemidam petiit, & Vlemam begum, cui⁹ modo facta mentio, reliquum suis cū copiis anteire iussit exercitum, velut itineris ducem, quod in primis illi viro notum erat. Hoc modo peruentum ad Azemiorum fines, &

† Pandect. cap. 131.

vlterius ad vrbem Tebrisium, regiam Persicam;quam nullis ab hoste præsidiis munitam repererunt,& omnino nemine vires vllas opponente,nec incolis aduersantibus,ingressi sunt.

c.1534. Eodem anno Muhametano ıↄcccc xl, die mensis Silchadis vltimo, Padischachus etiam Osmanides vna cū Capi halke, hoc est, cum militia sua palatina, Constantinopoli discessit; transmissoq; freto Bosporio, per mediam Anatoliam sui ducem exercitus Ibrahimem bassam secutus,Carahemidam venit. Ab altera parte Schachus & rex Azemiorum, quem Schachum Tachmasem sui nominabant, etiam ipse propius ad Tebrisium accesserat; & Ibrahimem bassam militari oppressurus astu prius,quam Padischachus Turcorum Suleiman reliquas illuc adduxisset copias,seque cum Ibrahime coniunxisset;in omnes intentus erat occasiones rei ex vsu suo gerendæ, quo sine multo suorum sanguine, quadam industria potius, quam viribus, quas hosti pares non habebat, insigni Turcos detrimento adficeret,suisque finibus cæsos eiiceret. Ibrahimes autem bassa,dolis & fraudibus his animaduersis,de Schachi Tachmasis machinationibus Padischachum certiorē reddidit. Is vero, quo suis tanto maturius succurreret, duplicare diurna cepit itinera, celerrimaque profectione Tebrisium aduolauit, & Ibrahimis bassæ copiis suas adgregauit. Posteaquam Azemiorum exercitus id resciuisset, atque etiam Turcos accepisset coniunctis viribus in se pergere: nequaquam obuiam eundum statuere, nec aduentum eorū exspectādum,sed recta Sultaniam,sitam versus interiora Persidis vrbem, & sex a Tebrisio plus minusue dierum itinere distantē,se receperūt.Turci vero Persas a tergo persecuturi, quo expeditiores essent, quidquid impedimentorū in castris secum aduectum habebāt,arma nimirum,species aromaticas, sarcinas extraordinarias, currus machinis bellicis oneratos,omnem deniq; grauiorem supellectilem & vtensilia sua,cum pręsidio ıↄ Genitzarorū, triumq; Sanzacorum, suas etiam copias secum retinentiū,Tebrisij reliquerunt: & ipse Padischachus reliquo cū exercitu sine mora Tebrisio mouit,vt Azemios adsequi festinatis itineribus,& confligere cū eis posset.Itaq; fugientibus Azemiis quanto sane maximo poterant studio,Turci a tergo instare non minori properatione desierunt, donec ad opidū Persidis Hemedanem peruentum esset. Ibi Turcos hiems sæuissima cum pluuiis intolerabilibus obruit. Qumque non acri dumtaxat frigore, sed etiam fame milites ex annonæ pænuria vexarentur:multis ita læsæ fuere manus ac pedes,vt eis amplius vti nequirent; plures etiam vi frigoris & famis absumti, prorsus interierunt, quum iisdem ex malis ingens quoque iumentorū numerus extingueretur. Quinetiam in traiectu cuiusdam fluminis,quod Docus-iezid adpellatur a nouem transmissionibus,quibus illic amnem superari necesse est, vehemēs auctarum e pluuiis aquarum impetus eis in ipso transeundi conatu tantum damni adtulit: vt magna mortalium multitudo periret, iumenta penitus aquis absorberentur,sarcinę rerum magni pretij summersæ amitterentur. Dum heic Turci tanto in discrimine vitæ fortunarumque versarentur, ac totis eniterentur viribus,vt incolumitati capitum suorum consulerent:interim fugiens Azemiorum exercitus, ea diligentia celeritateque vsus est in progrediendo,prorsus vt a Turcis sciri nequiret, quonam locorum se recepisset. Quamobrem mutato priori de persequendis Azemiis, & ad pugnæ necessitatem adigendis, consilio & instituto: Bagdatim versus, ad priscæ Babylonis ruinas loco proximo conditam vrbem, recta Turcorum Padischachus exercitum duxit. quumque propius illuc cum copiis accessisset, admissus in vrbem, quieti se dedit. Simul adhibita moderatione conuenienti, ne mortalium animi offenderentur; non vrbem tantum imperio suo, lubenter in eius verba iurantibus incolis, sed vniuersam quoque finitimam illi regionem adiecit. Inde pro Turcico more populis in ditionem acceptis sanzacos begos præfecit, in ipsa vrbe beglerbegum instituit. Castellum etiam egregie refectum muniit, amne Sati (sic nomen hoc Verantianus interpres scripsit) in fossas immisso. Tigrim fluuium intelligi necesse est, quum is vtramque Bagdatis siue nouæ Babylonis vrbem, sicut Euphra-

Euphrates olim veterem, interluat. Nec procul infra Babylonem hodiernam hęc inter se flumina commiscentur. Arma quoque castello Padischachus, cũ praesidiariis militib⁹, intulit. Hoc modo dum in hibernis illic ageret, laqueo necatus fuit mense Ramazane Dephterdar-azemes, hoc est ærarij Cameræue p̃ses, vti nunc aularũ more loquimur, cui nomẽ erat Ischender Zelebis, quo Alexander Nobilis significat. Id homini pœnæ gravioris & supplicij ꝑpterea fuit irrogatũ; ꝙ fœdo peculatus scelere thesauros expilasse regios diceretur: statimq; facultates ipsius omnes beglucatui, siue iuri principis cesserũt. Eodem quoq; tẽpore Manizalu-oglij filius, Husreues Zelebis, (prisci Chosroëm nobilẽ adpellassent) a Padischacho ceu ꝑduellis defecit, & ad hostes Azemios se fuga recepit. Dũ vero Turci ad Bagdatim hibernis in castris hærerent, Azemiorum exercitus ab altera parte, hostiũ discessu cognito, Tebrisium rediit. Ibi tũ milites illi Turcici, cũ Sanzacis, ad vrbis & rerũ in ea depositarũ custodiam excubare iussi, ꝙ sustinendis hostium viribus minime se pares arbitrarentur; vrbem ipsam, cũ exercitus impedimentis omnibus, quæ Suleimane cũ militibus expeditis ad insequendos Persas discedente, ceu dictũ, relicta Tebrisij fuerant, deseruerũt; ac Persicis excedẽtes finibus, diripiendã hosti prædã lõge amplissimã yltro dimiserũt. Itaq; Tebrisium ingressus Azemiorum exercitus, spoliis opimis est potitus. Ex ære machinarũ bellicarũ manguri fuere signati, vile nummorum genus, quod assibus antiqs respõdet. Recuperato Tebrisio, Turcis expulsis, ibidẽ Persę mãserũt.

Interea dũ apud Azemios ista fierẽt, etiã Padischach⁹ Osmanides anno Muhametano ↄↄccccxli, die mensis Ramazanis vltimo Bagdate mouit, Tebrisium reuersurus. Quum vero cõtinuata profectione, non procul ab vrbe cum copiis suis abesset: iterũ Tebrisio digressus Azemiorum exercitus, aufugit. Vt autem Osmaneis omnẽ se persequẽdi facultatẽ adimerẽt, quocumq; venirẽt, agros & loca culta suismet in regionib⁹ euastabãt, & suos secum abducebãt homines, atq; hoc modo merã vbiq; relinquebant solitudinẽ, quacumq; Turcis a tergo secuturis eundum scirẽt. His vero, post discessum Persarum, ad vrbẽ accedẽtibus; visum Padischacho, nequaquam ꝑmittẽdum, vt impune semper hostis elaberetur, ac Turcis illuderet: eaq; de causa selectos ex omni suorũ numero milites præstãtissimos, & quotquot equis vterẽtur optimis, Azemiorum tergis inhærere summa celeritate iussit, & prœlio repertos vbiuis locorũ fugitiuos illos adoriri. Sed quum iam essent in itinere, Padischachi mandatis obsecuturi, vastatas vbiq; regiones & agros inuenerũt. Et qa nusquam vllæ haberi annonæ poterant, ipsis etiam aquis deficiẽtibus: secum ad animos eam rerũ omnium pænuriã reuocabãt, cũ qua deinceps in reditu conflictaturi essent; quãdoquidem nunc, in ipso profectionis initio, nihil ab hoste sibi relictũ conspicerẽt, quo vel homines victitare, vel pasci iumẽta possent. Quapropter extrema sic cogente necessitate, a persequendis vlterius Azemiis destiterunt, ac Tebrisium reuersi sunt. Erat illic id temporis Schachi Azemiorum Tachmasis eximiæ pulchritudinis, & elegantis structuræ palatiũ plane regium; itidemq; regni proceres alij propemodum omnes habebant ibidem ædificia singuli splendidissima; quæ quidem ab Osmaneis in vniuersum fuere destructa, & solo æquata. Præterea populi Tebrisiani pars maior migrare Cõstantinopolim coacta fuit. Vt paucis rẽ totam complectar, & hoc gesta bello finiam; omnes Azemiorũ illę regiones & agri, quos hac expeditione Turci adtigere, tãtis adfecti fuere detrimentis, vt ab extremo parum abessent excidio. Quin & ipsi tã condicionis inferioris, quã locupletes incolæ Persidis, egregie castigati fuerunt; & extremã ad inopiam, fortunis amissis, redacti. Nec Turci Azemiis hęc intulisse mala contenti, iumẽta quoq; cũ pecoribus, quocumq; tamdem adpulissent, iugularũt. His rebus gestis, Carahemidam Padischachus pedẽ rettulit. Quum autem nõ abs re vereretur, ne vaferrimus hostis damnum aliquod abscedentib⁹ suis prę ter exspectationẽ inferret: a tergo copias quasdam exercitũ subsequi iussit, excepturas Azemiorũ impetum, si forte Turcos a tergo carpere, vel etiã viribus inuadere iustis vellẽt. Has agminis extremi velut excubias, Dundarem barbari vocant. Nec sua Suleimanem fefellit opi-

nio. Schachus enim Persicus, intellecto discessu copiarum hostiliū, e Cordziletis suis, quo nomine pτoriani milites nobiliores accipiendi, quib⁹ opima stipendia numerantur, maxime strenuos ad vcıɔ selegit; vt acceleratis ad festinationē itineribus, negotiū Turcis alicubi facesserent ante, quam suos intra fines se recepissent. Hi deniq; dictum adsecuti dundarē, q̃ militū idoneorū ad xviiicıɔ, cū quinq; Sanzacis, Vlema duce, cōtinebat; inopinata prorsus impressione Turcos obruere, tantaque clade cæsos adfecerunt: vt eorum millia duodecim occūberent, deq; sanzacis quinq;, tres interirent; quartus in hostiū potestatē veniret, quintus fugæ beneficio se, cū Vlema bego, Persarū manibus eriperet. Hac tam illustri victoria potiti Persæ, satq; rati vindictæ de Turcis hoc tempore sumtum, ad Schachum suū reuersi sunt. Padischachus autem Carahemida profectus ad vrbem Suriæ Halepum, castris etiam ex eo loco motis, anno post extin-

C.1536. ctum Muhametem ıɔ ccccxlii, Constantinopolim rediit, & ibidem mansit.

Nō multo post, die fausti benedictiq; (sic Turci loquūtur, auspicatū dicere volentes) mēsis Ramazanis xxiii, (& Mercurij dies is erat) Padischachus Ibrahimem bassam sub noctem inuitauit, vt regio secum in seraio cenaret. Ea deinde cena, quæ magnificētior, quā pro more, data fuit Ibrahimi bassæ, finita; mansit in palatio Sultaneo, non domi suæ, sed illic ea nocte iussu Padischachi Suleimanis cubaturus. Ita dormientem interfici Padischach⁹ curauit, & amplissimas extincti facultates & opes, beglucatui siue iuri principis & ærario vindicatas, thesauris suis intulit. Causa vero, cur occideretur, hæc erat; quod Ibrahimes bassa fisco regio fraudem faceret, nec ipsi dumtaxat Padischacho, sed etiam totius imperij prouinciis plurimum suis imposturis noceret. Accedebat aliud crimen, quod ei secreta negotia quędam, nec vulgaris amicitia clandestina, cum Frankis vel Italis intercederent. Itaque necatus fuit

C.1536. anno, ceu dictum, ıɔ ccccxlii.

Hairadin vero bassa, qui superioribus annis proximis cum classe Barbariam inuaserat, & vrbem illic Tunisim Mauris ereptam, occupatamq;, sui iuris effecerat; elatus demum secundis rerum successibus, in terram triremes subduxit, & quieti atque otio indulgens, sollicitudinis omnis expertem agere, plane securus rerum suarum, vitam cepit. Interim princeps ille Tunisinus, qui prius vrbem possederat, & eiectus erat ab Hairadine bassa, Christianos ad inferendum Hairadini sua causa bellum, auxiliis Hispani regis (Karulum hoc nomine Turci Augustum intelligunt) subnixus excitauit. Et Hispanus ei plurimum hac in re profuit, quum totam monere non desineret Italiam, eiusque principes exhortari, ne Tunisinæ vrbis in Africa, communibus auxiliis recuperandæ, peroptatā occasionem, quæ se tunc eis offerret, negligerent; sed imminentis e propinquo periculi memores, quando Barbaria perexiguo maris tractu a litoribus eorum disiungeretur, suæ pariter, ac suorum omnium salutis rationem haberēt. Nec parum Hispani monitus ceterorum principum animos impulerunt, quum alter alteri, momentis rerum examinatis, ostenderet; Barbarussam Tunisi suam in potestatem redacta, paullatim progrediendo facturum & ipsis negotia. Quamobrē prius omnino, quam suos intra fines irrueret, maiorique potiretur imperio, dandam operam, vt in ipsa velut herba succrescens adhuc malum resecaretur. Ictum igitur hoc nomine fœdus inter omnes, ex cuius legibus ad conferendas in commune vires obligabātur. Atque hoc modo factum, vt classis ingēs, cum numerosis militum copiis, & omnis generis armis, instrumentoque bellico, colligeretur. Huic classi supremo cū imperio præfectus ab eis fuit Andreas Doria, cuius ductu tamdē in Africam, Tunisis expugnādæ causa, nauigarūt. Hairadin bassa, quum primum de consiliis hisce Christianorum, & adparatu accepisset; Raisos suos, qui Turcis nauium triremiumque præfecti sunt, Græcis trierarchi dicuntur, conuenire iussit; vti cum eis in concilio re deliberata, quid faciundum, & quanam occurrendum Christianis esset via, decerneretur. Suadebāt Raisi, cum aliquo triremiū nauiumq; numero mari ꝓdeundum aduersus hostes; & prius quidē, quā vires illi cōiunxissent suas, separatim singulos inuadendos, & opprimēdos. Ad eā respondens Hairadin bassa: Siquidem, ait,

ait, sublimi quodam in loco tulipantum meū extulero, de quo conspici a longinquo nostris ab hostibus possit; lōgius ad interuallū retro suas intra regiones fugiendo se recipient, quam æstimari medium queat iter, quo veniēdum ipsis ad nos erit, si bellum heic nobis inferre volent; tātum abest, vt huc cum classe venturi sint, & nostros intra fines nos oppugnaturi. Quo suis respōso dato, superbus & insolens esse cepit; spretisq; viribus & consiliis hostium, quidquid tamdem illi molirentur, flocci se facere, singulari cū fastu securitateq; ꝑtulit. Sed enim Christiani perexiguo tēporis interiecto spatio, magno cum nauiū numero, copiisq; militum armatorum insignibus, Tunisinum ad litus adpulerunt, ac triremib⁹ in portū deductis, suos in terram exposuerūt. Habebat id temporis Hairadin bassa secum ad septem vel octo, plus minus, hominū armis idoneorū millia: qui cum duce suo Tunisinam extra ciuitatem egressi, quātumuis pauci numero, si cum Giafirorū copiis amplissimis conferrentur, tamē in litore maris initio velitationib⁹, inde iusta pugna sic hostiles adorti sunt acies; vt acerrimo conserto prœlio, Christianorum millia plane septem occumberent, ex Islamorū exercitu duobus millibus Sehidorum siue beatorū in numerum, ꝓ Musulmanorū opinione, relatis. Nihilo min⁹ hostiū multitudine superat⁹ ad extremū cum suis Hairadin bassa, pedem rettulit, ac versus munitionem paullatim cessit, vt in eam cum reliquiis suorum se reciperet. Sed occlusas inuenere portas, & supra muros ac portas arcis elata Christianorum vexilla cōspexerūt. Accidit hoc ex ea causa, quod id temporis Hairadin bassa forte Christianorum mancipiorum aliquot millia, cum suis extra Tunisim egrediens, vti cum recēs aduectis hostibus dimicaret, intra munitionem reliquerat. Et erāt hi natione Franki, hoc est Itali, quos hinc inde maria percurrēs, & Italię litora perpetuo piratarum suorū myoparonibus infestans, magno numero Tunisim deportari curauerat, & in vinculis atq; cōpedibus illic detinebat. Ea mancipia, dū foris ipse cum illa militum suorū manu, quā diximus, prœliis aduersus Giafiros animose pugnandis intentus esset; quibuscumq; potuerant modis, & carceribus & compedibus suis se liberauerant, tumultuq; concitato, portas arcis occluserant, arma corripuerāt, vexilla signaq; Christianis vsitata, locis editis erexerāt; munitionis denique tuendæ causa, ne rursus in eam cum suis Hairadin bassa se recipere posset, muros & propugnacula conscenderant, quouis Hairadinios armorum genere telorumq;, munitionis ab aditu reiecturi. Quapropter infelix Hairadinis illa securitas & confidentia, qua Christianorū vires & consilia temere cōtemserat, hunc denique finem habuit; vt insignis ille plurimarū triremiū, aliorumq; nauigiorū numerus, & maximus armorum adparatus amitteretur; & ab hostibus ipse cæsus, ac munitionis ab aditu prorsus exclusus, in grauissimo se discrimine positum, & infortunio, videret. Ergo quod vnicum restabat ad salutem remedium, in fuga celeri positum, extrema sic vrgente necessitate amplexus est Hairadin bassa, cumq; paucis illis, quos e velitationibus & pugnis reliquos aduersus ei casus fecerat, propter munitionē, ab vno eius latere, quo loco liberum patebat iter, transiit; atque ita suos in solitudines, quæ per Africā pleræque reperiuntur amplissimæ, duxit; quod hostē, maioribus licet instructum copiis, nequaquā se per eas, ob annonæ & aquarum pænuriā, insecuturum sciret. Sed difficillimum illud Hairadiniis iter, & extremo propemodū exitio fuit. Quippe siti, fame, calorum, quib⁹ eæ regiones immoderatis adurunt, æstu prorsus intolerabili extincta pars eorū maior interiit. Ad summā, ærumnas ꝑpessi grauissimas, & infinitis cum malis cōflictati, quotquot ex his omnib⁹ superabant, vna cum Hairadine bassa, duce suo, ciuitatē ad illā euaserūt, quā ab annis pluribus occupatā in potestate retinebat, & Cesairā dictā, superius indicauim⁹. Inde cū XVIII triremibus Constantinopolim perrexit, & in itinere, quibuscumq; tādem in locis Italorū terras ac fines adtingere poterat, ferro passim eos & flammis euastabat, ac depopulabatur; vt in ꝑsens aliquo saltim vindictæ genere, quas ab iis acceperat in Africa clades & iniurias, vlcisceretur. Hinc Cōstantinopolim cū suis, anno Muhametano IↃ CCCC XLII, adpulit. Chr. 1536.

Hoc ipso fere tempore profectus Hadrianopolim Sultanus Suleiman, ibidē

hiemauit. Adpetente vero æſtate, Conſtantinopolim rediit, & adparatus belli varios fecit, inſtructa quoq; mari claſſe, cui baſſas duos, Hairadinem Lutifimque, præfecit. Ac ne mari dumtaxat, & per legatos bellum gereret, etiam ipſe Padiſchachus die menſis Silchidzis ſeptimo Conſtantinopoli cum copiis ampliſſimis mouit, in Albanenſium fines iturus, vt bellũ iſtic gereret. Quum Aulonem, quod Albaniæ celeberrimũ eſt opidum maritimũ, perueniſſet; eodem & Hairadin, & Lutifes baſſæ, præfecti claſſis, vt dictum, adpulerunt; & cum terreſtribus claſſiarias coniunxere copias. Perpetuis ea regio montium iugis continetur, in quos ſe Padiſchachus, auræ frigidioris captandæ cauſa recipiens, caſtra locauit. Hinc milites ſuos in Albanenſes, qui eius imperium detrectabant, excurrere iuſſit; ac direptis illorum rebus omnibus, extremam regioni vaſtitatem inferre. Simul Europææ Rumiliæ copias ex Albania trans mare vehi curauit in aduerſam locis iis Apuliam, cum mandato, partes vt illas Italiæ, Neapolitano regno comprehenſas, quod ad imperatoris Karuli iura ſpectabat, & depopularentur, & grauiſſimis detrimentis adficerent.

Accidit etiam hac ipſa Suleimanis expeditione, dum Padiſchachi claſſis per interiectum Albaniæ Corcyræque, Venetorum inſulæ, fretum vela faceret, anguſtaſque fauces illas Corcyræas perlegeret, vt opidi Corcyræ ciues & præſidiarij Chriſtiani, machinis bellicis in Turcos exoneratis, nauigium quoddã globis tormentariis peterent, quod eius erat nauium generis, quib⁹ annonæ militares vehi ſolent, & aliis cum nauibus annonariis ac frumentariis claſſem ſequebatur; idque continuis aliquot ictibus laceratum perforatumq;, mari demergerent. Hoc facinore Venetorum hoſtiles erga Turcos animi ſeipſos prodiderunt, quibus ſane perſpectis, vehementer Padiſchachus excanduit; & claſſis ſuæ præfectis imperauit, vti cum copiis claſſiariis vniuerſis in quaſuis inſulas ac ditiones maritimas Venetorum impetum facerent, & Corcyram inprimis peterent, incolas totius inſulæ captos ſeruituti manciparent, facultates omniũ diriperent, vicos & opida flammis exurerent. Paritum mandato Suleimanis, agriq; cum pagis & opidulis vaſtati flammis, & vtriuſque ſexus mancipia maximo numero nauigiis impoſita, vectaque Conſtantinopolim fuerunt. Eo quum claſſis adpuliſſet, aduerſo Boſporo † Beſictaſim contendit; vbi mancipiis illis Corcyræis in terrã expoſitis, miſſi Conſtantinopolim pręcones, qui per omnes vrbis vicos proclamarent; aduectam Beſictaſim captiuorum Chriſtianorum ingentem, cuiuſuis ætatis & ſexus, multitudinem. Quapropter illuc ſe conferrent, qui mancipia comparare cuperẽt. Hoc modo factum, vt emtoribus eò cõcurrentibus, tanta diſtrahendorũ mancipiorum copia reperiretur; vt ſingula binis, terniſue ſummum, aureis Sultaninis æſtimata diuenderentur. Atq; hi nummi, quotquot e vænumdatis mancipiis fuere collecti, beglucatui ſiue iuri principis & fiſco ceſſerunt. Claſſe Conſtantinopolim profecta, Padiſchachus etiam, relictis illis Albanorum locis, quę bello per æſtatem infeſtauerat, cum ſuis ad vrbem rediit, anno Muhametano ıɔ cccc xliii, die nono mẽſis Zumaſiul-Achiris, & illic ſe quieti tempus ad aliquod dedit.

† Pand. cap. 12. 243

Chr. 1537

Inde conſultatum a Sultano Suleimane de inferendo Carabogdaniæ principi bello, quam regionem vulgo Moldauiam nominam⁹, ex Mordauia, vel Moridauia potius corrupto vocabulo, quo Dauia nigra ſignificatur. Inhabitabant enim quondam hæc verſus Pontum Euxinum loca Daui vel Dai, Gethis ſiue Gothis vicini populi; vnde Dauorum Getharumque comicorum ſeruilia nomina. Liber antiquus de vtriuſque imperij noticia, ſub Duce Scythiæ, Thraciarum ſextę prouinciæ, Sacidauam Capidauamque ciuitates recenſet, quæ a Dauis & Dauia deriuatę voces ſunt. Nec adfirmare dubito, Carabogdaniã Turcico partim, partim Valachico nomine dictam, ad imitationẽ Moridauiæ; prorſus vt Maura Dauia, Caraque Bogdania ſignificati ſint & originis eiuſdem, Nigramque Gdaniam & Daniam, ſiue Dauiam denotẽt, adſtipulante Græcorum quoque vocabulo Mauræ Vlachiæ, ſiue Nigræ Valachiæ, de quo † alibi dictum prolixius. Ipſum Moldauæ fluminis vocabulum ab eadẽ origine deduco, quod

† Pand. cap. 72

Iouius regioni vult nomē dedisse. Posteaquā igitur hæc ab eo decreta fuit expeditio, Constantinopoli digressus est die XVII mensis Seferis,& cum exercitu loca bello destinata petens, ad Danubiū accessit; eumque fluuium ad Ishacluæ traiectum (scalam vulgo Græci pariter ac Turci, populique complures alij dicunt) cum copiis transmisit. Carabogdaniam ingressus, principem regionis, viribus inferiorem, nusquā obuium habuit, cuius tamen aduentus ad ipsos ditionis limites exspectabatur. Quumque fuga periculum ille declinaret, vniuersa Padischacho se regio dedidit. Itaq; nouos, inter Moridauos & Turcos, limites instituit, amnis Burutis vtraque ripa sic terminatos; vt in citeriori parte fluminis detractum ipsis territorium, finibus Turcicis adiiceret; ac nouū Sanzacum præficeret, qui loca recens bello capta cum imperio præsidis administraret. Trans fluuium vero principem regioni dedit, e familia procerum Carabogdaniæ natum, (fratrem alterius fuisse, nostri volunt) qui non Musulmanam, sed Christianam religionem profitebatur. Sed quum deinde regulus ille prior, qui fuga sibi consulens, Carabogdaniæ principatum amiserat, pœnitentia facinoris ductus, quo Sultanum Suleimanem offenderat, delicti veniam peteret, ac Osmaneam ad Portā veniens, vltro se sisteret: benigne receptus in gratiā fuit, & principatui suo, redditis regionibus ademtis, restitutus. His gestis rebus, expeditioni Carabogdanicæ finē Padischachus imposuit, & Hadrianopolim die mēsis Rabiul-Euelis vltimo reuersus, ibidē substitit, ac menses hibernos, tunc imminentes, exegit. Hinc adpetente vere, mensis Silchadis die XXIIII, Constantinopolim profectus est, anno Muhametano IↃ CCCC XLV, & in vrbe, bellicis ab occupationibus tunc quidem abstinens, mansit.

Ne tamen nihil ageret aduersus Christianos, denuo sic iubente Padischacho Suleimane, mari suscepit expeditionem Hairadin bassa, mēsis Seferis initio; quū quidē instructa classe pluribus ab annis infestum sibi quæreret Andream Doriam, Karoli Christianorum imperatoris classi præfectum, quocū maritimo prœlio confligere cupiebat. Huic vt occurreret, varia Francorum Italorumue loca hostiliter inuasit, regionum & opidorum incolas, flammarum & ferri metu compulsos, tributarias collationes præstare coëgit, aliaq; ferre grauamina, suis vt inimicum a finibus diuerterent, & ab extremo se fortunasque suas interitu liberarent. Hoc modo maria peruagatus, & oras omnes Italiæ, dum hoste suo nusquam reperto, subditæ Suleimani Græciæ litora conuersis velis præterlegeret; tamdem haud procul a Preueza, præter opinionem in eum incidit, quem hactenus tantopere, non exigua maris emensus spatia, quæsiuerat. Preuezæ vero castellum eo situm est, in ostio sinus Ambracij, loco; quo victoria de M. Antonio & Cleopatra potitus Actiaco prœlio nauali C. Cæsar Octauianus Augustus, Nicopolim cōdidisse traditur. Lætus igitur, heic cum se tamdem adsecutum, quocum hactenus adeo congredi desiderasset; mox in aduersam classem pene furibundus cum suis irruit. Dimicatum vtrimq; pugna longe acerrima, Turcis incredibili animorum ferocia Christianos inuadentibus, ac vicissim Dorianis alacritate nō minori barbarorum impressionem excipientibus, diuque ancipiti Marte sustinentibus: donec ad extremum tormētis bellicis perforata quædam ipsorum nauigia mari Barbarussa demergeret, triremesq; duas in potestatem redigeret. Tum demum Doria se viribus inferiorem videns, arrepta cum Giafiris suis fuga, maioris cladis periculū vitauit. Nec Hairadin bassa vel hostem persequendum, vel diutius in mari cum classe manendum ratus, qđ iam sæua tempestatibus hiems præ foribus adesset; reducta suum ad principem victrici classe, Constantinopolim anno IↃ CCCC XLV post extinctum Muhametem, *Chr. 1539.* vltimo die mensis Rezebis, adpulit.

Anno sequēti proximo IↃ CCCC XLVI, *Chr. 1540.* die XV mēsis Seferis, qui tunc Iouis dies erat, noctis hora fere prima, Constantinopoli extra vrbē, ad sinum maris, vrbi, & e regione sito Galathæ opido interiectum, sub carcere maleficiis & criminibus obnoxiorum, in iis tabernis, in quibus vendi pix solet, excitatus ignis fuit; qui aptā nutriendo incendio materiem nanctus, superiora loca petiit, & carce-

rem ipſum accendit. Erat is hoc tempore clauſus, quumque ſubito reſerare fores nemo poſſet; homines in eo ıↄ cc, plus minus, ſic exuſti perierunt, vt incolumis omnino nullus euaderet. Penetrauit hinc in vrbem incẽdium, paſſimque proximas corripere domos quauis ex parte cepit, & publicanorum ad carcerem peruenit. Eo moris eſt includi, quotquot ab Oſmaneo principe vectigalia promiſſis pecuniarũ maximis ſummis conducentes, poſtea ſoluendo non eſſe deprehenduntur. Horum tamen ſaluti maturius conſultum, & apertis foribus, educti prius fuerũt omnes; quam vis ignis incremẽtum ſumeret, quo deinde carcer hic quoq; penitus deflagrauit. Nec minus ab altera parte ſerpens vlterius ignis, trans portam vrbis, quam a lignorum diſtractione Lignariam dicunt, ad forum fabrũm ferrariorum penetrauit, omneſque vicos in ea regione vrbis abſumſit. Hinc alio ſe conuertit, & veteris ad angulum ſeraij ſiue palatij acceſſit, in quo mulierculæ Sultani Oſmanidis incluſæ cuſtodiuntur. Ad inferiora deinde loca ſe demittens, mulionum hoſpitium ſiue Carauanſeraium, vna cum tornionum vel cælatorum ædibus exuſſit; & progreſſus ad vitriarios, balineum variis diſtinctum pictumque coloribus, quod iſtic eſt, abſumſit vniuerſa cum illa vicinia: quod itidem mox carauanſeraio Giurginorum, qui Georgiani ſunt, accidit. Hinc deorſum perrexit ad balineum principũ, & inferius etiam Iudæorum ad ædes; vbi ſcala quoque, ſiue portus eius loci, cum vrbis porta Hebræa, quæ barbaris ſua lingua Gifut-capiſi, vel pronuntiatione noſtra Schifut-capiſi dicitur, verſus vrbis regionem orientalem ſita, conflagrauit. Nimirum hæc omnia loca, quorum facta mentio, totque præterea vici, tot fora publica, quæ in expoſitis regionibus admodum eſſe frequẽtia ſolent, hoc euaſtata perierunt incendio; præſertimque vici Iudæorum ſupra ceteros inſigne detrimentum acceperunt, quod eorum ædificia præalta pariter eſſent, ac maxime ſibi contigua. Fiebát omnino fruſtra, quidquid ad reſtinguendum hoc incendium tentaretur. Quapropter exanimati metu propemodum omnes, nihil aliud, quam vniuerſæ vrbis excidium triſtiſſimum exſpectabant. Ipſimet baſſæ, cum Aga ſiue tribuno Genitzarorum, & vniuerſis cum Genitzaris, hinc inde per vrbem tota illa nocte diſcurrebant: & quamuis omnem adhiberent operam, vt quoquo modo pernicioſus ignis exſtingueretur; nihil tamen hoc labore, ſtudioque ſuo, proficiebant. Itaque ſecutum, vt etiam a diei proximi diluculo, ad horam vſque tertiam poſtmeridianam, quam Ikindinam barbari dicunt, incendium perpetuo duraret: quo mercium opumq; maxima copia periit, partim flammis abſumta, partim ab ipſis direpta Genitzaris, aliiſque mortalibus, ſub ignis exſtinguendi prætextu, rapinas & commoda ſua quærentibus. Et in eas maxime partes vrbis hæ graſſabantur flammæ, quæ omnis generis mercium tabernis & apothecis inſtructiſſimis abundabãt. Extra vrbem vero, maris ad indicatum ſinum, inde a foro † piſcario, vſque ad lignorum ſcalam, omnia ſic concremata penitus fuerunt, vti nec vnum quidem lignum reliquum maneret. Exuſta quoque Zamia ſiue templum Zelebis, hoc incendio periit. Tunc etiam Conſtantinopoli, caſtigante mortales ex decreto iuſtitiæ ſuæ cæleſti numine, peſtilens & contagioſus maxime morbus immani diritate graſſabatur; quum quidem annus ab extincto propheta Muhamete ıↄ cccc xlvi numeraretur. C. 1540.

† Vide cap. 20 ſecunda 4 vrbis ta.

Hairadin autem baſſa denuo claſſe neceſſaria, & omni ad expugnandas vrbes adparatus genere inſtructus, die xv menſis Muharenis aliam expeditionem maritimam eſt auſpicatus; vt opidum Dalmatiæ, cui nomen Caſtellum Nouum, a Giafiris interceptum, ſub Padiſchachi Suleimanis imperium reduceret. Id vero quia non obſidione ſola, ſed etiam oppugnatione grauiſſima perficiendum videretur; vires ipſe maritimas adduxit, vicinis Caſtello Nouo ſanzacbegis, quorum prouinciæ Bozinẽſis regni finibus continebantur, ſuas & ipſis pedeſtres colligentibus copias, ac terra Caſtellum Nouum petentibus; vti coniunctis vtriſque, tanto celerius in poteſtatem veniret. Ad primum Hairadinis aduentum, e nauigiis depromtæ fuerũt, & in terram expoſitæ machinę murales, cum cetero inſtrumento bellico; moreque mi-

que militari sic versus opidum collocata directaque tormenta, certissimis vt pilarum ictibus perforari deiiciq; mœnia possent, aditusque Turcico militi, mox in opidum vi perrupturo, patefieri. Qui erant in præsidio Christiani milites, vltro castelli portas aperuerunt, & Turcis compellatis; Quid agitis? exclamarunt. Cur ad expugnandum castellum tormentis vtimini? Quem tanta vi quæritis, en vltro vobis offertur aditus. Ingredimini per has portas, quas ipsi vobis sponte reclusimus. Sed Turci nihil his eorum moti verbis, astuque Christianorum, & fraudibus ad animos reuocatis; opidi muros adsiduis tormētorum ictibus quatiebant, donec eos tandem ab vna parte diruerent. Tum vero dispositi fuere milites, qui summa vi per ipsas deiectorum mœnium ruinas, vel inuitis Christianis, in opidum irruerent. Sed erant ei præsidio Christianorum ad septem millia, viri pugnaces, animosi, strenui, & inprimis idonei defensores. Vnde factum, vt Turcis in opidum totis viribus irrumpere conantibus, Christianis contra nisu non minore deturbātibus aduersos, ac mœnia fortissime propugnantibus, acerrime dimicaretur. E Turcis vno congressu CC Genitzari, CCC milites alij, præter vulneratos longe plures, Christianorum virtute cæsi occubuerunt; pro more Musulmanorum, quod aduersus Giafiros pugnando vitam profudissent, inter Sehidos beatosue relati. Victi tamen ad extremum, & a propugnaculis reiecti dissipatique Christiani, propemodum omnes in frusta dissecti perierunt: ac si qui ferro non obtruncati, semet e præsenti periculo cædis eripuissent, nihilo magis euadere poterāt, quin hostium in potestatem viui peruenirent; & mancipiorum in ordinem redacti, compingerentur in triremes; ac ne vno quidē excepto, qui casum fortunæ tristis euitasset, ad remos condemnarētur. Reperta quoq; fuerunt in opido mancipia Musulmana, quæ Christiani ab se capta, partim manicis & compedibus, aliisq; vinculorum generibus constricta, partim carceribus inclusa, miserā hactenus seruire seruitutem coëgerant. Ea nunc, vsitata rerum humanarū vicissitudine, præter exspectationem libertati restituta, postliminio ad suos redierunt. Secundū hęc refici curauit Hairadin bassa dirutos opidi muros & propugnacula, vicinorumq; sanzacorum id fidei, contra Christianorum molitiones deinceps defendendum, commendauit. Ipse cum triremibus, aliisq; nauigiis, inde digressus, vt detrimento Christianos adficeret, hinc illinc mari vagatus est; captumque mercatoris Christiani nauigium, magni pretij mercib⁹ onustum, diripuit, ac secum abduxit. Expositis etiam compluribus in locis terræ continentis & insularum classiariis copiis, maritima quædam opida cum populis, ferro & igne finibus eorum vastatis, coëgit; vt oblato ei tributo, maximisque muneribus, incolumitatem suam redimerent. Tamdem conuersis velis, re bene prospereq; gesta, mense Schabane, post Muhametis obitum anno IↃ CCCC XLVI, Constantinopolim reuersus est. *Chr. 1540.*

Eodē fere tempore, mensis nimirum Schabanis die sexto, Constātinopoli digressus Sultan⁹ Suleiman Padischachus, Hadrianopolim se contulit, vt menses illic hibernos exigeret. Ea vero hieme, die XXVII mensis...... exorto nocturno quodā incendio, per absentiā Suleimanis, Eski-seraium, siue palatium vetus, quod muliercularum vocāt, vti quo inclusæ Sultani mulierculæ custodiantur, penitus flammis absumtum deletumq; fuit. Sed totum hoc ædificium palatij denuo magnificentius est instauratum, quam prius vmquam fuisset. Padischachus autem die mensis Silchidzis septimo, cum Portæ copiis & comitatu Hadrianopoli mouens, anno Muhametano IↃ CCCC XLVII, Constantinopolim rediit, & ibidem mansit. *Chr. 1541.*

Gestum vero secundum hęc Budense bellum fuit in Vngaria, cuius historiā vt eo rectius intelligamus; reuocāda nobis ea veniunt in memoriam, quæ hoc exposita commentario iam ante leguntur. Quippe superioribus annis a Padischacho Suleimane quædā Vngariæ regiones & opida capta fuerant armis, interque cetera, metropolis ipsa regni Buda, regumque sedes; quam liberali munere Sultanus Suleiman Erdelij Bano (sic Transsiluaniæ præsidem Turci nominant, qui Vngaris Erdelianæ prouinciæ Vaiuoda dicitur) vltro donatam tra-

diderat. Annis ille pluribꝰ Vngariæ cum imperio præfuit, tamdemque rebus humanis excedens, infantem poſt ſe filium reliquit. Is puer quum in adminiſtratione regni nullo modo ſuccedere patri, per ætatis imbecillitatem, poſſet; regis vita defuncti vidua, pueri mater, imperij ſummam in ſe, filij loco, trãſtulit. Sed vnus e Banis illis Vngarici regni, ceteros inter proceres opibus & auctoritate præſtans, qui Perini Petri nomen habebat, grauiter ac permoleſte dominatum muliebrem ferens, turbas aduerſus eam maximas concitauit; & non exigua cum hominum manu ad regiã Vngariæ Budam profectus, ſuos ad illam miſit homines, qui verbis ei ſuis denuntiarent: Monere Perinium Petrum, ſe feminam vt eſſe recordaretur; nec vllo modo permitti, regiam vt vrbem mulier in poteſtate ſua teneat; minus etiam licere maiorum inſtitutis, & Vngarici regni legibus, vt feminæ locum Kiralium ac regum occupent, vel ſummo potiantur imperio Padiſchachorum. Itaque Buda ſua ſponte cederet, eamque Perinio traderet, illi reſtituendam; qui ſecundum regni iura, de ſententia procerum, rempublicam deinceps adminiſtraturus eſſet. Ceteroqui ſe, copiis admotis, vrbem vi redacturum in poteſtatem; ipſaque pulſa, regi legitimo vindicaturum. Ad hæc Perinij poſtulata, reſponſum huiuſmodi mulier ea dedit: Vrbem Budam non ſuam eſſe, ſed Turci principis; cuius nomine decretum ſit eam ſummis defendendã viribus, & propugnandam. Non igitur hanc ab ſe repeteret, ſed a Turco. Sibi quidem omnino conſtitutum, nequaquam vel Perinio, vel vlli ex proceribus Vngaris, illam dedere. Non parum offenſus hoc feminæ reſponſo Perinius ille Petrus, qua via, quibuſue modis & artibus eam, ab adminiſtratione remotã, exturbaret ac eiiceret, perpetuis ſecum expẽdere cogitationibus cepit. Inter alia, Banorum & procerum animos iis in locis aduerſus mulierem concitans: An non ad omnium noſtrum infamiam pertinet, inquit, eſſe regiam nationis noſtræ Budenſem in poteſtate feminea? quodque fœdius, virilem in primis gentem Vngaram, impotẽti mulieris imperio ſubiectam, inaudito maioribus noſtris opprobrio ſeruire? Quibus ſane Perinij clamoribus effectum, vt ceteri tamdem proceres in eius ſententiam concederent. Quinetiam conſulti gentis epiſcopi, ſacerdotes, monachi; ſerioque rogati, ſuum vt ipſi quoq; conſilium exponerent, quo reſpublica malis tot annos durantibus, & ipſa Turcorum ſeruitute liberari poſſet; hanc protulere fetiſam, qui barbaris loquendi mos eſt, ſiue ſententiam: Tentandum modis omnibus, quidquid ad tuendam patrię ſalutem conducturum videretur; vt excuti iugum Turcorum, a quibus mulier hæc penderet, Vngaraque libertas in antiquum dignitatis decoriſque gradum reſtitui poſſet. Peruetuſtis in libris oraculorum, quos a maioribus acceptos gens Vngara ſingulari religione conſeruat ac veneratur, inueniri vaticinium † quoddam indubitatæ fidei; quo prædictum ſit, imperio Turcico fatales imminere rerum hoc tempore viciſſitudines ac mutationes; & in poſterum futuram Vngarorum condicionem rebus in omnibus meliorem, quam Turcorum: adeoque Chriſtianos de barbara ſuperſtitioſaq; gente triumphos ac victorias inclutas reportaturos. Hæc quũ illi ſacrorum antiſtites ſuis proponerent, mirifice ſingulorum & omnium accenſis ad bellum animis, icta fuere fœdera; mutuoq; promiſſis ac præſtitis auxiliis, magno cum armorũ omnis generis adparatu, nec minoribꝰ hominum copiis, itum ad Budam non ſolum obſidẽdam, ſed ſummis etiam viribus expugnãdam. Horum conſilio mulier, & aduentu cognito; mox armis expeditis, vrbem adparatu egregio muniit aduerſus obſidionem & oppugnationes imminentes, ac idoneam militum manum collegit, diſpoſitiſq; per vrbem præſidiis, inſtructa rebus ab omnibus, hoſtilem exercitum fortiter exſpectandum ſtatuit. Simul Padiſchachum Oſmanidem de rebus omnibus, & graui hoc Vngarorum motu, certiorem reddidit. Is ſuccurrendum oppreſſæ mulieri pupilloque ratus expeditione inſigni, quæ ipſiuſmet auſpiciis ſuſciperetur: ne, dum ad tantam belli molem neceſſaria tardius adpararentur, anticipatis auxiliis Turcicis, hoſtium vi mulier in ordinem redigeretur; Muhametẽ baſſam cum numeroſa Genitzarorum manu, & cum Europæ Ru-

miliæ

miliæ copiis, Budam præire iussit; vt eius præsentia territi Christiani, vel prorsus ab instituto suo discederent; vel si reiici ab obsidione Muhametis metu nequirent, saltim formidine Padischachi, cum altero subsequentis exercitu, consilia sua mutare cogerentur; & obsessi Budenses, inuictarum Suleimanis copiarũ spe confirmati, minas hostiles contemnerent, ac vel ad extremas redacti rerum angustias, quasuis deditionis faciundæ leges respuerent. In hunc modum præmisso, ceu dictum, cum Europæa militia Muhamete bassa: Padischachus etiam ipse Constantinopoli die XXV mensis Seferis, anno post migrationem Muhametis prophetæ IↃ CCCC XLVIII discedens, Muhametem bassam, directo Budam versus itinere, cum exercitu Anatoliæ, reliquis Genitzarorum copiis, & vniuersa militia palatina secutus est. Dum hæc ad defendendam vrbem ex vna parte subsidia compararentur, ab altera Petrus Perinius, & ceteri Vngarorum Bani atque proceres, cum magno armatorum numero, & omnis generis instrumento, ad expugnandas vrbes necessario, Budam inuaserunt, obsederunt, variis oppugnarunt modis; ipsamque mulierem vrgere non desierunt, vti se cum vrbe dederet. Interim Muhametes bassa, & Europææ Rumiliæ beglerbegus Achmetes bassa, cum Europæis militibus, itinere iam confecto, propius ad vrbem Budam accesserunt, & vrbis ab altera parte castris cõsedere collocatis; quum quidem aduẽtum Padischachi summopere desiderarent, & in momẽta singula sollicitis animis opperirentur. Quippe Christianorum maximus exercitus vrbem circumsederat, nullo non armorum machinarumq; bellicarum genere supra, quam dici possit, instructus; & castris ita munitis, vt propius ad se neminem accedere paterentur. Quumque propter has causas adpropinquare copiis hostilibꝰ exercitus Europææ Rumiliæ non auderet, interdiu noctuque Christiani muros vrbis, & propugnacula, tormentorum bellicorum vi quatiebant; iamque pluribus in locis ita disiecta mœnia, dirutæque munitiones erant; nihil vti restaret aliud, quam opidi vel transactione spontanea dedendi, vel extrema vi Christianorũ expugnandi, occupatio. Sed incredibilis in illa muliere virtus, animique magnitudo vigebat; adeo quidem, vt seipsam, & alios, ad perferenda vel extrema quæuis excitaret; habitaque sola ratione dignitatis & honoris, pecuniam tam necessario tempore neglectam; perliberaliter in milites suos distribueret: qua largitione perfecit, vt illi summis viribus a muris & propugnaculis hostem reiicerent, & in aduersos alacriter ac strenue dimicare numquam desinerent. Interea progressus Anatolicis & aliis cũ copiis, superius indicatis, Suleiman Padischachus Osmanides; tamdem a castris hostiũ itinere bidui dumtaxat aberat. Eius aduentus vbi Perinio Petro nuntiatus fuisset, ab exercitu suorum clandestina quadam, & astutissima fuga, se subduxit. Etenim nec ipse, nec alij proceres Vngari futurum putarant ad illum vsque diem, vt huius belli causa Turcorum Padischachus in Vngariam veniret. Inde ceteri quoque reguli, duces, præfecti militares in Christianorum castris, adesse Sultanum Suleimanem edocti; reliquere magno cũ animi dolore consilia pristina, quod minime fieri posse viderent, vt metam, quam hoc bello sibimet ipsi præfixissent, exitu cogitatorum prospero contingerent. Ideoque castris excessuri, quemadmodũ in tumultuaria plerumque fieri profectione solet, nequaquam continere se poterant, quin aliquam fugæ speciem festinatione nimia præberent. In edito colle sita Budensis est ciuitas, eaque de causa fere conspici tum ex vrbe, tum in primis ex arce poterat, quidquid in hostium castris ageretur. Mulier igitur e sublimi castro de motu aduersariorum, & gestibus ipsis animaduertit, obsidione soluenda, maturandoque discessu totos incumbere. Quapropter e suis quemdam ad Muhametem bassam, & Europææ Rumiliæ copias mittit, qui diceret; hostem fugam parare, dum in castris suis ipsi quieti & otiosi desiderent, inque primis optatam rei bene gerendæ occasionem e manibus elabi supina sibi negligentia paterentur. Ibi tum maxime strenui begi & proceres in Europææ Rumiliæ militum exercitu, cum fortissi-

mis quibusque suorum, non aliter in hostium castra furioso cum impetu perruperunt, ac (lubet enim comparatione Turcici scriptoris vti) stimulante dira fame lupus in ouium, aliarumque pecudum greges irruere solet. Itaque cædes ab his, fœda crudelitate grassantibus, immanis edita fuit. E Christianis fugiẽtibus, alij Danubianas in naues se receperunt; alij, dum easdem ingredi festinarent, in fluminis aquas præcipitati demersique perierunt; alios denique vel Turcorum absumserunt acinaces, vel hostilis auaritia cædi subtraxit, vt aliquem e mancipiis fructum caperent. Castrorum munitiones omnes (Istaborem barbari dicunt, vocabulo vallum & aggerem significante) cum machinis bellicis, & insigni armorum adparatu, sicut a Christianis hæc relicta fuerant, in Turcorum potestatem venere. Tamdem & ipse Padischachus accessit, tormentaque bellica, cum armis ceteris, in vrbem Budensem, suo vindicatam imperio, conuehi iussit. Eidem Vngarorum regiæ beglerbegum præfecit, qui regni totius curam gereret: ordinatis etiam vrbis custodibus ac præsidiariis, ex Genitzarorum legionibus, & Azapis, & Iognollis, quo nomine viri maxime militares, & in hostem vltro proruentes, intelliguntur. His additus aliquis tormentatiorum artificum numerus. Quumque Budam, maiori cum Vngariæ parte, quo dictum modo, suam in potestatem redegisset: abdicatam regno mulierem, cum filio pupillo, in eam regionem ditionemque relegauit, quam auito iure pater infantis, Erdelij Banus, initio possederat; omneque ius Osmaneæ familiæ, quod in eam prætendere posset, reuocauit, & irritum esse iussit; instrumentis super hac transactione confectis, quæ baratia dicere barbari sua lingua solent. Hinc Padischachus opimo potitus regno, domum copias reduxit; & octauo die mensis Schabanis, anno Muhametano ıↄ cccc XLVIII, Constantinopolim ingressus, ex itinere laboribusque diuturnis se recreauit.

Chr. 1542.

Secundum hæc concessit duobus filiis suis Padischachus administrandas ꝓuincias; & vtrumque suum in sanzacatum misit. Horum prior erat, Sultanus Muhametes; alter, Sultanus Selimes. Illi Manissa sanzacatus data sedes, huic Caramaniæ commissum imperium, anno ıↄ cccc XLIX.

Hinc denuo decretum fuit a Sultano Suleimane bellum, ipsiusmet Padischachi ductu & auspiciis in Vngaria gerendum: quod vti maturaret, Constantinopoli digressus, ad vrbem Vngariæ viciniorem, & expeditioni, quam moliebatur, instituendæ magis idoneam, Hadrianopolim se contulit. Illic enim & hibernum tempus, quod imminebat, exigendũ statuit; & adparatus omnium bello necessariarum rerum faciundos, ne quá tempore verno adpetente profectioni longinquæ mora iniiceretur. Quum hiems abiisset, decimo & octauo die mensis Mucharenis insigni cum adparatu, copiisq; numerosissimis, Hadrianopoli mouit; & Vngariam versus progrediendo, quum primum intra fines eius peruenisset, opida Perinij Petri, cuius paullo ante mentio facta fuit; & aliorum Vngariæ procerum, hostiliter adortus est. Primum, quod in iis locis cepit opidum, Perinianæ ditionis erat, & Valpouæ nomen habebat. Indeq; Pihenen promouit exercitum, quam Beccanorum annalium interprés, in huius ipsius expeditionis historia, Pestum reddidit, alioqui non aliud, quam Pesti nomen apud Vngaros habentem; & Ostrigoniam, quæ priscis est Strigonium, nostris Granum; & Stoni Belegradum, quæ Alba Regalis est, e Germanico Stul-Weissenburgo, tamquam Throni regij castrum album, a Slauonis & Venedis formato nomine, quod Vngaris est Sekes Feirwar: donec ad ipsam quoque Tatam, Vngarorum arcem, (factum hoc e Theodote nomen creditur, cui propius est Germanicum Thotes) versus Austrianos fines se porrigentem, accederet. Harum vero ciuitatum & arcium nulla potiri sine multo suorum sanguine potuit, Christianis eorum locorum acerrime se defendentibus, veluti qui pro aris & focis extremo nisu pugnandum ducerent. Itaque Suleimanis in exercitu maxima mortalium multitudo tot expugnationibus vrbium desiderata fuit. Vt tamen hę tamdem captæ, barbarorũ in potestatem venerũt, & inprimis Stoni Belegradum

dum; qua in vrbe Kiralium siue regum Vngariæ, quotquot a compluribus vixere sæculis, sepulcra monumentaq; reperiuntur; ita quidem facta, (Turcorum verbis vtor) seorsum vt cuique regi mortuo sepulcrum suum conditum sit, & adtributum. Ibidẽ referunt Turci monumentum esse Selsalis, quem Græcus interpres Verantianus adnotat, imperatorem quemdã fuisse, vel Palatinum, hoc est, heroa quempiam, (sic enim & alibi sæpius loquitur) ex heroum Vngaricæ gentis priscorum numero. Si, quæ mea quidem est opinio, Sanctus Ladislaus, Vngarorum rex, diuorũ catalogo propter actam summa cum religionis & innocentiæ laude vitam adscriptus, nõ intelligitur, vt ex mutilato vulgi more vocabulo Sen-Lassel, Turcis Selsal adpellatus credatur; equidem alium, qui potius accipi debeat, inquirendum magis otiosis, & diuinandum acutioribus relinquo. Padischachus autem potitus his & aliis opidis atque castellis, milites eis præsidiarios imposuit, ex Iognollis, rerum gerẽdarum adprime cupidis, & Azapis; quum Sanzacos etiam nouos in partis bello regionibꝰ instituisset, ac singulis horum copias quasdam reliquisset, quarum opera continere sub imperiũ redactos Vngaros in officio possent. Opidorum quoque mœnia, cum propugnaculis, quæ vi tormentorum bellicorum, quum oppugnarentur, diruta fuerant, refici Padischachus iussit; ne vi Christianorum & insidiis exposita paterent, ac reductis ab ipso longius exercitibus, ab iisdem recuperarentur. Quibus sane rebus apud Vngaros feliciter gestis, & ex animi sententia constitutis; cogitare Sultanus Suleiman de remittendis domum victricibus copiis cepit; iisque demum exauctoratis, & ipse, quo venerat itinere, suam ad Portam Constãtinopolitanam reuersus est; & vrbem die XVII mensis Schabanis ingressus, anno Muhametano IↃ CCCC L, tandem a continuis militiæ profectionumque laboribus ac molestiis quieuit.

Numquam rerum humanarum fragilitas & inconstantia vel maxime supra mortales ceteros fortunatum aliquem perpetuo felici successu frui patitur, sed læta prosperaq; tristibus & aduersis intermistis plerumque diluuntur. Ita Sultanum quoque Suleimanem, tam clara potitum victoria, peracerbus ac luctuosus interueniens casus, isque domesticus, insolescere vetuit. Nã quum pridie non sine plausu suorum, ob rem aduersus Vngaros bene gestam, exceptus e dignitate fuisset: statim altero post die funus Sultani Muhametis, qui carissimus inter omnes ei filios fuerat, & a Turcis hoc loco Schach-Zada nominatur, hoc est Schachi, regiaue suboles, adductum Manissa Constantinopolim fuit. Quapropter in luctum hesterna conuersa lætitia, celebrari ceptæ ritu Musulmanorum exsequiæ, Namasi vel Inamasi barbaro vocabulo dictæ; nobiliq; cadauer illatum monumento, quod e regione veteris domicilij Genitzarorum hodieque conspicitur. Magnum Padischachus pater ex huius filij morte dolorem cepit, ideoque Musulmano more cibos pro filij, qui barbaris loquẽdi mos est, anima coqui præcepit; eosque vulgo, funebris epuli loco, dari voluit; quum aliis etiam rebus donandis ac distribuendis, extincti filij nomine beneficẽtiam in pauperes & inopes exerceret. Hoc Turcis est Corbanum facere, nostri vocabulo a Græcis accepto, eleimosynas dare dicunt. Inter alia pietatis officia, magno quoque mancipiorum sexus vtriusque numero comparando, pecuniæ summa non exigua fuit impensa. Nec mora, seruitutis erepti iugo miseri, mox pristinam libertatem recuperabant. Nec monumẽtum ei struxisse cõtentus pater, etiam honoris memoriæque filij perpetuandæ causa, meschitam ac templum cõdidit, cum imareto siue xenodochio, & medresse, quo vocabulo dictum a nobis sæpius significari collegium illorum, qui partim discipuli sunt, partim magistri ac professores earum doctrinarum, in quibus exercere Musulmani suos consueuerunt. Fuit & hoc institutum, vt expiandæ ipsius animæ causa, Muhametanorum sacer ille Coranus recitaretur, & omnes hymni siue psalmi (Zeburis hos, vel Sepheris, id est libri nomine barbari nuncupant; quum Hebræis Sepher Thehillim, sit liber hymnorum) lectitarentur. Inciderunt autem hæc in annum ab extincto propheta Muhamete IↃ C.1544.
CCCC L.

Commemoratæ ſunt antehac multæ res, ab Hairadine baſſa fortiter ac proſpere geſtæ. Is tamdem menſis Zumaſiul-Euelis die quinto rebus humanis exceſſit, & in villa ſua Beſiċtaſenſi, propter Boſporum in Europæo litore ſita, quintoque milliari plus minus ab vrbe disiunċta, qua Pontum verſus itur, vbi meſchitam viuus exſtruxerat, monumento fuit illatus, anno Muhametano

Chr.1546. IↃ CCCC LIII.

Eodem anno dedit Sultanus Suleiman alij cuidam filio ſuo, Schach-Zadæ (hoc eſt, regiæ proli) Sultano Baiaſiti, ſanzacatum ſiue prouinciam, cui cum imperio præeſſet; atque is in prouinciam ſuam iturus, ipſo menſis Schabanis initio, poſt migrationem prophetæ Muſulmanorum Muhametis anno IↃ

Chr.1546. CCCC LIII, ſic iubente patre Padiſchacho, Conſtantinopoli diſceſſit.

Secundum hæc iterum viſum eſt Sultano Suleimani bellum Azemiis inferre, cuius hæc potiſſimum cauſa fuit. Habebat fratrem Padiſchachus Azemiorum Techmaſes, cui nomen erat * Ercaſes Imirza. Siruanum is abſoluto poſſidebat iure, cuiuſmodi poteſtate præditos principes Turci Padiſchachos adpellare ſolent. Quumq; Schacho Techmaſi non optime cum hoc fratre conueniret, commotus Ercaſes iis iniuriis, quibus a fratre præter ius & æquum, vt ipſe quidem exiſtimabat, adficeretur; ad Zercaſſos e regno ſuo profugit, & magnis vſus ambagibus itinerum, quibus ei multæ peragrandæ regiones erant, Chafen adpulit: vnde Conſtantinopolim, obtenta prius eam adeundi licentia, profeċtus eſt. Huc quum veniſſet, vltro Padiſchachi Suleimanis imperio ſe ſummiſit. Viciſſim perbenigne hominem Padiſchachus excepit, ac infinitis coluit honoribus; donatis ei pecuniis & opibus ampliſſimis. Nec his illi præſtitis, beneficētiæ ac liberalitati modum ſtatuens; etiam ipſius cauſa numeroſum coëgit exercitum, & adparatum armorum longe maximum fecit; vt exſulem contra vim fratris defenderet, inque regnum ſuum reduċtum, imperio dignitatiq; priſtinæ reſtitueret. Quumque iam ſatis a rebus omnibus, ad expeditionem eiuſmodi cōtra Schachum illum præpotentem Azemiorum ſuſcipiendam, inſtruċtus eſſet: Conſtantinopoli die XIX menſis Seferis, anno Muhametano IↃ CCCC LV digreſſus, in Anatoliam traiecit, & reċta verſus Azemiorum fines exercitum duxit. Quum primum hos adtigiſſet, munitiſſimam Azemiorum ciuitatem Wanum occupauit. Quippe quum hanc obſeſſam vi tormentorum bellicorum totis nouem diebus oppugnaſſet; Azemij, quotquot iſtic erant in præſidio, de munitione contra Suleimanis vires tuenda deſperare ceperunt; præterq; corporum incolumitatem, hoc etiam paċti, vt armatis Wano diſcedere liceret, deditam Turcis vrbem reliquerunt. Inde Padiſchachus e caſtris ſuis ſanzacos ac præſides tam prouinciales, quam caſtrenſes, cum ipſis militibus, in hoſticum immiſit; vt ex vnis in alia progreſſi Azemiorum loca, paſſim omnia prædis agendis euaſtarent. Et faċtum hoc ad aliquot dies inſigni militum ardore, quum quidem inter ſe traċtandis atrociter hoſtibus contenderent, longeque Perſicas intra regiones penetrarent, ac maximis detrimentis agros Azemiorum adficerent. Schachus interim Techmaſes nullas Oſmaneis copias obiecit, nuſquam eis in conſpeċtum ſe dedit, quaſi manum cōferturus, aut inhibitis ſaltim Turcis, ſuos a grauibus iniuriis vindicaturus.

Chr.15[..] 22. Ma[..]

*Elcaſem vocant alij plerique.

Ercaſes autem Imirza, cuius gratia ſuſceptum hoc a Sultano Suleimane bellum fuerat, nulli parcebat, hinc inde cum ſuis excurrendo, labori; fratriſque ditiones rapinis exhaurire non deſinebat. Vnde quidquid nobilioris prædæ, quidquid opum ex hoſtico, quidquid colligere theſaurorum poterat; id totum Padiſchachi dumtaxat vſibus & lucris deſtinatum, eidem ſumma fide mittebat. Sed parum hoc ſtudio ſuo profecit, nec impetrare potuit, quod haċtenus futurum ſperauerat; vt Siruani prouinciam, ſua regna, recuperaret. Quippe cōſiliis huius expeditionis non ſuccedentibus ex ſententia, graue bellum hoc militibus Turcicis eſſe cepit; adeo quidem, vt non ipſi tantum perquam inſolenter tumultuarentur, ſed etiam primi loci atque ordinis duces

ac pro-

ac proceres in exercitu, permoleſte diuturno & inutili bello fatigari ſe ferentes, ad vindictam de auctore belli Ercaſe ſumendam, quaſi neceſſitate quadam adigi ſe fingerent. Itaque ſecreto communicatis inter ſe conſiliis, efficiundum modis omnibus ſtatuerunt, vt aliquod in periculum Ercaſes præcipitaretur. Simul eum variis delationibus, & falſis quidem, apud Sultanum Suleimanem criminari, & in odium vocare ceperunt: eo tamdem audaciæ pariter, & impudentiæ progreſſi, vt Ercaſem proditionis inſimulare nō vererentur. Paucis denique verbis vt omnia complectamur, lepori fugæ, cani venatico capiendi leporis auctores erant. Libet enim verbis vti, quibus hæc ipſi expoſuere barbari. Animaduertit Ercaſes eorum inſidias & obtrectationes, ideoque ſui capitis incolumitati conſulturus, Turcorum e caſtris aufugit, & in opidum cuiuſdam principis e gente Curdorum, qui Chaldæi † quondam adpellabantur, eius erga ſe beneuolentia fretus, ſe recepit. Sed hominis infelicis fatali caſu factum, vti nec iſtic tutus eſſet, diriue calamitatem carceris, ac mortem vitare poſſet. Nam perfidus ille Curdus princeps, iure fœderis hoſpitalis & amicitiæ per ſcelus violato, miſerum Ercaſem Imirzam, vinculis iniectis, fratri Schacho Techmaſi, quo neminem habebat infeſtiorem, certiſſimum ad ſupplicium miſit. Techmaſes lætus, auctorē grauis cum Padiſchacho Turcorum hoſtilitatis & inimicitiæ ſibi tamdem in manus traditum, quo Suleimanis partibus detracto, nullam ille vel iuſtam proſequendi belli cauſam, vel certam obtinendæ victoriæ ſpem deinceps habiturus eſſet: carceri fratrem incluſit, & quo Turcorum, aliorumue quorumuis ipſius liberandi cogitationes atque conatus eluderet, intra carceris eum penetralia iuſſit interfici. Dum hac aduerſus Azemios expeditiōne Padiſchachus occuparetur, annus abiit vnus, cum nouem menſibus; quo toto tempore miles Oſmaneus mirifice variis belli moleſtiis & ærumnis exercitus vexatuſq; fuit. Ad extremum militiæ pertæſus grauis quidem illius, ſed parum vel gloriæ, vel fructus adferentis, etiam Sultanus ipſe Suleiman; finem expeditioni ſtatuit imponendum, & reductis ab Azemiorum finibus copiis, anno ꟾↃ CCCC LVI, menſis Zilchidzis initio, Conſtantinopolim reuerſus, quieti ſe dedit.

† *Pandect. cap. 131.*

Chr. 1549.

Anno proxime ſequenti ꟾↃ CCCC LVII, die XXV menſis Zumaſiul-euelis, qui more noſtro dies Iouis erat, iacta fuerunt a Padiſchacho Sultano Suleimane Conſtantinopoli, veteris intra ſeraij ſiue palatij muros, quo loco gynæconitis eius, aut ſepta muliercularum erant, flammarum incendio non ita dudum abſumta, verſus orientem ſolem, ædificij noui fundamenta; datumque præterea principium condendi eius generis templi, cui Zamæ † vel Zumæ nomen indere barbari ſolent. Huic nouæ Zumæ ſtructuram adiecit imareti ſiue xenonis, ad hoſpites quoſuis, tam diuites, quam pauperes excipiendos; & medreſſen, pro doctoribus ac diſcipulis, ſacrarum pariter, aliarumque rerum ſtudia ſectantibus; ac timar-hanam denique, cuius vocis apud Turcos is vſus eſt, vt imareti ſpecies hac intelligatur, gratuito paſcendis & curandis ægris condita, Græciſq; dicta noſocomium, vt alibi quoque declaratum.

Chr. 1550.

† *Pandect. cap. 20.*


νοσοκομεῖον

Erat in more Sultano Suleimani, quod commentarios de rebus ab ipſo geſtis legentibꝰ animaduerſu facile eſt, vt alternis æſtatibus plerumque bella gerere ſolitus, vnum & alterum annum; ſummum, tertium quieti daret, ac tranquillitati; nec iuſtam aliquam expeditionem ſuſciperet. Quare quum otio nunc quoque, præter conſuetudinem, ad aliquod tempus indulſiſſet, nec ſibi militiæ cauſa Conſtantinopoli diſcedendum ſtatueret: Achmetem baſſam, vezirem ſuum, prodire ſuo loco iuſſit, & cum aliqua manu Genitzarorum, cumq; Silichtaris, qui militia palatina comprehenduntur, & cum exercitibus Europææ Rumiliæ, verſus Vngariæ fines nouum moliri bellum. Progreſſus hic numeroſis illis cum copiis ad Vngariæ municipium, cui propterea, quod ſitum ſit ad amnem Temiſim, Vngarorum lingua Temiſuari nomen eſt inditum, quo ſignificatur ad Temiſim condita ciuitas, ac ſi Græcorum more

Temiſipolim dicere velimus: mox opidum corona militum circumdedit, ac ſumma vi machinarum bellicarum totis XXVII diebus muros eius & propugnacula verberare, diruere, proſternere nō deſiit. Quumque deſperata tamdem a præſidiariis longiori defenſione, iamiam ventura Turcorum in manus eſſet munitio: poſtulatæ fuerunt a Chriſtianis indutiæ, quibus durantibus, ſtatuere de condicionibus ac legibus opidi dedendi poſſent. Promiſere denique, quū conceſſis induitiis de negotio faciundæ deditionis inter ſe conſultaſſent, tradituros Turcis opidum, cum omnibus mancipiis, quotquot illic reperirentur. His tranſactis, & vtrimque probatis, extra ciuitatem & arcem prodierunt, eamque Turcis reliquerunt occupādam ac poſſidendam. Sed quum iam ad aliquod interuallum progreſſi fuiſſent, intellectum a Turcis, eos minime promiſſis ſtetiſſe, nec bona fide condiciones impleſſe, mācipiis quibuſdam occultatis; nec, vti conuenerat, reſtitutis. Poſteaquam dolus ille malus, & fraudes eorum detectæ fuiſſent; ſummopere commoti, propter indignitatem facinoris, militares ex Európæa Rumilia viri Turcorum in exercitu, Chriſtianos a tergo perſecuti ſunt, & acinacibus ſuis omnes ad vnum cęſos interemerunt. Agebatur annus ab exceſſu prophetæ Muſulmanorum Muhametis IↃ CCCC LIX, quum menſe Chr.1551
Schabane Temiſuarum Vngariæ Turcorum in poteſtatem veniret.

Explicit tomus primus historiæ Muſulmanæ Turcorum.

10.





IO. LEVNCLAVII AD ILLVSTRISSIMVM, ET EXCELSO NATVM GENERE, IVLIVM COMITEM SALMENSEM AC NEOBVRGICVM OENINVM, CÆS. MAIESTATI a consiliis in Augustalis aulæ senatu, pro Turcicis lucubrationibus suis Apologetici duo.

*Q*VVM *prioribus his Musulmanæ libris ad metam properãtibus, aliquid adiiciendum viderem, quod historiæ veritati, meisque laboribus, ad eius illustratione hactenus impensis, patrocinaretur: ipsum me,* IVLI *Comes illustrißime, scriptionis argumentũ admonuit, vt quidquid eius esset commentationis, tuo potißimum iudicio summitterem; cuius obtento calculo, nihil ab aliorum censuris metuendum mihi videretur. Nam de Turcicis rebus qui rectius testatuat, arbitror esse neminem. Hoc tibi cur tribuendum sit, complures sunt causæ. Natus es procerum Salmensium familia, cuius illa sane prima vix putanda laus est, ceteroqui maxima, quod adgnatione serenißimis iuncta sit Lotarenorum Ducibus, qui suam ad vos originem ingenue referunt, vt audire memini sæpius ex ore sapientis & heroici Comitis Ioannis, propinqui vestri; quo clauum tenente felix diu Lotarenia, non in eos impegit scopulos, qui miseræ præsens exitium modo minantur. Plus a Lotarenis ad Vngaros translata gens vestra fines solidæ gloriæ reperit, dum toto iam prope sæculo de principibus Austriis, & ipsa republica Christiana, præclare meretur. Notum est elogium fortis ac felicis imperatoris, aui tui, Nicolai maioris, virtuti eius a laudato rege Ferdinando tributum, quod in ædis Dorotheanæ Viennensis monumento conspicitur, & sculptas heroici ducis pugnas atque facinora quum alia continet, tum defensæ contra vim Turcorum Viennæ coronam vere ciuicam, qua sibi, vobisque posteris suis, decus immortale peperit. Pater autem tuus, Nicolaus alter, a Karulo V. Imperatore, qui parem sibi multis a seculis nullum habuit, Iasonij velleris torque donatus, numeroq; maximorum eius societatis principum adscriptus, eas in Vngaria nobis arces & castella redegit in potestatem, quæ nisi præsidiis nostris hodieque tenerentur, quum alia Pannoniæ loca barbarorum iniuriis essent exposita; tum feraces illos auri, argenti, æris, aliorumque metallorũ nobilium montes, cum opidis suis, vnde præcipui reditus eius regni pro-*

ueniunt, iamdudum amisissemus. Non his minora fuere fratris tui, te natu maioris, inuicti Comitis Egonis in rempub. merita; cuius immaturā mortem animo dolenti Maximillianus Augustus accepit, equitū peditumq; Germanorum cohortes acerbe luxerunt, minus alioqui Germanis ducibus æqui milites Vngari ne nūc quidem deplorare desinunt. Mitto loqui de Nicolao III, fratre tuo minore, Canisani quondam præsidij duce, qui virtute sua facile primū gratiæ locum apud hunc Imp. Cæsarem nostrū, Rudolfum Augustum, inuenire potuit. De te quoq;, Iuli Comes eximie, parcius agam; ne quod in animū pudentem cadere non potest, in os te laudare videar. Hoc dissimulare non debeo, vestigiis te paternis & auitis semper institisse; nec aliter statui posse, quā inter ceteros Vngariæ, nostrosq; proceres, vsum te rerum Turcicarum adeptum esse proculdubio maximum. Nimirum his te puero paterni personabāt lares, hæ deinceps adulescentis auribus accinebātur, oculis hæ tuis, in historiarū libros relatæ, lectitabantur. Ex quo vero tēpore, constituto apud Vngaros domicilio, tum munitas illas arces tuas, tum limites publicos, tanto sumtu, tot equitibus Vngaris & Germanis, qui tuis peculiariter annonis alūtur, aduersus barbaros fortissime tueris; quid aliud cottidie tibi dicam occurrere, quā perpetuos de pugnis, aliisq; negotiis Turcicis sermones & cogitationes? Huiusmodi iudice nobis opus erat, qui rerum ipsarum peritissimus, sententiam de hoc historiæ Musulm. ceterisq; meis operibus Turcicis, omni maiorem exceptione ferret. Quamobrē tibi, Comes amplissime, rerum Osmanearum commentarios exhibeo, non nudos tamen, sed Indicis libitinarij testimoniis, & ad oculum, quod a Geometris solet dici, demonstrationibus innixos ac munitos. Eadem me causa perpulit, vt alteram quoq; defensionem meam, qua nonnullis de Pandecte respondeo, tuæ præ omnib. aliis censuræ subijcerem. Quippe quū ij, qui pleraq; Pandectis mei tetigere, suum quemdam patronum, virum sane præstantem, velut idoneum causæ iudicem laudent, quem lubens equidem admitto; Maripetrum vero tuū, illi alteri nulla re cedentem, arbitrū ego nominem: si forte diuersa fuerint horum arbitria, si dissidentes sententiæ, pro moribus nostris arbitrum ego te maiorem nuncupo, cuius auctoritatem absq; labe contumaciæ vix defugere poterunt. Generū quidem tuum, illustrem ac magnanimum Baronem Lichtestainum & Nicolspurgicum, Ioannem Septimium, inter omnes & ordinis sui, & ætatis, & nationis, ob summam virtutem vsumq; rerum facile principem, a nobis in hac controuersia staturum confidimus: quum Europæa vidisse regna non contentus vniuersa, nullo penitus excepto, Prusæis etiam monumentis Osmanidarū inspiciundis, & Asiæ totius, Ægypti, Suriæq; prouinciis perlustrandis, pericula cū laboribus obire maximis haud dubitauerit. Erit autem eo mihi iucundius & optatius, intelligere grauissimum rectumq; de lucubrationibus hisce meis iudicium tuū; vt adprobatæ suffragio tuo, commēdabiliores efficiantur illustribus & indolis generosissimæ Comitibus, Vaichardo & Karulo, filiis tuis; quos huiusmodi scriptorū lectione paullatim ad auitæ patritæq; virtutis æmulationem excitari, reipublicæ ipsius interest; quæ horū opera, quum maturiorem ad ætatem peruenerint, aduersus barbaros vti desiderat, ac de ipsis sibi quæuis eximia, tātisq; digna maioribus & auis, pollicetur. Quod superest, opto diuinitus integrā tibi valetudinem, & multos æui viuacis annos, ac toti denique posteritati tuæ felicitatem perpetuam: vtque animo benigno, quod facere soles, compellationem hanc meam accipias, etiam atq; etiam oro. Colonia Agrippina, Kal. Iun. anno M D X C I.

IO.

IO. LEVNCLAVII
APOLOGETICVS PRIOR,
SIVE LIBITINARIVS INDEX OSMANIDARVM, QVO FIDES HISTORIÆ GENTILICIIS E THECIS & TITVLIS EORVM FVNEBRIBVS, ADSTRVITVR.



Ix in hac licentia sęculi defuturos mihi vel obtrectatores augurror, vel superciliosos censores ac iudices; qui fidem historię nouę quoquo sint labefacturi modo, vel aliqua saltim tradita de Osmanidis in dubium vocaturi: quum non nemo statim ab Annalibus editis, auctoritatem proditorum a Turcis per occultos euertere cuniculos ceperit; dū vulgata inter suos epistola quadam, præter alia controuersum apud se fieri non dubitaret adserere, plusne recentes illi Turcorum Annales, an Græci scriptores eorundem temporum, fidei mererentur. Huius hominum generis maleuolentiæ maturis vt consiliis occurramus, ipsamque Turcorum historiā veritate fultam probemus: visum est vno loco spectanda lectoribus exhibere monumenta libitinaria totius Osmaneæ gentis, vt quum pleraque supersint adhuc omnia, non genealogiæ tantummodo superius oculis subiectæ, sed etiam vniuersæ huic historiæ certum & indubitatum testimonium perhibeant. Quod ipsam monumentorum fidē adtinet, testes oculatos, idoneos, & adhuc superstites produco; Matthiam Farensem, Cæsaris nostri Constantinopolitana Turcorum in aula, quam Portam Osmaneam dicunt, Turcicæ linguæ Dragomanum & interpretem, qui a Turcis in re præsenti Prusæ scripta commemorataque reddebat; & Nicolaum Haunoltum Silesium, eidem Cæsari Augusto secretioribus in scriniis militantem, qui a Farensi recitata tunc, & accepta, mox bona fidę litteris mandabat. Mirificus quidē hinc Osmaneæ familiæ monumentorum cum historia nostra Musulmana consensus adparebit, qui veritatis historicæ studiosis, & sincero iudicio præditis, non poterit non esse gratus. De ceteris, inuidiæ liuorisque morbo tumentibus, οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ.

Minime vero nobis omittenda loca monumentorum, quæ prius, quam Prusa Turci potirentur, Osmanis auo, patri, quibusdam aliis propinquis, alibi posita, de solius historiæ Musulmanæ comentariis nouimus. Itaque Suleiman Schachus, Ertogrulis pater, in Persidem ex Anatolia rediturus, vti liber Musulmanæ secundus refert, quū traiectum Euphratis tentaret, atq; hoc in conatu submergeretur; extractus a fatali obitu ex amne profluente, propter Euphratis ripam, in Halepensi regione, ad castellum Suriæ, cui nomen Ziaber-Cala, sepultus fuit: traduntque Turci, sepulturæ locum hodieque dici Mesari-Tzuruc, hoc est sepulcrum Turcicum. *Suleimanis Schach: sepulcrum.* Huius filius Ertogrul, Osmanis pater, grandæuus Sugutæ mortuus, ibidē sepultus a suis fuit; *Ertogrulis begi monumentum.* hoc est, in monumento siue theca, vel arca funebri, more principum Turcicorum, conditus. Non enim hi sub terra tegi solent, nec pro consuetudine nostra sepulcris inferri; sed plerumque themillis siue sandapilis impositi, suis in ædiculis, semipilaria tecta siue cubas habentibus, collocantur. Ertogrulis filius Sarugatin, *Saru-gatin.* Osmanis frater, in prœlio aduersus Christianos cæsus, Osmane curante Sugutam vectus, & propter Ertogrulis patris monumentum conditus ibidem fuit. Huius Sarugatinis filius Bai-Hozza, *Bai-Hozza.* quum & ipse periisset in pugna Turcorum suorum aduersus Hagio-Nicolaitem, Nacoliæ regulū in Phrygia; non procul a pugnæ loco, quemadmodum libro Musulmanę tertio legitur, vbi mōs Ormenius desinit, in campo quodam, pro gentis consuetudine tumulum accepit. Consobrinus Osmanis Dunder, *Dunder.* Dundere maiori natus, Osmanis patruo, quū ab Osmane fuisset interfectus

ex

ex causa, quæ dicto Musulmanæ libro tertio refertur; propter viam regiam sepultus fuit, qua Cuprichisare (vocabant hanc arcem Greci Pentegephyron) versus pagum itur, cui nomen dant Turci Giafir-bignar, quo Christianorum fons significatur. Præter Satugatinem, de cuius monumento, sicut & de filij sepulcro, iam dictum; habebat Osman alium quoque fratrem Iundusem, cui filius erat Aidogdis. Hic a Christianis in pugna cæsus, non procul ab eo loco, vbi fortiter dimicans occubuerat, inter Coionhisarem siue Prouatocastrum, hoc est arcem ouium, & aliud castrum, quod Dipotamum, geminis a fluminibus dixere, propter viam publicam fuit humatus. Et quia vitā contra Christianos animose pugnans profuderat, Sehidorum siue sanctorū in numerum suis a Musulmanis relatus, etiam miraculis, quæ Tamaschador sua lingua Turci dicūt, post mortem claruisse creditur, de quibus libro Musulmanæ tertio tradita legat, qui volet. Locum quidem sepulcri memorant Turci hodieq; vulgo notū esse. De ceteris tam patruis, quā fratribus, filiisq; fratrū Osmanis; Sencur-tekine, Iundogdi, Dundere, fratrib⁹ Ertogrulis; Iunduse, Osmanis fratre; Actemure, Iundusis filio; quū nulla fiat in historia Turcorum mentio, quibus in locis sepulti fuerint, horū tantummodo monumētis militaribus & campestribus indicatis, qui fortiter in hostē pugnando sanguinem profuderunt; nō est, quod aliter statuamus, quam referendos illos reliquos, morte naturali extinctos, ad ea monumēta Sugutana, quæ tumulo thecaque principis in ea familia viri, nimirum Ertogrulis, nobilitati ceperant. Obiter addendum, Osmanis socerum Edebalim, & filiam huius Malichonem, Osmanis cōiugem, non Sugutanis illatos a genero maritoque fuisse thecis; sed in castello Bilezugensi, Osmanis adhuc superstitis iussu conditos.

Aidogdi.

προβατόκαστρον.

διπόταμος.

Edebalis & Malichonis monumenta.

Nunc ad monumenta Prusæa tam Osmanis, quam posteritatis eius accessuri, prius ipsam descriptionē breui Prusam delineabimus: vt ea concipi mente loca possint, quib⁹ in locis & Meschitæ fuerunt ab Osmaneis conditæ principibus, & his proxima sacella constructa, quibus eorū sandapilæ continentur.

Metropolis ergo Bithyniç Prusa, Porta quondam Osmanidarum, loco sita fertili & amœnissimo, rebusque cunctis non ad vitæ tantummodo necessitatem, sed voluptatis quoque delicias abundās, a meridiano latere montē habet Olympum, perpetuis albentem in vertice, rigentemque niuibus; a tribus ceteris lateribus insigni planicie cingitur, quæ riuulis irrigata limpidis, quam longissimo cōtinuo se porrigit æquore camporum, pratorū, hortorū elegantium, in quibus omnis generis arbores & fruct⁹ vberrimi reperiuntur, quorū copia non Prusæorum dūtaxat vsui sufficit; verūetiam vrbi regiæ Cōstantinopolitanæ, vicini maris subuectione cōmodissima, nō exiguam prouētus sui partē communicat ac trāsmittit. Incolitur a Turcis, Græcis Christianam religionē profitentibus, & Hebræis. Præcipuum emporiū est serici & metaxæ, q̄ huc e Perside, totoq; oriente, cū aliis mercibus, cōuehitur. Ædificiorū in vrbe, plus minus, ad xiiciↃ numerātur: & in his LXXV Meschitæ siue templa, Musulmanorū sacris dicata. Seraium siue castellū regium vetus, in edito colle, media ꝓpemodum in vrbe sitū est. In ipso castello nunc Atzamoglani alūtur, qui Christianorum liberi sunt, e mancipiorū collecti decumis. Hi molendo farinam pro Sultano conficiunt. Sub arcē vel castello, versus septemtriones, ea pars vrbis est, q̄ domicilia Iudæorum habet. Versus orientem meschitæ sunt ordine tres, ac propter mediā, sacellū Turcicum; in quo Sultani Muhametis primi theca conspicitur. E regione, videlicet in aduersa vrbis parte, quæ tendit ad occidentem solem, thermæ geminæ sunt; quibus Turci Caplizæ nomen dant: vnæ sulpureæ, quarum ædificia noua, Rustemis bassæ, qui Sultani Suleimanis secūdi gener fuit, opus nuperū; & ipsæ thermæ, propter odoris sulpurei grauedinē, minus valetudini cōducunt: aluminis alteræ saporē reddunt, admodūq; calent, ab omni odore ingrato liberæ; quarū structuræ vel tamquā auctori, Sultano Muhameti primo, vel tamquam instauratori debentur, quod mihi quidem vero fit similius. Nam has arbitror esse thermas illas βασιλικὰς siue regias Prusæas, quarū Stephanus, auctor Græcus, in vrbium nomenclatore suo meminit. Et Sultanus

tanus ille Muhametes primus, quem diximus, mea quidem opinione, priscorum Bithyniæ regum, Romanorumque Cæsarum æmulatione motus, tam vtilitati publicę, quam suæ ad posteros laudi seruiturum opus, reficere magnificentia regia voluit; quemadmodum & alios quosdam principes Osmaneos, restituendis aquæductibus, & alijs ædificiis antiquis, sumtus impendisse maximos scimus.

Addēdum hoc quoque, propter antiquitatis Romanæ studiosos; thermas hasce βασιλικὰς dictas, non tam velut regias, quam imperatorias, vel augustales, a Cæsaribus Augustis, quos βασιλεῖς siue reges Gręci dicebant, nomine Populi quidē Romani legibus, ob priscorum regum tyrannidem, damnato; sed Græcis non inusitato, nec abominabili. Augustorum sane liberalitas & cōdidit has thermarum structuras, & refecit. Hinc enim dictę fuerunt Antonianæ, marmorisque vetusti testimonio constat, a Diocletiano Aug. tā Nicomedienses, quam Prusæas instauratas. Id Nicomediæ verbis insculptum huiusmodi.

PERPETVO IMPO
CAVR VAL DIOCLETIA
PF AVG CVIVS PRO
VIDENTIA ETIAM
LAVACRVM THER
MARVM ANTONI
ANARVM FVNDI
TVS EVERSVM SVA
PECVNIA AMPLIFI
CATVM POPVLO SVO
EXHIBERI IVSSIT

Non procul ab hisce thermis & Meschita siue templum Turcorum est, & sacellum cubā tectum, in quo Sultani Muratis primi sepulcrum cernitur.

Exposito situ locorum, ad institutum nostrum redeuntes, Osmanis & posterorum monumenta cū titulis eruamus.

Igitur in arce vel castro, quod eminere media in vrbe diximꝰ, quodam in antiqui monasterij sacello, monumentum Osmanis exstat. Theca, qua reliquiæ cadaueris ipsius continentur, epimandya † Turcico siue paludamento viridi tegitur, manicas habente longas, & ex vndulati vel cymatilis panni, quem camelotum vulgo dicunt, materia facto; cuius ea pars superior, quæ & erigi tuendis aduersus tēpestatum iniurias ceruicibus, & rursus in tergum demitti potest, satis lata conspicitur, & ad formam adhuc vsitatæ vestis Vngaricæ quamproxime accedit. Referunt etiam Turci, Osmanem tali veste talari, quum viueret, vsum fuisse. Notandus & viridis in veste color, ceteroqui Muhametis tātummodo posteris competēs, propter eos, qui Osmanidas & Chalipharum, & Seripharum titulis abstinere putant, velut inuidiosis, & quibus ij tantum vtantur, qui sanguine Muhametis editi creduntur. Eadem namque ratione viridis quoque coloris ab vsu debuerant iam olim abstinuisse, nisi hoc ipso testari voluissent, se quasi quodam iure adoptionis familiæ Muhametis, ob imperij maiestatem, insertos. Qua sandapilæ parte caput eius inclusum iacet, extrinsecus superimpositum est * tulipantum vetus, non admodum magnum, quodq; spiras subtilius & maiori artificio circūuolutas habet, quam in iis tulipantis videamus, quę Turci suis nunc gestare capitibus solent. Adfirmāt barbari, Iosephum quoque patriarcham, Iacobi patriarchæ filium, tali forma tulipanti veteris vsum, & primū quidem eiusmodi tegminis in capita gestandi auctorem fuisse.

* Pandect. cap. 240.

Tulipanti primus inuentor.

Nec silentio pręiereundum, quod ex Hieronymo Beggo Leopolstorfiano, Augustali consiliario, non semel audire memini; viro sane magno, qui res apud Turcos memorabiles vt olim iuuenis in itinere suo sollerter obseruauit, ita post elapsos annos XL tenaci promit adhuc e memoria, luculenteque narrare solet. Is Prusæa, de quibus agimus, Osmanidarum inspectans monumenta, quem Cenitzerum comitem, aut ducem potius itineris secum habebat, virum senectæ viridis, nec imprudentem, vt inter barbaros, dixisse refert, Osmanis tulipanto simplici & exiguo digitis commonstrato: Maximopere mirari se mutationem rerum omnium apud suos Turcos, quorum maiores capita sessis tam exilibus inoluissent; quum nostro sæculo, præ magnitudine toccarum, vix ædium fores, ac tricliniorum ingredi ianuas possint. Nec luxu dissimili, tibialia siue caligas tam longas, plicarum causa, fieri; vt ad frontem mensuras parandarum capi necesse sit, ac vix tamen ita factæ, tegen-

dis iis partibus, quibus destinentur, sufficiant. Famulorum denique numerum tantopere creuisse, plurium vt opus sit opera; quorum alij vestiant herum, alij tulipantum imponāt, alij cingulum porrigant, agāt aliud alij; ne quidem illis deficientibus, qui Iagmurlikion siue scaramangion, de quo dictum * alibi, suos ad vsus tempestate pluuia, portet. Ad summam, non posse iudicabat rem Turcam moribus illis subsistere diutius. Memorabile profecto verbum. Sed Osmanis ad sepulturam redeamus. De his enim iam patet haud dubie, quorumdam opinionem de Osmanis Sugutano monumento, cuius mentionem tertius Musulmanæ liber in extremo facit, nec reiici temere, nec admitti simpliciter posse. Nā sic equidem statuo, voluisse filios Osmanis Sugutæ, propter paternum Ertogrulis sepulcrum, Osmanis quoque cenotaphium exstare; cuius tamen verum monumentum, cum reliquiis, non nisi Prusæ quærendum esset. Exstat & Muratis primi geminum monumentum, de quo suo deinceps loco dicetur.

* Pandect. cap. 172.

Osmanis duo monumenta.

κενοτάφιον.

Vlterius vt pergamus ad alios ibidem conditos, reperitur in eodem sacello, propter Osmanem, etiam Aladinis monumentum, qui filius Osmanis frater Vrchanis fuit. Hic Annalibus Begganis Ali vocatur, in historia Musulmana tam Ali, quam Aladin, quod etiam Prusę nomen legitur. Vnde mihi quidem videtur, Ali deminutæ formæ vocabulum esse, factū ex integro Aladinis nomine.

Aladin, Osmanis filius.

Præterea iacet istic condita quædam vxor Osmanis, vt Turci referunt, de cuius tamen nomine non constat. Malichonem esse, non fit vero simile, quum eam Bilezugę sepultam, ex historia Musulmana docuerimus.

His addendus Ibrahimes, Vrchanis filius, cuius ibidem sepulti nomen inuenitur, quod alioqui nusquam exstat: eaque de causa crediderim equidem immatura morte præreptum, patre adhuc superstite. Reperiuntur istic & alia XXVI monumenta mulierum, & feminei sexus mancipiorum, quarum consuetudine Sultani Osmanidæ, veluti cōcubinarum, aut etiam vxorum, more Musulmano, fuerunt vsi; nonnullis etiam inter has pueris conditis, Sultanorum filiis, qui iustam ætatem non adtigerunt.

Ibrahim, Vrchanis F.

Alius Vrchanis filius, Suleiman bassa, mortuus & ipse viuo adhuc Vrchane patre, sed filium non multo post secuto, militibus a suis sepultus in Cherronesi Bolaire, vel Bolero Prætoris Græciæ, fuit; cuius Bolairis nomen † Sansouinus insigniter corrupit, & Plagiari scripsit. In his de patre Suleimane tā Græci, quām Turci consentiunt. Quod autem Laonicus filij Suleimanis, ibidem cum patre tumulati, meminit; Græcis, eorumque defensoribus, probandum relinquo, quum filij mentionem Turci nullam faciant.

Sule. bass.

† Vi. 28 Pa.

Iuxta sacellum Prusęum hactenus indicatum, in templo veteri, quod a Christianis ante captā a Turcis Prusam conditum fuit, & sancto Ioanni dicatum, vt Græci referunt, situs est Vrchan, Osmanis filius; cuius thecæ tulipantum vetus impositum est, eius formæ, quam antea descripsim⁹. Ibidem & vxor ipsius iacet. Hanc etiam tertio Musulmanæ libro legimus heic fuisse funeratam, iuxta maritum Vrchanem. Erat ei nomen Lulufer, quod Murates begus, Dragomanus azemes siue primarius interpres Osmaneæ Portæ, prodidit.

Vrchan

Lulufer Vrchan vxor.

Præter Vrchanis vxorem, sepultæ reperiuntur ibidem XIIII mulierculæ, seruilis condicionis; de quibus, an Vrchani & ipsæ nuptæ soli fuerint, an etiam aliis, mihi sane non liquet, nec admodum magni res est momenti.

In eodem præterea templo siti sunt, de Turcorum sententia, Sultanus Corcutes, & Sultanus Musa, Baiasitis secundi filij; quorum thecis imposita tulipanta formæ recentioris, ac Turcis nunc vsitatæ, cuiusmodi gestare Tzausij solent, aulici Portæ nobiliores, quorum opera Padischachus sic vtitur, vt commissariorum nostri plerumque principes. De Corcute cōstat, Baiasitis II fuisse filium; de Musa dubito. Nullum enim legimus vsquam vel apud Turcos, vel nostros, dicti Baiasitis hoc nomine filium. Nepotem potius intelligi arbitror, Achmetis filium quartum, a Selime patruo necatum, cuius nomen historia Musulmana non exprimit eo † loco, quo refert interfectos a Selime fratrū filios. Nam Machmutis, qui & ipse Selimis frater fuit, filius Musa non potest accipi; de cuius monumento deinceps dicturi sumus. In huius

Sultan Corcut.

Sultan M

† lib. 2

huius templi vel ædis ingressu, tympanum magnitudinis non exiguæ suspensum conspicitur, quo barbari narrant Vrchanem in obsidione Prusæa quondam vsum.

Extra vrbem Prusam, versus solem occidentem, vbi fontes sunt thermarum nobilium, aluminis saporem referentium, situs est in magno sacello Murates primus, Vrchanis filius, qui Turcis Gasi Hunggiar, hoc est, imperator bellicosus adpellatur. Ibidem & historia Musulmana, cum Begganis Annalibus, tumulatum tradit. Imposita thecæ tocca siue tulipantum, formæ veteris est, qualem in Osmanis monumento descripsimus. Hoc autem verum Muratis est monumentum. Nam quod alibi † descriptum, in æquore Cosouano vidimus, potius est cenotaphium, vt illud Osmaniis Sugutanum: licet viscera quoque Muratis eo contineantur.

Propter Muratem primum, ad dextram, conditi sunt aliquot Osmanidæ; quorum sessæ vel tulipanta, formæ sunt recentioris & vsitatæ, quali Tzausios vti diximus. Hi sunt, Muhametes Zelebis; Baiasitis II filius, Selimis primi frater. Item, Baiasitis Gilderunis filij duo, videlicet Emir Suleiman, necatus a successore & fratre Musa, iussusque post mortem Prusam vehi, & Osmanidarum sepulcris inferri, sicut historiæ Musulmanæ libro x refertur, ac Begganis in Annalibus: & ipse Suleimanis frater Musa Zelebis, cuius aduecto cadauere, territus Caramanoglius obsidionem Prusæ soluit, & fugit: vnde iocus Turcorum, ridentium coniectos in fugam Caramanienses, conspecto funere principis exstincti; & quærentium, quid facturi fuissent, si viuus Osmanides illuc adpulisset? Emiris Suleimanis sandapila simplici mandya siue mentea, talarique veste, panni cymatilis aut vndulati, coloris viridis, cuius manicæ curtæ sunt, pro Turcorum & Vngarorum hodierno more, tegitur.

Eodem in loco, rari cuiusdam instar monumenti, a barbaris aratrum ostenditur; quo dictus Murates primus ipse terram prosciderit, ac sulcos duxerit. Addunt etiam, hinc eum diuinitus impetrasse benedictionem singularem ac memorabilem. Quippe sibi persuasum habent, illas fruges siue segetes, quæ ad ipsius monumentum offeruntur, (& ostendi a Turcis ad sepulcrum Muratis hæ solent) eas habere secreto vires, vt partum prægnatibus leuem reddant, ac fauentis instar Lucinæ iuuent ad subolem tanto facilius in lucem, absque periculo, grauiorumque sensu dolorum, edendam. Præterea stant erectæ iuxta monumentum ipsius tres hastæ, circumplexis in earum parte superiori, ac dependentibus vndique manipulis comarum equinarum, vel integris etiam caudis equorum; quas Osmanei suis in expeditionibus ad honorem memoriamque barbaram, quasi si fuerint barbæ trium Muhametis sociorum, successorum, & interpretum, Ebubekiris, Osmanis, & Omeris, secum ferre gestareque solent. Historiæ tamen Musulmanæ libro tertio legitur, missa fuisse huiusmodi hastilia, cum caudis & comis equinis, Osmani bego, ab Aladine secundo, Sultano Iconiensi; quum quidem ei dici iuberet, vt in omnibus prœliis has sibi præferri curaret. Geufroius easdem in vsu Turcis esse scripsit, ob memoriam Alexandri Magni; qui eas & in casside gestarit, & suis adpensas vexillis, vt demonstrari vel e nummis eius possit. Præterea testari Virgilium, ceteros quoque duces antiquos idem factitare solitos, quum de quodam ait; —— cristaque insignis equina.

Propter indicatum sacellum, Muratis primi sepultura nobilitatum, insigne palatium structuræ Græcæ conspicitur, quod idem Murates maior in Meschitam Musulmanam conuertit. Ad eius trabem quamdam pendet accipiter, aut falco, totus exsiccatus. De hoc Turci commemorant quasi prodigium miraculumue quoddam, accidisse nimirum, vt quum eo Murates ad aucupium vteretur, & auolans accipiter nullis pellici fistularum sibilorumque blandiciis, pro more posset, vt rediret; ægre volucris contumaciam ferens, parum obsequentem exsecraretur. Vnde factum, vt mox arefactus exspiraret. Hæc eadem de falcone narratio, sub finem libri quinti historiæ Musulmanæ reperitur.

Sultan Baiasit primus. *Iacup, Baiasitis frater.* *† cap. 40 Pandect.* *Erdogdi. Erdogrul, Baiasitis F.*

Similiter extra vrbem Prusæam, versus solem orientem, magna quædam est meschita, iuxta quam Sultani Baiasitis primi monumentum exstat, quem Turci Gilderunem Padischachum nominare solent, hoc est imperatorem fulmineum. Ibidem in propinquo sacellum est, in quo Baiasitis frater, Sultani Muratis primi filius secundogenitus Iacupes iacet. Eum Turci strangulatum post cædem patris in campo Cosouano per fraudem interfecti, ac Prusam ex Europa deportatum, heic funerarunt. Gilderunem vero narrant barbari, quoties exteris hæc ostendunt monumēta, cum Musa filio captum, in Temuris Chanis potestatem venisse. quumque deinceps in illa captiuitate rebus humanis excessisset, petiisse filium Muhametem a Temure Chane, patris vt cadauer sibi sepeliendum concederet. Adnuente vero Temure, remissum vel e Tataria, vel Perside ac monumento iam indicato fuisse illatum. Liber autem octauus Musulmanæ, cui titulum interregni dedimus, cadauer Baiasitis a Temure narrat in vrbe Asiatica relictum, cui nomen Ac-scheher, vel Grꝫce Asprapolis, hoc est ciuitas alba, de qua † suo dictum loco; tamdemque per Iacupem begum Germeanoglium Prusam vectum, curante filio Muhamete depositum isto fuisse in monumento, quod descripsimus. Ibidem iacet etiam coniux Baiasitis, fortassis illa, quam tantopere fertur adamasse, Bulcoglia; Stephani Bulci, Zirforum Despotæ, filia: necnon vnus ex filiis ipsius, cui nomen Erdogdi fuisse, perhibent Turci Prusæi; quum Musulmana vocet Ertogrulem, & ante patrem in bello contra Burchanedinem periisse tradat. Vnde colligitur, non hunc fuisse Baiasitis illum filium Orthobulem, quem Laonicus fide dubia, nec adsentientibus Turcis, a Temure Chane, capta Sebastea, interfectum scribit.

Sultan Muhamet primus. *Sepulcrum e Mazolica.*

Etiam Muhametes primus, Sultani Baiasitis fulminei filius, extra vrbem est situs, versus orientem solem, in sacello quodam, quod Meschitæ Musulmanæ vicinum est. Eius sepulcrum constat e pictis fictilibus, quæ Maiolicæ nomen habent, & Nicææ quodam e genere silicis, ad elegantiam sane singularem, conficiuntur ac elaborantur. Circa monumentum Muhametis hinc inde alia sepulcra conspiciuntur octo, tam mulierum ipsius, quam liberorum.

Sultan Achmet. *Tzihan Schach.* *Muhamet & Aladin Zelebes.*

Rursus e regione huius orientalis partis, versus occasum, & consimiliter extra vrbem, qua itur ad thermas sulpureas, iuxta Meschitam Muratiam, a Sultano Murate secundo conditam, diuersæ cubæ siue sacella sunt; in quorum primo situs est Achmetes, Baiasitis II filius; & Achmetis frater, Tzihan Schachus, cum filiis suis duobus, a Selimo patruo interfectis; Muhamete nimirum, & Aladine. Præterea quædam Achmetis filia, cum tribus aliis muliereulis.

Sultan Murat II.

In secundo sacello monumētum est Sultani Muratis secundi. Caret hoc cuba siue semipilari tecto sacellum, adeoq; sepulcrum Muratis huius expositum sub dio, nullo nec vestis alicuius, nec alio tegitur ornamento, cuiusmodi ceteris in sepulcris Osmanidarum conspici diximus: sed instar vsitatorum vulgo Turcicæ nationis monumentorum, e lapidibus & saxis tantummodo cōstructum, iniuriis cæli quouis tempore patet. Ac ferunt Turci, Muratem in extremæ voluntatis elogio mandasse suis heredibus inter alia, dumtaxat vt hoc modo se mortuum sepelirent: quo misericordia sui numinis, (hæc enim eius testamento verba fuisse perhibentur inserta) & eiusdem benedictio, per solis ac lunæ radios, & pluuias, ad ipsum penetrare possent.

Mustapha Suleimani. *Muhamet Mustaphæ.* *Cassim Mustaphæ fr.*

In tertio sacello situs est Mustapha, Sultani Suleimani secundi filius, quem pater in conspectu suo strangulari a mutis, quos in deliciis habebat, voluit. Sepultus ibidem & Mustaphæ filius eiusdem, habetque monumenti titulus nomen Muhametis; quem in Osmanidarum genealogia prima, Pandectis operi præfixa, secutus aliorum errorem, præsertim Ant. Verantij, Pontificis Agriensis, & ipse nominaui Muratem, quum heic expressum nomē verius sit. In eodem quoq; sacello monumētum Cassimis reperitur, cum inscriptione, qua notatur, germanum fuisse dicti Mustaphæ fratrem, Suleimanis II filium, apud Persas exstinctū. Huius nomen hactenus in obscuro latuit, quando nul-

do nullus Suleimanis alius filius in Perside necatus agnoſcebatur, præter Baiaſitem profugum, petente patre, Schachi Techmaſis adſenſu, cum filiis quatuor apud Perſas ſtrangulatum, ſicut Annalium libro ſecundo prolixius expoſuimus. Verum Baiaſites Muſtaphæ frater vterinus non fuit, ſed Selimis ſecundi; natus ſcilicet ex Hazathya, Suleimanis vxore legitima, natione Roxolana, ſiue Ruſſa. Nec Pruſæ Baiaſites cum filiis ſepultus, ſed Siuaſtæ, vel Sebaſteæ. Mater autem Caſſimis & Muſtaphæ, non erat Circhaſia; ſecundum Iouium, hoc eſt Zercaſſorum e gente progenita; ſed Tatara Boſporana, ſicut ab illuſtri viro, Augerio Buſbequio, rectius memoria proditum, adeoque Murtezæ begi, Tatarorum principis, filia; quod e XVI Muſulmanæ libro colligitur. Et hæc ipſa mater horum, in eodem hoc ſacello, iuxta filios, & natos ex illorum altero Muſtapha nepotes duos, Muhametem indicatum, & eiuſdem ſororem, velut vxor Suleimanis, regiorumque liberorum genetrix, ſuum monumentum habet.

In ſacello quarto ſepulcrum eſt Machmutis, qui Sultani Baiaſitis ſecundi filius fuit, & filiorum Machmutis eiuſdem trium monumenta; videlicet Vrchanis, Emirſæ, Muſæ. Volunt quidam, hos fuiſſe filios Muhametis, qui & ipſe Baiaſite ſecundo natus erat, inque ſacello Muratis primi conditus, vt ſupra dictum; quaſi Muhametes & Machmutes vnus & idem fuerint. Sed Muſulmanæ fidem ego potius & in his, & in aliis ſequendam arbitror; quæ Machmutem a Muhamete diuerſum facit, vtroſque tamen dicti Baiaſitis ſecundi filios adſerens. Noſtri, quotquot Machmutem ignorarunt, Muhameti tres filios tribuunt, Muſæ dumtaxat expreſſo nomine, ceteris duobus ſilentio præteritis, quæ heic eduntur.

Sacellum quintum continet exuuias filiorum Baiaſitis ſecundi duorum, Abdullæ, Alemiſque Schachi, & eodem Aleme Schacho nati Vrchanis; cum monumento cuiuſdam filiæ Baiaſitis eiuſdem.

Præter hæc quinque ſacella, ſunt eodem loco & alia duo, cum thecis compluribus, quæ reliquias varias continent mulierocularum, Sultanis Oſmaneæ familiæ nuptarum, & puerorum immatura morte rebus humanis exemtorum, quos ſupra nominati principes procrearunt. Horum indicari nomina, vix operæ pretium fuerit.

Addendum his vnum monumentum hominis adfinitate dumtaxat Oſmaneos contingentis, quod Pruſæ in hodiernum adhuc diem exſtat. Ei nomen erat Muhametes Emir Efendis, quod poſtremum e Græco factum Aphendis, dominum ſignificat. Et frequenter in hiſtoria Muſulmana reperitur, vti quum libro V Cozza Aphendis memoratur, & libro XIIII Scheich Fahredin Aphendis, vel Efendis. Hunc Muhametem, tulipanto viridi vſum, dum viueret, etiam nunc Turci pro viro ſancto colunt. Situs eſt extra vrbem, non procul a ſuperius indicato Muhametis primi monumento, in ſacello quodam, eleganter ſtructæ meſchitæ vicino. Iacet ibidem & vxor eius, Sultani Baiaſitis Gilderunis filia, cum nato ex ambobus filio. Conueniunt ad hoc ſacellum multi Sofilari & Deruiſlari, religioſi ſcilicet opinione barbarorum homines, ad preces illic pro mortuis interdiu noctuque concipiendas, quæ Turcis Inamaſi ſua lingua vocantur. Nec ſilentio tranſeundum, in eo ſacello dari petentibus e vaſe ſtanneo quemdam adipem ſiue ceram, ad mitigandos capitis dolores vtilem, velut ipſi quidem opinantur; itidemque de ſepulcro ipſius terram coloris albi, quæ calci conſimilis eſt, remediumque præſens eſſe creditur ad curandos pleuritidis ac ſtomachi dolores. Ideoque ſingulis annis hominum multa millia ſepulcrum Muhametis huius Efendis cum muneribus inuiſunt. Ac tametſi quotannis infinitus pæne mortalium numerus e dicto vaſe ceram, e ſepulcro terram accipiat: neutrum tamen, ex ipſorum ſententia, vel deficere, vel exhauriri animaduertitur.

ἀφέντης. αὐθέντης.

Vxor Efendis, filia Baiaſitis I.

Iam vero ſi quis ex me quærat, vbinam alij quidam ſepulti fuerint Oſmanidæ, quorum monumenta non ſunt a

nobis hactenus indicata; respondebo de singulis ordine, quantum sane licebit, & opus erit. Sauzis, & filij, Dauudisque nepotis sepulcra commonstrent nobis Græci. Nam Turcos ego me sequi profiteor, qui de his nihil. De monumento Emiris Suleimanis, filij Baiasitis primi, dictum antea; sepultum in aui, Muratis primi, sacello. Filium is habuit Vrchanem, Prusæ mortuum, sicut XIIII Musulmanæ libro legitur, & maiorum monumentis ibidem adgregatum. Huius Vrchanis filius, Emiris Suleimanis nepos, & ipse dictus Vrchan, quia periit in occupatione Constantinopoleos, inter Christianos occisus, vt est apud Laonicum, & Musulmanæ libro XV, proque Dusme vel suppositicio suis a Turcis habitus fuit; haud dubie nullum honorem funeris regij consequi potuit. Mustapha vero genuinus Baiasitis primi filius, quum prœlio Temuriano, Turcis testibus, amissus fuerit, nec vsquam ex eo tempore repertus; cur certum sepulcri locum nullum habuerit, nemo sane, qui sapit, miratur. Stupidiores fuerint, qui de Dusmis siue ficticij Mustaphæ monumento quærere velint, quum illum fœde suspensum ad vrbis Hadrianopolitanæ mœnium pinnas, ob natales ementitos, & infame mortis genus, indignum fuisse sepultura Sultanina, nemo neget. Ratione consimili nullum Isæ begi monumentum indagabitur, quum & is vltimo grauissimoque victus a Sultano Muhamete, fratre minori, prœlio; mortalium ex oculis amissus, ante mortem plane conspici desierit. De Cassime, Sultanaque Fatime, Baiasitis eiusdem liberis, ab Emire Suleimane Constantinopolim obsidum loco missis, Græci rationem reddant, vbinam humati fuerint, & qui Græcorum a fide toti pendent; quum Christianis imbuti sacris, quod expresse de Cassime (Græcis Iesu vel Isa minore) traditur, ne quidem a morte sepulcris Osmaneorum inferri potuerint; statuentibus Musulmanis, etiam loculos suos propinquitate Christianorum cadauerum pollui. Iam vero locus monumenti Mustaphæ parui, Muhametis primi filij, fratris Sultani, Muratis secundi, qui Mustapha

Vrchan, Emiris Suleimanis F. — *Vrchan, Emiris N.* — *Mustapha γνήσιος.* — *Dusme Mustapha.* — *Isa begus.* — *Cassim-begus.* — *Sultana Fatime.* — *Cutzug Mustapha.*

Cutzug a Turcis adpellatur, ex eo potest animaduerti; quod libro Musulmanæ XV legitur, a Muhamete secundo cadauer patris Muratis secundi Prusam fuisse transmissum, penesque paruum fratrem ipsius Muratis, hoc est iuxta Cutzugum Mustapham, natum ex Issendiaris filia, sepultum. Et indicatum superius, circa Muhametis primi monumentum hinc inde alia conspici octo sepulcra, tam mulierum ipsius, quam liberorum; inter quos refertor hic Mustapha paruus, itemq; Iussufes & Machmutes Mustaphæ fratres, vt Burusæ morbo pestifero, de Musulmanæ sententia, mortui; sic etiam ibidem funerati, thecisque paterno monumento vicinis illati. Frater alius horum Achmetes, ante patrem Muhametem mortuus, Amasiæ cum aliis quibusdam fratribus ac sororibus suis contumulatus ex eo colligitur; quod in Turcorum historiis proditur, fratris eius, Sultani videlicet Muratis secundi filium Achmetem, cognomento Cutzugum siue paruum, ex Issendiarina prognatum, quum Amasiæ diem obiisset, ibidem monumentis liberorum Sultani Muhametis, filij Baiasitis Gilderunis, adgregatum fuisse. Frater autem huius Achmetis Cutzugi natu maior Aladin, qui & Alis, licet & ipse mortuus esset Amasiæ, non tamen illic sepultus; sed cadauer eius Prusam deportatum, ibidem ad patris Sultani Muratis secundi pedes conditum fuit. Eodem refero maximum natu Muratis eiusdem filium Achmetem, ad cuius differentiam Achmetes alter, modo commemoratus, Cutzugi siue minoris nomen accepit. Fuerunt his & alij duo fratres, Hasen siue Chasan, & Vrchan; qui quum Hadrianopoli rebus excessissent humanis, ibidem propter flumen Tunsam, siue Tænarum, iuxta Zumam Darulis Hadisis fuere conditi. De Muhametis secundi, horum fratris, qui superstes omnibus, in imperio patri successit, monumento non est quærendum; quum Constantinopoli potitus, ibidem primus e Turcis Zumam struxerit. Est enim hoc in more Osmanidis, vt in sacellis, iuxta meschitas ab se conditas, funerentur. Mustapha, Muhametis II filius

Iussufe[s] Machm[utes] Mustap[hæ] fratres. — *Achmet[es] Muhametis [pri]mi F.* — *Cutzug Achmet, [Mu]ratis II F.* — *Aladin, M[u]ratis II F.* — *Achmet m[a]ior, Murat[is] II F.* — *Muhame[tes] qui Co[nstan]tinopolim [ce]pit.*

Mustapha, Muhametis II F.

II filius primogenitus, vbi sepultus fuerit, memoriæ nunc quidem non occurrit. Itaque dispiciundum amplius, vel aliquid aliis etiam relinquendum, quod inquirant. In dubium sane de ipso tradita vocari nequeũt, etiamsi monumenti locus ignoretur. De secundi vero Baiasitis, eiusdem Muhametis filij, theca libitinaria, tam Beccanis ex Annalibus, quam historiæ Musulmanæ libro XVI constat; hanc in sacello, propter exstructum ab ipso templum nouum, Constantinopoli collocatam. Idem verum esse norunt, qui Constantinopolim adiere, nec sine fructu perlustrarunt. Frater autem Baiasitis minor natu, Zemes Sultanus, quum in exsilio diu vixisset, vt alibi † prolixius expositum; tamdem a Mustapha bego Capitzi--bassa, siue ianitore primario, quemadmodum Musulmanæ libro XVI legitur, Sultani Baiasitis iussu, Francbego vel Italiæ principe consentiente, (sic Papam dixere Turci, qui tunc erat Alexander sextus) in ipsa veneno sublatus Italia, Prusam a morte vectus, & ibidem maiorum monumentis eo lubentius fuit illatus; quod etiam inter Christianos vltra decennium degens, mirifica quadam pertinacia numquam a lege Muhametana desciuisset, ad extremum vsque halitum suæ religionis obseruantissimus. Id enim Zemi testimonium animi sua in superstitione prorsus obfirmati, Guilelmus Candersinus, aliis Cahornsinus, id est Cadurcensis e Gallia, Rhodiorum procancellarius, tribuit. Filius Zemis Caigubuses Schachus, a patruo Baiasite necatus, procul dubio consimile paterno monumentum accepit, velut extra controuersiam stirpe prognatus Osmanea.

Baiasit II.

Zem Sultan.

† Pandect. cap. 154.

Filiorum Sultani Baiasitis loculos antehac ostendimus, extra Selimem, patris in regno successorem. Hunc vt inueniamus, non longe abierimus ab ipsius zuma siue templo, quod etiam ipse patris & aui exemplo, nouum Constantinopoli condidit. Idem faciundum ac statuendum de Sultano Suleimane secundo, Selimis filio. Nam & is cum Hazathya coniuge Russa, propter exstructam ab se Constantinopoli meschitam illustrem, familiari Turcis in sacello conditus inuenitur; historia Musulmana, Beccanis Annalibus, & ipsa rei veritate, testibus.

De Suleimanis filiorum natu maximorum, Mustaphæ & Casimis, itemque nepotum e Mustapha progenitorum tumulis Prusæis, iam antea dictum. Sequitur hos filius tertius Muhametes, ex altera matre natus Hazathya Russa, coniuge legitima Suleimanis, patrique supra filios ceteros, dum viueret, carissimus; quum ob insignes alias virtutes, tum quod obsequiis perpetuis animi paterni beneuolentiam sibi conciliare studeret. Probauit hanc filij pietatem pater, etiam post mortem ipsius; exstructo, præter Osmanidarum morem, Muhametis filij nomine templo, quantumuis ad imperij clauum ille non peruenisset. Ea Meschita Muhametis minoris adpellatur, ad discrimen Zumæ Sultani Muhametis maioris, qui secundus inter Padischachos hoc nomen habuit, & Constantinopolim iugo Turcico subiecit. Huius autem Muhametis minoris, de quo nunc agimus, propter excubita veterum prætorianorum † & Genitzerorum, meschita conspicitur; iuxta quam ipsius reliquiæ, peculiari sacello, pro more continentur.

Muhamet, Suleimanis F.

† Pandect. cap. 197.

Ad Selimis secundi, Muhametis huius germani fratris, filiorumque monumenta progrediamur. Prope meschitam Constantinopoli primariam, quæ olim ædes erat nobilissima Sanctæ Dei Sophiæ siue sapientiæ, nimirum Christi seruatoris, magni Iustiniani Cæsaris opus, sacella duo conspiciuntur, structuræ recentis. In priori, quum quis ingreditur, ad læuam loculi quinque se statim offerunt. In his, ab eadem læua incipiendo, conditi quinque Sultani Selimis secundi filij, Muratis tertij iussu gulis obstructis enecti, hoc ordine numerantur. Thecæ primæ schida barbaris inscripta litteris adhæret, quibus Mustaphæ nomen exprimitur. Secunda titulum Suleimanis, Abdullæ tertia, quarta Osmanis, quinta Tzihangiris habet. Hæc enim reperi non ita dudum meis in aduersariis Turcicis vera filiorum Selimis, a fratre Murate strangulatorum, nomina; quæ nobis, in re præsenti, dictis e schidis ordine recitabatur. Et vidi deinceps eadem ab Haunolto quoque nostro, viro maxime diligenti

Vera Selimis II filiorum nomina.

& industrio, qui septem apud Turcos annis vixit, ita consignata, nihil vt ab his discreparent. Quæ vero prima leguntur in Osmanidarum genealogia, Pandecti meo præfixa, fratrum istorum vitiosa nomina, Mahometes, Aladin⁹, Ecigangir, Abdullais, Solymanus, à me tamen reuocata veram ad pronuntiationem scripturamq; Turcorum: non abs re nunc reiicio, temereque fidē alienam id temporis me secutū fateor. Et hęc quidem non magni esse momēti, lubens adgnosco. Sed dandum aliquid aliorum curiositati, ne vel ignorare, vel nolle posteris ea prodere videar, quæ nunc plerique perfectam ad Turcorum historiam omnino pertinere putant, nec exquisite tamen indagata tradunt. Alioqui meo iudicio parum sane refert, quam in tāta coniugum & concubinarum turba fœcundi Osmanidæ illi scilicet admissarij fuerint, & adhuc sint, nosse: quum vno dumtaxat a morte patris succedēte, ceteri sic absque nobili rerum egregie gestarum præconio denascātur, ac si numquam nati fuissent. Ad Sultanum Selimem vt reuertamur, situs is est vltra filios hosce suos, versus alteram sacelli partem, ianuæ oppositam: & propter ipsum iacet ad læuam coniux eius, cui nomen Huma Cadun fuit.

Selim II.

His expositis, ad reliquorum Suleimanis II filiorum monumenta pergamus. Erat a Selime secundo proximus Baiasites, eadem matre Russa progenitus; iuuenis ferox, auidus imperij, turbulentus, qui sua semet ambitione præcipiti perdidit. Is a fratre Selime, viuo patre, victus armis, ad Persas profugit: vbi cum Omere, Murate, Selime, Muhamete, quatuor omnino filiis, vsitato genti Osmanidarum mortis genere, de medio sublatus periit. Eorum extinctorum cadauera, Sultani Suleimanis iussu, Selimes Zesnegir, hoc est, ciborum prægustator, Sebastiam vel Siuasten auexit, & ibidem pro more condidit.

Huma Cadun, Selimis uxor.

Baiasites, Suleimanus II F.

Quatuor Baiasitis filij.

Postremus Suleimanis secundi filius, ex iis sane, quorum ad nos peruenere nomina, Tzihangir fuit, gibbo deformis. Hic ad Halepum Suriæ necato, mandante patre, Mustapha natu maximo fratre, deductus ad interemti cadauer, ex indignatione mox in id, maxima cum significatione doloris, incumbens; suis ipse manibus in viscera pugionem adegit. Huius vulneris occasione, paucorum dierum infirmitate correptus, occubuit. Constantinopolim deinde iussu patris vectus, & ad vrbem XV Decembris, anno Christiano CIↃ IↃ LIII relatus fuit. Ita narratum legi exitum eius, tam Antonij Verantij Agriensis episcopi, quam Francisci Zaij, regiorum legatorum litteris, eodem anno Constantinopoli datis. Busbequius enim, qui tunc ibi non aderat, aliter rem gestam vult; cui tamen ego nihil derogans, in illorum prius indicatorum sententiam potius eundum arbitror. Quod in primis huc denique pertinet, Tzihangir hic gibbosus, in opido Pera, siue Galata, more patrio funeratus fuit. Sic enim accepi, licet ipse monumentum non adierim; tantoque magis id vero consentaneum censeo, quod in sententia notis me suis Haunoltus, cui plurimum tribuo, confirmarit.

Tzihangir, Suleimanis II F.

Restat, vt etiam de Muratis huius tertij, licet adhuc superstitis, liberorū quorumdam monumētis, immatura morte rebus humanis ereptorum, paucissimis agamus; atq; ita demum indicem hunc libitinarium gentis Osmaneæ claudamus. Igitur in altero sacello, quod ipsum quoque iuxta Diuæ Sophiæ, nouo constructum opere cernitur, Sultani Muratis huius aliquot liberorum thecæ collocatæ sunt. Harum vna Machmutis filij reliquias continet, diuersi a Muhamete superstite. Sūt enim Machmut, & Muhamet, distinctæ Turcis adpellationes. Et Græci, præsertim Cedrinus, e Machmutis nomine Machmutium formant; pro Muhamete Turcorum, vel Mohamedem, vel Muchemetem, vel Mechmetem reddunt. Altera Suleiman clauditur. Tertia Selimem habet, auo cognominem. In quarta sunt Osmanis ossa, qui natus anno Christiano CIↃ IↃ LXXXII fuerat; eo quidem ipso tempore, quo frater eius Muhametes Constantinopoli pompa cærimoniarum maxima circumcidebatur. Hæ vero thecæ sacellum ingredientibus ad læuam visuntur. Ad dextram filia Muratis eiusdem Hatische condita, seorsum & ipsa suum monumentum habet.

Machmut Muratis III filius.

Suleiman, Selim, Osman, Murat. III filij.

Hatische Murat. III filia.

Hic

Hic finis esto non iniocundi, propter insignem rerum varietatem, nec inutilis, vt puto, commentarij; nostro quidem instituto cum primis idonei, planeque necessarij, compluribus ex caussis: ac præsertim, quod eam recenti rerum Osmanearum historiæ fidem conciliet, vt improborum calumniis tentari nequeat, nisi per summam impudentiam tot adhuc exstantia reiicere monumenta voluerint. Æternum denique Deũ ex animo precor, vt hoc fine claudi reabse libitinarium Osmaneæ gentis indicem velit, iubeat.

APOLOGETICVS ALTER, QVI PANDECTIS PLERAQVE TVETVR ET ILLVSTRAT.

HABES, *amice lector, opus primo commodis publicis promissum tomo plena, nisi magnopere fallor, mensura. Nunc & ἐπίμετρον accipe, quo spectanda tibi, & adgnoscenda genuinæ Turcorum, fucoque carentis historiæ facies exhibetur; & obiecta quædam Turcici Pandectis auctori candide, cum fructu legentium, diluuntur & explanantur. Italice vero scripta epistola, verbis ipsius auctoris, ceteroqui Latinæ peritissimi, repræsentatur: ne quis ad gratiam cogitet exaratam, quæ tot nunc demum post annos, & quidem lingua typographiis Germanicis insolenti, non sine ratione tamen, etiam inscio auctore, prodit.*

LETTERA DEL SIG. GIACOMO MALIPIERO, *gentilhuomo Vinetiano, al Leunclauio.*

Molto Mag. Sig. mio osser:

CHE sia piacciuto a V. S. di salutarmi con l'amoreuoliss. lettera sua, portatami già alcuni giorni sono, dal Precettore del Sig. Cõte Vaicardo. veggendomi per questo vfficio amato & osseruato da lei, ne le rendo quelle gratie, ch'io posso: facendole insieme indubitata fede, ch'al presente non mi poteua venir maggior fauor, che questo. Percioche cosi ella ha per humanità sua adempito il lungo desiderio, ch'io hebbi d'intendere di lei, dopo 'l suo ritorno di Constantinopoli; & m'ha insieme dimostro, che l'antica amicitia nostra, come quella, che dipende dalla virtù, appresso di V. S. (ilche sempre ho sperato) non habbia riceuuto alteratione alcuna. V. S. dal canto mio, si come fin hora sempre è stato, cosi aspetterà in ogni tempo il medesimo: allaquale, poiche piu non posso, non so altro offerire per corrispondenza, che l'antica mia affettione, laquale in nessun modo cede a gli effetti, liquali desidero siano in me, quãdo che sia, buoni per seruirla, come meritano le sue rare qualità, & la sua molta dottrina, per laquale tanto viene stimata da chi bene intende.

Piacemi assai hauer inteso, che ella attenda a publicare gli Annali de' Turchi, & certi suoi libri dell'historia Musulmana: i quali me do a credere, che debbano riuscir dotti & leggiadri, come sono gli altri scritti suoi, co' quali V. S. s'è già raccomandata all' eternità della Fama. Et mi persuado, che ella già habbia veduto vn viaggio fatto a Constantinopoli, scritto in nostra lingua Italiana d'incerto autore, che dallo stile io giudico sia di Mes: Andrea Nauagero, quel famoso Oratore & Poëta de suoi tempi. Ilche essendo, haurà letto in esso, come la maggior parte di quei Turchi, i quali hanno scritto l'historia della loro natione, è stata bugiarda, come di coloro, che piu amauano acquistarsi dell' oro adulando; che senza quello seguire la verità, vita dell'historia. Donde auuenne, che Suleiman Imperator de' Turchi, il qual fu molto dedito alli studi delle lettere, & specialmente all' historia, non si curaua di legger quelle: ma haueua le vere memorie de' suoi maggiori, scritte da persone non appassionate, lequali teneua del continuo in mano, communicandole solamente a suoi piu fidati, da

quali con tanta fede & diligenza erano custodite, come sogliono essere i thesori, o le cose sacre.

Perche pigliando V. S. come mi scriue, il filo dell' opera sua dalla tessitura de' scrittori Turchi: se ella per auentura ha copia d'alcuno di quelli, de quali disopra ho parlato, noi haueremo senza alcun dubio, molto maggior certezza delle cose di quella gente, di quel c' habbiamo da alcuni, i quali hanno empite le carte di cose non vedute, ma solamente narrate, come coloro che non mai furono in quelle parti: doue mi do facilmente a credere che V. S. habbia conseguito quel fine, per il quale i saui pari suoi sogliono intraprender viaggi. Et perciò fa molto bene, che va cōtinuando con diligenza il corpo dell' historia Musulmana: la quale m' auuiso da titoli de' libri, che dourà essere simile a gli altri parti, che sono vsciti da V. S. cioè non meno vtile, che dilettevole. Et prego N. S. Dio, che ce la faccia veder condotta al fine, per maggior gloria del nome di V.S. & per giouamēto di coloro, i quali sanno, quanto si impari da tali scritti.

L'illustrissimo Sig. Conte per la gratia di Dio vltimamente è restato libero della sua quartana, per laquale è diuenuto cosi trasformato, che è vna compassione a vederlo. Hauendogli io mostrate le lettere di V. S. mi comandò, che la risalutassi a nome suo, ilche io faccio, & insieme la essortassi a seguire l'opera; dallaquale, quando che ella sia publicata, non può essere, che vtilità & piacere non ne segua a chi la leggerà, & gloria & reputatione al suo autore. alquale bacio le mani, & mi raccomando. Del castello di Scintauia, a 20 di Decembre. 1587.

EADEM EPISTOLA LATINE REDDITA.

IACOBVS MARIPETRVS IO. LEVNCLAVIO S. P. D.

QVOD litteris tuis amantissime scriptis, quas Comitis Vaicardi pædagogus ante dies aliquot mihi reddidit, salutare me volueris; gratias, quas possum, ago; quum præsertim ex hoc officio perspiciam, me abs te & amari, & obseruari: simul tibi certo persuadeas volo, nihil abs te mihi hoc tempore gratius potuisse accidere. Nam hoc modo perhumaniter satisfactum abs te diuturno desiderio meo, quo cognoscere de tuis rebus a reditu Constantinopoli tuo cupiebam: & eadem opera demonstratum, veterem illam amicitiam nostram, veluti quæ a virtute pendeat, apud te sartam, tectam. Vicissim tibi de me polliceberis, me semper eum erga te futurū, qui hactenus fui. Quumque nunc aliud non liceat, pristinam tibi beneuolentiam studiumque meum offero; reipsa tibi meis, vbicumque res feret, officiis non defuturus: vti singulares illæ dotes tuæ merentur, & copiosa doctrina, quæ tantam tibi parit apud eos existimationem, qui recto iudicio præditi sunt.

Per mihi gratum est intelligere, te publicandis Annalibus Turcicis, & historiæ Musulmanæ libris, operam dare; quos equidem & eruditos, & elegantes in lucem prodituros existimo, cuiusmodi nimirum & aliæ tuæ sunt lucubrationes, quibus immortalem iam nomini tuo famam conciliasti. Arbitror etiam te vidisse descriptionem Italicam itineris Constantinopolitani, ab incerto profectam auctore, quem ex ipso charactere dictionis Andream Naugerium, clarissimum illum sui sæculi tum oratorem, tum poëtam, esse iudico. Hanc si legisti, meminisse potes inter alia dici, Turcos, qui suæ gentis historiam litteris prodiderint, mendaces fuisse: veluti qui potius auri copiam adsentando parare studuerint, quam absque auro nudæ veritatis, quæ anima est historiæ, vestigiis inhærere. Propterea Turcorum imperator ille Suleiman, admodum litterarum studiis, & historiæ præsertim addictus, scriptos istos ab adulatoribus rerum Turcicarum libros nequaquam lectione dignabatur: sed sincerioris fidei commentarios de gestis maiorum suorum, a viris ab o-

mni

inni animorum morbo & adfectu liberis elaboratos, habebat. Hos adsiduo versare manibus solebat, & cum maxime sibi familiaribus, secretorumque consciis, tantummodo communicabat: qui non minori eos fide ac diligẽtia custodiebant, quam vel thesauri, vel res sacræ seruari consueuerint.

Quum igitur in opere tuo, quemadmodum scribis, Turcicos auctores sequi cogites: si forte nanctus es exemplar aliquod eius generis commentariorum, de quibus modo loquebar; hauddubie certius quiddã de gestis ab eo populo rebus habituri sumus, quam hactenus a nonnullis acceperimus, qui non perscribendis rebus ab se visis, sed enarrationibꝰ aliorum perceptis, chartas impleuere: quum ea loca numquam ipsi adierint, quibus in locis equidem te facile credo id consecutum, cuius caussa viri sapientes, tui similes, eiusmodi profectiones & itinera suscipere solent. Ideoque rectissime facis, quod diligenter historiæ Musulmanæ corpus continuare pergis, quam animaduertere videor ex ipsis librorum titulis, similem fore ceteris ingenij tui fœtibus, quos in lucem edidisti; non minus scilicet vtilem, quam iocundam & amenam.

Deum quidem precor, vt eam nobis ad finem perductam videre liceat, tum ad maiorem nominis tui celebritatem, tum eorum vtilitatẽ ac delectationem, qui norunt, quantum ex scriptis eiusmodi proficiatur.

Illustrissimus Comes, Dei beneficio, tamdem febre sua quartana liberatus conualuit; ita mutatus tamen, vt eum sine dolore intueri nõ possimus. Quum litteras ei tuas ostenderem, iussit, vt suis verbis tibi vicissim salutem dicerem, quod equidem nunc facio; têque simul hortarer, opus vt inchoatum pertexeres; ex quo, publicatum vbi fuerit, fieri nequeat, quin ad lectorem fructus & voluptas, ad auctorem gloria cum existimatione redundet. Vale. Ex arce Scintauia. a. d. XI. Kal. Ian. anno 1587.

IO. LEVNCLAVIVS IACOBO MARIPETRO, *patricio Veneto, V. C.* S. P. D.

SÆPE de tua cogitans epistola, Maripetre, quam necdum editis in publicum Annalibus meis Turcicis, antè aliquot annos & prudenter, quæ grauis iudicij tui maturitas est, & amice, qui sinceri candor animi, scriptam ad me dedisti; libenter adgnoscere soleo, tuo factum vnius suasu & auctoritate, quod nec Annales, id temporis recens natos, nec totum scribendæ Turcorum historiæ consilium, vti certis ex caussis facere constitueram, abiecerim. Quippe quum sententiam tuam nõ pellegissem modo, sed etiam rectæ iudicij normæ adhibuissem, qua Turcicorũ de suæ gentis historia monumentorum insigne discrimen nobis ostendebas; memorabile Suleimanis Padischachi, veritate nixa probantis, ab adulatione profecta respuentis, exemplũ proferebas; ab iis deniq; certi quidpiã de rebꝰ in ea gente gestis, aiebas exspectandũ, qui non ab aliorum narratis & fide penderẽt, sed oculis ipsi suis pleraq; barbarorũ æstimationis alicuius inspexissent, auribꝰ rara maxime notassent, animis ad rerum memoriam pertinentia studiose condidissent: magnopere mihi visus sum in mea cõfirmari opinione ac instituto, claraque veluti voce veritatis ipsius excitari, ne ceptum feliciter opus mihi temere de manibus excuti paterer. Sciebam enim, Annales illos non in ædificio nobili Byzantino, distrahendis omnis generis mercibus condito, quod Besestanum vocatur, cõparatos; sed ab eo profectos, qui legato Henrici secundi Gallorum regis ad Sultanum Suleimanem Dragomanus & interpres intimus anno Christi CIↃ IↃ LI fuisset: sciebam commentarios, e quibus historiam Musulmanam conditurus essem, partim a Ferdinandi Cæsaris ad eumdem oratore, Antonio Verantio, Pontifice Agriensi; partim a Philippo Haniualdo, pluribus annis in oratorum Augustalium comitatu Constantinopoli cum laude versato, sollerter à Turcis, nec opimis absque muneribus, quæ nihil nõ apud omnium mortalium auarissimos efficiunt, impetratos; aut

pretij potius illecebris redemtos. Quinetiam mecum ipse rem omnem diligẽtius ad animum reuocans, in eam denique veniebam sententiam, vt hos esse commentarios illos statuerem, tãto Suleimani habitos in pretio, nec nisi maxime familiaribus communicatos. Quippe quum industria legatorum nostrorum, & largitiones, etiam ad intima Sultaninorum cubiculorum arcana penetrẽt, vt eiusmodi negotiorum periti norunt: vix dubitabam Gallos; ceteroqui natura curiosos, & historiæ gentium exterarum auidos, a Suleimanis familiaribus secretos illos Annales consequi potuisse, qui ex iisdem multo secretiora tunc cognoscerent; & eo sane facilius, quod id temporis iidem Galli, propter initorum cum barbaris fœderum religionem, & armorum aduersus quosdam societatem, præcipuo apud Turcos in pretio, supra Christianos ceteros, essent. Aiebat etiam is, quem dixi, Dragomanus Oratoris Gallici, quũ Annales Hieronymo Beggo Leopolstorfiano V. C. descriptos traderet; vnum magnæ dumtaxat existimationis, eumque Gallum, ad nostros secum exemplar illorum ante ipsum deportasse. Semel autẽ, quod aliis etiam in rebus vsuuenire videmus, expugnatis pecunia venalium animis; non iam amplius arcana sua tam religiose tegunt, vt non eadem & aliis, noui spe lucri, vel etiam maioris, adfulgente; sub taciturni pacto silentij, vendere velint, & occulto quodam modo reuelare. Quo factum, vt oratoribus nostris etiam pleniora, quam Gallis, qui glaciem ex prouerbio primi perfregissent, offerrentur: sicut hauddubie Verantiana prioribus longe præstant, ac rursus ab Haniualdanis superantur; quod a sene, quondam primario Portæ Dragomano, sed ab officio propter vsum immodicum vini remoto, ideoque rerum omnium egeno, quiduis in historiæ descriptione, cuius exemplaria prius in tãta dignitate constitutus ex archiuis petere, proque lubitu tractare potuerat, suppeditatione cottidiana pretij vel pauxilli posset elici. Altius etiam hæc in animo meo resedit opinio, ex ea causa, qđ nihil in his ab adulatione profectum, nihil ad Sultanorum gratiam scriptum animaduerterem: immo etiam libere quædam ab ipsis præter ius & æquum admissa, notari & reprehendi viderem. Si stemma Sultanorum quis ambitiose potius, quam vere, nimis antiqua petitum ab origine, serieque deductum non satis probabili, dicat: ei non abs re vicissim obiicietur, non magis id vitio Turcis verti posse, quam Vngaris; quorum reges a Noha deductos, ex ipsorum Annalibus, Basilius Ioannes Heroldus dedit. Cetera quammaxime veritatis intra limites consistunt. At vero Besestaniarum, quas superius adtigimus, historiarum, vel fabularum potius ingentia volumina prorsus eius sunt generis; cuiusmodi magnum illum Suleimanem serio solitum auersari accepimus. Hęc igitur expendenti tunc mihi visum; te ducem auctoremq; sequi; præsertim quũ ab aliis etiam nonnullis instructum me scirem subsidiis, operi tanto perficiundo non parum opis adlaturis; de quibus equidem tacere malo, quam iis ostendendis aliorum inuidiam aduersum me concitare. Quid autem hactenus præstiterim, partim in medio expositũ quiuis æstimare potest, partim suo tempore parebit. Ac memini, quũ ante biennium, publicatis iam Annalibus, officij causa venirem ad illustrissimum Comitem IVLIVM Salmensem ac Neoburgicum nostrum, quem venerationis & honoris causa nomino, te familiariter mecum pluribus de rebus more nostro colloquentem, mentione dicti Annalium operis obiter iniecta, nequaquam in eis fidem requirere, cuius ego præstandæ me non ignorabam obligatum; sed pleniores tantum de Turcicis rebus expositiones desiderare. Nam paucissimis aiebas, & ingenue quidem: Annales paullo aridiores videri, quam par esset; Pandectem tamen, vt succi plenum, arentes Annalium agros, incilibus aliunde deriuatis, non parum irrigare. Per mihi placuit hoc iudicium tuum, ac verum vt fatear, quid etiã Pandecti meo desit, rectius ipse intelligo, quam quisquam alius: & altera, iam parata, breuique proditura in lucem editio, magis excultum dabit. Erunt præterea fertiliores Musulmanæ campi, stilo pastinati magis historico; quum ipse non ignores, quam Annalium tenuis & ieiuna esse soleat oratio. Interea vero,

dum

dum illa modo recensita lucem accipiant, hunc instituere sermonem apud te per litteras de Pandecte visum: ac ne nescias, equidem serio te non defensorem mihi, sed arbitrum quadam in controuersia, momenti licet exigui, deposco; quam ipse rerum vsu maximarum, & historiæ vniuersæ cognitione præstãs, quodque maius est, auctor operis continuati, nullo negotio vel paucorum sententia verborum diremeris.

Nam esse quosdam accepi, qui sparsis inter amicos suos hinc inde litteris querantur, me Turcicarum in rerum tractatione sæpius ab ipsorum opinionibus discedere; quod ab eis proferri miror, quum licitum cuiuis sit: atque etiam sua nonnullis in locis oppugnare, quod equidem factum nego; quum nusquam pugnis egerim, sed modeste verum a falso secreuerim. Ægre præterea ferunt, mentionem illorum publice factam, quæ ipsorum opinione, disceptari priuatim, scilicet inter centum disiunctos a se inuicem milliaribus Germanicis, potuissent: quum sua publicando, aliis occasionem exponendi sententiam diuersam, & ab errore minus peritos auertendi, dederint. Obiiciunt expressa mihi nomina sua, qui si perspectos habuissem prius horum hominum genios, numquam eos profecto nominassem. Sed huic rei remedium præsens, vt ea nomina prorsus inducantur, quod sane iam factum. Nam quæ nobis vtrimque, tam magnis scilicet viris, pertimescenda dicunt, Platonis & Aristotelis exemplo; quorum hic ab illo priori dissentiens, æternæ cuiusdam infamiæ se reum fecerit; non sine risu legere potui. Quid enim? sene Platones faciunt? equidem nihil sum minus, quam Aristoteles. Eodem pertinet, quod ituros se minitantur animis contra: quum tantus tamque celebris vir (quis naso me suspendi non videt?) in harenam descendat. Quærant alium sibi leoninũ Achillem magnum, cui volupe sit, cum eis conflictari. Ego meo me pede metior, nec vllius lædendi causa innocuos hactenus vngues expediam. Memini quidem certe virum auctoritatis eximiæ, Nicolaum Henricum Eberpachianum, Babenpergici principis consiliarium, amicum fraternæ mihi caritatis vinculo iunctum, & inter nobiles iurisconsultissimum, inter iurisconsultos nobilissimum, indicatis ei verbis horum, acu rem, quod dici solet, tangere; quem scilicet ad scopũ ea tenderent. Sed frustra cõgressum hominis, meliores ad vsus fugitiuas horas conferre cupientis, exspectãt. Nec illa me verba mouent, aculeis & dentibus sane vulpinis non carentia, quibus hebetis ingenij debilitatẽ, quod aliorum sententiam non adsequatur; itemq; vacillantis memoriæ lapsus, & nescio quod stili diuersi a suo vitium; ac festinationem denique nimiam, inter scriptionum aliarum numerosas occupationes, obiiciunt; vix alium ad finem, quam vt explosis alienis, tamquã deproperatis & immaturis, ipsi soli cum suis, velut omnibus numeris absolutis, in illo theatro suo regnent. At vero de ceteris vt taceam, quis tamdem hæc ipsis, de tantis scriptionum occupationibus meis, persuasit? Itineribus magnis, & legationibus ad aulas Europæ cum primis illustres, ipsius Imperatoris, Matthiæ Archiducis Austrij tunc Belgicas res gubernantis, Sabaudiæ Ducum patris & filij, Lotareni, Aurasini, complurium principum aliorum, nec leuibus quidem in negotiis; profectione denique Turcica, quam per litteras rogatus & arcessitus suscepi, spatioque mensium XVIII absolui, multis hactenus annis occupatum me fuisse præcipue fateor: nec in vmbra, ipsorum more, sed in sole ac puluere versatum. Quapropter hoc mihi fuit ἔργον, secundum Græcos. Interdum nonnihil nanctus otij, ne nihil agerem, id agere malui, quod fructum aliquem adlaturum reipublicæ putarem. Vnde scriptionum laborem mihi fuisse πάρεργον, intelligunt. Ita Zosimus meus, & Xenophon recensitus, (cuius ducis auctoritate liberatum quondam a direptione Byzantium vidisse gaudeo, nec ab instituto amantis patriæ, laboriosique viri, pro meis sane viribus, discedo) subsecuiuis horis Taurinensibus debentur, quum illic in aula biennium hærerem. Num vero maturitas in hisce meis, an illorum scriptis, maior sit; per me quidem licebit, vt eruditi statuant, & ipse dies dabit. Ad rem potius, his omissis iterum accedamus. De Cossorassatho Aytho-

ni, nihil equidem amplius dicam. Iudicent alij, sitne propior huic adpellatio nomini Cosroas Sach, an Artaxerxes. Nam Aythonum in hoc quoque suis a temporibus remotiore falli potuisse, nō dubito; quum in grauioribus eum impegisse, præsertim in Sultanorum Turcicorum, Zadoci posterorum, serie longa breuissimi temporis, & recentioris tunc quidem memoriæ, libro Musulmanæ primo, argumentis exceptione maioribus docuerim. De Dauide, quem illi Dusmis Mustaphæ filium faciunt, & a Taure Sauzis filio separant, deque ipso Mustapha, toto cælo erratur: quū stent in hoc a me non modo Turci, sed etiam Græci, stet Laonicus ipse; cuius verba diligentius ab eis non ponderari, sane miror. Nec admitto, quod aiunt, videri Basilium Ioannem Heroldum nomen hoc non finxisse, sed aliis ex auctoribus desumsisse. Potuit enim hoc ab eo fieri, temere ab aliis accepta, defectu iudicij, pro veris referente. Sane fontem erroris vt ipse ostēdam, hausit hoc totum Basilius Ioannes Heroldus ex Poloniæ Cromeri libro XXII: cuius ille locus hunc errorem solum non habet, & cuius est refutatu facilis. Addam aliud, ex corruptis Laonici Latinis exemplaribus hoc etiam manasse, quod Tautes Sauzis filius creditur; quum e filio nepos fuerit, velut expressum est in Philippi Gundelij, Cæsarei quondam consiliarij, Laonico manuscripto; quem eius gener, Ioan. Ambrosius Brassicanus, V.C. & ipse Cæsari a consiliis, mecum pro sua in me beneuolentia communicauit. Nec aliter esse posse, ratio temporum euincit, quæ a Muratis primi regno latuisse Sauzis huius filium apud Vngaros annis pæne LXX, præterque hominum opinionem denique rursus visum paullo ante mortem Muratis secundi, nullo sane modo patitur; quod de nepote dici non potest. Hæc solida ratio est, qua nebulæ verborum, & superficiarij fumi, ad præstringendos nonnihil oculos comparati, mox discussi euanescunt. Mustaphæ profecto suppositicij filiū Dauidem ego nullum adgnoscam, sicuti nec patrem Osmanidarum sanguine cōcedam editum, nisi testimonium Græci scriptoris eorum temporū proferatur: siquidem non sine causa, de illorum sentētia, considerandum; an non Græcorum auctoritas, Annalium Turcicorum fidei veniat anteponenda: quod sane num recte controuersorum in numerum ab his trahatur, adparet ex historia Musulmana, & diligenti collatione Turcicorum cum Græcis, qui manifesto plurimis in locis a veritate tradunt aliena. Vix magnus liber his ostendendis suffecerit.

Sequitur Chalipharum adpellationis origo, tum a quibus illa fuerit olim vsurpata, vel vsurpetur hodie: num Osmanidarum principes ea suis in titulis vtantur, & an Murates hic tertius illam sibi primus adrogauerit. Adpellationis originem & vsum a se iactant expositum, quum hactenus a plurimis ignoraretur. Inuenire licet significatum vocis, expositum in Annalium Turcicorum supplemento meo, & tertio Pandectis capite: pluraq; libro historiæ Musulmanæ primo reperiuntur. Denotat enim vicarium, & heredem, & successorem; tam videlicet ipsius vicarium Dei, quā Muhametis, Musulmanorū prophetæ, successorem; vti ne nos quidē Chalipham nostrum & vicarium desideramus, qui se in terris vices ipsius Dei gerere profitetur. Hoc apud istos legere non memini. Nec mirum, quum obliuiosus sim, cui toties ipsi memoriam non satis firmam obiiciunt: quam ab aliis, & in primis ab illustri viro, Lazaro Suendio, Barone Altæ Landispergæ, (cui quam familiaris fuerim, norat, & honorifica cum mētione defuncti, præsente Karolo Barone Zerotinio recordabatur ante biennium magnus illorum Dux IVLIVS Brunsuicensis, inclutæ princeps memoriæ) grauibus in negotiis prædicatā, multisque Dei beneficio documentis insignibus reipsa probatam, conseruari mihi diuinitus opto. Varias vocis expositiones adferunt, & Chaliphas cum Ameris, vel Emiribus, & Amermumnis, qui Muminorum siue cærimoniarum Emires sunt, (Iouius hos reddit optime credentium in religione principes, & Muleassem dixisse refert, ita maiores suos, Tunisinos reges, adpellatos fuisse; quos tamen Halifæ titulo constat abstinuisse) confundunt. Ex aliis Reges & Doctores interpretantur, itemque πρωτοσυμβούλους, siue primos & supremos consiliarios, absurdissime profecto; quum hi

non

non Chaliphæ, nec principes ipſi, ſed Chaliphæ-um & principum Vezir-azemes hodierni ſint. Item ἀρχηγούς, de quibus ego libro hiſtoriæ Muſulmanæ primo diligenter egi. Duces item, ac principes ſignificari Chalipharum nomine volunt. Et in his quidem, adeo diuerſis, ſibi non conſtant; nec diſerte, quæ potior ſententia ſit, oſtendunt. Vnius Archiepiſcopi Tyrij locus, ab eis citatus, ſcopum adtigit, licet parum intellectus. Nam ſucceſſores, & heredes, hoc vocabulo Chaliphæ, denotari tradit: quod ipſi non aliter accipiendum aiunt, atque » Byzantini Cæſares ſe coronæ Conſtan- » tini Magni heredes nuncuparint. Heic iterum memoriæ vitium vltro fateor, qui nuſquam hunc titulum Imperatorium Græcis in hiſtoriis legiſſe meminerim. Ipſi μνημονικώτατοι nobis auctorem indicent. Gratiam habebunt obliuioſi. Sed interim velim memoria illa ſua firma teneant, Chaliphas ſic mea ſententia dictos illic Vicarios Dei, ſucceſſores Muhametis; vt apud nos Dei quidam Vicarius, Petri ſucceſſor, adpellatur; donec aliud ipſi nobis probauerint. Nimirũ ſecreti quidpiam heic latitat, de quo modo non eſt locus differendi. Qui aurem habet, audiat; qui mentem, intelligat.

Quod autem in titulo regis Ægyptij, ſecundum ipſos Salbmanderis, qui tamen rectius Sultan Tater dicitur, quam Salbmander, vt alibi monſtratum, ne- » gant apud Schiltepergum Bauarum vſquam exſtare nomen Chaliphæ: manifeſta vel ab ignoratione, vel ſomnolentia proficiſcitur. Quippe ſi oculos aperuiſſent, aut intellexiſſent Chaliphæ vocabulum: inueniſſent apud hunc Germanicas dictiones, Vicarium ſiue Locumtenentem Bagdatinum ſignificantes. Id enim vocabulum Vicarij vel Locumtenentis, apud Saracenos & Turcos eſt Halife. Nec mirari debent, Sultanum Taterem Chaliphæ titulum ſibi ſumſiſſe; quum cc & amplius ante annis conſtet deceſſorem ipſius Saladinum, interfecto Chalipha, theſauroque illius in milites erogato, perfeciſſe; vt ſolus & Sultanus haberetur, & Chalipha. Libet enim ipſis antiqui verbis auctoris vti, quæ Laurentius etiã Howartus in manuſcripto commentario ſuo bona fide rettulit. Quod inſitiantur deniq;, vel in « Suleimanis ſecundi, vel Selimis itidem « ſecundi diplomatibus, Chaliphæ titulũ « inueniri; ad ignorationis indicatæ caliginem ſimiliter referri debet. Quippe contrariũ doceri manifeſto poteſt. Nec ſatisfieri mihi patiar eo, quod ſubiiciũt; horum Sultanorum diplomata ſibi Cæ- « ſaris ex aula communicata, quæ Chali- « phæ titulo careant. Nam in aula Cæſa- « rea, ſicut & Conſtantinopoli, quo loco diplomata primum transferũtur, omitti prorſus hi tituli, tamquam ſuperflui, & ante noti, noſtris a Dragomanis ſolent. Ego vero multos vidi, tum Suleimanis, tum etiam Selimis filij, & Muratis nepotis, inſerendos hiſtoriæ Muſulmanæ tomo ſecundo, in quibus hæc inueniũtur verba: *Heres huius ſæculi*: & in litteris Suleimanis ad Sigiſmundum primũ, Poloniæ regem, ante Bagdatim captam datis, *Heres paradiſi terreſtris*: & interpretũ magis imperitorum, *Princeps præſentium temporum*. Illud a Turcis ſua lingua dicitur, *Halife Alem*, & poteſt etiã reddi, Halife ſiue Vicarius mundi. quod profecto bonis hiſce viris hactenus ignotum fuiſſe videmus. Nihil ſane noui Murates hic tertius introduxit, ſed a maioribus accepta retinuit. Omitto Serifis adpellationem Muhametis familia prognatis ceteroqui peculiarem, Chalipheæ proximam dignitati; quam hodieque Sultanis Oſmanidis tribui, vel inde conſtat: quod Peiclari ſiue curſores Padiſchachi, quum in itinere circum ipſum curſitant, frequenter exclamare ſoleant: *Alla ienzur Serif*: hoc eſt, Deus fortunet Serifem. Quinetiam Schachus Iſmail Sofi primus, Oſmanidarum æmulus, Baiaſite ſecundo, Selimeque primo regnantibus, hunc titulum ſuis in monetis & litteris, ſiue diplomatibus, velut ſibi iure potiori debitum, vſurpare ſolebat: *Iſmail Halife Lullahe*, hoc eſt, Iſmail Vicarius Dei. Nec ignorare debebant homines rerum humanarum peritiſſimi, nepotem etiam Iſmailis, Muhametem Hodabedem, Schachum Perſicum, in recentibus litteris ad Hiſpanum regem, ſe Chaliphen nominare. De quibus iam liquido paret, vt puto, quam plerumque Momus cæcutire ſoleat.

Hinc illa crambe recocta de Malo- «

coniis iterum nobis adponitur, sed nouo condita moreto; nimirum auctoritatis Geufræi reiectione, qui Malcozoglios dictos, veluti Marcos-oglios siue Marci magaritæ filios, scripserit; quod recte scriptum arbitror, nec a Turcis Bodini Malocopios adgnosci constanter aio, sed Malcoz-oglios. Hoc ipsum vero nomen idem esse cum Marcos-ogli, de Suleimanis etiam itinere Persico paret, quod capiti penultimo Germanici Pandectis inseruimus; vbi nomen Marcos-ogli simpliciter in archetypo interpretis Verantiani, castris quinquagesimis primis, reperitur. Quod autem hi subiiciunt, erroris sui velandi causa, » non fieri verisimile, transfugæ posteros indigenis optimatibus, non modo ceteris honoribus, verumetiã imperij hereditate capessenda æquatos: examinãdum nonnihil, vt videamus, quam incogitanter ab iis, qui alias arte Themistocli oblata non egent, proferatur. Eadem scilicet ratione negabunt, Michaloglios siue Michalis posteros, ab apostata fuisse propagatos, quum inter optimates Turcicos semper habiti fuerint. At vero legatur in historiæ Musulmanæ libro tertio de Michaëlis Cossis adhuc Christiani coniunctione cum Osmane bego, desertione Christianæ religionis, & inuestitura, qua ditionem ei, posteaquam musulmanissare non dubitasset, idem Osman primus Chan, per traditionem vexilli confirmauit, quemadmodum hodieque mos idem a Turcorum Sultanis obseruatur. Ab hoc tamẽ, Turcis testibus, apostata & transfuga, Michaloglij fuerunt orti, ceteros inter proceres omnes semper æstimati longe nobilissimi. Cur idem Marci magaritæ liberis obtingere non potuit? Iam vero nequit etiam hoc loco præteriri silentio ficticius ille honos, & ius imaginariũ capessendæ hereditatis imperij Turcici, quod in hisce verbis optimatibus Turcorum nonnullis adseritur. Interrogo vos, quis auctor idoneus vmquam tale ius alicui familiæ Turcicæ tribuit extra Osmaneam? Quis vmquam dixit aut scripsit quidquam de certis, post extinctos Osmanidas, in imperio successoribus, nisi Turcicarum rerum plane rudis? Ne Bodinum quidem excipio, quem in his imprudenter aliquos sequi video. Quis credat vmquam apud Turcos vllam mentionem factam de iure succedendi Osmanidis? Radicitus exstirpatæ statim fuissent omnes pariter illæ familiæ quatuor, velut insidias regno structuræ, maiestatisque reæ, si vel insciis & inuitis ipsis, verbo quis hæc tetigisset. An fratribus germanis, fratrumque filiis, nimium quantum a natura suspicaces Osmanidæ, metu successionis inuadendæ, nullo parcere modo possunt, alienis parcunt? Nesciebãt hi profecto, vel saltim hæc scribentes haud recordabantur, diuina licet memoria prędīti, maximos etiam proceres vilissimorum ab Osmanidis mancipiorum haberi numero, quos vel ob leuissimam offensiunculam interfici nutu solo iubeãt. Nimirum in scholis suis otiosi de successione in regno Turcico disputant, siquidem Osmanidas sine heredibus decedere contingat: ac ius hereditatis adeundæ familiis quatuor, suffragiis suis vindicant, edicto Prætorio tribuunt. At vero nesciunt, ne vestigium quidem vllius ex iis quatuor, vsquam toto superesse Turcorum in imperio. Nihil quidem certe de ipsis constat, nec amplius vel Michaloglij Akinzileris Europæ, vel iidem cum tribus ceteris, aut sanzacatibus, aut militum copiis pręficiuntur. Ad summam, prorsus altum de his silẽtium. Eurenosoglij cum Turechanoglijs, iam olim desiderantur. Malcozogliorum ab annis XLIII, Michalogliorum a LX plus minus annis, nulla in rebus a Turcis gestis exstat memoria. Fortasse falli me putabunt. Ostendant contrarium, si possunt; non tamen quorumuis librorum, sed viuis eorum testimoniis, qui Turcos adierunt, & res ipsorum cognitas habent. Nec est, quod dubitent, his & aliis rebus exquirendis in itinere meo singularem a me non diligentiam modo, sed etiam curiositatẽ adhibitam. Quomodo igitur Osmanidis hi successuri sunt, quum nusquam exstent? Nisi forte dicamus eos, extinctis Osmanidis, ἀπὸ μηχανῆς, instar numinum tragicorum, cum stupore mortalium prodituros: aut exorituros aliquos Dusmes siue suppositicios, qui se pro veris & genuinis Michalogliis & Malcozogliis venditaturi sint.

Quod vero Iathatinem horum, & Aladi-

Aladinum, commenticios nomino; intelligendum de Iathatine, & Aladino duplici nomine ficticio, Caichosrois ipsorũ filiis, Clizastlanis nepotibus, Masuti pronepotibus, Aladini abnepotibus, qui ex Solymano Sa natus eorum sententia fuerit. Nã ceteroqui Cai-husreuis nepotes, Aladinis primi filios, Azadinem & Iassadinem, cum Turcis & manuscripto Prætore Græciæ libenter pro genuinis adgnosco. Sequor enim hos equidem, quorum auctoritatem, si possunt, argumẽtis solidis ipsi, non coniecturis, euertant.

His adiiciuntur & alia, de rebus quibusdam friuolis, quas pudet adtingere; ne laudibus eorũ detrahere videar, quibus ceteroqui sane faueo. Nec in mediũ proferre lubet, quæ rectius a me, quam ab ipsis tractata, sicco pede, solo de Genitzeris excepto errore, transeunt. Non ad omnia, primo Pandectis enucleata capite, respondent: nihil ad XIIII caput in primis, de comparatione Turcicarum dignitatum & officiorũ cum Saracenicis, in quibus ipsi tantopere sunt alucinati, nihil ad caput LIX, ad LXIIII, ad LXVII, de Baiasitis primi filiis, respondent. Defendant heic Græcos, siquidem eos defendi posse confidunt; quum nõ obscure horum fidem Annalium fidei præferre nitantur.

Finem vero tamdem vt faciam, causa nõ erat, cur a me posteriores Armeniorum reges ac duces præteritos mirarentur, qui nostrum ad argumentum hoc nihil omnino pertinent. Nam Annales Turcici nusquam horum vel vno verbo meminerunt, nec mentionem facere, diuersorum plane temporũ ratione vetante, potuerunt. Equidem si commentari de his ex dignitate vellem, Aythonum post ipsos alium darem: ad cuius plenam restitutionem quid adhuc desideretur, cuius opera, quibus adminiculis opus sit, dicerem ingenue, ni sinistre me scirem intellectum iri. Sultanorum autẽ Misirensium veræ seriei, quotquot eorum ad historiam hanc nostram spectant, initio Musulmanæ nunc, inter aliarum successionum & genealogiarum typos, locum dedimus. Tatari posteriores οὐδὲν πρὸς ἔπος, alio referendi. De Cypri Lusignanis regibus explicata quędam in extremo bello Cyprio, Annalium supplemento siue libro secundo. Et facillime dederim horum historiam, modo velim. Sed in Annalibus nulla Cypri, regumue Cypriorum, ante bellum vltimum, mentio; quo Turcorum expositiones non pertingunt. Ideo non inserti fuerunt a me Pandecti meo, qui Turcicos ad Annales, eorum illustrandorum causa, nõ meum ad supplementum, adiectus. Nec ignoro, quo Cypriorum regum historia loco sit explicanda, quum paucis id fieri nequeat. Quod in extremo denique tangẽdum restat, ambitiosi nonnihil hominis iactantiæ de suarum ceteroqui non ineruditarũ scriptionum encomio, nescio cuius a terræ filij figlina profecto, (notum quidem illud de Chytra Vincentij, —Fusa cui nomen ab olla) verbis meram adsentationem spirantibus, quam multa nostrorum ad commendationem satis honestam, prolata magnis à viris, opponere liceret, si liberet? Sed vnicum sufficiet serenissimi Archiducis Austrij Matthiæ, tot Cæsarum Augustorum nepotis, filij, fratris, omni maius exceptione iudicium: qui reabse testari voluit, quid de cõmentario Turcico, & ipso præsertim Pandecte sentiret; dum non editum modo Latine, sed nuper etiã nostrate lingua recusum benigne paucis, vt solet, verbis commẽdaret; ac suas inter occupationes tum perlustrare, tum lectitare nonnumquam dignaretur. Cedat igitur alter ille remotis in locis Turcicorum, quę trita non sunt, si non ignarus, certe nõ admodum gnarus; idque suo desiderãs in pruritu, quod est in prouerbio, Mutuum muli; cedat inquam principi facile inter ordinis sui primos experienti, & in ista barbarorum vicinia quum ante rerum Osmanearum perito, tum cottidie de iis in senatu, grauissimorumque virorum sermonibus, illa cognoscenti; quæ pauci nostrum, etiam αὐτόπται rerum barbaricarũ, scire nos, profiteri possumus.

Hæc ex Atticæ legis instituto, ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν, apud te, Maripetre, agere volui; recensitis querellis de me bona fide præcipuis, sicut ex adiuncta ipsorum epistola videbis, & exclusis non necessariis: ne quis me per calumniam, & dolo malo, vel iudicem incorruptum, vel arbitrum sincerum circumscribere velle cogitet, vt in hac causa μονομερῶς, quemad-

modum Antecessores illi nostri Byzantini Basilicorum in opere loquuntur, alterius partis rationibus in medium non productis, cognoscat. Tuam nunc sententiam exspecto, velut arbitrium boni viri, cui lubens equidem stabo: saluo tamen aduersariis, si teneri se negent ex compromisso, tam excipiendi, quam vlterius etiã prouocandi iure; quo tamen vix vsuros puto, vbi præter ipsius vim veritatis, etiam integritatẽ tuam penitius e cognitionis æquitate perspexerint. Vale. a. d. VIII eid. Nouembr. CIↃ IↃ XC. Vienna.

IACOBVS MARIPEtrus Io. Leunclauio S. P. D.

LITTERAS tuas, Leunclaui, quibus Pandectem tuum honestissime defendis, accepi, & sæpius ac diligẽter perlegi; elegãtia & mundicie orationis singulari, quæ in omnibus tuis scriptis relucet, ac minime vulgarium rerum iocunda varietate delectatus.

Quod ad argumenta exemplaque, quibus quæ contra dicuntur, refellis; vt, quod a me petis, libere eloquar: arbitror ego, qui ea nõ probauerint, vel graui inuidiæ morbo se iactari, vel in hac historiæ parte sibi ipsis non respondere, indicium facturos. Ita singulis rebus, de quibus agis, (nihil auribus tuis tribuo) non tantum omnia parata sunt, sed & probabilia, necessaria, certa. Quæ si legere bonis illis viris aliquando contigerit, quam ipsos prẹstitisset labore isto supersedere, satis fortasse intelligere poterunt. Nos vero ne animũ in eos vlla maleuolentia propterea suffusum gerere videamur, interim donec discant, quid ex ore & alieno iudicio loqui, & propria, quod tibi cũ Vlysse sapientissimo, scopulosa nato in Ithaca, quam vidisti, commune est, experientia disserere, inter se differant; optabimus ipsis, vt quo molestiæ sibi minus creent, tacendi de non exploratis salutare consilium capiant. Et tu, Leunclaui, quosuis æmulos, si me audis, missos facies: laudisque & gloriæ titulum, tot editis ingenij monumentis abs te partum, publicatis Musulmanæ libris, quos in annum Flacci nonum premi non erit necesse, quum iam septimus hic Turcicis abs te datus sit, magis ac magis tibi confirmabis, & bene porro de humano genere mereri, ad quod te præcipue generatum videmus, perges. Vale. Ioan. Michaëlem Brutum, Cæsaris historicũ, & Vgonem Blotium I. C. Cæsareæ bibliothecæ magistrum, viros clarissimos, ex me plurimum saluere iubebis. Ex arce Scintauia. III Non. Ianuar. CIↃ IↃ XCI.

REGNI TVRCICI CATASTROPHE,

ANTONII TORQVATI FERRARIENSIS, PHILOSOPHI, medici, astrologi clarissimi prognostico adumbrata, quod de regnorum Europæ mutationibus Matthiæ regi Vngarorum, anno CIↃ CCCCLXXX dixit, ac dies declarabit.

Obiter huius ipsi † meminere Turci, tamquam ab Vngaris iactati, libro XVIII *hist. Musulmanæ, ad annum Christi* CIↃ IↃ XLI.

†Haud sa visum ponendi

AD immanissimos Turcos ratiocinationem meam conuertam, quos longum, latum, & magnum imperium, diuitiarum magnitudo, frequẽtia victoriarum, & gloria, tantum extollet, eorumque animos & spem sic eleuabit; vt sibi putaturi sint nec cælũ resistere posse. Atque iccirco ad totius orbis imperium adspirabũt. Assyrios & Ægyptios, maximis prœliis fractos, superabunt. Armenios, Parthos, & Persas, continuis prœliis molestabunt. Pluries aduersus eos victores & superiores euadent, & quandoque succumbent. Magna strage suorum in Christianos arma mouebũt. Venetis primum multa inferẽt damna. Post eorũ amici facti, Belgradum in ditionem recipiẽt, Rhodum superabunt, Pannoniam & Vngariam multis cladibus adficiẽt. Tamdem vim comminantes, regnum Vngarorum lacerantes, simulque Imperium Romanum Germanumque diutissimis bellis tentantes, in eorum manus cadent. Annus erit Christi 1594 vel 1595. Sed prius Apuliam intrabunt, Siciliam, Galliæ Hispaniẹque litora classe sua, necnon Italiam molestabunt & adfligẽt. Timorem magnum Christia-

Vix an pracise- tur ti potuiss

Christianis immittent. Sed Christus tamdem suorum stragem non ferens, furorem Germanorum, vigorem Vngarorum, militiam Hispanorum, ac Italorum ingenia, cōtra eos adducet. Et tamdem eorum imperator superatus, interficietur; in quo prœlio negotioque, regis Vngariæ laus erit prima. Nam, vt astra prædicunt, dicti regis auspicio, ingenio, & industria ductuque, perficientur omnia, quæ de morte immanissimi Imperatoris Othmaneorum, & de victoria contra eum habenda, prænuntiantur. Othmana namq; domus in tredecimo vel quartodecimo capitibus corruet, nec illum excedet numerum, nec annos salutis 1596 transibit. Tunc enim horrendo concidet casu. Et ex Imperatoris Turcorum morte tanta orietur inter duces eorum, & inter Othmaneos contentio & discordia: vt ab seinuicem, & ab externis interficiendi sint. Tota Græcia ruinis & externis bellis permiscebitur, adfligeturque peste, ac fame laborans sæuissima, vltra modum vexabitur. Nec paullulum respirandi tempus restabit, aut locus, donec pæne tota pereat. Tunc Christiani omnes alacres, vno animo transibunt mare, & tanta velocitate, tot tantisque copiis; vt quasi totam terram Christianorum in Orientem non ire, sed potius volare credendum sit. Sed prius Veneti non leuibus malis † adflicti succumbent, quam hæc fiant. Tunc demum videbitur, Turcos ad fidem Christi conuolare. Tunc Christiani, qui Christum abnegarant, ad iugum Christi suaue reuertentur; & gemina Imperia sub vnum Imperatorem conuolabunt.

† an hæc de missa Cypro 1570.

Ad summam, Domini nostri Iesu Christi vexillum ad orientales partes cum gloria portabitur, & Muhametana secta cessabit: passimque Muhametani, atque Iudæi, ad Christi baptisma conuolabunt, cui sit honor & gloria in sempiterna sæcula.

VATICINIVM LAVRENTII MINIATENSIS, QVI IOANNEM IOVIANVM PONTANVM DISCIPVLVM HABVIT, a CXXX, plus minus, annis editum.

AEtas, quæ nostris iamiam ventura sub annis,
Est melior. Nostræ legis non pauca refringet,
Aspera quæ nimium, sacris & dura ferendis:
Et genus omne mali tollet, pompasque sacrorum:
Ac regem dabit innocuum, qui temperet orbem.
*Hic reget egregie populos, gentemque * rebellem*
Imperio subdet, toti & dominabitur orbi.

* Christo aduersantes Turcos

DE TVRCORVM EORVMDEM PRAETERITIS ET FVTVRIS, ΧΡΗΣΜΩΔΑΙΣ.

Cedant Romulidæ, cum Graiis. nescio Zurca
Quid mage nunc rarum parturit historia.

IO. LEVNCLAVII ONOMASTICA DVO, DECLARANDÆ TVRCORVM HISTORIÆ: QVORVM PRIVS NOMINA PROPRIA REGIONVM, PROVINciarum, populorum, vrbium, opidorum, castrorum, ædificiorum, montium, fluminum, antiqua & recentia, inter se collata, complectitur.



AC-coionlu, albarum ouium regio, priscis Græcis Armenia minor, Colchidi vicina; recentioribus ἀσπροπροβατάδων χώρα, reddito vocabulo Turcico.

Ac-deniz, album mare, Græcis nunc ἄσπρα θάλασσα, quondam Ægeum mare. Vulgo dicitur Archipelagus, etiam Italis.

Achelò. quære in Varne.

Achlat, Armeniæ fluuius, olim Araxes, qui tamen & Ares hodie dici putatur.

Ac-serai, & Ac-sarai ciuitas Caramaniæ, quondam Anazarbus Ciliciæ, patria Dioscoridis medici. Nomen Ac-serai Turcicum significat album palatium, siue castrum album. Ex hoc Nicetas Choniates, & alij Græci, fecerunt Axara.

Ac-su vocatur a Turcis in genere aqua vel alba, vel clara, id est limpida: singulariter vero, lacus olim dictus Ascanius, propter vrbem Nicæam.

Adalia Schiltepergo & Murati Dragomano, quã prisci dicebant Attaliam. Quære Antali.

Aggiul-Felanos, Philomiliũ Phrygiæ. Ag-giul Turcis est alba rosa. Sic fortasse dictum opidum Philomilium, quod albis rosis abundaret.

Aia-Iuni, opidum Asiæ minoris, & proprie Cariæ, nunc Aidinensis regionis, ita vitiatum a Turcis ex Græcorum ἅγιος ἰωάννης. Est enim a sancto Ioanne Euangelista, cuius illic esse sepulcrum creditur, sic adpellatum; & ab eodem, Aia Sulug, quod a barbaris corruptum ex Hagios Seologos, qui Græcis est ἅγιος θεολόγος, vsitata ipsis pronuntiatione; quum S. Ioanni huic etiam Theologi datum peculiariter nomẽ fuerit. Hæc Ortelij est Hagia Cariæ, hæc Theologos aliorum, & Aia Schiltepergi. Lydiæ fines tangere videtur.

Aian-giol, ea palus aut stagnum Turcis est in Asia minore, cui Symeon Magister officiorum dat nomen Vetus ἰβαίη λίμνη, palus Ibane, vel Iuane; nec eam a quinque Sangarij fluminis pontibus longe collocat.

Aianicola, nomen proprium Græcum, ex ἁγιονικολαΐτης corruptum ac mutilatum.

Aia Sofia, nomen templi Constantinopolitani primarij, ab Iustiniano Imp. conditi, corruptum ex Græco ἁγία σοφία, quo sancta Dei sapientia, nimirum Christus, intelligitur.

Aia Sulug, opidum Cariæ. quære Aia Iuni.

Aiban Sarai vocatur a Turcis palatium vetus Augustale iuxta monasterium S. Mamantis. Et Ai-Ban a vulgo vitiatũ ex Aia-Mam, hoc est, ἅγιος μαμᾶς. Habent etiam S. Mamantis memoriam sacram, non vt Christiani, sed vt sancti cuiusdã Musulmani. De situ loci quære caput 200 Pand. Turcici, ad portam vrbis XII.

Aidinzic, id est, Aidinia parua, Asiatica regio, sic a Turcis describitur; vt satis intelligi possit, e regione Cherronesi Thraciæ trãs fretũ Hellesponticum sitam, propter Abydum, Asiæ castrum, de quo dictum in Aidos. Et hinc equidem arbitror, Aidinzici nomine vocari a Turcis Abydenam regionem, vel agrum Abydenum, qui tamen Carasia siue Troade prouincia continetur, vt expresse colligitur ex lib. IIII Musul. pag. 208 & 209. Ideoque nõ dubitandum, diuersas esse regiones, Aidinzic & Aidin-ili, quod vocabulum regionem Aidinensem significat; sed non ab Aidos, quo denotatur Abydus, sed ab Aidine duce Turcico, suam accepit originem. Obiter addo, vitiose scribi hanc, ab Ortelio, & aliis geographis, Aldinelli, pro Aidin-ili.

Aidin-ili, hoc est, Aidinis ducis regio, pro Caria veteri plerumq; accipitur. Sed vti Caria tota non comprehenditur Aidinensi prouincia, quũ eius aliquam partem, nec exiguam quidem, Caramania sibi vindicarit: ita limites eius etiam extra Cariam extendi debent. Hoc colligi vel ex eo potest, quod in Aidinensi regione Tire collocetur, quæ priscis erat Thyatira Lydiæ. Nec Aiasuluga, quam alibi ostendimus esse dictam περὶ τοῦ ἁγίου θεολόγου, ad Cariam referenda de Geographorum recentium opinione, sed potius ad Lydiam; sicut & Malatestæ secretarius fecit. Ea tamen a Turcis in Aidinensi regione ponitur. Aldinelli non recte scribitur.

Aiem. quære Azem Memleket.

Aiemia & Azemia, Persia, vel Parthia generaliter.

Alasar, voce contracta ex Ala-hisar, significat excelsum vel altum castrum.

Alascheher, altam sublimemve ciuitatem significat. Ea si non erat Philadelphia Lydiæ, Græcorum Hypsilen dicemus a Turcis commutatam in Alascheher, quæ Philadelphiæ vicina, similiter altam significat, hoc est, ὑψηλὴν πόλιν.

Ali, deminutum ex Aladin, voce veteri, quæ diuinum hominem significat.

Amasiæ prouincia, nunc Tocatum dicta, proprie veteribus Cappadocia, saltim ex parte.

Amid, & Hemid, priscis Amisus & Aminsus Galatiæ.

Anatolai-dag, mons Anatoliæ, priscis Olympus mons Bithyniæ. Quære Keschis dag, & Geschis dag, & Emir dagi.

Anatolici, priscis erant hi populi simul, Phryges, Lycaones, Isauri, Pamphylij, & Pisidæ.

Ancara, priscis Ancyra. quære in Enguri.

Andrinopoli, vrbs Thraciæ primaria. quondam Hadrianopolis.

Anguri. quære Enguri.

Antakie, quondam adpellata fuit Antiochia.

Antali, Turcis vrbs ea, quam plerique de nostris Satteliam & Setteliam dicunt, prisci Attaliam, ab Attalo rege.

Antali, priscis erat Attalia Lydorum, ab Attalo rege dicta. Scribitur a Turcis etiam Adalia. Vincentius Belluacensis Antaliam vocauit.

Arbanos Turcis est ea regio, quam Græci nunc ἀρβανίαν dicunt, paullo antiquiores ἀλβανον, vnde nomen Albanensium, hodieque frequens. Priscis ἤπειρος vocabatur, Epirus nostris. Incolæ tam huius, quam Moreæ, nunc Epirotis plenæ, vulgo nominantur a Turcis Arnautleri.

Ares, & Aras, Armeniæ maioris fluuius, quondam Araxes. Turcis etiam Achlat, quod suo loco quærendum.

Arnautler. quære Arbanos.

Artzerum, ciuitas ad Armeniæ Cappadociæque fines sita, quam Cedrinus Ἀρτζὲ nominat. Turci vocem Rum, e Romania mutilatam, adiecere propterea; quod Rumilia siue Romania Græcorum Asiatica comprehendatur. Hinc errare Minadoim paret, qui Erzirum & Arzerum, esse diuersa clamat; illud, opidi nomen, olim Simbra Ptolemæo dictum, nunc Erzirum, velut Erzimbra; hoc prouinciam, quæ ipsius opinione pars Assyriæ sit. Putat alios errare, quum erret ipse, Castaldi errore pertractus in errorem. Nam Artzerumes ager atque prouincia non debuit a Castaldo collocari propemodum ad ipsos Persarum fines, vbi nulla reperitur Artzerume, nec vmquam ab vllo posita est tali nomine regio: sed Armeniæ potius ad limites. De hoc errore Castaldi primus me Constantinopoli monuit Bartholomæus Pezzenus, vir magnificus, & illustris nunc ad Portam Osmaneam Cæsareæ Maiestatis Orator.

ἄσπρα θάλασσα, mare album; veteribus, Ægeum & mediterraneum. Quære Ac-deniz.

Asproprouatadæ, gens nigris ab ouibus dicta, minoris Armeniæ. Quære Accoionlu.

Atmeidan, equorum area, quæ Constantinopoli est, quondam Hippodromus (ab equorum curriculo) dicta.

Auarinus, olim Pylus. quære Iauarin. Alij Coryphasium Messeniæ priscis putãt fuisse dictũ.

Auelona. quære Valona.

Aurat bazar, forum mulierum aut feminarum Constantinopoli. Veteribus Tauri forum dicebatur ex eo, quod inter alias antiquitates, Taurus illic aheneus esset collocatus, Phalaridis tyranni iussu factus. Tauri vero vocem Turci per metathesin commutarunt in Aurat, vt recentior adpellatio similitudinem aliquam haberet cum veteri, & ipsi quoq; nonnihil sua lingua significaret. Hodie conspicitur in eo foro adhuc reliqua Imperatoris Arcadij columna, quam variarum rerum & personarum imagines continentem, vulgo columnam istic historiatam nominare solent.

Axara. quære Ac-serai.

Aydos, e Dardanellis arx vna, litoris Asiatici; quondam Auydos Græcis, Abydus Latinis dicta.

B

Bacras mons Caramaniæ, quondam Taurus Ciliciæ.

Bagdat, Babylon noua. Laonico scribitur μπὀγδατης, Bogdatis. Italis est Baldacco.

Bahera, Persidis extremæ prouinciæ Chorasani vicina Tatarorum regio, priscis Bachtra dicebatur, & Bactra. Princeps eius regionis hodieque vocatur Vsbeg Han, omnibus vsitato principibus illis nomine, quemadmodum paret e libro XVI Musul. Hic est ille, cuius filio cum exercitu cæso, Chorasanem rex Persicus suam, hoc anno 1591, nuper admodum recepit.

Balbec. quære Bualbec.

Balikesre, Carasinæ ditionis opidum, Græcis παλαιόκαστρον Troadis, aut Phrygiæ minoris, vel Mysiæ.

Balubadra Moreæ ciuitas, priscis erat Palæopatræ Peloponesi, ceu Patræ veteres, ad Neopatrarum discrimen.

Basra, opidum Arabiæ, priscis Bostra.

Bealebeca Suriæ, quondam Heliopolis Cœlesyriç.

Beetz, siue Weetz, nominatur a Turcis vnica tantum syllaba, sed molliter enuntiata, ciuitas Austriæ Vienna; priscis non Vindobona, nec Vindomana, sed Vindoniana.

Beetzstan, aut Weetzstan, adpellatur vocabulo nouo iã a Turcis Austria, vel Ostrichium; ac si dicas, regnum Viennense. Prætor autem Græciæ, qui CCC, & amplius, ab annis vixit, dat Austriæ nomen ὀσρίκιον.

Belgradum, opidum Sirfiæ vel Seruiæ notum, Alba Græca vulgo, Nandor Alba Vngaris, τὸ βελέγραδα Cedrino, priscis Romanis Taurunum.

Bergas, turris. opidum priscum Pyrgus. quære Burgos.

Besestan, ædificium Constantinopolitanum, in quo merces omnis generis, & pretij maximi, distrahuntur. Equidem arbitror, hunc esse locum illum, quem historici Grçcorum recentiores λαμπτῆρα vocant; a lucernarum, vti sane videtur, copia.

Besiḉtas, locus ad quartum lapidem a Galata distans, in Europæo litore. Vox Turcica Besic-tas, saxum cunarum significat, quæ Græcis esset ἀναρχανοπέτρα. Scriptores historiarum, qui mille ab annis vixere, Diplokionia, geminis a columnis adpellãt; longe vero vetustiores, Iasonium.

Bilenos, veteribus Polichne Troadis.

Bitanos, nomen corruptum ex Gręco Βιθυνιακός, quo Bithyniæ, vel regionis, vel opidi Mysiæ, præfectus significatur.

Boga & Buga, minoris opidum Asiæ, siue Anatoliæ, priscis Baga, Græce βάγη, quod ipsi pronuntiare solent Vagi.

Boga-su, vel Buga-su, tauri aquam significat. Nomen est fluminis in Asia minore, quod Græci veteres Bagam, aut Vagam, sicut & Βάγην opidum, dixere.

Bogazi-chisar, castellum faucium. idem cum Geni-chisar, quod suo quære loco.

Bogazi Kessen, fauces Bospori, Græcis λαιμοκόπια; quæ vox Turcicæ respondet, & fauces incisas, hoc est strictas, denotat.

Bogazi Kessen, faucium incisio; locus, quo fauces Bospori maxime sunt angustæ. Distat vno milliari Germanico a Constantinopoli. Græcis λαιμοκόπια dicebatur, eodem significatu.

Bolaierde, vox scripta vitiose Verantiano ab interprete, prorsus eadẽ est cum Bolaire, quam suo loco Græcorum βολερὸν esse, ostendimus. Sic etiam Sansouinus ex Bolaire fecit Plagiari, vocabulum magis adhuc corruptum.

Bolair, ea Cherronesi Thraciæ regio est, quam Græci dixere τὸ βολερόν. Vnde Turci Bolairis vocem formarunt.

Bolina, Apollonia, ciuitas in Thraciæ finibus ad Thessaliam. Quidam & Pulinam vocant.

Boor, opidum in Thraciæ Thessaliæque finibus, olim Berrhœa.

Bualbec, Heliopolis eius Suriæ, quæ Caua siue κοίλη quondam adpellabatur. Eadem est cum Bealebeke, de qua suo loco superius. Cæsaream Philippi vult esse Bellonius.

Buccellarij Græcis recentioribus dicti fuerunt incolæ Galatiæ. Musul. lib. 1. 57. 22.

Buga. quære Boga.

Buiuc Iskender Schach, Rex Alexander magnus.

Buiuc Zecmege, Ponto grande, siue Pons maior. Opidum inter Silyuream & Pontem minorem. Priscis ῥήγιον μέγα. Et ῥήγιον nominatũ arbitror a terra maris impetu ab se inuicem diuulsa, quæ sinum hunc effecit; vt eadem ex causa diuisum terræ motu a Sicilia Rhegium Italiæ dictum. Vocarunt etiam Græci ἄθυρον μέγα, quod portis careat.

Burgos, opidum Thraciæ. Priscum eius nomen Gręcum erat πύργος, quo turris significatur; vti Bergas etiam, quo nunc a Turcis adpellatur, eorundem Turcorum lingua turrim denotat.

Burusa Turcis, Bursa vulgo nostris, est veterum nobilis illa Prusa Bithyniæ.

Buruz, opidum Cariæ, quõdam Græcis dictum κιβύρα, nostris Cibura.

C

Cagiali, oppidum Galatiæ, quæ Gelas-ili nunc, & Selas-ili Murati Dragomano dicitur. Priscis Ægialus erat, & Cobialus; e quibus sane duobus nominibus vnum hoc Cagiali conflatum est.

Caisaria, Cæsarea Cappadociæ, & alia Caramaniæ siue Ciliciæ.

Calanos, & Calanouos, corrupta ex καλὸς νέος, id est, bonus iuuenis. nomen fratris Carachisarini præfecti Græci. Musulm. lib. 111.

Candari, & Canduraie, priscis Candara, in Paphlagonię finibus, versus Pontum Euxinum sita.

Cangria, Pontica ciuitas, quam prisci Gangram dixere. Murates Dragomanus Kiengaram vocat, de qua suo loco.

Carabogdania, significat Gdaniam siue Daniam nigram, cuius & principes Gdani fuere dicti, & Dani, & Bogdani, voce posteriori Veneda Dei donum significante. Dani vero sunt Daui & Dai, locorum illorum populi antiquissimi. Ab his dicta fuit regio Maura Dauia, voce vicinis a Græcis accepta; qua denotatur nigra Dauorum regio, quam iidem Græci posterius μαύραν quoque Βλαχίαν dixere, ceu nigram Valachiam. Ita videmus has inter se conuenire adpellationes. E Maura denique Dauia vulgus imperitum Moridauiam fecit, ac rursus e Moridauia Moldauiam, familiari permutatione litterarum L & R, etiam Græcis & Turcis; vti quum illi κόρφον ex κόλπῳ faciunt, hi Dulgadiriam ex Durgudilia.

Caraborum & Caraburum, opidum Aidiniæ Turcis, veteribus Carbura Lyciæ, & Barbura, quod corruptum ex Carbura, propter similitudinem litteræ cappa cum vita, quæ nonnumquam a Græcis ita pingitur, vt u Latinam referat, & κ Græcę non admodum sit dissimilis.

Cara-chisar, arx nigra. Cedrino vocatur μαυρόκαστρον, eodem significatu, & μαυροκάστρου πόλισμα, castri nigri opidum.

Carachisar, Græcis Maurocastron, quo significatur arx nigra, triplex in Anatolia reperitur. Prima Phrygiæ, frequens est in historia Musulmana, videturque μαυροκάστρου πόλισμα dici a Cedrino. Altera Ponti est, non procul a Sasuma, (Sasimorum hoc priscis opidum erat) & versus Trapezuntem sita. Tertia Carachisar est Caramaniæ, quam veteres dixere Coricum Ciliciæ.

Caracoionlu, regio Trapezunti vicina, sic a nigris ouibus dicta. Græci veteres adpellabant Colchidem, recentiores incolis nomen μαυροπροβατάδων dedere, quod Turcico plane respondet.

Cara-deniz, nigrum mare; Damasceno Studitę μαύρα θάλασσα, significato diuersa in lingua eodem. Priscis Pontus Euxinus.

Cara Ferie, significat Ferien nigram, & priscis

fuisse Pherinum Thessaliæ videtur.

Cara-hemid, nomẽ est vrbis in Mesopotamia, quam barbari sic vocant, vt Hemidam vel Emidam nigram. Apud veteres celebris erat Amidæ nomine.

Caramania regio, a Caramane nomen adepta Caraman-ili, proprie Cilicia est, cum aliis tamẽ adpendicibus; parte nimirum Lycaoniæ, Pamphyliæ, Cariæ; quibus addit Laonicus mediterranea Phrygiæ maioris. Vnde Turci quoque toties in Musulmana Caramanogliis principib. Durgutios, siue Durgut-ilianos Phrygiæ populos subiiciunt.

Cara-oiluc, voces duæ, quibus nigra meridies significatur. Ita barbari dixere prouinciam, olim vocatam Mesopotamiam, quod interiecta fluminibus esset, Euphrati & Tigri. Ratio nominis recentioris a situ meridionali petenda est, & a caloribus, quibus a sole sic aduritur; vt & incolæ nigri sint, & solum regionis nigrum. Ideoque Nigram hanc Turciam Schiltebergus etiam nominauit.

Carasi-ili, Carasia regio. Laonicus Lydiam vult esse, quod non nego, sed totam ea comprehendi Lydiam, nego: sicut e diuerso tam Mysiæ veteris, quam Troadis ac Phrygiæ minoris ei partem adtribuo, Turcis auctoribus, qui Carasiæ finibus includunt Troiæ rudera, Palęocastron, Abydum, Pergamum, Atramytium; non Lydiæ, sed indicatarum modo regionum opida.

Cara-su, fluuius Caramaniæ, qui Tarsum adluit; olim Cydnus Ciliciæ. Turcicum nomen nigrum amnem denotat, cuius a profunditate petenda ratio.

Carauoli, promõtorium ad Bosporum, a tergo Galatæ opidi, sic a Carauuli dictum, vel a speculа. Meminerunt etiam veteres καταϲκέπης ad Bosporum, quæ vox eiusdem est significati cum hac Turcica. Sed paullo remotior est a Galata κατασκεπὴ, quam Carauoli.

Carse, opidũ Persarmeniæ Cedrino, nunc Cars Turcis dicitur; olim Corsam fuisse nominatam, e Ptolemæo Minadois coniicit.

Carum, nomen proprium, feminei sexus, orientalium more mutilatum ex αἰκατερίνη Gręco, quod vulgo nostris est Catharina. Sic Ismailis Sofini auiam maternam Spanduginus refert dictam fuisse Carum de Comnenis, hoc est, Æcaterinam Comneniam, Vsun-Chasanis coniugem.

Castel Zonchio. quære Iauarin.

Catergo-Liman, locus Constantinopoli ad muros maritimos Propontidis, sic a Græcis dictus, quasi κατέργων λιμὴν, galearum ac triremium portus. Græci vulgo κάτεργο λιμιόναν modo dicunt, τριήρεων λιμένα veteres adpellassent.

Cauala, Macedoniæ opidum quondam Cauyla. Verius enim hoc, quam si Bucephalum fuisse dictum quondam putemus, ex opinione Bellonij, nimirum ab Alexandri regis illius, cognomento magni, equo: quasi Cauallæ nomen ei datum fuisset, veluti caballæ.

Cefalonia, Ægei maris insula, quõdam κεφαλληνία, Cephallenia.

Cerigo, insula sita e regione Malei promontorij Moreæ, quondam Cithera.

Cesair, cum articulo Arabico Al-gesair, quod idem cum Al-cesair, mutilate vulgo Algeir, priscis erat Iulia Cæsarea.

Chaireboli vocatur opidum illud Turcis, in Thracia situm, quod Chariopolim Gręci veteres a conditore Charia, nominarunt.

Chartaricos, fluuiolus influens in Ceratinum sinum e regione Constantinopoleos, iuxta Machleuæ siue Cydari ostium; quondã Barbyses dicebatur. Quære Pectin.

Cheder & Cheter, idem quod Iurgi, & Græcorum Georgius.

Chirmen, in Thracia. quære Kermen.

Chorasanis populi, quondam Coraxeni dicebantur.

Cofè, Tauricæ Cherronesi opidum, trans Euxinum, vulgo Capha, priscis Theodosia.

Coltze, Phrygiæ maioris arx, veteribus Chalce.

Conia Caramaniæ, priscis Iconium Ciliciæ.

Conia Caramaniæ, quondam Iconium, vrbs Lycaoniæ, quæ Ciliciæ vicina est.

Corfu, insula Græcis iam κόρφοϛ, a sinu; quod illic Ionij, vel Hadriatici sinus initium sit. Olim κερκύρα, Latinus Corcyra. Græcis autem antiquissimis, vt Homero, φαιάκων νῆσος, Insula Phæacum.

Corideres, vel Coressus est, mons & opidum vicinum Epheso; vel Gordorisia, Phrygiæ Salutaris ciuitas Leoni Augusto, quæ alias Gordorinia quoque scribitur.

Cotza Hizir, Georgius annosus, senex, ætatis prouectæ.

Cotzazuc, significat Cotziam paruam; opidum Arbaniæ, quod Laonicus Gethiam Epiri dixit.

Cotziazic, significat Cotziam paruam. Opidi Epirotici nomen est, quod Græci Gethiam dicebant. Scribitur & Cotzazug.

Cubad, nomen illud est Persicum vetus Cabades, hodieque Turcis vsitatum.

Culauos, arx, quæ Caloës nomen apud Græcos habebat. alioqui tamen etiam in genere Culauos arcem lingua Turcica significat, & idem est cum vocabulo Cula.

Cuprichisar, castellum vel arx pontis, aut pontium. Erant enim quinque pontes Sangarij fluminis, a Iustiniano Imp. structi, quorum trãsitus defendebatur ab hac arce, propterea nomen hoc a Turcis consecuta. Græci vocabant eadem ex causa πεντεγέφυρον, vt est apud Symeonem Magistrum.

Cupros, insula famosa, quondam κύπρος, Cyprus.

Curdistan, & Curtistan, regnum vel regio Curdorum, qui Cedrino quoque κύρτοι sunt. Hęc regio, sic a Persis & Turcis adpellata, Keldan vocatur ab Arabibus, hoc est, Chaldæa. de quo paret, Curdos esse Chaldæos. Minadois vitiose scripsit Cussestan.

Curggini

Curggini, proximis sæculis Georgiani, olim Iberes dicti.

Curt, oriundus e Curdistano, id est Chaldæa, quæ Keldan Arabibus dicitur, Persis Curtistan. Ergo Curti sunt Chaldæi. Murates Dragomanus etiam Kiurt alicubi scripsit.

Cutaie, Phrygiæ ciuitas, olim Cotyaium. quære Kyotaie.

Cutaie vrbs prima regionis, quæ Schiltepergo Herman, Turcis Germean dicitur; olim Cotyaium, metropolis Phrygiæ maioris adpellabatur. Hodie sedes est Anatoliæ beglerbegi.

Cutzuc Zecmege, Ponto piccolo, Pons minor. Opidum inter Pontem maiorem, & Constantinopolim. Veteribus ῥήγιον μικρὸν, & ἄθυρον μικρὸν, quarum vocum rationes quære in Buiuc Zecmege.

Cuzzimu-barec, ea ciuitas est Palæstinæ, quam veteres Hierosolyma dixerunt, Hebræi Ierusalem. Nomen hodiernum significat locum benedictum vel inclytum.

D

DEbeltus Thraciæ. quære Zagora.

Deruase, ciuitas in Paphlagonia, Cappadociam versus, priscis Derbe, vel Derue dicta.

Despota, dominus, δεσπότης. Olim sic dicebantur magni principes, regibus proximi; δεσπόται siue domini, κατ' ἐξοχὴν, vt Turcis etiam Sultani sunt domini.

Despotatus iam dicitur, & vulgo Despotato, ea regio, quæ Græcis olim erat Ætolia. Nominis recentioris origo ducitur a Despotis, qua voce principes eius adpellabantur.

Diarbekir, ea nunc est regio, quam prisci Mesopotamiam dicebant. Metropolis eius Amida, nunc Cara-hemid.

Dimbos, idem quod Dipotamos. quære Dipnanos.

Dimbosynoro, loci nomen in Phrygia, corruptum a Græcis recentioribus, & Turcis, ex Διποτάμου συνόρον, quo limes Dipotami denotatur, arcis cuiusdam in eadem Phrygia.

Dimetoca, Thraciæ opidum, non procul ab Hadrianopoli dissitum. Græcis olim ἡ διδυμότειχος, & τὸ διδυμότειχον adpellabatur, quod muro gemino cinctum esset.

Dipnanos, corruptum a Turcis nomen ex Græco veteri Dipotamos. Eo significatur arx duobus interiecta fluuiis. Castrum erat imperatorium in Phrygia.

Dobritza, regio Varnæ vicina, sic a Dobero dicta videtur opido vetusto, cuius meminit Zosimus histor. lib. 11, nec procul id ab Hæmo monte collocat.

Domanitzi, vallis inter Bithyniæ môtana, præsertim ad Orminium montem. Priscis dicta fuisse Domanitis videtur.

Durgut-ili, regio Durgutis Alpis. Olim Phrygia maior adpellabatur. Hæc etiam est Dulgadiria, corrupto Durgut-ili nomine; quæ Dulgadir-ogliis parebat, hoc est, Durgut-ilogliis.

E

EBlebenda videtur veteribus dicta fuisse Alabanda. Sic enim in IIII Musulmanæ scripsisse me recordor. Sed hac coniectura si cui nô satisfacio, Phlebiam accipiat, quam Græciæ Prætor haud procul a Smyrna collocat. Et ante φλεβίαν, litteram E Turci posuerunt more suo propterea, quod a gemina consonante vocabulum inciperet. Smyrna quidem non procul abest ab Erythra & Myrine, opidis nominatis loco Musulmanæ superius indicato.

Edremit, opidum Carasinæ regionis, olim Atramytium Troadis, aut minoris Phrygiæ.

Edrenos, opidum Bithyniæ, priscis ἀδρανές.

Edrenos, Græcis ἀδρανὲς, opidum Bithyniæ.

Egregios, antiquum nomen Crocuos habuit. opidum est Phrygiæ Salutaris.

Egregios etiam alia ponitur in Lycia, quæ forte fuerit Acrasos veterum.

Egribos, etiam primarij nomen opidi est in Negroponto vel Eubœa, quod Chalcidem veteres adpellabant. Illic pons est supra canalem maris rapidissimû, Eubœam ab Achaia disterminantem; a quo ponte datum & insulæ toti, & vrbi principali nomen hodiernum arbitror.

Egribos insula, Negroponte nominatur ab Italis, a Græcis hodiernis Νεγροπόντης, a priscis εὔβοια, de quo Latini fecerunt Eubœam.

Egri Capi, Porta vrbis obliqua, Græcis historiis olim πόρτα καρσία, eodem significatu. Nam etiam nunc obliqua conspicitur.

Einagiol, & Einegiol, a Turcis dicta Phrygiæ ciuitas, ἡ νεακώλεια Græcis adpellata, etiam articulo a barbaris cum ipsa voce comprehenso. Sita est ad Sangarium flumen limpidum. Hinc Turcica vox aquam significat, instar speculi claram. Quære Giol.

Einas-hisar, opidum Phrygiæ, quondam Eumenia.

Einebachti, & Inebachti, opidum Liuadiæ maritimum, priscis ἡ ναύπακτος Achaiæ. Græcum quidem articulum Turci non excludunt in adpellatione sua. Naupactum Itali iam Lepanto vocant, quod nomen Marius Niger rectius Nepanto scripsit. Proximus vrbi sinus, olim Corinthius, nunc Golfo (factum hoc ex Græco veteri κόλπῳ) di Lepanto nominatur, velut sinus Naupactius.

Einegioli, vide Giol.

Emir-dagi, mons Emirum. Eius mentio fit libr. 14 Musulmanæ. Arbitror autem hoc significari dictum priscis Olympum montem, Prusæ vicinum, ac per Asiam longissime se porrigentem. In eo degebant olim Calogeri Græcorum, degunt hodie monachi Muhametici. Propterea Geschis etiam dagi nomen habet, quo mons religiosorum denotatur, vt Emires etiam religiosi sunt, tamquam Muhametis editi sanguine. Côfirmat hanc opinionem id etiam, quod indicato libri 4 loco, pag. 556. lin. 42. sequitur a mentione montis Emirum, Beg-bazaris quoque

mentio, a Caramanio male tractatæ. Hac enim voce Genischeher intelligi debet, quæ Olympo monti & Prusæ vicina, Beg-schecheris nomen ab Osmane quondam acceperat.

Empoli, veteribus Amphipolis Macedoniæ, ad Thraciæ fines.

Enguri, & Anguri, veteribus Ancyra Galatiæ. Murates Dragomanus Ancaram quoque nominauit.

Enguri, ciuitas Galatiæ, quondam Ancyra.

Ereglie, & Ergele, priscis Heraclia Cariæ.

Erisse, vel pronuntiatione Gallica, Erusse; opidum quondam episcopale sub Neocæsarea metropoli Cappadocica, quod Rizæum a Græcis nominabatur.

Ermeni-dag, mons olim dictus Ormenius, Olympi Bithyniæ montis propago. Turcica lingua sonat montem Armeniorum. Sed ex Ormenio vitiatum constat.

Ermeni derbent, transitus angustus Ormenij montis in Bithynia. Veteres Ormenij clisuras adpellarunt. Et κλεισοῦραι sunt eiusmodi loca transitu difficilia, quum arta quasiq; clausa sint; vocabulo Græco, nostris etiam historicis & iurisconsultis vsurpato.

Ermenie regio, monti Ormenio vicina, sic dicta, tamquam Ormenia.

Ertel, ad Vngariam pertinens regio, quam vulgo nunc ita vocant in iis locis, Germani Sibenburgen, siue Septemcastra, Laonicus Ardelium voce recētiori, & Pannodaciam, sicut & incolas παννοδάκας, a Pannonib. & Dacis. Græci veteres Γάζυγας μετανάστας dixisse perhibentur.

Erzirum. quære Artzerum.

Eskibolos, idem quod Ischebole, nimirum Scopelos antiquorum.

Eski-sarai, palatium vetus, Sultani gynæconitis; olim Palatium Augustale maius, in vrbis vmbilico.

Eski-sarai, vetus palatium vrbis Constantinopoleos. A Græcis olim dicebatur βασίλεια τὰ μεγάλα κατ' ὀμφαλὸν τῆς πόλεως. regia maior in vrbis vmbilico. Nunc illic Sultani γυναικωνῖτις est.

Essici, Opsicium Græcis dictum, de quo Constantinus Imp. in lib. de Thematibus.

Eze-oua, planicies Ezea, vel campus Ezeus, sic ab Eze bego Turco, primo possessore, voce recenti nominatus; prius a Græcis Βολεροῦ πεδίον adpellabatur, & a Turcis Bolair. Quære Bolair.

F

Farsi proprie Persæ, Parthorum vel Azemiorum pars.

Fas, & Fassa vel Phassa, Mengreliæ, Ponticæ regionis, ad Colchidem pertinentis, opidum. Quondam Phasiana dicebatur.

Felti, opidum vel arx, (hæc enim idem more Turcico significant) in extrema Phrygia maiore, versus Pontum prouinciam; priscis erat Peltæ, numero multitudinis; & ipse populus, Peltinorum nomen habebat.

Fere, opidum in Thraciæ Thessaliæque finibus, olim Pheræ.

G

Galata, notum opidum e regione Cōstantinopoleos, ὁ γαλατᾶς Græcis etiam paullo antiquioribus: itemque Pera, ceu περαία, Galata, nunc Pera, tamquam Peræa, dicitur; quod e regione vrbis, trans sinum sita sit. Olim suburbium συκῶν, a copia ficorum in hortis frequentissimis, qui hodieque supersunt ibidem.

Geiue, opidum in Phrygia. Quondam γαΐου κώμη nominabatur, hoc est, castellum Gaij. Meminit & Leo Imp

Gelas-ili, significat regionem Gelas. Id vero nomen a barbaris corruptum ex Galatia. Referunt enim, in regione Gelas-ili sitam Angurim, quæ Ancyra Galatiæ priscis adpellabatur.

Geliboli, priscis erat Callipolis, vrbs ad fretum Hellesponticū, in Cherroneso Thraciæ, sita.

Gemen, quondam Arabia felix dicta. Nostri Giamin scribunt, idque duabus tantum syllabis enuntiant.

Genec. quære Tzanicum.

Geni-chisar, arx ad Bosporum, in Europæo sita litore, ad quintum a Constantinopoli lapidem, Græcis est νεόκαστρον, ceu Castrū nouum; & λαιμόκαστρον, ceu Castrum faucium, siue freti Bosporij; & μαῦραι πυλαὶδες, Turcis Caracula, Germanis *Schuuartz thürn*, nigræ turres. Græci veteres adpellabant φρούριον τῆς λήθης, castellum obliuionis; quod eo conclusi, tamquam perpetuis in carceribus, obliuioni traderentur. Longe vero vetustioribus adhuc Græcis erat Hermæum promōtorium.

Genisar, contractum ex Geni-hisar, significat arcem nouam. Ac prorsus idem opidum est Anatoliæ, quod Turcis etiam Genischeher siue Neapolis adpellatur. Græciæ Prætor Neocastrorum in Asia minori meminit, quæ vox eadem est cum Turcica Geni-hisar.

Geni-sarai, palatium nouum Constantinopoli, quod scilicet Osmaneam nunc Portam nominamus. Græci proximis sæculis dicebant βασίλεια τὰ μεγάλα κατ' ἀνατολὰς, regiam maiorem versus orientem; antiquiores, ἀκρόπολιν τοῦ Βύζαντος, arcem Byzantis, primi scilicet vrbis conditoris.

Geni-sarai, palatium nouum Constantinopoli, quondam Græcis τὸ μέγα παλάτιον ἀνατολῆς, Palatium maius Augustale versus orientem.

Gereme videtur esse vel Corinthus, vel Corintho proximum aliquod opidum. Vulgo tamen Corinthum iam Græci Coranto dicunt.

Gergoni. quære Gerguc.

Gerguc prisci Chrysonicum dicebant. Aliis, vt Spigello, Gergoni scribitur. Et opidum est Zirforum.

Germaste, id Turcis est opidum, quod Græcis Germa dicebatur in Asia minore, non procul a Butusa.

Germean, regio vicina vrbi Cutaiæ, quam constat

stat Germeano comprehendi, ex lib. v. Musulmanę. Quia vero Cutaien certum est priscis dictam Cotyaium Phrygiæ maioris; statuemus Germeanum includi partim Phrygiæ maiori, partim Ciliciæ mediterraneæ. Propterea Marius Niger hanc Caramaniam secũdam facit, & Cherman adpellat; vt Herman Schiltepergus, cuius Cathei sit metropolis, hoc est Cotyaium.

Geschis dag, monachorum mons, quondam Olympus. quære Keschis dag.

Gihar-sembe creditur a Turcis dici Mercurius. Est & fluuij nomẽ in Caramania siue Cilicia.

Giol, stagnum, & fluuius, vel amnis, vel quæuis aqua: Eine, speculum. hinc factum nomen est Eine-gioli, aqua limpida, instar speculi. Sic Phrygiæ dictum a Turcis castrum, quod Nacoliam veteres adpellabant, vnde Turci fecerunt Einagioli, ex Græco ἡ νακώλεια.

Girmaste, non procul a Burusa. quondam Germa dicebatur. quære Germaste.

Girmastina via, prope Burusam erat; qua scilicet Burusa Girmasten ibatur. Germensem prisci dicebant.

Giustandil, Iustinianę territoriũ; veluti Giustan ili Iustinianæ vrbis regio. Hæc priscis erat Iustiniana prima, Iustiniani Aug. patria, Macedoniæ quidem illa, sed versus Illyricum, vel in ipso potius Illyrico sita.

Gugerzinlic, denotat columbarium. Et opidi Zirfiæ nomen est, Turcica lingua redditum ex Columbario. Nunc Vngaris & Zirfis est Columbatz. Sunt istic & campi Columbarij, quos itidem eorum incolę locorum dixere Columbatios & Columbatzios. In his pugnans aduersus Turcos Sigismundus Imperator, quum opidum Columbarium obsideret; hostium eos victoria, suorum clade nobilitauit. Haud procul ab Alba Græca siue Belgrado, & Zenderouia Zirforum, sitos vidimus.

H

Hagia Cariæ, quære Aia Iuni.

Halep, Suriæ ciuitas, quondam Berrhœa; Cedrino, Zonara, & aliis testibus.

Hama, vrbs Suriæ, priscis Apamia.

Hamid-ili, regio Aminsi, vel ager Aminsi, & Amisi, Galatiæ ciuitatis. vide Amid.

Hamus, opidum Syriæ, priscis Emisa dictum; Heliogabali Aug. (ni fallor) patria.

Hamusa Suriæ, veteribus Emisa. quęre Hamus.

Harberie, veteribus Sarabrea Cappadociæ.

Hieron, fanum, templum. Nomen arcis est ruinosæ in Asiatico litore, trans Bosporum, non procul ab ostio Ponti Euxini. Quondam ἱερὸν Διὸς οὐρίου, templum Iouis secundos adflantis ventos.

Hizir, idem quod Græcis Georgius.

Hosireuan, Chosroës rex Persarum.

Hypsile. quære Alascheher.

Hypsili, nomen ciuitatis in Aidinia regione, sic etiam a Turcis expressum, quum origine Græcum sit. Nam Leo Imp. mentionem facit ὑψηλῆς, opidi Lydiæ. Turci vero deinceps Alasar, & integro vocabulo Alahisar, quod est ὑψηλοκάστρον, sua lingua reddiderunt; & Alascheher, quod Græcis est ὑψηλὴ πόλις.

I

Iagnia. quære Iaine.

Iaine, Despotatus opidum, olim Ioannina Ætociæ. Quidam efferunt Iagnie.

Ialakinia, nomen proprium reguli Græci, qui dominus erat ὁλκοῦ πεδίου, id est campi aquæductus, sic dicti, quod ὁλκὸς per eam planiciem, Lampsaco vicinam, ductus esset. Sicut autem ex ὁλκὸς fecere barbari Ialac, sic iidem ex ὁλκεινὸς Græca voce non vitiata, corrupte dixerunt Iakaliniam, velut eius planiciei dominum.

Iamboli, quondam Chalcis opidum Macedoniæ. Iambolensis ager, olim Chalcidicus.

Iauarin, opidum Moreæ Turcis, quod Itali nautæ Zonchium & Nauarinum dicunt; quum Græcis hodiernis sit ἀβαρῖνος, priscis Pylus, regia sapientis illius Nestoris.

Ichtiman, opidum Bulgariæ, Græcis veteribus Stenimachus.

Iedi-cula, septem turres. arx vrbis Constantinopoleos versus occidentem, quę dicebatur olim ἡ ἀκρόπολις τῆς χρυσῆς πόρτης· arx aureæ portæ. Nunc Turcogræco vocabulo ἑπτὰ γουλάδες nominatur, cui respondet Turcicũ Gedicula.

Iedi-cula, Septem turres; Græcis nunc ἑπτὰ γουλάδες; olim ἑπτάπυργος, & τὸ κατὰ δυσμὰς παλάτιον τῆς χρυσῆς πόρτης, Palatium occidentale ad Auream portam.

Iegfur, Nicephorus Imperator. Videtur scribendum Negfur.

Islakia Turcis, nostris est Valachia, veteribus Daorum vel Dauorum regio.

Ilias, nomen proprium, nostris Elias, Laonico Aliazes, & Alies.

Ilgar-dag, mons Ilgar, aut saltus Ilgar. Hunc montem in Galatia situm nostri Olimgam dixisse videntur.

Inos Turcis opidum Thraciæ, quod veteribus Græcis οἶνος erat, eadem pronuntiatione vocis, & αἶνος.

Inus opidum Thraciæ, quondam Ænus. Alij mollioris pronuntiationis causa, Græcis vsitatæ, scribũt Ignus, & Enio velut Egno, duabus syllabis. Quære Inos.

Ionan, Asiæ regio Turcis; dicta deinde Caramania, quondam Cilicia, & Ciliciæ vicina Ionia. Turci volunt, Ionan ab Iauane, Nohæ filio, dictum.

Iorgutze, deminutæ Turcis formæ nomen est proprium, quo paruus Georgius significatur. Græci ab annis 500 & γιωργίτζην, (quod imitati sunt barbari) & κουτζογιώργιον dixere, quo Georgius breuis aut curtus denotatur.

Ipsala, Thraciæ ciuitas, olim Cypsella dicebatur.

Ischebole, opidum Thraciæ; priscis Scopelus. σκόπελος.

Ischenderie nominatur a Turcis tam Ægypti ciuitas vetus Alexandria, quam Ar-

banosiæ vel Albaniæ altera, priscis Epiri, quam hodie Græci σκυθέλιον quoque vocant, vt Iscodaram Turci, quod factum e Scodra, nomine procul dubio veteri. Aiem, vel more nostro Azem-Memleket, Persia, vel Persicum regnum. Azem-Vilaget, Persarum regio. Sic & Atzamios Laonicus Persas adpellauit. Idem Italorum & aliorum pronuntiatione nomen est Aiem.

Iscodar, nomen est eius turris, vel arcis paruæ, quæ in ipsis aquis Bospori condita cernitur, e regione arcis orientalis Constantinopolitanæ, quæ Sultani Turcici domicilium est. Et ab hac turri vicinum Asiatici litoris opidum quoq; dictum a Turcicis Iscodar, olim Chrysopolis. Ipsa vox Iscodar a Scutario deriuatur. Superioribus sæculis proximis Arculam dictam, velut arcem paruam, paret ex Niceta. Veteres δάμαλιν siue iuuenculam vocarũt, ab Io, mutata in iuuẽculam ante, quam Bosporum tranaret, vnde Damalici quoq; promontorij nomen. Turcis adpellatur hodie Kis-cula, voce significante Virginis turrim, quæ Græcis esset παρθενόπυργος. Et a rege fabricatam filiæ virginis custodiendæ causa, nobis Genitzari nostri referebant. Id videtur ex Iûs fabula natum.

Iscodara, Turcis est opidum Albaniæ, quod veteres Scodram Epiri vocarunt. Græci nunc Scutarium nominant.

Iscudar. quære in Iscodar.

Iskender, Alexander.

Isladitza. quære Sladitza.

Islenos, opidum Pamphyliæ, quõdam Selinus.

Ismyr, Asiæ minoris vrbs, olim Smyrna.

Isnic, veteribus Nicæa Bithyniæ.

Isnigimid, vrbs Anatoliæ, quondam Nicomedia Bithyniæ dicta. Quoties vero Turci nomen hoc integrum efferre volunt aliquanto breuius, Isnimid scribunt, & contractius etiam Ismid vulgo pronuntiant.

Ispan, & Isphan, & Isthphan, nomen proprium, Stephanus; tam Vngaris, quam Turcis.

Ispirite, opidum ad Pontum Euxinum, quondam Spartæ.

Iuchri & Iuchria. quære Iurchi.

Iuni, Ioannes.

Iurchi, qui & Iurchæ, & Iurkæ, Herodoto recte scripto veteri vocabulo ἰύρκαι, sũt illi ipsi, quos nunc Turcas & Turcos dicimus; & ipsorum more Tzurcos, aut Tzurucos, littera I per Z, vel Tz fortius expressa. Vocabulũ vero Zurki, vel Tzurki, significat ipsorũ lingua prorsus id, quod Grecum Nomades, ἀπὸ τῶν νομῶν, hoc est a pascuis deductum. Quippe notum, Nomadas dici, qui nullis vtentes domiciliis fixis, pascuorum causa hinc inde cum familiis, armentis, & gregibus, obuagantur. Et erãt olim Turci tales, & sunt in Anatolia passim hodieque Turcomanleri. Ferunt etiam moleste nunc Osmanei milites & aulici, quũ quis eos Turcos, ceu rusticos, adpellat. Et in ipsorum comœdiis semper introducitur aliquis Turcus, aut Turcman, velut rusticus; perinde ac Italicæ comœdiæ Zano suo non carent.

Iurgi, Turcis idẽ nomẽ est, quod Grçcis γεώργιος.

K

Keldan, Arabice, quæ olim Chaldæa, Persice Curtistan. quære Curt.

Kemani, ciuitas ea, quæ alias Kemachi nominatur, priscis Camachus Armeniæ.

Kermen, & Kirmen, opidum Thraciæ, nõ procul ab Hadrianopoli dissitum, Græcis veteribus Germia, & Kermia dicebatur, auctoribus Cedrino & Laonico.

Kerume, Ponticum opidum, veteribus Keramea.

Keschis dag, mons eremitarum vel monachorum, prope Prusam. Veteribus mons Olympus, in quo prius etiam, quam Asia Turci potiretur, frequentissima Christianorum monachorum erant sodalitia, quos Calogeros Græci dicebant. Paret hoc aperte de Parapinacij Michaëlis Imp. vita, quam Cedrini manu scripti Paralipomena continent.

Kesse, Thraciæ opidum, Græcis antiquis Kissus, κισσὸς, quæ vox hederam significat.

Kessen hisar, a Græcis redditur λαιμοκοπία. Nam & Turcicum illud Kessen, incidendi significationem habet. Idem est cum Geni-chisar, quod suo quære loco. Plane tamen voci λαιμοκόπιας respondet Turcica Bogazi Kessen, quam suo quære loco.

Kestel, Turcis arx Phrygiæ dicitur, quæ priscis Græcis erat Castelion.

Kiancara. quære Kiengara.

Kiengara, vel Giengara, priscis vrbs ea, quam Gangram dicebant.

Kili, & Kele, nomen opidi & arcis in extrema versus Pontum Euxinum Moldauia, cui regioni Bessarabiæ nomen, a Bessis Thracibus, datur. Nostri opidum hoc Cheliam vocant. Priscis Achillea fuisse putatur. Kele Turcis arcem significat, idem scilicet, quod Cala.

Kirmen, in Thracia. quære Kermen.

Kis-cula, quondã arx Damalis. Quære Iscodar.

Kisulze Tuzla, salina rubea. Græcis olim ἐρυθρά, quo nomine rubra significatur. Asiæ minoris opidum est.

Kitai vel Chitai dicuntur illi Tatari, qui priscis erant χάται, Scytharum natio Ptolemæo, & χαταῖοι Ariano. Litteræ quidem nominum inuicem sibi recte respondent.

Kiuer Teggiur, princeps, aut præfectus regionis Kiuer, campo Cosouano vicinæ, sicut xi libro Musulmanæ legitur. Et Christianus fuisse videtur. Vnde per coniecturam colligo, Bozinacensem regem aut principem intelligi, qui priscis erat Triballorũ princeps.

Kiurt, significat Curtum, hoc est Chaldæum. Pandect. Turc. cap. 232.

Kyotahie, priscis Cotyaium, Phrygiæ ciuitas.

L

Læmocopia Bospori. quære Bogazi Kessen.

Laz Turcis id nomen est, quod nostris Lazarus. Hinc Laz-oglij dicti sunt Lazari Despotæ Zirforum posteri.

Lebe-

Lebeditzi-chisar, Græcis Lebedos.

Lebusa, Bithyniæ ciuitas, haud procul a Nicæa, quondam Libyssa, sepulcro Hannibalis nobilitata.

Lefke, vel priscis est λευκή, aut λευκαί, numero multitudinis; vel mutilata vox de Laodikea, Phrygiæ metropoli.

Leontari, opidum Moreæ, Græcis proximorum sæculorum λεοντάριον, nunc λεοντάρι, quondam Megalopolis Peloponesi, Polybij patria.

Lepseke, nomen opidi ad Hellespontum, in Asiatico siti litore; quod olim dicebatur Lapsacus, & Lampsacus.

Liuadia, regio Græciæ, quondam Achaia dicta. Nomen hodiernum ab irriguis campis & pratis accepit, quæ λιβάδες ipsis sunt.

M

Machleua, fluuiolus e regione Constantinopoleos extremæ, versus occidentem & aquilonem, quondam Cydarus.

Madre, fluuius Anatoliæ, quondam Mæander Asiæ minoris.

Magnaura, palatium Augustale nunc ruinosum, prope portam Carsiam vel obliquam, de qua in Egri Capi. Nomen ei datum ab aura magna, quam locus is habet, ad aquilonem situs, æstiuę diætę Imperatorum quondam seruiens. Dicebatur etiam Pendepyrgus, a quinque turribus. Consule Pandectis Turc. cap. 200. ad 11 portam vrbis. Fit eius obiter mentio Musulm. lib. 1.

Magrib, mare versus occidentem solem, priscis Atlanticum.

Malatia. quære Melatie.

Malgara, situm in Thraciæ, Macedoniæ, Thessaliæque finibus opidum, quondam a Græcis ἀγοραίων τεῖχος dictum, hoc est, Agoræorum munitio. Nomen hodiernum mutilatum est ex Megalagora, quod Græcis est magnum forum, magnum emporium, magnum opidum. μεγάλη ἀγορά.

Maluasia, Moreæ nunc opidum, non procul dissitum a Capo Malio, siue Maleo promontorio, Græcis hodiernis μονεμβασία, priscis Epidaurus Peloponesi.

Manastir, μοναστήριον. Sic Turci vocant Montem sanctum, τὸ ἅγιον ὄρος, qui priscis Athos erat, ac hodieque Calogerorum habet monasteria.

Mandi, Moreæ ciuitas, olim Mantinea Peloponesi, mediterranea.

Mandigna, Moreæ ciuitas, olim Mantinea Peloponesi, maritima.

Manissa Turcis opidum est Aidinensis regionis in Anatolia, nunc Italis Mangresia dicta. Priscis erat Magnesia Ioniæ, nisi fallor, sub Archiepiscopa Smyrnæ; quæ & ipsa quondam Ionia, sicut hodie Aidinilio, comprehendebatur.

Maras, vrbs ad Euphratem fluuium, in Armeniæ Cappadociæque finibus, Dulgadiriæ metropolis, Marassi nomen nancta creditur a Marsya fluuio.

Marhani, opidum Carasiæ, priscis μυρίνη Asiæ minoris, Agathiæ Myrhinæi patria.

Maritza. quære Meritza.

Marolia, ciuitas in Thraciæ Thessaliæque finibus, olim μαρώνεια. Turcis etiam Marubeni.

Μαυροβλαχία, Nigra Valachia. quære Carabogdania.

Μαύρη θάλασσα, nigrum mare, priscis Pōtus Euxinus. quære Caradeniz.

Maurophori, Tatari Persis vicini, quondā Scythæ Melanchlæni; quæ vox idem significat, quod μαυροφόροι, hoc est μελανοφόροι.

Maurus mons Caramaniæ, sic dictus vt niger, quondam adpellabatur Taurus Ciliciç. Turcis nunc Bacras dicitur, vt suo indicatum loco.

Melatie, priscis Melitine, Armeniæ secundæ, nunc minoris.

Mentese, priscis Mendos & Myndos, vrbs Cariæ, quæ nomen regioni nouum apud Turcos dedit, Mentes-ili.

Meritza & Maritza, nomen fluuij hodiernum, quod priscis erat Hebrus, in Thracia.

Mesotumolus, opidum sic dictum a situ suo, videlicet a medio monte Tumolo vel Tmolo.

Mestaurebe Turcis dicitur Lyciæ ciuitas, quam veteres Mastaurum adpellabant.

Michalitze, nomen apud Turcos propriū, formæ deminutæ, vel ὑποκοριστικῆς, quo Michaël staturæ paruæ significatur. Grçci 500 ab annis dixere μιχαηλίτζην, (quod imitati barbari) & κοντομιχαήλ. quo posteriore Michaël breuis aut curtus denotatur.

Misini, opidum Thraciæ, priscis μεσήνη, quod ex eo nomen adeptum videtur, quia situm in mediterraneis. Musul. v.

Misir, & Ægyptum significat, & vrbem Cairum in Ægypto maximam. Factum nomen videtur ex Hebræo veteri Mizraim.

Mitilin ea Turcis est insula, quam prisci Lesbon dixere. Nomen recentius ei datum ab opido præcipuo Mitylene.

Mitylin Turcis est insula maris Ægei, quam & Itali Metellino vocant, Græci recentiores μιτυλήνην, ab opido primario, veteres, λέσβον siue Lesbum.

Mons sanctus, ἅγιον ὄρος, Seidi dag Turcis, olim Athos.

Moraua, & Moroua Turcis, fluuius Sirfiæ vel Seruię, Cedrino μοραβίσης, veteribus Moschus superioris Mysiæ.

Morea, Græcis ὁ μορέας, genere masculo, pars ea Græciæ, quam olim Peloponesum dicebant. Hodiernum nomen aiunt Græci datum regioni ab arbore Moro, quam ipsi nominant μορέαν. Nam ea frequens illic est.

Moromilium, locus Phrygiæ, dictus videtur a milliari stultorum; quum antea Philomilion vocaretur, hoc est, amantium milliare. Sic & Germani amantium milliaria dicunt, quæ longa sunt, tamquam ab iis dimensa, qui diu cuperent vna manere.

Mudurni, opidum Bithyniæ, priscis μοδρηνή.

Mutune, ciuitas Moreæ, Græcis veteribus μέθονη πελοποννήσου. Nicolaides enim errat, dum ex hac Mantineam facit.

N

NAuarinum. quære Iauarin.

Negfur, nomen Græcum Nicephorus, sic a barbaris est corruptum.

Nicetæ, quod trans sinum sita sit. Veteres autem Græci nominabant συκάς, a ficorũ copia.

Nigde Turcorum, aliis Nigidia, ciuitas Caramaniæ, quã veteres dixere Nagidon Ciliciç.

Nigeboli, quondam Nicopolis, monumentum victoriæ Traiani Aug. contra Decebalum Dacum.

Nissa, Zirforum opidum, Zosimo historico nostro Naissus, Cedrino in Paralipomenis Nisus, Seruiæ metropolis.

Nissana, Zirfiæ fluuius, olim Nisus Mysiæ superioris. quære Nissa. nam idem & fluminis & opidi nomen.

Nixaria, vel potius Niksaria, vetus est ciuitas Cappadocũ Neokçsaria; cuius nomen etiam magis deprauatum Nisari, recentiores nobis dant geographi.

Νομάδες, iidem qui & Turci, alia lingua. Quære Turchi.

Nosireuan, idem qui Hosireuan, & Chosroes, rex Persicus.

O

OSman-ili, Osmanis regio, priscis Bithynia, cum parte mediterranea Phrygiæ maioris.

Otranto, Turcis & Italis Apuliæ dicitur opidũ, quod Hydruntem veteres adpellabant.

P

PAlormo, nũc Anatoliæ pagus, eo loco, quo Cyzicus vrbs olim erat. Prisci πάνορμον, a portus opportunitate dixerunt.

Pasin-oua, planicies anserina, sic ab anserũ copia dicta. Quondam ibi fuisse volunt χάρακα πασίνε, hoc est, vallum fossamq; Pasini. Nunc Serlu-zucur, id est, alta fossa, nominatur. Locus ipse non procul abest ab Artzerume. Planicies autem ad Armeniæ Cappadociæque fines pertinet.

Paulutze, regio versus Macedoniam sita, videtur hoc habere nomen ab opido Pautalie, cuius agri etiam incolç dici Pautaliotç solebãt.

Peclarpax, a Prætore Græciæ nominatur, quem Turci Beglar aut Begler begum dicunt, id est, dominum dominorum. Addit, sic a Turcis adpellari τὸν μέγιστον στρατοπεδάρχην, hoc est, maximum castrorum vel exercitus præfectum.

Pectin, fluuiolus e regione Constantinopoleos, quondam Barbyses. Hist. Musul. libr. 1. Idem & Chartaricos dicitur.

Penderachi, nomen opidi Pontici, quod priscis erat Heraclia Ponti. Recentius hoc, factum ex Pondohirachli, quæ Græcis fuerit ποντοηράκλεια.

Pera, nomen opidi, e regione Constantinopoleos siti. Quære Galata.

Pheachi, Ægei maris insula, Cefaloniæ proxima. Θιάχι Græcis hodie, quod Pheachi pronuntiant. Priscis ἰθάκη, Ithaca, Vlyssis patria.

Philibe, Thraciç ciuitas nobilis, olim dicta Philippopolis, a Philippo Imperatore, qui eam instaurauit. Nam diu ante huius tempora conditam, pluribus sæculis durasse constat, & Eumolpiadis habuisse nomen, ab Eumolpo, Thracum veterum vel duce, vel antistite; qui nescio quas eis cærimonias, & mysteria tradidisse fertur.

Philomilium, Phrygiæ locus, ita dictus velut amantium milliare, siue milliare longũ, quod dimensi sint, qui diu cuperent vnà manere. Propterea mutatum ioci causa nomen in Moromilium, siue milliare stultorum. Quçre Aggiul-felanos.

Plagiari, nomẽ esse loci scribit Sansouinus, quo in loco Suleiman Bassa, filius Vrchanis, sepultus fuerit. Ergo corruptum nomen hoc Plagiari, ex Bolaire; quod Bolerum Græcis fuisse dictum, alibi declarauimus.

Por-Schach, Porus rex Indorum. Ita nominatur Musulmanæ lib. v. pag. 292. lin. 26.

Prisrem, Prisdriana Cedrini paralipomenis. In Macedonia collocatur, & lata illa veteri Bulgaria, quum adhuc regnum esset.

Pulina. quære Bolina.

R

RAuza, ῥαοῦζα Græcis hodiernis, vrbs est Dalmatiæ Ragusa, priscis Ἐπίδαμνος, Epidamnus, non Epidaurus; quam ostendimus suo loco non dici Maluasiam Moreæ.

Re, vetus opidum, quod nunc Ere Siruani vel Mediæ nominant.

Reclium, veteribus Heraclia Cariæ.

Roha, & Ruha quondam Syris & Hebræis Rages, vrbs Mesopotamiæ, quam Grçci Romanique vocarunt Edessam.

Rhodosto, Thraciæ opidum, quondam Græcis Rhædestus.

Romania Græcis recentiorib', & historiæ Hierosolymitanæ tota dicitur Asia, Romanis, hoc est Græcis, Romanorum successoribus, subdita. Turcis Vrum ili & Rum-ili, regio Rumæorum, hoc est ῥωμαίων, qui Romani sunt. Quære Rumili.

Rulla, mons Thraciæ quondam Rhodope.

Rumi, tamquam ῥωμαῖοι, dicti fuerunt etiam Turci, post Muhametem II; ob successionem in deuicto Romæorum siue Græcorum imperio.

Rumileri, sic dicti sunt tam in Asia, quam Europa, Romæi siue Romani, hoc est Græci, Romanorum in translato Constantinopolim imperio successores. Quære Romania.

Rum-ili, Græcis ῥωμανία, regio Romanorum, hoc est Græcorum, qui successere Romanis in translato Byzantiũ imperio. Vulgus apud Turcos Vrumili enuntiat. Duplex est autem Rumilia, nimirum Anatolica & Europæa; cuius posterioris incolæ tamen à Turcis hodie frequentius & Vrumileri & Rumileri

Rumileri vocantur, quam Anatolici vel Asiatici.

Rum-ili, plerumque pro Europa generaliter accipitur. Sed libro Musulmanæ 14 videre est, Thraciam quoque sic à barbaris specialiter aliquando dici. Sic Europæ nomen etiam a veteribus Thraciæ soli nonnumquam datum, ex epitome Ruffi constat.

S

SAcari, fluminis apud Turcos nomen, quod olim Græci Sagarim & Sangarium adpellabant.

Salim, idem cum Selim, nomine nunc vsitato.

Samandra Turcis dicitur opidũ Troadis, quod olim Scamandria nominabatur. Reliquiæ quædam eius adhuc supersunt, itinere medij diei dissitæ ab arce Dardanellorum altera, quæ in Asiatico litore condita, quondam Abydus erat, opposita Sesto Europæ.

Samarcand. quære Semercant.

Samsama Turcis idem nomen, quod olim Samson Hebræis.

Sanctus Mamas, vicus aut emporium trans sinum Ceratinum, quo loco is desinit. Turcis & Græcis nunc Hagiobazari dicitur, hoc est, emporium sancti, voce Turcograeca. Fuit illic olim & monasteriũ, & palatium sumtuosissimum. Ideo Turci nunc etiam vocant Aiban Sarai, voce corrupta de Aia-Mam, hoc est, S. Mamante.

Santa Maura, insula, quondã λευκάς. Haud procul abest a Patris & Naupacto Liuadiæ vel Achaiæ. Græci quoq; nũc ἁγίαν μαῦραν dicũt.

Saracon, & Sarchania. quære Saru-chan-ili.

Saru-caia, flaui coloris saxum, priscis Saricha.

Saru-chan-ili, regio Saruchania, Laonico Sarchania, nomen accepit a principe suo Saruchane, qui Græcis historiis est Sarchan. Turcicum quidem Saru-chan denotat principem vel regem flauum. Veteribus erat Ionia maritima.

Sasuma, sanzacatus est, sub Anatoliæ beglerbego. Priscis Sasimorum opidũ nominabatur.

Sati, fluuius is, qui Bagdatim hodiernam interluit, veteribus Tigris; & non procul infra Bagdatim cum Euphrate commiscetur.

Sattelia & Settelia. quære Antali.

Scham, vrbs ea Suriæ, quam prisci Damascum vocabant, nomine facto ex Dam & sac; quorum illud sanguinem denotat, hoc saccum. Et dictam aiunt saccum sanguinis, quia Cain eo loco fratris Abelis ab se interfecti sanguinem profuderit.

Schiltaro, Scutarium ad Danubij ripam vtramque duplex opidum, veteribus Nicopolis. Schiltarium videtur a Germanis dictum.

Scutaro, Scutarium ad Danubij ripas, quondam Nicopolis; hodie Turcis Nigeboli, de qua suo loco.

Scutarium, Turcis Iscudar, opidum e regione Constantinopoli, trans Bosporum, situm; olim Chrysopolis, vt e Cedrino & aliis manifeste paret, non Chalcedon, ex opinione Minadois; quum hæc loca decem milliaribus a Constantinopoli distante quondam fuerit, in ipso sinus Nicomediensis ostio.

Seidischeher significat ciuitatem sanctam. Veteribus Hierapolis dicebatur.

Selenic, vrbs Thessalonica priscis.

Semendre Turcis adpellatur munita Zirforum ciuitas, quam hi Zenderouiam dixere, velut S. Andreæ opidum; quod Græcis esset vel ἅγιος ἀνδρέας, vel ἀνδρεούπολις.

Semercant, vrbs Zacataiorum siue Zagataiorum Tatarorum, dicta quondam Maracanda; vt Zagatai, Sogdiani.

Seres, opidum, quod Serras Macedoniæ prisci dicebant.

Signan-Ada Zirforum, Murium insulam significat, quæ Græcis μυόννησος, eodem sensu, fuerit.

Simau, vel antiqua Simaua Bithyniȩ, vel Synaus est Phrygiæ Pacatianæ. quod potius equidem crediderim; quum Germeani regionis fines hæc propius adtingat, in qua Simau collocatur.

Sinabe Turcis opidum est in Isfendiarina prouincia, quod olim Græci Sinopen Ponti dixerũt. Montes illic rubri sunt, in Sinabæ vel Sinopæ vicinia; quorũ a terra rubra, putat opido datum nomen Busbeguius, sed vulgi ex opinione. Nam Sinopæ nihil commune cum cinnobari, quæ vox Græcis etiam κιννάβαρις, & σινώπη nulla re adfinis est.

Siruan, aut Turcorum Germanorumque pronuntiatione Schirvvan, priscis vel Medai, vel Mediæ pars Atropatia, secundum Minadoim.

Siuaste, priscis Sebastia Cappadociæ.

Siuri-chisar, arx acuta. Græcis Oxycastron. Cedrinus suo tempore tradit Oxylithum Saracenorum fuisse dictum, hoc est, saxum acutum.

Sladitza, Zirforum fluuius; olim Osmus, ὀσμὸς ποταμὸς, Cedrino.

Sol bazar, emporium vel opidum salis, sic adpellatũ a mercatu vel distractione salis. Veteribus ἁλῶναι Græca voce dicebatur, παρὰ τὸ ὠνεῖσθαι ἐκεῖ τὸ ἅλς, quod vocabulũ Turci suam in linguam transtulere. Situm est ad Mæandrum fluuium in Asia minori.

Sophia, Bulgariæ κώμοπολις, siue muris carens opidum, licet alioqui magnum. Nomen hoc a templo τῆς ἁγίας σοφίας, nõ Constantinopolitano, sed illic sito, accepit; quod tamen iam Christianis ademtum, & Turcorum ritibus est profanatum. Sedes est beglerbegi Rumiliæ, vel Europæȩ Romaniæ propter ipsius situs commoditatem, ad omnes Europæ prouincias, Turcorum imperio subditas.

Sorocon, priscis Sandaraca.

Spahan, vrbs Persidis, Cedrini tempore, quadringentis ab annis, Aspachan dicebatur.

Suerin. quære Zuerin.

Suleiman, idem quod Solomon. a pace.

Syli & Scyli, non procul a Constantinopoli situm, quondam Dascylium a Græcis dictum.

T

TAngri verdi, Deus propitius.
Tarabozan, priscis vrbs Ponti Trapezus.
Tarapolos, vrbs Suriæ, priscis Tripolis Phœniciæ.
Taraxe Genitze, Taraxe nouella, veteribus Tatax & Taraxium, & Taras Bithyniæ.
Tata, castrum Vngariæ, priscis dictum Theodote; cui voci nomen eiusdem arcis Germanicum Thotes, aliquanto similius est.
Tauris, & Tebris, clara nobilisque ciuitas, Laonico Tabretze, Cedrino Ταυρήζιον, Taurizium, & eius interpreti Tabrezium. Minadois acriter, velut pro aris & focis dimicans, hanc esse veterum adserit Ecbatana Mediæ: cum quo equidem minime contendens, saltim pace ipsius aio, nec in Assyria cum Laonico ponendam, nec in Media cum Minadoi: quum Cedrinus, auctor idoneus & eruditus, qui a 10, & paullo minus, annis vixit, eam collocet in Persarmenia, quam constat Armeniam esse maiorem; & Aythonus, in Armenia sanguine regio natus, nec multum Cedrino recetior, [illegible] esse statuat eamdem in Armenia maiori. Norat Armeniæ scilicet [illegible]nes illustris Armenius. Nihil etiam vel de Teri[illegible] siue Teure Ptolemæi, vel de Susa Iouij disputans; hoc tantum addo, recentiores q[illegible] [illegible]am Græcos ex Taures, vt ipsi scribunt, Daras, veterum facere: quod recte fiat, an sequius, viderint doctiores.
Tausanle, priscis Tantalus, opidum ad Mæandrum flumen situm, cuius Nicetas in historia sua de rebus Græcorum meminit.
Tebris. quære Tauris.
Teggiur-zair, Ducum vel Imperatorũ pratum. Locus irriguus & herbosus, olim a Græcis κλυζομενὴ dictus, ab irrigatione. Pertinet ad Bithyniam, versus Nicæam & Nicomediam.
Teke, regio Phrygiæ maiori, Armeniæ minori, Lydiæq; contermina. Dicta Turcis videtur a solitudinibus, quę sunt in ea frequentes, & olim habebãt Ca-logeros, nunc Deruislaros.
Teke-ili, regio Tekensis. quære in Teke. Notandus heic obiter Iouij error, qui Techellem nominauit hominem illum seditiosum, quem Turci Schach-Cule dixerunt, & Schitan-Cule. Nam Techelle, non est viri proprium nomen, sed huius regionis Teke-ili; qua in regione suum ille monasterium habebat, vel imaretum, vel tekien, vt Turci loquuntur.
Temur-Capi, ad mare Caspium, Porta ferrea. Dicitur etiam barbaris Capi derbent, Porta Clisuræ. Veteribus Alexandria, ad Hyrcanum mare.
Tersane, nauale, νεώριον Græcis olim, vulgo Arsenale.
Tersis, vrbs Caramaniæ, quondã Tarsus Ciliciæ.
Thracesij, siue thema Thracesiorum, Bithyni & Bithynia, vel tota minor Asia.
Tire, opidum regionis Aidinensis, quod Græcis veteribus erat Thyatira Lydiæ.
Tocati prouincia nunc est ea, quam veteres Cappadociam dicebant, saltim ex parte. Metropolis eius est Amasia.
Tolchadirogli. quære Durgut-ili.
Tolgat-ili, vocabulum a vulgo barbarorum ex Dulgat-ili corruptum, quod est Turgut-ili. Quære Durgut-ili.
Tomalitze, mons Phrygiæ maioris, olim Tumolus, & Tmolus.
Toffia, versus Pontum Euxinum ciuitas, olim Theodosia Gangrensis.
Triaditza, ciuitas Illyrici, quam Glycas olim dictam refert Sardicam.
Trichala, vel Tribala, forti aspiratione, Thessaliæ ciuitas, olim dicta Tricca, Laonico Trica.
Tunsa fluuius, ad Andrinopolim Maritzæ miscetur: hoc est, amnis Tænarus priscis dictus, in Hebrum flumen Thraciæ, propter Hadrianopolim semet exonerat.
Turci, Turki, Tzuruki, Tzurki, Turcman. quære Iurchi, & Turgmen.
Tzaconia, quondam Laconia, sicut & τζάκωνες olim dicebantur λάκωνες, Lacones.
Tzadurile, nomen opidi Phrygiæ, quod veteres Dorylæum vocabant.
Tzanicum, regio Pontica Tzanorum. Genec scribũt Itali, Zenec pronũtiant. Vide Zanic.
Tzorli-chisar, opidum Thraciæ, lingua Turcica distortæ formæ castellum significat. Sed vetus apud Græcos nomen habuit τζούρουλος, & τζουρολόη. Vide Zorli.
Tzupri & Cupri, nomen opidi Turcicum in Thracia, quod olim Cuperium a Græcis dicebatur.

V

VAlona, ciuitas Arbaniæ maritima, Leoni Aug. αὐλωνία, Græcis veteribus ὁ αὐλὼν τῆς ἠπείρου, Aulon Epiri.
Varne ciuitas Bulgarorum ad Pontũ Euxinum, Græcis hodie βάρνη, Cedrino βαρνάς, numero multitudinis, veteribus ὀδησσόπολις, vt est in libro Curopalatæ περὶ τ̃ ὀφφικίων ἢ ἀξιωμάτων τοῦ παλατίου, siue de officiis aut dignitatib⁹ Palatij. Notandum hoc, propter aliorum alucinationes, qui vel Dionysopolim faciunt, vel Anchialum; quæ nomen hodie non prorsus absimile veteri, ἀγχιαλὼ, habet; ex quo Cedrinus ἀγχιαλῶον fecit.
Varsac-begler, proceres Varsacenses Laonico Varsacidę, quamquã Barsacidas scripserit interpres. Pisidę veteribus dicebantur, vt Pisidia nunc Varsac-ili, & Versac-ili nominatur; Geographis recentioribus Versageli, voce paullum vitiata.
Varsac-ili, nomen est eius regionis hodiernum, quã prisci Pisidiam vocabant. Ortelius non recte Versageli, pro Versac-ili, scripsit. Laonico Varsacidæ vocantur huius incolæ, de quibus interpretes fecere Barsacidas.
Velona. quære Valona.
Versac-ili. quære Varsac-ili.
Vlubad, fluuij nomen in Asia minore. Turci dictum a vehementi vento nugantur, quum potius hoc nomen corruperint e Græco recentiori, Lopadio, quo Laonicus est vsus.

Veteres adpellasse Rhyndacum videntur. Est & opidi nomen, quod Laonicus itidem Lopadium dixit.

Vlubad, opidum Anatoliæ, Græcis olim Lopadium. Nomen idem & amni eius loci tribuitur.

Vncra, rectius e Græco ἄγκυρα, scribitur Vngra; & Angura vel Engura intelligitur, Ancyra siue ἀγκύρα priscis, quod more Græcorum enuntiatur Angyra. Nomen ipsum significat ancoram, inditum vrbi ex eo, quod instar ancoræ sita sit inter maria duo; Mediterraneum, & Pontum Euxinum.

Vngro-vlachia, Græcis οὐγγροβλαχία, significat Vngaricam Valachiam, quæ ad Vngaros scilicet pertinet. Pars veteris est Dauiæ, siue Daciæ. Vulgo Transalpinam quoque nominant, & Montanam.

Vpsu, castelli nomen sic a Turcis mutatum ex veteri Græco Hypsu, ὕψου. Collocat hoc opidum Leo Imp. in Phrygia, velut Synadensi metropoli subiectum.

Vrum-ili, & Vrumileri. quære Rum-ili.

Vscuder, idem quod Iscudar, & Iscodar, opidum e regione Constantinopoleos situm, quod hoc a turri vicina nomen accepit. Quære Iscodar, & Scutarium.

Vscupia, Scopia Macedoniæ priscis, in finibus Bulgarorum & Seruiorum.

Vsgieboli, nomen opidi Thracici, quod alioqui scribitur Vscheboli, & Ischeboli; ac priscis erat Scopelos.

Vyze, nomen est tam fluminis, quam opidi; quod Græcis olim Βιζύη dicebatur. Et situm est in Thracia.

W

WAn, Cedrino ἰβάν, πόλις τοῦ βαασπρακάν. Iwanum, vrbs regionis Vaaspracan, quam sæpius repetit dictam priscis Mediam.

Weetz, & Weetzstan. quære in Beetz, & Beetzstan.

X

XAmili, priscis Hexamilium, a sex milliaribus ita dictum, & Isthmus Corinthiacus; angustus est aditus, sex milliaria Græca latus, quo terra patet accessus in Peloponesum, intra duo ab vtroque latere maria.

Y

YPsala, & Ipsala, Turcis vt opidum Thraciæ describitur. Priscis & Cypsala dicebatur, & Cypsella. Olim Græcis erat eodem significato ὑψηλή, siue sublimis, scilicet πόλις. Et refertur ad Lydiam, eadē cum Ala-scheheri, quæ vox altam ciuitatem denotat.

Z

ZAgatai Tatari, priscis erant dicti Sogdiani, & Sugdiani; quasi Sogudiani, & Sugudiani. Hac gente natus erat Temur Han, qui Temur leng adpellabatur, a claudicatione.

Zagora Bulgarorum & Turcorum, Græcis antiquioribus erat Δέβελτος, Deueltus; opidum Thraciæ, sexagesimo lapide dissitum ab Hadrianopoli. Regionem ipsam dixere Zagoriam.

Zanic, regio Pontica, quondam Tzanorum adpellata. Meminit Agathias, itemque Procopius, & alij.

Zanthe, Ægei maris insula, quondam ζάκυνθος, Zacynthus.

Zenec. quære Zanic & Tzanicum.

Zetriuar, antiquis Citros. opidum Thessaliæ.

Zichne, opidum Macedoniæ, quod etiam superioribus sæculis Zichna dicebatur.

Ziuni, dissyllabum, idem quod Iuni, Ioannes.

Zoga, Turcis mons Thraciæ, quem Græci Τουγανον ὄρος dixere, montem Tuganum. Facit etiam mentionem Τυγάνῃ ὄρυς quodam loco Nicetas Choniates, vbi τυγάνη vocem diuisit interpres in τὸ γάνη, quasi τὸ foret articulus, & ipse mons Ganus diceretur; cui tamē & Græciæ Prætor meus Ζυγάνη nomē dedit, & Laonicus.

Zonchium. quære Iauarin.

Zorli, opidum Thraciæ, Græcis ante mille annos, & amplius, dictum τζούρουλος. vide Tzorli-chisar.

Zuerin, opidum Valachiæ Transalpinæ, quondam Seuerinum, a Seuero Imp. conditum & adpellatum.

Zurki, Græcis veteribus Νομάδες. quære Iurchi.

ONOMASTICON ALTERVM, QVO CONTINETVR INTERPRETATIO BREVIS VARIORVM VOCABVLORVM, TVRCICOrum, *Arabicorum, Persicorum, Græcorum, & aliorum, quæ Turcorum in historia sparsim occurrunt.*



ABdesi, lustratio Musulmanorum, vel ablutio certorum membrorum, ante preces.

Abdimelech, seruus regis, aut rex seruus.

Abdulla, Dei seruus.

Abdul-melech, rex Dei seruus.

Abimelech, rex pater, aut pater regis.

Acanzij. quære Akin.

Ac-bassa, canus vel albus Bassa, canus dux, albus capitaneus. Sic ille dux adpellabatur, cuius etiam nomen aliud Accecozza reperitur, quod album canumve senem significat.

Acce-cozza, senex albus. vide Ac-bassa.

Acce-liman, vocabulum Turcogræcum, quo significatur portus albus. Græci recentiores dixerunt Asprolimona. Veteres adpellassent λευκὸν λιμένα.

Ac-girmen illud est opidum in Russiæ, Moldauiæque finibus, quod nostri Nester-Albam, a Nestere fluuio præterlabente, Belgradum Venedi ac Sclauoni, Bialogrodum Poloni, Ασπρόκαστρον Græci hodierni nominant: quæ voces omnes eiusdem significati, arcem albam denotant. Valachi denique Moncastro dicunt.

Ac-hisar, castrum album. Græcis, ἀσπρόκαστρον; Henetis, Beligrad.

Ac-iasi, alba scriptura, vel etiam alba latitudo, siue lata & alba planicies.

Ac-oua, campus albus, alba planicies.

Ac-scheher, ciuitas alba, Græcis Asprapolis. opidum ad Pontum Euxinum, & aliud in Caramania.

Ac-serai, palatium album. nomen opidi Caramaniæ.

Ac-su, aqua candida vel alba, id est, clara & limpida.

Ac-temur, gladius albus, gladius splendens. Osmanis etiam fratris filius ita fuit dictus.

Ac-zair, pratum album. Nomen est campi siue planiciei Caramaniæ.

Ada, insula.

Aferin, aferin; bene, bene. vox Turcis vsitata, quum aliquid recte vel dictum, vel factum, probant.

Aga, baculus, sceptrum, officij & dignitatis indicium. Hoc Græcis recentioribus est δρουγγος, id est, baculus tribuni, quem instar sceptri gerit. Germanis & Italis, & aliis baculus regiminis dicitur.

Agalar, tribuni, colonelli. Græcis antiquioribus χιλίαρχοι, quod militibus minimum mille præsint; recentioribus δρουγγάριοι, a drunco siue baculo, siue sceptro, magistratus insigni; prorsus vt Agalari, ab Aga, dicuntur.

Agatz denizi, Arborum mare. Nomen siluæ Valachicæ.

Agaz, arbor.

Agoranomi, præfecti vel iudices fori, qui rebus ad forum rerum venalium spectantibus occupantur & præsunt.

Ai-Cutlu, principis Turcici nomen, Lunam felicem significat.

Aidinzic, significat paruam Aidiniam, quæ sic a Turcis describitur, vt trans fretum Hellespontícum in Asia sita intelligatur, e regione Cherronesi Thraciæ.

Akin, incursus, grassatio, depopulatio. Hinc adpellati sunt Akinzileri, vel Akenzilari.

Akenzileri. quære Akin.

Aladin, vir diuinus.

Alla egbir, Deus vnus est. Vsitatissima vox Turcis, qua veluti tessera, militaribus etiam in clamoribus, vti solent; sed ita tamen, vt ter Dei nomen repetant, Alla, Alla, Allahu: quo ipso videntur imprudentes aliquid in vno Deo trinum fateri; quod nimirum simul & vnus sit, & incomprehensili quodam modo trinunus.

Alla ienzur Serif, Deus conseruet Serifem. Vox Genitzarorum & aliorum militum prętorianorum, qua Serifi, hoc est, Sultano suo felicia faustaque precantur omnia.

Altum, aurum. Hinc Altumler, aurei, quos florenos aureos dicimus.

Amer-mumnes, Græcorum in historiis ἀμερμουμνής, factum nomen est ex Emir & Mumini: quorum illud dominum significat, aut principem; hoc ritus, siue cærimonias, siue cultus & θρησκείας. Nam proximi secundum Halifas ita nominabatur, velut principes sacrorum, aut reges sacrorum more Romano. Iouius interpretatur optime credentium in religione principes. Sed potius dicere debuit, rectæ religionis, aut ὀρθοδοξίας, aut verorum sacrorum principes.

Anatolai Cadilesker, supremus aut maximus iudex Asiæ, videlicet minoris. Hic posterioribus Græcis δικαστὴς ἀνατολῆς dicebatur, quæ quidem ἀνατολὴ minor erat Asia.

Aphendi, vocabulum a Turcis vsurpatum ex lingua Græcorum, significat dominum. ἀφένδης nunc a Gręcis scribitur, a veteribus αὐθέντης; quod tamen aliter, atque prius illlud, ab eis non pronuntiatur. Magis etiam corruptum est Efendi, quo itidem Turci vtuntur.

Areb,

Areb, Turcis & Arabem, & Ægyptium, & Æthiopem, siue Maurum ac nigrum significat.

Areb Tzerbet, potus Arabicus.

ἀρχισατράπης quibusdam a Græcis redditur, ceu primus satrapa, primus inter proceres, quem Turci Vezir-azem dicunt.

ἄρχοντες ἀρχόντων adpellantur a Græcis ij, quos Turci hodieque Begler-begos in regno suo nominant, ceu dominorum dominos; qui videlicet alios sub se magistratus ac præsides, tam ciuiles, quam castrenses habent.

Atzamileri, & Tzemileri dicuntur a Turcis Christiani.

Atzamoglaui vocãtur apud Turcos liberi Christianorum, e mancipiorũ collecti decumis; quos ad religionẽ suam instituẽdo traducũt, & vel militiæ, vel aliis muniis addicũnt.

Auarizi, exactio, collatio, q̃ εἰσφοραὶ Græci dicũt.

Aurat-bazar, forum mulierum Constantinopoli, quod priscis erat Tauri forum.

Aurat, mulier, in genere; aut etiam vxor.

Ax, albus, Græcis nunc ἄσπρος. Hinc & argentei nummuli vocantur Axe Turcis, ἄσπρα Græcis, ab albedine; sicut & Gallis, les blancs; Italis & Hispanis, bianchi; Germanis Rhenensibus Albi, vocabulo Latino; Zagathais Tataris, Teng; Mengreliis, Tetarti; quæ voces omnes ab albedine diuersis in linguis originem ducunt. (bus significatur.

Axan, nomen factum ex Acce Han, quo rex al-

Azem baba, supremus pater. Sic Deruislari Turcorum, & monachi, Priorem suum nominant; quẽ Græci dicebãt ἡγούμενον. Moscouiis in vsu nomen est Poppi, quo patres spirituales significantur, & Protopoppi; qui prorsus idem cum Azem baba Turcico nomen habent, acceptum id quoq; Græcorum e moribus, quorum in palatiis Augustalibus etiam Protopapæ reperiebantur.

Azep, euocatus. Hinc Azeplari dicti milites euocati, quos aliquot alij, domi manentes, & a militia vacantes, armis instruunt, collatione facta, numeratisq; stipendiis alunt; vt ad bellum euocati, quoties sic vsus exigit, ipsorum loco militent. Laonicus Græcorũ more ξένους dixit, hoc est, μισθοφόρους, stipendiarios, aut solidatos, vt vulgo loquuntur, qui solidos accipiunt. ξένους interpretes Laonici reddidere peregrinos.

B

BAb, porta, sermone Arabũ. Bab el salema, porta pacis, porta salutis, porta prosperitatis.

Baba, pater. Ita suæ religionis auctores monachi Turcorum adpellant, & præfectos itidẽ suos, quorũ aliquibus nomen quoque venerabilius tribuunt, Azem baba, quo pater supremus significatur.

Bag, vinea. Cara bag, nigra vinea. Regionis etiam Persicæ nomen est proprium, in Armenia tamen maiori sitæ.

Bairam, festum Musulmanorum, quod instar paschalis nostri celebrant. De hoc prolixe Pandect. Turc. cap. 215.

Bauli magni vocabulũ reperitur in Græcorum historiis Cedrinianis, & aliis: veluti quum in Theodosio minore quemdã (ni fallor) Antiochum, baiulum Imp. vocant; item inter officia Palatij Augustalis.

Baiulus, tutor, & ἐπίτροπος siue curator. Magnus Baiulus Imperatoris, qui moderator est & arbiter consiliorũ ipsius, & actionum; aut etiã tutor eius adhuc in ætate minore constituti, vel nutricius. Nam ab Italis hanc cepere vocem Græci, quibus Balia nutrix est; Balij, nutricij. Turcis Lala dicitur, qui hoc apud principem officio fungitur.

Bal iemez, tãtum est, ac si dicas, Melle nõ vescit.

Baluc-bazar, forũ piscarium. Græcis hodie ψαρόπωλεῖον, quondam ὀψαριοπωλεῖον.

Ban, Turcis & Vngaris præses alicuius regni. Proprie tamen Vngaris Bani sunt peculiares gubernatores regnorum, ad Vngariæ coronam antiquitus spectantiũ; vt Dalmatiæ, vel Crouatiæ, vel Slauoniæ. Propterea solent Turci Banos Vngaricos suis cũ beglerbegis tum cõparare tum exæquare; quod hi quoque regnis integris præficiantur.

Barat, mandatum Sultanicum, instrumentum, scriptura Sultani iussu facta, priuilegium.

Bar Chin, germanus aut genuinus Chin. princeps Tatarus fuit.

Bardac, vrceus, lagena figlini operis; aquæ gestandę facta. Vocis huius propterea mentionem facere volui, quia Græci quoque recentiores βαρδούκιον dixere. Sic apud Cedrinum legitur in vita Basilij Macedonis Imp. de quodam, ὁ φέρων τὸ βαρδούκιον τοῦ βασιλέως, qui barducciũ imperatoris gerebat. Intelligitur enim ille, qui lagenam aqua plenã gestabat eques, ad vsum ipsius Imperatoris. Erat autẽ is tunc quoq; vnus ex cubiculariis Augustalibus. Retinuerunt & Turci hoc officium. Nã inter iuuenes illos tres, qui Sultano sunt intimi cubicularij, de quib. capite 128 Pandectis, vnus est Kiuptar, qui potus Sultani curam gerit; & semper aquam pro Sultano secũ vehit eques in lagena, sicut olim ea solebat etiã pro imperatore Græco in barduccio vehi. Diu me torsi ante, quam vocabuli huius significatum exquirere possem. Theodosius quidem Zygomalas Protonotarius à me Constantinopoli rogatus, quid esset barduccium; ignorare se fatebatur.

Βαρδούκιον Cedrini, lagenę species. quęre Bardac.

Barec, & Barac, benedictus.

Bassa & Bassi, caput. Bassileri, capita siue duces; vt a κεφαλὴ Græcis sunt dicti κεφαλάδες: nostris a capite, capitanei.

Batz, vectigal, quod pro mercibus exportandis vel importandis soluitur.

Bazartzuc, paruum emporiũ, paruum opidum, emporiolum, opidulum.

Becsangil dicitur vitiose prouincia Burusensis; plene nominãda Beg-sanzac-ili, hoc est, domini flamularis aut vexillani ditio. Quære Burusum beg sanzacum. (Tocatensis.

Bedeui Tzardag, funis crassus. Nomen carceris

Beg, dominus. Sic & principes, & Barones adpellantur. Græci ἄρχοντας reddiderunt.

Beg-bazar, emporium vel opidum domini, aut principis. Græci dicerent δεσποτοπολίχνιον. Collocatur in Caramania, & videtur etiam Beg-schcheris habuisse nomen, quod Græci δεσποτόπολιν redderent.

Beg-cauac, domini principisve tilia.

Begler-beg, ἄρχων ἀρχόντων, princeps principum, vel dominus dominorum, qui sub se dominos, aut præsides alios, habet. Item supremus castrorum præfectus, στρατοπεδάρχης. Turci cum Banis Vngarorum beglerbegos suos comparant. Quære Ban.

Beglerbegluc, dignitas vel officium domini dominorum, hoc est, præsidis in aliquo regno, prætura regni.

Begluc, dominatus, aut dominium, rerum summa.

Beg-scheher, domini vel principis ciuitas. Græcis Δεσποτόπολις, Despotæ ciuitas. Ita nominauit Osman opidum aulæ suæ, quod antea vocabatur Geni-scheher, siue Neapolis.

Beg-zair, principis pratum. Locus propter Nigden Caramaniæ, quæ priscis erat Nagidos Ciliciæ.

Bele, quercus.

Belezug, quercus parua. μικρὰ, ἢ νέα δρῦς, pumila quercus, aut quercula.

Bengi; scholasticus, litteris deditus, bacularius, aut baccalaureus, more nostro. Sic Alim begum Caramanidem legimus cognomen habuisse Bengi, quod inditum ei fuit a studiis litterarum per ignominiam; ab hominibus militaribus; qui nunc quoque Bacularios & Doctorculos vocant eos, qui exosis sibi litteris nimium addicti sunt. Lib. Musulm. 14. Eadem ratione seditiosi quoque Genitzari Baiasitem secundum Bengi nominant per ludibrium, quod is etiam Philosophiæ studiis operam daret. Musul. lib. 16.

Bergas, turris, lingua Turcica; veluti burgos, ex veteri Græco πύργος, & ipsum turrim denotat.

Besestan dicitur in omnibus magnis vrbibus ædificium mercatorum splendidum & amplum, vt Constantinopoli, Hadrianopoli, Burusæ, in quo merces illi suas præcipui pretij exponunt ac distrahunt.

Bignar, fons.

Bignar-basi, fons viuus, quem ad vrbem Prusam collocat historia Musul. lib. III, in fine; & lib. XII, in principio; vbi scriptum ex Interprete Verantiano Bugnar-basi, more Gallico proferendum.

Bilezug, nouellæ vel paruę quercus. Quære Belezug.

Billahil azem, per Deum summum. Sic Temur iurare solebat.

Billahil, formula iurandi, per Deum.

Bitbasar, forum pediculorum, id est, in quo venduntur non nouæ, sed vsu iam adtritæ vestes, quę plerumque pediculis haud carēt. Sarcinatorium, vel interpolarium forum dicere liceat.

Bit, insectum illud, quod pediculum dicimus.

Biuc, pars ea barbæ superior, quam Græco vocabulo mustacem dicimus.

Bogazi, fauces, tam in homine, quam fluminibus, vbi scilicet angusta sunt.

Bogdan, dei donum.

Bogdania, regio Valachorum altera, quam cognomento Caram Turci dicunt, a nigro solo.

Bostanzi bassi, caput siue pręfectus hortulanorum Sultani.

Bre, beri; heus, heus. Vox est excitantis, quadam cum iracundia.

Budac, ramus, aut brachium, vt in fluminibus.

Buga-su, vel Boga-su, tauri aqua.

Buiuc Iskender, Alexander magnus.

Bulc. & Vulc, lupus, lingua Zirfica & Bulgarica.

Burchan, Deus. Casi Burchan, Iudex Dei.

Burculab. quære Porcolab.

Burusum beg sanzacum, hoc est, begus siue dominus vexilli Burusensis. Musulm. lib. IIII. narratur, ita vocatū fuisse Muratem, quum a patre præfectus Burusæ fuisset.

Buzug tepe, mons dimidij, mons semissis. Ita cur adpellatus sit mons Hadrianopoli vicinus, explicatur Musul. lib. 14. pag. 517.

C

Caballinus Imp. sic ab equæ, siue caballæ, iumentive stercore dictus. Idem significat eiusdem Constantini cognomen aliud Copronymus, hoc est, stercoris nomen ferens, quod puer in baptismi lauacrum excreuisset.

Cachpe, meretrix. Bre Cachpe, heus tu meretrix, hem meretrix.

Cachpezne, meretrix mulier. Etiam viris conuicij loco vox hæc tribui solet a barbaris.

Cachpogli, filius meretricis. nomen contumeliosum, quod in conuiciis admodum Turcis est familiare.

Cadi, iudex, aut episcopus, more Christianorū.

Cadilescherluc, dignitas vel officium iudicis exercituum, vel iudicis maximi.

Cadilesker, iudex maior, aut castrensis, aut exercituum iudex.

Cadiluc, officium vel dignitas iudicis, aut prætoris, aut episcopi, more Christianorum loquendo. episcopatus.

Caica, nauigij species apud Turcos. Biremem vertit Verantianus interpres, hoc est, fustam, voce Italica.

Caisari, Cæsarea Cappadociæ, & alia Caramaniæ. Hinc dictus ille Dauid Caisarius, Musul. lib. IIII. pag. 195. lin. 28. hoc est, Cæsariensis.

Cala, castrum, arx.

Calazig, aut Gallico more Calazug, castellum paruum.

Calogerus, nostris monachus siue solitudinarius, Turcis Deruis. Græcis nomen est factum a καλὸς & γέρως, quæ voces bonum senem significant. Sic iisdem hodieque καλὴ γραῖα bonam vetulam denotat. Longiuscule petitur ab aliis origo Calogeri nominis, quum ita dictum putant, veluti καλὸν ἱερὸν, bonum sanctum.

Caphtan,

Caphtan,ſacculus, cuiuſmodi ab vtraque parte veſtis interioris, ſiue tolomanis Turcici, ſolet haberi, variis illic rebus recondendis, ad vſum perpetuum; vt faſciolarum naribus emungendis, vt monetæ minoris ad obuios vſus, & aliis. Itali ſcarſellas dicunt. Reperitur lib. 16. pag. 616, 42.

Capi,ianua,porta,oſtium.

Capi halke,militia prætoriana,vel palatina. Portæ milites & miniſtri.

Capiluc, miniſteriales Portæ, totum Portæ vel aulæ corpus, militia Palatina, copiæ Prætorianæ. Potius Capi halke.

Capitzi baſſa,ianitorum vel oſtiariorum caput, hoc eſt, præfectus. Idem eſt Capitziler baſſa.

Capitzi, vel Capitſchi, ianitores, oſtiarij.

Capizilar-Aga, Ianitorum tribunus.

Caplize, locus thermarum, hoc eſt, aquarum a natura calentium. Huiuſmodi thermas etiam Ilitze Turci vocant.

Cara borum, naſus niger.

Cara-bulic, nigra nubes. Nomen equi generoſi Selimis primi.

Cara-chan, rex niger. nomen Turcici principis.

Cara chiſar, arx nigra, Græcis μαυρόκαςρον.

Caracoionlu, compoſitum nomen eſt ex Cara, quod nigrū colorem ſignificat, & coion, quod ouem, aut veruecem. Lu ſolent Turci propriis locorum & regionū adiicere, quemadmodum & ili, velut in Rum-ili, Aidin-ili, & aliis prouinciarum nominibus. Eſt autē hæc nigrarum ouium regio, quam priſci Colchidem dicebant, & Tzanorum terram; Græci recentiores adpellarunt incolas μαυροπροβατάδας, quæ Turcicæ vox reſpondet.

Cara-deulet-ſchach, Tatari principis nomen, ſignificat nigrum felicem Schachum ſiue regem.

Cara Hozza, preſbyter aut ſacerdos ſenior niger.

Cara Murſel, ſignificat nigrum ſanctum. Huic Vrchan oram Nicomedienſem maritimam aduerſus Conſtantinopolitanas naues tuendam commiſit. Ab eodem inuentas, & nomen cōſecutas arbitror illas naues, quas hodieque Turci Caramuſſalinas vocant, tamquam Caramur ſellinas.

Caramuſſali, nauigij ſpecies. vide Caramurſel.

Cara-oglan, filius niger. nomen Turcici principis.

Cara-Oiluc, nigra meridies. Sic dicta fuit a barbaris Meſopotamia partim a ſitu, & ſolis ardoribus, partim a nigro regionis ſolo; ſicut & Schiltepergus eamdem propterea dixit Turciam nigram.

Caratze-dag-ili, regio ſaltus nigri. Ducatum montis Nigri Slauoniæ noſtri vocant, qui tamen ad regnum Bozinacenſe pertinebat.

Caratze, deminutū ex Cara, ſubnigrum ſignificat, aut nigellum.

Cara-tzepes, nigrum ſaxum, nigra petra, niger ſcopulus. Græce μαῦρα πέτρα.

Carauanæ quanta qualiaque ſint hominum agmina, ſecuritatis cauſa ſe coniungentium in itineribus; abūde paret ex deſcriptione profectionis Meccanæ, quæ 155 capite Pandectis Turcici continetur.

Carauana, frequens hominum multitudo, quæ ſe coniungit ob ſecuritatem itineris.

Carauan-ſarai, palatium, vel amplū ædificium, ad excipiendas carauanas.

Carauan-ſerai, palatium, vel ædificium capax, in quod diuertere carauanæ ſolent, de quibus ſuo loco.

Carauuli, ſpeculatores & exploratores.

Cardas, frater.

Carie Cuſilu, pagus auium.

Carie Oiluc, pagus meridianus, aut meridiei expoſitus.

Caſi-aſker, idem quod Cadi-leſcher.

Caſi-asker, iudex ſupremus, idē Arabica, Maurorum, Perſarumque lingua, quod Cadileſker. Tres autem ſunt maximi iudices in vniuerſo regno Turcico, Anatolai Cadilesker ſiue Caſiasker, Rumili Caſiasker, & Miſir Caſiasker, de quibus ſingulis ſuo loco.

Caſi, iudex, idem quod Cadi.

Caterga, tam Turcis, quam Græcis hodiernis ſunt triremes, & galeæ; qua ipſa etiam voce nunc Græci vtuntur, γαλέας nominantes, quæ maioribus ipſorum quondam τριήρεις erant.

Cauac, arbor tilia.

Cauac, tilia proprie. Spigellus non recte populum nigram reddidit, quæ Germanis non Linde, ſed Aſpe dicitur.

Chadum. quære Hadum.

Chalipha. quære vocem Halife.

Chan, & Chanoglan; quære Han & Han-ogli.

Chazileri, prænominis loco, Turcis adpellantur, qui Meccam & Medinen adierunt. Sic a peregrinatione Chazi Eurenos beg, ſic Chazi Eiuas baſſa, ſic alij nominabantur.

Chazi Turcis dicitur eiuſmodi peregrinator, qui religionis, aut deuotionis (vt vulgo loqui ſolent) cauſa, ſepulcrū Meccanum Muhametis adit.

χιλίαρχοι. quære in Agalar.

Chiridocaſtrum, caſtellum porcorum. quære Zemenic.

Chiſar, & Hiſar, forti aſpiratione, caſtrum, caſtellum, arx.

Chortocaſtrum, herboſum, vel abundans gramine caſtellum. quære Zemenic.

Cliſura. quære Derbent.

Coion-hiſar, arx ouium. Græcis προβατόκαςρον.

Coion Muſa, Moſem gregariū, vel pecuarium potius ſignificat, aut ouillum, vel oui ſimilem.

Colcardasler, militum famuli iuniores, ita dicuntur a Cule, quod proprie regis ſeruū aut famulum ſignificat, & Cardas, quod denotat fratrem. Nimirum ita ſe nominant, veluti fratres eorum, qui a Sultano ſtipendium habent. Et quia ſolent hi propterea ſe inſolentius gerere, quod militum ſocij ſint, & fratres; iccirco plerumque vocantur hoc nomine iuuenes petulantes & immodeſti.

Comopolis, opidum pago ſimile, quod muris

caret. Κωμόπολις. Item Κωμοπολίχνιον, & Κωμοπολίχνη. Prorsus idem Græcis nomen ἐμπορεῖον significat, sicut & Germanis Marckt.

Con Capsi, porta Constantinopolitana, quam integre Coin vel Coion Capsi dicunt, id est pecudum vel ouium porta, quæ illic mactari solent.

Conocluc, festum vel conuiuium dedicationis aut initiationis vel templi alicuius, vel imareti siue xenodochij, vel medresſæ siue gymnasij, vel alterius ad pias causas structi ædifitij: cuius celebritatis origo manasse videtur ad Turcos a Græcis, quos habuisse constat eiusmodi κλητῆρια, testibus eorum historicis, qui a 1 ɔ annis vixere, non hac modo, sed aliis etiam ex causis.

Corban, munus, quod egenti datur ex commiſeratione, vel munus ex causa pia. Græcis ἐλεημοσύνη.

Corcut, tantumdem significat, ac si dicas; Incute formidinem, vel fac vt trepidet. Nomen filij Baiasitis 11.

Cordziler, milites apud Persas stipediarij, præcipuum robur satellitij regij.

Cos-oua, planicies siue campus merularum.

Cosse, merula. Græci κόσσυφον dicunt. Eius Michaelis hoc cognomen erat, a quo Michaloglij proceres orti.

Cozza Aphendi, dominus senex. Prius est Turcicum, alterum Græcæ linguæ recentioris, ἀφέντης, ex veteri αὐθέντης factum, quod ab ipsis pronuntiatur Aphendis.

Cozza Caia, saxum vetus, antiqua petra, scopulus antiquus, aut vetus rupes.

Cozza-Despot, Turcogræcum vocabulum, significat δεσπότην siue principē veterem, hoc est annosum, & prouectioris ætatis. Ita fuit adpellatus a barbaris Stephanus Despota Zirforum, ad differentiam Geni-Despot, siue Despotæ iunioris, eius filij Georgij.

Cula, turris, & arx parua. quære Gula.

Culauos, arx, quum generaliter interpretari vocem lingua Turcica volumus. Specialiter autem ea videtur a Turcis arx ita dici, quę veteribus Caloës nomen habebat.

Culcardasler. quære Colcardasler.

Culchisar, aut Culechisar, castrum seruorum, aut famulorum potius regiorum.

Cupri-chisar, castrū vel arx quinque pontium, quibus Sangarium flumen Iustinianus Imp. strauit. Adpellata fuit ą Græcis πεντεγέφυρος, a dictis v pontibus.

Curan, lex Muhametis; Al-Curan, cum articulo. Quære Mushafum.

Curba denotat vtrem coriaceum minorem, quem aqua repletum vnus aliquis imponere iumento potest.

Curditze, paruus Curdus siue Curtus, de qua gente suo loco.

Curt, oriundus ex Curdistano, vel Chaldæa. Scribitur & Kiurt a Murate Dragomano, lib. 1111 Musul.

Curtze, paruæ staturæ Curdus, aut Chaldæus. Sic Curtze Dogan, lib. 15 Musulmanæ, significat Doganē Chaldæum, (Chadæi namque iam Curti sunt) exiguæ staturæ.

Cuzzimu-barec, locus benedictus, locus inclytus. Sic Hierosolyma nunc barbari vocant.

Cyrimaria. quære κυριμαρεία.

Cyriscelebis. quære κῦρις.

D

Dedem, auus.

Degnal, fabulosus Turcorum, Antichristus, ante diem iudicij venturus, quem nominantes, semper vocem Lain adiiciunt; vt improbum, maledictum, & sceleratum fore ostendant. Eius etiam præcursorem faciunt Mechdim, de quo lib. 16. Musul.

Deli, stultus, aut stulte temerarius, qui Græcis ῥιψοκίνδυνος dicitur. Delu, pronūtiatione Gallica, idem.

Delu Pasa, nomen inditum cuidam Pasæ bego, Musul. lib. 14. Significat autem Pasam temere audacem, vel stolide temerarium, cuiusmodi Græcis adpellantur ῥιψοκίνδυνοι.

Dephter-dar, rationalis, præfectus rationum, quæstor, præfectus ærarij. Consiliarios Cameræ nunc dicimus.

Dephterdar azem, supremus ærarij præfectus, quem vulgo nunc Cameræ præsidem dicimus.

Derbent, transitus montium angustus, Græcis κλεισοῦρα; quod illic scilicet tam aditus, quam transitus sit interclusus.

Derdar, apud Ægyptios militiæ præfectus. Sic Halepi Derdarem vocat Schiltepergus, militiæ locorum illorum ducem. Derdar vero quibir, iisdem Ægyptiis magnus erat militiæ dux, qui totius regni copiis præerat, vt apud Græcos ὁ μέγας δοὺξ.

Derdar, pręfectus exercituum. Idem, quod Serdar. Murates tamen Dragomanus alicubi Cancellarium reddidit, haud dicam, num recte, necne. Nonnihil quidem alucinatus videtur.

Dere, fluuius, amnis.

Deruis, monachus, religiosus. Deruislar, religiosi, nomē est generale, sicut apud nos monachorum, quo deinde diuersi quidam ordines, & instituta continentur peculiaria.

Deuletlu, beatum significat, & felicem.

Deuletlu Hunggiar, felix & beatus Imp. Augustus. Hunc Turci titulum principi suo tribuunt.

Diadar. quære Diuidar.

Dil-Dere, Linguæ fluuius, paullo vltra Geibisen, ad vndecimum a Constantinopoli milliare Germanicum. γλωσσοπόταμος. Ibidem & Dil opidulum, de quo lib. 3 Musul.

Dil, lingua. Nomen etiam opiduli Asiatici est, trans Bosporum itinere bidui non magno dissiti a Constantinopoli, versus Nicæam.

Direm, pondus illud, quod δράχμη Græcis veteribus erat, hodiernis Drama, de quo Turcicum nomen magis adhuc vitiatum.

Diuan, concilium publicum, curia regis, hoc est, solemnis conuentus ordinum ad regem, vel principem. Item audientia principis publica, quam

quam vocant,& concilij vel audientię locus.

Diuidar,idem quod aliis Duueidar & Diadar,apud Ægyptios olim supremus a consiliis Sultano, qui rei summæ præerat, vt apud Turcos Vezir azem, præsertim quũ de sententiâ Sultani Osmanidæ Serdar esse iubetur, siue Serasker, hoc est, supremus dux; qui & Ægyptiis Derdar nominabatur. Horum singula suo loco quære.

Dost, amicus.

Dostluc, munus amici. φίλιον. vt ξένιον, quod ab hospite datur.

Druncarius, tribunus militum. Italis, Gallis, Germanis etiam, colonello. Græcis χιλίαρχος. Quære Agalar.

Druncus, bastone del reggimento, baculus regiminis. Quære Aga.

Druncus, numerus militum, quantus esse sub Druncario siue tribuno debet, nimirũ 3000; aut non pauciores, quam mille, nec plures 4000. Græcis olim χιλιαρχία, Italis vn reggimento, sicut & Gallis, & Germanis.

Düggiun, celebritas, adparatus insignis, triumphus quasi quidam. Duzzun pronuntiatur, & plerumque de festo nuptiarum accipitur.

Dulgadir. quære Durgut-ili.

Dundar, locus, ad quem se recipere licet, quum aliqua suscipitur excursio.

Durgut-ili, significat regionem Durgutis, de quo Durgute lib. III & IIII Musulmanæ. Ceterum vulgus hâc vocem Durgut-ili, corruptam ab se, mutauit in Dulgut-iri, ac magis etiam vitiauit, Dulgadir enuntians: vnde ducem Turgaturium fecit Laonicus. Sic & Dulgut-iri-beg, & Dulgut-ir-ogli, & Dulgad-ir-ogli, vulgus fecit ex his integris, & non vitiatis; Durgut-ili-beg, & Durgut-il-ogli; quæ principibus dictæ regionis in Phrygia maiori nomina dabantur.

Duueidar. quære Diuidar.

E

Ebu Lulu, idem quod Ebu Lala, pater œconomus, vel domus præfectus.

Ebu, pater. Abu pronuntiant Græci, Arabicæ imperiti.

Edeni, scyphi, pocula, cuiuscunque materiæ.

Efendi. quære Aphendi.

Egbir, militaris clamor, quo Muhametani pugnaturi, vel alioquin exsultabundi, ter vnius Dei nomen repetunt, hoc modo; Alla, Alla, Allahu.

El harbu hudiatum, prœlia fraudem requirunt. Præceptũ Muhametis prophetæ Musulmanorum, de strategematum vsu.

Emir Ahor, vel Achur, significat dominum stabuli, quod achur apud Turcos dicitur, ex ἀχυρείῳ, voce Græca. Stabuli magister, aut pręfectus. Sunt autem duo, Buiuc Emir Ahor, Magnus præfectus stabuli; & Cutzug Emir Ahor, Minor præfectus stabuli.

Emir-dagi, mons aut saltus Emirum, id est, Muhametis editorũ sanguine, ac religiosorum. Videtur eo nomine significari mons Olympus Bithyniæ, velut ostensum alibi.

Emir, dominus.

Emir Halem, dominus vexillorum. Officij nomen est.

Emir Halem, significat dominũ vexillorum & flammeolorũ, qui scilicet supremus est Sultani vexillifer, & omnibus beglerbegis ac sanzacbegis, quum creantur, vexilla sua porrigit. Magnus Flammeolaris, magnus Flamularis, apud Græcos.

Emir Illahazzi, dominus peregrinationis diuinæ. Sic adpellatur ille dux siue capitaneus, qui Carauanæ, religionis ergo Meccam profecturæ, summo cum imperio præest, vt eam regat ac tueatur.

Emir Mumini, dominus cerimoniarum, aut princeps sacrorum. A Gręcis Amermumnes scribitur, in eorum historiis.

Engile, morbus is, quẽ καρκίνωμα, siue cancrum vocamus. herpes exedens.

Ermeni-bazar, emporiũ (id est opidulum, quod emporij ius habet) Ormenij montis.

Eski-baba, vetus pater. Opidi nomẽ in Thracia.

Eski-chisar, castrũ vetus, Palæocastron Græcis.

Eski-scheher, vetus ciuitas, Palæapolis Græcis; aut Archæapolis.

Eski serai, palatium vetus. Ædificium in vrbis Cõstantinopol. medio, Sultani gynæconitis.

Eski zume, vetus templum.

Etnasser, duodenarius numerus apud Arabes. Hinc Etnasserlari Turcis dicti, qui tegumentũ capitis rubrũ gestant, duodecim plicarum.

F

Fakiche, vir doctus, legis peritus, iuris consultus.

Fetfa, decretum iudicis, sententia iudicis. Fetifâ Verantiano.

Franc-beg, princeps Italus, aut princeps Italorum. Sic Papam Romanum Turci vocant, Musul. 16.

Franki Turcis dicuntur & Itali, & ceteri occidentales; ex eo, quod Francorum, imperio Romano potitorum, fama per Orientales regiones longe lateq; dìdita quondã fuerit.

G

Gasi, στρατιωτικός, militaris, bellicosus. Chalcocondyli heros.

Gauri, Christiani, velut gentiles aut pagani sic a Turcis adpellantur.

Geicli Baba, pater cum ceruis agens. Nomen datum Vefæ monacho. Musul. lib. IIII.

Gemehi, lapis. etiam hac voce de gemmis loquentes vtuntur.

Geni-scheher, noua ciuitas. Græcis Neapolis.

Geni serai, palatiũ nouum, Sultani domicilium Constantinop.

Genitzar-Aga, prætorianorum tribunus.

Genizeri, noui milites, siue tirones; a Geni & Zeri, quod posterius milites significat: vti quum dicunt Zeri-bas, aut Zeri-bassa, caput militum, vel capitaneum intelligentes.

Gepenec, & Kepenec, vestis pluuia, quæ Græcis olim Persica voce Scaramangium dicebatur.

Gephuræa, Græce γεφυραία, significat arcẽ pon-

tium. Turcis Cuprichisar.

Giafer, Christianus.

Giamia. quære Zuma, & Ziama.

Gifut, Iudæus. Sic Itali scribūt hoc vocabulum, atque ita pronuntiant, vt Germani Schifut. Gifut capisi, porta Iudæorū Cōstantinopoli.

Gilderun, fulmen. Græcis κεραυνός. Sic Gilderun Baiasit dictus a Turcis fuit Baiasites fulmineus, quod hostes impetu celerrimo fulminis instar obrueret. Sic & olim Antiochus quidā se κεραυνὸν voluit adpellari, cognomine diuersa in lingua simili. Sic & Ptolemæū κεραυνὸν habuere prisci regem Ægyptium.

Gioli, stagnum, palus. etiam flumen, aut aquā generaliter.

Gitic, & Getuc, & Geduc, dens ruptus, cuius reliquiæ in ore superant. Cognomen Achmetis bassæ celebris, Muhamete II, & Baiasite II regnantibus.

Giulchisar, castrum rosarum. Rhodocastron Græcis.

Gospodar, dominus, lingua Zirfica.

Gugerzinliç, columbarium, columbarij locus.

Gugerzinlic, Turcis columbarium significat.

Gula, Turcis significat turrim. Et hoc eis nomine dici solent arces paruæ. Græci Γυλάδα dicunt, a Turcis accepta voce.

H

HAdum, spado, castratus, eunuchus. Hadū, vel Chadum bassa, dicitur a Turcis Bassa, cui sunt exsecta virilia.

Hairadin Bassa, dux aut capitaneus bene meritus, aut qui bene meretur; Græcis εὐεργέτης.

Hairadin, vox a Turcis ad imitationem Græcæ veteris εὐεργέτης facta, qua bene meritus denotatur, aut bene merens.

Halife, vicarius, locumtenens, heres & successor. Halife Lullahe, vicarius Dei, vices Dei gerens in terris, Τοποτηρητὴς Θεοῦ, Dei locum tenens. Halife Muhammedum, heres Muhametis, successor Muhametis. Ita prisci Agarenorum reges se vocabant. Ita mirum inter Christianos quoq; se quemdam voluisse nominari, quasi si cum illis Antichristis de hoc titulo contenderet. Ita Schachus Ismail adfectabat dici. Eodem denique titulo Turcorum se principes ornant.

Hamaili, amoletum, quod equorū collo Turci adpendunt, vt ab hostis ictu sint tuti. Hist. Musul. lib. I. pag. 35.

Hamaxobij, qui vitam in plaustris exigunt. ἁμαξόβιοι. Scytharum νομάδων, hoc est Zurcorum genti datum cognomen.

Hamaxophoreti, qui perpetuo vehuntur quadrigis & plaustris. ἁμαξοφόρητοι. Cognomen Scythis Nomadibus, hoc est Zurcis inditū.

Han, & Hana nosocomiū. quære Timarhana.

Han-ogli, & Han-oglan, filius Hanis aut regis.

Han, princeps, aut rex, aspiratione forti pronuntiandum, vt apud Germanos Chan.

Hantzer, pugio, sica, vel ensis militaris.

Haratz, tributum.

Hasnadar bassi, præses thesaurorum, magnus thesaurarius.

Hasnad, thesaurus.

Hasnad, & Chasnad, thesaurus.

Hegim-bassa, medicus Sultani primarius. Priscis ἀρχίατρος.

Helife, idem cum Chalifa, de quo supra.

Higumenus, (ἡγούμενος) prior monachorum. quære Azem baba.

Hodauendicar, beatus Dei seruus. Is titulus mortuis tribuitur, & magnis plerumque viris; perinde ac μακαρίτας Græci dicebant.

Hozza, senior, siue sacerdos presbyter, vt nostri dicunt.

Hunggiar, nomen dignitatis, a Turcis ita Sultanis suis tribuitur, vt Romani principes adpellari solebant Imperatores Cęsares. Enuntiandum syllabis dumtaxat duabus.

Hutbe, Musulmanorū preces, quæ concipi singulis festis hebdomadariis in cætu publico, pro salute felicitateque principis solent.

I

IAbal, Arabice mons. Iabal el salema, mons pacis, aut salutis, aut prosperitatis.

Iaia bassa, peditum caput, vel capitaneus, vel peditum tribunus.

Iaia, pedestris, aut qui pedes militat. Ita dicuntur e plebe colonaria delecti, qui pedestrem militiam obeunt.

Iaila, vireta. Frigida plerumque sunt, & imprimis vireta montium, quæ calidis in regionibus Sultani veteres in magnis caloribus & æstu adire solebant.

Ialac-hisar, castellum splenis. Arx dicta Græcis ὁλκοῦ, vel aquæductus, qui erat in iis locis, ac Lampsacum versus pertinebat, vt est apud Græciæ Prætorem. Ex ὁλκοῦ vocabulo Græco Turci fecerunt Ialac, vel Ioloc, velut Iolc, vt ipsorum lingua denotaret aliquid, alioqui peregrinū, & ipsis ignotum. Ialac sane splenem significat.

Ialac oua, campus aut planicies lienis siue splenis. Locus a Turcis ita dictus, vocabulo Ialac corrupto ex Græca voce ὁλκός, quæ aquæductum significat. Non procul abest a Nicæa. Vide lib. III. Musulmanæ.

Iam-zari crassius enuntiatur, quod elegantius loquentes, Geni-zeri dicunt. Significat autem nouos milites, ex lingua Turcica; non a Ianua, Latino vocabulo, deductum. Nam Laonicus etiam sciuit hauddubie, vocem Iani Turcico sermone nouum aliquid denotare; quum Ianitzam alibi, forma deminuta, dicat vrbem nouellam; quæ Turcis est Genitze, verbi causa, Vardar Genitze. Quære Genitzeri.

Ianac, significat hominem iano præditum, hoc est corde; ceu cordatum, vel animosum potius.

Iancu Lain, Ianus improbus, Ioannes nefarius.

Iancu Turcis Ianus aut Ioannes dicitur, a finitimis Zirfis, Bulgaris, & aliis Venedis accepto vocabulo.

Ianum, cor significat. Ianum Ianum, vox blandientium muliercularum apud Turcos, qua corcu-

corculum suum aliquem adpellant.

Iapheta, prodeas, vel aperias te. Hist. Musul. lib. I. pag. 365.

Iara bassa, chirurgorum Sultani præfectus, chirurgus princeps.

Iar-chisar, castrum accliue.

Iasitz, Turcis & Germanis Iasitsch, scribam significat eius loci, quem nostri secretariū dicunt, Greci ἀκτουάριον, a Romanis actuarij vocabulo accepto, quo & Prætor Græciæ noster vtitur.

Iedi, septē. Iedi il, septē anni. Iedi el, septē venti.

Ieschil bassa, significat caput viride. Sic Tatari quidam adpellantur, vltra Temur-Capi, siue Portas ferreas, habitantes; quorum & princeps ipse Ieschil bassa nominatur, ceu rex eorū, qui tegumentis capitū viridibus vtuntur. Vicit hos Ismail Sofinus, vt est Musul. lib. 16.

Islac-ogli. quære Volac ogli.

Ifrenc-oua, planicies in Caramania, sic dicta, quasi campus Francorū. Ratio nominis hæc est, quod in ea planicie quondā Franki, hoc est, occidentales populi, ad recuperandā Palæstinam proficiscentes, castra locassent.

Ikindi, hora vesperarū, tertia fere post meridiē.

Ilbasan, vel Ili-basan, prædatrix regionum. Nomen inditum ciuitati nouę, quam Muhametes II condidit. Pandect. cap. vlt. collocatur in Liuadia, quam prisci dixerunt Achaiam.

Ilias baba, pater Elias. Sic & Ilias beg significat Eliam dominum vel principem.

Ilitze Artzerumi, thermæ propter Artzerumē, in Armeniæ Cappadociæque finibus.

Ilitze, thermæ. idem quod Caplize.

Imam, præceptor, aut doctor.

Imamia, vel Imania, doctrina, vel religio, vel ritus sacrorum.

Imaret Turcis, μαγέρειον Græcis recentioribus, antiquis & μοναστήριον, & ξενών, & ξενοδοχεῖον, ædificium structum pro solitariis, & ad excipiendos hospites ac peregrinos, & eosdē gratis pascendos. Apud Turcos autē triduo pascuntur peregrini continuo, qui volunt. Ibidem & docti viri cum discipulis aluntur, vt in monasteriis nostris.

Imrahor bassi. quære Emir Ahor.

Isic, monachus aut eremites, siue solitarius. Laonico genus hoc Turcicorum monachorum Zichides adpellantur.

Iskender, Alexander.

Islami, pacifici vel vnanimes. Ita seipsos Turcę vocant.

Ispahileri, equites prætoriani. Vocantur & Spahileri.

Ispahi Meidan, locus spatiosus Ispahilarorū, vel equitū area, ludicris scilicet exercitiis eorum equestribus destinata.

Istabor, septū plostrale, septū quadrigariū, quo cingi solet interdum exercitus. Sic Turci hac voce vtuntur, ex lingua Venedorū vsu capta.

Itzeduc, calceamenti genus apud Barbaros.

Itzoglani, pueri conclusi intra seraium siue palatium, ex Christianorum decumis collecti. Quære Zemileri.

Iugurda, lac acidum, Turcorum deliciæ, quod veteribus Oxygala dicebatur.

Iun-Dogdi, sol ortus. Nomē fratris Ertogrulis.

Iundus, dies. sic a sole dicitur, aut a luce solis, qui Turcis est Iun.

Iuni, dies. sic a Iun dicitur, hoc est, a sole, qui luce sua diem efficit.

Iuni, Ioannes.

Iurc-oua, Bulgariæ opidum, nomen habet a campo vel planicie Georgij.

Iurki, Tzurki, Zurki, Turki, nomē idē, quo Nomades siue pastores vagabundi significātur.

Iussuc, anulus.

K

Kalamestorie, nomen dominæ Germastæ opidi, quo significatur καλὴ μαστορία, bona domina.

Kanoni, vocantur a Turcis leges, Græco vocabulo; tamquam regulæ humanarum actionum. Kanoni Osmanum, sunt iisdem Osmanis leges & edicta.

Kele, idem quod Cala, castrum, arx.

Kemach, Armeniæ minoris ciuitas, olim dicta κάμαχος, Camachus, Armeniæ metropolis Leoni Aug.

Ker-scheher, ciuitas plana. Græcis ὁμαλόπολις, aut ἐπιπεδόπολις.

Kessen, incidere.

Ketzie bassa, significat filtrinum caput. Ita vocātur vltra Chorasanem siti Tatari, quorum princeps & ipse Ketzie bassa dicitur, velut Han & rex eorum, qui filtrinis capitum tegumentis vtuntur. Nam filtrum significat vox Ketzie, nostræ Kotze similis. Et videtur hic idem esse cum eo principe Tatarorum, qui vt olim, sic & hodie nominatur Vsbeg Han. Is enim Chorasanem his occupatam proximis annis, toto pæne cum regno, Schacho Persico, qui hodie rerū potitur, eripuit; nunc demum victus, cæsis a Schacho Persico filij copiis, per quem bellum gerebat, hoc anno nostro 1591. Idem & olim de Chorasane cum Persa dimicabat, vt est videre Beccanis in Annalibus nostris, ad annum Christi 1555.

Kiabe, domus Dei Meccana, quæ tēplum etiam Abrahami a barbaris nominari solet.

Kiafir, aut Giafir bignar, fons Christianorum. Pagi nomen, qui non procul a Cuprichisare, vel arce pontiū Sangarij fluminis, situs erat.

Kihaia, præfectus, & legatus, & vices gerens. Quære Tihaia. Sic enim pronūtiant, qui loquuntur elegantius. Apud Turcos hoc nomine nunc is intelligitur, tam inter milites, quam aulicos, quem hodie Græci πρωτογέρων vocant, πριμικήριον paullo vetustiores, nostri Primicerium.

Kihaia. quære Tihaia.

Kiral-ogli, regis filius.

Kiral, rex, lingua Vngara.

Kirba. quære Curba.

Kirc-Clisse, opidū Thraciæ. Nomē hoc Turcicum significat quadraginta ecclesias, siue tēpla; factū ex Græco vulgari σαράντα ἐκκλησίαις.

Kiſſus, hedera. Nomen etiam proprium opidi Thraciæ, quod Turci dixere Keſſen.

Kiſul-Agatz-Genitze, loci nomen, in quo Duſme Muſtapha captus fuit. Ipſa verba ſignificant rubram arborem nouellam.

Kiſualti Nabu, veſtis prophetæ, de qua in itinere Meccano cap. 2.

Kiſul-baſſilar, capita rubra. Sic Perſæ vocantur a Turcis, ob tegumenta capitum lanea, rubri coloris. Quære Sofilar.

Kiſul buga, taurus rubri coloris. Nomen Turcici principis.

Kiſul Caia, rubrum ſaxum, rupes rubra.

Kiſul-irmac, flumen rubrum. ἐρυθροπόταμος, apud Siuaſten, vel Sebaſteam.

Kiſultze Gozza, ſenex ſubrufus, vt Kiſul Cozza rubeum, vel rubrum, vel rubicũdum ſenem denotat.

Kiuptar, qui dicatur, quære in Bardac.

Kiurt, ſignificat Curtum, hoc eſt Chaldæum. Vide Pandect. Turc. cap. 232. Sic Tazzedin Kiurt legitur lib. 1111 Muſul. p. 195. lin. 30.

Κλεισοῦραι, fauces artæ montium, quæ reddunt iter ſtrictum & impeditum.

Κλητώρια, conuiuia vel inuitationes ſolemnes Imperatorum. Quære Conocluc.

Κυρμαρία, domina Maria. rectius κυρὰ μαρία. Sic reſtituẽdum hoc nomen in hiſtoriis noſtris, quum referunt, Rainerium, Guilelmi II, Marchionis Montisferratenſis F. principem Theſſalonicæ cõſtitutum a ſocero Manuele, Imp. Conſtantinopolitano, cuius filiam Cyrimariam in vxorem duxerat. Quippe pro Cyrimaria, reponendæ duæ voces, Kyra Maria, quæ Dominam Mariam denotant. Et illuſtres dumtaxat feminæ, Kyræ dicebatur, vt apud Gallos Dame, vel Madame.

Κῦρις, dominus. ex veteri Κύριος mutilatũ. Hinc Cyris Celebis dictus, vt dominus Zelebis.

Κυρὰ, domina, priſcis Κυρία.

Κῦρος, dominus, Græcis recentioribus; priſcis, Κύριος.

L

LAla, gubernator, arbiter actionum, tutor. quære Baiulus.

Laz-ogli, filius Lazari, ſcilicet Bolcouitzij, Zirforum Deſpotæ.

Leng, claudus. Leng Temur, claudus Temur. Et reapſe Temur ex crure rupto claudicabat.

Logothetam vetus Gloſſariũ interpretatur rationalem. Ideo λογοθέτης δρόμου videtur eſſe Rationalis curſus, ſcilicet publici, de quo in Cod. Iuſtin. Sed potius arbitror ita dictum Cancellarium Dromi, cuiuſdã ſcilicet palatij Conſtantinopolitani, quod Dromum vocabant. Sic apud Cromerum legimus principis Valachiæ Logophetum, (nomen eſt corruptũ ex Logothete, pro vulgaris vſu pronuntiationis Græcorum) hoc eſt, Cancellarium. Ad lib. 1. hiſt. Muſul. pag. 57. lin. 24.

M

MAchmur, inept⁹ ex ebrietate, temulẽtus. Mahala, vicus, platea ciuitatis.

Μακαρίτης, beati, vel beatæ potius viri memoriç. Nã mortuorũ in mentione vſurpatur a Græcis, vt a Turcis Hodauẽdicar. de quo ſuo loco.

Malgara, ſitum in Thraciæ, Macedoniæ, Theſſaliæ que finibus opidum, ſic adpellatum, tamquam Megalagora, magnum forũ, magnum emporium vel opidum. μεγάλη ἀγορά.

Mal-tepe, mons diuitiarum. nomen pagi trans Boſporũ in Anatolia ſiti, non procul a Conſtantinopoli, ad 14 milliaria.

Mangur, nummus æreus, quem Romani veteres aſſem dicebant, Græci ἀσσάριον.

Martelos, explorator, & qui latitat in inſidiis.

Maſtor, dominus Græcis recẽtioribus. Factum eſt ex Italico Maeſtro, & Maiſtre Gallico, ſignificante dominum. Vtrumque vero deriuatum ex Magiſtro, quod maieſtatis & auctoritatis eſt vocabulum.

Maſul, loco motus, dignitate deiectus, honore priſtino ſpoliatus.

Mauroprouatadæ dicti fuere populi Colchidis, a nigris ouibus, quæ Græcis recentioribus ſunt μαῦρα πρόβατα. Turcicum ita nomẽ Caracoionlu reddidere, de quo ſuo loco.

μαῦρος, niger.

Mecca, opidum Arabiæ notum, quod Achmetes etiam ὀνειροκρίτης adpellat μέκκαν. Arabum ſermone Macca dicitur, vocabulo habitationem ſignificante.

Medreſſe, gymnaſium litterarium, in quo doctores & diſcipuli ſumtu publico aluntur, cuiuſmodi ædificia noſtris ſunt litteratorum collegia.

Megas Aphendis, magnus dominus. Hoc nomine Græcis vocatur Sultanus Turcorum, quod imitantibus Italis, aliter non adpellatur, quam il grand Signor.

Megnun Tabac, pelicanus ſtultus. Etiam planiciei nomen eſt, haud procul Halepo diſſitæ. Scribunt alij Metznun.

Meimar, architectus, Italis Ingegniero, velut artifex induſtrius.

Meſari, foſſa. etiam ſepulcrum. Meſari Zurruc, ſepulcrum Turci.

Meſari-kepec, foſſa vel ſepulcrum canis. Græcis κυνὸς σῆμα.

Meſca ſignificat vtrem coriaceum magnũ, quo vehi ſolet aqua.

Meſchit, Muſulmaneum templum, ναὸς Græcis, Italis Moſchea, corrupto vocabulo.

Meulana, vir ſapiens & eruditus, quemadmodum noſtri Doctorem vocare ſolent.

Meulanogli, Doctoris filius. Sic adpellatus fuit Muhametes baſſa, Muhametis II vezir, quẽ ab huius morte Genitzari, vrbe Conſtantinopoli direpta, interfecerunt. Muſulmanæ lib. 15. in extremo.

Michalize Turcis paruus Michaël. Græcis etiam tũ μιχαηλίτζης, vt Θεοφιλίτζης, paruus Theophilus, tum κοντομιχαήλ, breuis ſtaturæ Michaël.

Miſir Cadileſker, ſupremus aut maximus iudex Miſirenſis, hoc eſt Ægyptius, cuius iuriſdictioni præter Ægyptũ, maior etiam, ſiue ſuperior Aſia paret, nimirum Arabia, Suria, pars Armeniæ, cum aliis prouinciis.

Molda-

Moldauia. quære Moridauia.

Monothelitæ hæretici, ab vna sola dicti voluntate, quam in Christo statuebant; vnde nati Monophysitæ, qui vnam solam naturam eidem tribuebant. Musul. lib. I.

Moridauia verum est Valachiæ maioris, nunc vulgo Moldauiæ nomen, sic adpellatæ, quasi Maura Dauia, nigra Dauorum, siue Daorum, siue Dacorum regio. Nec aliunde postea Carabogdaniæ vocem a Turcis accepit. Iouij sententia, dictā Moldauiam a flumine Moldauo adserentis, petitio principij est. Nam vnde tamdem fluuius ipse nomen hoc tulit? Litterarum vero L & R permutatio, frequens est.

Mortait, apostata. Hinc dicti videntur Mardaitæ, in histor. Græcis.

Motefili, præfecti extraordinarij, singulis in vrbium vicis, qui mercibus distrahendis pretia statuunt, & ædibus locandis, & aliis rebus. Quære Mutesibi.

Mueffini Hozzalari proprie dicũtur ij sacerdotes apud Turcos, qui de templorũ turrib. alta voce populũ ad preces ordinarias inuitãt.

Mugali, iuuenes, vegeti, viribus integris prediti. Videntur hinc & Tatari quidã dicti Mugali, & Mogali, & Mogli, corrupte Mongli, & Mogleni Græcis.

Mumini, ritus & cærimoniæ sacræ. Originis est eiusdem cum Imam, & Imamia. quære Amermumnes.

Mupthi, princeps sacrorum est apud Turcos vt apud Græcos Patriarcha Byzantinus, apud Latinos Papa Romanus; sed nullum ei dominium temporale concedunt, quo & Patriarchæ Græcorum caruerunt.

Murailuc, hæresis, siue doctrina, vel opinio, quæ recedit a receptis.

Murat, Græcis ἱεζάμιος, Latine Desiderius, aut donator desideriorum.

Murtzuflus apud Græcos recentiores dicitur, cui connata sunt, & coniuncta supercilia.

Mushaphum, liber legis Muhameticæ, qui alias Al-curan vocatur.

Musulman, orthodoxus, recte credẽs; & generalius, qui fidelis est, qui pius, qui iustus.

Mutesibi dicitur, qui rebus pretia statuit, vt fructibus, vt aliis; etiam ædibus locandis.

N

NAbu, propheta.
Nagiac, securis bipennis.

Namasi, & Nemasi preces in genere.

Neili dicti Turcis horti, qui per Nilos factícios irrigantur. Hoc modo Nilorum vocẽ etiam Latinis a scriptoribus captam, in libris Obseruationũ suis Petrus Victorius, v. c. ostendit. Locus exstat historiæ Musulmanæ lib. IIII. pag. 194. lin. 24.

Neubet, tympanorum, fistularum, tubarum, & aliorum instrumentorum castrensium strepitus. Cærimonia quædam, descripta lib. III Musulmanæ.

Nisschanzi bassa, magnus cancellarius, ὁ μέγας λογοθέτης apud Græcos, magnus Logotheta; de quo vocabulo quære suo dicta loco.

Nusca, idem amoletum, quod in Hamaili descriptum.

O

OGic-gemeni, carbunculus lapis.
Ogli, filius.

Oguz, deuotus, religiosus. nomẽ Turcici principis.

Ordu, forum castrense rerum venalium.

Orimasda, velut Vrimasda, ignis sacer.

Osmanzuc, parua Osmania. Loci nomen in Anatolia, de cuius situ alibi.

Otag, tentorium.

Oturac, salarium annuum, vel annua pensio rude donati. Vulgo prouisionem vocant. Hinc & oturatzatus is dicitur, qui prouisionẽ nanctus est huiusmodi, vt ꝓuisionarius dicatur.

P

PAdischach, imperator, princeps maximus, aut supremus.

Padischachluc, supremum imperium, monarchia.

Passar, opidum Chorasmiorum, sic dictũ a basar, quo significatur emporiũ, vel opidulum nullis cinctum mœnibus. Græci κωμόπολιν dicerent.

Peclarpax, nunc Begler aut Beglar beg, id est, dominus dominorum, ex Prætore Græciæ.

Peiclar, cursores, quos Lacqueios nostri, Gallico vocabulo dicunt.

Peiclari, cursores, quos vulgo Lacqueios dicere solemns.

Peigamber, propheta.

Pendegephyros, arx quinque pontium. quære Cuprichisar.

Peschembe, dies Iouis, feria quinta septimanæ.

Phaciolium, φακιόλιον, lineum capitis inuolucrũ, Achmeti ὀνειροκρίτῃ. Originem habere videtur ab Italica voce facciolo, cuius & deminutiuo facciolетto vtimur, quæ sunt ex fasciola facta. Quære Tulbant.

Philocrine, opidum ad mare, nõ procul Nicæa. Vox Græca Φιλοκρίνη, fontem amicum significat.

Porcolab, vox Bulgarica, prefectum arcis significat, & prætorem. Turci dicunt Subassam, de quo suo loco. Item Agæ vox huic Bulgaricæ respõdet. Burculabum dixit Cromerus.

Precop, fossa. Precopienses Tatari, qui fossa ducta separantur ab aliis.

Protopapæ, & Protopoppi. quære in Azẽ baba.

Protosymbulus apud Græcos is dicebatur, ceu primus a consiliis, qui Saracenis olim, vt nũc quoque Turcis, Vezir azem nominatur. ἀρχιστράτηγος est Zonaræ. ἄρχοντας reddidere Græci superioribus sæculis, vt Cedrinus, vt Zonaras, vt alij, quos Turci adhuc begos vocant; in quibus sunt prouinciarũ ditionumque præsides, proceres aulici, & alij, quos Barones nostri dicunt.

Pseudabbas, falsus abbas, qui se ꝓ abbate gerit.

Pusdogan, claua ferrea militaris, qua in prœliis Turci vtuntur. massa ferrea. Græci quoque recentiores ματζούκιον vocant.

Q

QVibir, magnus. Arabum lingua. Sic Emir quibir est magnus dominus, aut magnus princeps. Sic Derdar quibir, magnus militiæ dux.

R

RAis Kiutap, primus ab archiuis, aut more nostro Vicecancellarius, Græcis veteribus πρωτοασηκρήτης.

Raislari, nauium triremiumque singularũ præfecti, Græcis aut ναύαρχοι, aut τριήραρχοι.

Resul, nuntius. Resul Allah, nuntius Dei. Hunc Muhameti suo tribuunt titulum barbari.

Rum-beg, Romæ princeps, aut Romæ dominus. Sic lib. 16 Musul. Papam Romanum adpellant Turci, quem anno superiore legati Persici, viuo adhuc Sixto v, sollicitandorum contra Turcos auxiliorũ caussa missi, Rum-Schach siue Romæ regem dicebant.

Rumili Cadilesker, supremus aut maximus iudex Romaniæ, scilicet Europææ, quo nomine Græcia intelligitur. Et adpellabatur idem, ante Turcos in Græcorum imperio, δικαστὴς ἑλλάδος & πελοποννήσου, iudex Græciæ & Peloponesi.

Rum-Schach, Romæ rex. Ita dictus a Persis Papa Romanus. Vide Rum-beg.

S

SAbach nemasi, preces matutinæ, quæ & ante diem, & in ipso solis exortu dicuntur.

Sagmata, & sagmataria, quære in Seguan bassa.

Sahana. Sic vocem hanc scripsit Murates Dragomanus, vt Vngarus. Schahana scribunt & pronuntiant Turci, more Germanico. Significatur autẽ regius hac titulus. ideoq; quum lib. 14 Musulmanæ dicitur, concessum fuisse coniugi Germeanensis, vt Schahana vocaretur; intelligi debet, regium ei titulũ, regiamque dignitatem fuisse tributam. Locus pag. 530. lin. 12 reperitur.

Sahibun Carachisar, significat Sahibi, siue principis, aut imperatoris arcem nigram. Erat in Caramania sita, sub Iconiensis Sultani dominatu; sicque nominabatur ex ea causa, quod alia Carachisar, vel aliud Maurocastrum esset in Bithynia, sub Osmanis imperio; nec deessent alibi aliæ nominis eiusdem arces.

Salema, pax, Arabica lingua. Salema lech, pax tibi, salus tibi, prosperitas tibi.

Salema lech, pax tibi. Fontis nomẽ ad Germeani regionis & Caramaniæ fines.

Salim, nunc Selim; pax, aut pacificus, velut Islam.

Sanzac-beg, dominus vexilli, dominus vexillaris; cui scilicet cum vexillo tradita est prouincia, ceu præsidi; & cui propterea militatum eunti vexillum præferri solet. Græcis hodie φλαμβουλάρης dicitur, ceu φλαμουλάρης, aut flammeolaris.

Sanzac-begluc, dignitas vel officiũ sanzaci, aut vexillani, hoc est, prouinciæ præsidis. Præsidatus.

Sanzacluc, dignitas & officium sanzaci, præfectura prouinciæ, præsidatus.

Sanzac, vexillum, Græcis hodie φλάμβουλον, paullo antiquioribus φλάμουλον, Romanis flammeolum.

Sarai, idem quod serai.

Saraptar, qui principi a poculis est. Pincernam dicimus, velut ἐπικέρνην, qui vinum principi miscet.

Sarchor, spontanei. Castra sequuntur, ad obeundas operas sordidas, vt agendi cuniculos, vias sternendi, fossas complanandi, ceteras.

Saru, flauus. Sarutze, deminuta forma, subflauus.

Sasli, iuncus. Sasli dere, flumen aut aqua iuncosa, vel iuncis abundans.

Sauigi, latrator.

Scala, vox Turcis, Græcis hodiernis, Gallis, & Italis vsitata, locũ significat, vbi exscenditur e nauigiis; & in genere portum quoque denotat.

Scaramangium, vox Persica, quæ vestem pluuiam significat; hoc est eam, quæ pluuiis, aut hibernis tẽpestatibus, ceteris superiniici vestibus solet. Turcis Iagmurlik dicitur, vnde Græci nunc Turcogræcum vocabulum faciunt Γιαμουρλίκιον. Vngari Gepenecum vocant. Qui Scaramangium domino portat, vnus est e cubiculariis, quem Turci Tzohadarem nominant.

Schach-Cule, famulus, aut minister, aut miles stipendiarius Schachi, siue regis Persarum.

Schach-ogli, filius regis.

Schach olem, vel alem, rex aut princeps mundi.

Schach, rex.

Schach zade, regis suboles. Idẽ, quod Schach-ogli.

Schahana. quære Sahana.

Schahin-gemem, falconis petra. Germani dicerent Falkenstein, Græci Κιρκοπέτραν, vel Κιρκόλιθον. Nõ procul distat ab Axara Caramaniæ.

Schahi, nummus Persicus, asprorum octo, sic a Schacho dictus Azemiorum.

Scharcan & sarcan, draco. Idem & Sarcun.

Scheiche, secretiorum doctrinarũ magister ac professor, diuinarum litterarũ doctor. Hoc genus hominum pro sanctis habetur.

Scheich Vefa Zade, nomẽ Doctoris apud Turcos celebris, quem ita vocãt, veluti Sanctum Vefæ filium, aut Vefæ subolem. Is autem libro Musulmanæ quarto Ebu Vefa dicitur, hoc est, Pater Vefa; virque religiosus, & instituti cuiusdã noui solitariorum auctor fuisse narratur.

Schifut, Gallice Chifout scribitur, Italice Gifut, eadem pronuntiatione. Quære Gifut.

Schitan & Schaitan Cule, famulus, aut minister, aut miles stipẽdiarius Satanæ. Sic a malitia dictus fuit per παρονομασίαν, qui Schach-Culè vocari voluerat.

Seguan bassa, præfectus est maximus omnium Sultani iumentorum, quæ a ferendis oneribus sagmataria dicuntur; & hominum præterea plurimorum caput, qui curam illorum gerunt, & agere in itineribus ea solent. Seimen

men vulgo enuntiatur.

Seguan bassa, tribunus aut præfectus sagmatariorum, id est eorum, qui mulos, equos, camelos, animalia sagmataria, curant. Et σάγματα dici Græcis onera, quæ singulis imponantur animalib' huiusmodi, aliunde cõstat.

Sehid, beatus, aut sanct⁹; vt martyres suos Christiani beatos vocant. Quodque nostris est canonissare, Turci Sehidos facere dicunt.

Seid. dominus.

Seidi Ebul Vefa, dominus pater Vefa. nomen celebris apud Turcos eremitæ, de quo Musul. lib. 3. p. 199. lin. 40.

Seife, gladius Turcicus incuruus. acinax.

Seife talem denotat ensem Arabum lingua, qui desinit in curuam paullatim aciem. Turcis Kilitz adpellatur, priscis Græcis κοπὶς, παρὰ τὸ κόπτειν, a cædendo; quòd cæsim, non punctim feriat, cuiusmodi gladios Xenophon Persis tribuit, e quorum regione Turcos in Asiam venisse constat. Italis denique, cum Gallis Semitarra & Cimitara voce barbara itidem nominatur; vt Germanis Sebel, quod ex Arabico Seife factum videtur.

Seimen bassa. quæro Seguanem bassam. Dictus videtur Segmen bassa, corrupto e sagmatis nomine, quæ sagmata sunt ipsorum onera iumentorum.

Selim, idem quod Islam, pacificus, εἰρηνικός.

Serabdar, pocillator. idem quod Saraptar. quære suo loco.

Serai, palatium, ędificium splendidum.

Ser-asker, Arabica lingua, dux supremus in castris, quẽ generalem campi nunc vulgo dicimus. Quære Serdar.

Ser-dar, lingua Persica, supremus dux, Græcis ὁ μέγας δοὺξ, Magnus dux. Idẽ quod Serasker.

Sessa, fascia linea, qua Turci caput inuoluunt. Idem cum Tulbant, & Tulipant, de quibus suo loco.

Siclar-oua, campus priaporum, aut membrorum virilium.

Sidik, intime fidelis.

Signan Ada, insula murium, siue μυόνησος.

Signan, mus, aut musculus.

Silichtar, armiger, qui & arcum, & sagittas, & arma cetera Sultani gestat. Vnus est e tribus illis iuuenibus, qui principis intimi sunt cubicularij.

Siuri-chisar, castrũ acutum vel arx acuta. Græcis Oxycastron. Cedrinus Oxylithum Saracenorum adpellauit, hoc est, saxum acutum.

Sofi, Arabice lanam significat.

Sofilar, & Sofiler, religiosi homines, qui humilitatis & modestiæ causa tegumento laneo vtuntur, non lineo tulipanto superbe caput inuoluunt. Etenim consecuti sunt hoc nomen ab Arabico Sofi, non a Græco vocabulo σοφὸς, quod sapientem ac doctum significat. Et fuere Sofileri apud Musulmanos longe ante Ismailem Sofinum, vt ostensum alibi.

Sofiler Tzepeli, Sofilarorum vel religiosorum saxosa regio. Mõtana sunt Caramaniæ, versus vrbem Acserai, vel Axara.

Solacler, circumpedes, aut potius satellitum genus, qui circum Sultanum equitantem, in albis subuculis cursitare solent.

Sophiler, religiosi, deuoti. Quære Sofilar.

Spahi. quære Ispahileri.

Spahoglan-Aga, tribunus equitum. Græcis antiquioribus στρατηλάτης.

Stroni-belegrad, vocabulum a Turcis e lingua Venedorum vsu captum, significat album throni vel regiæ sedis castrum. Vngaricum est opidum, quod Vngaris eodem significato Sekes Feirvvar, Germanis Stul Weissenburg, adpellatur.

Subasilic, & Subasiluc, pronuntiatione Gallica, dignitas vel officium subassæ, qui præfectus est rerum capitalium, vel arcis etiam alicuius & munitionis. Venedis Porcalab.

Subassa. quære Subasilic, & Porcolab.

Subassi, & Subassa, præfectus rerũ capitalium, exsecutor rerum capitalium. Item, arcis pręfectus.

Sugut, salix arbor. Sugutzuc, salicetum.

Sugut, salix. Græcis ἰτέα, quod itidem significat salicem.

Sugutzic, & Sugutzuc, Gallice pronũtiandum, pumila salix, parua salix, μικρὰ ἰτέα.

Sulficar, acinax Alis Chaliphæ, siue gladius incuruus Turcicus, quem Gręci copidem ex eo vocant, quod cæsim feriat, non pungat.

Sultan Alem, dominus mundi. Sic adpellare Turci principẽ suum solent, & Sultan Olem.

Sultani vocabulum Cedrinus significare dicit παντοκράτορα, καὶ βασιλέα βασιλέων, hoc est, imperatorem omnium, & regem regum. A Turcis iam vulgo pro domino vsurpatur. Et nomen hoc princeps eorum habet, κατ' ἐξοχὴν, ceu solus & maximus dominus.

Susar, aquarum ciuitas, castrũ irriguum, ὑδρόπολις, ὑδρόκαστρον. Non procul abest ab Axara Caramaniæ.

T

Tabor, lingua Veneda significat vallum & aggerem, & munitionem.

Tacht, thronus aut sedes regia, non pro consuetudine gentium aliarum, sed Turcica, quum sellis insidere Turci non soleant, & sedeant tamen in eleuato nonnihil loco a pauimento, substratis culcitris.

Talisman, sacerdos is qui precibus Turcis præit.

Tamaschador dicitur a Turcis factum vel opus miraculosum, ac prodigij simile; cuiusmodi tribuere sanctis suis solent, vt Græci θαυματουργίας, & θαυματουργήματα.

Tangri, Deus. Tangri Gictugi, Deus euertit. Nomen nouum Apolloniæ siue Pulinæ datum a Murate I.

Tas-vilaget, regio saxosa, vel saxosis plena rupibus. Caramaniæ pars est.

Tatzi-zade, subolem Tazzis significat; ex eius videlicet Alis Tazzis, siue vertagi posteris editum, cuius mẽtio fit libro Musulmanæ tertio, pag. 142. Tatzi-zade vero commemoratur lib. 17. pag. 744. lin. 53. Quære Tazzi.

Taulonbas,tympanum castrense,satis paruum, quod Turci etiam equites vehere secum solent.

Tazzi,vertagus,siue canis venaticus,quem Leporarium Galli vocant,& Itali. Cognomen Turci militis, de quo liber III Musul.

Tegbir, idem quod Egbir,a Bir, quod vnum significat.

Teggiur, proprie Dux, more nostro, vel Princeps;qui prouinciæ vel regioni cum imperio præest. Græcis ἡγεμὼν, quæ ipsa quoque vox Ducem significat.

Tekesin,monasterij præfectus,xenonis eremitici præfectus.

Tekie, monasterium, vel ædificium eremitarum,qui degunt in solitudine.

Temur Cutlu,ferrũ felix,siue gladius felix. Sic a barbaris & Tatarorum ille notus princeps, ob felicissimos successus,adpellatus fuit.

Temur-Han, rex Temur, aut Don Temur,Hispanico more.

Temur-lanc.quære Lenc.

Temur Sultanum, ferrum siue gladius principis.

Tetimme, significat ædificium, quod studiosi litterarum inhabitant; vti collegium vulgo nunc dicimus. Et Medressen eo differre arbitror a tetimme,quod illa sit ipsum gymnasium litterarium;hæc litteris operã dantium habitatio,vel domicilium.

Tihaia,præfectus,maior domus,& legatus siue locumtenens.Ita pronuntiatur ab iis,qui loquuntur elegantius.Nam vulgo quidem Kihaia dicitur.

Timarati, qui timariis fruuntur. Iidẽ & Timariotæ dicuntur. Timar Turci a Græcis acceperunt,qui τιμάριον dicunt.

Timar-hana,Græcis νοσοκομεῖον,locus vbi pascuntur & curantur ægri certis e reditibus,ad hãc piam causam ædificio collatis.

Timar-hana, Turcis est ædificium; in quo pascuntur & curantur ægri; cuiusmodi Græcis νοσοκομεῖον adpellatur.

Timaria,prouentus annui sunt,qui militibus,& aliis bene meritis constituuntur in villis, aliisve prædiis,& opidorum,artiumque reditibus: sic παρὰ τῆς τιμῆς dicta, quod honoris ergo,viris honoratis, & honore dignis, concedantur.

Toc & Tocca, lineum capitis tegumentũ Turcicum.Quære Tulbant & Tulipant.

Toc-Temur, nomen Turci principis, quo gladius satur significatur.

Toptschi-bassa, vel Topzi-bassa, præfectus rebus ad tormenta bellica pertinentibus, & ipsis bombardariis.

Tsarbuga,rex Taurus.nomẽ Turcici principis.

Tulbant, & Tulpant,lineũ capitis inuolucrum Turcicum, quod Græci recentiores φακιόλιον dixere,veluti fasciolam, aut fasciam.

Tulipant, fascia linea, qua Turci caput inuoluunt. Hac in Diuano proceres olim vtebantur, vt alba Zercula belli tempore. quære Tulbant.

Turgaturius princeps.quære in Durgut-ili. Sic Dulgadir-oglius Laonico nominatur, itemque Turgetes,& Turgutes,& Turgaturij de gente princeps.

Turgi idem qui & Turci, & Zurki, de quibus suo loco.

Turgmen,qui Nomadum more viuit.Nomen idem cum Turg,& Turc,& Turcman.

Turi,firmus. Turi Ali, firmus Alis.

Tzaric,rustici calceamenti genus.

Tzaus-bassa,caput siue præfectus nobilium aulicorum,quibus variæ res expediundæ committuntur.Nomen est dignitatis in aula Sultanea magnæ, quum sub hoc bassa, Tzausij plus minus 700 militent. Græci quoque τζαούσιος habuerunt in aulis imperatorũ suorum,barbaros in hoc imitati; Tzausiorumq; bassam sua lingua dixere τὸν μέγαν τζαούσιον, Magnum Tzausium.

Tzaus,commissarius aulicus, hoc est, cui variæ res a Sultano & Veziribus committuntur,vt eas expediat. cuiusmodi sunt, diuersæ legationes, exterorum legatorum deductiones, aut quum litteras ad principes extraneos, & alios proceres,perferre iubentur.

Tzesnegir bassa,præfectus credentiariorũ Sultani,hoc est,prægustatorum.

Tzesnegir, prægustator principis, quem credentiarium vulgus vocat.

Tzirac, candelabrum. Tzirac axiesi, aspri siue nummi candelabri, vel ad candelabrum, & ad ipsas candelas. Musul.lib. 16.

Tzohadar, vnus ex Sultani cubiculariis, qui vestium Sultani curam gerit, & vestem eius pluuiam portat, olim dictam Scaramangium, nunc Kepenec. Quære vocem Scaramangium.

Tzorba, cibus Turcis familiaris, ex hordeo ad cremorem ita decocto, chylus vt esse videatur.

V

Vaiuoda, capitaneus, dux, tribunus militũ.

Vallaho, per Deum,formula iuramenti, eadem cum Billahil.

Vezir,cõsiliarius, Græcis σύμβουλος. Vezir azem, consiliarius supremus, πρωτοσύμβουλος historiis Græcis.

Vezirluc, dignitas vel officium consiliarij.

Vlefe,& Vlofe,stipendium, quod a quæstoribus militi numeratur.Et apud Turcos huiusmodi stipendia plerumque diurna sunt, vt apud nos annua, vel menstrua.

Vlefedzilar,milites stipendiati,quibus annonæ salariaque numerantur a quæstoribus.

Vlema, peritus historiæ, vir doctus, philosophus.

Vlu-bad,magnus ventus,ingens ventus.Etiam proprium nomen est amnis & opidi Anatolici.

Vlu-Chan, supremus rex. Ita Kitainus imperator adpellatur a Tataris,licet alij quoque reges eorum nomen hoc sibi vindicent.

Vlu Padischach,supremus rex,aut imperator.

Vlutz,desertor, ἀποστάτης, transfuga, cui nomen

Itali dant rinegato. Hinc piratæ nobili Calabro cognomen inditum Vlutz Ali, quo significatur Alis desertor, quem nostri vulgo non recte Occhialim dixerunt.

Voinuchi, rustici sunt originis Græcę, qui habitant in locis Bozinæ regno finitimis, religioni Christianæ addicti, ac misera seruitute oppressi. qua de causa facere cogitur, quidquid eis a Turcis imperatur. βοϊνοῦχοι vero dicti nomine originis Græcæ videntur, ceu vaccarij.

Volacher, quondam veredarij, qui mutatis ad festinationem iumentis vtuntur.

Volachogli, & Iflacogli, Valachi principis filius.

Vscufie, strictum capitis tegumentum, quod Italis quoq; scuffia dicitur. Ex auro puro puto factas vscufias aliqui Turci, cassidum instar, gestare solent.

Vsgieboli, latus limes.

Vsta, medic⁹, vt nostri doctorē medicum dicūt.

Vsta-ogli, filius medici.

Vstazi-ogli, filius parui medici, figliuol del medichin, Italis.

Vstazi, paruus medicus, Italis Medichino, doctorculus. Hinc Vstazi-ogli formatum nomen, quod erat ducis apud Ismailem Sofinum celebris.

Vsun, longum significat, vel staturæ hominem proceræ.

X

XEni, & Peregrini, qui Laonico dicantur; quære in Azep.

ξενών, ædificium peregrinis excipiendis quibuslibet destinatum. Turcis Imaret.

Z

ZA boga, per Deum, voces sunt Bulgaricæ, vel Zirficæ.

Zade, suboles. Tam de filiis, quam nepotibus, ac posteris vsurpatur.

Zebur apud Turcos dicitur hymnorum siue psalmorum Dauidis liber, qui Hebræis integre nominatur Sepher Thehillim. Vnde paret, Zebur, aut Zeuur, esse factū ex Zepher, vocabulo significante librum; quasi Dauidis illud volumen κατ' ἐξοχὴν libri nomen mereatur.

Zekiat, eleimosyna siue liberalitas in egentes; sic a peccatis expiandis & purgandis dicta.

Zelebi, nobilis.

Zelebilar, nobiles.

Zem, amor. Hinc Zemi, Muhametis II filio, datum nomen; quod Zizim scripsere, quibus litteræ Z pronūtiatio Turcica difficilis erat.

Zemenic & Zembenic, & Cimenlic, herbam significant. Hinc Europæ castellum ad Hellespontum a Turcis dictum Zimenlik-hisar, castellum herbæ, vel herbosum potius, quod primum in Europa Turci ceperunt. Græcis χορτόκαστρον idem significat, a copia graminis: vnde qua factum ratione χοιρόκαστρον, quo porcorum castellum denotatur, ioco ne, an alia de causa, dicere non habeo. Castellum quidem vnum & idem est. Vide Pandect. Turc, cap. 24.

Zemileri, Christiani. Ab hac voce dicti Zamoglani, de quibus in Atzamoglani latius. Atzam-ogli, & Tzam-ogli, filius est Christiani. Nam A præponitur ob inchoatam duabus a consonantibus vocem. Iidem & Itzoglani dicuntur.

Zerbet, aut Tzerbet, Turcorum potus, qui ex vua passa & aqua conficitur, nec minus caput ac pedes tentat, quam vinum.

Zercula, pileus, aut tegumentum capitis e filtro, quali solent vti Genitzari.

Zesnegir. quære Tzesnegir.

Ziama, & Ziuma, & Giama, & Giamia, templum maius, Zama tamen, & Zuma, duabus tantum syllabis, enuntiatur.

Ziarettoia, sacellum; cuiusmodi iuxta sanctorum sepulcra solent exstrui.

Zibuc-oua, planicies siue campus virgarum, aut baculorum. Planicies est Cappadociæ.

Icgnolli Verantiano interpreti sunt iuuenes & viri animosi, qui sponte in prœlia ruunt. Ianacos dixit Murates Dragomanus.

Zichides Laonici, Turcis sunt Isichi, vel Isich, hoc est, solitarij.

Zindi fuere dicti, quos alio vocabulo Mameluchos nominamus. Significat autem vox illa gladiatores, aut laniones. Et est eadem cum Zingi, & Isingi, qua denotantur in genere Ægyptij.

Zindi, gladiator, lanio. quære Zir-Zindugi.

Zindi, gladiatores, laniones. Ita dicti Mameluchi, & in genere milites Arabes & Ægyptij, qui etiam Zingi pronuntiantur, & Isingi. Quære Zirf-Zindugi.

Zindugi, laniena. Vide Zirf Zindugi.

Zirf-Zindugi, vel Zindugi, Zirforum strages, aut potius laniena. Sic & Zindi vocantur a Turcis gladiatores, tamquam laniones: idemque datum ab eis nomen Mameluchis, vt ostensum alibi.

Ziuma, quære Zuma.

Zuma-ertesi, barbaris dicitur sabbati dies nostro more loquendo; voce significante post festum, quod Pindaro est ἐπιβδα, dies festo succedens, παρὰ τὸ ἐπιβαίνειν.

Zuma iuni, dies templi, hoc est, quo templum adeundum, & ceteris ab operis feriandum.

Zuma, templum magnum, in quo Musulmani festum suum hebdomadarium die Veneris celebrant. Differt a meschita tum materie, tum quantitate.

Zunet, adparatus nuptialis, vt ipsi Turci nominant, quo circumcisionem ritu solemni celebrant.

INDEX
RERVM ET NOMINVM, NOTATV DIGNIORVM, IN IO. LEVNC. HISTORIAM MVSVLMANAM: IN QVO NVMERVS prior paginam, posterior vero eiusdem versum denotat.

Aladinis

Baiasites

Diraca

E

F

H

I

K

Kirbitze

N.

Nihil

P

Summi

V

FINIS.

ERRATORVM CORRECTIO.

Pag. 3. *versu penultimo, apex eius lineæ quæ* Muhammad & Abdullam *coniungit, sub* Harone Resid, horum patre, *collocetur.* *Pag.* 6. *Caramanogliorum familiæ pars superior ita restituitor.*

Caraman-beg, a quo Cilicia
Caramaniæ nomen accepit.
|
Muhamet-beg Caramanogli.
Hist. Musul. lib. 5.
|
Machmut-beg. Ibidem.
|
Ibrahim-beg.
|
Aladin-beg. Regnauit. & cet.

Pag. 10. *v.* 16. *pro* Aladentis, *scribe* Aladeulis. *p.* 11. *v.* 19. necatus. *p.* 12. *v.* 28. Mediæ principe. *p.* 17. *v.* 19. *apex eius lineæ, quæ* Ioannem, Martinum, & Petrum *coniungit, non sub* N Despina, *sed sub* horum patre Gregorio vel Georgio *ponatur.* *p.* 29. *v.* 23. perferri. *p.* 71. *v.* 31. Parapinacij. *p.* 130. *v.* 50. municipum. *p.* 138. *v.* 38. subter murum. *p.* 161. *v.* 47. scopulo. *p.* 162. *v.* 17. collocatam. *p.* 167. *v.* 45. minorum. *p.* 168. *v.* 32. se. *p.* 175. *v.* 10. *pro* LXIX, *pone* LXXIIII. *p.* 182. *v.* 29. sic. *p.* 183. *v.* 33. eis. *p.* 189. *v.* 44. essent sui ex. *p.* 210. *v.* 20. qui vigil semper. *p.* 213. *v.* 7. salinas. *Ib.* 45. huius & cladis. *p.* 236. *v.* 39. intertextus. Zonis vtebantur argenteis. *p.* 237. *v.* 21. *lege*, proceribus misit Emir-Halemem. *p.* 239. *v.* 8. filum. *p.* 246. *v.* 39. *pro* germanum, genuinum. *p.* 262. *v.* 40. mutuum. *p.* 271. *v.* 52. cædere. *p.* 273. *v.* 25. eius. *p.* 290. *v.* 22. numen. *p.* 296. *v.* 21. alis. *p.* 300. *v.* 16. montis. *p.* 340. *v.* 27. eius. *p.* 349. *v.* 38. quorsum. *p.* 357. *v.* 36. hiberna. *p.* 368. *v.* 46. *pro* superstites sunt, supersunt. *p.* 378. *v.* 5. *pro* sed, et. *p.* 381. *v.* 10. amplis. *p.* 385. *v.* 26. Itum. *p.* 386. *v.* 4. auxilij diuini. *p.* 432. *v.* 49. *pro* id, ibi. *p.* 440. *v.* 36. vtque. *p.* 456. *v.* 15. *pro*, cum Hamza bego, *scribe* Hamza begus, Ismyroglij filius. *p.* 459. *v.* 46. prouectus. *p.* 464. *v.* 30. in ipsa Conuza. *p.* 471. *v.* 8. *pro* Murati, Muhameti. *p.* 475. *v.* 15. denuntiaret. *p.* 500. *v.* 30. auo. *p.* 513. *v.* 12. Laginis. *p.* 526. *v.* 9. *dele* tum, *ante vocem* Anatoliæ. *p.* 531. *v.* 12. *pro* Luca, Theologo. *Ibid. versu seq. pro* Hagios Lucas, Hagios Seologos. *p.* 561. *v.* 28. *locum integrum sic restitue*: quam quod Heduigis, Poloniæ reginæ, Loysi vel Ludouici filiæ, Mariæ Sigismundi coniugis, sororis marito, natus erat. *p.* 563. *v.* 35. scurram. *p.* 565. *v.* 2. silano. *p.* 580. *v.* 8. quæ tunc. *p.* 586. *v.* 54. Cule-chisar. *p.* 593. *v.* 44. *pro* Muhametes, Baiasites. *p.* 596. *v.* 13. Cait-begus. *p.* 617. *v.* 3. *pro* sed, et. *p.* 627. *v.* 30. eis. *p.* 641. *v.* 30. ab hoc. *p.* 715. *v.* 1. inferius. *Ibid. v.* 3. faciemus. *p.* 736. *v.* 23. obtemperaturi consiliis essent. *p.* 812. *v.* 17. *pro* barbaram, trium barbarum.

LECTORI S.

Has mendas, benigne lector, ex opere tolles; vt salebris hisce remotis, in perlustrandis historiæ viretis maiori cum voluptate progrediaris; quam ceteroqui satisfacturam iudiciis non iniquis, confidimus. Maleuoli tribus hisce verbis sibi responsum putent:

Inuideat, qui non vidit.
Inuideat, qui vidit, & non peruidit.
Nec Momum metuo, nec Mimum.



ANNALES
SVLTANORVM OTHMANIDARVM,
A TVRCIS SVA LINGVA SRIPTI:

Hieronymi Beck a Leopoldstorf, Marci fil. studio & diligentia Constantinopoli aduecti M D LI, *Diuo Ferdinando Cæs. Opt. Max. D.D. iussuque Cæs. a Joanne Gaudier dicto Spiegel, interprete Turcico Germanice translati.*

IOANNES LEVNCLAVIVS NOBILIS Angriuarius, Latine redditos illustrauit & auxit, vsque ad annum CIↃ IↃ XXCVIII.

Cum omnium memorabilium, toto opere contentorum, acuratissime elaborati INDICIS *accessione;*

EDITIO ALTERA.



FRANCOFVRDI,

Apud Andreæ Wecheli heredes,
Claudium Marnium, & Ioan. Aubrium.

M D XCVI.

IO. LEVNCLAVII AD NOBILEM AC MAGNIFICVM DOMINVM HIERONYMVM BECK A Leopoldstorf, Cæs. Maiest. Cameræ aulicæ consiliarium, in hos annales præfatio.

EQVIDEM *audire non semel ex te memini, vir magnifice, te peregrinatione tua suscepta, quum Romam anno Iubileo* M D L *adiisses, & Roma Venetias profectus, indidem triremibus maioribus ad Tripolim Syriæ adpulisses: Halepum, Damascum, Nazareth, S. S. Christi sepulcrum Hierosolymis, & in Arabia montem Oreb accessisse; peragrataque deinceps Ægypto, ab vrbe illius Alexandria mari traiecto, per Attaliam Pamphyliæ, Cotyaium, Phrygiæ, Prusam Bithyniæ; tandem Byzantium Thraciæ peruenisse. Byzantii vero, in amplissima Sultanorum Turcicorum sede regia, librum Turcica lingua scriptum, Othmanæ familiæ principum res gestas continentem, magno studio, nec nullo sumtu, fuisse consequutum: quem Diuo Ferdinando Rom. Cæs. pientissimo, anno Christi* M D L I *felici tuo in Austriam reditu, dono obtuleris; humiliter orato rege, ut publicæ vtilitatis causa in Latinam vel Germanicam linguam, vertendum iuberet. Post illa te, officiis negotiisque publicis obrutum, exiguam huius rei curam habuisse; quam tamen penitus haud abieceris. Elapso non exiguo tempore, quum nobilis vir, Vlricus Masch Wander a Cranigsperg, qui multis annis Diuo Ferdinando in cubiculo inseruiuit, filiæ suæ, Alphonso de Games in matrimonium collocatæ, sollemnes Viennæ nuptias celebraret: eum tibi, de illo libro diligentius sciscitanti respondisse; memoria se tenere, Cæsarem interpreti suo Turcico annales quosdam vertendi, exercendiq; eius gratia, tradidisse habereq; se Turcicam historiam, lingua Germanica, manu scriptam. Hanc igitur anno* M D L X X X V I *ab illo tibi missam, quum ex interpretis, Ioannis Gaudier, dicti Spiegel, epistola proœmiaca, versionem esse libri tui, magna cum voluptate agnouisses; statim exscribi iussisti. Fueram ego præcedenti tūc anno Constantinopoli Viennam reuersus, cui non indicasti tantummodo de repertis illis annalibus tuis: verumetiam non inuitus, quæ singularis in me tua est beneuolentia, mecum eos communicasti. Lubens hoc equidem perlegi, quumq; non parum, pluribus de causis, placerent t*

eoſdem rogatu tuo Latine, vt in lucem editi nationibus exteris etiam vſui eſſent, tranſſcripſi. Redeunt igitur ad te nunc typis expreſſi chalcographicis Annales Turcici, tuo qui debentur ſtudio, quod non tantum eos ex illis locis tecum adtuliſti: verumetiam prope ſepultos ab annis XXXVII, & ipſos eripuiſti rurſus e tenebris, & latitantem alibi Germanicam quoq; verſionem a blattis & tineis adſeruiſti. Qua de cauſa, quum libri ad nos perferendi primus auctor, idem perituri vindex & conſeruator exſtiteris: abſq; iniuria tua, cuiuſuis alterius præferre nomen annales ipſi nequeunt. Meam vero in expoliendis his laborioſam operam probaturum te, cum aliis ſincere iudicantibus, ſane confido. Quum enim vir clariſſ. Hugo Blotius I. C. RVDOLPHI II. Rom. Imp. deſig. bibliothecarius, ex Auguſtali bibliotheca Viennenſi poteſtatem mihi feciſſet inſpiciundi veri horum annalium archetypi, lingua litteriſq; Turcicis exarati, in quo huius libri ad Ferdinandum Cæſarem tua manuſcripta dedicatio cernitur, his verbis:

Piiſſimo Ferdinando Rom. Hung.
Bohemorumque, &c. regi potentiſſ.
Hieronymus Beck a Leopoldſtorf
Suæ Maieſt. deditiſſimus alumnus
ex Hieroſolymis ac monte Oreb
feliciter redux, librum hunc
Othmannorum res geſtas ad noſtra
vſque tempora continentem, D. D
animo deuotiſſimo MDLI:

equidem ad hoc archetypum, aliquot dierum labore Ioannis Gaudier interpretationem recenſui, adiutus a Stephano Vngaro, Turcicæ, Arabicæ, Perſicæq; linguæ gnaro, quem tu ipſe nobis in hunc finem, ab hero ſuo, Illuſtri & Magnifico domino, Andrea Teufel, libero Barone, Imperatori à conſil. & præſidij ad Arrabonem Iaurini ſupremo præfecto, impetraſti. Mahumetanos annos ad Chriſtianos redegi, quos etiam marginibus adſcripſi: quod Ioannes Gaudier prætermiſit. Supplementum adieci, quo geſtæ res annis XXXVII, vſq; ad annum præſentem, exponuntur. In hoc memorabilis exſtat decennalis huius belli Perſici deſcriptio, quod adhuc euentu dubio, ſtudiis & odiis vtriuſq; partis acerrimis, geritur. Huic adpendici ſuccedit Pandectes hiſtoriæ Turcicæ noſter, quo a Turcis tradita, cum noſtrorum hiſtoriis Græcis, Latinis, Italicis, Gallicis, Germanicis ita confero: nihil vt inexplicatum relinquam, ne iis quidem præteritis, quæ libri noſtri manuſcripti, multiq; ſuperſtites adhuc idonei nobis auctores, ſuppeditarunt. Idem Pandectes quam multa rara contineat, nec ante nos a quoquam prodita; cognoſcere lectorem experiundo malumus, quam prolixius ipſi, non ſine quorumdam inuidia, prædicare. Claudit opus in extremo Viennenſis obſidionis hiſtoria, cum his omnino coniungenda, de cauſis, quas ibidem breui procemio complexi ſumus. Habes rationem totius commentationis, vir magnifice, quam ſi Zoileus dens quiſpiam, in hac ætatis noſtræ licentia, rodere fuerit auſus: vt ipſe, rerum Turcicarum peritiſſimus, tuendam ſuſcipias, meque animi propenſione ſolita complectaris, etiam atque etiam rogo.

INDEX

INDEX AVCTORVM, QVI citantur in Pandecte.

Abrahamus Baeschaius Vngarus.
Abrahamus Ortelius.
Agathias Myrinæus manusc.
Andreas Cambrinius Florentinus.
Antonius Bonfinius.
Antonius Geufræus.
Antonius Meliensis.
Augerius Busbequius.
Augustinus Curio.
Aythonus Armenius.
Basilius Ioannes Heroldus.
Cedrinus integer manuscr.
Chronica diuersa manuscripta, Græca, Latina, Germanica.
De ædificiis vrbis Constantinopolitanæ, liber m.s.
Emanuel Musicius Atheniensis.
Franciscus Sansouinus.
Georgius Hustius Illyricus m.s.
Georgius Pachymerius.
Iacobus Castaldus.
Ioachimus Cureus.
Io. Antonius Menauinus.
Io. de Plano Carpi.
Io. Martinus Stella.
Itinerariorum in Palæstinam, liber Germanicus.
Karulus Clusius Atrebas.
Laonicus Chalcocondyles Atheniensis.
Leo Imp. Aug. m.s.
Ludouicus Bassanus Iadrensis.
Marcus Paulus Venetus.
Martinus Barletius.
Martinus Crusius.
Melchior Soiterus.
Natalis Comes.
Nicephorus Gregoras.
Nicetas Choniates.
Nicolaus Nicolaides Delphinas.
Nicolaus Sophianus.
Origines vrbis Constantinopolitanæ, liber m.s.
Paulus Iouius.
Petrus Bellonius.
Petrus Bizarus.
Petrus Gyllius.
Petrus Martyr Mediolan.
Philippus Callimachus.
Philippus Mornæus.
Prætor Græciæ, manuscr.
Procopius.
Reinerus Reineccius.
Secretarius Sigismundi Malatestæ.
Stephanus Broderithus.
Symeon Magister Officiorum, manusc.
Tarcagnotæ historia.
Thomas Ebendorfus Haselbachius, manusc.
Thomas Porcaccius.
Thomas Spanduginus Cantacuzenus.
Vincentius Beluacensis.
Wolfgangus Dreslerus.
Zonaras.
Zosimus Comes.
Zygomalas Protonotarius Græcus.

EPISTOLA PRAELIMINARIS AD DIVVM FERDINANDVM ROM. CÆSAREM,

Ioannis Gaudier dicti Spiegel, Turcici interpretis.

Serenissime potentissime Rex, Domine clementissime:

CVM non ita pridem Regia Vestra Maiest. librum Turcicum mihi commiserit, in quo ortus atque gesta Impp. Turcicorum describuntur: quem quidem Regiæ Vestræ Maiest. Nobilis, strenuus atque integerrimus Hieronymus Beck a Leopoldstorf ex itinere Hierosolymitano & Turcia rediens, obtulit: qui mihi a Regia Vestra Maiest. Germanice interpretandus, clementer demandatus: quod humiliter præstiti, eaque qua a Turcis scriptus est methodo, in idioma Germanicum transtuli. Licet vero idipsum libenter more & stylo Rhetorico effecissem; sed cum ab ineunte ætate, parum admodum literis humanioribus fuerim imbutus, atque huiusmodi in rebus minime versatus; certæ tamen sum spei, laborem hunc exiguum Regiæ Vestr. Maiest. placiturum. Annotassem etiam simul quo tempore secundum annos salutis nostræ hæc gesta fuissent: verum cum anni Turcorum breuiores sint nostris, neque ipsorum anniuersarii dies, sicut apud nos Christianos, in idem tempus coincidant, licet etiam ipsi in anno menses 12. habeant: tamen hoc tantum ratione splendoris Lunæ; insuper scribunt ipsi dicuntq́, spatio triginta duorum annorum, secundum ipsorum computationem, cælum mobile seu firmamentum, suum absoluere cursum: id tantundem fere esset, cum nos Christiani triginta vnum, ipsi triginta duos annos scriberent nominarentque. Et quantumuis ex mea translatione computari non potest, quo tempore annorum Christi hæ Impp. Turc. res gestæ sint: attamen omnino Gubernatori, militiæ Duci, aut Capitaneo, cui cum inimicis Christiani nominis agendum, lectu operæpretium esse existimo. Hinc namque videre licet, quid politia aut animus Heroicus valeat, qualiterque magistratus erga proprii commodi, auaros atque superbos homines se exhibere remunerarique debeat; quale etiam detrimentum patriæ atque exercitui, ob inobedientiam, confusionem, perfidiam, superbiam, proprium commodum, oriri & accidere possit. Propterea facile colligere hinc licet, cum moderni Impp. Turcici paruæ atque obscuræ familiæ, cum exigua manu in immensum creuerint, vti quidem ex historia hac intelligo, quod Asia, Græcia, Bulgaria, Arbanesia, Bosna, Seruia, non nisi propter inobedientiam, confusionem, perfidiam, superbiam, & rem priuatam, in tot calamitates atque manus inimicorum nominis Christiani inciderint: quod (proh Deum) hodierno adhuc die euenire videmus. Nam quæ alia est caussa Christianæ deuastationis, quam inobedientia, perfidia, auaritia, superbia, & rei priuatæ studium? Nam hic propter suum commodum fauet Turcis, alter WeiWodæ: tertius, nulli obsequens, se ipsum dominum censet. Vnde fit porro quod nos omnia bella erga Christiani nominis hostes instituta, minus prospere geramus, quam propter inobedientiam, confusionem, perfidiam, auaritiam, superbiam, & proprium commodum? Nos existimamus ipsos minime subsistere, rem nostram inconsiderate aggredimur, & proponimus nobis magnas opes ab ipsis acquirendas: primo congressu alacres atque animosi sumus, verum illico remittimus. Deus omnipotens suam dignetur nobis gratiam largiri, quo nos erga eiusmodi diuini nominis hostes dirigamus, superioribus & magistratui simus obsequentes, bonam politiam conseruemus, auaritiæ, superbiæ, & rei priuatæ, quantum æquum est, tribuamus; ne & nos tandem (quod Deus præcauere velit) sicuti nominatæ regiones in maxima damna veniamus, & posteritas nostra fidem atque religionem Diabolicam suscipere cogatur. Quod Deus in æternum nobis concedere dignetur. Amen.

Regiæ Vestræ Maiest.

Humillimus, obedientissimus seruitor, & interpres Turcicus,

Ioannes Gaudier, aliâs Spiegel.

ANNA-

ANNALES SVLTANORVM OSMANIDARVM, AB IPSIS TVRCIS MEMORIAE PRODITI.



PRIMVS apud Turcos rerum potitus fuit Osman, qui patrem 1.
habuit Ertuculem. Hic filius fuit Soleimanis Scachi: Solei-
manes, Cabielpis: Cabielpes, Cusulbugæ: Cusulbuga Bain-
deris: Bainder, Oicolucis: Oicoluces, Baisungeris: Baisunger,
Bakis Agæ: Bakes Aga, Ciacis Agæ: Ciaces Aga, Toctemuris:
Toctemur, Versaiobis: Versaiobes, Giokelpis: Giokelpes, O-
guzis: Oguzes, Carachanis: Carachan, Cutluzeccis: Cutlu-
zecces denique Lecrace patre natus fuit. Hi XVII. dumtaxat auctores huius fa-
miliæ literarum monumentis proditi recensentur. Ceteri, quorum ignota nomi-
na, continua serie referendi veniunt ad Iaphetum, Nohæ filium. Ipsa quidem hæc
Oguziorum dicta familia, successione perpetua rerum apud Parthos potita fuit, 2.
hominesque fuere simplices & rudes: qui postea, quam primo religionem Ma-
humetanam fuissent amplexi, dominatus sui sedem in ciuitate Machanensi con-
stituerunt. Ceterum quo tempore Soleimanes Scachus Machanæ præerat rebus 3.
Parthicis, præpotens ille Zingis Chan ex regione Chitaia cum exercitu in Par-
thiam profectus est: ibique Belcham ciuitatem copiis locupletem, obsedit, cepit,
diruit: totamque regionem Chorasanem populabundus diripuit. Erat id tempo-
ris Curisemes Scachus Belchæ princeps & Chorasanis, qui regno pulsus, cum su-
is aufugit, & in itinere periit. Eius in locum successit Vgnan Chan filius, qui copi-
as paternas Bagadatim versus duxit: quo quum peruenisset, vrbem occupauit, in- 4.
colas occidit, regionem vniuersam sibi suisque vindicauit. Id vbi Zingis Chan in-
tellexisset, armis eum persequutus, in suam potestatem redegit. Oriundus ex fa- 5.
milia Selgucis Sultanus Aladines, e Parthia profugus, in regionem Ionan, quæ
Caramania modo dicitur, peruenit: iisque locis occupatis, & instaurata vrbe Si-
uasta, regia cum potestate præfuit. Quum autem in hunc modum Zingis Chan
Parthiam ageret, ferret: etiam Machana funditus euersa fuit, quæ id temporis im-
perio Soleimanis Scachi parebat. Is Tatari violentiæ cedens, & ipse cum suis mi-
grauit, inito consilio inuadendæ Romaniæ: quod inaudisset, iis in locis bella geri,
& armis rem parari posse. Quapropter relicta Parthia, Erzingam sese contulit: vn- 6.
de in Romaniam penetrans, Amasiam peruenit, multis & magni pretii potitus
spoliis. Conuerso deinde itinere, Chalepum adiit: in qua profectione delatus ad
opidum, quod Iaber dicitur, ad Euphratem fluuium castra metatur. Erat heic eis
transiiciendus Euphrates, sed vadum nullum inueniebant, quod essent homines
omnino rudes & rerum imperiti. Quum equorum natatu transmittendum a-
mnē placuisset vniuersis, primus Soleimanes Scachus flumen ingressus, & aquis
obrutus, exspirat: quem magna quæsitum diligentia, tandemque repertum ex-
trahunt, ibidemque tumulo mandant. Erant huic Soleimani Scacho filii tres su-
perstites, quorum vni nomen Sungursengis, alteri Gundogdis, tertio Ertucules,
qui filium habuit Osmanem. Exstincto patre, castra fratres hi promouent, ac pro-
pter Euphratem, aduerso flumine profecti, tamdem ad campos Passonios perue-
niunt. Iis in locis Ertuculi Osmanis patri, cum quadringentis mapalibus, quæ pro 7.
more gentis, de loco in locum promoueri transferrique possunt, subsistere libuit:
reliquis duobus fratribus in Parthiam redeuntibus. Hæsit ibidem ad aliquod
tempus Ertucules, varie finitimorum iniuriis & rixis exercitus. Denique rumor
ad eum perfertur, Sultanum Aladinem, e Parthia profugum, in Romania com- 8.
plures prouincias sui iuris fecisse, adeoque magno potitum imperio. Erant Ertu-
culi tres filii, Gundus, Sarigates, & Osman. Vbi, quo in statu res Aladinis essent,

Ertucules accepisset: non magna consultationis interposita mora, filium Sarigatim ad eum ablegat; oratum, vt aliquem sibi locum concederet, quo in loco se cum suis sustentare posset. Aladines huic postulato lubens adsentitur, eisque regi-
9. onem attribuit, tam æstiuis, quam hibernis aptam mensibus. Id temporis natio quædam aduersus Sultanum Aladinem arma subito mouerat, contra quos dum
10. suis instructis ille proficiscitur: interea Ertucules cum filiis, Sarigati & Osmane, versus Engurim sese confert: eoque loco sibi suisque constituta sede quadam, ac domicilio, finitimos Græcos perpetuis excursionibus & rapinis infestare non de-
11. siit. Tandem rebus humanis Ertucules excessit, quum suis ad LII annos præfuis-
Christiano 1289. set: mortuus anno Mahumetano DCLXXXVII.

De Osmanis natiuitate.

12. ACCIDIT aliquando, vt fessus Ertucules interdiu semet ad quietem componeret. Ibi tum ei somnium se quoddam obtulit, quo viso fuit experrectus. Mox hinc & inde rem cogitabundus expendens, corpus abluit, preces suas absoluit, habituque mutato Coniam profectus, vrbem ingreditur. Agebat istic vir auctoritatis ex doctrina maximæ, cui nomen Edebales, operum effector & prodigiorum admirabilium, in quem coniecti erant omnium oculi, quod eos in lege Mahumetana instituerct, ac facultates ceteroquin amplissimas possideret. Etiam Sultanus ipse, quem diximus, Aladines plurimum ei tribuebat. Hunc vbi conuenisset Ertucules, vt somnium illi suum exponeret: Venerande vir, ait, per quietem visus sum videre splendorem Lunæ, prodeuntem e sinu tuo, qui meum in sinum penetraret. Eo quum delatus esset, ex vmbilico meo mox enatam fuisse arborem, quæ regiones aliquot, ac præaltos montes, latosque campos vmbra sua tegeret. Ad ipsas autem radices arboris perennes aquas emanasse, quibus vineæ passim, & horti rigarentur: ac secundum hæc, experrectus fui. Posteaquam diu multumque semet Edebales, qui a suis vir sanctus habebatur, ob interpretationem somnii torsisset: tamdem, oratione ad Ertuculem conuersa, Nascetur tibi filius, inquit, vir optime, cui nomen erit Osman. Is bella plurima geret, ac posteri tui deinceps reges, terrarumque principes erunt. Mea quoque filia nuptura est Osmani, ex qua procreabit ille liberos, qui regiam ad dignitatem peruenient, ac populis eum imperio præerunt. Secundum illa natus fuit Osman, qui quum adoleuisset, Mahumetani vatis illius filiam duxit vxorem, de qua natus est ei filius Vrchan. Quumque prouinciis aliquot occupatis, principatum sibi constituisset: partem ditionum inter duces militares, qui ea in loca cum Ertucule patre venerant, liberaliter
13. distribuit: a quibus illæ regiones hodieque nomina sua sortitæ sunt. Itidem Vrchani filio ditiunculam, cui nomen Chisar Sangagi, & cognomen Inunge,
14. concessit. Deinde natus est Osmani filius alter, Alis bassa: quem perpetuo secum esse voluit. Rebus hoc modo constitutis, pater & filius Vrchan, coniunctis copiis, arma in Christianos expediunt, omnia late populantur, agros eorum occupant, magnam hominum multitudmem vtriusque sexus capti-
15. uam abducunt. Vi etiam adhibita, ciuitatem Isnicam, cum vicinis opidis & arcibus, in potestatem redigunt, diripiunt. Qui tum temporis Teggiur siue magistratus erat Prusæ, adiunctis sibi compluribus aliorum auxiliis, & coacto milite suo, de profligandis Turcis cogitare cepit. Igitur hoc magnis cum copiis in Turcos ducente, minime consternatus Osman, animo inuicto Christianis obuiam prodit. Ad manus vbi ventum fuisset, strenue dimicatum vtrimque. Cæsi fratres Osmanis eo prœlio, Gunduselpes & Aidogdis, ac secundum viam publicam ad fines Dobmuris sepulti. Osman, fratribus licet amissis, tamdem
16. tamen victoria potitus est. Teggiur, Edrenosius & Prusæus, inita fuga, Prusam delati, semet in vrbem includunt. quos a tergo cum suis insequutus Osman, in itinere opidum Vlubadam militari corona cingit, cuius Teggiur mox certis condicionibus cum eo transegit. Hinc Prusam cum exercitu properans, vrbis obsidionem molitur. Quumque vi admota, nihil effecturum se videret ad eius expugnationem: primum in aduersa vrbi parte, iuxta thermas, quæ Caplice Turcis

Turcis dicuntur, vallo ducto, munimentum pro suis erigit, cui fratris Gundusel-
pis filium Agdemurem præficit, hominem rei bellicæ peritissimum, adiun-
ctis ei militibus egregiis. Inde munimentum aliud excitat versus eum mon-
tem, quem Geschisdage, hoc est, montem monachorum vocant. Illius cu- 17.
ram Belebanzuco cuidam ex suis, viro strenuo committit. Hoc modo duo-
bus hisce munimentis exstructis, & actis aggeribus ac fossis, ciuitatem obsessam
tam arte clauserunt: vt nemini vel accessus ad eam, vel exitus pateret: atque inte-
rim agrum omnem in potestatem suam redegerunt, nihil vt obsessis, præter
ipsam vrbem, reliqui facerent. Dum isthæc durat obsidio, cum parte exer-
citus Osman Gases ipse Neapolim, quæ Genischeher lingua Turcica dicitur,
contendit. Eius viciniæ Christiani omnes, coactis copiis suis, cum Osmane
confligunt: sed Osman prœlio superior, vniuersa illa regione potitur. Ea vero
Turcicorum militum, qui de spoliis opulenti euaserant, præsidium accepit, abs-
que prouincialium damno. His rebus ex animi sententia confectis, Vrchanem fi-
lium ad expugnandam Prusam ablegat. Horum militum accessione adauctis
Turcorum castris, grauior inclusis esse cepit obsidio. Quamobrem viribus ob-
sessorum exhaustis, quum omnis iam commeatus defecisset, ac nihilominus ipsi
tam noctu, quam interdiu, in armis esse, propugnandæ ciuitatis causa, cogeren-
tur: tamdem ipse Teggiur, cui nomen Iussuphes, pactis interuenientibus, Vrcha-
ni Prusæ deditionem fecit. Is adeo religiose pactis conuentis stetit, vt hosti absque
vllo impedimento & iniuria, cum vxore, liberis, facultatibus vniuersis, abeundi
potestatem faceret, ne manguro quidem ablato: statimque patrem, Osmanem 18.
Gasem, de Prusa in deditionem accepta, certiorem reddidit. Occupata fuit ab
Vrchane Gasi Prusa Mahumetani calculi anno DCCXXVI. Osman ipse tum *Christiani*
temporis quiescens, occupationi Prusæ non interfuit: partim tumore cruciatu- 1327.
que pedum impeditus, partim quod se superstite filium Vrchanem aliquid forti-
ter agere cuperet, ad excitandos in eo generosi animi spiritus. Tamdem exactis in
imperio XXVIIII annis, Osman Gases vitam cum morte commutauit. Eius loco
rerum administrationem consequutus est Vrchan filius, anno Mahumetano
DCCXXVII. Ante mortem præcepit, vt Prusæ in argentea tumba concamerata C. 1328.
conderetur: sed vulgo ad Sugutzucam, qui locus a salice nomen habet, conditus 19.
existimatur.

Quum primum Vrchanes imperium auspicatus fuisset, duces veterani,
quotquot ex Parthia cum ipsius auo in eas terras venerant, nimirum Cugurelpes,
Rachman Gases, & Accecoza, Gerlensem agrum cum Bolensi occupatum sui iu-
ris fecerunt. Sed iis non multo post exstinctis, Vrchan ditiones illas filio suo Solei-
mani bassæ possidendas, nomine Sangiacatus, dedit: itidemque regionem alte- 20.
ram non magnam, quam Inungen vocant, alteri filio concessit, cui nomen Mura-
tes Chan Gases. Hunc enim minorem natu filium habebat. Inde recuperatam Is-
nicam præsidio imposito muniuit, & Ecclesias Christianorum in ea demolitus, a-
liquot ex illis in messitas siue templa Mahumetana conuertit, adiunctis scholis &
xenonibus. Superest adhuc hodie medressa quædam Isnicæ, (sic scholam cum
xenone coniunctam vocant) ab ipso condita. Erat inter alios quidam Cara Me-
sites, habitus pro viro sancto, cuius curæ commissa fuit omnis ea prouincia,
militibus in pagos circum Isnicam distributis: vt illam viciniam aduersus Con-
stantinopolitanas copias, & earum grassationes, tuerentur. Agbassæ regionem
Candriam adsignauit, cuius etiam nunc superstes est familia. Quum hoc modo
prouincias, quas ab se bello captas Osman Vrchani filio reliquerat, inter suos Vr-
chan partitus esset: omnium consensu rerum ei summa, ceu legitimo Sultano, de-
lata fuit. Quibus peractis, Alim bassam, fratrem suum, ad se vti veniret, arcessit:
qui ad eum profectus, Nulla mihi ditione opus est, mi frater, ait: statimque facta
cessione, quam a patre ditionem acceperat, Vrchani Gasi fratri sponte tradidit &
commendauit. Certabant id temporis fratres inter se mutuis officiis, & honorem
alter alteri deferebat. Alis ipse bassa quodam tempore compellato fratre Vr-
chane: Mi frater, inquit, exercitus tui magnopere iam aucti sunt, & Mahume-

tana religio non parum incrementi sumsit. Excogita rationem aliquam obsecro, qua fieri possit, vt tui milites ab extraneis & peregrinis discernantur. Ad ea respondens Vrchan Gases: Fiat, quod suades, ait. equidem tibi obtempero. Tum A-
21. lis bassa: Praecipe mi frater, subiicit, vt vniuersi milites tui zercolas rubeas gestent, eoque signo toti mundo noti sint: tu vero zercolis albis vtitor. Non multo post conuenit Vrchan Gases religiosum quemdam Mahumetanum, cui nomen Chazis Bectases: atque is albo pileo capiti eius imposito, illiusmodi tegminis vsum adprobauit, & a posteris retineri iussit. Quodque adeo Genizari, qui Sultani Turcici sclopetarii sunt, etiam nunc eiusmodi pileis vtuntur: id ab illius temporis consuetudine profectum, in hodiernum vsque diem durat. Erant eius aetatis homines ita comparati, vt frater consilia sua cum fratre communicaret: quique rectissime consuluisset, in eius sentẽtiam lubens alter ibat. Nulli mutuis se parricidiis fratres e medio sustulerunt ante Baiasitis Chanis imperium, quem Gilderunem adpellauerunt: sicuti deinceps indicaturi suo loco sumus. Idem Vrchan Gases id temporis in regionibus imperio suo subditis domos immunes atq; praedia describi iussit, vti videlicet vnus ex quolibet praedio mitteretur, qui per vnius anni spatium in regia quosuis iniunctos sibi labores susciperet. Eos adpellari placuit Iaias, hoc est, pedites. Quodque tales adhuc in regia reperiantur, qui labores eiusmodi obeunt: ex Vrchanis Gasis instituto ceptum, adhuc in vsu est. Ceterum nanctus Vrchan Gases quietam vrbis Isnicae possessionem, imaretum in ea condidit, hoc est, templum Mahumetanum, cum schola & xenone: quo quidem in xenone cibi coquuntur, & in egenos distribuuntur, praesertim in eos, qui litteris operam dant, & qui peregrinantur. Atque hoc in imareto siue xenone cibos Vrchan ipse distribuisse traditur. Secundum haec Soleimanem bassam filium Isnicae praefecit, qui vicinis opidulis Genischeheri Goinucaeque grauis esse non desinebat. Prusę vero sangiacatum consequutus est ab eo Murates Chan Gases, filius natu minor. Nihilo minus Vrchan ipse velut inspector imperii totius mansit. Soleimanes bassa, prę-
22. fectus Isnicae, Genischehere Goinucaque potitus est. Eorum locorum incolae Christiani, perspecto ipsius ingenio miti & humano, vniuersi facti sunt Musulmani: omniaque opida sita in iis finibus, eius se potestati sponte permiserunt. His re-
23. bus intento Soleimane bassa, patri eius Vrchani complures ciuitates, Carase, Bale, Cosre, Bargama, Edremitum, sese dediderũt. Inde cum copiis Vlubadam versus mouit. Nam eius opidi Teggiur, qui superioribus annis cum Turcis transegerat, iam violata fide, ab eorum amicitia discesserat. Quum autem se peti a Turcis animaduerteret, manus ipse sibi adtulit. Dum haec istic gererentur, Soleimanes bassa in Graeciam transiicere statuit: qua quidem occasione Gallipolis a Turcis capta fuit. Nam forte Soleimanes in regione, quam non ita pridem sui iuris fecerat, hinc inde obequitabat. Supersunt autem in iis locis rudera siue vestigia quaedam aedificiorum admiranda, quae istic ab excidio Troiae in hunc vsque diem manserunt. Illa, quum eo venisset, cum stupore quodam adspiciens, tacitus & cogitabundus ad aliquod temporis spatium ita substitit: vt nihil omnino ad quemquam proloqueretur. Quamobrem Ezes begus, tamdem se conuertens ad Soleimanem: Mi Chan, ait, quid istuc nouae rei est? quaenam tibi ad animum accidit prodigiosa cogitatio? Tum Soleimanes bassa: Mecum, inquit, animo voluo, quonam modo mihi transmittendum hoc mare sit, vt interim Christianos conatus iste meus lateat. Quaeso te, qua via rem adgrediemur? hae cogitationes meae sunt. Ad ea mox Ezes ac Fasil begi: Domine, si per te licebit, inquiunt, nos duo fretum hoc transiiciemus: tentaturi, num aliquid a nobis effici possit. Vbi vero, subiecit Soleimanes, transiecturi estis? Locus heic quidam est, inquiunt, vbi facilis est transiectio, ex interuallo litoris vtriusque non magno. Quum id Soleimanes eis vt facerent, permisisset: locum ipsum adeunt, trabes ac ligna colligant, ratem conficiunt, trans fretum noctu in aduersum litus adpellunt, per vineas semet abdunt, idoneum quemdam instituto suo Christianum capiunt. Eum vero celeriter abreptum, ratique impositum, hero suo Soleimani, superato rursum freto, sistunt. Is hominem benigne excipere, vestitu nouo donare, muneribus aliis delenitum in-

terrogare: ecqua via sit in opidum aduersum perueniendi, Christianis insciis &
imprudentibus? Mox ille: Ducam vos equidem, ait, per eiusmodi viam, vt a ne-
mine conspiciamini. Quo intellecto, colligari complures arbores Soleimanes
imperat. Dictum, factum. In eam ratem, summa vsus celeritate, cum LXX vel
LXXX selectis militibus insilit, ac noctu transiicit. Magna deinde sollertia du-
cuntur a captiuo Christiano ad castrum Zemenicum, in cuius aditu quidam e 24.
fimo quasi tumulus situs erat, ipsius castri altitudinem æquans. Aberant castro
incolæ, nimirum illo tempore anni, quo colligendis ac triturandis segetibus quis-
que foris intentus erat. Hac solitudinis occasione vsi, noctu per illum fimum, 25.
quem diximus, in castrum euadunt, eoque potiuntur. Nulla vulgo Christiano-
rum illata vis fuit, aut iniuria: sed exhibita potius beneuolentia, dataque munu-
scula. De præcipuis autem capti quidam, & ad nauigia deducti, quæ istic in por-
tu reperta sunt, trans fretum, pro victoriæ argumento, ad reliquum exerci-
tum missi fuerunt. Eisdem nauigiis in reditu plus minus CC milites transuecti, se
cum Soleimane, ceterisque Turcis, in opido coniunxerunt. Inde cum nauibus
aliquot, equitibus etiam instructis, qui terra iter facerent, Bolairem Ezes begus
petiit. Est autem propter Bolairem portus maris, qui Portus albus dicitur. Eo in
portu complura nauigia tunc erant, quibus igne iniecto absumtis, Zemenicum
reuersi sunt: & reliquum exercitum, nauibus impositum, in Europam transpor-
tarunt. Hoc modo Turci primum in Græciam pedem intulerunt. Occupato Ze-
menico, quum magnus iam Turcorum numerus in Græciam trans mare perue-
nisset, nullis oneribus molestiisve Christiani, ad opidum illud pertinentes, ab eis
grauati sunt: sed transactum inter vtramque partem, constitutaque pax. Non vxo-
res eorum, non liberi violati: sed ea cum moderatione habiti, vt Zemenico fini-
timi Christiani perlubenter se Turcis submitterent. A Zemenico non longe di-
stat aliud opidum, Agasleuina, quo & ipso nullo negotio potiti, cum Christianis
eius agri pacem componunt, eademque in hos vsi humanitate, qua in illos prio-
res, facile duo istæc Græciæ castra suam in potestatem redegerunt. Harum rerum,
tam feliciter in Romania gestarum, fama quum ad Turcos in Asiam trans mare
perlata fuisset: quamplurimi sponte sua transiecerunt, atque hoc modo passim per
vniuersam Romaniam diditus est de turcorum aduentu rumor. Neque multo
post præmissi fuere, qui Gallipolim tentarent. Eius loci Teggiur, animaduer-
so tam suo, quam suorum periculo, collectisque perexiguis Christianorum co-
piis, animose cum Turcis conflixit: sed prœlio victus, intra munitionem se re-
cepit. Turci hostem a tergo sequuti, agrum omnem occupant: & in reditu ipsam
quoque Gallipolim sibi cum arce subiiciunt. Factum hoc anno Mahumetano
DCCLVIII. C.1357.

Capta Gallipoli, suos Soleimanes ablegat, vt agros Cherepoli & Zorlo vi- 26.
cinos popularentur, & ferro atque igni vastarent: qui longe lateq; direptis omni-
bus, absque mora Gallipolim reuersi sunt. Habebat secum duos ex omni nume- 27.
ro procerum duces eximios, Eurenosem begum, & Chazim Elim begum. Hi nul- 28.
lum Christianis tempus a perpetuis vexationibus vacuum relinquere, sed absque
intermissione Dimotuci ac Burgosines agros agere, ferre: moxque cum suis Gal-
lipolim se recipere. Dum ab illis ea geruntur, Soleimanes bassa quodam die ve-
natum in equo prodit: inuentoque lepore, mox illum vt caperet, equum ad cur-
sum adigit: qui forte fortuna pede altero delatus in scrobem quamdam, vna cum
domino corruit, eumque sic humi adflixit; vt ibidem confestim exspiraret, anno
Mahumetano DCCLIX. C.1358.

Eodem temppore mortuus est etiam Soleimanis bassæ pater, Vrchan Gases.
Sed filius duobus ante patrem mensibus exstinctus est. Successit in imperio pa-
terno Gases Murates Chan, qui Prusam profectus, magnum ex Carasina regio-
ne, ceterisque prouinciis, exercitum collegit. Erat in ciuitate Belezuga Mahu-
metanus quidam, religiosus & magnæ vir existimationis, cui nomen Zender- 29.
lues Chelîles. Eum ad se vocatum Cadilescheri officio fungi iussit. Hinc cum
œconomo regiæ suæ Scachine, ac vniuersis copiis, Gallipolim transiecit, ac

30. recta Zorlum contendit. Eius loci præsidiarij & incolæ fortissime quidem illi se
defendebant, sed opidum tamen expugnatum vi fuit. Capta deinde Sis, Teggiu-
re deditionem faciente. Mox itum versus Burgosinen, quæ inuenta fuit habita-
toribus vacua, Christianis fuga dilapsis: ideoque Turcis ingressus, igne deleta.
Ex altera parte regionis Eurenoses begus arma cum Chazi Eli bego circumtulit:
a quibus ad amnem Merizam occupatum fuit castellum, cui & ipsi nomen Bur-
gos: adeoque ab hoc euentu in hodiernum vsque diem Elis begi Burgos dicitur.
In eo castello Chazis Elbegus interdiu quieti se dabat. sed postea, quam nox ad-
petiisset, perpetuis excursionibus vicissim quietem Christianorum turbabat.
Idem missis exploratoribus, imprudentem Dimotuci Teggiurem oppressit & in-
tercepit, atque hoc modo captum ad opidi mœnia deduxit. Quum in hostis po-
testate constitutum Teggiurem suum tam opidani, quam arcis præsidiarij vide-
rent: certis condicionibus cum Chazi Eli bego transigunt, eique ciuitatem cum
arce dedunt. Nihilo minus Turci, deditione facta, Teggiurem liberum & inco-
31. lumem abire permittunt. Dimotuco potitus, Ypsalam cum exercitu pergit, vt &
illud opidum expugnaret, ac sub iugum mitteret. Interea Gases etiam Murates in
armis erat, Hadrianopolim inuasurus. Præmisit vero Scachinem, œconomum
regiæ suæ, cum parte copiarum; qui de Christianis periculum faceret, hostine
obuiam ituri, seque defensuri essent. Huius aduentu cognito, Christiani mox
in aciem aduersus eum prodeunt. Vtrimque dimicatum acerrime, multis ab v-
traque parte cæsis & interemtis. Tamdem de ardore atque impetu suo Christia-
ni nonnihil remisere, seque intra muros vrbis & propugnacula receperunt. Sca-
chines, misso nuntio, Muratem Gazem rei bene gestę certiorem facit: eique ca-
pita cæsorum aliquot transmittit. Interim begus vterque, Chazis El & Eurenoses
cum Muratis exercitu suas coniungunt copias: & aciem primam sortiti, ante
Muratem Hadrianopolim recta ducunt. Admodum id temporis Meriza flu-
uius, aliarum aquarum accessione auctus, intumuerat. Quamobrem vrbis Teg-
32. giur, intellecto aduentu hostium, nauim ingressus Ygnum profugit. Opidanis a
Teggiure suo desertis, & omni auxiliorum spe destitutis; Murates, qui rem per
exploratores cognouerat, cũ exercitu prima luce castris egressus, ad vrbem pro-
pius accessit. Ei ciues, apertis absque mora portis, deditionem fecere: Mahume-
C.1360. tani calculi anno DCCLXI.

Hadrianopoli capta, Murates Scachini, copiarum parte tradita, permisit:
33. vt omnem Zagoræ Philibæque viciniam depopularetur, & igne deleret. Itaque
Scachinis milites eo profecti, regionem vniuersam prædis agendis vastant, & in-
colas captiuos secum abigunt. Itidem Murates Eurenosi bego potestatem fecit,
agros Ypsalæ vexandi. Hoc modo suis vtrique partibus adsignatis, imperij fines
C.1361. amborum opera fuere prolatati. Gesta sunt hæc anno DCCLXII. quo quidem
anno lumen Solis vsque adeo defecit, vt etiam interdiu stellæ cæli conspice-
rentur.

34. Erat id temporis quidam Talismanus Turcicus, Cara Rustemes, qui ad ex-
ercitum e Caramania venerat. Is quum tantam & prædæ Christianis ereptæ co-
piam, & captiuorum multitudinem in castra videret adduci: conuento Cadile-
schero, cur talem tantumque thesaurum, magistratui supremo debitum, auferri
temere sineret, quærit. Ad ea Zenderlues Chelites Cadilescherus: Quis tamdem
ille thesaurus est, ait, quem tu quidem ad magistratum pertinere, sed nullo cum
fructu perire, ac prodigi refers? Dei mandatum est, inquit Cara Rustemes, vt o-
mnium, quæ de Christianis capta, rapta fuerint, siue mancipiorum, siue anima-
lium, siue quarumlibet aliarum rerum, quinta quæque portio iuri Patiscachi ce-
dat. Et cur illam vos nõ exigitis? Monitus ergo Cadilescherus, Gasi Murati Chani
rem exposuit: a quo responsum tulit, vt, si quidem hoc Dei mandatum sit, omnino
ius suum vrgeant. Igitur arcessito ad se Cara Rusteme: Volumus, inquiũt, ô sancte
vir, vt ipse Dei mandatum exsequaris. Ille Gallipolim profectus, ibidem sibi do-
micilium constituit: ac pro quolibet mancipio Christiano, trans mare vehendo,
aspros XXV a Turcis exegit. Et auctores huius exactionis illi duo fuere, quos diximus:

mus: vt nimirum quintę Gallipoli pro Sultano Turcorum, hodieque, tam manci-
piorum nomine, quam reliquorum spoliorū exigantur. Fuit & ab Eurenose bego
postulatū, vt in vsum magistratus supremi quintum quodq; mancipium Christia-
num a suis repeteret, ac imperatori traderet. Si quis vero non quinque, sed qua-
tuor dumtaxat mancipia possideret: vt ab eo singulorum nomine aspri XXV exi-
gerentur, eaq; pecunia fisco imperatoris cederet. Hac nimirū occasione deinceps
ille mos inoleuit, vt ex omni mancipiorum numero, liberalioris formæ pueri, pro
Sultano delecti, retinerentur: quæ quidē in hunc modum exacta tenerioris ætatis
mancipia, deinde ad imperatoris Portam deducta, Murati offerebantur. Is vero
pueros in Anatoliam transportatos, inter Turcos distribui iubebat: vt apud eos
disciplinæ pariter, ac laboribus adsuescerent, & Turcice discerent. Exactis autem
duobus apud illos, vel tribus annis: iam ad labores condocefacti, linguæque Tur-
cicæ periti, ad Portam reducebantur, Genizarorum ordinibus adscribendi. Ge-
nizari vero Sultani Turcorum sclopetarij sunt, & inde ab illis vsq; temporibus no- 35
men hoc Genizarorum adepti retinent. Secundum hæc Prusam Gases Murates
Chan reuersus est, substituto sibi œconomo suo, Lala Scachine, qui vices absen-
tis in Romania vel Græcia gereret: ceteras vero prouincias, imperiiq; limites, Eu-
renosi bego commendauit. Neque multo post, Gallipolim denuo sese contulit,
atque ibi Zenderluem Chelilem, hactenus officio Cadilescheri functum, ad Bas-
sæ ac Veziris dignitatem euexit. Is auctus hoc honore, Cheradines bassa deinceps 36
adpellatus fuit. Murates autem, relicta Gallipoli, quo venerat itinere, Bugam pro-
fectus; inde Prusam rediit, atque ibi se in hiberna contulit. Ex altera parte freti,
regiæ Muratis œconomus Scachines Zagoram & Ischebolen subiugauit, anno
DCCLXVI. quibus occupatis, rumor ad Muratem perlatus est, eiq; significatum, C. 1365
in Seruia Christianorum ad L millia collecta, de Hadrianopoli adeunda cogitare.
Cuius rei nuntio accepto, magna celeritate ad iter sese comparat, & Gallipolim 37
contendit. Vix ad litus, in Europam ex Asia transiecturus, accesserat: quum Ser-
uij iam Hadrianopoli ex propinquo imminerēt, eo castra loco metati, qui in hunc
vsq; diem a Seruiorum siue Rasciorum clade nomen accepit. Interea Scachines,
nulla rebus agendis interposita mora, noctu per insidias in hostem erumpit. Illi
multo mero madidi, passim per castra, magna cum vociferatione, Turcos adesse
clamitant. quumque præ temulentia, tam præsenti rerum discrimine, quid age-
rent, ignorarent: per noctis caliginem alter alterum ad lucem vsq; mactant. Equi
etiam tanti tumultus causa pauore cōsternati, abruptis loris & capistris, ad necem
vsque sibi mutuo calces impegerunt. Vbi denique iam illuxisset, fœdam in fugam
Seruij, nemine persequente, se coniecerunt. Ibi tum hostili vallo superato, Turci
castra, nemine resistente, capiunt atque diripiunt: & amplis ditati spoliis, Hadria-
nopolim reuertuntur. Scachines Murati magnum captiuorum numerum, cum
non paucis capitibus interemtorum, misit: quibus conspectis, itinere conuerso
Prusam repetiit. Hæc gesta fuerunt anno Turcico DCCLXVII. quo anno Murates C. 1366
Chan filios suos, Baiasitem, qui Gilderun cognominatus fuit, & Iacupem Zele- 38
bim, circumcidi voluit, magna sollemnitate adhibita. Belezugæ præterea, quod
opidum est Anatolię sumtuosum templum, messitam Turci vocant, eodem anno,
cum schola & Xenone, construxit. Principis etiam Germiani filiæ nuptias Baiasi- 39
ti Gilderuni filio conciliauit, celebratas pompa magnificentissima. Secundum
hæc in regionē Hemidam cum exercitu profectus, eam occupauit. Inde progres- 40
sus, Aspropolim siue Albam Anatoliæ, quam nunc Acscheherim vocant, & Cuta-
higen metropolim prouinciæ, & Hierapolim, quæ Seidischeheris dicitur, & Ge-
luazen imperio suo subiecit, anno DCCLXXXIIII. Atque his rebus gestis, relictis- C. 1383
que locis iis, trans fretum Gallipolim se contulit: ingressusque Romaniam, ob-
sidione Magalgaram cinxit, & in potestatem breui redegit. Eo loco regiæ
Muratis œconomus Lala Scachines, & Eurenoses begus, vniuersis cum copiis, 41
quibus in Romania præerant, ad Muratem accesserunt: & coniunctis exerciti-
bus, ad obsidendam Bolinam, locum munitum profecti sunt. Quotquot erant ea
regione Christiani, omnes in illam velut arcem sese receperant. Itaq; quum Mu-

rates tantis cum copiis & adparatu obsidione inchoata, magnisque laboribus &
molestiis exanclatis, non potiri se opido posse videret: intimo dolore animi com-
motus, ingemuit: & obsidione soluta discedens, Euertat te Deus, inquit. Erat
haud procul inde tilia quædam pulcherrima, quam Felicem vulgo vocabant, ho-
dieque sermonibus hominum celebris. Ad eam quum peruenisset, castris locum
delegit. Interim ipse quemdam ad fontem sese reclinans, mæstus consedit. Non
magno temporis elapso spatio, nuntium accepit, latus alterum munitionis, mole
sua grauatum, corruisse. Qua re intellecta, mox Lalam Scachinem ablegat: qui
opinione citius ad opidum conuolans, eo potitur: Christianis omnibus captis, &
magnis inuentis opibus. Inter alia reperti a Turcis aurei catini atque calices, qui
cassidum formam referebant. Iis in capita impositis, cum mancipiis Christianis,
& omni præda, coram Murate comparuerunt. Et quidem id temporis apud Tur-
42. cos cepit ille mos gestandi aureos eiusmodi pileos, qui apud ipsos Vscufiæ dicun-
tur. Murati vero Chani collibuit eam tiliam honore quodam adficere, atque il-
lam ob causam vetus Felicis tiliæ nomen adprobauit, & ad posteros ratum esse
voluit. Inde Christianos incolas vniuersos, qui capti fuerant, cuiuscumque for-
tunæ, sacramentum sibi dicere iussit: & cum liberis atque coniugibus domum re-
misit. Castro quidem ipsi nomen in hodiernum vsque diem durat, ab euersione
diuina. Murates hinc repetiturus Hadrianopolim, Chairedini Bassæ, ac Eurenosi
bego id negotij dedit: vt progressi vlterius, omnem illam prouinciam sibi subde-
43. rent. Et Eurenoses quidem begus animum ad inuadendum Gumulzinæ agrum
adiecit. Marolia confestim ei se dedidit. Erat inter alios Muratis familiæ ministros
quidam, cui nomen Delus Beluban. Ei sangiacatum in limitibus commisit, vt Ser-
ras opidum bello vexaret. Quum autem suas ille copias istuc adduxisset, Christia-
ni portis occlusis, deditionem facere recusarũt. Interea vero, dum his oppugnan-
44. dis totus occupatur: Lala Scachines opida complura, Caualam, Diren, Sirum,
imperio Muratis adiungit: indeque promotis castris, Manastirum & Selerucam,
circumfusis militibus, tentat: & omnem agrum his finitimum rapinis & incendiis
C. 1386. vastat. Acciderunt hæc anno DCCLXXXVII.

45. Id temporis Bagadatim Temirlancus inuasit, cui tum Sultanus Achmetes
cum imperio præerat. Is præ formidine Alcairum, ad Sultanum Borcucem, pro-
C. 1387. fugit: anno DCCLXXXVIII.

Babylone Temir Chan mouit in regionem Destensem, vbi cum Techmico
Chane prœlio conflixit: ac victoria potitus, ferro & igni regionem illam omnem
C. 1390. depopulatus est, anno DCCXCI.

46. Eodem tempore cepit Gases Murates Chan bellum cum Lazaro gerere.
Quippe Lazarus præpotenti coacto exercitu, & iam in Cosouæ campos cum suis
progressus, Murati per internuntium dici iussit, in aciem modo prodiret: adpari-
turum facile, cui cessura sit victoria. Murates ex altera parte, summa diligentia
conscripto milite, ambos etiam filios, Baiasitem cognomine Gilderunem, & Ia-
47. cupem Zelebim, ea sibi expeditione adiunxit. Posteaquam in Cosouæ campos
vterque conuenisset exercitus, acri dimicatum vtrimque prœlio. Ibi tum Chri-
stianus quidam ad Muratem transfugit, cum significatione voluntatis suæ, quasi
si militare deinceps ei cuperet. Igitur ad Muratem deductus, vti pro more pedes
eius oscularetur, quam sub veste abditam gestabat sicam, ea vi Muratis in ven-
trem adegit: vt is tam diro vulnere confectus, exspiraret. Turcici vero proce-
res, hac Sultani sui cæde conspecta, mox consultationem instituunt, & quid hoc
casu tam repentino faciundum deliberantes, in eam conuenere sententiam, vt
ad se Iacupem Zelebim arcesserent. Is vbi vocatus comparuisset: Age, inquiunt,
tentorium paternum ingredere. Nam est, quod te vult pater. Ille nihil mali suspi-
catus, ingreditur: & correptus ab eis, necatur. Inde regio solio Gilderun Baiasites
impositus, omniũ suffragiis imperator salutatur. Quibus peractis, denuo ceptum
pugnari fortiter: adeo quidem, vt victus eo prœlio, captusque Lazarus, in conspe-
ctu Baiasitis frustulatim concisus fuerit. His rebus gestis, ex eo loco discessum, &
C. 1390. Hadrianopolim versus instituta profectio. Erat is annus DCCXCI. Sultanus Gazes

Murates

Murates Chan imperio præfuit annis XXXII. Cadauer eius Prusam deporta- 48.
tum, propter Caplizen, sic thermas Turci vocant, monumento pro more fuit illatum.

Enstincto Murate, Gilderun Chan plene iam potitus imperio, confestim expeditione suscepta, Kiratouum opidum, & vniuersas illas argenti fodinas occu- 49.
pauit. Erat inter familiares ipsius ministros quidam Feris begus, vir admodum bellicosus. Eum cum copiis ad ipsum vsque Danubium misit, vbi redacto in potestatem opido Vidina Hadrianopolim reuersus est. Baiasites autem rursus bego expeditionem iniunxit, qua Tanabit & Citros fuere domitæ. Interim Feris etiam begus in Valachos ire iussus, inopinato regionem inuasit, magnamque prædam adeptus est. Eodem tempore Bassa quidam, Iagides begus, in Bozinam profectus, omnem illam regionem rapinis exhausit. Ipse Gilderun Chan Prusam se contulit, ibique mesitæ struendæ principium fecit. Inde relicta Prusa, Caramaniam 50.
cum exercitu adiit: vbi opido Alascheheri subiugato, mox ager Aidinensis sua sponte deditionem fecit. Hinc Sarchaniæ fines ingressus, illa quoque nullo negotio potitus est. Et eo quidem facilius vtrumque Gilderuni successit, quod paullo ante ditionis vtriusque domini rebus humanis excessissent. Acta Mahumetano
anno DCCXCII. C. 1391.

Secundum hæc, Constantinum bello adgressus est, cui dum ipse totus in- 51.
cumbit: Rex Vngarorum cum exercitu ad Nigebolim accessit. Eo Baiasites cognito, soluta Constantinopolis obsidione, recta Nigebolim suos duxit. Ad hostem vbi peruentum fuisset, multoties leuibus prœliis, atque etiam acie nonnunquam iusta dimicatum inter vtrosque. Tandem nocturna impressione Christianos adortus, adeo repentino & inopinato impetu exterruit: vt eorum plerique in Danubium præcipitare se cogerentur, & in ipso flumine magno numero submersi perirent: reliqui fœdam semet in fugam conijcerent. Factum hoc anno
DCCXCIII. C. 1393.

Hoc bello confecto, rursus in Constantinum arma conuertit. Sed composi-
ta pax fuit, ea conditione: vt intra Constantinopolis mœnia Gilderunis Chanis 52.
subditi ius haberent vicum vnum inhabitandi. Fuit is annus DCCXCIII.

Eo ipso tempore mortuus est Sultanus Alcairi Borcuces, post cuius obitum 53.
Gilderun Chan prouincias ipsius inuasit, & Melatigen suæ ditioni adiunxit. Sed imminentibus iam frigoribus hibernis, Prusam reuersus est: ibique per illam hiemem quieuit. Æstatis initio rursus expeditione instituta, ductisque in Armeniam copiis, Erzingam occupauit. Noui tum motus erant Temiris Chanis apud Parthos, quos Gilderun Chan non magni faciens, Erzinga relicta, & freto ad Gallipolim transmisso, in Romaniam venit: ibique Silistriam & Empolim suo subiecit
imperio: quod quidem accidit anno DCCXCV. C. 1394.

Hinc in Moream abiit, & castris ad opidum Ferigen collocatis, in diuersas quatuor partes suos milites ad diripiendos regionis agros emisit: a quibus ingens præda collecta fuit. Ipso in opido Ferige templum cum Xenone construi de nouo curauit, atque ita reuersus Hadrianopolim, ad aliquod tempus istic in otio
vixit. Ibi tum Bulcus Despota filiam suam Gilderuni dedit vxorem, quo adfini- 54.
tatis vinculo sancita fuit inter ipsos societas & amicitia. Quippe Gilderun Chan, professione Musulmanus, Bulci Despotæ, qui religione Christianus erat, gener factus fuit. Ante tamen, quam Bulci filiam Baiasites sibi matrimonio iungeret, vini vsum prorsus ignorabat. Maiores enim ipsius a vino abstinuerant. de Osmane loquor, & Vrchane, Murateque. Nam quoties conuiuas inuitaturi erant, varios cibos adparari iusserunt, atque his deinde vesci soliti sunt, adhibitis Talismanis: quorum præceptis & admonitionibus inter conuiuandum aures præbebant, & Alcoranum legi curabant. Quidquid denique Talismani consulerent, illi non inuite obtemperabant. Quo factum, vt eorum monitis parendo,
nequaquam peccare possent. In primis Cara Rustemes, & Zenderlues Che- 55.
liles, magno apud eos in honore habiti, & sancti homines adpellati fuere. Verum tam ipsi, quam Talismani cæteri hac exhibitione honoris arrogantiores fa-

cti, multa fecere nequiter & flagitiose. Tamdem quum essent exstincti Zen-
derlues Cheliles, & Cara Rustemes: Alis bassa, Zenderluis Chelilis filius, a
Gilderune Chane Veziris dignitatem adeptus est. Tum vero crescere Talis-
manorum improbitas, multa se indigna committentium, & reiectis moribus at-
que institutis pristinis, noua quædam introducentium. Erat enim populus Os-
manicus sane quam simplex & rudis, qui facile sibi quiduis persuaderi fineret.
Quo fiebat, vt eis insidiose, ac multiplici vafricie imponerent. Inter alia, pro-
hibebant in commerciis & contractibus vsum antiquæ monetæ, asprorumque
veterum: & emolumenti proprij causa, nummulariorum more, monetam ad
se veterem astute transferebant, eiusque loco nouam signabant. Alis ipse baf-
sa, vir simplex, ac rebus diuinis deuotus erat: cuius exemplo quum populus id
temporis etiam singulari morum integritate, religioneque præditus esset: Ta-
lismani tanto magis horum bonitate simplici, pro lubitu, abutebantur. Quum
autem Gilderun Chan fraudes ipsorum, & imposturas deprehenderet, atque
etiam videret, eos belluinam & impuram vitam agere: edicto publicato præce-
pit, vt omnes Talismani, omnesque Cadij, quo nomine iudices Turcorum ve-
niunt, Neapolim; quam Turci Genischeherim lingua sua dicunt, conuoca-
rentur. Vbi conuenissent vniuersi, quamdam in domum eos concludi iussit,
eamque præsidio circumdatam, ne quis elaberetur, incendi præcepit: vt omnes
flammis absumerentur. Hoc Gilderunis mandato magnopere perturbatus Alis
bassa Vezir, præ animi mœrore, qua illorum saluti via consuleret, ignorabat.
Tamdem huiusmodi quiddam ei ad animum accidit. Erat in deliciis Gilderu-
ni Chani quidam æthiops paruulus, faceto præditus ingenio: qui ab hero quid-
uis impetrare nullo negotio poterat. Hoc ad se venire iusso: Quidquid, inquit
Alis bassa, libitum tibi fuerit a me petere, dabo: modo Talismanos & Cadios
imminenti periculo eripueris. Æthiops his auditis, mox elegantiori amictu
sumto, & imposita capiti vscufia, qui pileus est aureus, hoc ornatu Gilderu-
nem Chanem adit, seque ante ipsum sistit. Ille, conspecto æthiope: Quid hoc,
ait, rei est, æthiopille? cur nobis hoc amictu tam splendido? Est quod abs te pe-
tam, inquit æthiops, exorari te patitor. Et quid tamdem petis? subijcit Baiasites.
Ille vero: Ablegari me velim, ait, internuntium ad Teggiurem Constantino-
56. polis. At Constantinopoli, respondet Gilderun, quid tamdem effecturus es ne-
gotij? Rogabo Teggiurem, inquit, vti quadraginta vel quinquaginta Caloge-
ros mihi concedat. Quem vero ad vsum, quærit imperator, hi tibi Calogeri ser-
uient? Mandasti, ait, vt omnes eruditi Talismani tui, atque iudices, flammis
exurendi tradantur. Quapropter in horum locum nobis illos substituemus iu-
dices. Tum Baiasites Chan: Ergone Calogeri nobis necessario deligendi iu-
dices? an mei ministri iudicum officio fungi nequeunt? Tui ministri respon-
dit æthiops, non sunt eruditi. Quid ais? Subijcit Gilderun: eruditine sunt iu-
dices illi nostri? An iudex, inquit alter esse quisquam possit, qui non sit erudi-
tus? Atenim, respondit Chan: si docti sunt, cur ex æqui rectique regula sese
non gerunt? cur, quod præcipiunt aliis, ipsi non faciunt? Ad ea, fessus interro-
gando iam æthiops, obticuit. Gilderun vero, compellato Ali bassa: Doctine
sunt, ait, iudices nostri? Tum Alis: Ecquem putas, inquit, iudicis officio pos-
se fungi, qui doctrinæ sit expers? Et Baiasites: Cur igitur adeo fœda facinora com-
mittunt, nec semet ex præscripto suæ doctrinæ gerunt? Ibi commodam respon-
dendi nanctus occasionem Alis: Hi nostri iudices, ait, nullum stipendium, nul-
las annonas habent. Ea sola nimirum est causa, cur officio suo minus satisfa-
ciant. Quid ergo, respondit Chan, faciundum nobis censes? Omnino se cor-
rigerent, inquit Alis, si quid eis stipendij numeraretur. Tum Baiasites: Siqui-
dem ita comparata res est, quoddam ipse salarium eis constituito. Alis, hoc a Gil-
derune accepto responso, reque cum animo suo diligenter expensa, tamdem
reperit, quid eis nomine stipendij posset adsignari: videlicet, vt quisquis heredi-
tatem, aliquot millibus asprorum æstimatam, adiret; Cadio siue iudici, cuius ipse
iurisdictioni subiectus esset, pro singulis millenis aspris, viginti aspros solueret

ac pro

ac pro singulis instrumentis, matrimoniorum puta, vel aliorum talium contra-
ctuum nomine confectis, itidem aspros xx. penderet. Ab hoc ergo tempore con-
stituta iudicibus stipendia sunt, & Alis in hunc modum placato Gilderunis ani-
mo, Talismanos & iudices e præsenti vitæ periculo liberauit.

Secundum hæc inuasit Caramaniæ princeps, expeditione suscepta, regio- 57.
nem Hemidam, eamque occupauit. Qua de re Gilderun Chan factus certior,
quanta potuit celeritate transmisso freto, Prusam accessit: & peragrata Tekiensi
prouincia, venit in Caramaniam, ibique ciuitatem Coniam obsidione cinxit.
Caramaniæ dominus hosti aduenienti cessit, & in loca montuosa se recepit. Erat
tum id anni tempus, quo incolæ segetes suas in areis agrorum habebant, vt eas
triturarent: ac per ipsis accidebat incommode, quod frumenti aceruos, qui tunc
& triturandi, & ventilandi erant, relinquere sub dio cogerentur, atque intra vr-
bis mœnia sese concludere. Quum hoc Gilderun Chan animaduerteret, suis in-
terdixit, ne quid frumenti sumerent, nisi persoluto pretio. Milites illo Sultani
edicto promulgato, propius ad mœnia progressi, rogare obsessos, frumentum
sibi venderent. Opidani respondere, nec pabulum ab se, nec frumentum vendi
posse: qui ciuitatis intra muros clausi, obsiderentur. Si Gilderuni Chani place-
ret, concesso commeatu libero, potestatem exeundi facere: perlubenter omnia
se vendituros, quæ ipsi poscerent. His Gilderuni continuo renuntiatis, ido-
neo ciuibus exituris commeatu, publicaque fide cauit. Itaque illis extra vrbem
prodeuntibus, accedere milites Turcici, quibus annona opus esset, ac necessa-
ria comparare, sine cuiusquam vel damno, vel iniuria, soluto confestim pretio.
Qua ciues, & regionis incolæ, disciplina militari perspecta: non se modo, cum vr-
be obsessa, Gilderunis potestati permiserunt: verum eius etiam castri, quod Al-
bum vocant, ciuitatumque Nigdes & Caisariæ, deditionem fecerunt. Tum ve- 58.
ro Caramaniæ princeps, rerum suarum trepidus, & quid ageret, ignarus; tam-
dem capto cum animo suo consilio, & quodam ad Baiasitem ablegato, sic cum eo
transegit: vt opidis nonnullis prouinciæ suæ Gilderuni sponte cederet. Is autem
rebus hisce gestis, Prusam reuersus, ad duos ibi menses quieuit. Inde noua expe-
ditione suscepta, Borlen adiit, eaque mox potitus est. Hinc ad amnem Kisam pro-
greditur. Eius regionis princeps, cui nomen Isfendiar, ad vrbem Sinopen fuga
sese contulit. Baiasites legato ad illum misso, pacis componendæ causa, quædam
opida sibi retinuit: ditionem reliquam Isfendiari restituit, ac Prusam cum exer-
citu rediit. Euenerunt hæc anno DCCXCVII. C. 1396.

Secundum hæc rursus Amasiam Prusa contendit. Inde petita Siuaste, quæ
quidem vrbs ei mox a Casi Burchane dedita fuit. Hanc pater Emiri Soleimani fi- 59.
lio concessit. Erat princeps quidam, cui nomen Techrin begus. Ei Baiasites Er- 60.
zingam, cuius erat dominus, non ita pridem ereptam, restituit: liberis tamen, tam
maribus, quam feminis, obsidum loco retentis, & Prusam missis. Post hæc Mela-
tigen copias duxit. Iis in locis opida, Diorrygem & Guxinen, sui cum iuris fecis-
set: Prusam reuersus, aliquamdiu quieti se dedit. Erat hic annus DCCXCVIII. quo C. 1397.
tempore Temir Chan expeditione rursus instituta, per regionem Parthorum ar-
ma circumtulit. Tamdem progressus vlterius, & Chalepum Damascumque du-
cto exercitu, Chalepum vniuersa cum regione finitima occupauit: Damascum
fœde direptam populatus est, anno DCCC. C. 1399

Indicatum fuit a nobis antehac, Gilderunem Chanem versus omnes im-
perij sui fines grassatum, ditiones alienas inuasisse: quumque ne suæ quidem re-
ligioni deditis, parceret, Melatigen, Diorrygem, Guxinenque Turcomanis 61.
eripuisse: prorsus denique suis eos ditionibus per summam iniuriam expulsos,
profligasse.

Quamquam ne hoc quidem dissimulandum, Turcomanos eas regiones,
cum opidis non magno labore suo parasse: nec, vti bonæ fidei possessores, ius
suum longissimi temporis præscriptione tutari potuisse. Nihilo minus hoc, quo
dictum, modo suis eiecti finibus, ad Alcairensis Sultani patrocinium se contule-
re, sub eius imperio sede sibi constituta. Potuit is tantum efficere, dum Gilderun

Chan coniectis in Temirem Chanem oculis, sollicite progressus ipsius obseruaret; vt opera sua Turcomanos exsules in integrum restitueret. Illi tamen facile, certis adducti rerum argumentis, perspiciebant: Baiasitem non multo post haud dubie res nouas moliturum. Itaque cum principibus ceteris, qui partim a Gilderune bello petiti, partim suis spoliati fortunis erant; cum Techrine videlicet, cum Germiano, cum Duzinone Aidinensi bego, cum Mentesio denique, fœdus atque societatem inierunt. Omnes enim hi, quorum enumerata nomina, non minorum quasi gentium domini dumtaxat in iis terris, verumetiam principes erant. Ab his ergo communi nomine missa fuit ad Temirem legatio, quæ quum ad ipsum peruenisset, deploratis illorum principum ærumnis atque miseriis, tantum apud eum oratione sua perfecit: vt bellum se facturum Gilderuni, quo illatas ipsis vindicaret iniurias, polliceretur. Ante tamen, quam bellum hoc Gilderuni Temir inferret, exsulum causa suos ad eum misit internuntios, omnem (quod aiunt) lapidem moturos, vt inter vtramque partem transigerent, idque dumtaxat vnum impetrarent, quo fas restitutis exsulibus esset, tranquille ditionibus suis absque iniuria Gilderunis, vtendi, fruendi. Verum hac legatione incassum missa, quum Temir a Gilderune despici se, contemnique videret: præpotentem coëgit exercitum, quo ad vrbem, quæ Siuaste dicitur, adducto; magna illam celeritate per vim expugnauit & euertit, ipsa etiam arce diruta. Secundum hæc ingentes illas copias Damascum duxit. Interim vero Sultanus Alcairi, militibus suis Alcairo, Damasco, Chalepo euocatis, haud procul Chalepo Temiri Chani occurrit. Pugnatum inter vtrosque strenue, sed victus Alcairi Sultanus in Ægyptum profugit. Illo sibi fuga consulente, Chalepum & Chemesam vi

62. Temir expugnat. Quum Chemesæ complura pereleganter exstructa mortuorum monumenta cerneret, quinam in eis sepulti conderentur, interrogauit. Responsum ab incolis, esse illa sepulchra famulorum sociorumque vatis Mahumetis: videlicet Chalidis, qui Velidis fuerit filius, & Kiabelechbaris, & Omeris, & Mueigæ, qui Mahumetis fuerit cursor. Hoc intellecto, corpora quidem incolarum esse libera iussit: sed facultates eis omnes ademit. Chemesa discedens, & Bealbecum profectus, id opidum prius direptum vastari passus est. Bealbeco Damascum rediit, arcem vrbis eius occupaturos: verum oppugnatione prima nihil effecit. Igitur eam denuo vehementiori militum adgressus impetu, vi cepit. Dama-

63. sco in potestatem redacta, reuersus est in Parthiam, & ad vrbem Carabagum castris locum delegit, eoque cum suis in hiberna se contulit. Posteaquam veris tempus adpetiisset, Amasiam sic duxit exercitum, vt Erzingam prius accederet, inde versus Engurim pergeret. Ab altera parte ne Gilderun quidem Chan otiosus erat, sed bello gerendo intentus, maximas cogebat copias. In primis vero Tatarorum ex regione Destensi multitudinem prope infinitam sibi adiunxit: quos per Moldauiam profectos, & in Romaniam effusos, inde secum in Natoliam abduxit. Ad summam, talem ac tantum e Romania, Anatoliaque collegit exercitum: vt aduersariis ille copiis facile comparari posset. Cum his ergo profectionem versus Engurim instituit, sumtis secum in eis expeditionis societatem filiis suis. Vbi iam cum exercitibus imperator alter ab altero non procul aberat, forte Temir Chan die quodam Iouis, prima luce, processit ad spatium medium inter amborum exercitus, atque ibi castris locum delegit, eaque fossa circumducta muniuit. Eodem & Gilderun Chan quum sese sub vesperam contulisset, castra pro suis itidem copiis metatus est. Tamdem die quodam Veneris, summo mane, instructis ab vtraque parte aciebus, e fossato quisque suo contra se inuicem progrediuntur. Et Gilderun ita suos ordinarat, vt aduersario se non inferiorem futurum existimaret. Rebus vniuersis recte dispositis, quum signa hinc inde sublata volitarent, tubæ clangerent, tympana castrensia pulsarentur, & iam iamque concursuræ viderentur acies: tum vero Destenses Tatari, violata fide militari, mox ad Temirem transierunt: itidemque milites e regionibus Germiani & Mentesij, quod ipsorum principes a Temiris Chanis partibus starent, ad eosdem se receperunt. Quo factum, vt potissima pars, & ipsum adeo robur exercitus, cui maxime

xime fidebat, ab eo deficeret, ac perfidiæ macula se contaminaret. Quinetiam suis a militibus Turcicis, qui animis in eum nonnihil offensis erant, desertus fuit. Vnus tantummodo Bulci filius suis cum copiis constanter aduersus hostem substitit, & animose pugnauit. quo Temir conspecto: Proh quam feroces & truculenti sunt isti Deruisij, dixit: quanto cum ardore dimicant. Ad quæ de senatoribus quispiam: Non hi Deruisij sunt, ait, sed Christiani. Tamdem & Bulci filius animaduertit, incassum se tam acriter prœliando laborare. Nam & ipsi Turci iam in vniuersum fugæ se dederant. Itaque collectis suis, nonnihil ad alterum latus ex acie deflexit. Idem cum suis & Gilderunis filius Mustaphas Zelebis fecit, qui etiam hoc prœlio periit. Hæc quum ipsi Bassæ vidissent, abducto secum Emire Soleimane, fugam arripuerunt. Sultanus Muchemetes cum suis Amasiam repetiit. Solus adhuc cum prætoriano comitatu Gilderun Chan immotus stabat. Sed tamdem in hostis potestatem venit, & ad Temirem perductus fuit. Ei Temir Chan pedes obuiam processit, exceptumque magna cum honoris delatione, suum in tentorium deduxit. Ibi quum ex equo, Temirianorum adiutus opera, descendisset: humi, pro more gentis, in eodem ambo tapete consederunt. Prior Temir Chan de suis rebus cum Gilderune colloqui cepit. Inde quum cibum vna sumerent, rursum Temir colloquium exorsus: O Chan, ait, infinitas præpotenti Dei gratias & hymnos debemus vterque: tum quod mihi misere claudicanti, ab ipsis Indiæ finibus, ad portas vsque Siuastæ vrbis, imperium largitus sit: tum quod ex altera parte tibi a Siuastæ mœnibus, ad ipsos vsque limites Vngariæ, dominatum concesserit. Si Deo luberet vniuersum orbem terrarum partiri, quid maius claudo dare posset? Iccirco non abs re magnis ipsi gratiis agendis obnoxij sumus. Tu vero parum fortasse Deo gratus fuisti, ac propterea talis ac tanta tibi calamitas accidit. Quæ quum dixisset, denuo Baiasitem interrogans: Mi Chan, ait, si tua situm esset in potestate, mecum vt ageres pro libitu tuo: quid obsecro de me faceres? age, veritatem dicito. Tum Gilderun Chan, quem ferocis & iracundi animi hominem fuisse accepimus, non sine bile respondisse fertur: Equidem te, si fortuna propitia meam in potestatem venisses, ferrea conclusum cauea mecum hinc inde circumduxissem. Quo Temir audito, mox e ferro caueam parari iussit: & in eam, carceris loco, Baiasitem inclusit. Secundum hæc, permissa militi licentia per vniuersam regionem hinc inde se diffundendi, atque omnia rapinis vastandi: Temir ipse Prusam abiit, ibique thesauros Baiasitis inuentos sibi vindicauit. Et quando iam imminebat hiems, simul & hibernauit in Anatolia, & proceres eos, qui ad ipsius patrocinium confugerant, tum fortunis suis restituit, tum muneribus amplissimis adfecit. Atque hoc modo, singuli suas ad ditiones reuersi sunt. Osmanis vero prouinciam, cui nomen Osmania, Tataris Temir adtribuit. Quod quum Baiasites inaudisset, magnum animo dolorem cepit. Erat in more Temiri, vt castra locum moturus, nonnunquam ad Gilderunem accederet, eoque perhumaniter salutato, rectene valeret, an secus, quæreret. Quodam ergo die Gilderun, hac vsus occasione, Temirem adloquens: Equidem fateor, ait o Chan, sic in fatis fuisse. Tibi diuinitus destinata fuit victoria. Sed est, quod abs te petam: modo & audire me, & adnuere petitioni volueris. Ad quæ Temir: Quidquid, ait, a me petieris, o Chan, nequaquam tibi denegabitur. Tum Baiasites: Hoc vnum, inquit, abs te peto, ne familiam meam aboleas, & Tataros vti tecum abducas. Mihi quod accidit, etiam tibi potest accidere. Non bonum est, ita sæuire velle, vt prorsus aboleas. His auditis, facturum se Temir recepit, quod Baiasites postulasset. Adeoque coactis in vnum Tataris, secum eos abduxit. Sperauerat ille quidem futurum, vt quispiam filiorum Gilderunis ipsum conueniret: sed quia sibi metuebant, accessit nemo. Secundum hæc die quodam accidit, vt Temir compellato Gilderune, diceret: Equidem te mecum, o Chan, in regnum 65. meum abducam, ad vrbem Semercandam: atque inde te remittam in regnum tuum. Ea Temiris oratio Gilderunis animum tam graui mæroris vulnere percussit, vti ipse sibi mortem consciisceret. Temir vero, quum ad iter se compararet,

Caramaniæ bego complures arces & opida donauit: & Isuendiari Castamo-
66. nam, Congerim, & Calazugen concessit. Atque his rebus gestis, in regnum suum
reuersus est. Acciderunt autem hæc omnia, quæ a nobis exposita sunt hactenus,
C.*1403 ab anno DCCC, vsque ad annum * DCCCIIII. Temir Chan apud Parthos annis XL
rerum potitus fuit: Gilderun vero, cuius mortem indicauimus, annis dumtaxat
XIIII regnauit.

67. Filios Gilderun Chan sex habuit: quorum vnus, Mustaphas Zelebis, amissus
fuit in Temiriano prœlio: quinque reliqui mansere superstites, Emir Soleimanes, Isa Zelebis, Musa Zelebis, Sultanus Muchemetes, & Casan Zelebis, qui tempore prœlij adhuc erat ætate tenera.

Exstincto Baiasite, conuenerunt in vnum Alis bassa, Eines begus, & Hazan aga: decretoque vnanimi ex Anatolia in Romaniam reuerti statuerunt.

Sultanus Muchemetes Amasiam profectus, quieti se dedit, parum de rebus
aliorum sollicitus. Isa vero, & Musa, varie se mutuo persequuti sunt in regione Ca-
68. rasina: donec Musa tandem Isam comprehensum occidit. Quo facinore patrato,
Prusam profectus, in otio viuens, a rebus gerendis abstinuit. Non multo post, arma contra Musam quiescentem sumsit Emir Soleimanes. Hoc ille cognito, mox in Caramaniam arrepta fuga se recepit. Emir Soleimanes, vt res suas constabiliret, sororem suam, cum fratre natu minimo, Casane Zelebi, Constantinopolim misit, eosque Constantino dedit obsides: ne quod scilicet discidium inter eos exoriretur, sed pacem potius inter se mutuo colerent.

69. Hinc in Romaniam transuectus Emir Soleimanes, Hadrianopoli cærimo-
nia Turcis familiari factus est imperator, anno DCCCV.

C.1404. Eius rei nuntio accepto, legatum Sultanus Muchemetes Amasia misit ad E-
mirem Soleimanem, fratrem natu maximum, qui ei tum munera ferret, tum suis verbis hæc renuntiaret: Quando sic Deo visum fuit, domine ac frater natu maxime, vt parentem vtriusque nostrum rebus humanis eximeret: magnopere mihi gratulor, te nobis saluum & incolumem relictum. Cui quum Emir Soleimanes vicissim venustæ formę pueros, puellas, vestesque sericas, & alias res varias ac elegantes misisset: sancito fœdere mutuo, pacem inter se coluerunt. Post hæc ablegatis in Caramaniam suis hominibus, eius prouinciæ domino significari iussit Emir Soleimanes: daret operam, sic vti custodiretur Musa frater, ne qua posset elabi. Adeoque Caramum obtestari se, diligenter id curaret: modo ei grata Soleimanis esset amicitia. Siquidem hoc ab ipso impetrasset, vicissim ei se omnia caritatis & beneuolentiæ officia exhibiturum.

Musa quum subolfecisset, Caramaniæ principem cum Emire Soleimane mutuam in gratiam rediisse: fuga sibi consulens, ad Isuendiarem propere concessit. Eius rei fama ad Emirem Soleimanem delata, mox arma in Isuendiarem expediuit: cuius ditionem ingressus, propter Gerlen ad ripam fluminis castra loca-
70. uit, & militem istic in hibernis habuit. Erat in iis locis nigra populus ingens, sub
qua genio cottidie indulgebat, & helluabatur. Tamdem composito cum Isuendiare negotio, relictaque ipsius regione, profectus est Isnicam: vbi totos dies in conuiuiis & compotationibus exigebat. Nihilo minus secreto Musam secum ha-
71. buit Isuendiar, eumque nauigio impositum, per pontum Euxinum in Valachiam
deportari curauit. Erat id temporis Vaiuoda Valachiæ quidam, cui nomen Murzes. Hic & hospitio excepit eum, & viam aperuit, & auxilio fuit, vt Romaniam ingrederetur. Quum Hadrianopolim peruenisset, mox ab exercitibus, eò confluentibus, imperator salutatus fuit. Emir vero Soleimanes, licet occupatam a fratre Romaniam intellexisset vniuersam; nihilo tamen minus perpetuo luxu & helluationibus suis occupabatur. Et quoties e mero iam ebrius incaluerat, sæpenumero voces has ingeminabat: Musa, Musa, quid tibi meis in regionibus est negotij? Neque magno temporis interiecto spatio, securus ipse, ac metus omnis expers, a Musa fratre fuit obrutus. Ibi quum a ducibus & administris rerum suarum, ad Musam transeuntibus, eiusque militiæ se deuouentibus, desereretur; fugam arripuit, in qua vicum ad quemdam perueniens, ab eius incolis fuit interemtus. Eum

tus. Eum vicum Musa, cum incolis vniuersis, cuius cuius tandem vel sexus, vel ætatis essent, igne subiecto concremari iussit, hac adiecta voce: Cur fratrem meum vobis necare libuit? Secundum hæc reuersus Hadrianopolim, plene rerum potitus fuit, anno DCCCXIII. Emir autem Soleimanes imperauit annis VII. C.1411.

Ab hoc inchoata fuit Hadrianopoli structura templi longe amplissimi, cuius ipso superstite fundamenta iam ad eam altitudinem perducta fuerant; vt eius loci, quo templum condebatur, superficiem æquarent.

Quum autem Sultanus Muchemetes, cuius Amasiæ sedes erat, de hisce rebus omnibus, vt erant gestæ, certior factus fuisset; nimirum Musam, Soleimane de medio sublato, Romaniæ siue Græciæ imperio potitum: bello Musam persequendum statuit, & expeditione suscepta, Prusam duxit: omnesque Anatoliæ prouincias, Emiri Soleimani fratri non multo ante subditas, in potestatem redegit. Itidem in Romania nec ipse Musa rerum suarum cura deposita, quid agendum sibi foret, circumspiciebat. Ante omnia Scachum Melicum, cui dumtaxat 72.
vnus erat oculus, Vezirem creauit: Samobunæ filium, Cadileschterum esse voluit: ducem stipendiariorum signiferis præfecit: prouincias denique suos inter familiares, ac militares viros, distribuit. Reliquerat Emir Soleimanes liberos superstites, filium atque filiam: qui Constantinopolim profugerunt. Durantibus hisce discidiis intestinis, etiam vrbs Vidina, ad Danubium sita, defecit: sed Musa, ducto aduersus eam milite, rursus imperium accipere coegit.

Idem Musa relicta Vidina, Buruuadam & Materam copias duxit, eaque opida sibi subiecit. Magnam in omnibus prouinciis tyrannidem exercuit. Occupa- 73.
uit & opidum Chiupurlim, quod Lazari ditionis erat. Suos etiam excurrere nonnumquam iussit, ad ipsa vsque mœnia Constantinopolis: ita quidem, vt ipso imperante, Constantinopolitani portas vrbis aperire vix auderent. Accidit autem aliquando, vt ad Silyuriam accederet: quam dum oppugnaret, egregie se tuebantur opidani, & in hostem animose pugnabant. Dum vtrimque manus conseruntur, Scachus Melicus, Musæ Vezirazemes, hero deserto, Constantinopolim se recepit. His perspectis insidiis & astu Melici, vehementer animo Musa perturbari: conuersoque itinere, Hadrianopolim reuerti: & quis huiusce transfugij futurus esset exitus, secum ipse dispicere. Vicissim ex aduersa parte, Sultanus Muchemetes omnino cum Musa prœlio congredi statuebat. Erat huic Vezirazemes, Baiasites bassa, quo cum sollicite consultabat, quonam modo nauigiis in Romaniam transmitti fretum posset. Forte fortuna tum Scachus quoque Melicus ad Sultanum Muchemetem Constantinopoli venerat. Itaque Baiasites bassa Muchemeti auctor erat, vt is etiam arcessitus, deliberationi adhiberetur; quid ipsi faciundum pareret, explicaturus. Ille vocatus in consilium, accessit: & intellecto, cupere Muchemetem in Romaniam exercitum transportare, modo, de ipsius consilio viam rationemque commode transiiciendi cognosceret: Respondit, omnino Constantinopolim mittendos legatos, & cum Teggiure pacis ineunda fœdera, quo fieri permissu ipsius & adiumento transiectio posset. Non enim fretum vllo alio transmitti loco posse, quum Gallipolis in potestate Musæ sit. Erat id temporis insigni vir quidam auctoritate præditus, nomine Faselulla, qui Cadij siue iudicis officio Geiuisæ fungebatur. Is & notus erat, & familiaris 74.
admodum Teggiuri Constantinopolitano. Hunc igitur ablegarunt, vti cum Teggiure de pace ageret: qua inter vtramque partem sancita, profectus Prusa Sultanus Muchemetes, ad litus maris e regione Constantinopolis accessit. Illi Constantinopolitanus Teggiur naues suas obuiam misit, & ipsum in Romaniam cum exercitu transuehi curauit. Eius Musa rei factus certior: Hadrianopoli relicta, regionem Lazari petiit. Interea venit Inzuam Sultanus Muchemetes, atque ibi castris locum delegit. Mox Alis begus, Eurenosis Begi filius, suis copiis ad Sultanum Muchemetem defecit: post quem & Michael, Iochzi Begi filius, cum milite suo ad eumdem accessit. Et erat is Musæ beglerbegus. Horũ confirmatus subsidiis Sultanus Muchemetes, vlterius processit, & Hadrianopolim venit. Quotquot autem Turcici proceres per Romaniam hinc inde degebãt, vni-

75. uersi Musa deserto, ad Sultanum Muchemetem se contulerunt. Nec a Musæ par-
tibus vlli mansere milites, præter Acanzios. Secundum hæc digressus Hadriano-
poli Sultanus Muchemetes, Musam a tergo persequi nō desiit, & cum eo propter
opidum Samocouam prœlium iniit. Quum autem animaduerteret Musa, non sa-
tis sibi virium esse ad resistendum: fugæ se dedit, & fugienti equus in profundum
cœnum prolapsus fuit. Erat ei famulus quidam, vestium sartor, & seruilis homo
condicionis, cui nomen Sarudzes. Hic equo domini, sic humi prostrato, tendi-
nes incidit, captumque dominum suum Musam ad Sultanum Muchemetem ad-
duxit. Sub initium noctis in tentorio quodam Musa strangulatus, statim eadem
76. nocte Prusam auehi iussus est, vt istic in aui monumento conderetur. Imperauit
annis III & dimidio. Mechemetem begum, Michalis filium, qui Acanziorum
dux erat in exercitu Musæ, captiuum Sultanus Muchemetes ad vrbem Toca-
tam deportari, & ibidem custodiri præcepit. Samobunæ vero filium, qui officio
Cadileſcheri fungebatur, cum vxoribus & liberis Isnicam iussit abduci; vbi mille
asprorum annonam ei singulos in menses adsignauit. Peditum Musæ dux in Va-
lachiam aufugit. Hoc modo Turcorum imperator factus est Sultanus Muche-
C.1414. metes, vniuersa subacta Romania anno DCCCXVI.

Inito regno, legatos ad omnes sibi vicinos principes misit, ac pacis & ami-
citiæ fœdera cū eis pepigit. Interea vero, dum adhuc Musa Muchemetesq; bello
semet inuicem in Romania persequebantur: Caramaniæ princeps Prusam exer-
citum adduxit. Eius expeditionis rumore ad se perlato, Ibases bassa, qui tum Pru-
sæ cum bassæ imperio præerat, arcessitis ad se Prusæis ciuibus, vti cum eis de im-
minenti bello deliberaret: Caramaniæ princeps, ait, arma cepit, vt nos opprimat:
Vos operam date, vt ad excipiendam illius vim, instructi sitis, & cum facultatibus
vestris in arcem vos recipite. Mox qui locupletiores erant, in arcem suis cum re-
bus migrant. Posteaquam ad vrbem Caramaniæ begus accessisset, Ibases arci se-
met includit: quo Caramanus animaduerso, ciuitatem igne subiecto concrema-
uit. Inde versus arcem cuniculos agere cepit. Ibases ex aduerso cuniculis suis ad
hostium cuniculos perductis, & aqua in eos deriuata, Caramani fossores aquis
obrutos exstinxit. Interim vero dum ad Prusam res vtrimque geritur acriter, &
citra intermissionem: inopinato Musæ cadauer eo deportatum, prope thermas
monumento paterno infertur. Id vbi Caramanus fieri vidit, confestim motis ca-
stris, suam in prouinciam exercitum abduxit.

Secundum hæc profectus e Romania Sultanus Muchemetes, transmisso
freto, Prusam adiit, ibique maioribus coactis copiis, & adiunctis sibi duobus in
belli societatem principibus, Isfendiare videlicet, ac Germiani domino; cum eis
aduersus Caramanum expeditionem suscepit. Ingressus autem Caramani ditio-
77. nem, mox opidum Varsacum subegit, incolis absque mora deditionem facienti-
bus. Inde Coniam cum exercitu contendit, vbi quum princeps vrbis ei suis cum
copiis occurreret: prœlium inter se commiserunt, quo Sultanus Muchemetes su-
perior fuit, & Caramanus cum supremo copiarum suarum duce, Zebuco Mu-
stapha, in hostium potestatem venit. Multis vltro citroque colloquiis habitis,
tamdem compositum fuit discidium, & mutua reconciliata gratia: sed ita tamen,
vt Caramanus Sultano Muchemeti tribus opidis, & vni castro cederet. quorum
locorum deditione facta, vicissim Muchemetes Caramanum muneribus coho-
nestauit, & libertati restitutum suam in prouinciam remisit. Muchemetes ipse
Prusam reuersus, non diu istic hæsit: sed iter ceptum prosequens, trans fretum
Hadrianopolim properauit, vt bello Valachos inuaderet. In id bellum & a Ca-
ramano, & ab Isfendiare bego copias auxiliares impetrauit: quibus ad suas ad-
iunctis, in hostem progressus, ad Danubium castra locauit: vbi dum castellum
exstrueret, magnam suorum manum in Valachiam trans flumen immisit, vt præ-
dis actis eam depopularentur. Milites e Valachia salui, nullo accepto detrimento,
trans Danubium, maximis aucti spoliis, rediere. Quod quum regionis Vaiuoda
cerneret, aliud quod ageret, nihil habuit; quam vt pace cum Sultano composita,
quotannis se tributum missurum polliceretur, eoque nomine filium daret obsi-
dem. Qui-

dem. Quibus rebus gestis, Prusam Muchemetes repetiit, & inde copias ad opi- 78.
dum quod Samsonis dicitur, traduxit: quo quidem occupato, complures in
iis locis Tataros, a Temire Chane relictos, inuenit. Hos edicto publicato, in
Romaniam migrare iussit: & ditiuncula quadam, haud procul a castro Cunu-
za, donauit; vt ibi domicilia sibi constituerent. Erat enim is locus incultus & 79.
desertus. Atque illa quidem vicinia & regio in hunc modum Tataros accepit
incolas, qui eam in hodiernum vsque diem possident. Interea dum his rebus
intentus erat Muchemetes, in Anatolia seditio quædam coorta fuit, auctore
Burgluze Mustapha, qui Scheichis Bedredinis quondam œconomus fuerat. Et
Scheiches ille Bedredines, vti supra diximus, apud Musam Cadilescheri mu-
nus gesserat, Isnicæ deinceps exsulare iussus. Hic ergo Mustaphas in agrum
Aidinensem profectus, magnam ibi seditionem excitauit: persuasis incolis, vt
ipsius potestati se permitterent, & imperium lubentes acciperent: nomen in-
terim prophetæ mentitus, vt eo facilius res nouas moliretur. Vbi de hoc mo-
tu Isnicæ Scheiches Bedredines accepisset, œconomi videlicet sui res tantum
incrementi sumere: mox Isnica relicta fugam arripuit, & Isuendiarem adiit.
Apud hunc quum aliquamdiu substitisset, nauim conscendit, & itinere ma-
ritimo Valachiam petiit. Sultanus autem Muchemetes intellecto, habere iam
Burgluzam Mustapham selectorum militum ad tria millia: copias suas in eum,
duce Sultano Murate filio, misit. Is vbi, Baiasite bassa expeditionis socio, cum
exercitu ad defectionis auctorem peruenisset: accidit, vt impetu repentino se
inuicem inuaderent, & manus tam animose consererent, vt illo prœlio ingens
hominum multitudo caderet. Tamdem Burgluzes Mustaphas, in frusta con-
cisus periit. Hac de illo, & complicibus, obtenta victoria: rediit ad pristinum
imperium omnis ea ditio, distributa deinceps inter Sultani Muchemetis mili-
tes. His rebus gestis, Baiasites bassa cum Sultano Murate Manissam duxit ex- 80.
ercitum: quo ipso etiam in loco quidam erat homo seditiosus, Torlaces Hug-
giemal, stipatus bis mille viris, qui eum sectabantur. Hos quum Baiasites ad-
sequutus fuisset, terga dare coegit, & ipsum Torlacem, cum aliis aliquot con-
iuratis captum, ibidem suspendio necari iussit. Interim profectus Serras Sulta-
nus Muchemetes, eam ciuitatem occupauit: & cum animo suo constituit, Sa-
lonicam quoque militum corona circumdare. Durante vero Serrensis vrbis
obsidione, Scheiches ille Bedredines, quem in Valachiam profugisse diximus,
Romaniam ingressus, aliquot sophilarios ante se misit in agrum Zagorensem, 81.
vulgo persuasuros, imperium Scheichi Bedredini diuinitus esse destinatum.
saltim paucos intra dies aduentum eius præstolarentur. Quum ergo Scheiches
Bedredines iam propius ad eos accederet, magnus seditiosorum numerus ad
ipsum confluxit, & illorum quoque non pauci, quos imperante Musa benefi-
ciis obnoxios in magistratu sibi reddiderat, dum apud illum Cadilescheri of-
ficio fungeretur: ita quidem, vt hominum copiis non contemnendis cinctus
esset. Verum iidem animaduerso, minime felicem futurum, motus illius exi-
tum: Bedredine deserto, etiam arma, quæ sumserant, deposuerunt. Harum tur-
barum accepto nuntio, insignem exercitum in agrum Zagorensem Sultanus
Muchemetes expediuit: qui Scheichem Bedredinem ibi deprehensum cepe-
runt, & captum Serras ad Sultanum Muchemetem adduxerunt. Erat apud
Sultanum magnæ quidam doctrinæ vir, nomine Meulana Cheider, oriundus
e Parthia, vnde se ad Muchemetem contulerat, qui eum pro viro sancto cole-
bat, & a latere suo numquam discedere patiebatur. Is hanc sententiam tulit,
vt capitis quidem supplicium Scheiches Bedredines lueret: sed minime tamen
fisco facultates ipsius adplicarentur. Sultanus ergo Muchemetes, hac in eum lata
sententia, pœna suspendij apud Serras hominem adfecit. Postea vero, quam ex-
spirasset; cadauer eius de patibulo detractum, & terræ mandatum fuit. Inde Sul-
tanus Muchemetes Prusam reuersus, ad aliquod ibi tempus substitit. Hadriano-
poli templum, quod frater eius Emir Soleimanes exstruere ceperat, absolui cura-
uit. Aliud etiam Prusæ fanum, cum schola & xenone, condidit. Atque hisce ge-

stis rebus, viuendi finem fecit. Eius loco Sultanus Murates filius Imperator factus
C. 1422. est, anno DCCCXXIIII. qui Prusæ cadauer patris monumento, pro more intulit.
82. Secundum hæc sequuta fuit vniuersorum in Anatolia defectio, nimirum Ismyræ principis, & Menthesij: & ad summam, omnium ab omni parte procerum.
83. In Romania namque pro Sultano se quidam gerebat, cui nomen Dusmes Musta-
84. phas. Is filium se Gilderunis Chanis profitebatur, & plerunque solebat in opido Vardario degere. Transierunt in partes ipsius etiam proceres quidam eius familiæ, quos Eurenoses begos vocant. Horum subsidiis adiutus, Serras obsedit: quæ quidem vrbs, vna cum arce, mox deditionem fecit. Hinc progressus vlterius, Hadrianopolim ire perrexit: quo quum accessisset, incolæ portis reclusis, eius se fidei potestatique permiserunt. Ad summam, tota Romania in partes eius concessit. Alio tamen Porta loco non erat, quam Vardarij. Posteaquam Sultanus Murates, qui hoc tempore Prusæ degebat in otio, de hisce motibus certior factus fuisset: Baiasitem bassam copiis instructum misit, qui hunc regno depelleret. Quum primum is Hadrianopolim in Romaniam venisset, ab hero suo defecit, ac Dusmi
85. Mustaphę se dedidit: a quo vicissim Veziris dignitate fuit ornatus. Eidē & Ismyrę princeps, Chuseines begus semet adiunxit. Magnum autem peditum numerum, quos Azapos vocant, collegit Dusmes hic Mustaphas, & insignia concessit illis priuilegia, qui sponte militiam ipsius sectabantur. Quum igitur ingentem iam coegisset exercitum, eo consilio discessit Hadrianopoli, vt Prusam contenderet. a qua vrbe quum iam itinere vnius diei abesset, Vezirem suum, Baiasitem bassam, supplicio capitis adfecit. Interim Murates quoque de bello gerendo cum suis deliberabat. Suadebant vero, qui huic a consiliis erant, vt Mechemetem begum, Michalis filium, e carcere Tocatensi reuocaret, ac libertati restitueret. Hunc igitur arcessitum e custodia, secum in expeditionem hanc Sultanus Murates sumsit,
86. ac Prusa relicta, ad amnem Vlubatam processit, & iuxta pontem castra metatus est. Eodem quum & Dusmes Mustaphas venisset, ex altera parte pontis locum
87. castris delegit. Hoc modo collocatis ex aduerso copiis vtriusque principis, Mechemetes begus, Michalis filius, militibus a Dusme Mustapha stantibus cognoscendum se præbere, ac peramanter eos compellare. Quo facto, quum proceres atque milites, qui se cum Dusme Mustapha hac expeditione coniunxerant, Michalis filium adgnouissent: noctu fluuium Vlubatam transgressi, ad Sultanum
88. Muratem se contulerunt, eique se dediderunt. Id vbi Dusmes Mustaphas fieri vidit, ad amnem Bugam profugit: magnaq; pecuniæ vi Bugæ opidi Cadio donata, eius ope saluus euasit: & propter Gallipolim trans fretum in Romaniam reuersus,
89. ibidem ad aliquod tempus quieuit, nauibus in terram subuectis. Eum sine mora sequutus a tergo Sultanus Murates, copias suas mercatorum nauigiis impositas in aduersum litus vehi curauit, & castris in Ezea planicie locum cepit. Tum vero Dusmes Mustaphas motis castris, versus Bolairem fuga se recepit: vnde quum Hadrianopolim pergeret, a suis desertus fuit. Nec multo post captus, & Hadrianopolim ad Sultanum Muratem perductus, illius iussu de pinna quadam ad murum vrbis suspensus, laqueo vitam finiit. Mox ibidem Sultanus Murates in regium
C. 1425. thronum collocatus, & imperator a suis salutatus est, anno DCCCXXVII. Erat ei frater in Anatolia, cui nomen Mustaphas. Is etiam magnas ibi turbas dedit. sed tandem Murates expeditionem aduersus fratrem suscepit, & Isniçæ captum necari iussit: vnde Prusam vectus, & iuxta patrem conditus fuit. Secundum hæc rediit Sultanus Murates Hadrianopolim, quo quum peruenisset, de Vaiuodæ Valachi defectione cognouit. Quapropter ductis in Valachiam copiis, regionem vniuersam fœde diripuit, & amplis potitus spoliis, Hadrianopolim reuersus est, anno DCCCXXVII.

Inde rursus in Anatoliam profectus, Ismyræ principem ditione sua expulit, & præterea regionibus, Menthesianæ, Aidinensi, Sarchaniæ, & Chemidensi præsidia suorum imposuit, deductis eodem coloniis, & agris inter suos distributis. Ge-
C. 1425. sta vero fuerunt hæc eodem anno DCCCXXVII.

Post illa quum ad tempus aliquod Prusæ substitisset, quieti deditus: tandem susce-

dem ſuſcepta rurſus in Romaniam profectione, Lazari ditionem ingreſſus eſt, ea- 90.
que Deſpotam ſenem prorſus eiecit, anno Mahumetano DCCCXXIX. C.1427.
His exanclatis laboribus ac moleſtiis, quieti ſe quidem dedit, ſed non diu-
turnæ: dum Anatoliæ montana peteret, captandę frigidioris auræ cauſa. Rurſum
vero tranſiecit in Romaniam, & armis Lazaro illatis, vniuerſam eius regionem
populatus eſt, anno DCCCXXX. C.1428.
Hinc quidam ex proceribus, cui nomen Hoſer begus, in Anatolia ditio-
nem Zietucam Muratis imperio adiecit, anno DCCCXXXI. quum interim Sulta- C.1429.
nus ipſe Hadrianopoli quieti ſe reficeret. Ibidem mortuus eſt Ibrahimes baſſa, 91.
Chelilis baſſæ pater, anno DCCCXXXII. C.1430.
Murates autem quietis & otij longioris impatiens, bellum ſe ſuſcepturum
ſuis edixit, diuinitus ſibi mandatum. itaque maximas copias ad vrbem Salonicam
adduxit, eaque potitus eſt, exercitu ſpoliis opimis ditato: quod quidem accidit 92.
anno DCCCXXXIII. C.1431.
Capta Salonica, nonnihil a bellicis occupationibus abſtinere conſtituit, &
ad montana Zogæ profectus eſt. quo tempore natus eſt ei filius, cui nomen Mu- 93.
chemetis impoſuit, eodem anno DCCCXXXIII. C.1431.
Edito in lucem filio, nouos ſignari iuſſit aſpros: moxque rurſus ad Monta-
na ſe contulit. Id temporis etiam Hadrianopoli templum, & ibidem in arce veteri
palatium elegans ac delicioſum exſtrui iuſſit, anno Mahumetano DCCCXXXV. C.1432.
Anno autem ſequenti proximo, quum Hadrianopoli degeret, quodā Mer-
curij die, ſub veſperam, vſque adeo lumen ſolis defecit: vt tenebræ terram occu-
parent. Eodem anno cometes etiam caudatus adparuit.
Tunc & Eurenoſis begi filius, Alis begus, in Albaniam copias duxit, irrito 94.
plane conatu. Neque multo poſt, Herzegouinam adgreſſus, ibidem quoque cum 95.
exercitu victus fuit, anno DCCCXXXVI. C.1433.
Hac clade accepta, dum Hadrianopoli Murates Sultanus quieſceret; limi-
tanei duces, præſertim Sinan begus, Iſacus begus, & Turchanes begus, eum ade-
unt, & orant: poteſtatem ſibi faceret, inuadendæ ac depopulādæ Albaniæ. Quod
quum eis conceſſiſſet, ipſe præaltū prope Pruſam montem adiit, quem nūc mon-
tem Calogerorum vocant: vbi æſtatem illam anni DCCCXXXVIII exegit. Inde re- C.1435.
uerſus Hadrianopolim, adductam iuſſu ſuo Bulci filiam matrimonio ſibi iunxit. 96.
Hoc anno rurſus Eurenoſis begi filius, Alis begus, in Albaniam profectus,
maximas prædas egit, & ampla ſpolia reportauit, anno DCCCXXXIX. C.1436.
Murates autem cum exercitu Caramaniam ingreſſus eſt. ſed rebus cum
Ibrahime bego, regionis principe, tranſactis: pax inter eos conſtituta fuit. In redi- 97.
tu caſtrum Buruzen ſibi ſubiecit, anno DCCCXLI. C.1437.
Inde repetiit Hadrianopolim, atque ibi templum ædificare cepit: quum
quodam Veneris die, ſummo mane, primum lapidem manibus ipſe ſuis poſuiſſet. 98.
Poſt hæc in Vngariā irrupit, & ſex in ea caſtellis potitus eſt, anno DCCCXLI. C.1437.
Vnde reuerſus, aliquamdiu a bellis abſtinuit: & inſtituta ſollemnitate maxi-
ma, Sultanum Muchemetem filium circumcidi curauit. Hac feſtiuitate peracta, 99.
Semendriam duxit exercitum, eamque munitionem in poteſtatem redegit, an-
no DCCCXLII. C.1438.
Hinc ad Albam, quam Græcam vocant, acceſſit: ſed quum eam expugnare 100.
non poſſet, abductis copiis, aliud iter arripuit, Nouam adeundo: quam arcem, 101.
cum omni agro finitimo, ſuæ ditionis fecit. Vlterius etiam progreſſi, Romanię be-
glerbegus eunuchus, cui nomen Scachus Abedines baſſa, & Edzes begus, & Iſa- 102.
cus begus omnem illam prouinciam rapinis exhauſtam Muratis imperio ſubdi-
derunt, anno DCCCXLIII. C.14 9.
Sultanus autē Murates, relictis hiſce locis, Hadrianopolim reuerſus eſt: vbi
quum aliquantiſper ſubſiſteret, Meſiti bego id negotii dedit, vt per Valachiam in 103.
Vngariam penetraret, omnemque regionem illam direptam vaſtaret. Sed Meſiti
Vngariam ingreſſo, non ex animi ſententia ſucceſſit expeditio. Quippe cum vni
uerſis copiis ſuis cæſus & interemtus fuit, anno DCCCXLV. C.1440.

104. Eius cladis accepto nuntio, Sophiam Murates Sultanus se contulit: ibique
castrametatus, beglerbegum Romaniæ, Scachum Abedinem bassam, cum vni-
105. uersis Romaniæ copiis, & Acanziis, & Genizaris, expediuit: vt peragrata Vala-
chia, Vngariam popularentur. Eos in Vngarorum fines delatos impressione subi-
ta Iancus inuasit, cæcidit, interemit: ipso etiam beglerbego necato, & eamdem
C. 1441. cum Mesite belli fortunam experto. Contigerunt hæc anno DCCCXLVI.

Caramaniæ begus de hisce Turcorum cladibus certior factus, Anatoliam
cum copiis ingressus, Belulen opidum tentauit. Id vbi significatum Sultano Mu-
rati fuisset, expeditione magna celeritate suscepta, Ibrahimi Caramano bellum
intulit: quo in montuosa loca, præque saxis inuia, dilapso: transactum denique
negotium fuit, & Sultanus Murates Hadrianopolim rediit.

Accepit autem id temporis nuntium de morte filij sui, Sultani Aladinis, qui
106. Amasiæ rebus humanis excesserat. Dum propter illius obitum adhuc in luctu es-
107. set, rex Vngarorum, cum Ianco, & Lazari filio, sese mouit, & cum exercitu ad cli-
suras Issladinas accessit. Aduersus hos profectus Romaniæ beglerbegus Casanes
bassa, cum Turchane bego, & vniuersis Romaniæ copiis, & cum Acanziis, prœlio
cum eis cõgressus est. Sed quum Turchanes begus, amisso vigore animi, præ for-
midine ac desperatione se fugæ dedisset: Casanes bassa cum reliquis militibus,
quotquot aduersus hostem cum eo substiterant, cæsus fuit. Sultanus autem Mu-
rates, perlata ad se rei tam infeliciter gestæ fama, cum omnibus Genizaris, & aulæ
comitatu, Hadrianopoli discessit: & euocatis vndique omnibus ad hãc militiam,
qui arma ferre possent, etiam pedites Europæos magno numero conscripsit. Ge-
rebantur autem hęc hiberno tempore, quum ingens frigus esset. Vbi ad Christia-
norum castra peruentum fuisset, multis vtrimque dimicatum leuioribus prœliis.
Tamdem vero Christianis exercitum abducentibus, etiam Murates itinere con-
uerso Hadrianopolim se recepit: pace prius inter se, Lazarique filium sancita, cui
108. principatum restituit, & ex illo tempore solida fuit amicitia iunctus.

Interea Caramanus Ibrahimes begus Anatoliam, moto bello, turbauit. quod
vbi nuntiatum Sultano fuisset, in Anatoliam transiit: & cum Genizarorum, auli-
ci comitatus, Anatoliæque copiis, Caramanum inuasit; qui mox fuga rebus suis
consuluit. Erat apud hunc in auctoritate maxima Sarumes quidam Iacupes, pro
viro sancto habitus. Is ad Sultanum Muratem ablegatus, inuicem vtrumque sibi
reconciliauit. qua pace confecta, Murates exercitu dimisso, Manissam profectus
est: vbi quum sponte se imperio abdicasset, filium sibi Sultanum Muchemetem
109. substituit, eique Chelilem bassam Vezirem adiunxit, cum Meulana Chusrone,
qui officio Cadilescheri fungeretur: amborum virtuti ac fidei tam filio, quam
C. 1442. prouinciis imperij, commendatis. Id factum anno Mahumetano DCCCXLVII.

Rex autem Vngariæ cum Ianco nouæ semet expeditioni accinxit, ductis
secum Vngaris, Germanis, Bohemis, Polonis, Italis, & Valachis: quorũ omnium
110. ingens erat multitudo, videlicet hominum ad octuaginta millia. Tormenta quo-
que bellica rotis imposita vehebantur, numero quadringenta. Milites ipsi ferro
prorsus armati tectique conspiciebantur. Quumque transmisso ad Albam Græ-
cam Danubio, fines imperij Turcici transgressi fuissent: Materam & Schulium
111. opida vastarũt. Inde promotis ad Nicopolim castris, in omnem illum agrum fer-
ro & igni sæuierunt. Arcem quoque Buruuadam occuparunt, & imposito præsi-
dio munierunt. Quum a Nicopoli copias abducerent, sequutus eos cum suis a
tergo Mechemetes Nicopolis begus, Syrusis begi filius, & agmen extremum ad-
ortus, complures occidit, cataphractos quosdam interceptos ad Portam misit. De
hisce motibus Sultanum Muratem mox Vezires certiorem reddiderunt. Is Ma-
nissæ tum degebat, quo se quietæ vitæ studio non ita pridem contulerat. Quam-
quam vero serius harum rerum nuntium acciperet, tamen ad iter mature se com-
parans, Gallipolim aduolauit: quo iam Itali magna cum classe adpulerant, &
112. quo minus in Europam transmittere posset, impediebant. Quamobrem versus
Constantinopolim cum exercitu profectus est, & e regione illius loci, quo loco
nunc arcis nouæ structura cernitur, mercatorum nauigiis vsus, in Romaniam
transiecit.

transiecit. Quum Hadrianopolim peruenisset, monstrati sunt ei Christiani cataphracti, quos Mechemetes begus ceperat, & illuc miserat. His visis, vultum erigens: Bene nobis res nostræ succedent, ait, propitio Deo. Statimque cum præposti, tam ex Anatolia, quam Romania collecto exercitu, magnaque peditum manu recens conscripta, Hadrianopoli discedens, in hostem recta duxit. Concurrerunt exercitus ad stagnum siue paludem Varnensem, vbi dimicatum inter eos a- 113.
cerrime, multa cum effusione sanguinis. Rex Vngarus ab vno latere pugnabat, ab
altero Michael ille, cognomento Niger: & tanto quidem cum impetu Muratis 114.
inuasere copias, vt hostium vtrumque cornu in fugam propellerent. atque hoc in
conflictu beglerbegus Anatoliæ cæsus fuit. Solus adhuc Murates cum agmine suo 115.
stabat immotus, ceteris ab vtroque latere prostratis, aut fuga dilapsis. Ibi tum Mu- 116.
rates erectis ad cælum oculis, opem sui numinis & Mahumetis implorare, sollici-teque precari, ne se tam præsenti periculo rerum desererent. Quibus precibus ita conceptis, mox aleam prœlij mutatam vidisses. Quippe Rex immodica ferocientis animi temeritate impulsus, in medios Turcos equum adegit, & summo cum nisu Muratis ipsius caput petiit. Dum in hunc modum furibundus progreditur, casu quodam accidit, vt equus regius ad terram prolaberetur. Tum quidam e peditum numero, & alius ex ordine Genizarorum, adcurrentes; equi tendines in-
ciderunt. Itaque rege humi prostrato, mox prouectæ vir ætatis, Chefer begus, qui 117.
tunc adhuc ex Elpia familia superstes erat, ex equo descendens, regi caput amputat, & Sultano Murati offert. Is hoc spectaculo lætus, confestim regiũ caput hastæ iubet adfigi. Quod vbi factum fuisset, hasta in altũ sublata clamari ceptum, regis hoc caput esse. Tum vero Turci, qui prius fugæ se dederant, hoc audito clamore, reflexis equis, rursus ad Muratem confluxerunt. Qua re a Christianis animaduersa, cum reliquis eorum copiis Iancus in fugam se coniecit. Hoc modo victis Christianis, ac fugientibus, Turci eos ab omni parte persequi, ac plurimos occidere. Interea vero Genizari, ac pedites Turcici, currus & impedimenta Christianorum
adorti diripuerunt, & ingenti potiti sunt præda: qua quidem ad Sultanum Mura- 118.
tem adlata, mutuo sibi gratulati sunt, & illum diem in fastos referri iusserunt. Exactumque fuit ab eis totum hoc triduum omni genere hilaritatis. His rebus gestis, imperium Sultanus Murates iterum Sultano Muchemeti filio restituit, & ipse Manissam reuersus est. Muchemetes regno rursus inito, mox aspros nouos signa-
ri nomine suo iussit, anno DCCCXLIX. C.1444.

In ipsis autem Muchemetici regni nouis auspiciis, vrbs Hadrianopolitana tota flammis accensa conflagrauit: & Genizari seditione commota, maiores annonas postularunt: non plebi dumtaxat iniecta trepidatione, verumetiam be-
glerbego Chadumi bassæ mortis intentato periculo: qui vix in arcem ad Sulta- 119.
num Muchemetem elapsus, saluti suæ consuluit. Iterim Genizari per vrbem fœde grassari, & omnia per summam insolentiam diripere: donec tamdem eis annona semisse vnius aspri augeretur, atque ita tumultuantium animi sedarentur.

Compositis hisce turbis, Chelil bassa Vezir, & alij Romaniæ proceres, vnanimi consilio & consensu Manissa Sultanum Muratem iterum ad summam re-
rum arcessiuerunt: qui hoc accepto nuntio, mox ad Sultanum Muchemetem se
contulit Hadrianopolim, & hieme sequenti cum exercitu Moream ingressus est: 120.
vbi quum ciuitatem Geremen expugnatam dedisset excidio, & alia quędam opi-
dula cepisset: abductis copiis, Hadrianopolim rediit, anno DCCCL. C.1445.

Castris Hadrianopoli motis, in Albaniam duxit, & arcem Cotziacum in di- 121.
tione Ioannis occupauit, ac vniuersam regionem rapinis exhausit. Albanorum princeps, Iscodaræ dominus, cum suis cedens aufugit. Itaque Murates magnam regionis illius partem adiunxit imperio suo. quumque Christianorum templa diruisset, ac in messitas commutasset: Turcorum colonias in illa loca deduxit.

His Murate rebus occupato, nuntij aduenere, qui significarent, Vngaros, 122.
Saxones, Boemos, Germanos, & Valachos, maximis coactis copiis, iam ad Albam vsque Græcã adpulisse, progressuros ad ipsos Cosouæ campos. Eius rei fama Sultanus Murates impulsus, Albania relicta, Sophiam summa festinatione accessit,

ibique substitit, in omnem partem intentus, quo scilicet erupturus hic motus esset. Simul expeditis in omnes prouincias litteris, milites vniuersos arma capere, & absque mora in castra conuolare iussit. Fuere denique collecta decem millia Genizatorum, & alia decem millia peditum, qui Turcis Azapi dicuntur. Praeterea magnus hominum numerus ad eum confluxit ex iis, qui a militia ceteroquin erat immunes. Habebant enim Muratem pro viro sancto. Copias ad summam innumerabiles collegit, ab aliis etiam rebus, bello gerendo necessariis, egregie instructus: a tormentis maioribus, inquam, bombardis, hastis, arcubus. Arcessiuit etiam ad hanc expeditionem Sultanum Muchemetem filium, vt in ea patri comes adesset. Interea vero, dum in hostem ipse proficiscitur: Valachi Danubium nauigiis transiciunt, vt omnem agrum Nicopolitanum ferro ac flammis vastarent. sed is conatus ex ipsorum animi sententia non successit. Quippe limitanei proceres in iis locis, Mechemetes begus, & Isa begus, & Vsguris filius, cum Acanziorum co-
123. piis Valachos adorti, multos ex eis interfecerunt. Quod vbi factum Murates accepit, non parum exhilaratus, alacri mox animo versus Cosouae planiciem cum exercitu profectus est. Ducebat enim hominum ad octuaginta millia, tam equitum, quam peditum. Ad Cosouae campos quum peruenisset, obuium habuit Iancum. Quapropter vtrimque pugnandi facto initio, displosa fuere continuo diei noctisque spatio tormenta bellica. Tamdem Iancus in hostem acie producta duplici, Turcos ab vtroque cornu fusos terga dare coegit. Iamque solus adeo comitatus aulicus, Sultano Murate non deserto, locum suum in acie tuebatur. Obiectabant Christianis scuta sua Genizari, tormenta bellica in eos dirigebant, sclopetos obuertebant vndique. Simul a tergo camelis, mulis, & curribus sese munientes, tam fortiter hostis impetum sustinebant: vt Muratem cum hisce copiis suis, Christiani loco summouere nulla vi possent, nec aliqua clade adficere. Quum autem profligati prius a Christianis in vtroque cornu Turci, Christianos armorum onere nimio grauatos animaduerterent: de industria fugam arripientes, insequendi viam eis aperuerunt. Quippe Christiani se mox, instar diluuij cuiusdam, concitatis equis, diffudere. Sed Turci, qui fugam inierant, equorum cursu ad latus inflexo, expeditos & inermes Christianorum milites inuaserunt, quos nudos esse norant, & in eos alacriter acinaces suos strinxerunt. Id illi quum fieri cernerent, celerrime cataphractos equites suos sequuti sunt: quibus vbi iam non esset integrum, in Turcos aciem denuo conuertere: tandem mutuis se vulneribus conficere ceperunt, atque ita solutis & dissipatis ordinibus, exercitus omnis in foedam sese fugam coniecit. Tum vero Turci, quos antea fugisse diximus, hinc inde cōglobati, Christianis a tergo ad ipsam vsque munitionem castrorum inhaeserunt: fuitque deinceps pugnatum vtrimque toto illo die, vsque ad vesperam, & a vespera rursus ad diluculum vsque. Iancus autem, quū ita rē geri videret: astu se ab exercitus Christiani reliquiis e castris subduxit & profugit. Christianis ad extremum victis, Ianci rebus omnibus, cum tormentis, & vniuerso adparatu bellico potiti fuere Turci: quibus ad Sultanum Muratem adductis, vnus alteri porrecta manu, mutuo semet excepere gratulabundi, totumque triduum eo loco quiescentes, veluti festiuitatem quamdam, singulari cum hilaritate celebrarunt. Inde Sultanus Muche-
124. metes ante patrem Hadrianopolim profectus est. Gestae vero fuerunt haec res in
C.1448. Cosouana planicie anno DCCCLIII.

Murates etiam Muchemetem filium sequutus est Hadrianopolim, ibique tempus ad aliquod in otio vixit: ita tamen, vt Romaniae beglerbegum cum co-
125. piis ablegaret, ad exstruendum arcem Gergonim. qua perfecta, Murates in Ana-
C.1448. toliae montana, captandae frigidioris aurae caussa, se contulit; anno DCCCLIII.

126. E montanis reuersus, expeditionem in Albaniam suscepit, vt arcem Beligradensem occuparet. Sed irritus ille conatus fuit, ideoque rediit Hadrianopolim, nec amplius ab illo tempore vlli vel expeditioni, vel bello interfuit: extinctus die quodam Mercurij, qui decimus erat mēsis Mucherenis, anno DCCCLV. quum
C.1450. annis XXXI. imperasset.

Successit patri Sultanus Muchemetes filius in administratione regni, statim-

que 16.

que 16. die dicti mensis exercitum in Caramaniam duxit, & bellum principi Caramano, Ibrahimi bego, intulit. Sed eo non multo post composito, reuersus est Hadrianopolim, atque ibi nouam arcem ædificare cepit, eodem anno DCCCLV. C. 1450.

Anno sequenti proximo, videlicet DCCCLVI, non procul a Constantinopoli, loco quodam a tergo Galatæ opidi sito, munitissimam arcem ad mare condidit. C. 1451. 127.

Absoluto huius arcis ædificio, mãdata cum litteris in omnes prouincias suas 128. expediuit, quibus omnes tam Anatoliæ, quam Romaniæ coegit exercitus, conductis etiam vicies mille peditibus. Genizarorum erant ad decem millia. Conuolarunt & alij complures ad eum, quibus alioqui militandi necessitas nõ incumbebat. Bellica quoque tormẽta fundi iussit, instar draconum. Ita cum omni tormentorum adparatu, tantisque cum copiis Hadrianopoli profectus, castra Constantinopoli admouit: displosisque tormentis, muros, & pinnas eorum, disiecit. Christiani, quotquot vrbi præsidio erant, fortiter illi quidẽ se defendebant: sed vrbem tueri contra vim Muchemetis haud poterant. Is enim, concessa militi licentia, diripiendi Constantinopolim, modo eã occupassent, vsque adeo Turcorũ animos accẽdit: vt magno illam cum impetu inuaderent, oppugnarent, per vim denique caperent. Potiti vero sunt vrbe Turci, die vigesimo mensis Rebuilulæ. Sultanus 129. Muchemetes vrbem captam ingressus, hinc inde per eam obequitauit, obstupescens ad inusitatas ædificiorum formas. Quum in Atmindanem peruenisset, co- 130. lumnam ibi lapideam vidit, cui triplex erat impositus serpens aheneus, idemque triceps. Illum conspicatus, quidnam hoc esset idoli, quæsiuit. Simul in eũ contorta magna vi claua ferrea, quam pusdiganum Turci vocãt, vni de tribus illis capitibus serpentinis labrum inferius comminuit. Quo facto, mox serpentes in vrbe magno conspici cepere numero. Quapropter auctores ei fuere quidam, vt missum deinceps illum serpentem faceret: quando per id simulacrum effectum fuerit, vti serpens in vrbe nullus esset. Hinc ea columna in hodiernum adhuc diem durat. Et quanquam vnius ahenei serpentis inferiore labro deiecto, serpentes in vrbem venerint: nocere tamen nemini possunt. Erat etiã erectus equus aheneus, cui statua quædam equestris insidebat. Vtrumque Muchemetes demolitus est. Fertur autem hac statua pesti præclusus fuisse aditus, quo minus in vrbem penetraret, ac in ea grassaretur.

Occupata Constantinopoli, Anatoliæ montana, recreandi sui causa, Muchemetes petiit: & inde reuersus in Albaniam copias duxit: vbi Siurigen in pote- 131. statem redegit, anno DCCCLVIII. C. 1453.

Anno sequenti, Nouam cum copiis adgressus, cepit. Quippe Christiani rur- 132. sus hac potiti fuerant. Factum hoc anno DCCCLIX. C. 1454.

Secundum hæc, ad Albam Græcam exercitum adduxit: sed quum eam ex- 133. pugnare non posset, abscessit. Periit ibi Dais Caratzes bassa, qui beglerbegi mu- 134. nere fungebatur. Eodem anno DCCCLX conspecti sunt duo cometæ, versus ori- C. 1456. entem solem vnus, alter ad occasum.

Constantinopolim reuersus, magnam celebritatem Muchemetes instituit, dum Baiasitem filium circumcideret, anno DCCCLXI. C. 1457.

Deinde coacto exercitu, in Moream abiit, & vrbem Gordum, cum opidulis quibusdam, cepit; anno DCCCLXII. C. 1458.

Postea Semendriæ copias admouit. Rex autem Bozinensis sponte sua Se- 135. mendriæ deditionem fecit, anno DCCCLXIII. C. 1459.

Hinc rursus in Moream profectus, multa castella cum opidulis occupauit. Id temporis, die quodam Veneris, primo diluculo, sol adeo lucem suam amisit: vt omnia tenebris inuoluerentur, anno DCCCLXIV. C. 1460.

Transmisit autem secundum hæc vniuersis cum copiis in Anatoliam, vlteriusque progressus, Castamonem, Sinopen, & Tarabosanem ciuitates occupauit: 136. imperio suo regionibus illis omnibus adiunctis. Vnde deinceps Hadrianopolim rediit, & in otio tempus ad aliquod se recreauit. Acciderunt hæc anno DCCCLXV. C. 1461.

Rursus expeditione suscepta, Valachiam ingressus est, & Vaiuodam Valachiæ, cui nomen Dracoles, magno cum exercitu inuasit. Hoc bello Vaiuoda Va- 137.

lachus consilium cepit opprimendi castra Muchemetis nocturno tempore, sed
parum efficere potuit. Ideoque non succedente conatu profugit in Vngariam: v-
bi quum in manus regis Vngari peruenisset, carceri mancipatus fuit. Interea ve-
ro Valachiam sibi Sultanus Muchemetes subdidit.
138. Misit & classem in insulam Mitylenen, eiusque belli caussa etiam ipse relicta
C.1462. Valachia Anatoliam adiit. Occupata vero fuit insula Mitylene anno DCCCLXVI.
139. Ex Anatolia Constantinopolim se contulit, vbi quędam ædificia curauit ex-
140. strui: & Machmutem bassam, Vezirem suum, in Moream ablegauit. Is aliquot
C.1463. ibidem opidula cepit, anno DCCCLXVII.
Secundum illa productis Muchemetes copiis, Bozinam adortus est, & o-
141. mnem illam regionem in potestatem redegit, regemque captum occidit. Inde
sub iugum ab eo missa fuit Herzegouina, cum Couadza: quibus rebus gestis, iti-
C.1464 nere conuerso, Constantinopolim repetiit, anno DCCCLXVIIII.
C.1465. Annus autem sequens DCCCLXX, exactus ab eo Constantinopoli fuit in otio.
142. Sed in Albaniam deinde profectus, ditionem ducis Ioannis istic imperio suo sub-
iecit. Quum autem id temporis exercitum ipsius dira quædam lues inuasisset, ipse
C.1466. Philippopolim adiit, ibique se quieti dedit, anno DCCCLXXI.
Philippopoli discedens, rursus in Albaniam perrexit, maioremque prouin-
C.1467. ciæ partem occupauit, anno DCCCLXXII.
Ex Albania profectus in Anatoliam, Caramaniæ fines ingressus est, & arcem
Giolchisarem expugnauit: vnde postea Constantinopolim reuersus, aliquandiu
C.1469. bellicis a negotiis abstinuit, anno DCCCLXXIII.
Non multo post, vt otij sane diuturnioris erat impatiens, ipsemet itinere ter-
restri profectus est versus Egripon: quum Machmutem bassam eodem ablegasset
cum classe, duodecim millibus hominum instructa. Posteaquam huc adpulissent
copiæ Turcicæ, Christiani seque fortunasque suas egregie propugnabant. Sed
quum tamdem muri tormentorum impetu pulsati corruissent, non arce tantum,
& ciuitate, per vim potiti fuere Turci: verumetiam omnem finitimam regionem
C.1470. Muchemetis imperium accipere coegerunt, anno DCCCLXXIIII.
Egripo deuicta, Constantinopolim se recepit, & aspros nouos signari iussit,
C.1471. anno DCCCLXXV. Dum Constantinopoli Muchemetes quiescit, Vsumchasanis
143. Parthorum regis militię dux, cui nomen Iusufzes begus, cum exercitu se mouit, &
magnam illam vrbē Armeniæ Tocatam populatus, in Caramaniam venit. Erat id
temporis Sultanus Mustaphas iis locis a patre Muchemete præfectus. Is collecto
exercitu, Parthis obuium se dedit, eosque fudit, Iusufze bego capto, & Constanti-
C.1473. nopolim ad patrem Muchemetē misso: quod quidem euenit anno DCCCLXXVII.
Tum vero Muchemetes ad arma se parans, Anatoliam adiit: & mandatis
hinc inde missis, vt omnes milites ad ipsum in Anatoliam se conferrent, edixit. Pe-
ditum ad viginti millia in armis esse iussit, & Genizarorum numeros ad decem vs-
que millia suppleri: quum aulicus etiam comitatus decem hominum millia com-
plecteretur. Ad summam, coactus ei fuit exercitus, qui numerum LXX vel LXXX
millium excederet. Cum hoc ergo milite versus Parthiam profectus, Vsumcha-
sani regi bellum intulit: sumtis etiam secum in hanc expeditionem filiis, Sultano
Baiasitē, Sultano Mustapha, & Sultano Zeme. Progressus autem cū suis in Asiam,
non plura dumtaxat occupauit opida: verumetiam sublimi sitam loco, munitam-
144. que insigniter arcem, Carachisarem cepit. Vsumchasanes obuiā Muchemeti non
prodiit, sed astu quodam excogitato, militē suum hinc inde partitus, in insidiis lo-
cauit. Et quia primā aciem in exercitu Muchemetis Romaniæ beglerbegus, Chas
Murates, ducebat: forte accidit, vt inopinato quasdam in Persarum copias inci-
deret, ac manum cum eis conferere cogeretur. Ibi quum maiores Parthorū vires
essent, dissipatus Romaniæ miles, & ipse beglerbegus occisus fuit. Interea vero dū
Parthi primam hāc Muchemetis aciem cęderent: etiā ipsi, desertis ordinibus suis,
hostem confusi persequuti, tamdem ad illam peruenerunt aciem, cuius ipse Sul-
tanus Muchemetes dux erat. Is autem Parthorum perturbatos conspicatus ordi-
nes, cum suis eos adortus est. q̄ a Muchemete fieri videns Vsumchasanes, magno
animi

animi ardore concitatus, & ipse sua in Turcos duxit agmina. Permistis vtrimque
tantis exercitibus, acerrimum prœlium commissum fuit: quum Muchemetis filij
suis cum copiis grauissime Parthos vrgerent, & in altero cornu Machmutes bassa,
cum Daute bassa, Anatoliæ beglerbego, tormentis bellicis hostẽ vehementer ad-
fligeret. Etiam Vsumchasanis vni de filiis caput amputatũ, & Sultano Muchemeti 145.
oblatum fuit. Quum ergo Parthi talem ac tantum impetum, pręsertim tormento-
rum bellicorum, amplius sustinere non possent: Vsumchasanes cum suis vniuer-
sis fugæ se dedit, in qua magnam exercitus partem amisit. Fuerunt & castra Par-
thi, cum impedimentis, direpta: Turchanisq; begi, Omeri filius begus, qui capti-
uus in castris hostium custodiebatur, libertatem recuperauit. Plena deniq; Sulta-
nus Muchemetes de Parthis victoria potitus est, idq; factum anno DCCCLXXVIII. C.1474.

Hoc tam illustri prœlio pugnato, Constantinopolim Sultanus Muchemetes
rediit; & ipse quidem ab armis abstinuit, sed interim Soleimanem bassam eunu-
chum, Romanię beglerbegum, magna cum militum manu versus Iscodaram mi-
sit. Soleimanes eo profectus, diu tormẽtis rem acriter egit: & quamquam ab vtra-
que parte magna periret hominum multitudo, potiri tamen Iscodara non potuit,
sed infecta re copias abduxit. Sub id tempus Vezirem suum, Machmutem bas-
sam, in frusta concisum, interfici Sultanus Muchemetes iussit.

Soleimanes autem bassa, quum abiecta spe capiundæ Iscodaræ, militem in-
de reduxisset; in Moldauiam profectus est. Ei confestim Vaiuoda Moldauię cum 146.
exercitu suæ gentis occurrit. Pede collato, pugnatum inter eos animose. Verum
quod partim in oppugnatione Iscodarę Turcici milites defatigati vires amisissent,
partim etiam ipsis Moldauiam ingredientibus, ingens ea loca frigus occupasset:
alacritate animorum exstincta, parum fortiter in hostem pugnarunt, & a Molda-
uo Vaiuoda cæsi profligatique sunt, anno DCCCLXXIX. C.1475.

Interim Constantinopoli quiescens a rebus gerendis Sultanus ipse Muche-
metes, Vezirem suum, Geducem Achmetem bassam, per id mare, quod Nigrum 147.
adpellant, Cofen cum classe misit, insigni militum exercitu instructa: quo in exer- 148.
citu Azaporum erant ad decem millia, totidemq; millia Genizarorum. Eo quum
peruentum fuisset, obsessa ciuitas Cofe, cum finitima regione Muchemetis in po-
testatem venit. Quin & illi Tatari, quos Kerimos vocant, & alij, qui totius pro-
uinciæ Destensis incolæ sunt, Turcis se dediderunt. Atque hoc modo Gedcces
Achmetes bassa regionem illam vniuersam Sultani Muchemetis imperio subie-
cit, anno DCCCLXXX. C.1476.

Secundum hęc coactis Muchemetes omnibus suis copiis, in Moldauiam ex-
peditionem suscepit. Eam regionẽ ingresso, Vaiuoda Moldauus occurrit, ac stre-
nue quidem ille cum Muchemete pugnauit: sed prœlio victus, ditione sua exces-
sit, & cum reliquiis militum suorũ aufugit. Tum vero Turci agrum illum omnem
diripere, secumque captiuos abducere, quotquot nancisci poterant, incolas. In-
de Muchemetes relicta Moldauia, profectus est ad amnem Morauam Iis in locis 149.
Vngari munimentum & arcem quamdam exstruxerant, quam Muchemetes
quum occupasset, Constantinopolim reuersus est, anno DCCCLXXXI. C.1477.

Dum in Vrbe, nullis impeditus belli negotiis, pace fruitur: muro nouam ar-
cem Vrbanam cingit. Præterea beglerbegum Romaniæ, Soleimanem bassam,
cum copiis in Moream ablegat. Sed illi parum hęc expeditio prospere cessit. ideo-
que relicta Morea, maluit Vngariam adgredi. Quum ne istic quidem ex voto rem
gereret, tamdem graui adfectus est clade, maioremque partem exercitus amisit,
anno DCCCLXXXII. C.1478.

Tum vero Sultanus Muchemetes, qui diutius vitam otiosam agere non pos-
set, expeditione instituta, semet ad oppugnandam Iscodaram contulit. Fortiter ei
restitere Christiani, magnamq; Turcorum multitudinem occiderunt. Ad extre-
mum, quum hac oppugnationis via nihil efficere posset: exstructis vndique, com-
munitisque castellis ligneis, abscessit. Hoc modo quum fessi diuturnæ obsidionis
tædio Christiani, etiã cum inedia, ceterarumq; rerum necessariarum penuria cõ-
flictati, debilitarentur; nec vlla iam ipsis alicunde spes soluendæ obsidionis adful-

geret: ita cum Turcis transegerunt, vt salui ipsi facultatibus suis inde migrarent,
C.1479. & Iscodaram Turcorum potestati permitterent. Factū hoc anno DCCCLXXXIII.
Quo tempore Sultanus Muchemetes Iscodara discessit, Constantinopolim
ad quietem se recepit. Nihilo minus duces suos, quorum indicaturi nomina su-
150. mus, multis cum millibus Acanziorum in Vngariam expediuit: Alim videlicet
begum, Michalis filium, & Isam begum, Chuseinis filium, & Balim begum, Mal-
cozij filium. Quia vero res hostium suorum Vngari quam exploratissimas habe-
bant, inopinato Turcos adgressi, prœlio cum eis acerrimo confluxerunt: quo Isa
C.1480. begus interemtus fuit, ceteris dissipatis & cæsis, anno DCCCLXXXIIII.
Nihil hoc anno rerum Sultanus ipse Muchemetes egit, sed interim tamen
151. Vezirem suum, Mesitem bassam, multis cum millibus hominum, ac præpotenti
cum classe, mari ablegauit: vt insulæ, ciuitatique Rhodo bellum inferret. Obsedit
autem Mesites Rhodum, sed expugnare non potuit: ideoque maximo cum detri-
mento & iactura rerum obsidionem soluere coactus fuit. Tum temporis alterum
quoque Vezirem suum, Geducem Achmetem bassam, valido cum exercitu, ma-
152. gnaque classe, Muchemetes in Italiam misit. Is Otrantum in ea ciuitatem occupa-
C.1481. uit, anno DCCCLXXXV.
Secundum hæc reliquit Sultanus Muchemetes Constantinopolim, & in A-
natoliam trans mare profectus, die mensis Rebuilulæ tertio, qui tum Iouis erat,
153. circa vesperam, in Teggiurum prato mortem obiit. Exstincto autem Muchemete
Constantinopolim reuersi Genizari, vrbem diripuerunt. Die vero XIX mensis
Rebuilulæ filius eius, Sultanus Baiasites, Amasia Constantinopolim adpulit: &
occupata sede regia, patris loco salutatus est imperator.
1.. Vix Constantinopoli paucis diebus hæserat, quum frater eius, Sultanus Ze-
mes, ductis e Caramania copiis, Prusam adiit, ibique domicilium sibi constituit.
Sultanus vero Baiasites, arcessito ex Apulia cum exercitu Geduce Achmete bas-
sa, magnisque ceteroquin etiam collectis copiis, aduersus Zemem fratrē in Ana-
toliam mouit. Quum prœlio congressi fuissent, inferior discessit Zemes, ac mox
in Caramaniam profugit: vnde quum eum Sultanus Baiasites expulisset, itinere
conuerso, Constantinopolim repetiit. Inde Geducem Achmetem bassam in Ca-
ramaniam remisit, qui dum istic hæreret, Apuliam Itali recuperarunt: Turcis o-
mnibus, qui Otranti præsidio relicti fuerant, in captiuitatem redactis, anno
C.1482. DCCCLXXXVI.
Rursus autem Constantinopoli Sultanus Baiasites discessit, & in Carama-
155. niam cum exercitu venit. Quippe frater eius Zemes e peregrinatione Mechiensi
iam reuersus fuerat. Itaque denuo commisso in Caramania prœlio, Sultanus Ze-
mes iterum victus ad mare profugit, & in Italiam se recepit. Hinc castris motis,
Cōstantinopolim Sultanus Baiasites abiit, atq; inde profectus est Hadrianopolim.
156. Nocte sexta mensis Scheualis, omnes ad se Vezires suos inuitauit, vna cum
Geduce Achmete bassa: quo quidem in conuiuio vinum cum eis hausit, & vni-
cuique Veziri vestem donauit, excepto Geduce Achmete bassa: quem & interfi-
C.1483. ci iussit, anno DCCCLXXXVII.
157. Eodē tempore mortuus est Caramani principis filius, Casanes begus, quem
in comitatu suo Baiasites alebat.
Hinc suscepta Baiasites expeditione, Sophiæ tempus ad aliquod substitit, vbi
magnam militum manum collectam habebat. Horum maiorem partem ad flu-
uium Morauam misit, ibique duas arces veteres communiri iussit. Quibus expe-
C.1484. ditis, Sophia Constantinopolim reuersus est, anno DCCCLXXXVIII.
Mense Rebiulula, die quodam Martis, vrbs Hadrianopolitana, cum omni-
158. bus ad distrahendas merces, exstructis ædificiis, igne conflagrauit. Ibidem etiam
159. id temporis Baiasites Xenonem condere propter flumen cepit. Inde castris Ha-
drianopoli motis, Moldauiam transiit, & arcem Chilim occupauit. Neque multo
post, die quodam Mercurij, etiam arcem Chermen, iisdem in finibus sitam, in po-
testatem redegit. Atque omni hoc agro potitus, mutata profectione, Hadriano-
C.1485. polim rediit, anno DCCCLXXXIX.
Tunc

Tunc & lumen solis defecit, & Sultanus Baiasites versus loca montana, re-
creandi sui causa, se contulit. Heic eum adiere legati tres, quorum vnus ex India
missus fuerat, alter Alcairo, tertius ex Vngaria: quos quidem ordine perorantes
audiuit, & postulatis adsensus, liberaliter donatos dimisit.

Postea profectus est Alis begus Eunuchus, qui beglerbegi munus admini-
strabat, magno cum exercitu in Valachiam: conciliatoque sibi Vaiuoda Valacho,
cum suis & Valachi copiis in Moldauiam irrupit: ac rapinis, ferro, flammis, vasta-
uit omnia: spoliis onustus denique rediit Hadrianopolim, anno DCCCXC. C.1486.

Sultanus interim Baiasites domi quiescēs, duces suos, Ischenderem begum,
& Balım begum, Malcozij filium, ablegauit: vt denuo Valachiam ingrederentur,
& Vaiuodæ Valacho persuaderent, vti coniunctis secum armis iterum in Molda-
uiam impressionem faceret. Adsentiente Valacho, mox ea suscepta fuit expedi-
tio: totaque regione direpta, magna cum præda discessum.

Dum hęc in Romania gererentur, Alcairi Sultanus ab vna parte se commo- 160.
uit cum suis, quos inter erat Vsunes Vsbegus; & suas, suorumque copias in locis
Adanis ac Terso interiectis, collegit: ab altera Sultani Baiasitis parte, Sangiachi A-
natoliæ, itemque Ferhates begus, Sultani Baiasitis gener, Caramaniæ beglerbe-
gus, Caragosa begus, congregati; iunctis exercitibus, contra Sultaninos Alcairen-
ses profecti sunt. Vbi ventum ad manus esset, ab vtraque parte sane quam viriliter
dimicarunt. Sultanini denique Baiasiticos terga dare coëgerunt, ipso etiam Baia- 161.
sitis genero, Ferhate bego, interemto.

Non multo post edixit Baiasites, vti Muchemetes begus, Cheseris begi fi-
lius, cum Ducis filio, qui beglerbegus Romaniæ creatus erat, Romaniæ copias in
Anatoliam transijcerent: & adsumto Anatolico milite, Sultanum Alcairi bello in-
uaderent. His igitur Baiasitis imperio parentibus, recta petitus hostis: qui quum
& ipse paratus ad dimicandum esset, vtrimque concursum acerrimo prœlio, quo
Ducis filius, Achmetes bassa, cum equo prolapsus, in Sultaninorum manus venit: 162.
& deductus ad Vsbegum, custodiæ traditus fuit. Ingentem Baiasitici cladem id
temporis acceperunt, quæ Baiasiti significata quum fuisset: Vezirem suum, Dau-
dem bassam, præpotenti cum exercitu contra Sultanum Alcairi misit. Minime
vero territi Sultanini, mox ei cū suis obuiam progressi sunt. Daudes illis haud oc-
currendum ratus, mature capto mutandæ profectionis consilio, retro duxit exer-
citum. Adiit hoc in itinere Daudem Aladeules Dulgadiris dux, cui magnum ipse 163.
honorem exhibuit. Postea quam a Sultaninis se Daudes auertisset, Varsacensem
ditionem ingressus, proceres partim in vincula coniecit, partim occidit, partim
interueniente transactione recepit in gratiam, fortunisque suis restituit. Turgu-
tensis prouinciæ proceres saluti suæ fuga consuluere. Tandem tamen impetrato
saluo commeatu, Daudem bassam adierunt, & pace cum eo sancita, sacramētum
præstiterunt. His effectis rebus, Daudes exauctorato milite reuersus est ad Sulta-
num Baiasitem, qui tunc in regione Visenahiesi degebat.

Venit id temporis ad Baiasitem legatus ex Vngaria, vir eximiæ dignitatis,
cui nomen Iachoschicius. Is ad Sultanum adductus, & perbenigne fuit auditus. 164.
Expedita legatione, vestem a Baiasite dono, pro more gentis, accepit: & admo-
dum honorifice benigneque dimissus fuit. In itinere vero, quo domum rediturus
erat: quum iam Semendriæ fines attigisset: quidam eques Turcicus, vir milita-
ris, cui nomen Gases Mustaphas, & qui forte tum temporis istic erat, equo con-
scenso, legatum adgressus est, & acinace suo tam grauiter vulnerauit, vt confe-
stim ibi mortem oppeteret. Id vti faceret, hæc eum impulerat causa, quod quum
aliquando legatus ille Gasim Mustapham cum fratre captiuum detineret, Musta-
phæ fratrem veru transfixisset; ipsumq; Mustapham coëgisset, vt hoc modo trans-
fixum veru fratrem germanum assaret: excussis eidem Gasi Mustaphæ 32 denti-
bus suis. Hac ergo de causa repertum ibi legatum occidit, quamquam & ipse Ga-
ses Mustaphas eodem loco vulneribus confectus viuendi finem fecit. Acciderunt
hæc anno DCCCXCI. C.1487.

Secundum hæc profectus ex Anatolia Sultanus Baiasites, Cōstantinopolim

venit: & missis hinc inde per omnes prouincias suas mandatis, ex Anatolia Ro-
165. maniaque magnum coëgit exercitum, eumq; misit versus Arabiam: summo co-
piarum omnium imperatore designato, Ali bassa eunucho. Is vbi cum milite per-
uenisset ad ciuitatem Adanorum, arcem vrbis instaurauit, refecit, communiuit:
C.1489. & aliis quibusdam opidis captis, præsidia imposuit, anno DCCCXCIII.
Interea dum his arcibus occupandis & exstruendis intenti sunt Baiasitici, et-
iam ab altera parte Sultanini expeditione suscepta, in hostem profecti sunt. Con-
gressis exercitibus, vehemens commissum fuit prœlium. Ac tametsi Sultanino-
rum acies tamdem solutæ dissiparentur, non tamen passus est Alis bassa militem
suum a tergo eos persequi: quod vereretur, ne belli se conuerteret alea: simulque
putaret, satis se consequutum gloriæ, qui tam feliciter hostiles copias disiecisset:
cauendum denique censeret, ne sui nimio labore defatigarentur. Ideoque motis
hinc castris, domum militem suum reduxit. Postquam vero Baiasitici discesse-
rant, Sultanini suis denuo collectis, Adana Tersumque ciuitates obsidione cin-
xerunt: quibus quum potiri nō possent, copias inde suas abduxerunt. Verum non
multo post, tormentorum & aliarum rerum adparatu instructi, rursus adorti sunt
Adana, & expugnatam vrbis arcem diruerunt, atque ita domum reuersi sunt, an-
C.1490. no DCCCXCIIII.
Tunc & die quodam Iouis, circa meridiem, Constantinopoli terra mota
tremuit, & multa corruerunt ædificia. Fuit & Prusæ tantum incendium, vt vrbis
regiones XXV flammis absumerentur.
Baiasites magnam rursus militum manum collegit, & in Anatoliam transmi-
sit, dato eis duce Ischendere bego, Michalis filio: cui præcepit, vt Aladeuli Dul-
gadiris duci bellum inferret. Hi quum ducis fines ingressi fuissent, rerum suarum
securi, tutos omnino se putabant. Ibi tum eos ex improuiso adortus Aladeules,
duobus Ischenderis begi filiis interfectis, ipsum etiam Ischenderem viuum cepit,
166. & Alcairum Sultano misit. Hac clade accepta, nihilominus insigni Baiasites ma-
gnificentia trium filiarum nuptias celebrauit: quarum vna data fuit vxor Vsum-
chasanis filio, altera Vsgurlis e filio nepoti, tertia Daudis bassæ filio. Post eas nu-
ptias, denuo litteris hinc inde missis, conuenire milites iussit: qui dū indies ad eum
confluerent, forte legatus ab Alcairensi Sultano missus aduenit. Eum Baiasites in-
auditum iussit abscedere.
Hoc tempore Constantinopoli, die quodam solis, primo diluculo, pluere
cepit: sequutoque tonitru, tactum de cælo templum fuit, in quo puluis tormenta-
rius magna cum nitri copia reconditus erat. Hac inflammata materia, templum
ipsum e fundamento disiectum fuit, & ignis vrbem peruagatus, nō plurima dum-
taxat ædificia, verumetiam quinque hominum millia, cuiusuis ætatis & sexus
absumsit.
167. Ab altera parte Sultanini rursus expeditione suscepta, Larendam captam di-
reptamq; succenderunt, & in cineres redegerunt: aliisque præterea spoliatis opi-
dis ac vicis, domum rediere. Periit ibidem & Iacupes begus, Vsumchasanis filius.
Acciderunt autem hæc anno DCCCXCV.
Baiasites hisce de rebus certior factus, Constantinopoli discedens, Gumul-
zinam abiit, ac venando semet oblectauit. Gumulzina relicta, Ypsalam se contu-
lit, ibique paucis diebus exactis, Constantinopolim rediit. Venit huc ad eum le-
gatus alter, Alcairo missus: quem perhumaniter exceptum, & amplissimis dona-
tum muneribus, bona cum pace dimisit. Neque multo post, etiam ipse quemdam
C.1491. e suis Alcairum ablegauit, anno DCCCXCVI. Quum is Sultani Baiasitis legatus Al-
cairum venisset, pax inter eos sancita fuit: & Sultanus Alcairensis Baiasiti Tersum
168. atque Adana, cum opidulis eodem pertinentibus restituit.
Hoc tempore mortuo Vngariæ rege, successor eius legatū ad Sultanum Baia-
sitem misit. Huius postulata quum audisset, pacem Baiasites cū Vngaro fecit. Eo-
dē anno rursus exorto Prusæ incendio, magna pars vrbis, cum tabernis mercato-
rum plurimis, conflagrauit. Misit etiam Sultanus Alcairi legatū cum amplissimo
C.1492. comitatu ad Sultanū Baiasitem. Referenda vero sunt hæc ad annum DCCCXCVII.
Secundum

Secundum illa discessit Constantinopoli Baiasites, & Hadrianopolim pro-
fectus, extra vrbem castra metatus est, ac ibidem ad aliquot dies hæsit. Quodam
vero die Vezires suos adloquutus; habere se in animo dixit expeditionem quam-
dam difficilem; gerendum cum Vngaris bellum intelligens. Ideoque coactis vni-
uersis copiis suis, Hadrianopoli Sophiam profectus est. Non tamen Vngariam 169.
ingredi fuit ausus, sed Achmete bego cum milite Anatolico Sophiæ iusso subsi-
stere, Daudem bassam cum parte copiarum Vscopiam misit: ipse cum Iochia
bassa, & cum milite Romaniæ, Manastirum abiit: atque inde in Albaniam, du-
cisque Ioannis regionem se contulit. Expediuit & mari naues quasdam, vt Alba-
norum itinera præcluderentur. Hæc quum Albani animaduerterent, ad montes
se receperunt, & in eis ita se communierunt: vt magnum inde Turcis detrimen-
tum inferrent. Ad extremum tamen Turci, conscensis locis altioribus, in eos ir-
ruerunt: & viris interfectis, mulieres ac pueros abduxere captiuos, omnemque
regionem illam flammis vastarunt. His rebus gestis, Manastirum Baiasites rediit,
ac diebus aliquot ibi substitit. Manastiro quum discederet, obuium habuit in iti- 170.
nere deruisium quemdam Turcicum, geponeci lacinia tectum. Is & auribus, & 171.
collo, & brachiis adpensos anulos ferreos gestabat, & illorum sectam profiteba-
tur, quos Calenderes Turci vocant. Vbi propius ad Sultanum Baiasitem accessis- 172.
set, acinacem gepeneco tectum strinxit, ipsum Baiasitem inuasurus. Quum timi-
diores quidam e Zausiis illi de via cederent, liberum iam scilicet ad Baiasitem ha-
bebat aditum. Sed Ischender bassa, qui præsens aderat, ea vi pusdiganum in ho-
minem contorsit; vt humi prolaberetur. Inde prostratum adgressi quidam, in fru-
sta dissecuerunt. Tamdem Baiasites Hadrianopolim peruenit. Acciderunt hæc
anno DCCCXCVIII. C. 1493.

Quidam id temporis eunuchus, cui nomen Iacupes Aga, commendatam
fidei suæ Bozinensem prouinciam administrabat. Hic missis hinc inde per Ro- 173.
maniam præconibus, proclamari iussit: velle se cum suis in Vngariam irruere. Si
cui secum proficisci luberet, vt illa impressione rem faceret; is vti quamprimum
ad se veniret. Hoc intellecto præconio, Acanziorum aliquot millia se cum Iacu-
pe coniunxerunt: qui tantis auctus copiis, Vngariam inuasit. Eis occurrit Vnga- 174.
ricus Banus, cum quadraginta millibus hominum, magnaque vi Turcis obstitit.
Tamdem ipsi dissentientes inter se Vngari, terga dederunt: captusque Direnzi-
les Banus ac vinculis constrictus, ad Sultanum Baiasitem missus fuit. Is rei tam
bene gestę nuntio multum exhilaratus, ad tempus aliquod Constantinopoli quie-
uit. Euenerunt autem hæc anno DCCCXCVIIII. C. 1494.

Posteaquam Baiasites, a rebus gerendis abstinendo, satis diu se recreasset:
collectis iterum copiis, Moream ingressus, ad Inebechtim accessit, etiam classe 175.
instructa, quam eodem adpellere iussit. His quum Italica classis occurrisset, com- 176.
misso nauali prœlio, tamdem Itali remisso pugnandi ardore, discesserunt. Itaque
videntes Inebechtij, se terra pariter, & mari obsessos; aliquamdiu quidem se de-
fendere fortiter: sed animaduerso, nihil amplius opis ac præsidij sibi reliquum,
primatibus egredi iussis, claues vrbis Sultano Baiasiti per eos obtulerunt: atque
hoc modo vrbem ipsius potestati permisere, anno DCCCCV. C. 1499.

Potitus Inebechti, præsidium vrbi captæ imposuit: & Hadrianopolim re-
uersus, ibidem hibernauit. Vbi iam æstas adpetiisset, coactis Romaniæ Anatoliæ-
que exercitibus, denuo Moream inuasit, magna etiam mari classe ablegata, Me-
thonemque militum corona circumdedit. Qui erant in vrbe Christiani, adeo se
defendere strenue; totius vt mensis spatio, citra intermissionem, interdiu noctuq;
dimicaretur, muris ipsis tormentorum impetu disiectis. Videns autem Baiasites, 177.
vrbem a Christianis egregie propugnari: commotus ira, suis spem vrbis diri-
piendæ fecit, siquidem illa potirentur. Hac Sultani voce milites audita, quodam
die, quum iam aduesperasceret, vehementissima vrbem oppugnatione adorti
ti ceperunt: omnesque mares, quotquot adoleuerant, occiderunt; mulieribus
& pueris captis. Hoc modo redacta in potestatem Methone, preces a Turcis in ea
fuere conceptæ, quæ die veneris haberi solent. Inde Baiasites Coronen copias

duxit, vt illam quoque ciuitatem obsideret, & occuparet. Sed prima statim nocte,
postquam Methone discesserat, venerunt in castra Baiasitis Coronenses: oblatis-
C.1500. que clauibus vrbis, deditionem fecerunt, anno DCCCCVI.
178. Dum his vrbibus expugnandis intentus esset Baiasites, Veneti auxiliis Hi-
spanorum impetratis, magna classe Mitylinen adgressi sunt, & tormentorum bel-
licorum vi muros opidi ad quingentas vlnas vsque prostrauerunt. Mitylinenses
ab hostibus obsessi, Constantinopolim misere, qui opem poscerent. Itaque colle-
ctis subito classiariis copiis, insignis exercitus naualis instructus fuit. Nunquam
ante hoc tempus Constantinopolitani vel pecunias, vel milites, vel classiarios
conferre coacti fuerant. Sed tam graui tunc vrgente necessitate, non hæc dum-
taxat ab eis exacta fuere: verumetiam vsu receptum, vt deinceps quoque, rebus
ita poscentibus, eadem ab ipsis præstentur. Ante, quam classis illa Constanti-
nopoli profecta, Mitylinen adpulisset: iam Christiani decies & octies opidum
adorti, non tamen expugnare potuerant. Itaque quum intellexissent Veneti, ve-
nire Constantinopoli talem ac tantam contra se classem: naues suas ingressi, dis-
cessere. Constantinopolitani vero Mitylinen delati, muros ab hoste dirutos refe-
cerunt, atque ita domum reuersi sunt. Ad extremum eo redactæ fuerunt Vene-
torum res, vti muneribus delenito Sultani Baiasitis animo, pacem cum eo face-
C.1501. rent, anno DCCCCVII.
Baiasites e Morea Constantinopolim profectus, ita totum se dedit otio: plu-
ribus vt annis expeditionem plane nullam susciperet.
C.1509. Anno DCCCCXV, hora secunda noctis cuiusdam, Martis diem sequutę, terra
Constantinopoli vsq; adeo moueri cepit: vt turres aliquot templorum Turcico-
rum corruerent, ipsorumque templorum testudines partim rimas agerent, par-
tim humi collaberentur. Ædificiorum vero priuatorum camini siue infumibula
deiecta sunt, & parietes partim fissi, partim prostrati. Pinnæ murorum vrbis ad ter-
ram præcipitarunt, ipsaque mœnia cum turribus suis conciderunt. Pluribus deni-
que magnifici operis ædificiis vsque ad fundamenta euersis, magna hominum
multitudo sub ipsis exstincta fuit ruderibus. Quo se conferret, norat nemo. Plebs
vrbana suis ex ædibus migrans, partim in plateas, partim in areas ædium, partim
in hortos se recipiebat: ne scilicet a corruentibus ædificiis opprimerentur. Quip-
pe totam illam noctem primam terra tremere non desiit. Quumque somnum o-
culis nemo videret suis, omnes & numinis, & Mahumetis opem votis adsiduis
implorabant. Terræ motus hic denique continuis quadraginta diebus in horas
singulas sentiri potuit. Quum autem remisisset, expeditis Baiasites per vniuersam
Anatoliam Romaniamque mandatis suis; vti sarchores, hoc est, mercennarij &
opifices Constantinopolim mitterentur, edixit. Confluxerunt ad vrbem fabro-
rum, tam cæmentariorum, quam lignariorum, opificumque mercennariorum
ad octuaginta millia: quibus id datum negotij, vt accepta mercede, collapsa vrbis
ædificia reficerent ac instaurarent. Præfectus a Baiasite fuit operariis hisce Ionu-
zes Aga, Genizarorum tribunus: qui & inspector, & exactor operarum, summa
cum potestate, suis cum Genizaris, esset. Interim ipse, quietis capiendæ causa, se-
met Hadrianopolim contulit.
179. Erat id temporis in prouincia Tekiensi vir quidam primarius, cui nomen
Chasanes Chelifes. Is filium habebat, qui Scachoculis adpellatus fuit, & totis sex
vel septem annis ita latuit, vt numquam prodierit: qua quidem de causa fuit ha-
bitus pro viro sancto. Eidem Baiasites quotannis septem asprorum millia suam
in speluncam mittere solebat, quum ignoraret, eum & sectæ alterius, & Kise-
lem bassam esse. Hic ergo, quo tempore Constantinopoli strenue laborabatur
in vrbe reficiunda, suis illis e latebris & cauernis tamdem prodiit: & adiutus
180. opera suorum quorumdam complicum, die quodam solis vrbem Antaliensem
ingressus est: quod eo facilius tum fieri potuit, quia commodum id temporis illic
anniuersariæ nundinæ celebrabantur. Itaque captam ciuitatem diripuit, & Ca-
dium eius in quatuor frusta dissecari, ac ipsa frusta distinctis locis suspendi iussit.
Inde missis in prouincias proximas quibusdam suę sectæ, suarumque partium ho-
minibus

minibus, proclamari præcepit: aduenisse iam tempus, ipsis oportunum: saltim
correptis armis, ad se properarent. Quotquot igitur illam sectam amplectebantur,
& antehac eam secreto dumtaxat profiteri cogebantur, ad hunc eo numero
confluxerunt: vt perbreui spatio temporis, hominum ad decem millia secum in
castris haberet. Præterea complures e Tekiensi prouincia cum ipso se coniunxerunt.
Itaque tales ac tantas iam consequutus copias, Antali relicta, Anatoliam petiit:
& beglerbegum Anatoliæ, Caragosam bassam, adortus est. Occurrit homini
Caragosa cum exercitu Anatoliæ, statimque inito prœlio, seditiosi victos se simulare,
ac pedem nonnihil referre. Tum vero Turci, desertis ordinibus suis, hostium
impedimenta diripere ceperunt. Perduelles vero, in tempore conuersis habenis, 181.
Caragosæ copias ceciderunt: ipsumque captum ad metropolim Anatoliæ Cutaigen
adduxerunt, & opidum sibi dedi postularunt. Id quum ab opidanis impetrare
non possent, in eorum conspectu Caragosam bassam viuum palo transfixere. Secundum
hæc profectus Manissa cum Sangiacis quibusdam Sultanus Corcutes,
Sultani Baiasitis filius, copias in seditiosos hosce duxit. Verum cæsus & ipse cum 182.
suis, vix fuga saluti consuluit. Hinc indies auctis viribus, Anatoliam Scachoculis
vniuersam agere, ferre, multaque fœda committere. Post etiam progressus vlterius,
Aidinensem ditionem inuasit. Corcutes fuga, ceu dictum est, elapsus; summa
celeritate datis ad patrem litteris, eum de re tota certiorem fecit. Baiasites excandescens
aduersus Vezires suos, ac præsertim aduersus Alim bassam, & Ducis filium,
quod nihil de hoc motu sibi significassent: mox Alim bassam cum exercitu
in Anatoliam proficisci, ac seditionem hanc compescere, perduellionis auctoribus
capitis supplicio multatis, iussit. quod nisi fecisset, imperaturum se minatus
est, vt cutis ei toto corpore detraheretur. Quapropter Alis, adhibita maxima diligentia,
in Anatoliam se contulit: quum Baiasites ei non exiguam partem aulici 183.
sui comitatus, & Genizarorum, adiunxisset: filioque præterea suo, Sultano Achmeti,
cuius Amasiæ sedes erat, mandasset; vti suis cum copiis Ali bassæ auxilio veniret.
Achmetes Amasia profectus, ad Alim bassam accessit: qui mox inter se congressi,
dies aliquot reficiundo militi dederunt, deque bello gerendo consultarunt.
Interea vero cum copiis in Caramaniam irruit Scachoculis, cui Caramaniæ
bassa, quem Cheiderem bassam vocabant, & Sangiacus quidam in eadem prouincia, 184.
Zindis Kemales begus, obuiam venerunt: prœlioque Culim adorti, non
inferiores modo discessere: verumetiam vtrique, pro more, resecta fuere capita.
Seditiosi deinde Caramania relicta, versus planiciem Zibucciam profecti sunt: 185.
quod quum Ali bassæ significatum fuisset, magnopere perturbatus animo: Quisquis,
ait, me amat, absque mora conscendat equum. Primusque ceteris exemplo
præbito, conscendit equum: & veredariorum in morem festinato itinere, perduelles
in campo Zibuccio tamdem adsequutus est. Scachoculis autem, Osmanicorum
aduentu cognito, ibidem in planicie castra vallo communiuit, camelis etiam
in circuitu dispositis: & cum animo suo constituit, hoc loco Martis aleam experiri.
Præterea quibusdam castrorum in locis, hoc modo munitis, turres excitauit:
de quibus sui sese defenderent, & hostem ab oppugnatione castrorum arcerent.
Erant igitur hi egregie ad prœlium ineundum parati. Ex aduerso, licet Alis
bassa secum & ipse multa millia militum adduxisset: tamen quia totos dies quatuordecim
illo itinere veredariis prope paria fecerat, non viros dumtaxat, sed equos
etiam laboribus exhaustos habebat. Nihilo minus hoste conspecto: Tendamus
in eos, inquit. Sed erat in exercitu quidam Caramuses, stipendiariorum præfectus,
quos Vlofezios dicunt, vir rei militaris insigniter peritus. Is Ali bassæ respondens: 186.
Exspecta nonnihil, ait, o bassa, donec exercitus alii se nobiscum coniungant.
Fieri nequit, vt hostis e manibus nostris elabatur. Ad vnum dumtaxat, alterumve
diem, prœlium differ. Etiam Ramasanis filius, Adanorum begus, nobis subsidio
venit. Sine quæso, nostras vti copias aliorum accessione maiores & firmiores efficiamus.
Alis autem bassa vicissim: Quis, inquit, est Alis bassa, quisve tamdem alter
ille, nobis vt eius sit exspectandus aduentus? Nimirum Alis e potestate totus exierat.
ideoque rabie quadam actus hostem inuasit: quo factum, vt acre prœlium

committeretur. Eo prœlio Chasanes Chelisses, Scachoculis pater, sagitta vulneratus, & paullo post exstinctus fuit. quo mortuo, tumultus atque strepitus ingens audiri cepit in castris seditiosorum. Quapropter Alis bassa, concitato calcaribus equo, medios in hostes delatus, & ab eis occisus est. Quod quidem ipsius conspi-
187. cati milites, terga dedere. Scachoculis hac potitus victoria, versus Parthicos fines iter direxit, Tebrisium profecturus. Quum prope iam Parthicis a finibus abessent, obuiam eis carauana quædam venit, secum e Parthia sericas & alias merces vehens. Eam carauanam Scachoculis diripuit, & quotquot hanc comitabantur
188. homines, interfici iussit: quum ignoraret, esse opes illas Ismailis Scachi, hoc est, regis Parthorum. Vbi Tebrisium venissent, tribuni militum, ceterique præfecti, Scachum, Ismailem adierunt: & ad pedes ipsius prouoluti, honorem ei, pro more gentium illarum, exhibuere. Tum vero Scachus Ismail: Quis auctor vobis fuit, inquit, vt adoptiuo patri meo bassas & begos suos occideretis, eiusque præterea subditos rebus ac facultatibus suis spoliaretis? Illis respondentibus, id ab se factum, vt ipsimet Ismaili Scacho rem gratam facerent, & homines a recta fide alienos, barbaros, facinorosos, de medio tollerent; rursus eos compellans Scachus Parthicus: Et quid tamdem, subiecit, carauana culpæ commisit in vos, qua irritati, & homines occidistis, & opes ipsas diripuistis? Ad quæ illi quum nihil haberent, quod sui purgandi causa in medium adferrent: omnem illam colluuiem hominum ita distribui Scachus Ismail iussit, vt singuli Parthorum proceres eius mandato viginti ad se reciperent: ceteros vero præfectos, atque tribunos ipsorum, tru-
189. cidandos Corizzis suis obiecit. Quod sane quum absque mora fieret, dignam facinoribus admissis mercedem tulere.

190. Dum hæc in Asia gererentur, Tarabosane profectus Sultanus Selimes, nauigio Cofen adpulit; illinc in Romaniam abiturus. Itaque Cofe discedens, Chilim nauigauit: Chili Beligradum venit. Eius rei fama Constantinopolim ad Sultanum Baiasitem perlata, Cadium vrbis Sarigresem, & Seguanem bassam, legatos ad filium misit: quorum & consiliis vteretur Selimes, & monitis instrueretur. Hi quum ad Selimem peruenissent, auctores ei fuerunt, vti suam in ditionem rediret: ne forte fratribus etiam suis occasionem præberet, consimilia quædam tentandi. Ad ea respondens Selimes: An non mandatum diuinitus est, inquit, vti suos quisque parentes tertio vel quarto quoque anno inuisat? Hac equidem causa motus, iter hoc perficiam; & patre visitato, meam in ditionem reuertar. Ad summam, ab hoc instituto legati Selimem nullo dimouere modo potuerunt. Ideoque redeuntes ad Baiasitem, filii mentem ac sententiam patri renuntiarunt. Is denuo lega-
191. tos alios ad Selimem misit, ac dici filio iussit, vti Semendriam se reciperet: quem ipse sangiacatum illi adtribuisset. Negauit id se facturum filius, omninoque se patrem prius aditurum respondit, eiusque manus osculaturum, atque ita deinde dis-
C. 1511. cessurum. Euenerunt hæc anno DCCCCXVII.

Secundum illa perrexit in itinere suo Sultanus Selimes, & Hadrianopolim petiit. Inde quum non procul abesset, relicta Baiasites Hadrianopoli, versus Con-
192. stantinopolim abiit. Habebat autem secum omnes vezires suos, & begos sangiacos, & milites. Quippe mandatis publicatis edixerat, vti secum eo proficiscerentur. Qua de causa commotus Selimes, & consiliarios suos adpellans: Nullum, inquit, hostem habemus inter Hadrianopolim & Constantinopolim. Cur ergo tot proceres, & talem ac tantum exercitum pater secum ducit? Haud dubie nihil aliud hæc portendunt, quam quod fratrem meum, Sultanum Achmetem, rerum
193. administrationi præficere cogitat. Ideoque summa vsus celeritate, non procul a Zorlo patrem adsequutus est. Ibi tum copiis vtrimque concurrentibus, ad dimicationem ventum fuit. Erat id temporis imbecilla Baiasites valetudine, quum nec pedib. vti, nec equitare posset: eaq; de causa curru vehebatur, cui velũ obduxerat: numinis interim, Mahumetisque sui auxilium implorans. Quum perexiguo temporis interuallo pugnatum esset, victus Selimes, omni thesauro suo relicto, fugæ se dedit: ac tamdem peruenit in vicum quemdam, situm ad mare, quod Nigrũ vo-
194. cant. Ei vico nomen est Midge. Heic nauem ingressus, transmisso mari, Cofen

se con-

se contulit. Sed eadem hieme rursus in Romaniam nauigauit. Quidam enim pro-
ceres aulici partes Sultani Achmetis fouebant, nimirum ipse Cadilescherus, &
Nischanzis bassa, & Ionuzes bassa, qui muneribus etiam, in hunc finem paratis,
populo persuaserant; Sultanum Achmetem breui adfuturum, & loco patris im-
peraturum. Hic autem conatus eorum quum Genizaris innotuisset, nocte qua-
dam in ædes ipsorum irruentes, quidquid in eis repertum esset, diripuerunt. Iti-
dem noctu Chasanis bassæ domum adgressi, fœde spoliarunt: adeoque seditio-
nem excitauere maximam. Erant id temporis ad vrbem Sultani Achmetis legati,
qui furtim se subducere, salutique suæ fuga consulere coacti fuerunt. Secundum
hæc legatos ad Sultanum Selimem misere Genizari, qui nuntiarent, ad vrbem
modo veniret: se nimirum & salutaturos ipsum Imperatorem, & adgnituros pro
domino. Achmetes etiam eodem tempore propius ad vrbem se contulit, suis cum 195.
copiis ad Iscodaram, e regione Constantinopolis, castra metatus: missisque patri
multis aureorum nummûm millibus, quo venerat itinere, discessit. Quumque
vectigalia, tributa, ceterosque fructus ac prouentus imperii, per Anatoliam sibi
vindicasset: violenter illas prouincias administrare cepit. Ac licet Sultanus etiam
Corcutes opida quædam Anatoliæ sibi subiecisset, retinere tamen ea non potuit,
quum præfectorum Sultani Achmetis maiores essent vires. Itaque discedens ex
iis locis Corcutes, trans mare Gallipolim abiit: ac duobus dumtaxat secum sum-
tis, Constantinopolim nauigauit. Eo quum peruenisset, exiguum quoddam tem-
plum ingressus est, haud procul a domicilio Genizarorum. Hoc vbi nuntiatum
Sultano Baiasiti fuisset, aliam ei domum in vrbe iussit adsignari: quam, remotus a
Genizaris, inhabitaret. In hanc igitur vbi commigrasset, bona cum venia patrem
adiit: eiusque manum exosculatus, in hospitium suum reductus fuit. Zecmen id 196.
temporis, quam minorem vocant, Sultanus Selimes aduenerat. Quumque propi-
us Constantinopolim accederet, atque obuiam ei prodiret Sultanus Corcutes
frater: equis insidentes, manus sibi mutuo porrexerunt, ac peramanter inter se
colloquuti sunt. Hinc vrbem ingressus Selimes, in prato Genibaxeo tentoria fi- 197.
xit, Corcute suum in hospitium redeunte. Tum vero congregati Genizari, decem
ex omni suorum numero delegere; quos ad bassas ablegatos, dicere iusserunt:
Adgnoscere se pro domino suo Sultanum Selimem, Baiasitis Imperatoris filium.
Baiasitem, propter aduersam valetudinem, & imbecillitatem virium, non iam
amplius ad bella gerenda prodire posse. Quamobrem significarent Sultano Baia-
siti bassæ, vt sponte suam rerum administrationem Selimi filio traderet. Id nisi fie-
ret, in ipsos se bassas animaduersuros: & præterea per vim collocaturos Selimem
in thronum regium, ac Dominum & Imperatorem suum declaraturos. Hæc
quum decem illi Genizarorum legati bassis exposuissent, bassæ cum his ipsis de-
cem viris Sultanum Baiasitem adierunt. Is intellectis eorum postulatis, quam
quidem diu superstes ipse foret, imperium se nemini traditurum respondit. Ad ea
supremus vezir, Mustaphas bassa: Vale igitur, inquit, Imperator maxime. Nam 198.
mox, vbi abs te digressi fuerimus, vitam hi nobis adiment. Tum Sultanus: Siqui-
dem iam nos imperio non abdicauerimus, ait, an futurum putatis, vti nos e medio
tollant? Minime vero, subiiciunt illi, vitam eripient tibi: sed iniectis vncis spiculo-
rum suorum vesti tuæ, de throno Imperatorio te detrahent. Quæ quum ab eis di-
cta fuissent, exiguo temporis spatio Sultanus Baiasites re cum animo suo delibe-
rata, caput erigit, &: Rerum equidem, inquit, summam filio meo, Sultano Seli-
mi, traditam committo. Qua Baiasitis oratione Genizaris renuntiata, mox vnani-
mes ad Sultanum Selimem se contulerunt. Hæc autem gesta fuerunt anno
DCCCCXVIII. C.1512.

Postridie Sultanus Baiasites cistas, quibus imperatorii thesauri continebantur,
tur, Sultano Selimi filio misit: ac vezires, ceterosque bassas, dominum suum, Sul-
tanum Selimem adire iussit, eique significare: tantummodo sibi, patri suo, dilatio-
nem dierum XX. concederet: quibus exactis, Dimotucum abiturus, & reliquum 199.
ibidem vitæ spatium transiturus esset. Interim Selimes in hospitio Genibaxeo
commoraretur. Hæc quum illi Sultano Selimi exposuissent: Quidquid, ait, patri

& bassis visum fuerit imperare, ratum esto. Res enim adhuc in ipsorum potestate sunt & arbitrio. Postridie illius diei patrem Selimes adiit, eique manum osculatus est. Tum vero surgens pater, Accede fili, ait, atque hoc loco sede: quum rerum dominus, me quidem abdicato, & imperator factus sis. Ad ea Selimes: Minime vero, mi pater, inquit. Nam equidem domini, patrisque mei, famulus sum: nec amplius quidquam petii, quam vt mihi faciem tuam intueri, ac manum deosculari liceret. Id quum impetrauerim, bona cum pace tua mihi, famulo tuo, nunc abire fas esto: salua tibi rerum administratione prosperrima. Sultanus autem Baiasites: Fili, ait, toto pectore atque animo imperium tibi resignaui. Sed vnum hoc consulo, ne sanguinem innoxium fundas, nec immerito quemquam occidas. Cui patris consilio quum Selimes se pariturum promisisset, in hortum nouum siue Genibaxen, ad tentoria sua se recepit. Postridie, summo diluculo, pro tribunali sedit, & aduocari Genizarorum Agam iussit: qui mox vniuersis cum Genizarorum copiis coram eo se stitit. Ibi tum compellatis ipsis, Selimes interrogare: num se vellent dominum & imperatorem adgnoscere? Cunctis vnanimiter adclamantibus, id omnino se velle facere; mox iterum Selimes eos adpellans: Si quis, ait, inter vos aliquid culpæ commiserit, an per vos mihi licebit, vt illum puniam? Licebit vero, succlamant omnes. Ergo deinceps, subiecit Selimes, imperium meum auspicabor. Postridie, quum illuxisset, eodem in loco pro tribunali consedit: veziribus & bassis omnibus huc ad ipsum conuenientibus. Illo die quemdam Genizarum, qui auream in capite gestabat vscufiam, siue pileum, comprehendi iussit, & ad arborem suspendi: quodam etiam de Vlofeziorum numero capite truncato. Genizarus ille propterea suspendio sublatus e medio fuit, quod Sultani Achmetis socer esset. Hoc modo quum sibi Sultanus Selimes imperium constituisset, Corcutes conscensa trireme Manissam; ditionem suam, repetiit. Non multis diebus interiectis, Constantinopoli discedens Baiasites, Dimotucum abire cogitabat. Eum Sul-
200. tanus Selimes extra portam Hadrianopolitanam, officii causa, quum deduceret: Baiasites e curru cum filio colloquens, de multis eum rebus admonuit. Inde mutuo sibi pater atque filius valedixere. Sed Baiasites hoc itinere delatus in vicum
201. quemdam, cui nomen Chapse, vitam cum morte commutauit. Reuectus autem a suis Constantinopolim, in templo, quod ipse construxerat, conditus fuit.

Secundum hæc profectus est Sultanus Selimes vniuersis cum copiis in Anatoliam, quumque iam peruenisset Engurim; frater eius, Sultanus Achmetes, ad
202. fines Arabicos profugit. Quod vbi Selimes accepisset, itinere mutato, Prusam rediit: ibique Mustapham bassam, cum aliquot fratrum suorum filiis, strangulari curauit. Inde Manissam contra fratrem, Sultanum Corcutem, mouit. Sed is Tekiensem in prouinciam abiit. quo cognito, primum e ianitoribus suis, quem Azemim Casanem Agam vocabant, fratrem a tergo persequi iussit. Is adhibita diligentia maxima, tamdem illum in specu quodam deprehendit, & cepit: iamque captum ad herum suum Selimem adducens, obuios habuit nuntios, apud opidum Egrigos: vbi mox de mandato Selimis Corcutes strangulatus, & cadauer eius Prusam vectum, ibidem monumento fuit illatum.

Quum autem Sultanus Selimes etiam alterum fratrem suum, Sultanum Achmetem, magnopere cuperet in potestatem redactum: astu excogitato, Bassarum & Genizarorum nomine litteras ad eum perscribi iussit, quarum litterarum hæc erat summa: Sultanum Selimem crudeliter in omnium sæuire vitam. Ea de
203. causa se iam pertæsos esse pumilionis istius. Prodiret modo Achmetes, ac se conspiciendum præberet: mox ei se captum Selimem tradituros. Data vero fuit opera, vt eiusmodi litterarum exempla L vel LX Sultano Achmeti redderentur. Itaque numero litterarum deceptus, fidem eis habuit, & cum milite Caramano suis e latebris in apertum prodiit. Quotquot erant cum eo proceres, hanc profectionem dissuadebant; & futurum aiebant, vt circumueniretur. Sed ipse, litteris illis exhibitis, ac perlectis: Demus, ait, exempla viginti harum litterarum esse falsa & commenticia: num idem de ceteris quoque pronuntiari oportet? Itaque suam sequutus opinionem, copias in fratrem duxit. Quum in planiciem peruenisset

ueniſſet

uenisset ad Neapolim Caramaniæ, ab exercitu Sultani Selimis obrutus, parum
cum suis strenue rem gessit: ac victus, fugæ se dedit: in qua fuga captus Achmetes,
& strangulatus fuit. Exstincti cadauer Prusam deportatum, & ibidem in monu-
mento fuit conditum. Hæc autem acciderunt anno D C C C C X X. C. 1513.

Sultanus ergo Selimes iam solus imperio tranquillo potitus, ad bellum ge-
rendum aduersus Ismailem, Scachum Parthorum, se comparauit: & curribus ad
vehenda tormenta, ceterisque rebus necessariis instructus, omnes suos exercitus
collegit, in quibus erant hominum ad quadringenta millia. Tantis cum copiis in 204.
Parthiam profectus, manum cum Ismaile Scacho conserere decreuit. Ismail vero
Sultani Selimis instituto cognito, cum Parthis suis & ipse hosti obuiam prodiit: ac
tamdem congressis in planicie quadam, quæ Zalderana dicitur, vtriusque partis
exercitibus, a diluculo ad postmeridianum vsque tempus dimicatum inter eos
fuit. Ismailis Scachi supremus belli dux, Vstazeluis filius, Anatolico militi opposi-
tus erat: Romaniæ copias ipsemet Scachus Ismail sibi debellandas sumserat. Sed
Anatoliæ beglerbegus adeo fortiter hosti restitit, vt tamdem Vstazelues occide-
retur. Ab altero quoque aciei latere pugnatum vtrimque strenue, donec ad ex-
tremum Chasanes bassa, Romaniæ beglerbegus, occumberet. Nihilominus
Thures Alis begus, Malcozii filius, vna cum fratre suo, tam acriter hoc prœlio se
gessit: vt hostibus disiectis, ad Ismailis Scachi vexillum primarium penetraret, i-
psique Scacho vulnus infligeret. Verum a Scachi satellitibus vterque mactatus
cecidit. Sub exitum diei fessus iam cum suis prœliando Scachus, hosti cessit, & fu-
gam arripuit: ordaque sua, cum omnibus rebus, quæ illa continebantur, hostis ar-
bitrio relicta, Tebrisium se recepit. Itaque Turcis orda Scachi prædæ fuit, qui et-
iam in ea ceperunt vnam de Scachi vxoribus: quum ceteræ mulieres, quæ illis in
castris fuerant, pedites cum reliquo Parthorum exercitu Tebrisium abiissent.
Scachus autem, relicto Tebrisio, cum non magna suorum manu Sultaniam se
contulit. Interea Tebrisium progressus Selimes, omnes vrbis artifices, omnes exi-
mios opifices collectos, Constantinopolim misit. Quumque illa hieme cogitaret
in hibernis ad Carabagum subsistere, non hoc eum tumultuantes facere passi fu-
ere Genizari. Quapropter Amasiam reducto exercitu, ibidem hibernauit. Sub
initium æstatis Camachum profectus, eam ciuitatem occupauit. Interim Sina- 205.
nem bassam eunuchum in Dulgadirensem prouinciam ablegauit, qui ducem e-
ius regionis Aladeulem bello inuaderet. Is Dulgadirem ingressus, Aladeulem mi-
nime resistentem cepit, & capite truncauit: quamquam alii tradant, suspendio
necatum fuisse. Ditionem vero Sultanus Selimes Ali bego concessit, qui ex Ala-
deulis fratre natus erat.

Hoc tempore Genizari magnas Amasiæ turbas excitauere, quum in Piris 206.
bassæ castra per seditionem irruerent. Erat tum Sultani Selimis vezirazemes,
Achmetes bassa, Ducagini filius: quem Selimes interfici iussit, collata in eum cul-
pa, quod huiusce Genizarorum seditionis & conscius, & auctor exstitisset. Hinc
Amasia discedens Selimes, Constantinopolim abiit: vbi generum suum, Ischen-
derem bassam, vna cum Tazisade Cadileschero, & Bali Geme Seguane bassa,
supplicio capitis adfecit: quod ipsos etiam diceret Amasiani Genizarorum tu-
multus auctores fuisse. Contigerunt hæc anno D C C C C X X I. C. 1514.

Secundum hæc collectis Selimes omnibus copiis suis, Constantinopoli
transiecit in Anatoliam: quum alteram se contra Parthos expeditionem molitu- 207.
rum simularet. De hac Selimis profectione certior factus Cansaues Gauris, Sulta-
nus Alcairi, maximopere cum suis proceribus & Mamelucis perturbatus, coactis
militibus suis, armatus Chalepum adiit. Qua re Sultano Selimi nuntiata, misso iti-
nere Parthico, in Sultanum Alcairensem mouit. Eius quum fines adtigisset, ac
Sultanum haud impigre sibi occurrentem conspiceret: graui cum eo prœlio con-
flixit, in quo Sultanus ipse Cansaues Gauris cæsus fuit, eiusque copiæ dissipatæ
fugerunt. Post hanc pugnam Selimes victor omnes munitiones & arces, in fini-
bus sitas, occupauit: ac præsidiis in singulas impositis, Chalepum perrexit. Ibi
quum omnia Chalepo vicina loca sui iuris fecisset, begos sangiacos prouincis

præfecit. Chalepo Damascum abiit, & vrbem cum omni agro finitimo, summa
208. celeritate suo subiecit imperio. Mameluci, qui & Circassi, Alcairum fuga delati;
Tommambaim, qui erat id temporis Vlu Duueidar, Sultanum crearunt. Et Vlu
Duueidar apud ipsos primus erat dignitate post Sultanum. Potitus autem Dama-
sco Selimes, Sinanem bassam cum selecta militum manu Gazam præmisit. Ali-
quot inde diebus elapsis, etiam ipse reliquo cum exercitu subsequutus fuit, Alcai-
209. rum ducturus. Ex altera parte Damascum Tommambais Meliculem Vmeram,
hoc est, beglerbegum Damasci, Zamberdim Gasalim, cum parte sui exercitus
miserat. Is quum a Gaza prope iam abesset, etiam Sinan bassa Remlen aduenit,
eoque loco castra metatus est. Quumque certior factus fuisset, esse Gasalim cum
exercitu in vicinia: noctu militibus indicta profectione, tanta cum properatione
ad hostem accessit, vt prima cum luce Gasalis copias adsequutus, non modo cum
eis confligeret: verumetiam victoria potiretur, magnumque Mamelucorum siue
Circassorum numerum internicione deleret; superstitibus fuga dilapsis, & in soli-
tudines illorum locorum semet recipientibus. Quibus rebus gestis, placuit Sulta-
no Selimi legatum ad Tommambaim mittere. Quippe domesticum quemdam
habebat, natione Circassum, quem vulgo Muratem Circassum adpellabant. Is ad
Sultanum ire iussus, impetrare non potuit, vt a Tommambai vel in conspectum
admitteretur, vel audiretur: adeoque cum iis, quos itineris comites secum addu-
xerat, iussu Tommambais fuit interfectus. Qua legati sui cæde comperta, motis
Selimes castris, Remlen petiit. Eo quum peruenisset, significatum illi fuit, ciues
Remlenses id temporis, quo Sinan bassa Remle nocturno itinere discesserat, vt
Zamberdis Gasalis copias adoriretur, sparsisse rumorem de fuga Osmanicorum:
& quotquot in castris Sinanis bassæ remanserant, non solum mactasse; verumet-
iam occisorum cadauera passim in puteos & fossas proiecisse. Quo Remlensium
intellecto facinore, Selimes & congregari iussit opidanos, & omnes illius sceleris
210. reos trucidari. Secundum hæc Cudsimubarecum profectus est. Quumque sub
vesperam eo venisset, noctem illam istic manere voluit: ac vespertinis precibus in
Axa messita, nocturnis in cubei Sahara peractis, omnia loca sacra visitauit. Postri-
die circa meridiem reuersus ad exercitum, Gazam contendit: vbi Sinan bassa, po-
titus insigni victoria, suas cum ipso copias coniunxit. Gaza Bethlehemam profe-
ctus, illo quoque loco preces suas concepit: quibus absolutis, in animum induxit,
Alcairum petere. Præmisit ergo Sinanem bassam, qui suis cum copiis reliquum
exercitum antecederet. Quippe proficiscendum eis per illam solitudinem erat,
quam ante id temporis numquam tam numerosus exercitus transierat. Et aliam
quoque causam habebat, cur eum præmitteret: quod vereretur scilicet, ne si tanta
hominum multitudo coniuncta maneret; iter illud per solitudinem se suscepturos
ros negarent, atque hoc modo diffluerent. Sultanini quidem hoc desertum sem-
per antehac pro vrbis Alcairanæ propugnaculo quodam habuerant. Verum Sul-
tanus Selimes iacta, quod dicitur, alea; militem cohortationibus animosis ad ca-
pessendum hoc iter impulit. Vbi ventum ad prima castra fuisset, in pago, qui Dei-
re vocatur, vezirem suum, Chuseinem bassam, interfici iussit: quod dixisse perhi-
beretur, non temere per eiusmodi solitudinem, tanto cum exercitu, proficiscen-
dum. Atque hoc modo solitudinem ingressus est, quæ arida prorsus, aquis desti-
tuitur. Quum de die in diem progrederetur vlterius, placuit Deo largiri pluuiam:
quo factum, vt vniuersæ illæ copiæ nulla premerentur aquæ penuria. Vbi Sala-
chigen peruentum fuisset, iam vicerant scilicet, superata solitudine. Quapropter
oneratis aqua potabili iumentis, Alcairum perrexerunt. Interea Tommambais
Alcairi Sultanus, suis & ipse copiis instructus, ex vrbe militem eduxit: eoque mo-
do castra metatus, vt vrbem a tergo haberet, ibidem substitit. Coegerat enim ma-
ximum exercitum, in quo militabant Æthiopes, cum aliis nationibus. Tormen-
211. tis etiam bellicis ea communierat itinera, quibus hostis venturus exspectabatur.
Sed transfuga quidam ex castris ipsius ad Sultanum Selimem se contulit, eique
consilia & insidias hostium detexit. Quibus Selimes cognitis, diuerso itinere co-
C. 1515. pias Alcairum duxit. Hæc gesta fuerunt anno DCCCCXXII.

Die

Die XXVIII mensis Silchizis, ante prandium, ingens & cruentum prœlium commissum fuit; quo in prœlio Sinan bassa, cæsus in dextro cornu, occubuit. Tamdem tamen Mameluci, qui & Circassi, dissipati profligatique, partim versus montes, partim in solitudinem, partim ad ipsam vrbem profugere. Verum vbi mox Selimiani milites vrbem occupassent, reliquiæ Circassorum & Mamelucorum, vrbe deserta, in regionem Saitensem se recepere. Selimes propter vrbem, ad Nilum fluuium, castris locum cepit: quo in loco dum ipse quiescit, missis Tom- 212.
mambais speculatoribus, quum alia, tum etiam situm castrorum hostilium explorauit; quod ea nocturna impressione adgredi, suo cum animo constituisset. Rebus omnibus exploratorum opera probe perquisitis; vrbem noctu cum suis ingressus, plurimos ex Selimianis in vrbe oppressit & trucidauit. Sed quum primum hoc Selimi nuntiatum fuisset, iussis arma corripere militibus, hosti semet opposuit: tormentisque bellicis in ea loca constitutis, in quæ facturus impetum credebatur hostis, ab omni parte paratus erat.

Anno DCCCCXXIII, quarto die mensis Mucherenis, missus in vrbem fuit C. 1516.
a Sultano Selime Ionuzes bassa, cum Genizarorum manu: qui quidem in ipsis plateis & vicis vrbis aduersus Circassos & Mamelucos acerrime dimicarunt. Hoc prœlio sagitta Ionuzes bassa tam grauiter vulneratus fuit, vt a suis sublatus, e media pugna exportaretur. Id conspicatus Selimes, vsque adeo excanduit: vt milites ex equis descendere iuberet, ac pedites suis suppetias ferre. Quod quum absque mora fieret, & illi milites, qui ceteroquin ex equis dimicare solebant, pedites vrbem ingrederentur: prope templum maximum, quod Chasanis Zami vocant, 213.
cum Circassis & Mamelucis manum conseruere: qua pugna tot ab vtraque parte cæsi sunt, vt passim per plateas plena peremtorum cadaueribus essent omnia. Tamdem Selimiani denuo victoria potiti fuerunt, & Tommambais iterum cum nonnullis suorum in regionem Saitensem profugit. Acciderunt hæc anno DCCCCXXIII.

Post illa cum omni exercitu Selimes vrbem ingressus, in ipso palatio Sultanino diuertit. Fuerant in eo, quem diximus, conflictu capti bis mille quingenti Circassi ac Mameluci: quorum ad duo millia Sultanus Selimes iugulari, quingentos reliquos in custodiis haberi iussit. His gestis rebus, adactus extrema necessitate Tommambais, vt pacem peteret: insignem legationem ad Sultanum Selimem misit. Eam Selimes sane quam humaniter excepit, ac postulatis omnibus adsensus, non modo Tommambai rescripsit: verumetiam suos homines ad ipsum vicissim ablegauit, qui pacis ei auctores essent. Hos ad se iussu Selimis venientes, Tommambais interfici curauit vniuersos. Quamobrem summopere commotus Sultanus Selimes, Circassos illos omnes, quos in custodia detineri præceperat, mox ita iussit occidi, neminem vt sui reliquum facerent. Ea re patrata, trans Nilum copias duxit, Tommambaim quæsiturus: quo ille comperto, fugam arripuit. Selimes Romaniæ copiis iniunxit, vt eum a tergo persequerentur. Sed Arabes, qui & Æthiopes, itineribus fugienti Tommambai præclusis, hominem interceperunt, & captum ad Selimem perduxerunt.

Anno DCCCCXXIII, die XVII mensis Rebiululæ, mandato Sultani Selimis, C. 1517.
in vmbilico vrbis Alcairensis, eo loco, qui Bab subeile dicitur, Sultanus Tom- 214.
mambais suspendio necatus fuit. Atque hoc modo radicitus exstirpatis Circassis ac Mamelucis, vniuersum illud Sultaninum Ægyptium ve regnum suo Selimes imperio subdidit, & in Sangiacatus diuisit: quum vrbem Alcairanam Ionuzi bassæ regendam commisisset. Inde rebus omnibus egregie constitutis & ordinatis, Alcairo discessit, Gazam rediturus. Erat autem quidam ex Sultaninis, Cheir begus, qui Sultanis illis adhuc rerum potientibus, Chalepi copiis præfuerat; sed spōte sua Sultani Selimis potestati se permiserat. Hic a Selime, præter Ionuzē bassam, ad Alcairū relictus; litteras ad eū, iam inde digressum, misit obsignatas: quib. in litteris, Ionuzē bassam accusans, perscripserat; Æthiopes, & plebem vrbanam, Ionuzi bassæ Sultani tribuere titulum, & omnia precari fausta feliciaq; nonnullis etiam criminibus aliis in eum congestis. His territus litteris Selimes, mox alias ad

Ionuzem bassam dari iussit: quibus ei mandaretur, vti maxima celeritate semet ad Sultanum Selimem conferret. Eadem Cheiri bego scribi voluit, & vrbem ipsius fidei, per absentiam bassæ, commendauit. Vbi suum ad herum, Sultanum Selimem, in ipsa solitudine Ionuzes bassa peruenisset: equis insidentes, inter se colloquuti sunt ambo. Verum subito Selimes furore correptus, Ionuzem bassam ex equo deiici iussit: & Solachorum præfecto mandauit, vt eum, resecto capite, iugularet. Quod statim factum quum fuisset, Selimes itinere cõtinuato, tamdem Constantinopolim reuersus, quieti se dedit.

Non exiguo temporis interuallo gerendis a rebus abstinens, anno denique
C. 1520. DCCCCXXVI, mense Remasane, Constantinopoli digressus, Hadrianopolim pe-
215. tere constituit. Hoc in itinere quum Inzuam venisset, balineum ingresso tumor quidam a tergo cepit oriri, qui reuera carbunculus pestilẽs erat. Profectus autem vlterius, & illum ad locum delatus, vbi aliquando cum patre conflixerat: vrgente necessitate, fixis ibidem tentoriis, substitit. Interea vero, dum heic morbo ipsius curando se totos medici dabant: Defterdaros, & Pirim Achmetemque bassas, Hadrianopolim præmisit: vt omnia sollemnitati Bairami celebrandæ necessaria præpararent, solo Ferhate bassa cum eo manente. Sed quum medici morbo remedium inuenire non possent, eo ipso mortuus est loco, in quo cum patre pugna
C. 1520. congressus fuerat, die septimo mensis Schebalis, anno DCCCCXXVI. Imperauit annis VIII. mensibus VIII. diebus VIII. Nihil compertum fuit de ipsius obitu totis diebus decem. Interea secreto Ferhates bassa primarium ianitorem cum litteris Manissam ad Sultanum Soleimanem misit, qui eum moneret, vti quamprimum illuc properaret. Sed quod his nihil litterarum reliquis a bassis adiunctum fuisset, veritus est itineri se dare Soleimanes. Inde bassis ceteris, qui Hadrianopoli degebant, rem omnem Ferhates bassa patefecit: qui mox eo profecti, quum quo res essent loco, cernerent; litteris & ipsi perscriptis, præfectum Ispachiorum ad Soleimanem Manissam ablegarunt: significantes, vt absque mora veniret prius, quam de patris obitu Genizari, ceteriq; Portæ milites, quidquam inaudissent: ne fœde direptam vrbem excidio darent. Itaque Soleimanes, re tota penitus cognita, confestim semet adcinxit itineri: nec vlla vel noctu, vel interdiu quiete interposita, peruenit Iscodaram, e regione Constantinopolis sitam. Hoc loci tribunus Genizarorũ ad ipsum venit, quo comite triremem ingressus, Constantinopolim transiecit; in occursum prodeuntibus Genizaris vniuersis. Et triremi quum exscendisset, Genizarorum Aga, suos compellans Genizaros: Hic dominus vester, hic imperator est, ait. Qua illi voce audita, mox ordine ceteros antegressi, Sultanũ suum ad imperatorum Saraium deduxerunt. Hinc largiores annonas, & donatiua petiere: Sultano Soleimane postulatis ipsorum adnuẽte. Postridie prima luce funus Selimis in vrbem deductum fuit, eiq; celebratæ in templo siue zuma Sultani Muchemetis exsequiæ. Pedes ante paternum funus incedebat Sultanus Soleimanes, idque comitabatur ad zumam ab ipso Selime conditam, vbi monumento suo fuit illatus. Inde Soleimanes ad palatium reuersus, in thronum imperatorium se col-
C. 1520. locauit, & regni administrationem auspicatus est, anno DCCCCXXVI, die XVII. mensis Schebalis.

Factus iam plene rerum dominus Soleimanes, elapsis aliquot mensibus, o-
216. mnes suos milites conuenire iussit, & cum eis versus Albam Græcam profectus
C. 1521. est, anno DCCCCXXVII.

Quum prope iam abesset ab Alba, Vezirem suum, Achmetem bassam, cum Romaniæ copiis ad Burgurdelen ire iussit. Is illuc vbi venisset, tormentis bellicis mœnia disiecit, militem immisit, & opidum cepit. Multi tamen in eius expugnatione Turci fuere trucidati; ac vicissim Achmetes bassa Sultano Soleimani cæsorum Christianorum capita, cum quibusdam captiuis & vulneratis, misit.

Secundum illa Pirim bassam præcedere iussit Soleimanes, qui Albæ Græcæ situm ac munitionem, circumfusis copiis, speculaetur: statimque Pirim sequutus, vniuersum exercitum mœnibus admouit, castra vallo muniuit, tormenta iussit expediri, muros euersos solo æquauit, ac tamdẽ Albam expugnauit die XXV

mensis

mensis Remazanis, anno DCCCCXXVII. qua potitus, Constantinopolim rediit.

Anno sequenti proximo DCCCCXXVIII, die XX mensis Rezebis, iterum C. 1522. Soleimanes expeditione suscepta, copias vniuersas in Anatoliam transduxit, Rhodo bellum illaturus. Iam ante verò Mustapham bassam insigni cum classe Rhodum nauigare iusserat. Ipse cum pedestribus copiis Anatoliam ingressus, in opidum quoddam Mentesianæ ditionis, cui nomen Mermere, se contulit: vnde 217. non magno ex interuallo in Rhodum transiicitur. Itaque militibus hinc in Rhodum transportatis, tamdem & ipse suo cum comitatu transuectus in insulam, graui vrbem obsidione cinxit. Obsessi Christiani muros pannis cocco tinctis, & sericis, & auro intertextis, ornabant; ac plurimis in vrbe ludis & spectaculis, ad oblectandos animos, vtebantur. Quum serio denique oppugnarentur, longo temporis spatio se defendebant acerrime; quod vrbem ab hoste nullo modo capi posse sibi persuasissent. Ac Soleimanis sane res eo tamdem loci redactæ fuerant, vt quânam ad expugnandam ciuitatem via deinceps progrederetur, ignoraret. Quia tamen mons quidam haud procul ab vrbe distabat, ex eo terram peti, qua vrbis fossæ complanarentur, edixit. Actis præterea cuniculis, suffossi fuere muri, tormentorum quoque vi magna ex parte diruti. Quapropter exhausto laboribus ac molestiis Christianorum præsidio, quum vrbem non multo post in hostium potestatem venturam nemini dubium esset: ipsorum princeps, quem Megalon Mastora 218. vocabant, inducias pactus, vrbem se dediturum significauit: modo ipsis abeundi potestas fieret, saluis facultatibus suis; & Christianorum vxores atque liberi nulli seruituti manciparentur. In eas condiciones Sultanus Soleimanes absque mora consensit. Itaque quum obsessi munera Sultano quædam, in eius conspectum admissi, obtulissent: cum rebus ac facultatibus, cum liberis & vxoribus suis naues ingressi, Turcis Rhodo cesserunt, & in Italiam nauigarunt. Quotquot erant in vrbe captiui Turci, libertati pristinæ restituti fuere. Capta vero fuit Rhodus die tertio mensis Sefferis: anno DCCCCXXIX. Simul etiam cum Rhodo Turci arcem Stancoin, & Bedrum, aliam arcem in Anatolia sitam, in potestatem redegere. Soleimanes inde Constantinopolim reuersus est.

Ceterum quo tempore ad obsidendam Rhodum proficisci cogitabat, Ferhatem bassam aduersus Alimbegum, Scachi Suarensis filium, qui perantiquo 219. maiorum suorum iure Dulgadirensis regionis dux erat, cum copiis ablegauit. Nam falso delatus is fuerat apud Sultanum Soleimanem, & accedebat alia causa, quod Osmanidæ neminem veteri natum familia suo in imperio tolerare possunt. Vbi iam prope Ferhates aberat ab Alis begi ditione, insidioso astu hominem ad se pellexit. Quippe morbum simulans, significari bego iussit: velle se testamentum condere, atque ipsius fidei exercitum committere. Qua voluntate Ferhatis intellecta, mox Alis begus, nihil ab Osmanicis periculi veritus, quibus inde vsque a prima ætate fidus ipse fuerat, cum vtroque filio bassam adiit: qui & patrem, & filios, innocentes occidi iussit. Hoc facinore patrato, Ferhates ad Sultanum Soleimanem, Rhodum obsidentem, Rhodo necdum capta, reuersus est.

Quum autem confecto bello Rhodio, Constantinopoli Soleimanes quietus degeret: Genizari die XXIII mensis Rezebis seditionem mouerunt, & Aigasis 220. bassæ, supremique thesaurarii, Abduselamis ædes expugnatas diripuerunt. Postridie, qui Mercurii dies erat, noctu Ibrahimis ac Mustaphæ bassarum domos itidem adhibita vi aperuere: sed ea cum moderatione, nullam vt inde prædam auferrent. Composito denique Genizarorum tumultu, Soleimanes in Vngariam proficisci statuit: & collectis L vel LX millibus armatorum, pontibus Sauum, Drauum, Danubiumque flumina iunxit: & Varadinum Petri, cum aliis locis mu- 221. nitis occupauit, Budam ipsam cum exercitu petiturus. Ea Soleimanis expeditione cognita, se quoque rex Vngarus ad bellum parauit; & cum milite suo, qui ferro totus armatus erat, obuium se Sultano Soleimani dedit. Die quodam Mercurii, circa tempus Ikindi, vtrimque tanto concurrerunt exercitus impetu: multa vt hominum millia ab vtraque parte cæsa caderent, plurimi vulnerarentur. Diu pugnatum quum fuisset, tamdem tamen victus rex Vngarus, etiam ipse

periit. Actis autem in fugam Vngaris, Turci hostem persequuti, multa ipsorum
millia inter fugiendum contrucidarunt. Soleimanes re bene gesta, Budam suos
duxit, & vrbe sine sanguine potitus est; cuiusuis sexus & ætatis hominibus in ser-
C. 1526. uitutem redactis, anno DCCCCXXXII. Post occupatam Budam, reuersus est
Hadrianopolim, & ad tempus aliquod se quieti dedit.

222. Erat tunc quidam in Anatolia, qui Calender Zelebis adpellabatur, ex fami-
lia Chazis Bectasis. Colunt autem Turci Chazim Bectasem, ceu diuum quem-
dam, atque etiam inuocant. Hic ergo Calender Zelebis seditione mota, cum non
magno Deruisiorum numero Sangiacos aliquot fudit, & vniuersam Anatoliam
ad arma concitauit. Soleimanes accepto motus huiusce nuntio, Ibrahimem bas-
sam, insigni cum exercitu, misit; vti Calenderem Zelebim bello adgressus, in or-
dinem redigeret. Ibrahimes Calenderem cum copiis adsequutus, prœlium iniit:
quo dimicatum ab vtraque parte fortiter, eo tamen euentu, Calender vt ipse sua
cum factione victus occumberet.

Compositis Anatoliæ turbis, ad aliam se Soleimanes expeditionem parauit,
Vngariam rursus inuasurus: ideoque militem, publicatis edictis, ad Albam Græ-
cam conuenire iussit: quo quidem & ipse se contulit, Budam inde perrecturus.
223. Hoc in itinere dum esset, Erdelii Banus ad eum venit, delatisque suis obsequiis,
Soleimanis imperio se summisit: quum & munera secum ferret amplissima, &
manum eius exoscularetur. Quæ quidem res adeo grata Soleimani accidit, vt e-
um mox Vngariæ regem crearet. Secundum illa Budam profectus est, qua occu-
224. pata, Viennam contendit. Eo quum peruenisset, Germani, qui se intra mœnia te-
nebant, vrbem communiere: quam Sultanus Soleimanes tormentis bellicis ad
XX dies oppugnauit, actis etiam subter muros cuniculis, donec eorum pars cor-
rueret. Ea re perfecta, subito cum niue frigus adeo vehemens incidit: vt ei tole-
rando neque milites, neque iumenta sufficerent. Ideoque destitutus omni spe
Vienna potiundi, obsidionem soluere coactus fuit: & Constantinopolim reuersus
C. 1529. ad aliquod tempus a bellis abstinuit. Gesta vero fuerunt hæc anno DCCCCXXXV.

Dum Constantinopoli quietus hæret, inuitatis magna sollemnitate bassis o-
mnibus, & proceribus, & exterorum Principum legatis, omnique genere specta-
culorum in Atmindane Constantinopoli exhibito; filios suos, Sultanum Musta-
pham, Sultanum Muchemetem, & Sultanum Selimem circumcidi curauit, anno
C. 1531. DCCCCXXXIIX.

Eodem anno mensis Remasanis die XXVIII, Constantinopoli discessit,
225. Hispano bellum illaturus. Quumque peruenisset in Alamaniam; duorum mensi-
um spatio copias hinc inde circumduxit, ferro & igni cuncta vastans atque diri-
piens. Nullus a Christianis oppositus ei fuit exercitus, nusquam eorum conspectæ
acies: ab vtroque dumtaxat latere Soleimanis agmina carpebant, ac multos inter-
ceptos vel occidebant, vel abducebant captiuos. Misit autem Sultanus Soleima-
nes, ductore Casane Vaiuoda, qui Michalis begi filius erat, & Vaiuoda, duode-
cim millia militum, adiunctis eidem Acanziis; qui regiones illas vlterius incendi-
is & rapinis depopularentur, atque incolas seruituti mancipatos abigerent. Quod
quum illi facerent, opima potiti fuere præda. Verum in reditu forte fortuna in
Christianorum incidere copias, cum quibus licet acerrime dimicarent, ac forti-
ter hosti resisterent: tamdem tamen ad internicionem, maiori saltem ex parte,
cum ipso Casane Vaiuoda, cæsi captique fuerunt. Et quando iam hiems adpete-
bat, mutato Soleimanis itinere, Constantinopolim rediit: vbi quum ad tem-
pus aliquod quiesceret, Sultano Mustaphæ filio Manissam attribuit, anno
C. 1532. DCCCCXXXIIX.

Interea vero, dum aberat peregre Sultanus Soleimanes, in Alamania bel-
lum gerens: supremus Hispani classis præfectus, Andreas Doria, cum Megalo
Mastore, qui superioribus annis Rhodo cesserat, corrogatis ceterorum quoque
Principum Italicorum auxiliis, magnam mari classem eduxit, qua naues quin-
quaginta maiores, & quinquaginta triremes continebantur. Et erant in his mili-
tum ad quinquaginta millia. Quo cum exercitu Moream inopinato adorti, primo
Coronam

Coronam vrbem cum arce, deinde insulam Balu, & Badram opidum, cum aliis 226.
quibusdam castellis ceperunt: & immissis in ipsam regionem pedestribus equestribusque copiis, vniuersam depopulati sunt; ingenti marium, feminarum, puerorumque multitudine secum in captiuitatem abducta.

Superioribus annis quidam natus in insula Mityline, cui nomen Chairadines, insigniter naualis militiæ peritus euaserat: ac piraticam exercens, multoties mari cum Christianis conflixerat. Vbi iam rem fecisset, naues aliquot instruxit: adiunctoque sibi sodalitio quorumdam egregiorum hominum, & neminis addictorum imperio, cum iisdem in Barbariam profectus, vrbem Cesairem occupauit, ac sibi retinuit. 227.

Qua quidem re feliciter confecta, per vniuersam Italiam nomen ipsius inclaruit: inditumque fuit ei cognomen ab Italis, vti vulgo Barbarossa diceretur. Idem quotannis Sultano Selimi & Soleimani munera quædam missitabat. Quorum alter, Soleimanes, viri virtute, rerumque gestarum fama cognita: missis legatis, inuitauit hominem, vti ad se veniret. Chairadines idoneo Cesairi præsidio imposito, strenuorumque virorum, & sibi amicissimorum fidei ciuitate credita: triremes aliquot milite compleuit, & Constantinopolim profectus est. Eo quum adpulisset, manum pro more Sultano Soleimani osculatus est. Excepit hominem Sultanus sane quam honorifice, constitutoque salario quadragies centum millium asprorum annuo, Beglerbegum maris supremum creauit, & ad Veziris dignitatem euexit: vnde nomen ei datum, vt Chairadines adpellaretur. Nanctus ergo plena cum potestate maris imperium, centum triremes in mare deduci, & instrui, militeque compleri iussit, & cum iis Moream adiit. Qua re Christianis nuntiata, mox illi regionem & arces, quas occupauerant, desertas reliquere: conscensisque nauibus suis, inde discesserunt. A Christianorum abitu, CCC Genizari, Azapique totidem in ea fuere loca missi: qui & Coronæ, & opidis ceteris præsidio essent. Inde Chairadines bassa cum eadem classe in Barbariam profectus, vrbem celebrem Tunisinam, quæ a Mauris incolitur, occupatam suo subiecit imperio, anno DCCCCXL. 228. 229. C. 1534.

Eodem hoc tempore captæ a Chairadine bassa Tunisis, quidam e numero Parthicorum procerum, Vlumas begus, a Scacho Techmasi, filio Scachi Ismailis, defecit; licet ipsius Scachi sororem haberet coniugem. Itaque profugus e Parthia, Constantinopolim accessit: & præstito subiectionis sacramento, Soleimani se totum addixit. De huius viri consilio Sultanus Soleimanes expeditionem Parthicam suscipere cogitabat, eam prætexens belli causam, quod Scachus, suis cum proceribus & subditis, minime rectam religionis amplecteretur sententiam, nec debito quatuor Mahumetis prophetas honore prosequeretur. Hac de causa dignissimos censebat, quibus bellum inferretur, qui occiderentur, adeoque penitus exstirparentur. Itaque Soleimanes hoc bello decreto, Sangiacatum Vlumæ bego supra nominato, non procul a Carahemida, concessit. Vlumas vero Constantinopoli quibusdam conductis copiis, in Sangiacatum suæ creditum fidei cum eis profectus est. Missa quoque fuerunt ad ceteros illius prouinciæ Sangiacos a Sultano Soleimane mandata, quibus præcipiebatur, vt Vlumæ bego, quoties in hostem profecturus esset, obsequerentur. Vlumas ergo decretum sibi Sangiacatum ingressus, collectis eius regionis proceribus Sangiacis, ipsorum adiutus auxiliis, Curdistaniq principi, cui nomen Serefes begus, bellum intulit: eoque interemto, ditionem ipsius in potestatem redegit. Ea re Sultano Soleimani nuntiata, supremum Vezirem suum, Ibrahimem bassam, qui apud Sultanum summæ auctoritatis erat & potentiæ, supra bassas ac Vezires omnes euectus, idque nomen ab eo consequutus, vt Ser Asker Sultani nominaretur, Constantinopoli ablegauit in Anatoliam, & Romaniæ Anatoliæque copiis præfecit: cum quibus ille Chalepum adiit, & inde Carahemidam perrexit. Huc vbi venisset, Vlumam begum præmisit in Parthiam, qui dux itineris esset: atque ipse vestigiis illius inhærens, a tergo sequutus est, anno DCCCCXLI. 230. 231. 232. 233. C. 1535.

Hoc modo continuata profectione, nemine resistente, Tebrisium illi

peruenerunt. Aberat enim Scachus id temporis ab illa prouincia, bellum in Cho-
rasane contra Kezien bassam gerens, qui ei Chorasanem eripere volebat. Quum
234. propius ad Tebrisium accessissent, vrbem inuenere desertam, & habitatoribus
C. 1535. vacuam. Ibrahimem vero præmissum ad expeditionem hanc, anno DCCCCXLI,
sequutus est ipsemet Soleimanes, cum Genizaris, & aliis Portæ copiis, ea celerita-
te: vt quo tempore Tebrisium Ibrahimes ingressus est, Soleimanes Carahemidæ
portis immineret. Interea Scachus etiam Techmases propius ad Tebrisium suos
adduxerat, vt istic Ibrahimem bassam opprimeret. Ibrahimes hostis conatu co-
gnito, absque mora Soleimanem certiorem reddidit: qui duplicatis cottidianis i-
tineribus, celerrime Tebrisium aduolauit, & cum Ibrahime se coniunxit. Quum-
que per exploratores intellexissent, quibus in locis Parthorum exercitus dege-
ret: recta in eos duxere. Tum vero Parthi, qui de Soleimanis aduentu cum Geni-
zaris ac Portæ militibus ceteris acceperant, seque tali machinarum bellicarum
235. adparatui, tantisque copiis nequaquam resistere posse cernerent, Sultaniam pro-
fugerunt. Osmanici nimia tormentorum, annonæ, tentoriorum, curruum, & alia-
rum magni ponderis rerum copia grauati, tormenta cum impedimentis ceteris
CCC Genizarorum, ac trium Sangiacorum præsidio munita, Tebrisium remise-
runt: atque hoc modo facti expeditiores, Parthicum militem acriter a tergo per-
sequi cepere. Tum vero fugere Parthi, fugientibus instare Osmanici: donec haud
procul ab opido Hemedane peruentum fuisset. Ibi cum pluuiis, & annonæ penu-
ria, tantum frigus Osmanicos oppressit: vt plurimi tam manus quam pedes a fri-
gore læsos amitterent, ac incredibilis hominum iumentorumque multitudo fa-
236. me interiret. Præterea contigit, vt in ipso conatu transmittendi amnis, qui Docus
Gezid vocatur, flumen illud aquis pluuiis adauctum vehementer intumesceret.
Ideoque dici non potest, quot istic homines, iumẽta, rerum aliarum sarcinæ per-
ierint: adeoque de sua quilibet salute desperabat. Quando igitur exercitus Par-
thicus nusquam adparebat, nec sciri poterat, quonam se recepisset; aliaque nulla
regio Bagadate propinquior erat, quæ minus hiberni frigoris, & plus caloris ha-
beret: in hanc sibi Soleimanes ducendum statuit exercitum. Vbi propius ad vr-
bem accessisset, apertis incolæ portis, eam Soleimanis potestati permisere. Qua-
237. propter ingressus, nonnihil istic se recreauit. Omnis etiam Bagadati finitima re-
gio se Soleimanis imperio summisit. Quo factum, vt beglerbegum in vrbe consti-
tueret, ipsamque prouinciam in Sangiacatus partiretur. Præterea Bagadati mili-
tare præsidium imposuit, eique de tormentis bellicis, & aliis rebus necessariis, an-
nonæque copia prospexit: quum prius vrbem muniisset, & aquam e flumine de-
riuatam in fossas vrbanas immisisset. Hoc tempore supremus Dephterdarus siue
maximus ærarii præfectus, Ischender Zelebis, apud Sultanum Soleimanem dela-
tus fuit, ob tractatos nequiter thesauros regios: quem extra vrbem hoc nomine
suspendi iussit, vniuersis facultatibus eius fisco adplicatis. Interea vero, dum Solei-
manes intra Bagadatis muros, exercitus foris in hibernis hærebat: prodiit denuo
Scachus Techmases in apertum suis cum copiis, & Tebrisium iter instituit. Inde
quum ipsum haud procul abesse relicti ad Tebrisium Sangiaci & Genizari, de
quibus supra dictum, accepissent: quid agendum sibi hoc casu foret, ignorabant.
Quia tamen animaduerterent, nec ad resistendum hosti tam potenti se sufficere,
nec in tempore sibi succurri posse: sarcinas omnes, & tormenta bellica cum rebus
ad ea necessariis, & custodiæ suæ commissis, ibidem reliquerunt, ac fuga saluti suæ
consuluere. Scachus Tebrisium ingressus, omnes istas sarcinas & impedimenta
militi suo diripienda concessit: bellica vero tormenta, cum vniuerso ad ea perti-
nente adparatu, concremari iussit: & quidquid de machinis bellicis colliquefa-
ctum flammis absumi non potuerat, ad signandos manguros destinauit. Vbi iam
durior hiemis tempestas præterierat, Bagadate Soleimanes mouit eodem anno
C. 1536. DCCCCXLI, ac denuo Tebrisium duxit: vnde quum non magno abesset inter-
uallo, rursum cum suis Techmases fugæ se dedit: atque vti facultatem sui perse-
quendi Osmanicis adimeret, suam ipsemet regionem vastauit, annonam omnem
corrupit & exussit, subditos suos passim abegit. Vbi Tebrisium Turci peruenis-
sent,

sent, Soleimanes optimum quemque suorum, & præsertim egregiis instructos
equis, delegit: eisque mandauit, vt summa vsi celeritate, hostem alicubi adse-
querentur. Quod quum illi facerent, omniaque misere vastata conspicerent:
ad animum eis accidit, fieri posse, vt in redacta penitus ad solitudinem regione
aliquod ipsis incommodum eueniret. Ideoque conuerso itinere Tebrisium re-
diere. Quum autem Soleimanes hoc modo delusum se videret, vehementi
commotus ira, Scachi Techmasis, & maiorum ipsius regias, amœnaque palatia,
cum ipsius Sultani Iacupis ædificio, quod Heste behiste dicitur, & omnibus cum 238.
paradisis dirui, vastari, cremari iussit. Præterea plurimos Tebrisij ciues compu-
lit, vt inde Constantinopolim commigrarent. Ad summam, insigni regionem
illam vniuersam excidio adflixit, direptis miserorum incolarum facultatibus, &
absumtis omnibus iumentis. Post hanc vastationem, Soleimanes exercitum
Carahemidam reduxit. Et dispositus ac relictus erat a tergo dundar, vt Turci vo- 239.
cant: quod vereretur, ne in ipsa profectione Scachus impressione subita suos ad-
grederetur. Quod quidem ita prorsus accidit. Nam Scachus, intellecto disces-
su Soleimanis, selecta Corizzorum quinque millia secum sumsit, ac veredario-
rum in morem Osmanicos a tergo sequutus est: in hoc vnum intentus, vt eos a-
liquo detrimento adficeret. Tamdem in agmen illud extremum incidit, quod
dundar adpellatur, vti diximus. Eius ductor erat Vlumas begus, cui præter quin-
que Sangiacos, XVII millia strenuorum militum Soleimanes adtribuerat. Ad
hos quum Scachus aduolasset propius, mox in eos irruit: & manu conserta, su-
perior ipse, Turcis cæsis, euasit. Interemta fuere Turcorum ad XII millia, desi-
deratique tres Sangiaci. Quartus in hostium potestatem venit, quintus cum V-
luma bego fugæ beneficio discrimini semet eripuit. Scachus hoc tam feliciter pu-
gnato prœlio contentus, nihil periclitandum putauit vlterius, quod hosti ex ali-
qua parte par pari relatum arbitraretur: ideoque retro cum victricibus copiis ad
suos abiit. Ipse quoque Soleimanes iam Carahemida discesserat, Chalepum pe-
tens: vnde digressus, die XIIII mensis Rezebis Constantinopolim adpulit, an-
no DCCCCXLII. C.1536.

Dum illic ad tempus aliquod a bellis abstinens quiescit, suspectus ei cepit
esse Ibrahimes bassa, cuius & ex parte fuit detecta perfidia. Quippe ferebatur cum
Italis quoque secreto pepigisse fœdus, vt imperium Turcorum in se transferret.
Quapropter eum Soleimanes die quodam Mercurij, qui XXII mensis Remasa-
nis erat, ad cenam inuitauit: qua finita, quum de certis negotiis inter se collocu-
ti, iam cubitum pergerent: Ibrahimes quoque suum ad conclaue secessit, & in
lecto se composuit. Quippe quoties ad Soleimanem noctu accessebatur, in ipsius
imperatoris saraio cubabat. Quum obdormiisset, interfici hominem Sultanus
iussit; omnesque facultates ipsius & opes, fisco addictas, thesauris suis inferri. Fa-
ctum hoc fuit anno DCCCCXLII. C.1536.

Diximus antea, Chairadinem bassam magna cum classe profectum in Bar-
bariam, Mauris famosam vrbem Tunisim eripuisse, ac ibidem sibi constituisse
domicilium. Is hoc tempore naues atque triremes in terram subduxerat, rerum
scilicet suarum plane securus, suoque dumtaxat, indulgebat genio. Princeps in- 240.
terim Maurus, cui prius ea paruerat ditio, profectus in Hispaniam, opem Hispa-
ni principis implorauit. Hispanus ad consilium reuocato negotio, verebatur pro-
pterea, quod Tunisim Barbarossa cepisset, vt Hispanis idem aliquando damnum
inferret. Facile putabat ignem exstingui posse, si prius supprimeretur, quam la-
tius erumperet. Eaque de causa datis ad Italicos principes litteris, vti subsidio sibi
venirent, petiit. Magnis ergo collectis copiis, & insigni classe parata, eidem An-
dream Doriam suprema cum potestate præfecit, atque ita Tunisinam expeditio-
nem instituit. Chairadines re comperta, Raisos suos conuocauit, eisque delibe-
randum proposuit, quid hoc Christianorum motu faciundum censerent. Illi re-
spondere, classem mari prius instruendam, quam Christiani se coniungerent: o-
mninoque præpediundos, ne conuenire possent. Ad ea vicissim Chairadines
bassa: Si tulipandum, inquit, meum dumtaxat excelso quodam in loco super

hastam defixero, a Christianis vt conspici possit; formidine correpti, ad aliquot milliariorum millia retro fugient: tantum abest, vt bellum nobis illaturi sint. Hac ergo securitate suique confidentia cæcatus, omnem ex animo sollicitudinem & curam deposuit. Verum non multo post Tunisim præpotens Christianorum classis adpulit. Ea quum istuc accessisset, occurrit hosti Chairadines extra vrbem suis cum copiis, tametsi vix nouem decemve militum idoneorum millia secum educeret. Ad Christianorum aciem progressus, animose cum eis conflixit. Et quamquam ingens hominum multitudo in Christianorum esset exercitu, fama tamen perhibetur, multa Christianorum millia tum cæsa fuisse, quum ex aduersa Chairadinis parte duo dumtaxat hominum millia desiderarentur. Quum autem Chairadines hoste se videret inferiorem, conuersa suorum acie, ad vrbem se recepit. Eò quum ventum fuisset, occlusam reperit, & in mœnibus elata Christianorum vexilla conspexit. Quippe captiuorum Christianorum aliquot in vrbe millia reliquerat, qui quidem interea, dum extra muros ipse cum exercitu Christianorum præliaretur; perfractis carceribus, & arreptis armis, portas vrbis clauserant, & in mœnibus vexilla Christianorum erexerant. Id vero quum accidisset, maior pars militum Chairadinis cæsa, cunctaque nauigia, cum machinis & adparatu bellico, fuerunt amissa. Chairadines cum reliquiis suorum propter vrbem aufugit, & in solitudines secum eis abdidit: quorum magna pars fame, siti, & æstu periit. Ipse varias expertus ærumnas, tamdem ad vrbem suam Cesairem euasit: vnde cum decem & octo triremibus Constantinopolim profectus est, quacumque tenderet, damnum Christianis inferens. Acciderunt hæc

C. 1537. anno DCCCCXLIII.

241. Solebat hoc tempore Constantinopoli Soleimanes plerumque degere. Verum ista quum euenirent, forte migrauerat Hadrianopolim, vt istic hibernaret.

242. Sub æstatis initium reuersus Constantinopolim, ad bellum se parauit, & Chairadinem Lutsimque bassas magna cum classe dimisit, qui mari rem gererent: ipse Constantinopoli digressus, Albaniam petiit. Auelonam quum peruenisset, etiam Chairadines & Lutsis eodem cum classe triremium, ceterisque cum nauigiis, adpulerunt. Soleimanes in loca montuosa profectus, ibidem cum Portæ militibus & comitatu castris locum cepit: reliquum exercitum in Albanos perduelles immisit, qui res eorum agerent, ferrent, ac liberos & vxores seruituti mancipparent: licet hic conatus eorum in irritum caderet. Præterea Romaniæ beglerbegum, cum Romaniæ copiis, in Apuliam trans mare misit: qui ea in regione quædam opidula cum pagis diripuit. Quum denique Turcica classis Corcyram præterlegeret, ex Corcyrensi præsidio Christiani nauim annonariam, quæ classem sequebatur, bellicis petitam machinis demersere. Soleimanes animaduersa Venetorum perfidia, quam ex aliis etiam indiciis abunde perspexerat; non parum excandescens, Chairadini Lutsique bassis præcepit, vti cum classe Corcyram insulam peterent, opidula cum vicis deprædarentur, hominesque captiuos secum abducerent. Id illi quum fecissent, nauigia mancipiis Christianis, cuiusuis

243. ætatis & sexus, onerarunt: atque ita Constantinopolim rediere. Quod delati, Christiana mancipia supra opidum Galatam, eo loco, qui Besictas vulgo dicitur, ad terram exposuere: missisque Constantinopolim præconibus, proclamari iusserunt; vt si quis mancipia Christiana, feminas, mares, iuuenes, senes mercari vellet; ad indicatum modo locum veniret, ibidem huiusmodi mancipia perexiguo comparaturus pretio. Quod quidem ita factum fuit, tam vili pretio miseris illis distractis: vti plerique duobus tribusve Sultaninis venirent, hac ipsa pecunia regiis thesauris illata. Posteaquam domum itura classis discesserat, etiam Sultanus Soleimanes motis castris iter ingressus, die nono mensis illius, qui Zemasiel Achir Turcis dicitur, Constantinopolim reuersus est, anno

C. 1538. DCCCCXLIIII.

Quum istic aliquamdiu hæsisset, armis in Moldauum expeditis, XI die mensis Seferis Constantinopoli egressus, Moldauiam versus contendit. Vbi ad opidulũ, quod Ishacluam vocant, peruenisset: transmisso Danubio, Moldauiam ingressus

ingressus est. Ibi tum fuga sibi consulere Vaiuoda Moldauus, nec vsquam in apertum prodire: incolæ vero regionis Sultano se dedere, qui limites imperij sui ad amnem vsque Berutem prolatauit.

Erat in aduersa ripa quoddam opidulum, quod Sangiaci domicilio satis 244.
esset idoneum. Quapropter eo loco Sangiacum constituit. Sequebatur id temporis Portam Sultani Soleimanis quidam natus ex familia Vaiuodarum Moldauiæ, cui & annonæ præbebantur. Hunc Soleimanes Moldauiæ Vaiuodam præfecit. Quod prior ille Vaiuoda quum resciuisset, Portam præpotentem ipsemet adiit, & a Soleimane postulata impetrataque gratia, restitutus in integrum fuit. Soleimanes e Moldauia reuertens, Hadrianopolim se contulit: vbi exacta hieme, sub veris initium Constantinopolim abiit, & quieti se dedit, anno
DCCCCXLV. C.1539.

Secundum illa denuo cum classe Chairadinem mari ablegauit. Is autem egregie instructus, vt hostem suum, Andream Doriam, quæreret: absque vllo impedimento penetrauit in Italiam, ibique nonnulla cum vicis opidula depopulatus, etiam munera maioribus a ciuitatibus accepit. Quum diu hinc inde oberrasset, inopinato Andream Doriam reperit, & strenue cum eo confligens, naues hostiles aliquot submersit, & triremes aliquot cepit. Doria tamdem hosti se imparem animaduertens, cum reliquiis suæ classis aufugit. Et quia tunc 245.
hiems imminebat, versis Chairadines velis Constantinopolim rediit, anno
DCCCCXLV. C.1539.

Die Iouis, qui XV mensis Seferis erat, sub vesperam, incendium Constantinopoli, non procul ab illorum carcere, qui criminum rei custodiuntur, in eorum tabernis exortum fuit; qui picem, resinam, axungiam, aliasque res tales vendunt. Hic ignis ex indicatis tabernis in ipsam turrim, siue carcerem prædictum, euasit: qui clausus quum esset, homines in eo DCC flammis exusti perierunt.
Ex eo loco dilatatum in vrbem incendium, a dextris & sinistris vagari cepit. Ad 246.
publicanorum carcerem quum peruenisset, aperto carceris ostio, dimissi fuere
publicani. Quo facto, turris ipsa, siue carcer, itidem conflagrauit. Latius inde ser- 247.
psit, vsque ad Portam vrbis, quam Lignariam vocant, vbi tabernæ sunt fabrorum ferrariorum. Iis in locis omnia flammis absumta fuerunt. Inde se conuertit hic ignis ad ædes Balis Agæ, qui tribunus olim Genizarorum fuerat, totaque istæc deflagrauit regio. Postea perrexit ad Carauanæ saraium, vnde tabernas eorum inuasit, qui torno cælant, quarum ordine series magna conspicitur. Hinc 248.
ad eam erupit aream, quæ Tachtal Cala dicitur: vnde rursus ad fabros ærarios, ab his ad vitriarios penetrauit: etiam illa regione incendio prorsus exhausta, quæ pictum balineum ambit. Longius inde progressum, ad Iudæorum peruenit ædes; ibidem maximo cum detrimento grassatum propterea, quod admodum illæ sibi contiguæ sint. Hinc sparsæ fuerunt flammæ vsque ad portam fori piscarij, & quidquid ædificiorum erat inter hanc, & Iudæorum portam, prorsus ab igne deletum fuit. Ad summam, propemodum vniuersæ Iudæorum domus fuere concrematæ. Nam æstiuo tempore contigit hoc incendium, quum ingens esset siccitas. Arbores etiam virides instar sulphuris arsere. Nullus incendij restinguendi modus inueniri poterat. Nihil arborum resectarum deiectio, nihil aqua iuuabat. Vnde factum, vt tota nocte duraret. Erant distributi per omnes vrbis regiones Genizari, qui flammas exstinguerent: sed incassum laborabant. Etenim postridie illius diei, a primo diluculo, vsque ad vesperam, ita desæuierunt: vt etiam maximi pretij merces aut absumerentur, aut direptionibus essent expositæ. Quippe quibus in locis vrbis hoc grassatum fuit incendium, in iis maiori ex parte mercatorum, & aliorum tabernæ consistunt: ideoque potior pars vrbis in cineres abiit, quum idem accideret omnibus ædificiis, quæ extra muros vrbis a foro piscario sita sunt in littore maris. Eodem tempore pestis etiam in vrbe grassabatur. Vtrumque DEI contigit nutu, anno
DCCCCXLVI. C.1540.

Secundum hæc rursum magna cum classe missus fuit Chairadines, vt arcem

249. Nouam, quam Christiani occupauerant, recuperaret: imperatumque Sangiacis omnibus eius prouinciæ, vt vniuersis suis cum copiis, & adparatu bellico, ad eam se conferrent obsidionem. Vbi classis adpulisset, e nauibus in terram expositæ fuere machinæ tormentariæ, propiusque militari more deductæ ad castelli muros, & tam diu displosæ, donec mœniorum pars disiecta corrueret, ac per ipsas ruinas miles ad expugnandam arcem immitteretur. Erant in præsidio castelli milites Christiani virtutis eximiæ, qui tam fortiter hosti resistebant; vt ab vtraque parte plurimi caderent. Ad extremum tamen animorum ardore remisso, succubuerunt; & occisis propemodum vniuersis, captisque superstitibus, euasit nemo. Noua recepta, quidquid erat inter captiuos ætatis vegetæ, damnatum fuit ad triremes. Itidem reperta in arce mancipia Turcica, vindicata sunt in libertatem. His rebus gestis, & arcis mœnibus, quá diruta fuerant, refectis; Chairadines illinc cum classe digressus, aliquot nauigia mercibus onusta Christianis ademit, & opidulis quibusdam maritimis flammis ac ferro coactis, vt incolumitatem suam pecunia redimerent, Constantinopolim rediit, anno
C.1540. DCCCCXLVI.

Sultanus autem Soleimanes die secundo mensis Schabanis Constantinopoli profectus, Hadrianopolim accessit, & ibidem hibernum tempus exegit: quo durante, exortum incendium in saraio nouo, quo conclusæ Sultani vxores, liberi, puellæ virgines habitare solent, totum illud ædificium cum magni pretij rebus exussit. Rursus tamen haud magno temporis spatio splendidius est instauratum, quam fuerat prius. Inde Soleimanes Constantinopolim die VII mensis
C. 1541. Silchizis reuersus, ibidem ad aliquod tempus hæsit, anno DCCCCXLVII.

Exposuimus supra, Soleimanem complura per Vngariam opida, cum ipsa regni metropoli Buda cepisse: motumque singulari quadam gratia, Banum Er-
250. delij creasse regem Vngariæ: Quum ad aliquot annos ille regno plena cum potestate præfuisset, filium moriens reliquit heredem, qui per ætatem administrandæ reipublicæ non erat idoneus: eaque de causa mater pueri gubernationem ad se transtulit. Hoc permoleste ferens, quidam ex proceribus Vngaris, Petrus Perenius; suis ad eam missis hominibus, hæc significari iussit: Esse ipsam feminei sexus, & institutis maiorum minime permitti, vt in Vngaria mulier regia cum potestate sit. Quamobrem metropolim regni Budam Perenio dederet. Nisi faceret, venturum cum exercitu, & vrbem vi occupaturum. Mulier legatis respondit, vrbem Budam non suam esse, sed Sultani Osmanidæ: a quo si Perenius eam repeteret, ac impetraret, omnino se deditionem facturam. Vbi Perenius hoc ab ea responsum tulisset, cum Banis & proceribus ceteris in colloquium veniens, summo dedecori vniuersis dominatum illum muliebrem esse dixit. Proceres hominis oratione permoti, libenter in eam sententiam pedibus ibant, vt remouendam ab administratione feminam statuerent: nec ipsis aduersantibus episcopis, qui dicerent hoc modo rem Vngaram in posterum melius habituram. Itaque proceres mutuo inter se fœdere deuincti, magnas coëgere copias, & insigni cum adparatu bellicorum tormentorum ad Budam accesserunt. Ea re conspecta, repente mulier exiguam militum manum colligit, & hoc vrbem præsidio munit: quum Soleimanem quoque de rebus omnibus certiorem fecisset. Is ad huiusce motus famam, confestim Muchemetem bassam cum parte Genizarorum, & copiis Romaniæ præmisit: ipse die XXV mensis Seferis Constantinopoli digressus, Budam versus cum Portæ comitatu, & reliquis Genizaris, Muchemetem bassam continuo sequutus est. Vrgebat interim Perenius vrbis obsidionem, sed ea potiri non potuit. Vbi Muchemetes exercitum propius ad vrbem duxisset, magnopere Soleimanis aduentum desiderabat. Quippe tam numerosæ Christianorum erant copiæ, magnam vt Muchemeti formidinem incuterent. Quinetiam spreto ipsius aduentu, ne latum quidem vnguem e castris suis cessere: sed mœnia tormentis concutere, atque ipsam vrbem oppugnare perrexerunt. Ea vero quum in Vngarorum potestatem iamiam ventura esset, in tempore Soleimanes suo cum comitatu, & Genizaris,

& exercitu

& exercitu Anatoliæ profectionem ita maturauit; vt itinere bidui dumtaxat a Muchemetis & hostium castris abesset. Id vbi Perenius resciuit, commodam nanctus occasionem, furtim e castris se proripuit, & aufugit. Non enim futurum putarat, vt ipse Sultanus ad soluendam vrbis obsidionem veniret. Milites Vngari, cognita Perenij clandestina discessione, suos & ipsi deseruerunt ordines, seque mox ad ineundam fugam pararunt. Id conspicata mulier ea, quam diximus, ex vrbis sublimiore loco, misso nuntio Muchemetem bassam increpuit, cur hoste fugiente quiesceret. Muchemetes, qui Romaniæ tum beglerbegus erat, his auditis, mox in Christianos suum promouit exercitum. Quod illi fieri videntes, hostisque conatui leuiter admodum repugnantes, in fugam sese coniecere. Quidam naues ingressi, euaserunt: alij semet in Danubium præcipitantes, aquis obruti periere: cæteris aut cæsis, aut captis. Ipso conflictus momento Soleimanes etiam cum suis aduenit. Direptis Christianorum castris, machinas bellicas, & pertinentem ad eas adparatum, in vrbem conuehi iussit. Hinc Budæ beglerbegum siue bassam constituit, & milites ibidem Turcicos in præsidio collocauit: adsignata mulieri, eiusque filio, Erdelij regione; quam pueri pater antiquo iure maiorum possederat: atque illuc matrem, cum filio, mox ablegauit. Inde, qua venerat via, regressus Soleimanes, die mensis Schabanis octauo Constantinopolim rediit, anno DCCCCXLVIII. C. 1542.

Illic dum hæret, filiis duobus, Sultano Muchemeti, & Sultano Selimi ditiones adtribuit: illi Manissam, huic Caramaniam. Factum hoc anno DCCCCXLIX. C. 1543.

Soleimanes satis sibi diu Constantinopoli substitisse visus, ad aliam se parauit expeditionem, denuo inuasurus Vngariam. Itaque Constantinopoli discedens, Hadrianopolim in hiberna se contulit. Inde magno cum adparatu, & vniuersis copiis, profectus est die mensis Mucherenis octauo. In Vngariam quum peruenisset, arces Petri Perenij primum adortus, Valpoum machinis & militi- 251. bus admotis, expugnauit & cepit. Inde Pestum adgressus, itidem occupauit. Pesto discedens, vlterius perrexit, & Strigonium obsedit: vbi licet præsidiarij milites egregie se defenderent, tamdem tamen Soleimanes eo potitus est. Hinc exercitum ad Albam regalem adduxit, qua in vrbe reges Vngarorum sepeliri consueuerant. Huic quum militem Soleimanes admouisset, præsidiariis vrbem strenue propugnantibus, ingens vtrimque cædes edita fuit: sed nihilominus ad extremum Soleimanis in potestatem venit. Is vero postea, quam occupatis ciuitatibus, arcibus, opidis, præsidia Genizarorum, & aliorum militum, imposuisset: itinere conuerso, rediit Constantinopolim, & die XVII mensis Schabanis vrbem ingressus est, anno DCCCCL. C. 1544.

Postridie, quam aduenisset, adlatum fuit Constantinopolim cadauer filij, Sultani Muchemetis: quod peractis exsequiis, haud procul ab antiquo domicilio Genizarorum, monumento fuit illatum. Mortem filij Soleimanes pater acerbe luxit. Ideoque magnam ciborum copiam coqui curauit, & epulum funebre quibusuis, tam pauperibus, quam opulentis, animæ filij causa, præbuit. Multa quoque mancipia sexus vtriusque, suo redemta pretio, libertate donauit. Præterea monumentum filio magnificum exstruxit. Acciderunt hæc anno DCCCCL. C. 1544.

Soleimanes secundum illa Constantinopoli tempus ad aliquod mansit, nec rei quidquam memorabilis est molitus. Interea mortuus est die quinto mēsis Zemasiellulæ vir rerum strenue gestarum gloria clarissimus, Chairadines bassa: sepultus in loco, qui Besictas adpellatur. Contigit hoc anno DCCCCLIII. C. 1547.

Hinc arma Soleimanes iterum expediit, in Parthiam ducturus exercitum: quod quidem bellum hanc causam habuit. Erat Scacho Techmasi frater, cui nomen Ercases Imirsa, Siruanæ supremo cum imperio princeps. Hic certas ob causas ab amicitia fratris, Scachi Techmasis, discedens; vt ægre faceret fratri, ad Sultanum Soleimanem profugit, eiusque se fidei permisit. Hoc autem iter sic instituit, vt per regionem Circassorum longis ambagibus Cosen peteret, vnde Constantinopolim adpulit. Perquam gratus Sultano Soleimani

principis huius aduentus accidit. Ideoque magno cum honore exceptum, muneribus donauit amplissimis. Quinetiam ipsius causa numerosis, vel omnibus po-
C. 1549. tius copiis suis coactis, insigni cū adparatu die XIX mensis Seferis, anno DCCCCLV, Constantinopoli digressus, in Anatoliam transmisit, rectaque Parthiam versus duxit. Postea, quam ingressus fuisset hosticum, tam arcem, quam ciuitatem Wa-
253. num Wastani obsedit. Parum hosti ciuitas resistere potuit, in quam ab omni parte pateret aditus: sed arce non nisi magno labore Soleimanes potitus est, quod ido-
254. neo Parthicorum militum præsidio defenderetur. Vbi Wanum arcem Soleimanes expugnasset, sparsus per omnem regionem miles Sultanicus, eam rapinis & ferro vastauit. Nusquam Scachus Techmases reperiri, nusquam conspici potuit, nusquam hosti se opposuit. Ercases vero laborem nullum recusans, dum hinc inde cum suis excurreret: quoscumque thesauros adipisci potuit, Soleimani misit. Tamdem tamen Osmanicos proceres, ac duces militares, magnopere belli tam diuturni, parumque fructuosi, tædere cepit. Ideoque dolum excogitantes, vt vindictam de auctore belli Ercase sumerent; variis eum mendaciis apud Soleimanem delatum onerarunt. Summa rei hæc erat, quod leporem dimittendum, canem vero capiendum suadebant. Quum Ercases Imirsa conspirationem ipsorum animaduerteret, atque etiam perspiceret, eos vitæ suæ insidiari: vehementer animo perturbatus, in arcem cuiusdam Curdistanij principis, præ formidine, se recepit: tametsi nē quidem illic vitare calamitatem imminentem potuit. Quippe Curdistanius ille princeps Imirsam captum fratri Scacho Techmasi misit, qui deinceps eum, custodiæ mancipatum, in carcere detinuit. Expeditio Soleimanis annum durauit integrum, cum nouem mensibus. Atque his rebus gestis, Constan-
C. 1550. tinopolim Soleimanes primo die mēsis Silchizis, anno Mahumetano DCCCCLVI, reuersus est.

Hactenus expositi à Turcis annales desinunt in annum Christianum M D L.

SVPPLEMENTVM ANNALIVM,

Quo res Turcicæ continuantur ad annum Mahumetanum DCCCCXCVI. *qui Christianus est* CIↃ IↃ LXXXVIII. *ex Ioan. Leonclauij aduersariis.*

C. 1550. ANNO Mahumetano DCCCCLVI, ineunte vere, Dragutes Raisus, pirata celebris, opidum Barbariæ (sic Aphricam maritimam hodie vocamus, adpellatione Romanis etiam historiis non ignota) quod Mahadian Mauri dicunt, Aphricam nostri, veteres Aphrodisium, sollerter occupauit, ac præsidio muniuit. Quo cognito, Karuli Augusti classis imperator, Andreas Doria, mature cauendum ratus, ne quid ex eo loco barbarus detrimenti reipublicæ, ac præsertim Neapolitanis & Hispanicis litoribus daret: cum classe militeque profectus in Aphricam, Monasterium opidum, Aphrodisio proximum, expugnat; cæsis ex hostium præsidio CCC, abductis CIↃ CC, mancipiis. Inde coniunctis cum Ferdinando Gonzaga pro rege Siciliæ copiis, Aphrodisium obsidet: quod mense tertio tamdem in potestatem venit. Cæsi ex barbaris plurimi, capta capitum ad VIICIↃ. Vehementer hoc Sultani Soleimanis animum pupugit, cui se non ita pridem, operamque suam, Dragutes addixerat. Cæsaris vero Karuli iussu funditus Aphrodisium fuit euersum.

Anno sequenti proximo Sultanus Soleimanes classem instruxit, eique Sinanem bassam præfecit, adiunctis huic Dragute, Salaque, Raisis: qui quum arcem Melitensem frustra tentassent, transiectis in Aphricam copiis, Tripolim, arcem & opidum ditionis equitum Melitensium, eorumque præsidio munitam, obsidione tentarunt; ac fraude Dragutis & Salæ, præfecti Gasparis Vallerij Galli credulitate,

dulitate Argosini Hispani formidine, proditione denique cuiusdam ex ea parte
prouinciæ Narbonensis oriundi, quæ Romano Pontifici sub Auenionensi ditio-
ne paret, in potestatem redegerunt. Collata tamen præcipue culpa fuit amissæ
munitionis huius, ab ipso equitum Melitensium magno Magistro, eiusque colle-
gio, atque aliis, in Aramontanum Galliæ regis Henrici legatum: qui Soleimanis
vt arma concitaret in Karulum Augustum, Constantinopolim missus, huc adpu-
lerat; & sub prætextu conficiundæ pacis, obsidionisque soluendæ, Melitensibus
fraudi fuisse perhibetur. Occupata fuit Tripolis die XV mensis Augusti, anno Ma-
humetano DCCCCLVII. cui Sultanus Soleimanes Dragutem cum imperio San- C.1551.
giaci begi præfecit. Is deinceps infestus Caruennæ regi, cuius ditio CCC milliari-
bus Italicis a Tripoli distat, ob denegatam opem obsesso Aphrodisio, maiori par-
te ditionis eum exuit: aliaque gessit, de quibus suo loco dicetur.

Superioribus * annis Ferdinandus Cæsar, Vngariæ Bohemiæque rex, post C.* 1548.
obitum Perenij, Agriam, Vngariæ municipium, quod Erlam vulgo vocant, sui iu- 1549.
ris fecerat: & illustrissimi Comitis Salmensis Nicolai opera Zabragium, Leuam, 1550.
Zythnam, Muranum expugnarat. Nec multo post, eiusdem regis mandato, Zol-
noccum Turcis Agrienses eripuerant. Has ob causas iritatus Soleimanes, Teme-
suarum per suos obsedit, & deditione cepit, interfecto per scelus violatæ fidei Ste-
phano Losoncio, illius loci propugnatore: Lippam, Solimosum, Chianadiā, cum
aliis castellis occupauit: Erasmum Teifelum, Ferdinandi ducem, cum Sfortia Pa-
lauicino, & Augustino Sbardellato, Vaciensi præsule ad Palastum, Alis bassæ Bu-
densis ductu, cæcidit: eaque potitus victoria, Dregeltum arcem, Giarmatum, Ze-
zenum, aliaque loca vicina sub iugum misit. Tam prospero rerum successu elatus
Alis bassa Budensis, quem Caram siue Nigrum Alim vocabant, adiūcto sibi Ach-
mete Romaniæ beglerbego, & Casanæ, aliisque pluribus begis, Zolnoccum ad-
oritur: eoque, præsidiariis die IIII Septembris vltro cedentibus, vt Agriam, quæ
momenti maioris erat, aduersus hostem defenderent, potitur. Inde promotis ad
Agriam castris, summo quidem illam impetu adgrediuntur & oppugnant; sed ir-
rito conatu, & magno cum bassarum dedecore: quod feliciter a Stephanis Dobo-
ne Ruscano, Mezikeio, Zoltaio, Gregorio Diaco, Ioanne Figedeo, atque aliis for-
tibus viris defenderetur. Gesta fuerunt hæc anno Mahumetano DCCCCLVIII. C.1552.

Dictum paullo ante, Galliæ regem Henricum, misso legato, Sultanum So-
leimanem aduersus Karulum Augustū, ex lege mutui fœderis, cuius auctor Fran-
ciscus pater exstiterat, incitasse. Permotus ab Aramontano Soleimanes, qui ad
Persicos fines postulatis eius adnuit, mox classem expediri iubet, quæ Gallicis iū-
cta copiis, Karuli ditiones maritimas infestaret. Quod quidem ex voto præstitum
a fidis sociis, grauissimaque Neapolitanis & Siculis litoribus illata damna. Corsica
quoque, Genuensium insula, capta fuit; & incolæ cum præsidiariis partim cæsi,
partim crudeliter habiti. quod quidem accidit anno DCCCCLIX. Nec restituta C.1553.
Genuensibus Corsica prius fuit, quam pax inter Philippum & Henricum, Hispa-
niæ Galliæque reges, anno post sexto coiuisset. Quippe non multo post cōfectam
hanc pacem, infeliciter exstincto patre, Franciscus II, Henrici II F. ex pacis eam
legibus reipublicæ Genuensi reddidit.

Erat Sultano Soleimani filius Mustaphas, natu maximus, ex muliercula Cir-
cassa, seruilis condicionis; cui pater initio Magnesiam, inde Amasianam prouin-
ciam dederat, vbi cum matre degeret: denique Carahemidam Mesopotamiæ,
Persicos ad fines sitam, adsignarat. Erant eidem & alij liberi, quos ex femina for-
mæ (veluti quidem perhibetur) liberalis, natione Rossa, siue Roxolana, sustulerat
mares quatuor, Muchemetes, Selimes, Baiasites, & Ziangir: vnica femilla Cha-
meria, quam alij Camenam vocant, Rustemis veziris vxor. Hæc Rossa, quū præ-
ter Osmanidarum morem, Soleimani legitime nupsisset; de filiorum in imperio
successione sollicita, Rustemis generi criminationibus, & veneficiis quibusdam,
ab Hebræa striga subministratis, fascinatum Sultani animum, a Mustapha prorsus
abalienarat. Fuerant & bassæ cuiusdam patri exhibitæ litteræ, quibus ad Ruste-
mem scriptis continebatur; de matrimonio inter Mustapham, & filiam Scachi

Persarum Techmasis, quocum Soleimani pluribus ab annis bellum erat, tractari. Mirifice suspiciosum, ex aliis quoque delationibus, animum patris ea res perturbare: quod vereretur, ne Mustaphas Techmasis adiutus auxiliis, imperio patrem C.1552. &1553. excuteret. Itaque missus fuit anno DCCCCLVIII cum exercitu Rustemes vezir azemes, sub praetextu quidem belli Parthis inferendi; sed reapse cum secretis Sultani mandatis, vt quocumque modo Mustapham e medio tolleret. Rustemes in Asiam profectus, Soleimanem trepide certiorem facit, per calumniam tamen, in magno rem versari discrimine: Genizaros, ceterosque milites ita Mustaphae studere, de patris vt actum imperio videatur. Nullum aliud superesse remediũ, quam vt ipsemet in Syriam aduolaret. Territus hoc nuntio Soleimanes, subito Chalepum cum exercitu properat, quasi Parthis bellum facturus esset. Arcessitur per literas filius, vti Chalepũ ad patrem sine mora se cõferret. Mustaphas, licet de paternis insidiis inaudisset, monitusque secreto fuisset ab Achmete bassa, salutis vt suae rationem haberet; innocentia tamen sua fretus, patris imperio paret. In castra quum venisset, ad tentorium paternum recta pergit: vbi patre mutis aliquot robustis, quos Sultani Osmanigae, veluti hic etiam Murates III, in deliciis habere solent, minaciter innuente, prosternitur; iniectoque neruo, strangulatur. Inde Zianger, qui gibbosus erat, minimusque natu Soleimanis filius, a patre quasi per ludum ac iocum, Mustaphae fratri, quem necatum ignorabat, obuiam prodire iubetur. Is vbi propius ad fraternum cadauer accessisset, quamuis consternato mox interemti fratris equi, mancipia, tentoria, thesauri, ornamenta cetera, cum Amasiana prouincia, mandato patris offerrentur: tamen his omnibus spretis, & exprobrato patri verbis acerbissimis tam impio diroque facinore, statim suis manibus in viscera pugionem adigit, & cadaueri fratris incumbens, exspirat. Nec multo post, eiusdem Rossae malis artibus etiam vnico Mustaphae filio Murati, qui Prusae apud matrem educabatur, opera Ibrahimis eunuchi bassae iniecto neruo guttur eliditur, ipsius aui iussu: quum ei periculum, quod a nepote posset imminere, cuius patrem Genizari tantopere coluissent, numquam illa furia desineret ob oculos C.1553. ponere. Contigerunt haec anno DCCCCLIX.

Post solutam anno superiore, magno cum detrimento & ignominia Turcorum, obsidionem Agriae: nunc tandem Constantinopolim a Ferdinando rege legati mittuntur, Antonius Verantius, episcopus Agriensis, & Franciscus Zais, Cassouiensis in Vngaria superiore praefectus: qui de pace cum Sultano constituenda dum laborant, totum Constantinopoli biennium haerent.

De Galliae regis, & Soleimanis foedere diximus, cui Sultanus vt satisfaceret, aliquot annis hisce classem ablegauit ad infestandum mare Thuscum. Ea prius, quam longius nunc progrederetur, & cum Gallorum se classe coniungeret: Marinianus Marchio, Karulini praefectus exercitus, portum Herculis, quem Galli tenebant, inuadit: arcemque, praesidiariis obtruncatis, occupat. Secundum haec Turci Plumbinum obsidione cingunt, & non sine clade reiecti, Elbam Insulam, C.1555. conatu itidem irrito, tentant. Acciderunt haec anno DCCCCLXI.

Eodem anno, dum missi de pace legati necdum rediissent, bassa Budensis, qui Tuigon, nomine cum ciconia cõmuni, vocabatur; Capos Vhiuarum, praesidiariis ad deditionem compulsis, cepit. Eidem & Babotza, necdum aliquid ab hoste perpessa grauius, fide militari deserta, se dedidit. Consimilem de Zigeto sibi successum pollicebatur, sed quum fortiter in hostem praesidiarij se gererent, suique monerent, ne temere tentatam obsidionem soluere coactus, Sultanum offenderet, ab instituto discessit. Haec per autumnum illius anni, quem diximus, apud Vngaros fuere gesta.

C.1556. Proximo sequentis anni DCCCCLXII vere, Soleimanes Alim bassam cum copiis in Vngariam misit, qui Zigetum obsidione premeret, ac in potestatem redigeret. Nihil non ille fecit, vt voti compos fieret, ad tertium vsque mensem continuata oppugnatione: sed Christianis omnem vim hostilem, magna cum strage Turcorum, intrepide repellentibus, infecta re militem cum machinis bellicis inglorius abduxit. Turci prius, quam Zigeti obsidione soluta se reciperent, Babozam. S. Mar-

tam,S.Martinum,Geresgalum,Sallium,S.Laurentium,& Calamanciam,partim flammis iniectis absumsere,partim solo æquarunt.

Secundum hæc,anno DCCCCLXIIII,Selimes Baiasitesque fratres,Soleima- C.1558,
nis FF. superstite patre,inter se de imperio successioneque dimicarunt: victusque &1559.
Baiasites e Caramania cum XXCIↃ armatorum,& IIII filiis, ac Scachum Persicum Techmasem profugit. Veritus autem pater Soleimanes, qui Selimis partes fouerat,ne Techmasis auxilio vel filius, vel exstincto filio nepotes, res nouas molirentur: magnis pollicitationibus impetrauit a Techmase,mortis vt genere genti Osmanidarum familiari de medio tollerentur. Ne qua tamen fraus interueniret,missus fuit ad interiorem Persæ regiam Casminum Soleimanis Zeschniger, (sic prægustatorem Turci vocant) cui Baiasites cum filiis notus erat. Hoc præsente pater cum filiis, adhibito neruo, suffocatus fuit; & ab eodem necatorum cadauera Sebastiam deportata, proque more monumentis illata. Faciunt vero plerique omnes Baiasitem hunc Selime natu maiorem, quod equidem non recte fieri puto. Nam in circumcisione filiorum Soleimanis, videlicet Mustaphæ, Muchemetis,(qui multis ante patrem annis diem suum obierunt) & Selimis, nulla Baiasitis huius in Turcicis mentio: quæ quidem circumcisio celebrata fuit anno Ma-
humetano DCCCCXXXVIII, Præterea quum Soleimanes anno DCCCCXLIX Ma- 1532.
gnesiam Muchemeti, Caramaniam Selimi traderet, nulla rursum Baiasitis men- 1543.
tio. De quo sane liquet, Baiasitem hunc Selime natu minorem fuisse.

Ante non multos annos Tripolim Aphricæ Melitensibus ereptam fuisse diximus, & a Soleimane sangiacatum Tripolitanum Draguti concessum, cuius opera potissimum in potestatem venerat. Is suis finibus haud contentus, non modo Caruennæ regem Maurum, cuius supra meminimus, maiore principatus sui parte spoliauit: verumetiam progressus vlterius, corruptis Maurorum animis, qui Gerbensem insulam incolebãt, olim (vt opinio multorum est) a Lotophagis tantopere celebratis inhabitatam, eo rem astu gerere potuit; vt Scechés siue regulus insulæ Soleimanes, sub amicitiæ prætextu, Tripolim deduceretur: vbi dum hæreret imprudens, interueniente proditione, Dragutes insulam occupauit. Neque multis elapsis diebus, Soleimanem Scechem suspendio necauit, & alteri Scechi, sex aureorum millia tributi annui nomine pollicito, per traditionem vexilli viridis, insulæ dominium permisit. Erat in omnem intentus occasionem magnus Magister Melitensis, vt Tripolis aliquandiu recuperaretur. Itaque facta inter Hispanum Gallumque pace, quod Hispani regis auxilio voti se compotem fore speraret, cuius plurimum interesset, mature nidos illos piratarum, Turcis eiectis, in potestatem redigi: multis Duci Medinæ Celi rationibus ostendit, posse non magno negotio Tripolim expugnari: præsidiũ in eo quingentorum dumtaxat Turcorum esse: Caruennæ quoque regem, Draguti ac Turcis infestissimum, ad iungendam armorum societatem haud difficulter accessurum; cuius opera tanto futura sit eis vtilior atque fidelior, quãto grauius ille suam sibi regionem ereptam doleat, & certius sibi polliceri possit, futurum, vt Tripoli Turcis extorta, suam & & ipse ditionem recipiat. Hispanus hisce propemodum certæ victoriæ permotus argumentis, classem instrui, militeque compleri iubet, ac summæ rerum cum imperio Medinensem præficit. Feliciter successura videbãtur omnia, si mature Tripolim cum milite classis adpulisset. Sed profectione varias ob causas, & præsertim ventis ac tempestatibus aduersis, impedita: Dragutes, intellecto Christianorum instituto, præsidium Tripolitanum duobus auxit Turcorum millibus. Itaque Christiani spe, in hoc quidem tempore, Tripolis expugnandæ deiecti; Gerbensem, quam diximus, insulam recta petunt, nec magno negotio Scechem Maurorum adigunt, vt tradito castello, deinceps Hispano se regi pariturum, & quotannis tot aureorum millia tributi nomine soluturũ, quot Turcis pendere consueuisset, datis subsignatisq; syngraphis, stipularetur. Mox inutilis & ruinosi castelli loco arx magnæ capacitatis exstructa, & opinione multorum inexpugnabilis, si plene perfici, rebusque necessariis ex vsu muniri potuisset. Arci nomẽ inditum, vt Philippalcazer, in honorem memoriãque regis Hispani, diceretur. Monitus interim a

Dragute de Christianorum conatu, ac progressibus, Sultanus Soleimanes, summa celeritate classem parari, multisque millibus Genizarorum, Spachiorum, aliorumque militum compleri & expediri mãdat. Rei summæ Pialim bassam cum potestate præficit, classis ducendæ curam Mustaphæ, quem Caram siue Nigrum adpellabant, committit. Eius rei nuntio diuersis ex locis accepto, mox Ioan. Andreas Doria, magnæ vir ob singularem rei militaris ac naualis vsum auctoritatis cum aliis quibusdam monere, hortari, vrgere Medinensem: vt idoneo nouæ arci præsidio imposito, cũ classe, reliquisq; copiis, prius inde discederetur; quã Turci, rebus ab omnibus instructi, multitudine superiores, ac recẽtes aduenissent; ipsosque nec numero pares, & viribus exhaustos, vel inuitos ad dimicandum cogerent, vel pugnam detrectantes ad extremas rerum difficultates adigerent. Sed nihil apud pertinacem, & ab aliis præceptum Medinensis animum, recte valuere consilia. Nimirum amplissimæ classi fatalis quidam imminebat interitus. Id vel ex eo licebat coniicere, quod expeditionis initio, vix magna cum difficultate trium & medii mensis spatio vicinam Italiæ Siciliæque Barbariam (sic Aphricam maritimam vocari, supra docuimus) attingere nostri potuerunt: quum Turcica classis adeo secundis vsa sit ventis, vt postea, quam Constantinopoli soluisset, intra diem vigesimum ad Christianam profecta fuerit. Vtque Turci tanto felicius animis destinata perficerent, sub mediam noctem ventus Christianis aduersus esse cepit, Turcis propitius: quo nimirum prima Christianos aurora nec opinantes opprimerent. Hinc miserabilis illa clades sequuta, qua vel ab hostibus occisi, vel aquis absorpti, vel in seruitutem abducti fuere, vel alioqui variis periere casibus decies & octies mille Christiani. Triremes amissæ sunt XXVII, naues onerariæ XIIII. Dux Medinensis, arrepta fuga, cum Ioan. Andrea Doria Meliten euasit. Gasto, Medinensis filius, in potestatem hostium venit: qui arce occupata, tamque splendida potiti victoria, sub medium mensem Augustũ discessere, cursu versus
C.1560. Aulonem Albaniæ directo. Cõtigerunt hæc anno Mahumetano DCCCCLXVI.

Eodem anno Turci Filecum in Vngaria superiore, locum satis munitum, ceperunt. Ibi Sangiacum Soleimanes constituit, qui Budensi Bassæ subiectus esset. Neque multo post inducias Ferdinandus Augustus & Soleimanes pepigere, quæ vtrique parti gratæ durarunt, quam diu Ferdinandus superstes fuit.

C.1561. Anno DCCCCLXVII Iacobus quidam natione Græcus, qui & Heraclidis, & Basilici cognomen vsurpans, ab antiquis Valachiæ regulis genus suum repetebat, seq; insulatum in Ægęo, Sami Despotam, Pari Marchettium siue Marchionem vocabat, apud quosdam Poloniæ proceres, quibus innotuerat, tantum efficere potuit: vti complurium corrogatis auxiliis, inter quos principes erant, Albertus Lascus, Philippouius, Lassocius, in Moldauiam armata manu deduceretur. Erat tum eius regionis princeps, cum titulo Despotæ, Alexander; ob inauditam quamdam immanitatem erga suos infamis. Hunc numeroso instructum exercitu, Lascus lõge copiis impar, fundit, fugat, Moldauiæ regno pellit: totamque ditionem, armis domitam, Iacobo possidendam tradit. Victus prœlio fuit tyrannus Alexander die XVIII Nouembris. Iacobus Moldauiæ Despota factus, profusis apud Portam largitionibus a Sultano Soleimane impetrauit, vt in occupato principatu pro more confirmaretur.

C.1563. Anno DCCCCLXIX Iacobus Despota suis a Valachis, hominibus improbis, fraude circumuentus, vt elabi non posset, die V Nouembris occiditur. Hoc memorabile, quod moriendum sibi videns, nullum abiecti animi signum dedit: sed indutus amictu regio, vultu intrepido, oratione libera, bene recteque gestam ab se rempublicam, multaque singularia beneficia Valachis suis exprobrauit; Deum precatus vindicem, vti perfidiam & ingratitudinem barbaræ gentis vlcisceretur. Equidem adolescens hominem vidi & noui prius, quam in Poloniam proficisceretur. Vultu præditus erat liberali, statura non magna, robusto tamen, neruosoque corpore, capillo nigro, lingua diserta. Rebus in omnibus quamdam præ se ferebat dignitatẽ. Norat sane quam eleganter Gręce, Latine, Italice, Gallice. Commemorari & alia de hoc possent, quibus supersedendum, quod huius non sunt loci. Quod

ci. Quod autem inprimis huc pertinet, quãdo nulli sunt in orbe barbari Valachis inconstantiores erga dominos suos, quos frequenter & temere mutant: libet heic subiicere, quam multos paucis annis Iacobus hic Despota successores habuerit. Quippe statim ab eius interitu, vocatus a Valachis Dux Demetrius Visnouecius, Soleimani Constantinopolim vinctus ad certam necẽ mittitur. Eius loco Thomsa princeps a factiosis salutatur. Is quum perexiguo tempore rem Valacham administrasset, ab Alexandro iam reuerso expellitur, & in Rossiam profugus, Sigismundi Augusti Poloniæ regis iussu, ad Podpliæ Leontopolim capite plectitur. Alexandro reduci, postquam rebus humanis exemtus fuisset, successit filius Bogdanus: Bogdano Iuoniæ, qui se Stephani quondam Vaiuodæ filium ex concubina perhibebat. Iuonia, (sic Ioannem ipsi vocant) quum iniqua petentibus Turcis denegasset, adiunctoque sibi non magno Polonorum equitum militumque numero, nec contemnendis suorum coactis copiis, nimis graue barbarorum iugum excutere conaretur: a fidelissimis sibi creditis proditus, qui missi fuerãt, vt a transiectione Danubij Turcos arcerent, indignam magnanimitate sua mortem oppetiit. Ei Petrus, alterius Valachiæ principis frater, fauentibus Turcis suffectus fuit. Sed enim de his, hoc quidem in loco, satis: quando ad insequentes annos pertinent. Nunc ad annalium seriem redeamus.

Anno DCCCCLXX, mense Septembri, duce Carzia Toletano feliciter occu- C. 1564.
pata fuit arx in ora maritimæ Aphricæ siue Barbariæ sita, quam vocant Pignonem siue rupem Velezi, quod opidi nomen est, in continente siti, a qua rupes arcis disiuncta, vndique aquis cingitur. Turcicis ea piratis, Hispanum pelagus infestantibus, securum hactenus receptum præbuerat: quod esset in præruptis posita scopulis, & vndique (ceu dictum) mari circumfluo munita.

Sub exitum eiusdem anni, mortuo prius Ferdinando Augusto, die XXV Iulij, filioque Maximiliano vix imperium auspicato, Ioannes Sigismundus princeps Transsiluaniæ, vel (vt Turci vocant) Erdelij begus, infelix Sultani Soleimanis successione paterna cliens, fretus viribus patroni tam potentis, qui tamen suum, non clientis commodum captabat, & perduellium quorumdam procerum, inque primis Georgij Bebeci noxiis reipublicæ Christianæ consiliis incitatus; Zatmarum, non exigui momenti munitionem, eiecto Melchiore Balassa, præfecto Cæsaris, ac thesauris eius, cõiuge, liberisq; captis, suam in potestatem redegit. Quæ res quum Maximiliano Augusto nequaquã in ipso regni exordio ferenda videretur, quum alios bello gerendo duces idoneos arcessiuit: tum Lazaro Suendio, Baroni Altæ Landispergę, rebus magnis sollerter & pręclarę gestis ad omnem posteritatis memoriam illustri viro, summam belli administrandi, amplissima cum potestate, commisit. Sub eo, præter Vngaros, feliciter hoc bello Germani aliquot nobilissimi tribuni militarunt: equitum, Ioannes Ruberus a Pixendorfo, Ioannes ab Ascemburgo, Iacobus a Schulemburgo, Henricus a Gleizentala: peditum vero, Ioannes Wernherus a Raitenau, Rudolfus a Salis, aliique complures. Suendius absque mora nõ exiguas equitum peditumque Germanorum copias in agrum qui a Gepidis, antiqua natione Germanica, Cepisiensis hodieque dicitur, eduxit.

Anni sequentis initio, media bruma, Tocaium Suendius celeritate admira- C. 1565.
bili expugnat: quo capto, neque multo post ictu sclopeti occiso Francisco Neme- M. 971.
thio præfecto, arx etiam a præsidiariis dedita fuit. Ii suis cum gladiis dumtaxat ex pacto dimissi, ceteris armis ac rebus in arce relictis. Viduę Nemethij mundus tantummodo muliebris concessus. Quæ licet deinde mariti suosque non exigui pretij thesauros aueheret, reclamantibus Vngaris, Andrea Batorio, Melchiore Balassa, Gabriele Perenio, contraque legem deditionis id fieri causantibus: Suendij tamen auctoritate, qui vel cum aliqua iactura fidem datam religiose seruandam diceret, quo minus iis spoliaretur, obtinuit. Inde Zerenzium in potestatem venit, Erdelijque begus de Zatmari defensione desperans, incensam munitionem hosti reliquit inuitus: quam Suendius, ob naturalem situs commoditatem, mox instaurauit. Hinc transmisso Tibisco, Erdeuda, Cuuara, Bator, Vibania, Sendereuia, (quod a S. Andrea deductum nomen est) prospero victoriæ Suendianæ cursu,

Maximiliani Cæsaris imperium acceperunt. Tam denique felices hi successus erant, vt opem implorante bego Erdelij, Sultanus Soleimanes non succurrere dumtaxat ei totis viribus: verum ipsus etiam huic in Vngariam expeditioni præesse decreuerit. Sed existimabatur ab hoc instituto suorum consiliis retrahi, qui suadebant, vt ingenti expedita classe, Meliten inuaderet, & fractis equitum Melitensium viribus, insulam occuparet. Quod quidem vt faceret, inprimis Chasanes Cesairis prosultanus, Chairadinis Barbarossæ filius, & Dragutes Sangiacus Tripolitanus, vrgebant. Itaque hanc in sententiam animo propendens, vt interim vafro commento Maximilianum partim graui sumtu belli exhauriret, instinctu Erdeliani; partim inhiberet, quo minus vlterius progrederetur: apostatam Cibinensem ablegat, qui eum ad pacem cum Erdeliano colendam exhortaretur. Venit & Viennam cum Erdeliani mandatis eodem tempore Georgius Batorius, & Sigismundi Augusti, Poloniæ regis, qui Erdeliani auunculus erat, legatus; vt de componendo bello cum Maximiliano agerent. Verum hæc, vti diximus, astute gerebantur a Turcis: vt a cursu victoriæ Cæsar, cui rebus omnibus inferior erat Erdelianus, auocaretur: & Soleimanes interim vires suas in Melitenses posset conuertere.

Rhodum his insulam sub initium regni, cum omnibus in Ægæo, & Asia, Græciaque castellis, arcibus, ac territoriis; nec multis ante hoc tempus annis, Tripolim Aphricæ, sicuti narratum a nobis est, ademerat. Quibus iniuriis eos adfecisse non contentus, etiam prorsus exstirpatos volebat: quod & mercimonia suorum impedirent, & grauia sæpe detrimenta nauibus Turcicis inferrent. Accedebat altius animi vulnus, quod hactenus a Melitensi Christianorum propugnaculo quoddam libidini suæ repagulum obiici doleret, quo minus in Hispaniarum & Italiæ viscera iamdudum grassaretur. Hos igitur vti bello persequeretur & opprimeret, classem instruxit, quæ triremibus, onerariis, aliisque diuersis nauigiis CCL constabat. Vehebantur hac classe bello idoneorum militum ad XL millia. Terrestribus copiis Mustaphas, qui deinceps bello Cyprio ex immani crudelitate magis inclaruit, classi Pialis bassa cum imperio præerat: quibus Soleimanes Dragutem prosultanum Tripolis adesse voluit, hominem rebus terra marique gerendis expertentem, qui letaliter hoc bello vulneratus, cum iactura suorum, & commodo nostro interiit: fuitque suffectus a Mustapha in eius locum, vt Tripoli præesset, Alis ille Calaber, quem etiam nunc ignominioso Turcis nomine nostri vocant, Vluzalim, hoc est, Alim apostatam: quum a Turcis bassa Capitaneus adpellari soleat, veluti maris præfectus: & solus post Chairadinem Barbarossam, ob res contra Christianos gnauiter gestas promeruerit, vt cum maris præfectura veziris dignitatem coniungeret. Adpulit etiam, durante obsidione, cum XXVII triremibus, Chasanes Cesairis prosultanus, Chairadinis F. cuius vt paulo ante, sic & alibi sæpius in annalibus hisce Turcicis facta fuit mentio. Quum igitur hi bassæ Iunio mense litora Melites adtigissent, ac dies aliquot exponendis in insulam militibus & annonis, locorumque situ explorando, consumsissent: oppugnare machinis bellicis S. Elmum, (sic Hermetem vulgo vocant) castellum in ipso portus ostio situm, cepere. Quod quum pluribus diebus facere non desinerent, iamque magna mœnium pars tormentorum globis deiecta sic corruisset, vt in arcem latus hosti pateret aditus: equites Melitenses, perquam strenue se gerendo XXXV diebus oppugnationem, magna cum hostium clade, sustinuerunt: idque præter opinionem multorum, qui castellum contra vim hostilem nequaquam posse propugnari putarant. Tamdem quum equites nec hostium impetui ferendo, nec numero se pares videret, & arx vndique tam terra, quam mari a barbaris cincta, nullum amplius alicunde subsidium exspectare posset: occiso Christianorum, qui supererant, aliquo numero, Turcorum in potestatem venit. Qua hostes elati victoria, deinceps tormentis quatere S. Michaelis munitionem insanum in modum cepere, globos ferreos & lapideos quinque septem ve palmorum eiaculando. Sed quod totos quatuor hoc bello menses absumsissent, & hiems iam adpeteret: de discessu cogitare ceperunt, & eo quidem maiori festinatione, quod iam Garzias Toletanus,

Toletanus, Siciliæ prorex, instructis triremibus Hispanicis, quibus CCIↃↃ peditum vehebantur, cum multis aliis Christianis, ad suscipiendam hanc expeditionem religiosæ pietatis zelo commotis, auxiliares hasce copias in insulam exposuisset. Quo factum, vt Turci fœdam, præ formidine, fugam arriperent: & multis suorum millibus desideratis, ignominiose domum redirent. Pigebat ac pudebat suscepisse rem tam arduam, in cuius perficiendæ conatu vano XXIIICIↃ suorum amisissent. Ex Melitensibus CCXL equites, militum IIICIↃ, bello inutilis turbæ capita CIↃIↃCC cæsa. Bellum ipsum gestum fuit anno Mahumetano DCCCCLXXI. C.1565.

Inauspicato tentata Melites expugnatio, cottidianique Maximiliani Cæsaris Erdeliano bello progressus, pæne Sultani Soleimanis animum ad rabiem adegerunt. Quumque nō cessaret is, quem diximus, Erdelij begus, eum perpetuis, ad inuadendam Vngariam, stimulis excitare: decreuit denique bellum hoc non per legatos tantummodo, sed etiam propriis auspiciis gerere. Interim vero, dum maiorem ipsemet adduceret exercitum, bassæ Budensi mandat, vt amplissimis, quas posset, coactis copiis, bello principium daret. Temesuarensis etiam bassa, de voluntate Soleimanis, paullatim ad occupandum Giulam aditum sibi patefaciebat, expugnato Pancota castello. Nec sibi, suisque rebus deerat Erdelianus, Zadane, Genoque, locis Giulæ vicinis, per suos octo Turcorum millibus adauctos, occupatis. Idem astu barbaro, perniciem ac furiam patriæ, patrem imitatus, qui simili strategemate fuerat vsus, ad obsidendam Viennam aduentante tunc Soleimane, litteras per Vngariam initio anni Christiani proximi, mense nimirum Februa- 1566.
rio publicatas sparsit: quibus in litteris Vngariæ se regem electum vocans, aiebat Sultani Soleimanis, clementissimi patroni sui, hanc esse mentem, vt omnes regni ordines ipsius Erdeliani se subiicerent imperio, si salui esse vellent. Eam ob rem indixisse se conuentum ad Thordam Erdelij, (Torrenburgum Germani Transsiluanienses vocant) celebrādum proximo mensis Martij die decimo: quæ quidem ad comitia cunctos inuitabat, vti de conseruanda patria communibus votis in medium consulerent. Hæ litteræ, ne fucata boni publici specie, minus circumspectorum oculos perstringerent: a Suendio mature solideque, scripto contrario ad eosdem ordines, die Martij quarto, apud Vnguarum publicato, refutatæ fuerunt: quo scripto manifestas Erdeliani fraudes retegebat, quibus fideles Maximiliani Augusti subditos perturbare conaretur, quasi scilicet Soleimanes de salute regni Vngariæ sollicitus esset: quum suis ille cum maioribus a CC annis hoc vnum spectarit, vt nobilis regni fundamenta, vel vi & armis, vel dissidiis ciuilibus, & machinationibus insidiosis subuerteret. Cauerent sibi ab eiusmodi tam Erdeliani, quam Soleimanis imposturis: nec cum Erdeliano commune quidquā haberent, nec ad fraudulenta, patriæque nocitura comitia quemquam, sub pœna perduellionis, ablegarent.

Eodem anno, vere ineunte, Pialis bassa prius, quam Constantinopolim, rebus ad Melitem infeliciter gestis, cum classe rediret: ne nihil egisse hac expeditione videretur, Chium Ægæi maris insulam, a Christianis partim Italis, partim Græcis inhabitatam, sub iugum mittere statuit. Ea Genuensium in potestate iam vltra duo sæcula fuerat, inde vsque a Græcorum imperatorum temporibus libera. Sed crescente tamdem potentia Turcica, ne prorsus in seruitutem redigeretur, sponte sua tributum obtulerant. Eius tributi nomine quotannis XCIↃ nummûm aureorum, quos Ducatos vocant, soluebantur: ac præterea distribuebantur in bassas Vezires ad duo millia. Causæ, propter quas eam Pialis, abolita libertate pristina, subiugandam ducebat, hæ prætexebantur. Prima, quod exploratis Turcorum consiliis, anno superiore Melitensibus nuntiassent, quæ in eos Turci molirentur. Deinde, quod biennij tributum Sultano Soleimani deberent. Id auaricia legati, Constantinopoli res ipsorū apud Portam gerentis acciderat: qui etiam donanda Mechemeti bassæ veziri & aliis munera, suos in vsus verterat. Præterea conferebatur in eos culpa receptorum Christianorum mancipiorum, quæ cottidie Constantinopoli ad ipsos profugerent, eque Chio domum ad suos remitterentur. Et paullo ante ferebatur Mechemetis bassæ veziris nobile quoddam mancipium eo

se contulisse, cuius ipse vel restitutionem, vel pretium ab eis poscebat. Has igitur ob causas Pialis eos castigaturus, ad insulam vniuersa cum classe feriis paschalibus, quas Christianorum more Chienses tum celebrabant, adpellit: confestimque iubet ad se prætoriam in triremem venire præfectum insulæ cum XIIuiris rempublicam administrantibus. Interea, dum hi ab ipso in prætoria detinentur; palatium ciuitatis, in quo senatus haberi solebat, in potestatem a Turcis cum arce redigitur, magistratus eis Turcicus datur, templa Christiana solo æquantur. Vnicum S. Dominici relictum, ritibus Turcorum initiatur, vt meschitæ loco Turcis esset. Ipsius præfecti, ac XIIuirûm familiæ, cum aliis primariis, Constantinopolim mittuntur, & hinc inde varias in regiones deportantur: donec tadem subsequentibus annis, intercedente rege Gallo, Turcis confœderato, patriæ restituti fuerunt, & vmbra quædam administrationis iudiciorumq; pristinorum miseris Chiensibus concessa, prouocatione dumtaxat ad iudicem Turcicum remissa: quod eo facilius impetratum, ne Christianis incolis alio commigrantibus, insula deserta nulli Turcis esset vsui.

Ad res in Vngaria gestas vt redeamus, Bassa Budensis, vt imperio Sultani Soleimanis pareret, initio mensis Iunij Palotam militum corona circumdare cepit. Eam strenue cum suis propugnabat Georgius Thuris Vngarus, vir magnanimus & multis rebus fortiter gestis clarus. Toto iam octiduo muros bassa tormētorum continuis ictibus ita labefactarat, ad terram vt prostrati collaberentur, & propugnatores in extremo discrimine versarentur: quum ecce, necopinatū subsidium diuinitus eis offertur. Venerat Iaurinum Georgius Comes Helfestainus, adductis secum signis XII magnę virtutis peditum. Is die XIIII Iunij plaustra XC pabulatum emisit, cum peditum DCCCC præsidio: quos conspicati Turci, qui Palotam obsidebant, maioresque copias adesse rati, quam reapse forent: missos suspicabantur, vt obsidionem Palotanam soluerent. Confestim bassa trepidus in fugam cum suis sese coniicere, præque nimia festinatione tentoria, machinas bellicas magnum vasorum numerum, quibus vel farina, vel tormentarius puluis contineretur, cum aliis castrorum impedimentis hosti relinquere: quæ quidem præda mox obsessorum commodo cessit. Soluta præter spem in hunc modum obsidione, præsidium arcis auctum fuit, & instaurati muri, ab hoste diruti.

Liberata obsidione Palota, mox itum ad eripiendam hosti ciuitatem Vesprinienſem: quod captis Turcorū exploratoribus, intellectū esset, huius loci begum, studio nocendi Christianis egressum, meliore pręsidij parte Vesprinium nudasse. Quapropter Egone Salmensi Comite illustrissimo suas cum Helfestaino & Nicolao Hatestadio coniungente copias, penultimo Iunij die ceptum obsideri Vesprinium, postridie memorabili celeritate fuit expugnatum, anno Mahumetano
C.1566. DCCCCLXXIII. Quinq; dumtaxat exceptis, ceteri ad vnū trucidati fuere barbari, quod non ita pridē captiuos magno numero Christianos immaniter occidissent.

Ab eodem Egone Comite Salmensi capta fuit & Tata, mense Iulio, cæsis præsidiariis: itemque Gester castellum, ab incolis Turcis metu aduentantis Comitis desertum: quos imitati Vethaimenses, Iscochiani, & aliorum castellorum incolæ, flamma castellis suis iniecta, Strigonium se receperunt: quod obsessurus, victoriæ prosequendæ causa, mox erat Salmensis Comes, nisi de quibusdam causis aliud imperatori Maximiliani visum fuisset.

Augusto mense Suendius, qui certo consilio superiore in Vngaria, & agro Cepisiēsi, dum Maximilianus Augustus insigni & copiosissimo cum exercitu castris ad Iaurinum positis, omnes Soleimanis motus & progressus obseruaret, subsistere suo cum milite iussus fuerat; cum excitis a Soleimane, rogatu Erdeliani, Tataris non parum, quod ageret, habuit. Quippe quum per Vngariæ superioris agros, cis & vltra Tibiscum, late discurrerent, prædas abigerent, omnia flammis & ferro vastarent, cuiusuis ætatis & sexus homines partim trucidarent, partim in seruitutem raperent: dilato Suendius in eos, multitudine superiores, ad hoc vsque tempus prœlio, quo præcocium illi fructuum, & vuarum ingluuie, semetipsos perditum ituri erant; tamdem ex morbis languidos, & numero non pa-

rum de-

rum deminutos adgressus, nullo prope negotio decem barbarorum millia superauit, cæcidit, finibus eiecit: begorum Turcicorum, quibus vsi ducibus fuerant, altero interemto, altero letaliter sauciato. Deinde Georgij Bebeci perduellis, qui cum Erdeliano & Turcis se coniunxerat, arces aliquot, Zabaticam, Pelsozium, Gombazzecum, Crasnahurcam, Gadigen, aliaque his vicina tum castella, tum munitiones expugnauit.

Duo deinceps munita nostrorum loca Turcorum in manus venere, Giula & Zigetum: Giula, quæ secundo Iulij mensis a Pertauo Vezire bassa, iunctis & bassæ Temesuarensis, & Erdeliani Tatarorumq; copiis, cepta fuerat obsideri; scelerata Ladislai Kerezinij præfecti proditione, Georgij Bebeci perduellis & adfinis sui colloquio corrupti, licet futurum nuntiasset Suendius, vt hostis intra biduum obsidionem solueret, Turcis dedita fuit. Eam Turci, præter Erdeliani spem, sibi retinuerunt: hiantemque coruum, vt est in fabulis, more suo delusere. Violata deditícij fide crudeliter interemti, paucis beneficio noctis & arundinetorum elapsis. Nefarius proditor non multo post in vinculis, apud Sultanum Selimem, Soleimanis successorem, ob exercitam prius in captiuos Musulmanos sæuiciem accusatus, de sententia Selimis actoribus, vt ex eorum arbitrio pœnas lueret, traditus fuit: qui hominem vasi clauis perforato sic incluserunt, vt dolio de monte per decliuia præcipitato, clauis oblongis & acutis confixus exspiraret. Fuit & filius paternæ particeps exsecrationis, qui misere, nullis relictis heredibus, diem suum obiit: castellis, pagis, & aliis facultatibus amplissimis, ad alienos deuolutis.

Interea dum hæc diuersis per Vngariam locis gererentur, Sultanus ipse Soleimanes transito primum Sauo, deinde Drauo, quem ponte operis admirandi constrauerat, cum exercitu ducentorum millium, ad subiugandas Hungariæ reliquias venit. Occurrit aduentanti cum donis eximiis Erdelianus, frustra regnum ambiens, quod auaricie barbara Soleimanes ipse iam spe, licet irrita, totum deuorauerat, ac libidini propriæ destinarat.

Die mensis Augusti sexto Zigetum obsidere Sultanus cepit, quod licet acerrime propugnaretur a Nicolao Comite Zerinio, fortissimo & immortalis gloriæ viro, præsidij præfecto: tamdem tamen die septimo mensis Septembris expugnatum fuit, ipso Comite Zerinio, cum insigni nobilium Vngarorum, strenuorumq; militum numero, sic a barbaris interemto; non inultus cum suis vt occubuisse dici possit. Quippe non triginta millia suorum dumtaxat hostes desiderarunt, verumetiam triduo ante supremam nostrorum cladem Sultanus Soleimanes, necdum victoria de Zigetanis potitus, fremens & frendens infelicem exhalauit animam. Eius obitus tantisper occultatus fuit astu vaferrimi Veziris bassæ Mechemetus, noctu etiam Soleimanis archiatro clam necato, ne per eum Sultani mors emanaret, dum socer eius Selimes, Soleimanis filius, occupato citra tumultum imperio, ad exercitum in castra venisset. Nam si tam Genizari, quam reliqui milites, de morte Sultani sui maturius certiores facti fuissent: magno in castris excitato tumultu, tentoria thesaurosque regios, cum Christianorum & Hebræorum rebus, pro more libidineque sua diripuissent: ac spoliis hisce ditati, neminis auctoritate contineri se amplius in officio passi fuissent. Quæ sane rerum apud hostes confusio militarisque licentia, Maximiliano Cæsari, numerosis & exquisitis toto ex orbe Christiano copiis instructo, præbere peroptatam occasionem rei feliciter gerendæ potuisset. Exstinctus fuit Soleimanes anno Mahumetano 973, die C. 1566.
quarto mensis Septembris. Agebat, quum moreretur, ætatis annum LXXVI. Imperio præfuit annis XLVI, & sex mensibus.

Occupato Zigeto, Babozam oppugnaturi Turci quosdam e suis mittunt, qui arcem dedi iuberent. Id vero licet facturos se nostri negarent, quod tamẽ eam defendi non posse contra vim tantam scirent, incensam deserunt: quorum exemplum Sachani & Zorgenses sunt imitati.

Eodem anno, die mensis eiusdem XXIII, Sultanus Selimes II, ætatis annum XLII agens, in imperio Soleimani patri successit. Quippe quum ad Magnesiam intellecta morte patris, ex Asia summa celeritate Iscodaram, e regione Con-

stantinopolis sitam, hoc die peruenisset: mox a Bostange bassa, hortulanorum præfecto, pro more triremi exceptus, & Constantinopolim trans Bosporum vectus fuit. Et quia Selimes generum suum, Ischenderem bassam, quem prosultanum Constantinopoli discedens reliquerat Soleimanes, de aduentu suo certiorem reddiderat, cũ mandatis, vt eius opera studioque res ad ingressum in vrbem, pompamque regiam pertinentes, sine mora pararentur: mox illo ipso die deductus in saraium, solio consedit imperatorio illius cubiculi, quod solis est Sultanis Osmanidarum gente prognatis occupare permissum. Inde per vrbem proclamationes more maiorum factæ, quibus vota primum concipiebantur, vt anima Soleimanis in Paradiso felix æuum ageret, ac in perpetua gloria quiesceret: deinde, multos vt annos viueret Sultanus Selimes Chan, prosperique status incremento continuo frueretur.

Postridie, qui dies erat XXIIII Septembris, e saraio prodiit, seque per vrbem populo spectandum exhibuit. Peregit & paternas exsequias, ac magno animalium numero cæso, cibisque coctis itidem innumeris, epulum funebre quibusuis, cum ingentis summæ asprorum erogatione, præbuit. Inde sollemni pompa, maximoque suorum adplausu, in saraium rediit.

Ante, quam hæc fierent, per Ischenderem bassam prosultanum euocari ex omnibus locis Genizaros, paternæ mortis adhuc ignaros, in opidum non procul a Constantinopoli situm, sub prætextu mittendi ad obsidionem Zigetanam militaris supplementi, iusserat. Ad eos Ischender bassa, Selime iam paternum in solium collocato, de Selimis voluntate profectus; obitum Soleimanis, & successionem Selimis exponit. Inde pro direptionibus vsu receptis in obitu principis Osmanidæ, centum millia Sultaninorum eis offert. Non ingrata fuit oratio bassæ Genizaris, ea lege tamen adsentientibus, vt largiores annonæ militaturis darentur.

Selimes ergo Genizaris inauctoratis, die mensis Septemb. XXVII Constantinopoli discedit, & magnis itineribus Albam Græcã contendit. Quum istuc adlatũ postea Soleimanis cadauer in vrbem deduceretur, pedes ante paternũ funus incedebat habitu lugubri Sultanus Selimes, comitantibus bassis, Cadilescheris, ceterisque begis. Inde Cadios populis, consuetum donatiuum Genizaris dedit. Quibus peractis, Constantinopolim cadauer paternum auehi iussit, & in Zuna, quam ipse sibi viuus exstruxerat, condi. Curata fuit ea res ab Achmete bassa, Ferhateque Capizilariorum Aga, deducentibus begis & Genizaris, cum vexillo regio: tamdemque die XXII Nouembris peruentum Constantinopolim. Ibi funus exceptum fuit frequentissimo concursu mortalium, præeunte Muphti, qui apud Musulmanos & iuris, & religionis, omniumque sacrorum rex est: subsequentibus, Ischendere bassa prosultano, Dephterdaris, qui Cameræ vel ærarij præfecti sunt, aliisque begis, omnibus pullatis: quorum terga plebis infinita multitudo claudebat. Exemtam e curru sandapilam vel arcam ligneam pręcipui begi per vices, erectarum in sublime manuum palmis sustinuere, sicque per vrbem gestarunt: eiulantibus interim Talismanis, & ad Zunam vsque lessum quemdam, Mahumetano ritu, lamentabili voce concinentibus. Hinc depositum in Zuna cadauer: instratus sandapilæ pannus cymatilis præstantissimus: & supra hunc alius auro intertextus: ad latus acinax positus, index profusæ bello vitæ: ad caput collocatum e lino subtilissimo, spiris aptatum candidissimis tulipantum, quo viuus vti consuerat, cum nigris ardearum pennis selectissimis: pone caput, in pauimento positi cum candelabris ingentes, pyramidali forma, rotundi nihilominus cerei; qui tamen numquam accendi solent. mox adhibiti Talismani & Hoggiæ, (sacerdotum hæc Musulmanis sunt nomina) qui more gentis humi diuaricatis sedentes cruribus, perpetuo preces quasdam in eius Zuna murmurando deblaterarent. Hæc omnia, quum multis post annis Constantinopoli essemus, coram inspeximus. Circum sandapilam ipsius, & aliæ sunt sandapilæ; tam Sultanæ (de qua diximus) Rossæ, quam liberorum Soleimanis. Acciderunt hæc anno Mahumetano DCCCCLXXIII.

C.1566.

Interea Selimes, ob hiemis imminentis asperitatem, Vngariam reliquit: & Pettauum

Pertauum bassam, satis magnis cum Turcorum, Valachorum, Tatarorumqu copiis, Erdeliano bego, qui bellum contra Maximilianum prosequebatur, adesse iussit. Dolebat Erdeliano, Suendium anno superiore cepisse Tocaium, in quo maiora minoraque tormenta bellica, præter ingentẽ rerum bello necessariarum, annonæque copiam reperisset. Quapropter eam arcem recuperare statuit, magni scilicet suas ad res vel tutandas, vel prolatandas momenti: quod esset in Vngariæ sita limitibus, & Erdelij; duobus amnibus circumdata, Tibisco & Bodrogo. Militem ergo, cum maioribus decem machinis adhibet, omnique vi & impetu oppugnare munitionem incipit. Ex altera parte Suendius eam minime deserendam ratus, quum alia defensioni parat idonea, quibus Iacobo Ramingero, cuius ipse fidei Tocaium commiserat, in tempore succurreret: tum ab Imperatore Maximiliano subsidia maiora postulat. Is Henricum Staupicium, cum mille Germanis equitibus, sex peditum vexillis, stipendiis, & annona necessaria, mittit. Sed prius quã auxiliares hæ copiæ Tocaium peruenissent, sparsa fuit in castris Erdeliani fama, decem millia Tatarorum, a Selime, defendendi eius causa, cum Turcis & Valachis relictorum, per seditionem totum populari Erdelium, ac inaudita crudelitate passim in fortunas & corpora miserorũ, cuiusuis ætatis & sexus grassari. Quapropter obsidionem soluere coactus fuit, ne dum istic ipse pertinacius hæreret; suos ad internicionem deleri sineret. Liberato ab hostili oppugnatione Tocaio, Ramingerus in abscedentes erumpens, pluribus cæsis, reliquos palantes & trepidos fugauit. Nec parum Erdeliano cum hisce Tataricis, Turcicis, Valachicisque copiis negotij fuit, quum aliquot eorum millia trucidaret, ac Varadini vicissim ab eis obsideretur. Vnde fuga dilapsus, recenti coacta suorum manu, rursus haud exiguam ipsorum stragem edidit: qua demum territi, semet in Podoliam & Rossiam effuderunt; vbi crudelium belluarum immanes reliquiæ, fortiter a Palatino Rossorum debellatæ, perierunt.

Post discessum barbaricarum & Erdeliani copiarum, Suendius suis media bruma productis, ad obsidendum Zatuarum profectus est, castrum momenti non leuis, in Erdelij finibus situm quod Georgij Bebeci ditionis erat, hominis nefarij, qui primus auctor huius inter Cæsarem Erdelianumq; belli exstiterat. Bebecus iam ante perspecta victrici toties virtute fortunaque Suendij, quod magnopere metueret, ne castro expugnato, in Maximiliani manus, cum præsenti vitę periculo, veniret: vxore familiaque Zatuari cum præsidio relicta, fugæ beneficio saluti suæ mature consuluit. Aliquamdiu perstiterũt in obsidione toleranda præsidiarij, quod machinæ bellicæ nihil nec ipsis, nec castro damni dare possent. Cui Suendius incommodo remedium quęsiturus, dum ipsemet omnia circum arcem loca perlustrat & explorat: agnitus ab hostibus ex insigni proceritate corporis, qua longe supra ceteros eminebat, deque comitatus frequentia, parum omnino abfuit, quin discrimen vitæ adiret. Petitus enim globis aliquot tormentariis fuit, e machinis non modicis, quorum vnus humerum ita strinxit: vt etiam vestis eius igne cõcepto, quod esset ad pellendum frigus hibernum suffulta pellibus arderet. Nihilominus commodiore pro machinis reperto loco, & iis mox in illũ, magno cum militum labore, quos in officio, si quisquam alius, hic sane dux continere potuit, translatis; ad extremam redacti desperationem præsidiarij, coniugi perduellis, ac familiæ, sibique salutem & incolumitatem pepigerunt, atque ita castrum Suendio dediderunt. Is vero non tantum pacta conuenta dediticiis bona fide seruauit, sed etiam Bebeci coniugem, cum mundo suo muliebri, & aliis rebus, quas caras habebat, abire omni absque iniuria passus est. Potitus fuit Zatuaro Suendius sub medium mensem Ianuarium, anno Mahumetano DCCCCLXXIIII. C.1567.

Non magno post captum Zatuarum temporis interiecto spatio Suendius, qui bellum in Erdelij finibus gerere non desinebat, nulla frigoris hiberni ratione habita, Muncazium cum suis obsedit, locum munitissimum, & huic bello conficiundo cum primis idoneum: cuius præsidiarij vitam facultatesque saluas pacti, deditionem fecerunt. Ea res animum Erdeliani mirifice perturbauit, nec minus accendit, vt totis viribus amissam munitionem recuperandã statueret. Non enim

ignorabat, hac patere transitum in Poloniam & Rossiam: seque præpediri occupato Muncazio, quo minus in posterum subsidiarias e regno Poloniæ copias habere posset: nisi eas per Moldauiam, variis ambagibus, & itinere difficili, venire vellet. At non contentus occupatione Muncazij Suendius, mox etiam corona militari munitionem Hustianam cingere perrexit. Quod quidem nō Erdelianus tantum grauiter ac moleste tulit, verumetiam Budensis bassa: qui datis ad imperatorem Maximilianum frequentibus litteris, hortari non cessabat, vt a cepta obsidione Suendium discedere iuberet, ne inchoatum pacis componendæ negotium impediretur. Simul etiam suis in cōsilium adhibitis, deliberabat; quanam via posset obsessis opem ferre. Quumque iam pridem de hisce rebus omnibus ad Sultanum Selimem rettulisset, indignatus ille, Pertauum bassam exercitum suum, cum Romaniæ beglerbegi copiis coniunctum, in Vngariam ducere iussit. Vtrumq; tamen ab instituta Selimes expeditione mox reuocauit, quum intellexisset, Verantium Agriensem præsulem, & Christophorum Tifembachum baronem, Vienna Constantinopolim ablegatos, ad se contendere. Quamobrem & Budensis bassa, missis ad imperatorem Maximilianum muneribus amplissimis, petiit; ne turbari pacis tractationem pateretur. Sua quidem ex parte futurum aiebat, vt palis transfigerentur omnes, qui per Cæsaris fines excurrendo damnum dedissent. Hæc ille multoties pollicebatur, sed e diuerso duces Erdeliani, quum Suendium viderent abiisse Cassouiam, ne spem pacis interturbaret: collectis non magnis copiis, impressione nec opinata Risuarum adorti ceperunt, occupatis etiam thermis, quas Riuulos Dominorum adpellant. Has enim Suendius ante biennium eis ademerat. Id vbi factum Ruberus accepit, legatus Suendij, magnæ vir bellicis in rebus industriæ, mox cum iustis equitum peditumque copiis adcurrit, & hostibus inexspectato suo territis aduentu; Risuarum, adhibita vi maxima, recuperat: præsidiarios interficit: moxq; Riuulos etiam nullo negotio recipit. Quippe casu quodam accenso puluere tormentario, castrum ardere cepit; ideoque maiori parte propugnatorum exstincta, in Ruberi potestatem venit.

C. 1568. Anno denique Mahumetano DCCCCLXXV, pax octauo quoque anno renouanda inter Maximilianum Augustum, Sultanumque Selimem coiit, qua Erdelianus etiam comprehendebatur. Eius quum aliæ leges & conditiones erant, tum vti quisque sibi retineret, quidquid eo bello cepisset. Id vero plurimum Maximiliani rebus profuit. Nam fines suos opera Suendij sic ampliarat, vt ad XL milliaria Germanica cis & vltra Tibiscum late dominaretur: qua quidem in regione multæ sunt arces, multæ munitiones insignes, partim ab hoste captæ, partim factæ diligentia Suendij, partim inchoatæ. Idem & ærarij noui (Cameram vulgo vocant) in iis locis auctor exstitit, de quo non leue subsidium publicis rebus accessit: castris, aliisque munitis locis, cum imperio Germanos, iustis & grauibus de caussis, præfecit: totam denique rem limitaneam matura prouiden-

C. 1568. tia, tam in Vngariæ, quam vicinæ Stiriæ finibus constituit: anno DCCCCLXXV,

& 1569. & DCCCCLXXVI.

C. 1569. Hoc anno DCCCCLXXVI splendidissimum & instructissimum Venetiis nauale, sub medium mensem Septembrem, accenso tormentario puluere, maximo cum reipublicæ detrimento conflagrauit. Ibidem tam in vrbe, quam terra continente, diuturna & inusitata quædam erat annonæ caritas. Quamobrem Sultanus Selimes, licet initio regni pacem, a Soleimane patre cum Venetis initam, confirmasset; tamen vel ambitione propria, vel suorum impulsu, vel hoc Venetorum aduerso casu permotus, bellum eis inferre statuit, quæsito prætextu, quasi Cyprum nullo iure possiderent, quæ ob successionem gentis Osmanidarum in iura Sultanorum Ægypti, ad se directo pertineret. Licet enim Selimes auus & Soleimanes pater, annui tributi, quod a Venetis eius regni nomine pendebatur, solutione contenti, possessionem insulę Venetis hactenus reliquissent: nullum tamen hoc sibi gignere præiudicium posse dicebat, quo minus iam tributo repudiato, regnum sui iuris occuparet, ac sibi retineret.

Itaque mense Februario sequentis anni, Cubatem Zausium Constantinopoli Ve-

poli Venetias ablegauit, qui a Senatu Cyprum repeteret: ac recusaturis, bellum denuntiaret. Adpulitis Venetias sub initium mensis Aprilis, anno DCCCCLXXVII, C. 1570.
& mandato Selimis exposito, repulsam tulit.

Quapropter mense Maio missi cum classe militeq; fuerunt, qui bellum Cyprium gererent, Mustaphas Bassa, copiarum terrestrium, & Pialis Alisque bassæ, classiariorum præfecti. Pialis prouectus cum suis ad Tenum, insulam Venetorum in Ægæo, ferro ac flammis eam, non sine graui tamen suorum iactura, direptam vastauit.

Mense Iunio Sebastianus Venerius, insulæ Corcyræ maxima cum potestate præses, Soppotoum castrum Albaniæ, non procul a Corcyra situm, expugnauit: eique præsidio imposito, ac rebus necessariis munito, Manuelem Murmurium, oriundum e Napolio Romaniæ, (Naupliam Argiæ veteres adpellauere) præfecit.

Sub eiusdem mensis exitum Marcus Quirinus, classis in Hadriatico præfectus, arcem sinus Mainensis, (Mainam sunt qui Leuctra veteribus adpellatam putant, ipsum vero sinum Mainensem, Messeniacum:) ad portũ, quem vulgo Quagliarum siue coturnicum vocant, positam feliciter expugnauit: actisque sub ea cuniculis, & supposito incensoque puluere tormentario, funditus euersam diruit: ne barbaris amplius receptum præberet.

Nicosia, Cypri metropolis, sub exitum Iulij mensis a Mustapha bassa obsideri cepta, & acerrime tam oppugnata, quam defensa, tamdem die x Septembris in hostium potestatem venit, misereque direpta fuit: cæsis præsidiariis, exstincta nobilitate, perexiguis reliquiis seruituti mancipatis. Erat olim Cypri regia, quæ cẽtum & amplius ante hoc tempus annis redacta fuerat sub imperiũ Sultani Cairensis, eiq; hoc modo facta tributaria. An. Christiano 1423 bellum erat Iano Petri filio, regi Cyprio, qui penultimus fuit inter legitimos reges ex Lusignana familia, cum Ægyptio siue Cairensi Sultano Melechella: quo bello captus ab hoste Cyprius, persolutis CXV CIↃ Seraphinorũ, in regnum cum pacto tributi annui restituitur. Is moriẽs filium Ioan. reliquit impuberem, cui primo matrimonio, postquam adoleuisset, filia Marchionis Itali Montisferratens. nupsit: qua mortua, Helenam Palæologinã duxit. Ex ea nata fuit vnica filia Karulota, quæ Io. Lusitano primum nupsit, cui præbitum venenum mortem adtulit. Erat Karulotæ Iac. frater, illegitimo toro natus, cui sacris initiato pater archiepiscopatũ Nicosianum adsignarat. Is imperandi libidine ductus, ecclesiastica dignitate spreta, regnum inuadit: a quo tpe dictus a Græcis Cypriis fuit Re Zages, (sic enim in quodã manuscripto libello meo Græco legitur) adpellatione partim Italica, partim Gallica. Nam Gallis *Roi Iaques*, rex Iacobus est. Karulota secũdas nuptias cum Lud. Sabaudi Ducis filio contrahit. Is classem instruens, in Cyprum cũ Karulota coniuge prociscitur. Redeunte legitima regis defuncti filia, iustaque regni herede, Iacobus nothus regno pellitur. Eiectus ad Sultanum Ægypti Syriæque confugit, Alesseraphum, & opem eius ad recuperandũ regnum implorat. Adsensus postulatis Iacobi Sultanus, eum pulso vicissim cum Karulota Sabaudo, in regnum reducit: & nomine restitutionis huius ac beneficij, tributum non inuito imperat. Id tributum ex mercibus quotannis Sultano soluendis constabat, certo mercium genere, specierumque numero expresso. Necdum id temporis vxorem Iacobus duxerat. Itaq; Venetias profectus, Æcaterinam Cornaram, prius a Senatu S. Marci filiam adoptatam, cõstituta de publico dote, matrimonio sibi copulat: vt hoc adfinitatis Venetæ vinculo, potentissimæ mari reipublicæ præsidio seque regnumque suum stabiliret. Nec multo post, relicta coniuge prægnante, moritur. Contigit hoc anno Christ. 1470, qui Mahumet. erat 874. Exstincto rege, posthumum regina marem parit, qui tamen non diu superstes fuit. Tum vero Veneti viduæ persuadent, vt regno cederet, cui defendendo par ipsa non esset, annuoq; reditu 4 aut 5 millium Zecchinorum contenta, patriam immortali beneficio sibi deuinciret. Hoc modo redacta in potestatẽ insula, nihilominus Veneti Sultano Ægyptio, tributi eius nomine, quod Iac. rex illi pollicitus fuerat, merces in pactis conuentis expressas quotannis mittebãt: donec an. Ch. 1517, qui Mahumetanus erat 923, Sultano Tommambai & Ma-

melucis a Sultano Selime deletis, & Ægypto Syriaq; subiugatis conuersum a Selime victore, Mamelucorumque successore, tributum hoc fuit in certum pretium, videlicet VIIICIↃ Zecchinorum: quos Cypri nomine Sultanis Turcicis ex eo tempore Veneti persoluerunt, donec a Selime II, Cyprum sibi ceu domino directo, repetente; bellum, de quo nunc agimus, indictum Venetis fuit. Capta Nicosia, Famagustam Mustaphas bassa tandem obsidere cepit an. Mahumet.
C 1571. 978. sub medium mensem Aug.

C 1572. Anno DCCCCLXXIX, dum obsideretur, & grauissime a Turcis oppugnaretur Famagusta, classis Turcica damnum illatura Venetorum insulis in Ægæo, Ali bassa duce Cretam (Candiam nunc vocant) petiit: vbi exposito in terram milite, sæuitum in obuios immaniter. Munitis ciuitatibus & opidis ita prospectū mature fuerat a gubernatoribus insulæ, nullum vt ab hoste detrimentum acciperent. Solum Rhetymum adortus Vluzalis, Aphricanæ Barbariæ prosultanus, cuius ante facta mentio, quod ab incolis desertum fuisset, nemine resistente, mense Iunio vastauit. Alis bassa tamdem recensitis copiis suis, quod apud ipsos per fabas vel aspros fieri consueuit, quum IIICIↃ IↃCC amisisse se videret: relicta Creta, Cerigum Veneti iuris e regione promontorij Maleæ sitam insulam, (Citheram dixere veteres) ad S. Nicolai portum inuasit, & maiori ex parte diripuit. Inde Zacynthi & Cephalleniæ suburbiis ac vicis excidio datis, (arces enim præsidiis & opere sic munierant Veneti, vt eas hostis adgredi non auderet) Soppotoum pergit Alis bassa: numeroque militum superior, cæsis captisve præsidiariis, arcem recipit: cuius etiam præfectus Manuel Murmurius, vir bello strenuus, in hostis potestatem venit.

Hinc obsessum terra marique Dulcinium, situm in Albaniæ Dalmatiæque finibus opidum, mense Iulio Turcis se dedidit: ciuibus libertatem suam, militibus vitæ pactis incolumitatem. Sed dum contendunt inter se bassæ, quorum alter opidum terrestribus copiis, alter mari obsederat, vtrius esse deberet: plerique omnes in seruitutem abducti fuerunt, exceptis Sarra Martinengo, Dalmatiæ supremo cum imperio gubernatore, ac Marco Venerio, Dulcinij præfecto.

Tunc etiam Turci potiti fuerunt Antibari, per summam ignauiam deditionem faciente Alexandro Donato præfecto: itemque Butua, quæ defendi non potuit, quod esset versus mare parum munita.

Vluzalis & Caragosa Raisus, quum ad insulam Liesenam adpulissent, (Farum Dalmatæ vocant, vbi Farensis est episcopatus) suburbia depopulati sunt: arcem, quam egregie munitam vidimus, tentare non ausi. Liesena relicta, Curzolam petierunt, quam Corcyram Nigram vocant, haud procul inde dissitam: cui quidem insulæ nihil aliud dedere damni, quam quod Vlatim pagum flammis iniectis exusserunt. Nam quum opidum insulæ, quod ipsum quoque Curzolæ nomen habet, a viris desertum, adgrederentur: a feminis, animose patriam defendētibus, memorabili cum marium Curzolanorum, & ipsorum hostium infamia, femineique sexus immortali laude, reiecti fuerunt.

Famagustani per integrum annum obsessi, quum fortiter hactenus omnem vim hostilem sustinuissent: tamdem in extrema rerum omnium pænuria deditionem fecerunt, his legibus: vt Venetis vitæ concederetur incolumitas, & vti cum armis suis ac facultatibus in Cretam deducerentur: Græci domos suas incolerent, possessionibus suis fruerentur, ritu Christiano viuerent. Quibus conditionibus a
C. 1572. Mustapha bassa, initio mensis Augusti, anno DCCCCLXXIX, laudatis & adprobatis, ipsiusque manu subsignatis: die quinto dicti mensis Augusti prodiit ex vrbe Marcus Antonius Bragadinus, sub quo defensa fuerat hactenus, & cum illustri nobilium virorum comitatu in Mustaphæ castra venit, eique claues ciuitatis, quod in deditionibus fieri solet, obtulit. Exceptus initio comiter a Mustapha bassa, mox ab illa crudeli bellua, per summum scelus violata fide, quum aliis per ludibrium adficitur exquisitis iniuriis, tum ad extremum viuus excoriatur. Laurentium Tepolum, Paphi præfectum, qui & ipse cum aliis Famagustam singulari virtute propugnarat, suspendio Mustaphas necari, ceteros dediticios immaniter contrucidari iussit. Turcorū, qui obsidionis principio in vniuersum ad ducenta millia cēsebantur, in

tur, in quibus erant Azaporum LXXXCIↃ, Genizarorum XIIIICIↃ, volonum (Acanzios ipsi vocant) LXCIↃ, periisse constat obsidione durante, supra LXXXCIↃ.

Erat initio belli Cyprij, defendendæ contra Turcorum vim, reipublicæ Christianæ causa, percussum fœdus inter Pium V Pontificem maximum, Philippum regem Hispaniarum, & Senatũ Venetum. Eius fœderis copiarum omnium designatus fuit imperator, Ioan. Austrius, Karuli Augusti F. Hispani frater. Pontifex suis triremibus Marcum Antonium Columnam, Ducem Talliacoccianum, nobilitatis Romanæ principem, præfecit: Veneti amplissimæ, quam instruxerant, classis imperium Sebastiano Venerio, quem postea Ducem quoque suum crearunt, commisere. Præter hos & alij hac erant in expeditione principes & illustres viri, magnus regni Castiliæ Cõmendator, Ascanius Cornianus, Ioannes Andreas Doria princeps Melphitanus, Augustinus Barbarigus, Marcus Quirinus, Antonius Canalis, Veneti: Alexander item Farnesius, Octauij Ducis filius, princeps Parmensis; Franciscus Maria, Guidonis Vbaldi filius, Rouereus, Vrbini princeps; Paulus Iordanus Vrsinus, Dux Braccianensis; Aluarus Marchio S. Crucis, & alij plures. Hæc classis quum mense Septembri Messana Siciliæ soluisset, hostilesque nauales copias ad Inebechtim subsistere (sic Turci nominãt ciuitatem, quam nostri Lepantum adpellant, veteres dixere Naupactum) nuntiatum esset: tamdem ad portum insulæ Cephalleniæ, quem vallis Alexandrinæ vocant, adpulit. Stabat haud procul a nostris in Inebechtino sinu, qui Corinthius olim nuncupabatur, classis hostium: cui cum imperio præerant, Pertauus bassa copiarum terrestrium, & Alis bassã sociorũ naualium dux supremus. Inter hos, cognito Christianæ classis aduentu, sententiarum diuersitas exstitit. Pertauus abstinendum iudicabat a prœlio, quod cõiuncta iam Christianorum classis, vnius imperio ducis regeretur: exspectãdum esse perexiguum ad tempus, quo futurum sit, vt, illo præsertim anni tempore, soluatur. Alis e cõtrario sentiebat, omnino dimicandum. A Pertauo stabant rei naualis peritissimi veteraniq; duces, Sirocus Alexandriæ sangiacus, Carabuces sangiacus Sourisaris in Caramania siue Cilicia maritima Mechemetes begus, Salę Raisi filius, sangiacus Eubœę siue Negroponti: cum Ali vero sentiebant, Chasanes begus, Chairadinis Barbarossæ filius, Vluzalis prosultanus Cesairensis, & Caias begus Smyrnensis sangiacus: quorum sentẽtia tamdem vicit, Vluzali iubente in medium proferri & recitari mandatũ Sultani Selimis, quo victoriam vti prosequerentur, eis iniungebatur. Omnium ergo sententiis decretum prœlium, quod non minori animorũ alacritate nostris etiam expetentibus, commissum fuit ad tres exiguas insulas, vel marinos potius scopulos, quos Cuzolaros hodie tam Græci, quam nostri vocant. Victoria potiti sunt multis a sæculis inaudita Christiani. Periit occisus Alis bassa. Pertauus animaduerso præsenti suorum interitu, non magno nauigio fugiens ad terram euasit. Vluzalis mari profugit cum 30 plus minusve triremibus. Cæsa fuerunt hostium ad XXVCIↃ, capta IIICIↃ. Classis hostilis vniuersa, cum spoliis immensis, Christianorum in potestatem venit: iis dumtaxat exceptis triremibus ac nauigiis, cum quibus Vluzalim euasisse diximus. Liberata Christiana mancipia supra XIIIICIↃ. Pugnatum die VII mensis Octobris, anno Mahumetano DCCCCLXXIX. C. 1572.

Hac Turcis illata clade, Veneti Margaritinum, in Chimeriotarum regione, quæ Albaniæ pars est, (sic a Cerauniis dictam mõtibus aliqui putant) haud procul a Corcyra situm, deditione ceperunt 12 die Nouembris, vitam facultatesq; saluas paciscentibus barbaris: & ipsum castrum mox igne cõcrematum diruerunt. Soppotoum quoq; desertum a Turcis, Albani occuparunt, & Venetis restituerunt: a quibus redditum deinceps Sultano Selimi fuit. Anno sequenti proximo, 980, C. 1573.
XV mensis Ianuarij, tentata fuit a Venetis obsidio Castelli noui, captis suburbiis: sed succurrentibus barbaris, ab obsidione discessum. Cupiebant Veneti hoc oppido cum arce potiri, vt omni periculo Catarum, ciuitatem sui iuris longe munitissimam, liberarent. Situm est enim Catarum in sinu quodam maris, qui Rizonicus olim vocatus fuit, nunc ab ipsa ciuitate Catarinus dicitur: cuius ostiũ Turci hactenus Castelli noui ꝓpugnaculo claudere, ne Cataro succurri possit, frustra conãtur.

Variæ contigerunt ætate nostra mutationes in regno Tunisino, quo superioribus annis rex Assan, Machmetis filius, (Muleassem nostri non recte vocarunt, quum Mule regem vel dominum ipsorum lingua significare tradatur, Assan vero proprium fuerit ei nomen) excluso necatoq; maximo natu fratre Mamuna, qui nostris est Maimon, potitus fuit. Idem ceteros quoque fratres suos, quos moriens ei pater XXI reliquerat, aut interfecit, aut ferro candenti oculis adhibito excæcauit: excepto Roscette, qui secundo loco genitus fuerat. Is in conatu pellendi fratris Assanis, re parum feliciter gesta, Cesairim (Algerium nostri vocant) profugit ad Chairadinem Barbarossam: qui Roscette Constantinopolim misso, sub eius tamen reducendi prætextu deceptis Tunisinis, Assanem expulit, vrbem cum arce totoque regno cepit, ac Sultano Soleimani, se prosultanum adpellans, subdi-
C. 1534. dit: quod quidem accidit anno Mahumetano DCCCCXL. Assanem Karulus Au-
C. 1537. gustus in regnum, expulso Chairadine, reduxit anno DCCCCXLIII. quod ille dein-
C. 1544. ceps a nemine vexatus obtinuit vsque ad annum DCCCCL, quo aduentantis cum classe Chairadinis fama territus, in Siciliam Neapolimque traiecit. Amida filius Tunisim cum arce per absentiam patris Assanis occupat, reuersumque patrem capit, & oculorum pupillis candenti scalpello læsis, visu spoliat. Eadem immanitate tractati ab Amida fratres, Nahaser & Abdallas, quos cum patre ceperat. Amidam regno patruus Abdamelechus eiecit. Is enim Guletam profectus, & Francisci Tonaris Hispani, Guletæ præfecti ope Tunisim ingressus, mox in arcem velata facie pergit, eamque deceptis custodibus, qui Amidam esse credebant, occupat. Abdamelecho post trigesimum & sextum regni diem rebus humanis exemto, succedit filius Machmetes, annos dumtaxat XII natus: quo necdum gerendæ reipublicæ per ætatem idoneo, quum intolerabilis curatorum eius administratio plerisq; videretur, rediens Amida, regnum patrueli eripuit. Amidam rursus excussere
C. 1573. Turci, duce Vluzali, anno DCCCCLXXX. fuitque Sultani Selimis auctoritate suffectus in ipsius locum rex alius. Amida Guletam profugiens, quæ Hispanorum præsidio tenebatur, priuatam cum duobus filiis vitam egit. Quumque magno recuperandi regni desiderio flagraret, suos ad Ioannem Austrium, nauali de Turcis victoria toto iam orbe celebrem, mittit: qui opem eius auxiliumque poscerent, vt regno restitueretur. Simul habiturum se promittit ingentes ab amicis sociisque copias, & eam annonæ abundantiam, quæ ipsius exercitui vel maximo suffectura sit. Adnuit eius postulatis Austrius, & insigni cum classe, quam aliis etiam cum triremibus Dux Suessanus, & Melphitanus princeps, Ioan. Andreas Doria comitabantur, in Africam transijcit, Tunisim occupat, regem a Turcis datum in potestatem redigit, vrbem captam militi suo diripiendam cōcedit. Quum autem promissis Amida non satis faceret, fluxæq; ceteroquin etiam fidei signa quędam præberet, sollicitatis secreto Turcicis auxiliis: cum duobus filiis in Siciliam, iussu Austrij, transuectus fuit. Ibi quum futurum accepisset, vt frater eius Machmetes, cui maxime infestus erat, regno præficeretur: in eum furorem adactus est, vt de triremi se pręcipitaturus, & aquis suffocaturus esset; vix Amida filio, quo minus id faceret, impediente. Machmetes Amidę frater, ab Austrio regnum impetrauit, pręstito prius in Austrij præsentia sacramento, quo se perpetuo fidelem Hispano regi clientem futurum promisit. Is proximo deinde bello, quod exposituri statim sumus, in Turcorum potestatem venit, & Constantinopolim trans mare vectus fuit: vbi superstes adhuc ante triennium, quum istic essemus, in arce, quæ de septem turribus a Græcis Hepta Gulades, a Turcis Iadicula dicitur, sub custodia detinebatur. Hinc Austrius suorum concilium cogit, in quo variis dictis examinatisque sententiis, tamdem conclusum: debere nouam munitionem inter Guletam & Tunisim, ad interiectum vtrique lacum exstrui, quæ X milliaribus Italicis a Guleta, paulloque minus a Tunisi distaret. Eius rei perficiundæ caussa relictus istic Gabriel Serbellonius Mediolanensis Italus, cum IIIIcIↃ Italorum peditum; & Salazarus Hispanus, cum totidem Hispanis: quorum vterq; muniendarum vrbium & arciū peritissimus erat. Consilij totius hic erat finis & scopus, vt hoc modo Guleta firmior efficeretur, & tanto facilius in fide barbari cōtinerentur, ob viciniam

vtrusique

vtriusq; præsidij, commoditatemq; lacus; ad quem quia sita esset vtraq; munitio, nullo negotio alteris alteri subuenire possent. Gesta fuerunt hæc an. DCCCCLXXX. C.1573.

Ægerrime ferebat Sultanus Selimes hos Christianorum in Aphrica progressus. Itaque Sinanem bassam, virum astutum, reique militaris peritissimum, classi supremo cum imperio præficit, qua CLX triremes, & XXXIII diuersi generis nauigia continebantur. Is in Aphricam mense Iulio, anno Mahumetano DCCCCLXXXI, adpulit. C.1574.

Quamquam vero nouę munitioni absoluendę præfectus Serbellonius magna rebus in omnibus diligentia fuisset vsus, tamē ea necdum erat perfecta, quod serius architecti, cum fabris cæmētariis, & omni materia missi, tamdem in Aphricam sub finem mensis Martij peruenissent: quorum aduentus Octobri mense præcedētis anni promissus fuerat, cum XL triremibus, quarum nauales socij muros Tunisinæ vrbis ad structuram nouæ munitionis demoliri debuerant: quod factum non fuit, quantumuis Austrius in vicina Sicilia degeret. Erat etiam pręsidiariorum militum deminutus numerus, exauctoratis temere nonnullis, quos omnem in euentum retentos oportuit. Hoc modo per ignauiam socordiamque factum, vt in hostium potestatem munitiones hæ nullo prope negotio venirent.

Turci primum Guletam obsidere ceperunt, cui Petrus Carrera Hispanus præerat. Ei Serbellonium de subsidiis mittendis vrgenti, quamquam loco munitiori esset, Serbelloniano necdum ad finem perducto; tamen DCL pedites partim Itali, partim Hispani fuere missi. Hinc a Turcis etiam Serbellonius obsessus fuit, quorum exercitum nouis adductis copiis Ramadam Cesairis beglerbegus adauxerat. Carrera denuo subsidium petit. Ea res anxium Serbellonij animum non parum torquere. Si nullos misisset, futurū verebatur, vt in ipsum amissæ Guletæ culpa conferretur: sin autem, vt suo semet præsidio nudaret. Nihilominus concessa Carreræ manus subsidiaria. Duobus interea nauigiis adpulerunt ex Hispania DC milites Hispani, qui noctu per ipsas Turcorum excubias penetrantes, quum vexillis & vestibus Turcicis vterentur, & quosdam Turcice loquentes secum haberēt, Guletam ingressi sunt. Tamdem & tertio Carrera militem sibi summitti a Serbellonio postulat, & quingentos beneficio noctis vsos impetrat, cum egregiis præfectis, ac inter alios, Salazaro magnæ virtutis & existimationis viro. Nihilo minus arx Guletana Turcorum in potestatem venit. Neq; defuere, qui Carreram proditionis insimularent. Prius quidem certe, quam Turci adpulissent, vel per inscitiam, vel superbiam, quingentos milites veteranos Italos admittere noluit: quod minime concessurum se diceret, vt in eius gloriæ partem venirent Itali, quam Hispani Guleta defendenda consequuturi essent. Equidem apud ipsos Turcos ex fide dignis hominibus accepi, Carreram fuisse virum prorsus ignauum & formidolosum, qui pulueris tormentarij nidorem ferre nō posset, nec tolerare fulmina displosarum machinarum: quæ sane quoties in hostem exonerabantur, ipse subterraneis se testudinibus, concameratisq; locis abdebat, bombaceq; suas obthurabat aures. Feruntur ei Turci proditionis obtulisse præmium regni Cyprij pręfecturam: neq; tamen dediticio pepercere, sed tamquam vili mancipio sunt vsi. Capta Guleta, pręter aliam prædam, potitus est Sinan bassa quingentis machinis bellicis, cum ingenti tormentarij pulueris, aliarumq; bello necessariarum rerum, & annonæ copia. Noua quoque deinde munitio a Turcis occupata fuit, non tamen multo sine sanguine: capto etiā Serbellonio, qui crudeliter a Sinane bassa tractatus fuit. Hoc modo prorsus eiecti sunt Hispani ex Aphrica, intra trigesimū & sextum diem: amissaq; per summam ignauiam ea, quæ Karulus Augustus in potestatem optimo consilio redegerat, vt securitati Siciliæ, regni Neapolitani, totiusque tum Italiæ, tum Hispaniæ consuleret. Fuerunt autem hæc anno DCCCCLXXXI gesta, cuius initio Veneti certas ob causas, non consultis, & inuitis adeo, Pontifice atque Hispano, contra leges fœderis, pacem cum Sultano Selime II fecerant. C.1544.

Tunc etiam Corcyræ muniendæ Venetis occasionē præbuit exscensus crudelis in eam insulā Sinanis bassæ, redeuntis ex Aphricano bello. Nam licet ab insulanis, ei placandi hominis causa, cuius præsertim tūc victoriis insolentiā norant,

munera quædam offerrentur: tamen illis reiectis, immaniter in eos graſſatus eſt. Miſſi hoc nomine fuerunt in Corcyram quum alij rerum militarium periti, tum etiam Sfortia Palauicinus, Marchio Curtis maioris. Horum conſiliis ita tum munitæ cum opido fuerunt arces illæ prçaltis in rupibus ſitæ, vereque caput inter nubila (quod Maro dixit) condentes, quas ipſum mare circumfluit: nihil vt equidem viderim aduerſus omnem vim hoſtilem firmius, nihil inexpugnabilius.

C.1575. Annus DCCCCLXXXII memorabilis eſt plures ob cauſas. Nam exſtincto Sultano Selime II, filius Murates III eius nominis, auſpicatus eſt imperium, cum ipſo huius anni Chriſtiani principio. Agebat id temporis annum ætatis XXVII. Ante omnia recepto more barbaro ſtrangulari quinque fratres ſuos, natu ſe minores, in præſentia ſua iuſſit: quorum minimi ceruicibus & iugulo quum pro more neruus adhiberetur, incertum an teneriorìs in hunc amoris cauſa motum, an conſcientia patratæ crudelitatis in omnes, illacrumaſſe quidem ipſum conſtat.

Iisdem mortuo Scacho Techmaſe Parthico, ſucceſſit filius non primogenitus, Muchemetes Hodabendes; nec Iſmail, eius nominis in hac Sophina familia ſecundus, ſecundo loco genitus; ſed proximus ab his Haidar Miriſes, qui annis aliquot antea patris in regno ſuprema cum poteſtate vices geſſerat. Is tamen vix XV diebus regno frui potuit, occiſus a Sultanis quibuſdam, ſiue proceribus regni, qui eum oderant. Hi deinde ſecundogenitũ Scachi Techmaſis filium Iſmailem, eius nominis ſecundum, e carcere productum regno præficiunt. Fuerat enim a patre coniectus in carcerem, propter quorumdam procerum delationes, & in eo pluribus annis hæſerat. Iam regno potitus, vt animos ſuorum exploraret, ac præſertim vt cognoſceret, quinam eſſent illi Sultani, quorum impulſu & conſilio cuſtodiæ mancipatus a patre fuiſſet: ſecretum in locum ſemet abdit, & quorumdam opera, quibus maxime fidebat, mortem ſuam publicari curat. Eius rei fama diuerſos in hominum animis motus, prout adfectus in Iſmailem quiſque fuiſſet, excitauit: in aduerſariis & hoſtibus lætitiam, in amicis luctum. Hoc modo prodentibus ſemet inimicis ac delatoribus, illatum ab Iſmaile mortis ſupplicium fuit. Idem non Sultanos dumtaxat ſibi ſuſpectos, verumetiam fratres ſuos omnes, quotquot nanciſci potuit, e medio ſuſtulit. Et quia deficiente tũc a Turcis ſangiaco quodam Curdo, de quo mox dicturi ſumus, aliqui proceres Iſmaili auctores erãt, vt illum Turcis dederet, ne pax inter vtramq; gentem dudum inita ſeruataque violaretur: non modo conſiliis eorum non obſequutus eſt, verum etiam dedendi ſupplicis auctores, bellique Turcici diſſuaſores, pœna capitis, vt proditores, adfecit. Qua hominis ſeueritate nimia plerique grauiter offenſi, ſexto regni menſe venenum ei, ſororis opera, propinarunt: quo hauſto, vitam cum morte commutauit.

C.1576. Anno DCCCCLXXXIII, Stephanus Batorius, Somlianus, nobilis Vngarus, ceteroquin heroici vir animi, qui paucis ante annis exſtincto Ioanni Sigiſmundo Erdeliano bego, (mortuus enim is fuit an. Chriſtiano CIↃ IↃLXXI, qui Mahumetanus erat DCCCCLXXVIII) cum onere tributi annui, Sultano Muſulmanorum ſoluendi, ſucceſſerat; commendatione Sultani Muratis, patroni ſui, Poloniæ rex factus eſt: quum Henricus Valeſius Gallus, quem ipſum quoq; Poloniæ regno potitum opera ſua Murates iactitare ſolebat, a morte Karuli fratris e Polonia profugus, de ſententia procerum regno fuiſſet abdicatus.

Eodem anno Scachi Techmaſis filius primogenitus, Muchemetes cognomine Hodabendes, quod Perſarum lingua Dei ſeruum ſignificat, mortuis fratribus, Haidari Miriſæ, atque Iſmaili ſecundo, ſuccedens; licet a natura quietis cupidus eſſet, inchoatum tamen ab Iſmaile fratre contra Turcos bellum proſequi ſtatuit: quod ei filius eſſet Emir Chan Miriſes, magni iuuenis animi, gerendarumque rerum inprimis auidus. Hunc copiis ſuis ſupremo cum imperio præfecit. Cauſæ belli variæ fuerunt, quas paulo altius heic repetemus, nuſquam ab aliis hactenus ita proditas. Operam enim dedimus, vt in ipſa Turcia certi aliquid de rebus hoc bello geſtis cognoſceremus à fide dignis hominibus, ſpretis vulgo iactatis, perque litteras ſparſis hinc inde rumuſculis, & rerum nouarum nuntiis.

Iſmaile Scacho ſuperſtite, quidam ſangiacus natione Curdus, cui nomẽ Abdallas

dallas begus, quum quasdam ob causas in suspicionem venisset, imperante Sultano Selime II, patre Muratis III, euocatus fuerat a Sultano Selime, sub alio praetextu, qui barbarorum mos est, ad Portam vti se conferret. Paruit Sultani mandato Curdus, nullius sibi culpae conscius, & Hadrianopolim ad Sultanum Selimem venit. Mandat Selimes, vt captus in carcerem coniiceretur. Solet hoc fieri, quum magnae auctoritatis vel familiae viri adprehendendi sunt, per Zausiorum bassam, qui praeest aulicis nobilioribus, quibus Sultanus Musulmanorum vtitur, quemadmodum principes nostri Commissariorum variis in rebus expediundis opera. Dum Zausiorum bassa sangiacum hunc Curdum Hadrianopoli prehendere suis cum Zausiis conatur in Sultani Muratis II messita, Curdus se cum suis defendens, ipsum ibidem interficit, ceteris partim occisis, partim vulneratis. Hac de causa Selimes ei, cum omnibus suis, ceruices amputari iussit. Quum illo iugulato, fratris eius filius successionis iure sangiacatum ipsius possideret: quidam alius adgnatus adita Porta Osmanica, partim oblatis, partim promissis ingentibus donis tam ipsi Sultano, quam consiliariis eius, quos Vezires adpellant, adgnati sui sangiacatum impetrauit. Citatus alter ad Portam, qui rem omnem intellexisset, sibique metueret, ne absque culpa sua ferret eamdem poenam, qua patruus adfectus fuerat: deuitata profectione ad Portam, quasi de Sultani Selimis obtinenda gratia desperans, in Parthiam profugit ad Scachum Ismailem secundum, qui tunc rerum apud Parthos potiebatur. Sciendum vero, sangiacos illos Curdorum, licet imperio Sultani Osmanidae contineantur, non tamen ita praefici, quemadmodum alii sangiaci solent: sed similes esse Vaiuodis, siue Palatinis, & praesidibus Erdelii, Valachiae, Moldauiae; quos oportet esse filios procerum, in ipsa regione patria natos, & a suis optimatibus ac populis electos. Curdi vero haud dubie ducunt originem a Chaldaeis & Mesopotamiae populis. Nam in hodiernum vsque diem multi Curdorum principes reperiuntur in regione Bagadatis, quae Babylonia veteribus est, & Carahemidae, quae Amida, & in Diarbekir siue Mesopotamia: quarum regionum populi Chaldaei sunt & Assyrii Wano & Schehere zuli vicini, ac Persarum ad fines vsque se porrigentes. Praeterea constat, Arabes hodieque Chaldaeam vocare Keldan, quam Persae cum Osmanicis Curdistanum, hoc est, regnum Curdorum adpellant. Et omnes isti populi sectae sunt Mahumetanae. Quum igitur ad Persas sangiacus ille Curdus, de quo diximus, se contulisset: non modo perhumaniter eum excepit Ismail Scachus, verumetiam omnem suam opem illi ad recuperandam auitam patritamque ditionem obtulit. Husreues autem bassa, qui Wani finitimaeque regionis tum beglerbegus erat, ceterique sangiaci limitanei, qui ad beglerbegatum ipsius pertinebant, quum hasce res intellexissent: damnum Persicis finibus per excursiones inferre ceperunt, quod dicerent, Ismailis Scachi culpa mutuam pacem violatam esse, qui Sultani Musulmanorum fugitiuos & perduelles suam in tutelam contra pacis leges recepisset, eisque decreuisset opitulari. Hoc belli grauissimi, quod hactenus inter Persas & Turcos geritur, exordium fuit.

Accedebant & aliae causae, praesertim ex superstitionum discidiis, vanaque somniorum obseruatione, cui gens Turcica nimium quantum obnoxia est, collectae. Nam ante triennium per Anatoliam passim aliquot illorum millia, qui sacris Turcicis, eorumque disciplinis ac studiis incumbunt, (Schophtalarios ipsi dicunt) sese commouerant, ac Persarum siue Sophinorum religionem Turcicis opinionibus anteferre se professi fuerant, adeoque longius ea secta cottidie serpendo, tantum incrementi sumserat; vt etiam Constantinopoli reperirentur, qui eam probarent. Somnia vero fuerunt huiusmodi, quamuis apud Turcos necdum certo constet, an Sultani Muratis haec fuerint, an eius sacerdotis, quem Sultani sui Scheichem Turci vocant. Creditum tamen a pluribus, ipsimet Sultano Murati oblatum fuisse somnium prius, & alterum Muratis Scheichi: quo nomine veniunt certi sacerdotes, pro viris sanctis apud ipsos habiti. Quippe per quietem stare sibi visus est in medio mundi, sub arbore maxima, cuius essent rami duo, longissimum ad interuallum exporrecti. Nam alter ad extremos solis orientis, alter ad

occidentis fines extendebatur. Præterea sibi visus est conspicari serpentem magnitudinis immensæ, quem ab oriente profectum, & ad se prouolutum, fuste, quem manu teneret, interfecerit. Hoc somnio nonnihil commotus, & experrectus fuit. Prius vero, quam ad explicationem alterius somnii accedamus indicandum lectoris causa venit; Mahumetanos, vltra quatuor Mahumetis socios, quorum nomina sunt, Ebubekir, Omer, Osman, & Alis, (& fuere Mahumetis hi successores, ac propagatores Mahumetanæ superstitionis) alios quatuor eximios Imamos siue Doctores venerari: quorum primum Ebuhanifem, propterea quod supremum inter hos locum obtineat, Imamum azemem siue Doctorem summum adpellare solent: alterum vocant Imamum Malichim, tertium Imamum Schaaffim, quartum Imamum Achmetem Henbelim. Hi quatuor siue doctores, siue sacerdotes, Persis infestissimi fuerunt: ac vicissim magno Persis est in pretio Scheiches Haidar, auctor religionis ipsorum hodiernæ, quem extreme Turci detestantur. Quum igitur obdormiisset, videre sibi visus est prope portam paradisi Ebuhanifem, quem (vti modo diximus) Imamum azemem vocant, hoc est, summum siue sacerdotem siue pontificem. Is compellato Sultani Muratis Scheiche vel viro illo religioso: Abi, inquit, ad Chalifen terræ, (hoc est, ad vicarium siue successorem prophetæ Mahumetis. Nam persuasi sunt Osmanici, principem suum esse Chalifen huius sæculi) eique dicito, Imamum Azemem hoc ipso die, quum egredi e paradiso vellet, Scheichem Haidarem ante paradisi fores inuenisse: quem prœlio adortus, non modo vicerit, verumetiam occiderit: adeoque sectam ipsius nunc finem habituram. Hortaberis ergo Chalifen, vt aduersus hæreticos arma capiat: quos auxilio diuino superabit, deque facie terræ dissipabit.

Recitatis duobus hisce somniis, primum Sultani Muratis Scheiches sic interpretatus est, vt diceret medium mundi significare sedem ipsius Sultani Muratis imperialem: & arborem cum duobus maximis ramis, denotare amplitudinem imperii Sultanici. Per serpentem intelligi hostem ipsius orientalem, hoc est, Scachum Persicum: quem bello superaturus sit, & occisurus, eiusque regnum adiuncturus Osmanidarum imperio. Consimiliter etiam per id, quod Imamus azemes prœlio Scheichem Haidarem adortus vicerit, futurum significari; vt Persarum hæresis, vna cum omnibus, qui eam sectarentur, vsque adeo dissipetur & aboleatur: nullum vt ipsorum vestigium futurum sit reliquum. Præterea Sultanum Osmanidam futurum mundi totius Chalifen ac dominatorem.

Hoc modo quum vtrumque somnium Scheiches interpretatus esset, voluit Sultanus Murates etiam Heggiæ sui (sic apud ipsos vocantur, qui nostris sunt presbyteri) iudicium audire: cui statim ea placuit interpretatio. Neque defuere, qui dicerent, secretum quemdam inter hunc Hoggiam Scheichemque consensum mutuumque de persuadendo Sultano pactum interuenisse. Solus Mechemetes bassa vezir azemes, quem supra Selimis II generum fuisse diximus, & qui deinceps anno Christiano 1579 domi suæ, quum omnibus adeundi se facta copia ius diceret, nequiter a seruitio quodam interfectus fuit; auctor eius belli esse noluit, quod libere consulenti se Murati diceret, nequaquam Persis bellum inferendum, qui iam tot ab annis pacem Osmanidarum cum gente coluissent. Rationibus & argumentis aliis adiungebat elegans, quod Græcis & Turcis vsitatum est, prouerbium: Caudam serpenti, qui dormit, non esse calcandam: ceteroqui futurum, vt excitatus, capite sursum erecto, terribiliter pungat. Ad summam, bellum hoc Mechemetes bassa modis omnibus dissuadebat.

Addendum & hoc, vt odia gentis vtriusque mutua rectius intelligantur, Persas inimicissimos esse tribus Mahumetis prophetæ sociis, Ebubekiri, Omeri, & Osmani: studiosissimos autem quarti, videlicet Alis. Iidem Persæ tradunt, angelum Gabrielem, quum e cælis in terras portaret Alcoranum, (quo libro Mahumetanorum lex continetur) Ali reddendum, errore quodam eum Mahumeti obtulisse: Deumque, velut ea re nequaquam offensum, qui Mahumetem quoque tali dono gratiaque dignum videret, plane nihil obloquutum esse. Præterea dicunt iidem Persæ, primam vxorem Mahumetis, cui nomen fuerit Aische, num-

quam

quam fuisse castam. Immo prophetam Mahumetem, qui se putaret inuenturum virginem, ac pudicam, reperisse plane contrarium. Addunt etiam, quod exstincto propheta Mahumete, quum Alis, propinquus & gener eius, electus fuisset Chalifes siue vicarius & successor ipsius; Ebubekir fauore malignorum quorumdam adiutus, per iniuriam, contra factum a propheta testamentum, se constituerit Chalifen. Idem post ipsum, reliquos etiam duos, Omerem & Osmanem, factitasse. Alim interea quadam in spelunca semet abdidisse, donec omnes ordine morerentur, atque ita tamdem eis successisse. Quum ergo tres isti contra supremum ellogium testamenti, praeceptumque prophetae Mahumetis deliquerint: nullam iis Persae fidem adhibent, quae a tribus illis vel tradita voce, vel litterarum monumentis prodita sunt. Immo vbicumque libros ipsorum & scripta reperiunt, confestim flammis exurunt, & crudeliter in eorum obseruatores animaduertunt. Iidem Persae Scachum siue regem suum adorant, & ita venerantur, ac si Deus quispiam terrenus esset. Non etiam quinquies interdiu noctuque precari solent, Osmanicorum more; sed semel dumtaxat. Ad summam, sectatores sunt religionis a doctore quodam eis traditae, cui nomen fuit Scheiches Haidar: & quidam ex ipsis alterius quoque doctoris vestigiis insistunt, quem Imamum Harustim adpellant. Hi duo doctores vel Imami, exstiterunt in vrbe Persarum Reza, quo tempore vixerunt Erdebil, Vsumchasanis Scachi Persarum gener, & Scachus Ismail, eius nominis primus, Erdebilis filius, Vsumchasanis ex Martha filia nepos. Quumque doctores hi tam concionando, quam scribendo, ea proposuissent, quae diximus: duo illi principes, Erdebil & Ismail, pater & filius, eorum doctrinam sectamque probarunt & amplexi sunt. Ac filii quidem Ismailis, cognomento Sophini, ea felicitas fuit; vt nouae religionis, quam Sophinam vocarunt, fama confluentibus ad ipsum paruis initio, deinde maioribus hominum copiis, tamdem proeliis victos Persarum reges, Iacupem auunculum suum, eiusque filium Aluantem, occiderit; ac sibi regnum subiecerit, ad posteros etiam dignitate regia in hunc vsque diem propagata. Nihilominus illi duo Persarum Imami siue doctores, Haidar & Harustis, non Osmanicorum dumtaxat, verumetiam aliorum Mahumetanorum exsecratione damnantur, tam in Barbaria vel Aphrica, quam in Keziis bassae latissimo imperio, qui magnus Tatarorum Chan Chitainus vulgo dicitur. Has omnes igitur ob causas adeo Persis infesti sunt Osmanici, vt horum Muphtis, hoc est, patriarcha vel summus pontifex, hanc de ipsis sententiam tulerit: Gratius nimirum, & acceptius esse Deo, religionis Mahumetanae causa Persam vnum occidi, licet professione Mahumetanus sit; quam si quis LXX Christianos, a Mahumetanis in religione prorsus dissidentes, interficiat. Denique constat id temporis, quum illustris & generosus Caesaris Christianorum ad Portam Osmanicam orator, Dauides Vngnadius, Baro Sonneccianus, Constantinopoli discessurus, & Sultano Musulmanorum valedicturus erat, eamdem ob causam legatum etiam Persicum ad Diuanum se contulisse. Hunc paullo serius adueniens orator Caesaris nostri locum primum, sibi debitum, occupasse conspicatus: insalutato Sultano, discessurus erat. Sed Mechemetes bassa Vezirazemes, cuius mentionem fecimus, ea re animaduersa: Persam, licet Mahumetanum, inferiore loco sedere iussit. Vnde patet, apud Turcos pluris Christianos religione diuersos, quam Persas Mahumetis cultores fieri.

Expositis belli causis & initiis, & plenius quidem ac verius, quam antehac praestitum a quoquam sit, cuius quidem labor in publicum exierit: nunc ad ipsas bello gestas res accedamus.

Dictum superius, inchoatum fuisse bellum sub Ismaile secundo, Scacho Persarum: quo non multo post mortuo, licet frater & successor in regno Scachus Muchemetes Hodabendes ceptum a fratre bellum prosequi decreuisset: tamen vt eo paratior accederet, aliud agendum, & aliud simulandum duxit, regno praesertim non ita pridem adito, nec satis adhuc compositis rebus, quas Ismailis temeraria crudelitas non parum perturbarat. Itaque moderationem quamdam prae se ferens, qua turbis inter vtramque gentem nuper exortis reme-

dium adferre cuperet: legatos cum litteris ad Sultanum Muratem misit, quibus significabat, numquam se fratris in abrumpenda pace consilium probasse: sed in primis hoc semper desiderasse, vti semel inter vtramque familiam constituta, totque iam ab annis culta pax & amicitia mutua, perpetuo conseruaretur.

Ab altera parte Murates, qui veram crederet expositionem ac declarationem indicatorum somniorum, & citra intermissionem ad inferendum Persis hæreticis bellum accenderetur a prædictis Scheiche atque Hoggia, flocci legationes ac litteras Scachi Muchemetis faciebat: adeoque vix auditis legatis imperabat, vt numerosus ac præpotens cogeretur exercitus. Accedebat impulsor alius, nec minus acer, Husreues bassa Wanensis: qui cottidie veredarios cum litteris Constantinopolim missitabat, per quas litteras Sultanum Muratem certiorem reddebat, reapse Persas pacem non expetere: sed dicis dumtaxat causa, litteras & legatos ad Portam misisse, quo scilicet moram interponerent, seque gerendo bello rebus ab omnibus instructiores efficerent.

C.1577. Anno Mahumetano DCCCCLXXXIIII Scachus Muchemetes cum iis populis, quorum imperator longe omnium toto terrarum orbe potentissimus, Vlu Chan Chitainus, & Kezies bassa cognominari solet, fœdus iniit, eosque sibi bello contra Turcos gerendo socios adiunxit: tametsi maiores ipsius continua cum eis bella gessissent. Licet enim & ipsi Mahumetani sunt, tamen quibusdam de religione sententiis a Persis discrepant. Habuit etiam præter hos, complures ex ipsis Turcis non paruæ auctoritatis auxiliares, qui ab aliis Turcis Osmanicis in religionis opinione diffidebant, & ad Sophinos inclinabant. Denique non exiguas a Georgianis quoque copias impetrauit, qui antiquitus Iberi dicebantur, & religionem Christianam hodieque profitentur, nonnihil tamen a Græcis & nostris diffidentes. Principibus diuersis parent, & animis ad Persas propendunt, quibus hoc bello plurimum profuerunt.

Ex aduerso Sultanus Murates exercitui suo longe amplissimo, quo contineri credebantur hominum ad ducenta millia, Mustapham bassam supremo cum imperio præfecit, cuius immanitas ac perfidia bello Cyprio nobilitata fuerat. C.1578. Is die V mensis Aprilis, anno DCCCCLXXXV, Constantinopoli discedens maximo cum Portæ procerum comitatu, qui honoris eum causa deducebant, Iscodaram transmisit. Inde ductis ad hostium fines copiis, quum sub initium Augusti mensis eo peruenisset: Georgianorum res per summam crudelitatem agere, ferre cepit. Inter hoc erat femina quædam princeps, quam vulgo vetulam vel annosam vocabant. Ea quum de potentia Sultani Muratis accepisset, sub fide publica filios duos ad Mustapham bassam misit, vt subiectionis & obœdientiæ signum erga Sultanum Osmanidam ederet. Illi quum primum ad Mustapham tyrannum venissent, mox ab eo, viro scilicet astuto, nulla datæ fidei ratione habita, quam more suo tam erga Christianos, quam Mahumetanos, pro libitu solebat violare, Constantinopolim ad Sultanum Muratem mittuntur. Simul ab ipso certior Murates redditur, numquam ditionem principis annosæ, matris eorum, sub Muratis iugum venturam: ni vel vterque, vel alteruter dumtaxat ad amplectendum religionem Musulmanorum permoueatur. Qua quidem in re tam diu laboratum fuit ab Osmanicis, vt tamdem minor natu frater musulmanissaret anno C.1579. DCCCCLXXXVI, die XXV mensis Iunii: cui propterea paterna maternaque ditio cum hac lege concessa fuit, vt eam titulo beglerbegatus, beneficio Sultani Muratis possideret. Est autem ea regio Tschildiri Tiphlisioque contermina. Maior natu frater in retinenda religione Christiana constantem se præbuit, ac tametsi multum precibus, promissis, minis denique formidabilibus tentaretur: numquam tamen adduci potuit, vt fidem Christianam desereret. Vnde factum, vt ipsis Constantinopoli profectis eodem anno DCCCCLXXXVI, die XV mensis Augusti, simul ac reuersi fuissent in patriam, frater hic Christianus confestim exspiraret: de cuius morte diuersæ fuerunt hominum opiniones, aliis a fratre venenum ei datum in itinere perhibentibus, aliis pro certo adfirmantibus, id ei propinatum fuisse

fuiſſe Conſtantinopoli à Turcis, arte tali paratum, vt ad certum terminum paullatim hominem exſtingueret.

Ad Muſtapham vero baſſam vt redeamus, iter is ſuum & expeditionem proſequens, poſt varios conflictus & pugnas, quibus modo cum Perſis, modo cum Georgianis, inſigni exercitus iactura congreſſus fuit: (menſe quidem Augusto primi ſtatim anni, Tocmaces Sultanus, Reuani dominus, qui Scacho Muchemeti militabat, vno prœlio Turcorum XVCIↃ cæcidit) tamdem Tiphliſium cepit in regione Georgianorum, ciuitatem finitimam ditioni principis Simonis, & Leuentis begi, qui & ipſe princeps Georgianus eſt. Accidit hoc anno Mahumetano DCCCCLXXXV, menſe Septembri. C.1578.

Poſteaquam redacto in poteſtatem Tiphliſio beglerbegum præfeciſſet, ac dephterdarum ſiue Rationalem, vel quæſtorem: flumen quoddam ſuis cum copiis tranſmiſit, quod ab aliis Ares, ab aliis Caraſu, id eſt, Aqua nigra vocatur, propterea, quod impetu veloci fluat, & profundum ſit. Dum id flumen tranſiiceret, vno dumtaxat die XVIICIↃ ſuorum amiſit, quos vorticoſus amnis, præter equos, camelos, & mulos, abſumſit. Aiunt hunc amnem diſterminare Mediam, hoc eſt, Siruanum, a Georgiana. Tranſiectis copiis, iter ſuum direxit verſus eam ciuitatem, quæ communi nomine cum ipſa regione Siruanum dicitur, illaque nemine reſiſtente potitus eſt: quod Perſæ facultates ſuas omnes auexiſſent, totamque viciniam ferro & igni vaſtaſſent. Iſtic quoque beglerbegum, cum dephterdaro, conſtituit. Et ciuitas ea totius Mediæ metropolis eſt. His rebus geſtis, ad XXV dies ibidem Muſtaphas hæſit. Inde rediturus Arzerumen, ſuprema cum poteſtate ducem limitum & exercituum Mediæ, vezirem que Portæ creauit Oſmanem baſſam, qui poſt etiam vezir azemes Oſmanicæ Portæ factus eſt: relicto ei ſatis magno Genizarorum, aliorumque militum numero, cum ſufficiente tormentorum bellicorum, rerumque ad ea neceſſariarum, & annonæ copia. Quibus omnibus ita conſtitutis, cum reliquo Muſtaphas exercitu Arzerumen ſe contulit, Armeniæ maioris ciuitatem, quæ ſex dierum itinere Trapezunte diſtat. Apud Arzerumen alius eſt beglerbegus, & dephterdarus Sultani Oſmanidæ.

Poſteaquam huc reuerſus fuiſſet Muſtaphas baſſa, Muchemetes rex Perſicus numeroſum miſit exercitum aduerſus hoſtes, Siruani relictos: quibus inter ſe prœlio congreſſis, victus fuit Siruanenſis beglerbegus, omnique cum exercitu cæſus. Perſa tam inſigni potitus victoria, triumphabundus ad ciuitatem Siruanum properat, eamque pauciſſimis diebus obſeſſam recuperat. Oſman baſſa, qui ante prœlium hoc ad vrbem erat, quum primum de morte beglerbegi, & exercitus clade nuntium accepit: quod iam præ oculis obſidionem Siruani, ſuumque videret interitum, nocte quadam cum paucis ſuorum verſus Temircapim, hoc eſt, Portam ferream, ſiue Derbentum, aufugit. Id ſitum eſt ad mare Caſpium, quod ipſorum lingua Beherculzum, ſiue Culzam denizi dicitur.

In hunc modum recepto Siruano, res a Turcis relictas Perſæ diripiunt, muris Siruanum nudant, propugnacula cepta diruunt, regionem cum incolis ab Oſmanico iugo liberant, qui maiori ex parte ſunt Armenii, reliqui legis Mahumetanæ ſectatores; tam Oſmanicæ, quam Perſicæ ſuperſtitionis. Oſman vero baſſa quum Temircapim veniſſet, aſtute ſibi Schemhalim Chanem, hoc eſt, regulum ſiue principem Derbenti, amicum reddidit, addictum Mahumetanæ Oſmanicæque ſectæ, Perſis infeſtum, natione Tatarum: cuius & filiam duxit vxorem, quæ poſt inſtinctu mariti patrem veneno ſuſtulit. Id factum ab Oſmane perhibent duas ob cauſas. Primum, quod vereretur, ne ſucceſſu temporis eum ſocer ipſe de medio tolleret. Deinde, vt in poteſtatem redacta munitione Temircapina regioneque ſoceri, patrocinio Sultani ſui Oſmanidæ ſe traderet, quod etiã reapſe fecit. Quippe mortuo Schemhali Chane, Oſman baſſa ſolus & abſolutus princeps manſit in ditione ſoceri, nemine prorſus impediente. Confeſtim vero per Capham, quæ inter Tatariam Moſcouiamq; ad ſeptemtriones ſita, Circaſſiam verſus meridiem habet, ablegatis veredariis cum litteris ad

Sultanum Oſmanidam Muratem, eius ſe fidei poteſtatique totum dedidit & commendauit: ſimul exponens ea, quæ ab ſe geſta fuiſſent: ac petens, vt ſiquidem non de illius dumtaxat loci ac ditionis, verumetiam de totius Caſpii maris, Moſcouiæ, Orientalis Indiæ, Samarcandæ Choraſanis & Chilanis, Perſicarum regionum, imperio ſummo cogitaret: primo quoque tempore ſibi exercitum, pecunias, annonas mitteret. Sultanus Murates lætis hiſce nuntiis permotus, quum alias ei res neceſſarias curauit, tum etiam LXCIↃ Tatarorum miſit, cum duobus
C.1584. fratribus eius Tatariæ regis, qui deinceps anno DCCCCXCI ab Oſmane baſſa ſtrangulatus fuit. Et hæc quidem anno belli primo geſta fuerunt, nimirum
C.1578. DCCCCLXXXV: quo Turcorum tam in præliis, quam commeatus inopia, periiſſe ſupra LXXCIↃ conſtat.

C.1579. Hieme vero exacta, quum æſtas anni DCCCCLXXXVI adpetiiſſet, auxiliareſque copiæ cum pecuniis ad Temircapim acceſſiſſent: ſolitis in Siruani fines excurſionibus Oſmanici ex arce Temircapina hoſti damnum inferebant. Ea res ingenti cum Perſis prœlio cauſam præbuit, quo Tatari ad internicionem, vna cum altero Tatari regis fratre, cæſi deletique fuerunt; altero fratre viuo ab hoſtibus capto. Oſman ipſe baſſa cum pauciſſimis ſuorum vix ſaluus euaſit. Quumque perexiguas ſane copias aduerſi prœlii caſus ei reliquas feciſſet, more latronum Turcicorum cottidie vicinas ſibi ditiones prædis agendis infeſtare cepit, nullo nec amicorum, nec hoſtium diſcrimine rationeque habita: quibus ex rapinis & ipſe victitabat, & ſuos alebat, ſubinde ſe cum eis, ſi hoſtis immineret, ad indicatum caſtellum recipiens. Et perhibetur eius caſtelli ſitus natura munitiſſimus eſſe, cui quum manum quamdam Genizarorum ſclopetis vtentium impoſuiſſet, cum machinis aliquot campeſtribus & falconetis: in loco tantopere à natura munito, contra nudos & inermes illos populos, qui nec oculis ſuis toto vitæ ſuæ tempore tormenta bellica ſclopetoſque vidiſſent, nec auribus eorum fulmina percepiſſent, adeo ſe tutum, ipſumque caſtellum inexpugnabile reddidit; vt ſibimetipſi monarcha quidam eſſe videretur.

Ab altera parte prædictus baſſa Muſtaphas hunc rerum ſucceſſum conſpi-
C.1578. catus, nihil omnino per hiemem anni DCCCCLXXXV geſſit, ad Arzerumen cum copiis hærens, vti ſuperius indicauimus. Sub initium vero ſequentis æſtatis, anno
C.1579. DCCCCLXXXVI, ad fines Perſicos exercitum duxit, diuerſiſque prœliis modo cum Perſis, modo cum Georgianis confligens, inferior ſemper, inſigni cum ſuorum clade, diſceſſit.

Eodem anno Carſeum muniuit, locum ab Arzerume verſus Reuanum, quatuor dierum itinere diſtantem: eique beglerbegum & dephterdarum præfecit. Conſimiliter ad Tſchildirim, ſitam in Georgianæ limitibus, aliū beglerbegum cum dephterdaro conſtituit.

Miſit etiam hoc anno cum claſſe Sultanus murates Vluzalim baſſam, præfectum maris, in Mengreliam, regionem populorum Colchidis, vt iis in locis munitionem ædificaret. Huic abſolutæ beglerbegus ab eo datus fuit, ac dephterdarus. Ipſi loco nomen eſt Faſſa. Curauit autem Faſſam Sultanus Murates exſtrui, vt iis in locis aperiret iter breuius ac ſecurius: quo facilius in Georgianos duci copiæ poſſent, & iis ab illa parte debellatis ac ſub iugum miſſis, tanto commodius vltra Temircapim, ad inferendum Siruano bellum, iri. Non multo poſt tamen, quam inde maris præfectus Vluzalis cum milite claſſeq; diſceſſiſſet: Faſſana munitio penitus ab hoſte diruta, vaſtataq; fuit.

Quum parum proſpere bellum à Muſtapha baſſa gereretur, adflictis miſere militibus, ob annonæ penuriam, & immaniter graſſantem in caſtris peſtilentiam: litteris Sultani Muratis Amaſiam, vt iſtic hibernaret, concedere iuſſus fuit. Ille tamen nihilominus in Arzerume cum reliquiis exercitus hac hieme ſubſtitit, maiori militum parte propter egeſtatem, luis contagioſæ vim, & imminēs hibernum frigus, dilapſa: domumq; beglerbegis etiam reuerſis, quum nihil in hoſtem recte geri poſſe cernerent.

Interim Perſa Caſmino, quæ altera penitiorque imperii eius eſt regia, Te-

briſium

briſium cum copiis proficiſcitur. Ibi quum de diſperſis hinc inde, profugiſque Turcis, certior factus fuiſſet; in hoſticum procurrit, ingentique præda onuſtus, in hiberna militem & ipſe dimittit. Hac Perſarum excurſione cognita, veritus Murates, ne hoſtis progrederetur vlterius: continuo Muſtaphæ per litteras imperat, vt omni cum exercitu ſemet ad Perſarum fines denuo conferret. Is vero nihil horum fecit, quod iam de Perſarum abitu per exploratores intellexiſſet: & ceteroqui ſi maxime copias in hoſtem ducere voluiſſet, nihil potuiſſet efficere, propter contumaciam exercitus, qui prorſus dicto non erat audiens. Immo conſultatum aliquando conſtat in caſtris de necando Muſtapha, cuius in eum odii cauſæ in primis erant, inexplebilis quædam auaritia, ſupinaque ſecordia in procurandis annonis, & aliis militum commodis: vnde factum fuerat, vt enectis fame peſteque militibus, caſtra modo non exhauſta conſpicerentur. Has ob cauſas à Sultano Murate reuocatus ad Portam fuit Muſtaphas, & in eius locum ſuffectus Sinan baſſa: quem ſupra commemorauimus, Guletam & Aphricæ maritimæ ſiue Barbariæ poſſeſſionem Hiſpanis eripuiſſe. Fuit confeſtim huic imperatum, vt primo vere ſemet ad expeditionem Perſicam, rebus ab omnibus egregie paratus & inſtructus, adcingeret.

Muſtaphas interea ſemel atque iterum arceſſitus, de ſignis minime dubiis iram Sultani Muratis, & odium, ex militum delatione, deprehendebat: accedente præſertim conſcientiæ morſu, ex officiis in exercitu pecunia venditis, aliiſque criminibus. Quippe tanta ſupremi apud Turcos militum ducis, qui Seraſker apud ipſos dicitur, auctoritas & poteſtas eſt: vt non ſolum officia militaria minora maioraque pro arbitrio lubituque ſuo conferre, verumetiam Portæ vezires creare poſſit: quemadmodum ſupra narrauimus, Oſmanem baſſam ab hoc ipſo Muſtapha ſupremam ad illam dignitatem hoc euectum bello fuiſſe.

Quum igitur ob haſce cauſas vereretur inſidias ſibi ſtrui, diligenter ac mature ſibi cauebat. Mittitur in caſtra denique iuſſu Muratis Capizilariorum Kihaias, qui ianitorum præfectus eſt, cum aliis quindecim Capizilariis ſiue ianitoribus. Huic à Sultano Murate diuerſæ datæ fuerant litteræ ſiue mandata, quibus ad expediundum negotium ſibi commiſſum, prout ferret occaſio, prudenter vteretur. Vnæ ſic erant ſcriptæ, vt ipſi Muſtaphæ, per occaſionem hanc ſtrangulando, redderentur. Alteræ Sultani mandatum continebant, ne qua miſſis ab ſe hominibus hiſce vis inferretur, quo minus id, quod ipſis ab ſe iniunctum eſſet, exſequerentur. Tertiæ diuerſam ab vtriſque ſententiam, vti paullo poſt apparebit, complectebantur. Erant caſtra Muſtaphæ tripertita. Quo factum, vt vbi Kihaias in caſtra veniſſet, ab vnis ad altera tertiaque viciſſim perduceretur, nec tamen in Muſtaphæ baſſæ conſpectum, varias ipſo cauſas prætexente, admitteretur. Tamdem quum Muſtaphæ colloquium ſerio poſceret, quodam à Muſtapha deſcripto circulo, intra quem nemini liceret ad ipſum accedere propius: ex interuallo fuit admiſſus, diſpoſitis vndique ſatellitibus armatis: quod procul dubio ſuboleret, quidnam ea ſibi legatio vellet. Ex altera parte Capizilariorum Kihaias & ipſe Muſtaphæ mentem animaduertens, mandatum tertium profert, quo Niſchanzim Muſtaphæ, qui noſtro vocabulo cancellarius eſt, ac dephterdarum, qui Rationalis & quæſtor, nomine Sultani Muratis ſibi dedi poſtulabat. Ibi tum mirifice tergiuerſari Muſtaphas, & Cretenſium (quæ vocant) effugia quærere. Sed quum acriter vrgeretur, & aliud in hoc tempore nullum huic rei remedium inueniret: hac conditione dediturum ſe ſuos promittit, ſi de ipſorum vitæ incolumnitate caueretur. Qua conditione admiſſa, dediti & Cõſtantinopolim abducti fuerunt ambo, & in Iadiculam ſiue ſeptem turrium arcem, in qua Sultani Muſulmanorum theſauri recondi ſolent, incluſi: velut ibidem ſingulari cum ſeueritate de omnibus Muſtaphæ baſſæ factis examinandi.

Muſtaphas denique Conſtantinopolim IX. die menſis Aprilis ingreſſus, anno DCCCLXXXVII, placato nonnihil Sultano Murate, ſi non ex ani-

mo, saltim per simulationem; suos illos homines, Nischanzim ac dephterdarum, custodia liberat. Ac licet à conspectu & colloquio Sultani Muratis arceretur, tamdem tamen aliquam largitionibus immensis, quæ nihil non apud barbaros efficere possunt, gratiam redemit.

In eius locum diximus suffectum fuisse Sinanem bassam. Hic enim prius, quam vezir azemes, & supremus bello Persico gerendo dux, à Murate declaratus fuisset; quoties ad Portam rerum infeliciter aduersus Persas gestarum nuntii venirent, Sinoniis artibus vtens, per summam arrogantiam dictitare solebat: se, si belli dux amplissima cum potestate designaretur, penetraturum vel ad intimam Scachi Persici regiam Casminum, indeque regem viuum in potestatem redactum Sultano suo missurum. Hi Sinanis bassæ sermones quum Sultani Muratis ad aures peruenissent, adeo placuerunt, vt eum Sultanus parare se iuberet, quod futurum esset, vti summo cum imperio contra Persas mitteretur. Sinan hoc non contentus, tantum efficere præterea Sultanæ commendatione potuit: vt Murates diceret, siquidem præstaret id, quod toties se præstiturum recepisset, omnino etiam se dignitatem ei veziris azemis, hoc est, supremi consiliarii Portæ, concessurum.

Posteaquam ergo Constantinopolim Mustaphas adpulisset die IX mensis Aprilis, vti dictum est supra: Sinan eodem adhuc mense contra Persas ire iussus fuit. Nullus id temporis Osmanicæ Portæ vezir azemes erat, exstincto nimirum Achmete bassa, qui occiso domi suæ a deruisio quodam Mechemeti bassæ, quemadmodum antea narrauimus, successerat: paucisque mensibus hoc fuerat officio functus. Vacantem vezirazematum Mustaphas bassa non tantum ambiebat, verumetiam spe prope certa sibi pollicebatur: partim, quod inter vezires ordine proximus esset ab Achmete bassa vezirazeme, nuper mortuo: partim, quod ætatis esset prouectioris, humanarumque pariter bellicarum rerum maximum haberet vsum. Sed ista spes hominem plane fefellit. Quippe Sultanus Murates Sinani bassæ Constantinopoli profecturo, per Capizilariorum Kihaiam sigillum suum imperiale, cum dignitate veziris azemis, pro more misit.

Discedit ergo Sinan ab vrbe XXV die mensis Aprilis, quum Muratis manum osculatus, quod valedicentes facere solent, acinace magni pretii cinctus ab eo fuisset, vexillumque prætorium, cum equo generoso, accepisset. Ad eum ex Anatolia tota passim confluxere militum copiæ, Tataro quoque noua subsidia parante.

Quamquam vero melius administrare bellum hoc cupiebat Sinan bassa, quam factum a Mustapha fuisset: tamen propter absumtorum inedia pesteque militum paucitatem, nihil admodum memoria dignum efficere potuit: nisi quod in Georgianorum limitibus duos beglerbegos, cum duobus dephterdaris, constituit: alteros ad Sochumam, alteros ad Batinum. Ea ciuitatum in iis finibus nomina sunt. Beglebergatus tamen illi non magno æstimandi veniunt. Plures nimirum in iis locis limitaneis beglerbegatus instituti fuere, quam sangiacatus. Idem Sinan bassa, quum aliquando regionem Curgginorum, id est, Georgianorum ingressurus esset: grauem suorum cladem expertus fuit, multis ibidem machinis etiam bellicis relictis. Et alio tempore, quum Tiphlisium, quod ab hostibus obsidebatur, auxiliares copias atque pecunias mitteret, tanto cum impetu à Persis & Georgianis inuasus fuit ipsius exercitus: vt omnibus rebus amissis, prope nullus ex eis saluus ad castra Sinanis reuerteretur. Quo factum, vt intra Tiphlisium obsessi Turci dira fame, gestatis etiam canum muriumque carnibus, exstinguerentur.

C. I 58 Die quarto mensis Augusti, anno DCCCCLXXXVII, Constantinopolim venit à Scacho Persico missus orator, Maxudes Chan, qui regis sui nomine Sultano Murati componendæ pacis auctor esset. Magnifice à Mustapha bassa, & aliis Portæ proceribus exceptus fuit.

Eiusdem mensis die sexto moritur Mustaphas bassa, quum biduo dumtaxat an-

kat antea morbum contraxisset ex esu melopeponum auidiore, quibus aquæ saccaro dilutæ (Turcis ea Zerbetum dicitur) copiam largiorem superinfuderat. Plerisque putabatur ipsemet sibi mortem adtulisse, sumto præterea veneno, metu supplicii: quod vereretur, ne priores ad causas, ob quas Sultani Muratis indignationem incurrerat, accedente Persici oratoris accusatione, de suppressis aliquot regis sui legationibus, magna cum infamia vitæ periculum adiret. Constans quidem id temporis erat fama per vniuersam Constantinopolim, futurum, vt strangularetur. Facultates mortui fisco fuerunt illatæ, portione quadam nepotibus relicta, qui tunc adhuc impuberes, ad Portæ ministeria traducti fuerunt. Olim Sultanus Selimes II eo præceptore fuerat vsus. Inde quum beglerbegus Cairensis factus esset, parum abfuit, quo minus iussu Selimis interficeretur. Dignus omnino, qui sibimet tamdem fieret carnifex, ob exercitam, capta Famagusta, in Bragadinum & alios perfidiam, ac belluinam prorsus immanitatem.

Die XVII mensis Augusti, concessa fuit Oratori Persico legationis exponendæ facultas: quæ licet ab initio per esse grata Sultano Murati videretur, omni tamen fructu caruit. Quo minus enim pax coire posset, hæc erat causa: quod eam Osmanici maximo cum suo commodo, Persarumque detrimento, facere vellent: nimirum vti Persæ Turcis omnia tam Siruano comprehensa, quam extra Siruanum posita loca territoriaque relinquerent, quibus hoc bello calces (ita loqui solent) equus Mustaphæ bassæ suas impressisset. Id vero numquam facturi videntur Persæ, qui hac lege dicunt illis se locis cessuros Osmanicæ familiæ, siquidem ea Turci tam armis in potestatem redigere, quam gladio tueri ac retinere possint. Præter hanc, nullam se pacis aliam legem admissuros, aliquoties expresse denuntiarunt. Ceterum Maxudes ille Chan legatione sua defunctus, & ad principem suum reuersus: aliquanto post, perduellionis crimen incurrit, & hero suo deserto, Muratis se fidei permisit, Ferhatemque bassam deinceps ad bellum Persicum proficiscentem sequutus est, vt aliquem nancisci sangiacatum in illis finibus posset.

Anno DCCCCLXXXVIII nihil fere gestum memorabile, propter extremam in limitibus & castris inopiam: ipsis etiam militibus ab hoc bello prorsus alienis, & quacumque ratione possent, se subducentibus. Sinan quoque bassa belli pertæsus, quod nullo cum fructu gereretur, & redire Constantinopolim cupiens, vbi maiora de vezirazematus officio commoda percepturus esset, vt erat ingenio sagaci, non bellum contra Persam continuandum, sed pacem aliqua ratione statuit ineundam. Ea de causa missis ad regem Persarum Zausiis atque litteris, significat; siquidem suo cum principe pacem facere vellet, legatum modo prudentem, & auctoritatis eximiæ, tantoque negotio parem, ablegaret. Ita futurum haud dubie, feliciter vti pax inter vtrosque conficeretur, & arma deponerentur. Interea vero pangendas inducias, quæ vtrimque bona fide seruarentur. Simul ad componendas æquis legibus discordias, omne studium operamque suam pollicebatur. Non ingrata Scacho Persico pacis ea mentio fuit, ideoque mox concessis & adprobatis induciis, oratorem se missurum, causa prius deliberata, respondit. His perfectis rebus, castra Sinan bassa relinquit, & Constantinopolim profectus, sub medium mensem Iulium exquisita cum pompa, prodeuntibus obuiam Portæ proceribus, vrbem ingreditur. C. 1581.

Initio veris, anno sequenti DCCCCLXXXIX, die Martii mensis XXIX, missus a Scacho Muchemete quidam ex procerum Persicorum numero, cui nomen Ibrahimes Chan, Constantinopolim magno & insigni cum comitatu CCC plus minus equitum venit: partim vti de pace cum Sultano Murate tractaret, partim vt interesset cæremoniæ Musulmanicæ, qua Muratis filius Muchemetes, XVI plus minus annorum adulescens sollemni ritu circumcidendus erat. Die mensis Maii XXVIII cepit inaudita sæculo nostro celebritas circumcisionis huius, præsentibus Constantinopoli maximorum prope totius orbis principum legatis, Rudolphi II Christianorum Imperatoris augusti, Henrici III Galliæ regis, (cuius C. 1582.

tamen orator Germinius Germollæus secundo, post Cæsaris legatos, loco spectare iussus, quum primum adfectaret, partim per inuidiam, partim quod obtinere non posset, vt legati Poloniæ regis excluderentur, quem pro rege non adgnoscebat, hero suo regnum illud adserens, domi suæ se continuit) Stephani regis Poloniæ, Reipublicæ Venetæ, Scachi Persici, Regum Aphricanorum Maroci & Fessæ, ac Tatarorum; Principum Erdelii, Moldauiæ, Valachiæ, & aliorum. Durauit ipsa festiuitas totis XL diebus & noctibus continuis. Muchemetes tamdem VII Iulii die, sub ipsum noctis initium, a Mechemete bassa, postremo inter vezires, qui Sultani Soleimanis tonsor aliquando fuerat, non publice, sed in cubiculo patris circumcisus fuit.

Dum hæc Constantinopoli geruntur, Osman bassa per inducias Siruanum inuadit, maximumque damnum Persis infert. Sed vicissim ab eis ceditur, omnisque præda recuperatur. Eius rei nuntio, necdum finita circumcisione, Constantinopolim adlato: succensus iracundia Murates legati Persici stationem ac sedem in Atmindane diruі iubet, ipsumque in saraio Mechemetis bassæ cum suis includi, donec Osman bassa Temircapi Constantinopolim venisset. Fuit autem habitus eo loco tam stricta in custodia, tamque inhumaniter: vt peste Constantinopoli grassante, suisque ministris ea correptis, quorum ad C hac dira lue fuerunt absumti, nullam tamen relaxationem, nullam mutationem loci potuerit impetrare.

Non multo post nuntiatum fuit, Persas & Georgianos coniunctis viribus iterum Osmanicos adortos fuisse: qui Tiphlisio recentes copias, cum annonis, soluendisque militi stipendiis inferre conabantur: multis eorum millibus occidione deletis, & annonis ac pecuniis interceptis. Fertur eius apud Georgianos principis feminæ filius, quam diximus annosam vulgo vocatam, cladis huius auctor Osmanicis fuisse: quod Persas de Turcorum instituto ac profectione monuisset, hostilesque copias adgrediundi viam eis monstrasset. Murates intellecta cæde suorum, & principis annosæ filii collusione cum Persis, qui tamen superioribus annis musulmanissarat, Muratique semet in clientelam dederat: prius, quam Ferhates bassa, quem ad gerendum post Sinanem bellum Persicum ablegare decreuerat, Constantinopoli discederet; mandatum ad beglerbegos quosdam limitaneos misit, quo præcipiebat, vt astu principis annosæ filium de medio tollerent. Is vero, patefactis per amicos insidiis, a Sultano Murate defecit, & fuga sibi consulens, ditionem suam ab Osmanico iugo tyrannideque liberauit: seque cum aliis principibus, tam Georgianis, quam Persis, coniunxit: ac perpetuis excursionibus fines Osmanicos infestare non desiit. Iisdem Georgianis etiam princeps Simon, & Tocmaces Sultanus, Reuani dominus, fœderis mutui religione obstricti erant.

Huic Tocmaci, Georgianorum partes sequenti, quasi quoddam vt frænum Murates iniiceret, omnesque nocendi vias intercluderet: Ferhatem bassam magno cum exercitu, fabrorumque non exiguo numero, ad eos fines misit: vt arcem ad Reuanum conderet, quod & ciuitatis & regionis Tocmaci subiectæ nomen est. Ferhates eo profectus, primo castellum quoddam inter Carseum & Reuanum exstruxit: inde cum copiis progressus, arcem Reuani fabricauit. Ei Cigaloglim, (sic bassam natione Genuensem, e nobili Cigalarum familia natum, quasi Cigalæ filium Turci vocant) cum potestate beglerbegi, & cum titulo Veziris in istis limitibus, adiuncto eidem dephterdaro, præfecit: relictis illi numerosis militum copiis, Genizaris sclopetariis, machinis bellicis, rebus ad eas pertinentibus, annonis, & aliis necessariis. Hinc Osmanici more suo per Reuanenses agros aliquoties excurrentes, omnia rapinis exhausere: sed sua potius cum iactura, quam
C. 1582. lucro. Gesta vero sunt hæc, quæ commemorauimus, anno DCCCCLXXXIX.

C. 1583. Anno sequenti DCCCCXC, Ferhates bassa Georgianorum in agros eductis aliquoties suis, duas in iisdem finibus arces ædificauit. Cigaloglis, quem diximus, semel atque iterum a principe Tocmace prœlio victus fuit: aliquando etiam vulneratus, tantum non in hostium potestatem venit.

Osman

Osman vero bassa, qui ad Temircapim hærebat, vti superius indicatum, suos ad Sultanum Muratem ablegat, qui ab eo mitti sibi peterent Genizaros sclopetarios, artifices machinarum fundendarum peritos, architectos triremibus tam maioribus, quam minoribus fabricandis, quos calaphagilarios Turci vocant, (hybride scilicet a Græcis accepta, qui calaphatas dicunt) itemque socios nauales, cum Raisis eorum, siue triremium nauiumque præfectis, a quibus gubernarentur. Præterea rogabat, vti pecuniæ sibi subministrarentur, vna cum aliquibus Rumeliæ, hoc est, Græciæ, & Anatoliæ, hoc est, Asiæ minoris, & Siuastæ siue Sebastiæ Sangiacis. Adsensus est Sultanus Murates postulatis eius omnibus. Quare quum Temircapim hi peruenissent, nauigia quædam fabricari curauit, eaque misit ad infestanda maris Caspii litora. Consimiliter & terrestres ablegauit copias, vt tam Siruanensium, quam aliorum sibi finitimorum agros, non minus amicorum, quam hostium, rapinis dirum in modum agerent, ferrent. Sed plerumque magno cum detrimento, suorumque cæde reuertebantur.

Diximus antea, Persas & Georgianos vnitis copiis, Turcorum exercitum adortos, qui Tiphlisio succurrere properabat, ingentem eorum stragem edidisse. Quum eius cladis acceptæ nuntius Constantinopolim venisset, compellato Sultanus Murates Sinane bassa, qui tunc Vezirazemes erat: Quid hoc, ait, est rei? quænam indutiæ, quod laxamentum hoc belli? Ad quæ Sinan, temeraria quadam cum audacia, respondens: Vt his rebus, inquit, obuiam eundo remedium inueniatur, Scacho Scachus opponendus erit. Quibus verbis innuere volebat, aduersus regem, regis opus esse opera: planeque necessario requiri ad obtinendam de hoste victoriam, vt ipse Sultanus Murates dux belli aduersus Muchemetem Persarum regem proficisceretur. Murates eo Sinanis accepto responso, mox Sultanam matrem adit, & ab ea consilium in hac causa dari sibi petit. Tum illa: Mi fili, ait, hæccine sunt illa magnifica promissa Sinanis? itane pollicitus est, iturum se capiendi Persici regis causa, vel ad intimam Persarum regiam Casminum: & nunc auctor esse vult tibi, vt ipsemet ad gerendum hoc bellum proficiscaris? Non dignus est, qui deinceps munere Veziris azemis tui fungatur. Quo consilio Sultanæ matris intellecto probatoque, confestim Murates Sinanem Masulem pronuntiat, hoc est, honoribus omnibus, ac præsertim dignitate supremi Veziris, exuit. Parum quidem abfuit, quin occideretur. Bona condemnati fisco fuerunt adplicata. Relegatus & exsul, hodieque Malagræ degit, quod opidum Macedoniæ situm est in itinere, quo Constantinopoli Ragusium itur. Sinani suffectus fuit in Vezirazematus officio Siauses bassa, natione Vngarus, quo cum nupta Sultani Muratis soror erat. Quod mores & ingenium Sinanis adtinet, crudelem & auarum se gessit erga quosuis, erga Christianos, infestissimum, superbum & arrogantem erga maiores & pares. Iactantia tanta fuit, vt quum aliquando negotiorum publicorum causa conueniretur ab illustri & generoso Rudolphi II Augusti legato, Friderico Breinero, Barone Fladiziano, inuerecunde prædicaret; se, suprema cum potestate profectum ad Persarum fines, tantum in iis locis occupasse regionum: vt Sangiacatus ibidem quinquaginta constituerit. Id vero quanta cum vanitate fuerit ab ipso dictum, vel ex eo paret: quod vniuersa Rumelia, qua tamen amplissimæ prouinciæ, nec vno a Turcis adquisitæ sæculo, Thracia, Macedonia, Seruia, Bulgaria, Albania, Thessalia, Morea, siue Peloponesus, Achaia, siue Liuadia, Ætolia, siue Despotatus cum aliis continentur, vltra XXII Sangiacatus non habeat. Immo constat, Sinanem in iis locis nihil admodum memorabile gessisse, nisi quod vnum & alterum beglerbegatum instituerit. at quales beglerbegatus? Alba Græca, vel Alba regalis; Strigonium, vel Sigetiuarum; quæ loca Sangiacatuum nomine tantummodo censentur hactenus, recte iudicantium opinione singula præferenda veniunt quatuor eiusmodi, vel quinque beglerbegatibus. Rident quidem certe viri prudentes, rerumque Turcicarum, & illorum finium periti, quum recitari tot beglerbegatus eorum locorum audiunt: Tiphlisium, Tschildirim, Sochumam, Carseum, Batinum, & alios. Reuanum facile nomen hoc tuetur. Itidem Siruanum quoque beglerbegatus titulum mere-

retur, ſi Turcorum eſſet in poteſtate, quemadmodum initio belli, ductu Muſtaphæ baſſæ Veziris, Oſmanidarum imperio fuerat adiectum. Sed beglerbegatus ceteri ſuis cum territoriis, ad octo decemve dierum iter ab ipſis vaſtati Perſis, vſque adeo redacti ſunt ad ſolitudines: vix vti paullum aquæ reperiatur, nedum panis, aut carnes, aut aliæ res, tam ad victum hominum, quam iumentorum alimenta neceſſariæ. Quæ ſola certe cauſa eſt, quamobrem hactenus Oſmanidæ in iis locis annonæ caritate laborauerint. Ac ſunt in ipſa Turcia, qui exiſtiment, Turcos hoc bello ſemper inferiores futuros, licet plures ad annos etiam in poſterum continuetur.

Verum ne longius extra oléas, quod aiunt: ad annalium ſeriem redeamus. Miſit ſecundum hæc aliquoties Oſman baſſa petitum Sultani Muratis opem atque auxilia, quæ ſuppeditata quum fuiſſent, iamque Temircapim acceſſiſſent: ad Siruani fines ciuitatem Somachiam cepit, ibique beglerbegum & dephterdarum collocauit. Præterea locum alium redegit in poteſtatem, cui non longe a Temircapi diſſito, nomen eſt Tabbaſſaran. Paullo poſt ibidem & aliam ciuitatem occupauit, quæ Cabba dicitur. In omnibus hiſce locis gubernatores & præfectos, idoneis cum præſidiis, machinis bellicis, rebus ad eas neceſſariis, annoniſq;, reliquit. Turci quidem aiunt, Oſmanem præter indicata loca & opida, complures alias quoque ciuitates & caſtella cepiſſe. Quinetiam conſtat, Oſmanem baſſam, anno ſequenti proximo, quo tempore Conſtantinopolim profectus, manum Sultano Murati deoſculabatur, inter alia munera, quæ pro Sultano Murate ſecum aduexerat, eidem obtuliſſe XVII plus minuſve claues argenteas. Et ſingulis clauibus inſcriptum erat nomen certæ ciuitatis aut caſtelli, ab Oſmane in poteſtatem redacti. Significare nimirum huius oblatione doni XVII clauium volebat, ſe totidem cepiſſe vel opida, vel caſtra, quot eſſent ipſæ numero claues. Quod equidem memini pleriſque viris prudentibus, & rerum Turcicarum gnaris, nequaquam vero viſum ſimile: quum potius ea pagorum eſſe iudicarent nomina, quam vel opidorum, vel caſtellorum. Sed enim per me liberum hac de re iudicium cuiuis eſto.

Quum hic rerum in iis locis ſucceſſus eſſet, denuo ſuos ad Sultanum Muratem miſit Oſman, qui peterent, vt ipſummet Tatariæ regem Muchemetem ferre ſibi ſuppetias iuberet. Fecit hoc quidem Oſmanis rogatu Murates, ſed Tatarus ſuis hominibus ad Muratem ablegatis, libere reſpondit: ſe mandatu Muratis ſuperioribus annis duos fratres ſuos, cum multis millibus hominum, miſiſſe Temircapim: quorum nemo quum ſaluus domum redierit, etiam fratrum altero cæſo, altero in carceribus apud hoſtes mortuo: videri ſibi nouum quiddam & inſolens, ſe quoque iuberi tamdem ad bellum hoc proficiſci, quod per legatos geri poſſit. Nihilo tamen minus ſe, quando Murates ita pro ſui auctoritate imperii præciperet, ſuſcepturum hanc expeditionem: modo ſibi mitti curaret arma, pecunias in militum ſtipendia, cum aliis rebus neceſſariis. Murates, accepto Tatari reſponſo, rem cum ſupremo conſiliario ſuo, Siauſe baſſa, & cum Rumeliæ ſiue Græciæ Cadileſchero deliberat. Hi quum ei perſuaderent, eſſe Tataro mittenda illiuſmodi ſubſidia: dari iuſſit omnia, quæ bello gerendo neceſſaria requireret. Centum quidem ei miſſa fuiſſe iumenta ſagmataria perhibentur, onerata nummulis argenteis, quos aſpros adpellatione Græca Turci vocant. Horum ſumma conficiebat centum & octuaginta millia talerorum Germanicorum, ad aſpros LX reuocato taleri pretio, quod id temporis huic nummo ſtatutum decreto Sultani Muratis erat. Adeoque iumenti vnius onus taleros mille cum octingentis continebat. Hanc Tataro pecuniam miſit, præter alia donatiua, nimirum veſtes ex panno ſericoque confectas, & omnis generis arma. Sciat autem lector, propterea fuiſſe Murati Chanem hunc Tatarorum Muchemetem obligatum ad educendas mittendaſve domo ſuorum copias, in quemcumque viſum Murati fuiſſet hoſtem, & quocumque tempore: quod ſingulis annis eo nomine pro ſe ſuiſque ducibus acciperet a Murate ſummam ducentorum plus minuſve millium Sultaninorum: præter impenſas diurnas, quarum ei nomine, pro more Turcico, ſingulos in dies aſpri mille numerabantur. Tatarus vbi a Murate, quæ diximus, accepiſſet: Crimio, ci-

mio, ciuitate regiaque sua, discedit; seque Temircapim perrecturum simulat. Sed aliquanto spatio progressus a Crimio, domum reuertitur: quum modo suis id se facere diceret, ob anni tempestates, profectioni aduersas: modo suspicionis causa, quam de fratribus suis concepisset: modo propter Cosacorum motus, (sic adpellantur in Moldauicis Valachicisque finibus, qui Martelosi, Vscochi, Morlachi dicuntur in Vngaricis, Croatinis, & Dalmatinis: nisi quod maiore numero Cosaki rem gerunt) qui contemni non possent, quum non dudum adeo Potocoua Polono duce, finitimam sibi Benderiam, Osmanici iuris opidum, versus Nigrum mare situm, ceperint atque diripuerint: nunc has denique, nunc illas causas & excusationes prętendens, expeditionem Murati promissam non suscepit. Equidem de viris sapientibus, & Turcicæ fraudulentię gnaris, audire memini: conclusum in Muratis fuisse consilio, Tatarum Chanem procul ad remotas illas regiones ablegandum: vt interim, dum abesset domo, regnum eius, quod etiam ceteroqui Sultani Muratis contineretur imperio, in formam beglerbegatus redigeretur. Ac fieri potest, has eum subolfecisse Turcorum insidias, ideoque profectionis consilium mutasse: ne dum alienis augendis & conseruandis intentus esset, propriis exueretur. Vtut sese res habeat, Murates ægerrime ferens, hoc modo delusum se tantam cum pecuniæ, tum aliarum rerum iacturam fecisse: cogitare cum animo suo de vindicta cepit. Itaque mandatum ad Osmanem bassam mittit, quo præcipiebat, vt vbi primum id ipsi mandatum offerretur: istic suo loco relinqueret Giaferem bassam, (is aliquando Temesuari beglerbegus in Vngaria fuerat) cum titulo Veziris Osmanicæ Portæ, summique copiarum ducis in illis locis: atque ipse celeritate, qua posset, maxima Capham, ad castigandum Tatarum, proficisceretur. Erat huic Tataro nomen, Muchemet, Kerai Chan, hoc est, Muchemetes rex Keraius, siue Keraiorum. Osman bassa mandato Muratis accepto, quidquid ab eo sibi fuisset iniunctum, fecit. Quippe Capham profectus, totam istic hiemem illam transegit. Quum æstas adpetiisset, anno DCCCCXCI, C. 1584. misit eo Sultanus Murates fratrem Muchemetis Tatari, cui nomen erat Islan Chan. Is hactenus adseruabatur apud Iconium vrbem Asiæ. Nunc vero Capham eo consilio mittebatur, vt Osman bassa necato Muchemete, regem hunc Keraiis Tataris loco Muchemetis daret. Cum Islane Chane, Muratis mandato, Capham nauigauit Vluzalis præfectus maris, cum aliquot triremibus, nec mediocri Genizarorum Portæ sclopetariorum præsidio. Postquam hi Capham adpulissent, infelix ille Muchemetes Chan desertus a suis, & potissimum proditus a Kihaia siue præfecto curiæ suæ, Turcorum in manus venit: & ab eis, vna cum duobus filiis, eliso gutture strangulatus fuit. In eius locum mox ab ipsis, nemine refragante, suffectus est Islan Chan, ex decreto Sultani Muratis, vt Keraiorum Tatarorum Chan siue rex esset. Alius quidam filius eius ad Nogaiorum Tatarorum principem, socerum suum, profugit. Muchemeti quidem non immerito, propter impietatem erga patrem exercitam, eiusmodi mors obtigisse vero simile videtur. Nam quum is senio confectus, parum filio putaretur ad gubernationem idoneus: ope Sultani Turcici patrem abdicare se regno coëgerat Muchemetes, idque mox in se transtulerat: Tataris fratrem eius, Islanem Chanem poscentibus, cui pater etiam magis fauebat. Islan cum alio fratre, natu minore, Polonorum ad regem Stephanum Batorium, fraternæ crudelitatis metu, se contulit. Rogatu Muchemetis Sultanus Turcicus Polonum regem vrget, vti sibi dederentur. Erat apud Turcos Transsiluanus quidam, Marchatzi Paul. vulgo dictus, id est Paulus Marchatzius: qui rebus Transsiluanis insidiatus fuerat. Eum vicissim poscenti regi spes aliqua deditionis facta. Quamobrem Tataros fratres Sultano mittit, qui tamen Polonum ludificatus, promisso non stetit. Auctor enim dedendo fuit, vt musulmanissaret. Quod quum is fecisset, religione se prohiberi Murates Polono respondit, quo minus Musulmanum Christiano ad supplicium dederet. Ipse quidem Marchatzius apostata superstes adhuc est, Babotzæ præfectus, haud procul a Zigeto; & Ibrahim beg a Turcis nunc adpellatur. Tataris fratribus Constantinopoli degentibus in domo Zausij cuiusdam Vngari senis, fuga na-

tu minor ad Persas elabitur: cuius exemplum ne Islan imitaretur, Rhodum primo triremibus deportatur: inde transfertur Iconium, ibidem adseruatus, donec tamdem factus liber, fratri Muchemeti, quemadmodum iam indicauimus, substitueretur.

Ceterum rebus ex animi sententia curatis, Osman bassa, marisque præfectus Vluzalis, triumphabundi Constantinopolim reuersi sunt. Post paucos dies Siauses bassa, quum alias ob causas secretiores, tum vero quod mittendorum Tataro pecuniæ reliquorumque subsidiorum auctor Murati fuerat, vt antea narrauimus, interuenientibus etiam occultis aduersus Osmanem inimicitiis, quæ
postea patefactæ fuerunt, a Vezirazematus officio remotus; eiusque loco prin- 1
ceps Sultani consiliarius factus est Osman bassa, facile Turcorum omnium, secundum Osmanidas, nobilissimus: quod patre Damasceno beglerbego, matre beglerbegi Bagadatensis siue Babylonij filia natus esset. Hoc quidem memorabile, quod Siauses in publico diuano condemnatus & masul factus fuit. Sed deinde Sultani Muratis soror, coniux eius, apud fratrem suppliciter intercessit. Cui Murates: Beatus est, ait, quod te coniugem habeat, absque hoc fuisset, eum sine vlla commiseratione in pleno diuano iussissem interfici. Amissa dignitate, coniugis tamen causa saluis annonis, quę singulos in annos sex millibus Sultaninorum æstimabantur, & saluo timaro duûm millium Sultaninorum, migrauit in domum
suam, quam ad litus Asiaticum sitam in hortis vidimus, quum ad Euxinum na- 2
uigaremus. Secretior illa causa, cuius modo meminimus, fuit, quod Muratis animum contra Muchemetem filium exacerbasset, quum is forte Kihaiam siue præfectum suum indigne tractasset. Ægro tulit hoc animo Sultana, Muchemetis mater, ac maritum in suspicionem adduxit: quasi Siauses æmulationis ac discidiorum seminibus inter patrem filiumque sparsis, acrius tamdem (quod humanis in rebus fieri soleat) irritato patre, vt vnicum filium occideret, imperium postea suis liberis, ex Sultani sorore natis quæsiturus esset. Hinc in primis illa Siausis calamitas.

Postea quam Osman bassa Vezirazemes creatus fuisset, tantopere suum
apud Sultanum laborauit & institit: vt tandem Persicus orator, Ibrahimes Chan, 3
qui tamquam incarceratus, in saraio conclusus erat, vti supra diximus, bona cum pace suum ad principem redeundi facultatem impetraret. Sed quum Osmanici natura duplices ac fraudum pleni sint, vbi primum Persicus hic orator peruenisset Arzerumen, quæ maioris Armeniæ ciuitas est, iussu Muratis ibidem detentus fuit, ne vlterius progrederetur.

Non multo post, certior factus est Sultanus Murates, strangulati Muchemetis Tatari Keraij filium, qui Nogaiorum ad principem fuga se receperat, vti supra memorauimus, magno cum exercitu, socerique subsidiis profectum contra patruum Islanem Chanem, eo tam ciuitate Crimio, quam ditione paterna eiecto,
pleraque amissa recuperasse: Islanemque patruum, fuga sibi consulentem, Ca- 4
pham contendisse. Quo quidem Murates accepto nuntio, tum vt obuiam iret ac remedium adferret omnibus hinc orituris incommodis, tum vti perduelles castigaret: Osmanem bassam, qui supremo cum imperio terrestrium copiarum dux in iis locis esset, ablegauit. Eum in castris ad Chalcedonem cum LX plus minusve millium exercitu vidimus, vnde postea per Anatoliam, siue Asiam minorem, iter fecit: hoc est, Iscodara Chalcedoneq; profectus est itinere terrestri Sinopen versus, vt inde Capham per Euxinum transiiceret. Sed quod illis in regionibus, Ponto vicinis, ingens tum frigus esset, maluit ad opidum Castamonam subsistere, quod non procul a Sinope situm, itinere XIIII vel XV dierum Constantinopoli
distat, vt istic vsque ad veris initium hibernaret. Itidem maris præfectus Vluzalis, 5
qui cum triremibus ad Nigrum mare vel Euxinum se contulerat, vt prædictum Osmanem bassam cum terrestribus copiis Sinope Capham transueheret; in portum Sinopensem triremes deduxit, quo commodius nauigationi tempus, & Osmanis Serdaris, hoc est, generalis ac supremi copiarum imperatoris aduentum istic exspectaret. Diuersæ tunc hominum de hac expeditione Constantinopoli opi-

poli opiniones erant, aliis existimantibus, Osmanem iter hoc tractandæ cum Scacho Persico pacis causa suscipere, aliis adfirmantibus, Capham iturum, indeque perrecturum vlterius, vt in vrbe Crimio munitionem exstrueret, ibique beglerbegum cum dephterdaro siue quęstore constitueret. Sed euentus docuit, hanc expeditionem Persici potissimum belli continuandi causa fuisse susceptam.

Expositis hactenus continua serie Persicis rebus, nunc subijcienda quędam veniunt, quæ licet ad superiores annos pertineant: tamen huc referre maluimus, ne belli memorabilis series interrumperetur.

Iam ante diximus obiter, annis superioribus proximis Cosacos, Potocoua generoso viro Polono duce, captam Benderiam, (quod alioqui nomen in genere arcem siue munimentū significat) Turcici iuris opidum, diripuisse. Tantū in hoc Potocoua robur erat, vt equorū soleas ferreas, etiam recentes, nullo negotio manibus, instar chartę, vel alterius rei fragilis, rumperet. Ideoq; sibi ducem hunc Cosaki pręfecerant, & auspiciis eius Turcis, qui ab aliis lędi se nolūt, quum maximam sibimet ipsi nocendi licentiā in finibus sumant, grauissima damna dederāt. Quum id cōtra leges antiqui fœderis inter Osmanicam familiam regnumq; Poloniæ fieri videretur, mittit ad Stephanum regem Sultanus Murates Zausium Portę, repetitum res ablatas, & nō sine minis postulatum, vti Potocoua quoque, Cosacorum dux, præsente ac inspectante Zausio suo, capite plecteretur. Venerat in potestatem regis Potocoua nefario quorumdam amicorum suorum astu & scelere, qui studio gratificandi voluntati regiæ, per litteras a Potocoua petierant, vti ad se veniret, quo cū colloqui de rebus ad ipsummet pertinētibus cuperent. Simul fidem nomine liberi commeatus regij suam interposuerāt. Accesserat vir integer, ac minime suspiciosus. Monebatur, Cosacos vti desereret, statimq; regem adiret: quem sanctè pollicebantur, nihil in eum statuturum asperius. Quum hoc modo deceptus, ad comitia se Varsouiam contulisset: deliberatum in senatu, quid agendum hoc esset in negotio. Visum maiori senatorum parti, nequaquam hominem Christianum, militem Polonum, virum deniq; fortem, qui robore corporis admirabili cunctis in eo regno præstaret, barbaro certam ad necem prodendū. Ad Zausium, quam commodissimis fieri posset, purgandum rationibus. Omni denique modo consulendum ipsius saluti, qui salui commeatus regij promisso fretus, Varsouiam venire non dubitasset. Rex Stephanus e diuerso dicere, sub fide quidem publica Potocouam arcessitum: sed aliter eam datam non intelligi, nisi quatenus causam suam iustam docere probareque posset. Nunc vero quum pareat, eum contra fœderis pacta conuenta fecisse, quod indignissime Sultanus Murates ferat: non posse fœdifragum, pacisq; publicæ violatorem, salui commeatus regij beneficio frui. Auditas esse minaces Sultani Turcorum litteras, cuius iras si tanti non facerent, ac Potocouam potius seruatum vellent: se quidem ipsorum voluntati non aduersaturum, satisque facturum officio suo contra quosuis regni hostes: monére tamen, ne bello Moschouitico necdum confecto, nouas temere sibi cumularent inimicitias. Hoc modo cedentibus regię sententiæ Polonis, sumtum de Potocoua supplicium fuit. Secundum hæc, anno Mahumetano DCCCXC quidam Podolouius C. 1583.
Polonus, (hoc nomine Constantinopoli adpellabatur. alij Polidouium vocant) nobili genere natus, stabuli regij præfectus secundus, quem vulgo suppræfectum vocant, missus fuit extra ordinem legatus a Stephano rege cum litteris ad Sultanum Muratem, quibus inter alia petebatur; vt ei regis sui nomine liceret equos aliquot generosos in Anatolia comparare, quibus in Poloniam deductis pro se rex vteretur. Impetrato Muratis consensu, in Asiam proficiscitur, & XXIIII equos insignes ac plane regios emit. Cum his in Europam transijcit, domum non sine saluo Sultani Muratis commeatu rediturus. Sed quum forte tum noui Cosacorum motus & excursionis nuntius ad Portam venisset, illico Murates Zausium Constantinopoli ablegat, qui Podolouiū adsequutus in itinere, cum suis iugularet; & equos regios, cum ceteris legati, comitumque rebus, Constantinopolim reduceret. Venit hic ad Podolouium non procul Hadrianopoli, mandatumque sibi narrata præpotenti Sultano suo, litteris etiam prolatis, vt cum cum equis

& comitibus Constantinopolim reduceret. Negat id se facturum Podolouius, litterasque salui commeatus ostendit. Nec has, nec legati personam, contra ius gentium violari debere, præsertim a confœderatis, ait. Zausius ad proximi Cadij siue iudicis cognitionem prouocat, qui e loco maxime vicino arcessitus, quum ad eos venisset: quæ in medium ab vtroque proferrentur, audit. Iubet exhiberi sibi tam Podolouio, quam Zausio datas a Sultano litteras: quibus inspectis, quum Zausij mandatum recentius esse cognouisset: vim prioris exspirasse, posterioris exsequutionem requiri, pronuntiat. Ceptum ergo rediri. quumque de via regia cum eis Zausius deflecteret: monetur a legato viam vti regiam teneat. Occlamat barbarus, Ipsene Sultano Musulmanorum, ac suis, in regno suo præscribere leges vellet, quo reducendus esset itinere? Sic igitur itum in siluam, vbi ad mortem parare se iubentur omnes, ex sententia mandati Sultanini. Erant ei XXXIIII famuli, quibus ordine trucidatis, (vno tantum excepto puero, qui sollerter in siluam profugiens euasisse perhibetur) vltimo Podolouio, post conceptas ad Deum preces, caput amputatum a Zausio fuit. Res omnes ipsius & comitum Zausius Constantinopolim, cum equis regiis, reduxit. Equi, iussu Muratis, partim Sultaninum in Saraium, ad ipsius Muratis vsus, recepti: partim inter bassas distributi, digitisque singulari cum ignominia Stephani regis passim monstrati fuerunt.

C. 1584. Quum hæc per autumnum accidissent, anni sequentis DCCCCXCI initio venit Grodnam, quæ in Lituania sita est, ad Stephanum Poloniæ regem missus a Sultano Murate Mustaphas Zausius, qui cædem legati regij Podolouij, de qua modo dictum, excusaret. Aiebat is, falso tamen rem narrans, illum fuisse necatum, nullo Sultani Muratis interueniente iussu: quum præscriptos legationi limites egressus, copias Turcicas spectatum venisset, quę tum temporis contra Persas mittebantur. Nunc ab se mandato Muratis adduci cædis auctores, de quibus rex Stephanus supplicium sumeret. Quia vero Cosaki recens magnum finibus Turcicis damnum intulissent, vicissim petere Muratem, vt ablata restituerentur, & Cosacorum dux ad necem sibi dederetur. Venerat is hoc tempore Grodnam, eadem illectus fraudulentorum verborum esca, qua prius etiam circumuentum fuisse Potocouam diximus. Vir erat bellicosus, & Turcos in finibus more suo semet insolentius gerentes, aliquoties ceciderat. Hunc sibi Murates, loco duorum vix triobolarium nebulonum, quique fortassis aliud ob maleficium capitis anquisiti fuerant, mitti volebat. Intercedentibus apud regem pro eius incolumitate præcipuis regni proceribus, non ille quidem Turco deditus: sed tamen incertum quo deportatus, nusquam ex eo tempore conspectus fuit. Solebat narrare Constantinopolim reuersus iste Mustaphas Zausius, qui non ex primariis, sed vilis inter suos erat, se a principio conspicatum terribiles ac minaces Polonorum oculos, ob indignam, & contra ius gentium admissam, legati regij cædem, grauiter frementium; non exiguo sibi visum in periculo versari. Verum quod antea Potocouam de medio, præ formidine Sultani sui, sublatum meminisset: animo prorsus obfirmato, tam audacter, minis etiam interiectis, vt voluntati principis sui satisfieret, vrsisse: tamdem vt omnis ei Cosacorum præda cum captiuis: absque cuiusquam impedimento, restitueretur: quam pæne triumphabundus ad Sultanum suum Constantinopolim adtulit.

Iam de nostris etiam rebus vt aliquid interseram, ante biennium sex, plus minusve, Turcorum millia, duce Sangiaco Solnocensi, qui deinceps Sasuarensis siue Zigetanus bassa nominatus fuit, prædæ faciundæ causa collecta, celeritate quadam inexspectata regionem Cepisiensem inuaserant: Onodium, quod iis in locis opidulum est, direptum incenderant: multa Christianorum capita cum amplissima præda secum abduxerant. Quia vero reditum istorum nostri ad Agriam, quam Erlam vulgo vocant, præstolabantur: vbi primum Turci aduenissent, dimicari ceptum, licet illi numero superiores nostris essent. Sed quum nostris auxilia destinata summitterentur, quæ Vngarorum erant equitum ad IICIƆ: denuo pugnatum acriter, numero Turcis, virtute nostris fidentibus. Iam anceps erat victoria, quum equites Germani sclopetarij CL superuenientes, nostris eam

vindicarunt.

vindicarunt. Nam a latere Turcorum in aciem irrumpentes, diſploſis ſclopetis eam ſubito ſoluerunt ac turbarunt. Hoſtibus in fugam coniectis, plures eorum cęſi, nec pauciores capti: præda cum mancipiis Chriſtianis recuperata. Cædis huiuſce Turcorum nuntio Cõſtantinopolim adlato, mirifice perturbari Turcorum animi. Sinan baſſa, qui tum adhuc Vezir azemes erat, fremere, furere, maxime terribilia minari. Sed poſtridie illius diei, quo primum nuntium acceperant, quidam Sangiacus ex Vngaria veniens, ad baſſas Vezires deductus, & ab eis de re, quonam modo geſta fuiſſet, interrogatus; reſpondit, ſuos nulla laceſſitos iniuria regionem imperatoris Chriſtiani temere inuaſiſſe, mancipia Chriſtiana, prędamque maximam, abduxiſſe: qua quidem onuſti, dum ſuos ad fines domum properarent, in hoſtico cæſi fuerint. His intellectis, & indies ab aliis quoque confirmatis, iræ nonnihil ſopitæ fuerunt: præſertimque cogitatum de renouandis & prorogandis vlterius cum Imperatore Chriſtianorum indutiis, quæ anno DCCCCXC C. 1583.
exſpiraturæ eſſent: quamquam illas impediturus videretur Sinan Vezirazemes, ni maſul factus fuiſſet, vt ſupra commemorauimus.

Anno igitur DCCCCXCI, ſequuta fuit inter Rudolphum II, Chriſtianum im- C. 1584.
peratorem, & Muratem III, Imperatorem Muſulmanorum, indutiarum prorogatio: quæ Kal. Ianuariis, anno Chriſtiano CIↃ. IↃ. LXXXIV, qui Mahumetanus eſt DCCCCXCI, inciperent; & nonum ad annum vſque durarent.

Hoc primo prorogatarum indutiarum anno, ſub finem menſis Auguſti, Rudolphi II, Rom. Imp. iuſſu vir illuſtris & generoſus, Henricus Baro de Lichtenſtain, de Nicolſpurg, ſereniſſimi principis Matthiæ, Archiducis Auſtriæ, primus a cubiculis, conſueta munera Sultano Murati, Muſulmanorum imperatori Conſtantinopolim laturus, Vienna quinque nauibus ſecundo Danubio diſceſſit, Budamq; feliciter quinto die mẽſis Septembris adpulit: ac perhumaniter exceptus, negotia ſibi demãdata cum Sinane baſſa Budenſi, patria Florentino, licet alij Mediolanenſem ex Vicecomitum familia perhiberent, ex animi ſententia peregit. Ibi poſtridie, quam aduenifſet, qui fuit ſextus dies Septembris, quum deduceretur ad baſſam, inſolens ei barbarumque ſpectaculum exhibitum fuit.

Primum magno populi concurſu, tres habitu Turcico prędecebant Zingani, quos Ægyptios nonnulli, Arabes alij vocant. Horum medius teſtudinem, vſitatis maiorem, pulſabat: reliqui duo duabus fidiculis, admodum ſtridulis, ſtrepitum faciebant; & voce barbara Sultanorum Oſmanidarum res geſtas, omnibus ad hunc vſque Muratem ordine recenſitis, accinebant.

Hos ſequebantur tres limphatici robuſti homines, caligis tantum induti, cetera nudi: niſi quod capitis vertex paruo pileolo rubro, & humeri nudi ſuperiniecta, deque collo pendente pelle tigridis, exornabantur. Hi ad concentum Zinganorum tripudiabant, tenentes ſinguli vexillum Turcicum rubri coloris, cuius haſtile intra cutem & abdomen ventris, emanante multo ſanguine, defixum erat.

Hos duo pueri ſequebantur, qui cuti frontis perforatæ pennas gruis inſertas ferebant.

Secundũ pueros incedebant quatuor virorũ paria, peruulneratis lateribus.

Primi duo clauas ferreas, quas puſdiganos dicunt: proximi duo nudos acinaces, per cutem transfixos, geſtabant.

Rurſus alij duo ſequebantur, quorum vnus ſecurim militarem Vngaricam, (ſchacanum vocant) alter oblongum Genizari ſclopetum apertis lateribus, in transfixo corpore portabat.

Vltimo loco viri duo robuſti ſpectaculum hoc claudebant, qui tempora rectis, latis, & oblongis enſibus, quos Vngari palaſtos vocant, transfixerant. Horum capulos manibus tenebant. In enſium cuſpide pomum erat adfixum, & pomo penna gruis inſerta.

Vniuerſi raſis nouacula capitis & barbæ pilis, excepto muſtace, caligis tantum largioribus, qui Turcorum per æſtatem mos eſt, induti; ſupra cingulum plane nudi erant: niſi quod in vertice, ſicut & antea diximus, rubrum ſtrictumque pileolum, quem takiam (ni fallor) adpellant, & pendentes de collo per humeros

tigridum pelles gestabant. Omnes etiam tripudiantes continuo saltabant, cum multa sanguinis effusione, quem spongiis abstergebant.

Hoc genus hominum, quod animo scilicet imperterrito quiduis audeant, à Turcis Delilari, hoc est, stulti delirique vocantur, a Græcis Rhipsokindyni, quod præcipites in pericula ruant. Quum autem rursus eadem peragentes, quæ prius, ex ædibus bassæ nostros, ad nauium stationem, præcedendo deduxissent: accepto munere, quod eis legatus augustalis dari iussit, ad suos reuersi sunt.

Comitabantur hoc itinere legatum aliquot Barones, virique nobiles, quorum nomina subiicere libuit ex commentario Melchioris Besolti, qui nostrum hoc iter descripsit.

Karulus Dietricstain, Baro in Hofenburg & Finckenstain.

Sigismundus Ludouicus, Baro de Polhaim.

Ioan. Bernardus a Lembach, &c.

Wolfius Vngnad, Baro in Sonneck.

Georgius Hartmanus Baro de Lichtenstain, legati frater.

Ioan. Vlricus Baro de Starhemberg.

Georg. Andreas Baro de Buchaim.

Stephanus de Reua, Comes Turocensis, Vngarus.

Wilhelmus a Dietricstain.

Ioannes Leyenklaw.

Franciscus Georgius Oberdorf.

Melchior Besolt.

Maximilianus Mager a Fuchstat.

Antonius a Stamp.

Georgius Rothut.

Hector ab Eltz, aulæ præfectus.

Ioan. Iacobus Eglof, stabuli præfectus.

Iacobus Mielich.

Victor Rechlinger.

Ioannes Basilius ab Hohenwart.

Aderant Baronum ac nobilium addicti ministeriis adulescentes nobiles 16, præter alios plebeios. Totus denique comitatus, extra legatum constabat LXXXIX personis. Equi LXVI erant, præter X vel XII conducticios: currus (vulgo coccios vocant) XVII, quibus Tauruno siue Belgrado Cõstantinopolim veheremur. Istic enim exscenditur, & itinere terrestri, Danubio ad læuam relicto, per Seruiam, Bulgariam, Macedoniæ partem, Thraciam, Constantinopolim itur. Adiunxerat itineris comites Bassa Budensis, vnum ex proceribus, qui Begi Turcis dicuntur, itemque tres Zausios, qui Commissariorum in aulis nostris locum istic obtinent, & tres Genizaros. Hi suis cum famulis & ipsi præter equites, septem rhedis siue curribus vehebantur. Henricus Baro de Liechtenstain, post oblatum Sultano Murati munus, amisso fratre Georgio Hartmano, qui Constantinopoli obiit, iam & ipse diuturno morbo debilior factus, maiorem familiæ partem cum equis & curribus Constantinopoli die XII mensis Decembris in Austriam remisit: ipse naui Veneta, sub initium veris, per mediam Græciam domum redire statuit. Anno sequenti, XIII die mensis Aprilis, Calliupolim ad Hellespontum sitam, venit: vbi morbo inualescente, magno cum suorum dolore XVI die mensis eiusdem, continuas inter preces velut obdormiscens, vitam hanc mortalem feliciter cum immortali commutauit. Aderat tunc ad beatas piorum sedes migranti Ioannes Leunclauius, quem in primis vt huius itineris comitem haberet, domo litteris amantissime scriptis accitum inuitauerat. Is Dionysio Chiensi, monacho docto, & optimo viro, ecclesiæ S. Marci Calliupolitanæ præposito, memoriæ defuncti causa, schidam heic subiectam, lingua Græca, Latina, Italica, Germanicaque perscriptam reliquit: donec a fratribus, generosissimis Baronibus, Georgio Erasmo, & Ioanne Septimio, quo nullus ordinis sui nostro sæculo Germanus maiorem orbis partem peregrinando felicius perlustrauit, debitum virtuti pietatique Baronis optimi monumentum excitetur.

ANNO CHRISTIANO CIƆ. IƆ. LXXXV. DIE XVI. M. APRILIS. PIE MIGRAVIT EX HAC AD CÆLESTEM VITAM ILLVSTRIS ET GENEROSVS DN. HENRIC. BARO DE LICHTENSTAIN. DE NICOLSPVRG. RVDOLPHI. II. IMP. AD PORTAM OSMANICAM LEGATVS. SEPVLTVS IN HOC TEMPLO S. MARCI CALLIVPOLI. AD GRADVS. PROPE CONVERSIONEM S. PAVLI. DIE M. APRIL. XX. AN. SVPERIVS INDICATO.

Equidem

Equidem mihi polliceor, humano lectori hanc itineris nostri mentionem non ingratam fore: qua libuit obiter etiam meo erga beatos Henrici Baronis eximij manes officio defungi, cuius erga me perpetuam inde vsque a primis ipsius adulescentis adhuc annis beneuolentiam & amorem expertus fui. Nunc ad institutum redeuntes, tamdem aliquando pensum hoc absoluamus.

Hac etiam æstate anni DCCCCXCI, Sultanus Murates dum se cum mutis C. 1584.
suis oblectat, pæne periit. Diximus enim supra, mutos Sultanis Osmanidis in deliciis esse, qui animi sensa signis quibusdam aperire sollerter norunt, & vicissim intelligere nutibus ac signis indicata. Solebat hos Murates equis prægrandibus, & ob corporum molem tardis imponere: quum ipse maxime agilibus, ac præsertim Arabicis, vteretur: & modo in hunc, modo in illum prouectus, nerui bubuli (carauazzam ipsi vocant) verberibus tam mutos, quam equos eorum cæsos, ad cursum impelleret. In hoc ludo correptus comitiali morbo, sibi familiari, tam graui lapsu ex equo decidit ad pauimentum allisus: vt omnino per vrbem vel iam moriturus, vel mortuus crederetur. Adeoque Genizari, pro more, velut exstincto Sultano, iam Christianorum Hebræorumque tabernas inuolando deripiebant: maximusque tumultus in vrbe sequuturus erat, nisi mature Genizarorum Aga, siue tribunus, quemdam in ipso deprehensum facinore mox, ad incutiendum ceteris terrorem, suspendi iussisset: mancipiis etiam nonnullis, Genizarorum habitu vestitis, ad vncos scalæ Sycenæ siue Galatensis, pro more Turcico deductis, & supplicio mortis ibidem adfectis. Si Muchemetes, Muratis filius, qui Magnesiæ degebat, id temporis ad vrbem fuisset: actum plane de vita patris erat, & imperio. Conualuit tamen Murates, statimque post aduentum nostrum, die quodam Veneris, qui Turcorum hebdomadario festo sacer est, eques e saraio nouo (Genisaraium a Turcis adpellari, deinceps parebit ex annalium declaratione) prodiit, nobis inspectantibus cupide, quemadmodum fieri solet, & sacræ sanctæ Sophiæ, siue sapientiæ Dei templum, nunc profanatum a barbaris, adiit: vti scilicet nobis & aliis, (erat enim maximus hominum concursus) ostenderet, se needum mortuum. Ipsa facies adhuc colore lurido deformis conspiciebatur.

Hoc eodem anno DCCCCXCI, die XXIIII mensis Octobris, aliquot begi C. 1584.
Turcici cum suis copiis, in quibus erant, ipsorummet confessione, hominum ad XCIↃ, Carniolæ fines ingressi, grauissimam impressionem fecerunt: direptis passim vicis ac pagis, magnaque Christianorum mancipiorum multitudine secum in seruitutem abacta. Quum nostri nuntium aduentus & populationis hostilis accepissent, hominum ad IICIↃ subito cogunt, Iusto Iosepho Comite Turriano, & Thoma Erdendio Comite Mußlouinæ, Sclauoniæ Croatiæque Bano, ducibus: ac sine mora maximis itineribus hostis tergo inhærentes, ad Slunum Croatiæ tamdem eos die vigesimosexto eiusdem mensis Octobris adsequuntur, inuadunt, cædunt. Liberati captiui, & præcepta fuit, cum interitu IIICIↃ Turcorum. Eramus nos Constantinopoli, quo tempore de hac suorum clade Sultanus Murates certior reddebatur: qui sane quum intellexisset, a suis iniuriæ factum initium iure cæsos pronuntiauit. Nam nolle se quidquam aiebat a suis, contra leges induciarum, ad turbandam pacem in Vngariæ limitibus adtentari. Iussit etiam, illustri & generoso Rudolphi II Cæsaris oratori, Paulo Baroni Eizingano, suarum ad vtrumque bassam Vngariæ, Budensem ac Temesuarensem, litterarum exemplar exhiberi: quibus seuere mandabat, vti milites suos limitaneos in officio continerent. Idem vt a nostris quoque præstaretur, imperari vicissim petebat.

Sub exitum eiusdem anni Turcus quidam Constantinopolim adpulit, nuntius cædis suorum, e qua solus (vt ipse quidem aiebat) opera chirurgi cuiusdam Cretensis, cui fuerat antea notus, euaserat. Res ipsa relatu non indigna, quod prope nouo tunc inter Venetos ac Turcos bello causam præbitura videretur. Ramadanis bassæ Tripolitani vidua, cum filio, familia, mancipiis vtriusque sexus, Constantinopolim profectura, triremem in Barbaria vel Aphrica maritima cu-

rauerat instrui, qua facultates suas amplissimas secum aueheret. Eas equidem memini a Turcis & Hebræis octies centenis millibus nummûm aureorum æstimatas: verene, an sequius, equidem dicere non habeo. Huic triremi securitatis suæ causa semet adiunxerant aliæ duæ, quas iccirco vulgus nautarum conseruas adpellare solet. Quum ipsum ostium sinus Hadriatici, non procul ab insula Corcyra, (Corphum nunc dicunt, quæ vox Græcis vulgari lingua sinum significat) prætерlegerent: ingens subito coorta tempestas eos vel inuitos in sinum, quem diximus, Hadriaticum reiecit. Erat id temporis cura sinus, cum certo triremium numero, contra quosuis piratas & alios tuendi, (quod officium qui gerit, prouisor sinus adpellatur) commendata Petro Emo, patricio Veneto: qui quidem iuniorum suffragiis ad eam dignitatem peruenerat. Is vbi Turcos sinum ingressus accepit, mox in eos prouehitur, numeroque triremium ac militum, & aliis rebus longe superior, omnes in potestatem redigit. Inde diro quodam & inaudito furore sæuitum in captiuos, tam mares, quam feminas. Maribus occisis CCL, filioque Ramadanis bassæ matris in complexu & gremio confosso, feminæ XL prius nefariis pollutæ stupris, vberibus mutilatæ, (quæ quidem viuis adhuc, spectantibusque misellis, a quibusdam crudelitate plus quam barbara in mare proiecta perhibentur) dissectæ tamdem atrociter ad vnam omnes in aquas a piscibus deuorandæ præcipitantur. Ipsius Emi fratris filius in puellam quadam egregij oris incidisse fertur. Ea quum ipsum pudicitiæ suæ vim illaturum conspiceret, mox Christianam se profiteri, & virginem, & in Cypro natam nobili familia Cornara, quæ suam originem ad Cornaros Venetos referret. Captam ante XII annos, quum Cyprus sub iugum Turcicum veniret, ex eo tempore miseram apud barbaros seruitutem seruiisse. Nunc quando post tot ærumnas in hominis Christiani, pudoris virginei vindicis, nobilis denique Veneti manus incidisset: obtestari se per immortalem Deum, ne Christianæ faceret iniuriam, ne virginem incestaret, ne Veneto sanguini fœdam labem aspergeret: sed potius in optatum hunc diem, quo Christianam ad rempublicam postliminio rediret, diuina quadam prouidentia conseruatam, saluo pudore libertati restitueret. Nihil apud immitem animum, ac prodigiose crudelem salacemque, tam sanctæ preces valuere; quo minus violaretur, & suffocata cum aliis mancipiis Turcicis in mare proiiceretur. Existimabantur indignam hanc immanitatem Veneto nomine, tam pio, tam pudoris & omnis virtutis studioso, tam a sæuicia denique alieno, exercuisse: ne quis superstes vel amplitudinem prædæ, quam consequuti fuissent, vel admissorum scelerum fœditatem proderet. Huius facinoris fama Constantinopoli percrebescente, incredibile dictu, quantopere commoti fuerunt Turcorum animi. Passim audisses omnes omnia Venetis extrema minitantes. Vix a Bailo (magistratus Veneti nomen est, qui de suorum causis istic cognoscit, & iniurias suis illatas ad Sultanum Turcicum eiusque Vezires, defert:) abstinebant, quo minus homini manus iniicerent, aut fœde saltim in os exspuerent. Fungebatur id temporis hoc munere Ioannes Franciscus, Maurocenorum familia natus (Moresinos vulgo vocant) qui paullo post episcopatum Brixiensem, mortuo doctissimo Cardinale Delphino, absens impetrauit. Is quum Zausium quemdam Sultani Muratis iussu, Constantinopoli die XXVII Decembris Venetias iturum cum mandatis accepisset: intercessit, ac tantum obtinuit, vt ablegandus Venetias Zausius Constantinopoli maneret. Missi tamen, qui Muratis sententiam Venetis significarent. Volebat is pœnas in tanti facinoris auctores statui, ablatasque res cum personis, tam liberis, quam seruis, reddi. Habuerat autem vidua Ramadanis Christiana CCCC mancipia, quæ sane quoniam pro more Christianorum, triremi capta, libertate donata fuerant: alia Murates horum loco mancipia flagitabat. Simul eam præ se ferebat animi moderationem, vt minime se diceret ipsis illaturum iniuriam, nec pacem violaturum; modo postulatis, rationi & æquitati consentaneis, satisfecissent. Ceteroque se bello suorum cædes & iniurias vindicaturum. Senatus intellecta querela voluntateque Muratis, & re diligenter, vti gesta fuisset, perquisita; Murati respondet, exstincti Ramadanis bassæ Tripolitani familiam primum ad

stum ad insulam Veneti iuris Zacynthum adplicuisse, neque dumtaxat ab insulanis humaniter exceptam; verumetiam munusculis quibusdam honorariis, ac xeniis adfectam fuisse. Postea vero, quam hinc discessissent, alteram insulam suam Cephalleniam hostiliter inuasisse, præterque pacis leges omnia deripiendo, nec hominibus, nec iumentis pecoribusue pepercisse. Præfectum sinus Hadriatici, quum certior de hac ipsorum insolentia factus fuisset, eos e vestigio persequutum, non modo intra sinum armatos reperisse: verumetiam ab eis, quum propius accederet, nō fuisse pro more salutatum, nec demissis velis editum signum, quod humiliationis adpellant. Horum vtrumque pactis conuentis aduersari, quibus armatæ naues sinum ingredi vetentur, & omnes Præfecto sinus honorem exhibere certo salutationis summissionisque genere, iubeantur. His de causis commotum grauius præfectum suum, acerbius in eos animaduertisse. Nihilominus in hac se causa facturos, quidquid homines æqui iustique tenaces facere par sit. Nonnihil hoc responso mitigatus fuit Sultani Muratis animus, qui præsertim necdum grauissimo contra Persas bello defunctus, nouis aduersus præpotentem mari rempublicam inimicitiis implicare se nollet. Secundum hæc Petrus Emus capite plexus, & ipsa triremis cum omni armorum & instrumenti genere, totidemque mancipiis, quod in ea Veneti reperissent, reddita fuit: quo tempore nos ad Zacynthum, Cephalleniam, Corcyram, aliquandiu hærebamus, & classem Venetam, quæ Turcis eam triremem restitueret, vidimus. Ceterum liber obiter hoc loco de interitu ipsius quoque Ramadanis bassæ Tripolitani, cuius viduam cum filio familiaque cæsam ab Emo diximus, perpauca quædam commemorare: futura, vt opinor, auido cognoscendi res exteras animo non iniucunda.

Tripolitanus igitur hic bassa, bellum contra barbarum regem Aphricanum gesturus, quam alios milites suos, tum etiam missos sibi a Sultano Genizaros Portæ sclopetarios in hosticum ducit. Constat autem, magnas in Aphrica solitudines esse, per quas profecturi, copiam rerum necessariarum, & in primis annonæ, secum vt ferant, necesse est. Itinerum quoque periti duces, in locis adeo desertis & inuiis, vel maxime requiruntur. Ramadan bassa, quum horum vtrumque parum ad animum, ante profectionem, reuocasset; in eas tam annonæ, quam viarum difficultates, cum suis incidit: vt neque progredi posset vlterius, nec sine iactura militum, pedem referre liceret. Tamdem tamen non sine suorum cæde, ac præsenti cum periculo totius amittendi exercitus, domum reuersus est. Tum vero cæco perciti furore Genizari, nulla nec ipsius viri dignitatis, nec Sultani sui ratione habita, qui huic eum prouinciæ præfecisset, hominem obtruncant. Neque Murates hactenus eos ob hanc bassæ sui cædem, pro auctoritate imperij castigare potuit: quod nemini mirum videri debet. Quippe non amplius illa nunc apud Turcos obœdientia, non disciplina militaris est, quæ fuit olim apud sæculum prius. Quod tametsi docere pluribus exemplis possem, tamen ne modum annalium excedam, dumtaxat vnicum adhuc recitasse suffecerit.

Anni non multi præteriere, quum Achmetes bassa, beglerbegus Cypri, Famagustæ suis & ipse trucidatus a Genizaris fuit. Illam se cædem admisisse palam profitebantur, ob interuersa stipendia sua, quæ per auariciam Achmetes sibi retinuisset. Atque vti prætextum, palliando facinori suo, magis speciosum haberent: ab eo miseros etiam insulanos exactionibus grauissimis & intolerādis exhaustos, aiebant. Indigne Sultanus Murates hanc Genizarorum ferebat insolentiā; qui beglerbegum suum tam fœde necassent, nullis ad portam querelis delatis, nullo crimine quo se obligasset. Pertinere putabat ad tuendam maiestatem imperij sui, ne facinus hoc impune sic abire sineret, vt horum exemplo, corruptis & aliis, contumacia militum latius serperet. Quapropter in Cyprum alius ab eo beglerbegus mittitur cum x triremibus, tam aliarum rerum adparatu necessario, quam eo militum numero instructis, quo cædis reorum coherceri petulantia posset. Nouus ergo beglerbegus, quum primum ad insulam adpulisset, dissimulatis illis occultis mandatis, quæ discedenti Murates dederat: homines quosdam sibi fidos, adire

Genizaros iubet, ac passim rumorem didere, quasi Murates eis ob interemtum Achmetem bassam minime succenseret. Immo dictitare Sultanum confirmarent, iure scelestum hominem de medio sublatum, qui Genizaros vnicos imperij sui custodes, annonis suis defraudasset. His auditis, hilari fronte Genizari beglerbegum, & qua par erat, obseruantia, excipiunt. Verum non multo post inexspectato quodam astu milites eius circumueniunt, & vniuersos cædunt, ipsis etiam triremibus in potestatem redactis. Murates, licet ægerrime ferret alterum hoc Genizarorum in Cypro facinus, quo grauissime lædi suam, & prorsus imminui maiestatem videbat: tamen, quod infeliciter hactenus gesti belli Persici causa, condonandum his aliquid censeret, ne nouas & intestinas præterea turbas excitaret: iris animi dissimulatis, nihil amplius in eos tentauit.

C.1585. Anno DCCCCXCII, mense Martio, in omnium erat ore Constantinopoli, Ferhatem bassam, qui Turcico militi suprema cum potestate, necdum ad fines Persicos progresso cum exercitu Osmane bassa Vezirazeme, præerat; debitam militibus annonam, sordida quadam auaricia distractam, suos in vsu vertisse: cuius tamen graui pænuria laborabat exercitus. Idem quum imperasset, duarum in iis locis munitionum excitandarum causa, de prouinciis vti vicinis conuenirent incolarum ad sexaginta plus minus millia, qui operas structuræ necessarias in se reciperent: a singulis aliquid nummorum, pro ratione facultatum exegisse ferebatur: illisque domum remissis, ad functiones sordidas ipsos Spachios Genizaros, ceterosque milites adegisse. Mensis eiusdem die XV concessum in diuano fuit Siausi bassæ, quem supra masulem factum diximus, vt libere, quibus in locis vellet, versari posset. Hoc decretum ei viam aperuit, priorem ad dignitatem redeundi: quod quidem, mortuo Persicos ad fines Osmane bassa, non multo post accidit. Constat cum vtroque, tam Ferhate, quam Siause mitius egisse Sultanum Muratem; quod eorum indigeret opera. Nam qui per Osmanis absentiam, supremi Vezitis loco res administrabat Mesites bassa, castratus & senex; licet alioqui iustus & seuerus, tanto tamen muneri parum erat idoneus.

Die XIX mensis Aprilis, rediit Sinope Constantinopolim Vluzalis præfectus maris: quod argumentum erat, eo loco tum res fuisse Tataricas, vt Osmanis in Tauricam Gersonesum tranfiectione non esset opus.

Eodem anno quum Osman bassa Persicos ad limites accessisset: occurrentibus intrepide Persis, modo mille, modo plures, ad decem vsque millia, de ipsius exercitu carptim fuere cæsi. Tamdem Augusto mense, Persis insciis, & nihil de hoc ipsius itinere cogitantibus, per obscuras, opacas, angustas valles, inter altissimos vtrimque montes profectus, vbi militis animandi causa multoties displosa fuere tormenta bellica, Tebrisium accessit. Facillimum hosti fuisset, his in angustiis eum toto cum exercitu ad internicionem delere, si maturius de hac eius profectione cognouisset. Osmanis aduentu intellecto, Cadius siue iudex vrbis fuga sibi consulit. Tum ceteri, præsertim viri sexaginta in vrbe primarij, variis cum instrumentis musicis in castra Turcorum exeunt: Osmani se bassæ, saluam libertatem immunitatesque suas pacti, dedunt: eumque noctu cum suis in vrbem, ceteroquin apertam, nec vllis clausam muris deducunt. Est in vrbe Saraium longe amplissimum, altera Scachorum Persicorum regia: quum interior ad Casminum sit, quemadmodū aliquoties alibi diximus. Hoc saraiū propugnaculis Osmanes, intra diem trigesimum, egregie munit: arci absolutæ mille Spachiorū, duumque millium Genizarorum, præter alios milites, præsidium imponit: machinarum denique bellicarum in ea magnum numerum, cum aliis rebus necessariis, relinquit. Inde Tebrisio copias vniuersas abducit, ac in itinere dysenteria, quinto post die, moritur. Erat in exercitu secundus ab ipso Cigaloglis bassa, beglerbegus Reuanensis, cuius supra quoque mētionem fecimus. Hic Osmane mortuo, supremum nanctus imperium, suos in tutum reducere nititur. Instant Cigalogli a tergo Persæ, quibus ipse Scachus adfuisse perhibetur. Acerrimo conflictu, & aliquoties quidem repetito, maxima Turcorum strages editur. Nihilominus, quocumque potest modo, Cigaloglis iter continuat: quum hostis impetum frangeret obiectu

Genizaro-

Genizarorum, qui sclopetis suis terrori Persis erant. Quoties autem Persæ grauius vrgerent, premerent, Turcorum profectionem impedirent: subsistere legiones, & fortissime prœliari iubet. Transfugas denique subornatos in hostium castra mittit, qui de ipsius profectione consilioque longe diuersa referrent ab iis, quæ cum animo suo facere constituisset. Hac eius impostura decepti Persæ, dum & ipsi subsistunt: maxima celeritate cum suis aufugiens Cigaloglis elabitur, & Wanum reliquias incolumes ducit. Persę fugam hostis conspicati, Tebrisium reuertuntur: & vrbe recuperata, mox arcem obsidere ceperunt. Periisse constat in hisce conflictibus haud dubie Turcorum ad LXXXCIↃ, in quibus erāt veteranorum militum lectissimorum ad XLCIↃ. Prœlia totum continuata triduum trinoctiumque. Captæ centum ac plures machinæ bellicæ maiores. Scachus Persicus, re bene gesta, regno semet abdicasse fertur, idque sic tradidisse filio: vt eum sacramento prius obstringeret, quo sancte polliceretur, nunquam se eum Turcis pacem facturum, ni prius recepisset omnia, quæ iuris aliquādo Persici fuissent. Hæc tametsi gesta fuere post discessum e Turcica nostrum, nec ita comperta damus, vti quæ supra de rebus Persicis, ex interuallo propiori obseruata descripsimus: tamen ab iis accepta referimus de quorum fide non dubitamus: sequius ac illi solent, qui rerum ipsarum, quas scripturiūt, rudes & ignari, ridiculas nobis (vtinam sine fraude periculoque veritatis) nugas obtrudunt.

Hac etiam æstate bellum aduersus Maronitas & Truscos gestum fuit. Inhabitant hi populi montem Libanū, qui haud procul dissitus ab vrbe Syriæ Phœnices Tripoli, (Tarabolos ea Turcis est) non exiguum ad spatium se porrigit. Religionem Christianam profitetur, ac Maronitis etiam patriarcha sacrorum princeps est. Is habitat in monasterio Virginis Deiparæ, quod itinere medio montem Libanum ascendentibus occurrit. Habent & Hierosolymis Maronitæ templum S. Georgij martyris, vbi vulgo vocātur Christiani cincti siue zonarij, propter longas latasque zonas siue cingula, quibus vtuntur. Aythonus alicubi Maroninos dixit, & his verbis eorum meminit: Sunt in monte Libano Christiani degentes prope Tripolim, sagittarij pedites valde boni, circa XLCIↃ virorum. Hi multoties fuerunt Soldano rebelles, & damna plurima Saracenis intulerunt. Hactenus Aythonus. Maronitis vicini fœderatique sunt Trusci, qui se profitentur esse reliquias illorum occidentalium Christianorum, quos Imperatoris Henrici IIII tempore, sub annum Christianum CIↃ. XCIX Dux Bullionensis Gotefridus in terram sanctam duxerit, & quorum vsus opera tam Hierosolymis, quam reliqua Palæstina, potitus fuerit. Gens vtraque tam est numerosa, tam rei bellicæ addicta studiis: vt hominum iā ad LXCIↃ facile possint in hostem educere, qui maiori ex parte peritissimi sclopetarij sunt. Hos populos anno Mahumetano DCCCCLXXXI C. 1574.
Sultanus Selimes II sub iugum mittere, sed frustra conatus fuerat. Itaque Turcis ex illo tempore libertati ac fortunis eorum insidiantibus, nunc tamdem vndecimo post anno domiti fuerunt ab Ibrahime bassa, Cairi vel Ægypti beglerbego: qui de spoliis thronum regium ex auro puro puto Constantinopolim misisse Sultano Murati dicitur, æstimatum sexies centenis aureorum millibus. Idem Sultanæ, cuius filiam dudum ambit, & haud dubie ducturus tum credebatur, aliisque sataij mulierculis misisse munera fertur, quorum pretium ducenta millia Sultaninorum æquauerit.

Anno DCCCCXCIII, Persis arcem Tebrisianam, ab Osmane bassa superiori C. 1586.
æstate munitam, obsidentibus; quum obsessi propemodum ad extremam rerum omnium pænuriam redacti essent, Ferhates bassa, veluti peritus architectus, munitionem nouam e regione Tebrisij struere instituit. Cigaloglis autem bassa Casminum, quæ Persarum (ceu diximus) interior est regia, petiturum se cum exercitu simulat. Dum hoc eius iter impedituri Persæ, maximis cum copiis aduolant: simulatione pugnæ, succursum obsessis, eæque res omnes in arcem, cū nouo supplemento militum, inuectæ fuerunt; quarum inopia laborabatur.

Eodē anno magnus ille Chitainus Chan, qui Vlu Chan & Kezies bassa dicitur, Persarumque Scachus, quem Kiselem bassam vocant, nouum inter se fœdus

pepigere, quo mutuis se subsidiis aduersus Osmanidas ferendis obligarunt. Nam quod Tatarus oppresso Persa, proximum se fore potentiæ Turcicæ videret, cui plurimum ex ruina tanti regis virium esset accessurum: quam fieri maturrime posset, obuiam eundum crescenti malo censebat. Itaque maioris etiam coniunctionis causa contractum fuit inter liberos vtriusque matrimonium, Tatari Chanis filia, Scachi Persici filio nuptui data. Simul etiã stipulatus est Tatarus, ad vsum Persæ, hominum se XXCIↃ proprio ære tam diu contra Turcos in armis habiturum: donec bello finis, ex voto Persici regis impositus esset.

Iunio mense huius anni, orta quædã obscura Constantinopoli nebula fuit: qua desinente locustis pluit, quæ fructus omnes, & arborum absumsere folia. Diuersum quid apud nos accidit anno sequenti 1587. Decembri mense; quum Croatinis in finibus, ad Wihitzium, Karuli Archiducis Austriæ castrum; quasi nubes quædam anatum & anserum, aliquot sane myriadum, aduolauit; seque proximum in stagnum demisit: vbi noctu strepitus ingens pugnantium inter se volucrum in tota vicinia, seque mutuis conficientium vulneribus, auditus fuit. Egressi postridie milites, ciues, agricolæ, tantam & anatum & anserum copiam, ad fumum, ad aerem exsiccandorum, congesserunt: vt diu tam opima sint victitaturi commode præda. Nam alij 100, alij 200, plures alij, pauciores ue collegerunt mactatas ab se inuicem volucres. Tandem e prato quodam spatiosissimo sublatis superstites alis, auolarunt.

Sub finem anni, Decembri mense, Croatinis in finibus aliquot millia Turcorum a nostris, numero longe imparibus fuere cæsa. Periit inter alios, bassæ Boznensis frater: cuius caput a ceruicibus recisum, missumque cum captiuis quibusdam fuit Viennam ad serenissimum Austriæ Principem Ernestum. Hic bassa Boznensis, & frater eius, quam cæsum hoc conflictu diximus, nati perhibentur ex familia Mechemetis bassæ Vezirazemis, cum quo nuptam fuisse Sultani Selimis II filiam, Muratis sororem, superius ostendimus.

C. 1587. Anno sequenti proximo, nimirum Mahumetano DCCCCXCIIII, mense Februario, nostri Copanum, arcem non procul sitam lacu Balatone, tum temporis congelato, quo tres Turcorum begi conuenerant, ex inopinato adorti, ceperunt. Erant in arce quum nostri eam inuaderent, mille Turcorum plus minus ue capita. Ex his præter alios vilioris fortunæ, CXC nobiliores, cum LXX feminis, in potestatem nostrorum venerunt: reliquis aut fuga dilapsis, aut sub terra semet intra specus abdentibus. Equi generosiores abducti centum, præda XL nummûm aureorum millibus æstimata. De tribus begis, quos id temporis illic fuisse diximus, Sangiacus Copanensis, Cara siue Niger Alis captus fuit, & Viennam prius, inde Pragam ad Rudolphum Augustum missus: alter suffocatus in loco subterraneo concamerato, quo se defendebat, igne vi tormentarij pulueris accenso: tertius fugæ tum beneficio seruatus, vbi cum aliis deinceps Augusto mense, quemadmodum mox indicaturi sumus, fines nostros ingressus esset; quam hoc in loco captiuitatem fugiendo declinarat, istic in potestatem fatali quodam casu redactus, effugere non potuit.

Anno eodem, mensis Augusti die octauo, (fastos veteres Vngari retinent) quatuor begi Turcici, Sasuarensis siue Zigetanus bassa, Sangiacus Mohaziensis, Sangiacus Petscheuius siue Quinqueecclesiensis, & nouus ille captiui loco suffectus Copanensis, quinque suorum millibus collectis, intra fines nostros, versus Nemphtim, irruperunt: & pagis aliquot cis & vltra Limpacum, vna cum opidulis, (Germani marctas, emporia Græci vocant) Moracio, Dobronacis ambobus, Resneccio, Tarnoco, septem ac decem in summa pagis, repetina impressione obrutis, ac miseris vtriusque sexus incolis captis, omnia depopulati diripuerunt. Eius rei factus certior illustris præsidiariorum castri Canisani tribunus, Georgius Comes Zerinius, Comitis Nicolai, fortiter ad Zigetum mortui, filius: quanta celeritate maxima potest, e castellis proximis aliquam militum manum, cum suis subditis ex insula Murakeoza, quæ inter Muram & Drauum amnes est sita, cogit. Præterea proceres sibi vicinos, vigilantissimos Cisdanubiani limitis custodes,

Comitem

Comitem Franciscum Nadasdium, Balthasarem Bathianium Baronem Gussingensem, itemq; præfectum Copreinitzæ Ioannem Globitziū, & Ioannem Fridericum Trautmansdorfianum, Bandi equitum præfectum, per suos, & per explosarum machinarum tesseras, hostilis irruptionis certiores facit, ac suas vti copias sine mora secum coniungant, hortatur. Illi mox suis excitis, ad locum designatum in tempore conuolant. Inde data diligenter opera, Turcorum vti reditum anticiparent, eosque loco maxime idoneo, quasdam inter angustias paludum, quæ transeundæ ipsis erant, inuaderent. Feliciter nostris hoc consilium cessit. Reuersus cum præda, magnoque captiuorum, cuiusuis ætatis & sexus, Christianorum numero barbaros, supra Catzerolacum, ad vnum a Canisa milliare, necdum dissipatis omnino tenebris, sub primum diei crepusculum viriliter adoriuntur, manum conserunt, animose cædunt, omni armorum genere vulnerant, cedentibus instāt, aduersos mactant: eo denique trepidationis ac desperationis adigunt, vt acinaces nostris suos vltro porrigerent, obiicerent: itidemque ceteris armis depositis, alij vitam & incolumitatem voce gestuque lamentabili deprecarentur, alij quacumque via possent, in siluas ac saltus aufugerent, ipsisque se paludibus immergerent: vbi quum moribundi, quod viribus exhaustis, vlterius pergere non possent, opem hostis implorarent, a nostris miseratione tātæ calamitatis ipsorum commotis, plures erepti seruatique fuerunt. In conflictu Machmutes Sangiacus Quinqueecclesiensis, filius Alis bassæ, prœlio nauali ad Cuzzolaros occisi, de quo supra dictum, quique captiuus a morte patris Romam perductus fuerat, nostrorum in potestatem venit. Mohaziensis, Sinan begus, palustris loci transiciendi spe, adacto calcaribus equo, dum defixus hæreret in vligine; sclopeti per frontem mediam petitus ictu, occubuit. Sasuarensis bassa, quo nomine dignitatis illustrioris Zigetanus adpellari se vult, vna cum bego Copanensi Chasane, fuga se subduxit e prœlio, quum res suas iam desperatas cerneret. Copanensis prima post pugnam nocte, quodam in saltu oberrans, cum aliis captus fuit. Zigetanus septimo tamdem die pedes Bresenzam, fame atque animi dolore confectus, euasit. Capti ex hostibus fere CIↃ CCC, de quorum numero multi grauissime vulnerati, post exspirarunt. Cæsi tam in ipso prœlio, quam deinceps, & in paludibus ac siluis exstincti, multo plures, & ad duo fere millia. Capita cæsorum CCCC, pro more militari eorum limitum, cum DC viuis, Canisam dumtaxat relata. Potiti præterea nostri CIↃ ac IↃ, & amplius, Turcorum equis. Erant nostrorum pedites CIↃ IↃ. equites IↃ. ex quibus desiderati dumtaxat vndecim: nonnulli, sed pauci tamen, vulnerati. Præda, cum captiuis Christianis, recepta. Non desiere nostri, iuuantibus etiam agricolis, ad aliquot dies fuga dilapsos indagine quadam, velut in ferarum venatu fieri solet, cingere: quorum quidem non exiguus numerus, vel inuestigantium studio repertus, vel sua sponte, quod omnem euadendi spem sibi præcisam conspiceret, nihil profuturas deserens latebras, in potestatem venit.

Et hactenus, in hoc quidem tempore, Turcicos annales, adiecta rerum XXXVII propemodum annis gestarum expositione, continuare voluimus. De quo sane labore nostro, cuicuimodi sit, iudicium lectoris humani, candidi, & intelligentis minime reformidamus. Ceteros vel improbitatis & malitiæ, vel ignorationis morbo cæcutientes,

Manguri vnius æstimamus omnes.

Veritati quidem certe studuimus, qua, velut anima sua, si careat historia: mox in fumos abeat, necesse est. Testes idoneos, & auctores fide dignos habeo, quum magnificum & amplissimum virum, Bartholomæum Pezzenum, Cæsar. Maiest. consiliarium, nuper ad Portam Osmanicam missum cum ordinarij legati munere: tum etiam viros nobiles & egregios, Paulum Rosam, Vngarum, beate non ita dudum Constantinopoli mortuum, Nicolaum Haunoldum Vratislauiensem, Hieronymum Arconatum Leontorinum: qui Constantinopoli, quum istic ipse peregrinarer, in augustalibus scriniis secretioribus militabant. Horum consuetudine cottidiana, planeque sincera, qui virorum optimorum candor est, multa me percepisse de Turcicis rebus, ingenue fateor. Nec prætereundus silen-

tio Matthias Pharensis, Rudolphi Cæsaris nostri ad Portam Osmanicam Dragomanus vel interpres: ex cuius narratione pleraque de hoc decennali aduersus fortissimam, vereque victricem hactenus gentem Persicam bello gestis plene cognouimus. Quod si visum Deo fuerit, diutius hanc nobis prorogare vitam; dabimus absolutam aliquando historiam Constantinopolitanam, qua res inde vsque ab vrbe condita, tam a Romanis, Græcis, Flandris imperatoribus, quam a Sultanis Musulmanorum gestæ, serie perpetua contextæ legentur.

Supplementi annalium finis.

IO. LEVNCLAVII

PANDECTES HISTORIAE TVRCICÆ, LIBER SINGVLARIS, AD ILLVSTRANDOS ANNALES.

De Genealogia Sultanorum, Osmanidarum, tum etiam, quid Scach, Gasi, Zelebi, Emir.

ANTE omnia lectori duximus depingendam heic seriem principum Machanensium, a quibus Osmanidas ortos, annales hi Turcici tradunt: cum arbore, quam vocant Genealogica Sultanorum, inde vsque ab Osmane primo, ad Muratem hunc tertium, eiusque filium Muchemetem. In hac autem genealogia retinui nomina barbara simpliciter, vti pronũtiantur a Turcis: quibus tamen in explicatione Annalium eam dare formam libuit, quam Græcis probari video. Obiter etiam lector animaduertat, Vguzem vel Oguzem heic quarto loco poni, a quo familiam hanc Oguziam Turci dictam aiunt, quam Laonicus Chalcocondyles, Latine Galliceque non magna cum interpretum laude publicatus, adpellat tribum Oguziam: viderique apud Laonicum, Oguzalpem (licet confusis temporum rationibus) eumdem esse, qui Oguzes Turcis vocatur. Oguzalpes enim dicitur, velut Oguz Elp, id est, Oguzes Elpius, vel familia natus Elpia, cuius in annalibus mentio fit in vita Sultani Muratis secundi, anno Mahumetano DCCCXLVIII, siue Christiano 1444, quæque videtur eadem esse cum Oguzia. Præterea Giokelpem nos vocamus, sequuti Gauderium, linguæ Turcicæ Cæsareum interpretem, qui Turcis est aliorum pronuntiatione Kukelpes vel Gukelpes. Sic apud Vincentium Beluacensem corrupte legitur quidam Kiocay, pro Kioc Chan, pronuntiando vocem Kioc vnica tantum syllaba, qui alibi Gog Chan dicitur: vt etiam Gukelp, & Gog Elp, pro eodem accipiatur. quod nomen indicandum putaui, propter adpellationem Gentis, quæ sacris in litteris exstat. Scachi autem adpellatio, quæ tribuitur Soleimani, Ertuculis, patri, vel regum, vel magnorum est principum, præsertim apud Persas: sicut apud Hispanos Doni vocabulum in vsu est. Apud Iacobum Fontanum Tsaceus nomen est, quod vix adgnouerit aliquis idem esse cum Scacho. Nec recens hoc esse Scachi vocabulum, vel ex eo paret, quod apud Aythonum hæc 15 capite verba, licet corrupte, legantur: Postmodum quidam rex Persarum, nomine Cossorassath, fuit primus ausus Romanorum imperio rebellare, ac se fecit imperatorem Asiæ nominari. Quippe vox illa Cossorassath mutanda prorsus in Cosroas Sach, quod Chosroas Scach, id est, rex Chosroës, enuntiandum. Obiter hoc indicare propterea libuit, quod insignis historicus Reineccius, auctor editionis Aythoni postremæ, de Chossorassath putauerit Artaxerxem faciundum: qui tamen Agathiæ nostro non Artaxerxes est, sed Artaxares, vti Byzarus quoque noster, V. C. ex obseruationibus nostris adnotauit. Rursus alibi apud eumdem Aythonum Soliman Sa, non est Soliman bassa, sicut in Adpendice sua

Reineccius opinatus est, sed Soliman Scach. Ertucul & Ertucrul (diuersa namque scriptura reperitur) a Turcis dicitur, quem Laonicus Ortogulem vocat, Osmanis patrem. Et Osmanem hunc dico, non Otmanem, vel Otomanum; itemque non Otmanidas, sed Osmanidas: quod ita postulet Arabicæ Turcicæque linguæ pronuntiandæ ratio, cui Græca prolatio nominis, per Thita litteram scripti, non aduersatur: quando istæc littera non Latinæ T vel TH respondet, sed ex vsu Græcorum, gemino potius S, cum sibilo quodam expresso. Sic enim Assmanem pronuntiauit Chalcocondyles, non Athmanem. Nec aliud hoc Osmanis illius est nomen, quam Osmanis bassæ, qui ante biennium bello Persico periit. Ortelium sane miror Osmanem, quem Ottomanum vocat, Zichi filium facere, tam Græcis, quam Turcis repugnantibus. Gunduselpis nomen, qui & Gundus a Turcis vocatur, idem prorsus est cum Duzalpe Laonici, per aphæresim, quam vocant, detractionemque primarum litterarum. Et in margine Latini Laonici adscriptum legitur huius Duzalpis nomen aliud ex alio libro, Iudisalpes: quod ad Gunduselpem vel Iunduselpem, propius accedit. Errat autem in his Laonicus, quod Duzalpem ponit primum in hac familia, qui Gundus & Gunduselp, Ertuculis filius: quod Oguzalpem Duzalpis facit filium, qui ab hoc XIII gradu est inter ascendentes: quod Orthogulem Oguzalpis filium, Duzalpis nepotem statuit, quum XII gradu absit ab Oguze, qui est inter ascendentes, & Gunduselpis seu Duzalpis fuerit pater. Osman a morte patris annos quidem 39 Mahumetanus ex annalium auctoritate vixit, sed 29 tantum imperasse scribitur: quod primis 10 annis principatum adquisiuerit, & constituerit. Sultani nomen huic ab annalium auctore non tribuitur, sed Murati primum nepoti, & abnepoti deinde Machemeti: quod de hoc Machemete Theodorus etiam Spanduginus adnotauit. Gazi vero cognomen Osmani datur, sicut & Vrchani filio, Muratique nepoti, quod strenuum magnanimumque militem significat. In Vrchane (sic enim scribendum) notanda cum Alibassa fratre concordia, quum omnes alij, quorum de rebus Turcicis exstant scripta, dicant ab Vrchane principatus initio sublatos fuisse de medio fratres duos: aperte reclamantibus hisce Turcicis annalibus, qui primum a Baiasite Gilderune Chane paricidium, regni caussa commissum fuisse, necato Iacupe Zelebi fratre, docent. Zelebis nomen, quod nobilem significat, a Turcis arbitror vsurpatum, ad imitationem Romanorum & Græcorum, quorum hi filios Imperatorum natu minores Nobilissimos vocabant, illi Nouellissimos, voce nonnihil corrupta, sicut patet ex historijs, inscriptionibus, nummismatibus antiquis, & Fastis. Vnicam tantum hoc loco lubet inscriptionem, fidei caussa, licet in re manifesta, ponere: tum quod pro se vetus, iam noua sit, hoc est, recens primum inuenta: tum quod antiquitatem nobilis vrbis Austriæ Viennensis, quondam seu Vindobonæ, seu Vindonianæ, quod magis probamus, insigniter illustret. Eam magnifici equitis DN. HIERONYMI BECK A LEOPOLDSTORF, Cæsar. Maiest. Cameræ aulicæ consiliarij, studio liberali debemus: qui columnæ fragmentum veteris, quæ integra Milliarium Romanum fuit, in vinea quadam, haud procul a S. Marci nosocomio, ad vnum a Vienna lapidem, repertum quum intelligeret: operam dedit, vt domum suam deportatum, posteritati conseruaretur. Eius inscriptionis hæc verba sunt, litteris expressa nobis familiaribus. Nam ductus earum, qualis in archetypo conspiciuntur, hoc quidem tempore dare non potuimus.

IMP. CÆS
P. LICINIO CORNEL
VALERIANO NOBILISS..
..CES.. PRINCIPI
IVV..NTVTIS VA..
ET PONTES VETVSTA..
.CONLAPSA RESTI
A VIND.. M P
I I.

Intelligitur autem nomine Nobilissimi, iuuentutisque principis, minor natu frater Gallieni Augusti. Sic igitur & Turci Zelibes suos dixere, quamquam in annalibus his animaduertere liceat, Muchemetis II, & successorum filios non amplius Zelibes, sed Sultanos cepisse nominari. Ceterum esse Turcos veluti simias quasdam Romanorum Græcorumque, quibus successerunt, pluribus in rebus animaduertimus: in titulis, officiis militaribus, prouinciarum præfecturis, legibus, & vniuerso imperio constituendo. Iam quod Baiasitis Gilderunis siue Lælapis filios adtinet, in eis recensendis auctorum magna diuersitas est. Turci primogenitum faciunt Emirem Soleimanem, quos equidem sequor. Et Soleimanes hic dictus fuit Emir, auctoritatis maioris causa. Nam Emires adpellati sunt præsides & propagatores imperij Mahumetis, quasi superiores: (Gulielmus Tyrius satrapas seu principes maiores interpretatur) quos Græci Amires & Amirades vocarunt, de quibus non recte vel Ameres, vel Amerades, vel Admiratos, vel Admirales, vel Admiraldos fecere Beluacensis, & interpres Cedrini, & alij. Nec hodieque nomen hoc aspernantur ipsi Turcorum Sultani. Laonicus vero post Iesum suum maiorem, quem simpliciter Isam Turci vocant (quod nomen etiam propius imitatus est Laonicus libro 6, quum Iessen Brenezis F. quem alibi Iesum vocat, scribit.) quemdam Mussumanem nomine ponit. Idem facit primogenitum Orthobulem, a patre Sebastiæ præfectum, & ibidem ab hostibus vrbe capta cæsum. Turcici vero annales expresse tradunt, Sebastiam Emiri Soleimani filio natu maximo, a patre datam fuisse: qui tamen a Temire capta Sebastia, non fuerit interfectus. Plura de his allaturi deinceps in medium sumus, ad numerum notarum 59, & 67.

Tertij quidem Cyriscebelim patris Baiasitis successorem faciunt, cuius nomen nec in Turcicis commentariis, nec apud Laonicum reperitur, & ficticium plane videtur. Eum dicunt a Temire fuisse captum, sed e custodia tamen euasisse. Laonicus autem scripsit, prœlio Temiriano captum fuisse Mosem, qui videretur reliquis præstantior robore. Proinde Temir eum circumduxit, & secum in castris habuit, victum ministrans. Postea Laonicus hæc subiicit: Temir Cheriam properauit, Baiasitem & filium eius secum vehens, cuius paruum respectum egit. proinde in patriam regionem fuga euasit. Denique tertio repetit Laonicus initio quarti libri, Mosem dimissum a rege Temire, mari ad regionem patriam rediisse. Similis est confusio in minorum natu Baiasitis filiorum mentione. Nam Laonicus & Iesum minorem commemorat, qui nusquam in annalibus Turcicis reperitur, & vltimo inter omnes loco ponit Mustapham, respiciens (vt arbitror) ad illum Mustapham, cui Dusmis cognomen a Turcis datur, quique Baiasitis se filium mentiebatur. Atqui diserte Turci tradunt, minimum natu fuisse Casanem Zelebim, qui tempore calamitatis paternæ fuerit adhuc ætate tenera: narrantque deinceps ab Emire Soleimane fratrem hunc natu minimum, Casanem Zelebim, fuisse Constantinopolim missum, vt obsidis loco ibidem esset. Laonicus etiam alicubi Iesum minorem, facit minimum natu, & Constantinopoli baptissatum ait: de quo sane vero fit simile, Iesum minorem Laonici, esse illum ipsum natu minimum Baiasitis filium, quem annales Turcici Casanem Zelebim vocant. Error Sansouini duplex Osmanidarum in arbore, quo Sultanos iam superstites a Cyriscelebi propagat, & Baiasitis ex Cyriscelebi nepotem facit Muchemetem primum, tam manifestus est: nullius vt refutationis indigeat. Alis vero, qui Constantinopolim & ipse profugerit, nulla Turcicis in annalibus mentio. Reposuimus etiam suo loco germanum illum, & natalibus opera nostra nunc restitutum, Baiasitis filium, Mustapham Zelebim: qui vt Temiriano prœlio, sic etiam hactenus ex Osmanidarum stemmate, haud scio quo fatali casu exclusus, periit: locum eius inuadente Mustapha, suppositicio, Baiasitis filio, quem annales hi Dusmis adpellant cognomento. De Sauze iussu patris excæcato, nullum in annalibus verbum. Nomen Sauzis illud est, quod Soleimanes hodierno Veziri azemi adhuc puero dedisse fertur. Siaus enim bassa vocatur, cuius supra quoque aliquoties in supplemento annalium nostro facta metio. Quod

autem Sauzi a Reineccio Taures filius attribuitur, qui exsul in Vngaria vixerit: & quod idem dat Mustaphæ supposititio filium Dauidem, ex auctoritate Ioannis Basilij Heroldi, qui & ipse diu exsularit apud Vngaros: errore quodam factum, ex vitiosa scriptura, & Heroldi alucinatione, profecto. Non enim Taures apud Chalcocondylem legi debet, sed Tautes, tribus syllabis, quod nomen est Taut vel Daut, quemadmodum nostris in annalibus Daut bassa legitur, sub imperio Baiasitis I I. Et Turcis Daud dicitur, qui Dauid Hebræis. Hic ergo Tautes verus esto Sauzis filius, alter autem Dusmis Mustaphæ filius Dauid, ceu commenticius, expungitor. Perperam deinde traditur a nostris, Isam siue Iosuam, siue Iesum maiorem, a Musulmane, qui Turcis est Emir Soleiman, occisum: quum eius necis culpam Turcorum annales in Musam, siue Mosem, fratrem alium, deriuent. Volunt etiam nostri, quos Reineccius in Osmanidarum stemmate sequitur, Muchemetem I I fuisse natũ ex Irene, Georgij Bulcouizij, Seruiorum Despotæ, filia. Falsum hoc esse, manifesto paret ex annalibus hisce nostris, & annorum supputatione. Natus enim fuit Muchemetes anno Turcico DCCCXXXIII. C. 1430.
Murates autẽ duxit Irenen quinque post annis, Mahumetano scil. DCCCXXXVIII. Non ergo potuit Irenes esse filius Muchemetes. Præterea non potuisset ex Irene natus initio regni plures ætatis annos habere, quam XVI: quum tamen constet, imperare cepisse natum XXI plus minus annos. Nec Irenen fuisse dictam Georgij Despotæ filiam, sed Mariam; ostendemus infra, numero 96, quem locum lector cum hoc coniungat. Quem porro Sponderbeium, nobilem in Panderatia Satrapam ex Ænea Siluio vocat Reineccius, patrem secundæ Muratis I I coniugis, Spenderem dictum legimus in edito Laonico: quod nomẽ idem est cum Sphendere, quem Isuendiarem Turci adpellant. Quippe solent iis nominibus, quæ a gemina consonante incipiunt, litteram I, vel V Gallicum præponere: verbi gratia, quum pro Scendere dicunt Ischender, pro Scodra, Iscodara; pro Scopia, Vscopia. Frequens vero in annalibus hisce mentio fit Isuendiaris, quod cognomentum principibus illis datur, quorum erat ad Pontum Euxinum ditio, in ipsa Ponto prouincia, vicinaque Paphlagonia. Chalcocondyles quemdam ex eis nominat Ismailem, Sinopæ principem, & alibi principem Sinopæ & Castamonis, amicum & socium Mosis. In nostris autem annalibus hisce legitur, Isuendiari Temirem Chanem vel dedisse, vel ademtas a Baiasite restituisse, Castamonam, Congerim, Calazugen. Idem narratur hospitio Musam excepisse, clamque secum habuisse, quum ab Emire Soleimane fratre bello peteretur. Notãda quoque verba Laonici, quum ait: Scenderis, qui Sinopen regebat, fuisse filium Ismailem. Quippe legendum puto Spenderis, non Scenderis: licet mihi nomen Scenderis nõ sit ignotum. Panderatiæ satrapiam quod attinet, est ad Pontum Euxinum ciuitas, in Ponto prouincia, quæ hodie Penderachi dicitur; eo posita situ, veteris vt Heracliæ Ponticæ locum occupasse videatur. Ab hac si dicti non sunt Sphenderes, Isuendiaresue begi, quos alij Spender aut Sponderbeios vocarunt, saltim Spenderes opido regionique nomen dedere. De his & alia leges infra, numero 13. Nunc ad Osmanidarum genealogiam vt redeamus; equidem non abs re dubito, an duos ex illius Sphenderis filia Murates susceperit filios. Laonicus certe dumtaxat vnius mentionem facit, quem Cambrinius adpellat Calapinum, a cognomento potius, quam nomine proprio. Nam Calapinus vocabulum corruptum est ex Zelebi, de cuius significato supra monuimus. Alij Chialapũ dixere, q̃ ex eodem Zelebi factum paret. Maior aliorum opinione, qui duos faciunt, Tursines ætatis mense XVIII necatus (vt aiunt) a Muchemete I I, nomen habet insolens, & incognitum Osmanidarum familiæ. Per me tamen de his, vt quilibet arbitratu suo statuat, licet. Similius etiam vero, siquidem omnino fuere duo fratres. Murates ex Sphenderina filij vnus post alterum tam breui temporis interuallo nati; puerum natu maiorem XVIII mensium deportatum fuisse Constantinopolim & Venetias, vt seruaretur, quod Gaifreo placet: quam VI mensium infantem, quod Reineccio. Ceterum inter Baiasitis I I liberos, nec Alim Caphæ satrapam, nec Muratem satrapam Trapezuntis posui: tum quod Menauinus, testis oculatus, horum

non meminerit: tum etiam, quod Trapezuntis præfecturam Selimem obtinuisse, nostris ex annalibus, & ipso Menauino constet, indeque Capham transmisisse, quum de occupando imperio cogitaret: quo se non contulisset, si fuisset istic Alis frater, conatibus haud dubie Selimis obstiturus, qui aliorum fratrum impedimenta metuens, hoc ipsum iter arripuerat, Asiatico magis compendiario, minusque difficili, relicto. Zemi fuisse filium, tradit etiam Secretarius Sigismundi Malatestæ, qui multis in Græcia tunc & Asia gestis rebus interfuit. Fortunam huius, & liberorum, memoriæ prodidit Spanduginus, sed nomina non exposuit. Vide quæ infra notabimus, capite 155. Sultanum Soleimanem, Selimis filium, secundum voco, non respectu Soleimanis, Vrchanis filij, qui non Sultanus, sed Sangiacus dumtaxat fuit, nec patri succedere potuit, quum ante patrem sit mortuus: sed ratione illius Emiris Soleimanis, Baiasitis Gilderunis filij, Sultanorum in ordine quinti, quem perperam alij Mulsumanem vocant. Denique monitum lectorem volo, me hac in genealogia notasse Sultanorum annos, quibus imperarint, Mahumetanos: qui quidem ad annos Christianos qua redigi ratione debeant, paullo post expositūri sumus. Cetera huius Genealogię, prolixioris explicationis haud egent. Vnum dumtaxat hoc addo, liquere de hac serie Sultanorum Osmanidarum, hactenus regnasse Sultanos XII, linea directa, filiis in patrum loca succedentibus: duos vero, videlicet Emirem Soleimanem, & Musam Zelebim, ex transuerso irrepsisse, nullis in imperio post se relictis liberis: quod vaticinij cuiusdam antiqui causa dissimulare non debui, cuius exitum fortasse tamdem aliquando videbimus.

De origine Sultanorum Turcicorum.

Equidem nihil hactenus inueni memoriæ proditum aut plenius, aut verius, aut saltem vero similius, de origine Sultanorum Osmanidarum, quam quod heic in annalibus legitur. Facere tamen non possum, quin lectoris causa, cognoscendi res Turcicas studiosi, quædam hoc loco subiiciam, a Theodoro Spandugino Cantacuzeno tradita. Narrat is, se quanta maxima potuerit diligentia conquisiuisse scriptores rerum Turcicarum, qui originem Osmanicæ familiæ retulerint in litteras, deque his tamdem intellexisse: principium huius exstitisse quibusdam ab armentariis, natione Tataris, ex posteritate cuiusdam Oguzis. Multas enim Tatarorum familias id temporis, quum Sultanus Aladines, Iconij princeps, rerum in Asia minore potiretur, venisse quæsitum sedes sub Aladinis imperio: quas inter & ista fuerit. Aladines autem grauia bella gerabat, inquit, aduersus imperatorem Constantinopolitanum, qui erat ex familia Comnena. In hisce bellis accidit, vt quidam eques, natione Græcus, vir magnanimus & bellicosus, in omnibus duellis contra quosuis superior euaderet: atque inter alios etiam quemdam in primis Sultano Aladini carum, prœlio singulari victum, occideret. Aladines magno cum animi dolore conuersus ad suos: Quis vestrum, ait, congredi cum hoc ausit Christiano, qui tot hactenus ex meis, & nunc præsertim vel maxime familiarem hunc mihi de medio sustulit? Quum autem propter illius Græci virtutem, fortiaque facinora, territis omnibus, nemo cum hoc dimicaturus certamine singulari prodiret: tamdem armentarius quidam ex posteris Oguzis, quem nemo scriptorum Turcicorum alio quam Delis nomine, propterea quod stulte temerarius, & infimæ condicionis homo fuerit, adpellat; Aladinis in conspectum veniens, vindicaturum se profitetur iniurias ab illo Christiano tot viris fortibus illatas. Quibus auditis, mirum sibi videri dixit Aladines, ex suis tot militaribus viris reperiri neminem, qui sua causa tot neci datas animas vlcisci vellet, præter vnum hunc stultum hominem. Is vero iterum: Osecro te princeps, inquit, vt pace tua cum hoc mihi Christiano pugnare liceat. Quippe si maxime moriar, exiguam ipse iacturam facies, amisso dumtaxat homine stulto. His dictis, impetrata pugnandi licentia, quamuis ægre permoueri se pateretur Aladines, vt ei cum altero congrediundi potestatem faceret: prodit in hostem, manibusque cum eo consertis, strenue dimicando victoriam tamdem apiscitur. Aladines, vt hominis virtutem aliquo præmio remuneraretur, ei villam Otomanzicam dono dedit: a quo

a qua nomen Otomanorum, Delis huius posteri sumsere. Quum enim per eam, quam diximus, victoriam nominis sui famam longe lateque propagasset: non ipse tantummodo, verumetiam complures alij, quos e Tataria venisse memorauimus, habitatum in Otomanzica pago se contulerunt. Quippe volebat res istic suas cum aliis sibi communes esse: qua de causa nullo prope negotio perfecit, vt eo sponte sua magnus hominum concurreret numerus, ipseque pagus incrementum non exiguum caperet. Et quia Christianorum in iis locis excidium, a suis profecturum posteris, præuidebat: etiam durantibus induciis excursiones in pagos Christianorum faciebat, eosque direptos ferro & igni depopulabatur. Primus ex his pagis Dimbos adpellabatur, quod nomen lingua Turcica fidei mutationem significat, quam reuera successores ipsius introduxerunt. Aladines intellectis hisce Delis rapinis, misit ex suis, qui eum arcesseret. Nam ægre ferebat, hæc ab eo pacis & induciarum tempore committi. Delis ab illo domi suæ quæsitus, forte tunc aberat, excursioni nouæ intentus, qua pagum occupauit, qui Sar dicitur. In itinere, quo domum cum præda reuertebatur, a suis ei significatum fuit, Aladinem moleste ferre, quod per inducias ab eo Dimbos, aliique pagi capti fuissent: ideoque misisse, qui coram Aladine Delim iuberet comparere. Delis hoc cognito, mox secum statuit prius, quam cum præda domum rediret, Aladini se sistere: quo suam illi demonstraret obœdientiam. Id conspicatus Aladines, culpam Deli condonauit ea lege, ne deinceps vicinis molestus esset: ac retinere sibi mancipia iussit, e Sari pago rapta: cuius a pagi nomine deriuata creditur ab aliquibus deinceps Genisarorum adpellatio, quæ Turcica lingua iuuenes e Sari pago significet. Præter ista, nihil ait Spanduginus extare de hoc Deli memoratu dignum: nisi quod historici Turcorum tradant, eum Sultani Aladinis iussu veneno sublatum fuisse: nec ab illo tempore de hac familia quidquam recitari posse, quod operæpretium sit: donec tamdem primus Turcorum Sultanus Osman in iis locis principatum constituere ceperit. Hæc prima de Osmanidarum origine Spandugini narratio est, cuius fides penes auctorem esto. Deinde subiicit, Sultanum Muchemetem, qui Constantinopolim cepit, nullo modo vmquam admittere voluisse narrationes illorum, qui familiam Osmanidarum a Tataris armentariis ortam traderent: quum ipse referret originem eius ad Comnenos imperatores Constantinopolitanos. Aiebat enim, in iis bellis, quæ gesta fuerint inter imperatorem Comnenum, & Sultanum Aladinem, quemdam magnæ nobilitatis ac virtutis virum ab occidente se contulisse ad Comnenum, vt ei militando subsidium ferret. Eum prœlio quodam in hostem fortissime dimicantem, confossum ab hostibus equum amisisse. Tum imperatorem Comnenum fratris sui filio, cui nomen esset Isacius, mandasse: vt ex equo descendens, eum viro illi forti traderet. Qua quidem re factam Isacius insignem sibi ratus iniuriam, desperabundus ad Sultanum Aladinem se contulerit, ac reiecta desertaque fide Christiana, Mahumetanam religionem amplexus fuerit. Hinc Aladinem ei filiam suam dedisse vxorem, dotisque nomine multa prædia cum pagis adsignasse: quos inter etiam Otmanzica fuerit. Adeoque statuebat Sultanus Muchemetes, ab hoc Isacio Sultanum Osmanem, qui pater & auctor est stirpis Osmanidarum, originem duxisse. Hactenus a Spandugino tradita duximus commemoranda, de quibus integrum lectori iudicium relinquimus. Sane reperitur apud Græcos historicos, ac præsertim apud Nicetam Choniatem, mentio Comneni apostatæ, qui tamen non Isacij, sed Ioannis nomen habuerit. Quippe quum Ioannes Comnenus imperator, quem Caloioannem non forma, sed bonitate vocabant, in obsidione Neocæsariæ diutius hæreret: Ioannes, Isacij Sebastocratoris, fratris eius filius, tali quadam ab imperatore patruo iritatus iniuria, qualem Spanduginus exposuit, fœde transfugit ad Sultanum Iconiensem, simulque musulmanissauit. Hanc fortassis ad historiam vel Spanduginus, vel Muchemetes respexerit. Ac Muchemeti quidem, longe omnium mortalium ambitiosissimo, natales maiorum obscuros displicuisse, nō mirum est: ideoque facile crediderim, ab eo quæsitam fuisse de industria quamdam suorum ab origine magis illustri commen-

dationem. Hoc tamen minime silentio prætereundum, Turcos, auctorum bonorum consensu, non e Tataria, sed Persia, pulsos a Tataris, in Asiam minorem commigrasse. Qua de causa Græciæ Prætor meus necdum editus, qui Constantinopoleos a Flandris captæ, rursumque recuperatæ a Michaele Palæologo, historiam LX plus minus annorum descripsit, Sultanos Musulmanorum Iconienses, Aladinis posteros, Azatinem & Iathatines duos, Persarchas adpellat, quod e Persia profectis in ea minoris Asiæ loca populis cum imperio præessent. Idem obseruare licet, ab aliis etiam fieri Græcis historicis. An autem ex Tatarorum regionibus, & quibus temporibus, in Persiam commigrarint: heic exponi non est necesse, ne nimis excrescat commentatio.

Aiem. Padischach. Sultan.

Quod Oguziorum familia successione perpetua rerum apud Parthos potita fuisse dicitur, id his fere verbis in archetypo Turcico legitur: De stirpe in stirpem fuere Padischachler in Aiem. Quæ verba vt intelligantur, sciendum; a Turcis Aiem Vilaget, vel Aiem Memleket, vocari regionem vel regnum Persarum ac Parthorũ: Padischachler autem numero multitudinis, a singulari Padischach, esse supremos principes siue Scachos, de qua voce paullo ante dictum. Rectius enim Padischach interpreteris Pantocratora, velut habentem vniuersum imperium, regemque regum: quam si vocem Sultani sic explices, quod Cedrinus fecit. Etenim qui Turcis Sultanus est, Græcis hodieque vocem hanc lingua sua reddentibus, Aphentis vel Megas Aphentis dicitur: corrupto nonnihil, ratione pronuntiationis, antiquo vocabulo αὐθέντης, cuius est nota significatio. Laonicus libro nono Muchemeti II titulum hunc tribuit. Planeque nostris etiam Turcorum princeps, in cottidianis sermonibus, numquam aliter, quam il grand Signor, adpellatur: quod quidem fit imitatione Turcorum Græcorumque. Ne dicam, Aythonum Armenium quoque tradere, Sultanum Agarenis significare dominum. Quod autem apud Chalcocondylem Parthi & Persæ dicti leguntur Arzamij, ex scriptura vitiosa profectũ puto. Nam Azamij vel Azemij rectius scribentur, quod idem est cum Aiemiis propter adfinitatem litterarum I, G, & Z, ante litteram E positarum, etiam apud Italos & Gallos. Geufræo, qui Azamiam dictam vult ab Assambego (quo nomine alibi vocat, quem vsum Chasanem Turci dixere) sicut a Caramanbego Caramaniam, per me quidem, vt ita sentiat, licet: quando libere quiuis opinionem suam proferre potest. Nam tametsi non abs re quis obiecerit dissimilitudinem vocum Aiem & Chasan, tamen pluris hoc faciundũ, quod idem sibi parum alibi constat, dum ait ab Aramo, Semi F. Nohæ N. Syriam dictam Azamiam, quasi Aramiam. Non enim parum a Persis, & Parthis, Syri distant: vt non immerito quis Geufræo prouerbium vetus Græcum obiecerit:

Sunt separati fines Lydorum & Phrygum.

CHAN. VLV CHAN. HVNGGIAR. HVNCHER.
Seriphe. Chalife. Chitaia. Chorasan. Belch. Machan. Tatari.

3. Qui Turcis est Zingis Chan, Beluacensi est Chingis Cham, quod idem est pronuntiatione Gallica. Ex Pachymerio, ceterisque Græcis, non Tzinkis, vel Tzincis, sed Tzingis Can scribi debet ratione pronuntiationis vsitatæ. Exstat liber Aythoni Armenij, qui & Curchinus vocatur, & Antonius creditur a quibusdam fuisse dictus post sumtum monasticum habitum: quum Aythonus idem videatur esse cum Antonio: & Curchinus a S. Georgio factum nomẽ sit, quemadmodum Curchini vel Curggini dicuntur etiam hodie Georgiani, qui Armeniis vicini a S. Georgij veneratione dicti putantur Georgiani, sicut a S. Iacobo Iacobini & Iacobitæ, quorum patriarchæ nomen vitiose scriptum legitur apud Marcum Paulum Venetum Iacelich, pro Catolich, qui Catholicus est. Is Aythoni liber nomen habet Zingis huius nonnihil immutatum, videlicet Changis, vnde Cangius etiam Can ab aliis vocatur. Chanis vel Hanis (aspiratione forti) adpellatio perquam vsitata Persis & Tataris est, apud quos reges & principes, etiam minorum (vt dici solet) gentium, Chanes dicuntur: verbi gratia, Kerai Chan, Crimski Chan,

Precop Chan, Nogai Chan, Schemhal Chan, Maxud Chan, & alij, quorum in annalium quoque supplemento facta mentio. Sic etiam inter Osmanidarum maiores in genealogia quidam Cara Chan legitur, quo significatur rex aut princeps niger. Consimili ratione filij principum Chanoglani vocantur. Reperitur in historiis Græcis & Latinis nomen Chagani Auarum, quod idem est cum hoc Chan vel Chahan. Nam Auarum siue Chazarorum patria Chersonesus est Taurica, quæ hodieque suos habet Chahanes: Maximus vero Tatarorum omnium Chan, cui subiecti sunt Chanes ceteri, quique Chitainus adpellari solet, vti statim dicturi sumus, excellentiæ causa, qua cunctis aliis præstat, Vlu Chan nominatur, hoc est, magnus, vel potius excelsus Chan. Vnde factum, vt Spanduginus & Iouius Chanem interpretentur imperatorem. Turcici quoque Sultani post Osmanem Gasim, se Chanes dici voluerunt, vt ex genealogia paret, idque retinent in hodiernum vsque diem. Solet enim, more maiorum, Murates iste III hoc vti plerumque titulo: Sultan Murat Chan, bin Sultan Selim Chan, elmuzaferu daima: hoc est, dominus Murates rex, domini Selimis regis filius, victoriosus semper. Quibus in verbis obseruare licet obiter imitationem titulorum, quibus imperatores nostri, veteres & recentes, vocare se Victores ac Triumphatores, semperque Augustos, consueuerunt. Sed hos titulos aliis interdum adiectis nominibus augent, in quibus sunt Emir, de quo superius dictum, & paullo post dicetur numero 14. & Padiscach, quod itidem explicatum: & Musulmanorum Padiscach, quo nuper Murates vsus est in litteris ad ordinum regni Poloniæ comitia, creando rege, missis: & Huncher vel Hunker, quod Spanduginus scripsit Condichiar, Ludouicus Bassanus Iadrensis Chunchier, quum Italico modo rectius exprimatur Hunggiar. Id proprie titulo nostrorum Augustorum respondere volunt, quo se Imperatores Cæsares adpellant. Et primum eo tradunt vsum Muchemetem II, post captam Constantinopolim, sedem orientalis imperij, quem imitati sunt Baiasites filius, & Selimes nepos. Qua de causa, partim vt ambitionem, partim vt superstitionem eorum, ab esu suillæ abhorrentium, irrideret Scachus Ismail primus, a quo Sophinorum apud Persas profectum nomen est, præpinguem alere porcum solebat, cui nomen eius Turcorum indebat principis, qui tunc rerum potiebatur: vt vel Hunker Baiasit, vel Hunker Selim adpellaretur. Denique Seripharum etiam titulum sibi tribuunt, & Chalipharum nomen ne hodie quidem vitant, velut inuidiosum, potiusque competens editis Mahumetis sanguine, quemadmodum Reinerus Reineccius, amicus noster putauit. Nam hic quoque Murates eo se ornat titulo in litteris ad Imperatorem nostrum, quarum exempla vidi: & superius de hoc a nobis notata quædam sunt in expositione causarum decennalis huius belli, quod inter Sophinos & Osmanicos adhuc geritur. Diximus enim, Chaliphis nomen significare vicarium, vel successorem, vel heredem prophetæ Mahumetis: & Osmanicis persuasum esse, principem suum esse Chaliphen huius sæculi. Secundum Chaliphen, proximus est Seriphis locus. Sic enim & Cedrinus, & Zonaras tradiderunt, Seriphis nomen apud Mahumetanos eam respectu Chaliphæ rationem habere, quæ fuerit apud Græcos olim Syncelli ad Patriarcham, quum mortuo Patriarcha, mox in eius solium Syncellus collocaretur. Hoc die vero notum, quanto sint apud Mahumetanos in honore, qui recta linea tam a propheta Mahumete, quam ab Ali, Mahumetis genero, descendunt, aut se fingunt descendere. Hi Turcis Tatarisque Seithi vulgo dicuntur, Arabibus autem Seriphæ: quos maxima sane veneratione atque obseruantia quum prosequantur, etiam ipsi Sultani Seripharum adpellatione velut Augustiores se reddere volunt. Ad Tatarorum Chanem vt redeam, traditur a plerisque omnibus, hic Zingis Chan in primis claruisse anno Christiano 1202, vel 1203. quo tempore Tatari iugum Indorum, hoc est, eius regis, quem ab aliquot iam sæculis Preteianum siue Presbyterum Ioannem vulgo vocamus, excusserunt. Et exstant pleraque de his rebus a Vincentio Beluacensi, & Marco Paulo Veneto, memoriæ prodita, lectu non indigna. Chitaia, (quam itidem Ioannes de plano Carpi, qui vixit anno Christiano 1245, legatus

ad illa loca missus a Papa Romano, Kithai vocat) Laonico Chataia; Chitaini Tatari, Chataidæ dicuntur: & vero est simile, Chætas Ptolemæi, & Chatæos Ariani, hos ipsos esse Chitainos horum Annalium, vel Chataidas Chalcocondylis, vel Marij Nigri Chatainos. Chorasanis regionis nomen ne hodie quidem obscurum est, ex recentioribus historiis: populos ipsos Iouius Coraxenos vult dictos antiquitus. Cedrini verba sunt in Iustiniano Rhinotmito: subiugata fuit ab Arabibus (id est Saracenis) etiam persis interior, quæ Chorosan dicitur. Chorasan ab Ortelio Charassan scribitur, & Belch, tam vrbs, quam regio Chorasani vicina, Balch eidem est, versus Tatariam tendens. quam annales nostri Machan vocant, vrbi regionique communi nomine; haud scio num eadem sit cum illa, quæ Macran ab Ortelio dicitur, versus sinum Persicum, & mare rubrum sita. Tataros scribo, non Tartaros, tum quod ita dicti sint a Tataro flumine, cuius accolæ Sumogli vel Sumongli dicuntur, hoc est, Mogli, vel Mongli, Tatariue aquatici: tum etiam ex auctoritate Saxonum nostrorum, eisque vicinorum, qui Tataros adpellant, & Græcorum quorumdam librorum, quos manuscriptos habeo: in quibus est Prætor ille Græciæ noster, & Pulologus, qui vbique Tataros vocant. Adde testimonium veteris epigrammatis, ante ccc annos Ottocaro regi Bohemiæ positi: qui a Rudolpho imperatore cæsus inter auxiliares Tataros Comanos, hoc epitaphium, versibus factum Leoninis, pro illorum more temporum, habuit: repertum in libro annalium Austriacorum manuscripto, quem Magnificus dominus Hieronymus Beck a Leopoldstorf vtendum mihi pro sua humanitate concessit:

O rex Ottocare quondam pugnastis honeste.
Nunc stas in pannis depictus cum Tateranis.

DE VRBE BAGDAT, SIVE BAGADAT.

4. Vrbem Bagadatim accipe de hodierna Babylone, propter priscæ Babylonis ruinas a Sultanis Chaliphis exstructa. Zonaræ Bagdas genere masculo dicitur. Laonicus Pogdatim vocat, & Pogdatinam vel Pagdatinam Babylonem: apud quem nota corrupte scriptum hoc vltimum in Latinis editis, Padagtinam Babylonem. Petrarcha suis in poëmatibus Italicis Baldaccum nominat.

DE ALADINE, SELGVCE, TANGROLIPICE. Siuas.

5. Aladinis origo a Turcis refertur ad Selgucem, qui Gulielmo Tyrio, fortasse librarij culpa vitiose, Selduch dicitur. Hunc Reineccius, vir doctissimus, & diligentissimus in explicandis genealogiis historicis, putat eumdem esse cum Tangrolipice (Tragolipix nō recte scribitur) Græcarum historiarum: quod vero non absimile, quum Tangrolipix cognomentum quoddam esse videatur, a Tangri deductum, quod Turcis Deum significat, adiecta voce, quam equidem diuinare non possum. Fratris eius filius in Cedrino meo manuscripto, quo eius auctoris non edita fragmenta quatuor, cum aliquot imperatorum vitis hactenus desideratis continentur, non Cutlumus, sed Cutlumuses vocatur: quod significat Musem, siue Mosem fortunatum ac felicem. Aladin vel Aledin significat diuinum. Reineccius existimat esse commune nomen omnibus Turciæ vel Iconiensibus Sultanis, ceu cognomentum, vel dignitatis adpellationem, quod equidem probare non possum: perinde ac dicere non possum propterea, quod plures inter Osmanidas, velut e genealogia patet, Aladinis habuerint nomen, Osmanidas omnes Aladines vocatos, ceu cognomento quodam, aut dignitatis adpellatione. Similiter & alius restat scrupulus de eo, quod addit, videri quemdam ex Giazadinis liberis Aladinem nominari, qui Chalcocondylæ sit Germianus. Nos de begis Germianis suo loco dicturi sumus. Ibidem Siuastam scripsimus, quę vulgo Siuas, quasi Siuast, vrbs Armeniæ (minorem intelligo) secundum constitutionem Leonis Augusti de ordine thronorum, qui Cōstantinopolitano Patriarchæ subiecti sunt, quam manuscriptam habemus. In hac Sebastia vocatur, & Camachus ei vicina statuitur, quam idem Leo facit archiepiscopatum siue metropolim Armenię. Kemach

mach hodie nominatur, etiam Turcicis in annalibus expressa voce. Apud Laonicum in Baiasite Lelape Iamaca vitiose legitur. Vide notata deinceps capite 204. Libuit autem hæc eam ob caussam indicare, quod Ortelius varias, & inter se dissidentes opiniones de Sebastia proferat: aliis eam non procul ab Euphrate statuentibus, aliis in Cilicia: quum Armeniæ sit illa, quæ Siuas adpellatur, Turcis Siuas scheher, hoc est, vrbs Siuaste.

ERZINGA. ROMANIA ASIATICA. Amasia. Chalep Syria.

Ertzinga, cuius heic mentio fit, & quæ Erzinzan quoque scribitur, vrbs est 6.
Armeniæ, cuius nomen in edito Laonico diuerse legitur, & ad vicinam Armeniæ Cappadociam refertur, modo Artzinga, modo Artzinganis vrbs. Arzingam vocat Aythonus. Reperitur apud Laonicum & Ertzica, sicut apud Leonem Augustum in eadem Armenia ponitur Artzice, sub metropoli Keltzina. Romaniam vero, non pro Europæa Græcia, in hoc quidem loco, accipies: sed pro Ramanorum (sic Græci se volebant vocari) prouinciis Asiaticis, quas etiam recentiores historici Græci Romaniæ vocabulo complexi sunt. Amasia nomen hodieque retinet, vrbs Cappadociæ: licet in constitutione Leonis imperatoris, quam diximus, ad Helenoponti prouinciam, de qua in Iustiniani Augusti nouellis pleraque constituta leguntur, velut eius metropolis referatur, sub qua præter alios episcopatus, etiam Sinope recensetur. Chalepum Syriæ notissimam nunc etiam vrbem, & orientis emporium celeberrimum, male Chalcocondylis interpres cum Geufræo facit Epiphaniam, Bellonius Hierapolim, Seidlizius Antiochiam magnam in Comagena, magis imperite: quum Zonaras, Cedrinus, Nicetas, expresse Chalep dictam olim tradant Berrhœam. Halepo iam vulgo dicitur. Ridicula Geufræi notio, qui Aleph vult dictam, & a prima Hebræorum littera deriuat, quod prima Syriæ ciuitas sit; quum hodieque Damascus eam longe superet.

MAPALIA TVRCORVM ET TATARORVM.

Quæ de mapalibus Ertuculis dicuntur, intelligi commode poterunt ex hi- 7.
sce Marci Pauli Veneti verbis, ædiculas Tatarorum, siue mapalia potius describentis, antiquis hisce Turcicis simillima: Domunculas, inquit, habent in modum tabernaculorum, filtro coopertas, quas secum deferunt, quocunque migrant. Laonicus tentoria pileata dicere videtur, quibus vtantur pastores apud Turcos.

ROMANIA DVPLEX. ANATOlia. Rumelia. Rumiler.

Quum Aladines occupasse complures in Romania prouincias narratur, ac- 8.
cipe Romaniam Asiaticam vel Anatolicam; Romanis, hoc est, Græcis imperatoribus ante illa tempora subiectam: quemadmodum paullo ante notauimus. Nam alioqui notum, a Turcis Anatoliam, qua minor Asia comprehenditur, a Rumelia distingui: & Rumeliam, siue Rum vilaget, proprie dici Græciam Europæam, vel verbum verbo si reddas, Græciæ regionem: quum Græci a Turcis eleganter loquentibus, Rumiler vel Rumilar adpellentur, Vrumilar a vulgo. Rumes Garziæ ab Orta, cuius interp. clar. & opt. viro, Karulo Clusio nostro debemus, Thraces sunt: dum partem pro toto sumit. Quippe vniuersa Europæa Græcia, ceu diximus, Romania vocatur: cuius & partes duæ, Thracia scilicet, Argiuaque regio, cuius vrbs munitissima Napoli di Romania dicitur, Romaniæ nomen obtinent.

TANCHARI, TANGORI, TONCHARI, Tatarorum natio.

Nomen nationis, quæ bellum Aladini fecerit, annales hi non exprimunt: sed 9.
ex Prætore Græciæ nostro paret, Sultanis Iconiensibus perpetua fuisse cum iis Tataris bella, quos ipse Tancharos vocat, Aythonus Tangoros. Non enim Tangot apud hunc scribendum, sed Tangor. Itidem Ortelio Tangut regio vocatur, quæ rectius Tangur. Apud Pachymerium, & alios Græcos, Tochari, detracta littera ν, leguntur: qui verius adpellabuntur Tonchari.

VRBS ENGVRI, ANCYRA. MONVMENTVM vetus Ancyranum.

10. Engurim Turci vocant vrbem Asiaticæ Galatiæ, quæ dicta priscis fuit Ancyra, & Leoni Augusto quarta thronorum in ordine metropolis est sub patriarcha Constantinopolitano: satis olim celebris etiam ob antiquissimam Christianorum synhodum, quæ istic habita fuit, & cuius acta decretaque plena pietatis exstant. Hodie magna illic copia cymatilis vel vndulati panni (camelotum vulgo vocant) longe præstantissimi tingitur & elaboratur, alioque distrahenda vehitur.

Quodam in historiæ Græcæ libro, cuius quia perierat initiũ, ne quidem auctoris sciri nomen poterat, legere memini, de Ancyrani municipij conditore Augusto. Verbis ea referuntur huiusmodi. Κτίσας δὲ πόλεις, μίαν ἐν τῷ Πόντῳ, καὶ ἄλλην ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, καὶ ἑτέραν ἐν * Συρίᾳ καταπεσοῦσαν ὑπὸ θεομηνίας, ὄνομα τὴν Σαλαμίνην, ἀνεγείρας· ἐκάλεσε τὴν μὲν, Ἄγκυραν, διὰ τὸ μέσην αὐτὴν εἶναι τῶν δύο θαλασσῶν, τῆς τε Ποντικῆς καὶ τῆς Ἀσιανῆς· τὴν δὲ, Βόστραν, εἰς ὄνομα τοῦ κτίσαντος αὐτὴν στρατηγοῦ Βόστρου· τὴν δὲ, μετωνόμασε Διόσπολιν. Quorum hic sensus est. Quum condidisset Augustus vrbes, vnam in Ponto, alteram in Arabia; tertiam in * Syria, vi numinis itati collapsam, nomine Salaminen, restituisset: primam adpellauit Ancyram, hoc est ancoram, propterea quod esset medio sita loco inter duo maria, Ponticum & Asianum: alteram Bostram, a prætore Bostro, quem structuræ præfecerat: tertiæ nomẽ in Diospolim mutauit. Busbequius, vir illustris, in itinerario meminit, hanc vrbem ab Asię communitate (τὸ κοινὸν τῆς Ἀσίας dixere Græci) Augusto fuisse dicatam. Merito quidem id factum, si vel conditor, vel instaurator eius erat Augustus. Ideoque non abs re voluit idem Augustus rerum ab se gestarum, quas incidi Romæ duabus in aheneis pilis iusserat, exemplar heic exstare. Cõspiciuntur autem qualesquales huius reliquiæ marmoreis insculptæ parietibus ædificij veteris, quod ædem Apollinis fuisse putant aliqui, Busbequius prætoriũ. Id vero tam insigne monumentum antiquitatis Romanæ, quia lector existimare facile potest, a XXXIIII & amplius annis admodum esse deformatum, & ab infestis omni Græcæ Romanæq; elegantiæ barbaris cottidie magis etiam lacerari ac dirui: placet eorum causa, qui antiquitatum vere magni æstimandarum studiosi sunt, sic expressum hoc loco subijcere; quemadmodum id temporis legatus Cęsaris Ferdinandi, maximæ vir dignitatis, Antonius Verantius, Episcopus Agriensis, per suos transscribi curauit. Mecum vero communicabat ante profectionem ad Turcos nostram, vir nobilis, & antiqua virtute ac fide, Karulus Clusius Atrebas, acceptũ ab Antonij præsulis nepote, Fausto Verantio: quorum omnium sane mentionem fieri, visum fuit æquissimum, vti conseruatorum fragmenti penitus aurei, quod cęli ac Turcorum iniuriis expositum, ne ceteroqui nobis Ancyræ prorsus, ac breui quidem pereat, haud absque causa metuendum. Sed reliquas tamdem e naufragio tam præclari tabulas operis lector accipiat, ita dictis in parietibus exstantes: vt dimidia pars intrantibus ædificium ad dextram, altera semet ad sinistram offerat.

* Κύπρῳ.

* Cypro.

Series prima.

RERVM. GESTARVM. DIVI. AVGVSTI. QVIBVS. ORBEM.
TERRARVM. IMPERIO. POPVLI. ROMANI. SVBIECIT.
ET. IMPENSARVM. QVAS. IN. REMPVBLICAM. PO-
PVLVMQVE. ROMANVM. FECIT. INCISARVM. IN.
DVABVS. AHENEIS. PILIS. QVÆ. SVNT. ROMÆ.
POSITÆ. EXEMPLAR. SVBIECTVM.
ANNOS. VNDEVIGINTI. NATVS. EXERCITVM. PRIVATO.
CONSILIO. ET. PRIVATA. IMPENSA. COMPARAVI. TERQVE.
M——FACTIONIS. OPPRESSAM. IN. LIBERTATEM.
VINDICAVI——DECRETIS. HONORIFICIS. ORDINEM.
SVVM.

cetera desiderantur.

Series secunda.

PATRICIORVM. NVMERVM. AVXI. CONSVL. QVINCTVM.

IVSSV.

IVSSV.POPVLI.ET.SENATVS.SENATVM.TER.LEGI.ET.
IN.CONSVLATV.SEXTO.CENSVM.POPVLI.CVMLEGA.M.
AGRIPPA.EGI.LVSTRVM.POST.ANNVM.ALTERVM.ET.
QVADRAGESIMVM.FECI.LEGI.QVO.LVSTRO.CIVIVM.
ROMANORVM.CENSITA.SVNT.CAPITA.QVADRAGIENS.
CENTVM.MILLIA.ET.SEXAGINTA.TRIA——————CVM.
NVPER.LVSTRVM.SOLVS.FECI.LEGI.CENSORVM——SINIO
COS.QVO.LVSTRO.CENSA.SVNT.CIVIVM.ROMANORVM——
QVADRAGIENS.CENTVM.MILLIA.ET.DVCENTA.TRIGINTA.
TRIA.——IN.CONSVLALV.FI.——————CVM.NVPERRIME.
LVSTRVM.CVMLEGA.TIBERIO.SEXT.POMPEIO.ET.SEXT.
APVLEIO.COS.QVO.LVSTRO——ROM.CAPITVM.QVADRAGIENS.
CENTVM.MIL——IGINTA.ET.SEPTEM.MIL.LEGI.PNO.——
——EXEMPLA.MAIORVM.EXOLESCENTIA.IAM.EX.NOS.——
MVLTARVM.RERVM.EXEMPLA.IMITANDA——————

reliqua desiderantur.

Series tertia.

HONORIS.MEI CAVSA.SENATVS.POPVLVSQVE.ROMANVS.
ANNVM.QVINCTVM.ET.DECIMVM.AGENTIS.
CONSVLIS.DESIGNAVIT.VT.CVM.MAGISTRATVM.INIRENT.
POST.QVINQVENNIVM.EX.EO.DIE.DVO.DEDVCTI.IN
EORVMVE.INTERESSENT.CONSILIIS.PVBLICIS.DECREVIT.
SENATVS.EQVITES.AVTEM.ROMANI.VNIVERSI.PRINCIPEM.
——————HASTIS.ARGENTEIS.DONATVM.ADPELLAVERVNT.
LIBRI.ROMANI.VIRITIM——CENOS.NVMERAVI.EX.TESTAMEN
TO.PATRIS.MEI.ET.NOMINI.MEO——DRINGENOS.EX.
BELLORVM.MANIBIIS.CONSVL.QVINCTVM.DEDI.ITERVM.
AVTEM.IN.CONSVLATV.DECIMO.EX.PATRIMONIO.MEO.
BIS.QVADRINGENOS.CONGIARI.VIRITIM.ITERVM.AERE.
MERVI.ET.CONSVL.VNDECIMVM.DVODECIM.FRVMENTATIO
NES.FRVMENTO.PRIVATIM.COLVMPLO.EMENSVS.SVM.
ET.TRIBVNICIA.POTESTATE.DVODECIMVM.QVADRINGENOS.
NVMMOS.TERTIVM.VIRITIM.DEDI.QVALIMEA.CONGIARIA.
FRVMENTI——NVM.NVMQVAM.MINVS.QVINQVAGINTA.ET.
DVCENTA——SIA.DVODEVIGINTESIMVM.CONSVL.TRECENTIS.
ET.VIGINTI.MILLIBVS.PLEBIS.VRBANÆ.SEXAGENOS.SEX.
AGENOS.DENARIOS.VIRITIM.DEDI.ET.QVINIS.MILITVM.
MEORVM.CONSVL.QVINCTVM.EX.MANIBIIS.VIRITIM.MILLIA.
NVMMVM.SINGVLA.DEDI.ACCEPERVNT.ID.TRIVMPHALE.
CONGIARIVM.IN.COLONIAS.HOMINVM.CIRCITER.CENTVM.
ET.VIGINTI.MILLIA.CONSVL.TERTIVM.DECIMVM.SEXAGENOS.
DENARIOS.PLEBI.QVÆ.TVM.FRVMENTVM.PVBLICVM.ACCE——DEDI.
EA.MILLIA.HOMINVM.PAVLLO.PLVRA.QVAM.DVCENTA.
FVERVNT.AGRIS.QVOS.IN.CONSVLATV.MEO.QVARTO.ET.
POSTEA.CONSVLIBVS.MARCO.ET.CN.LENTVLO.AVGVRE.
ADSIGNAVI.MILITIBVS.SOLVI.MVNICIPIIS.P.——ERTIVM.
CIRCITER.SEXGENSIM.ITINERIS.EMIT.QVAM.ROMANIS.
PRÆ——NVMERAVI.——QVOD.PRO.AGRIS.PROVINCIA
LIBVS.SOLVI.VNVS.ET.SOLVS.OMNIVM.QVI.DEDVXERVNT.
COLONIAS.MILITVM.IN.PROVINCIS.AD.MEMORIAM.ÆTATIS.
MEÆ.FECI.POSTEA.NERONE.ET.CN.PISONE.CONSVLIBVS.ITEM.
QVE.——GANTISSIMO.ET.D.LELIO.CONSVLIBVS.ET.L.CANINIO.
ET.Q.FABRICIO.CONSVLIBVS.——QVOS.EMERITIS.STIPENDIIS.

IN.SVA.MVNICIPIA.PRÆM.——PERSOLVI.QVAN.—IN.SEST——
MILI———IMPENDI.
QVATER.——AVI.ÆRARIVM.ITA.VT.SESTERTIVM.MILLIA.
QVINGENTA.DEDI——RAVI.ÆRARIO.DETVLI.——
QVOD.EX.CONSILIO————————————MILITIBVS.
QVIN——————————————————
————MERVISSENT.HS.MIL.———————————
——————————O.DETVLI.———————
——————————CN. P. LENTVLO.————————
SVLES.FVERVNT.CVM.D—CERENT——CENTVM.
MILLIBVS.HOMINVM————O.FRV——————————

desunt lineæ quinque.

Aduersi parietis series prima.

CVRIAM.ET.CONTINENS.ET.CHALCIDICVM.TEMPLVMQVE.
APOLLINIS.IN.PALATIO.CVM.PORTICIBVS.ÆDEM.DIVI.IVLII.
LVPERCAL.PORTICVM.AD.CIRCVM.FLAMINIVM.QVEM.SVM.
ADPELLARI.PASSVS.EX.NOMINE.EIVS.QVI.PRIOREM.EODEM.
IN.SOLO.FECERAT.OCTAVIANI.PVLVINAR.AD.CIRCVM.
MAXIMVM.ÆDES.IN.CAPITOLIO.IOVIS.FERETRII.ET.IOVIS.
TONANTIS.ÆDEM.QVIRINIS.ÆDES MVNDO.ET.IVNONIS.
—ET.IOVIS.LIBERTATIS.IN.AVENTINO.ÆDEM.LARVM.
IN.SVMMA.SACRA.VIA.ÆDEM.DEVM.PENATIVM.IN.VELIA.
ÆDEM.IVVENTATIS.ÆDEM.MATRIS.MAGDELÆ.IN.PALATIO.FECI.
SERTORIVM.ET.POMPEIVM.THEATRVM.VTRVMQVE.
OPVS.IMPENSA.GRANDI.REFECI.SINE.VLLA.INSCRIPTIONE.
NOMINIS.MEI.RIVOS.AQVARVM.COMPLVRIBVS.LOCIS.VETVSTATE.
LABENTES.REFECI.ET.AQVAM.QVÆ.MARIA.ADPELLATVR.
DVPLICAVI.FONTE.NOVO.IN.RIVVM.EIVS.IMMISSO.FORVM.
IVLIVM.ET.BASILICAM.QVÆ.FVIT.INTER.ÆDEM.CASTORIS.
ET.ÆDEM.SATVRNI.CAEPTA.PROFLIGATAQVE.OPERA.A.
PATRE.MEO.PERFECI.ET.EAMDEM.BASILICAM.CONSVMATAM.
IN. AMPLIATO.EIVS.SOLO.SVB.TITVLO——NOMINIS.
FILIORVM——VLVVS.NON.PERFECISSEM.PERFECI.AB.HE
REDIBVS——VIRGINE.EXEMPLVM.DEVM.IN.VRBE.CONSV-
FECI.FLVVIO,PRAETERMISSO.QVOD.TEME——FT.———
——————————————————————
——————————————————————
VLTORIS,TEMPLVM.QVORVMQVE.AVGVSTVM.ET.TEMPLVM.
APOLLINIS.IN.SOLO.MAGNAM.PARTEM.——EMTO.FECI.
QVOD.SVO.NOMINE.M.MARCELLI.VENERI.——MANIBVS.
IN.CAPITOLIO.ET.IN.AEDE.DIVI.IVLII.ET.IN.AEDE.
APOLLINIS.ET.IN.AEDE.VESTAE.ET.IN.TEMPLO.MARTIS.
VICTORIS.CONSECRAVI.QVAE.MIHI.CONSTITERVNT.CIR
CITER.MILLENIS.AVRI.CORONARI.PONDO.TRIGINTA QVINQVE
MILLIVM.MVNICIPIIS.ET.COLONIIS.ITALIÆ.CONFERENTIBVS.
AC.TRIVMPHOS.MEOS.QVINCTVM.CONSVL.REMISI.ET.POSTEA.
QVOTIENSCVMQVE.IMPERATOR.M.——AVRI.CORONARIVM.
NON.ACCEPI.DECERNENTIBVS.MVNICIPIIS.——QVÆ.ANTE.
TEMPVS.DEFVNCTARVM.AFRICANARVM.DECREVERAM.
MEO.NOMINE.AVT.FILIORVM.MEORVM.
ET.NEPOTVM.IN.CIRCO.——AVT.IN.FORO.AVT.IN.
AMPHITHEATRIS.POPVL.——QVIBVS.CONFECTA.SVNT.BESTIARVM.
CIRCITER.TRIVM.MILLIVM.ET.QVINGENTA.NAVALIS.PRÆLII.
SPECTACVLVM.POPVL.——LIBERVM.IN.QVO.LOCO.NVNC.

NEMVS.

NEMVS.EST.CÆSARVM.CAVATO.——LONGITVDINE.MILLE.
ET.OCTINGENTOS.PEDES.IN.LATITVDINE.PEDES.DVCENTI.
IN.QVO.TRIGINTA.ROSTRATÆ.NAVES.TRIREMESQVE.PLVRIMÆ:
——RVMORES.INTER.SE.CONFLIXERVNT.——RVNT.
PRÆTER.REMIGES.MILLIA.——CIRCITER——
IN.TEMPLIS.OMNIVM.CIVITATVM.PONTI.ET.ASIÆ.VICTOR.
ORNAMENTA.REPOSVI.QVÆ.SPOLIATIS.TEMPLIS.QVIS.PRIVATIM.
POSSEDERAT.STATVÆ.——QVADRAGENIS.ARGENTEIS.
STETERVNT.IN.VRBE.AC.CIRCITER.QVAS.IPSE.SVSTVLI.EX.
QVA.DE.PECVNIA.DONA.AVREA.IN.ÆDEM.APOLLINIS.MEO.
NOMINE.ET.FILIORVM.QVÆ.MIHI.STATVERVNT.HONOREM.
HABVERVNT.POSVI.

Series secunda.

MARE.PACAVI.A.PRÆDONIBVS——DOMIBVS——
——SVIS——CONTRA.REM.——
——DOMINI.——

cetera desiderantur.

Series tertia.

REGIS. PARTHORVM——

Post aliquot lineas.

A.ME.GENTES.PARTHORVM.ET.MEDORVM.——

rursum post aliquot alias.

IN.CONSVLATV——

cetera prorsus abolita.

Habes, optime lector, reliquias Ancyrani monumenti, facile omnium, quæ nunc exstant, præstantissimi; siquidem esset integrum. Eius illustratio, cum aliquorum restitutione, non huius est loci.

ANNI, MENSIVM, DIERVM APVD TVRcos ratio, & adpellationes.

Notaui ad marginem libri, annum Mahumetanum 687, quo mortuus Er- 11.
tucules traditur, esse Christianum 1289. Hoc vti planius intelligi possit, libet hoc loco quam paucissimis explicare temporum apud Turcos rationem, videlicet annorum, mensium, dierum, quantum quidem hactenus intelligere de his potui. Constat igitur apud Turcos annus XII mensibus, sed lunaribus: & tradunt ipsi, post 32 annos Turcicos firmamentum cæli cursum suum absoluere. Vnde propemodum colligi plerique putant, annis 31 Christianis, respondere Mahumetanos 32, cum exiguo additamento. Præmittitor id etiam, hunc annum Christ. 1587, quum inciperet, fuisse computatum a Turcis pro Mahumetano 994. Quippe licet hoc intelligere de verbis vltimis in diplomate Sultani Muratis III, quo continetur prorogatio pacis cum Rudolpho II Imp. Augusto. Leguntur enim istic hæc in extremo verba: Die primo proximi mensis Ianuarii, anno Domini Iesu, supra quem sit gratia & auxilium diuinum, 1584: qui erit annus transmigrationis magni prophetæ nostri, supra quem sit gratia salusque diuina, 991: die 27 sacræ lunæ Silchidze. Quibus in verbis notandum, annos Mahumetanos, Turcis vsitatos, non eosdem esse cum annis Hegiræ, quæ incipit a natiuitate Mahumetis, videlicet ab anno Christiano 592. Nam expresse dicitur, a Turcis anno Christiano 1584, fuisse computatos annos 991 a transmigratione siue morte Mahumetis: quibus si tres ab illo tempore elapsos adiicias, erit annus hic Christianus 1587. a morte Mahumetis 994. Iam si de 994 detrahas annos 687, quo tempore mortuus Ertucules traditur, reliqui erunt anni Mahumetani 307, qui transiere scilicet ab Ertuculis morte, vsque ad hunc annum præsentem. Diximus autem paullo ante, Turcicos annos 32 propemodum respondere Christianis 31. Quamobrem de 307

Mahumetanis detrahendi veniunt anni $9\frac{28}{31}$ siue paullo minus, quam decem: & erunt 307 Mahumetani, si 10 integros deducas, redacti ad annos Christianos 297. His rursus detractis de 1587, reperiemus annum Christi 1290, quo scilicet mortuus fuerit Ertucules, Osmanis pater. Tradunt autem annales hi nostri mortuum Osmanem ipsum anno Mahumetano 727, qui Christianus erat 1328. Ergo post obitum patris superstes fuit paullo amplius, quam 39 annis Mahumetanis, siue 38 Christianis. Et quia Turci volunt eum regnasse 29 annis, nostri 28, quod idem est: necesse est verum fateamur, quod historici diligentes & fide digni scripserunt, Osmanem perpetuis excursionibus ac rapinis collocupletatum, magnam partem Bithyniæ, viciniæque Ponto Euxino regionis, intra spatium 10 annorum, a morte patris scilicet numerandorum, in potestatem redegisse. A quo decennii tempore, principatu iam constituto stabilitoque, recte rerum potitus dicetur annis Christianis 28. Itidemque verissime statuetur, initium regni Osmanici referendum ad annum Christ. 1300. quod sane multas ob caussas diligenter obseruandum.

Quod menses adtinet, iam antea monuimus, in vsu Turcis esse lunares. Hos nominare incipiunt ab ipsis nouiluniis. Et numerantur ab eis 12., sicut etiam nos totidem habemus. Anni principium referunt ad mensem Silchidze, qui late loquendo, quod Græci dicere solent, Decembri fere nostro respondere debebat ex opinione complurium: sicuti plerumque Ramazan mensis ad Septembrem debebat ex eorumdem sententia referri: quo mense Ramazane ieiunium suum menstruum seruant, a crepusculo matutino ad solis occasum vsque, donec sidera conspiciantur, nihil cibi potusue sumentes: & finito ieiunio, suum illud buiuc bairam, siue magnum festum instar paschatis nostri, celebrant. Sed progressu temporis tam Silchidze quam Ramazan in alios menses nostros transeunt. quippe celebrandi Bairami tempus singulis annis anticipare Turci solent diebus vndecim: qui dies embolismi fere loco sunt ad complendum annum lunarem. Nam si dies vndecim computentur tricies & semel, efficientur dies 341: qui paullo minus quam integrum annum constituunt, addendum triginta & vni Mahumetanis annis; vt Mahumetani triginta duo anni, Christianis triginta & vni respondeant; quemadmodum a nobis indicatum paulo ante hoc ipso capite.

Nomina mensium hæc sunt:

1.	Silchidzé.	7.	Dsiumasiel Achir.
2.	Mucharem.	8.	Rezeb.
3.	Sepher.	9.	Schaban.
4.	Rebuil Euel.	10.	Ramazan.
5.	Rebuil Achir.	11.	Schewal.
6.	Dsiumasiel Euel.	12.	Silcadé.

Sicubi lector aliquod nomen ex his paullo aliter scriptum in Annalibus repererit, sciat id factum a nobis, scripturam Ioannis Galderii, interpretis Cæsarei, sequentibus.

Hos autem menses in dierum hebdomadas, siue septimanas, diuidunt: diebus hæc tribuunt nomina.

1. Basar iuni, hoc est, dies mercatus hebdomadarii, qui respondet diei dominico nostro.

2. Basar Ertesi, hoc est, dies post mercatum hebdomadarium proximus, siue postridie mercatus: qui dies Germanice dici commode posset, *Aftermarcktag*. Respondet diei lunæ nostro.

3. Salli. Respondet diei Martis nostro.

4. Dsarschambá, id est, quartus dies: quem Persica lingua sic & ipsi vocant, vti nos feriam quartam dicere solemus, qui Mercurii dies est.

5. Peschembé, hoc est, dies quintus, lingua itidem Persica: veluti nos feriam quintam vocamus, qui Iouis dies est.

6. Dsiuma, duabus syllabis, (alii Zuma scribunt, & Zuna) vel Dsiuma iuni, quod significat diem ecclesiæ siue templi. Nam Veneris diem feriantur.

7. Dsiu-

7. Dsiuma Ertesi, hoc est, ἐπίβδα, Græco vocabulo Pindarico, quasi si dicas post festum, vel *Afterfeirtag* Germanice. Vulgo Saturni dies.

SOMNIVM ERTVCVLIS. CONIA. LVna Turcis auspicata.

Valde superstitiosos esse Turcos in obseruandis somniis, animaduertere lector potuit ex narratione Supplementi nostra, de initiis decennalis huiusce belli Persici. Hoc autem Ertuculis de Osmane filio somnium, quo ingenti comparabatur arbori, cum aliis sequentibus, per est ei simile, quod Astyages rex Medorum de Cyro, ex filia nepote suo, ab Herodoto & aliis expositum, habuit. Conia vero Turcis vrbs est Caramaniæ siue Ciliciæ, quam Græci dicebant Iconium. Leonis Sapientis imperatoris Nouella de Thronis accuratius hanc in Lycaonia collocat. Chalcocondyles Cariæ facit vrbes Larandam & Toconeium, vbi notâ confusum cum nomine articulum Toconeium, pro Toiconion: vt alibi Tosibinium quoque scribit idem interpres, Ardelii siue Transsiluaniæ vrbem, quæ articulo a nomine disiuncto Sibinium est, vel Cibinium, vt hodie scribunt. Conia recentioribus Geographis adpellatur Cogna, pronuntiatione Italica. Quod autem Edebalis filia per Lunæ splendorem significaretur, in eo felicissimum quoddam omen erat, ex opinione Saracenorum ac Turcorum: qui Lunam, velut imperio suo fatali quadam lege propitiam & auspicatam, mirum quantum habere virium in portendendis adiuuandisque successibus conatuum suorum, vt etiam nunc hodie, sic semper existimarunt. Errant enim, (& in his est Franciscus Sansouinus Venetus) qui Turcos scribunt subacto primum Bozinensi regno, imperante Sultano Muchemete II, Lunam crescentem signis militaribus adposuisse. Nam si verum hoc esset, non Lunam dumtaxat accepissent, exclusis stellis, quæ in eius regni signis cum Luna coniunctæ cernuntur. Constat etiam e Beluacensis historia, Saracenos ante constitutum hoc imperium Turcicum, eamdem habuisse de Luna, Mahumetanorum conatibus & expeditionibus bellicis fauente, persuasionem. Anno, inquit, 1218, statim post aduentum Christianorum ad Damiatam, facta fuit eclipsis Lunæ quasi generalis: quam contra Saracenos interpretati sumus, veluti portendentem eorum defectum, qui sibi Lunam adtribuunt, in incremento decrementoque Lunæ magnam sibi vim ponentes. 12.

DE DVCIBVS TVRCICIS, A QVIBVS ANATOliæ regiones nomina sortitæ sunt.

Annales hi nec ducum nomina, nec prouinciarum, hoc loco exprimunt: 13. quæ nos tum e Laonico, tum aliis annalium locis heic eruemus. Facit Laonicus septem numero Duces, qui regionem armis subactam, inter se diuiserint. Hos vno tantum loco non recenset omnes. Caramano dicit obtigisse mediterranea Phrygiæ maioris, cum Cilicia: cuius a nomine Cilicia dicta deinde Caramania fuit, in hodiernum vsque diem hac adpellatione durante. Sarchani sors maritimam Ioniæ regionem, Smyrnam vsque, tribuit. Vnde Sarchaniæ nomen est adepta, testibus his annalibus, & Laonico, & secretario Sigismundi Malatestæ, qui res in Asia Græciaque se præsente gestas, ante annos plus minus 80, descripsit. Ortelio Sarcum dicitur. Calami, & filio Carasi, obuenit Lydia, vsque ad Mysiam: quæ regio Carasia fuit adpellata. Reperitur hoc nomen in his annalibus, & apud indicatum modo Malatestæ secretarium, qui Pergamum in Carasia collocat. Ab Ortelio Becsangil ea pars Anatoliæ nominatur. Osman Ertuculis filius Bithyniam, cum regionibus Olympum versus spectantibus, & cum Tekie, nanctus est. Ab hoc Osmania, vel Othmania, quemadmodum hactenus alii scribunt, dicta: cuius in annalibus sub Baiasite primo fit mentio. Atque haud scio, an non in Synonymia Geographica Ortelii, quo loco de Asia minori agit, Cottomanidia sit rectius hæc ipsa siue Othmania, siue Othmanidia, cuius tamen limites istic latius, quam par sit, videntur extendi. Amuræ filios tradit Laonicus accepisse Paphlagoniam, cum iis, quæ ad Euxinum vergunt. Ea fuerit Penderatia scilicet, de qua superius dictum in Osmanidarum genealogia, vel potius Penderachia. Vocatur

Caramania. *Sarchania.* *Carasia.* *Othmania.* *Pederatia vel Pedetrachia.*

autem hic Amuras Pachymerio Amurius, cum quo Reineccius alicubi, Gregoram sequutus, Alisurium Caramanum confundere videtur: Omer in annalibus Turcicis dicitur, qui Omeris filios adpellant Isuendiares begos, Sinopes etiam dominos, Laonico Sphenderes aut Spenderes, vnde nomen Penderachiæ, veluti Sphenderachiæ. Bolli nominatur hæc ipsa Penderachiæ vel Sphenderachiæ regio in Ortelii tabula Natoliæ, priscis Paphlagonia. Et credo Bolli vocem prouinciæ datam a ciuitate Bolli, quæ Turcicis annalibus est Boli, sicut iidem & agri Bolensis meminerunt. *Mēdesia.* Est etiam in Asia minori Mendesia regio, cuius principem Laonicus Mendesiem & Mendesem vocat, nepotem Calamis: quod Mendesiæ nomen non Turcicum orgine puto, sed Græcum, & eius prouinciæ, quæ sic adpellata fuerit a ciuitate Mendos, cuius mentio fit in constitutione Leonis Augusti de ordine thronorum, tamquā episcopatus pertinentis ad metropolim Stauropolitanam in Caria. Videtur etiam eadem esse Mendus cum illa, quæ Myndus aliis dicitur, & ad Cariam quoque refertur. Regio Mendesia scribitur Ortelio Mentese, sicut & nostris in annalibus. Ædinis denique ducis apud Laonicum typis editum nomen legitur, qui regionem a Colophone ad Cariam vsque se porrigentem possederit. *Aidin, & Aidinelli.* Hic Aidin beg Turcis est, vnde reponendum apud Chalcocondylem Aidinis ducis nomen, & apud Ortelium pro Aldinelli restituendum Aidinelli. Sunt aliæ quoque regiones in Anatolia, quæ nouas adpellationes, veteribus incognitas, habent: sed eas dumtaxat heic enumerare voluimus, quibus indita fuisse certis a ducibus nomina, Laonicus & annales hi nostri tradunt.

BASSA. EMIR. SARAI. CARAVANSARAI. VEZIR. Vezir azem. Beglerbeg. Emir Halem. Emir Achur.

14. Filius alter Osmanis, Vrchanis frater, alium non habet in annalibus titulum, quam Alis bassa: quod bassæ vocabulum Turcis caput significat. Falluntur autem qui pro Sultanis vezires fuisse dictos, ac Emirum (Ameres ipsi vocant) in locum putant successisse bassas, & beglerbegos: (quibus & begos ab eis, & sangiacos adiungi, velut & ipsos Emirum successores, magis etiam miror) quum vox Emir ne hodie quidem exstincta sit, ac præterquam quod ipsi Sultano proprie competat, vt supra diximus, etiam certis in aula tribuatur officiariis. Quippe sunt ad Portam, Emir Halem, Buiuc Emir Achur, (qui Prætori etiam Græciæ nostro Amyrachures dicitur) & Cudzuc Emir Achur. Bassæ nomen hoc tempore datur iis primum, qui Vezirum dignitatem obtinent: deinde beglerbegis. Ipsa nomina cum officiis, suo declarabuntur a nobis loco prolixius. Heic paucis addo, Portæ Osmanicæ duum esse generum officia: quorum alia ministeriis obeundis intra saraium Sultani destinata sunt, alia procurandis negotiis publicis extra saraium. Et saraium Turcis palatium principis est, vel aliud amplum ædificium, non a Czar voce Tatarica, quæ regem significat, dictum: vnde Reineccius Saragliam Turcis vocari putat, vt regiam. Nam aliæ quoque domus, extra Sultani regiam, nomen hoc ferunt: vt illæ, quas Sultanorum mulierculæ siue concubinæ inhabitant, vt Atschamoglanorum ædes, vt ampla Turcorum hospitia, siue diuersoria publica, quas vulgo Carauasarias nostri vocant. Quippe a Turcis Carauansarai vel serai dicuntur, hoc est, ædificia destinata carauanis: quæ hominum agmina sunt cum iumentis, ob itinerum pericula turmatim se coniungentium. Consule de his exposita prolixius capite 247. De officiis intra saraium alibi, sicut & de aliis extra saraium. Bassæ, de quibus heic agimus, extra saraium muneribus sibi mandatis funguntur. Et inter hos qui primi sunt, Vezires dicuntur: nostris, consiliarii secreti, vel arcani. Supremus autem, Vezirazem nominatur: quæ apud Saracenos etiam in vsu dignitas, & existimatione præcipua fuit. Cedrinus & alii Protosymbulum interpretantur, cuius etiam mentio fit in libro de significatis insomniorum, quem antehac Sambucani exemplaris mutili fidem sequentes, Apomasari tribuimus: quum Achmetis eum postea cognouerimus esse, de libro bibliothecæ Cæsareæ, ex quo viri Clariss.

Hugo-

Hugonis Blotii I. C. & Augustalis bibliothecarii beneficio, nostri codicis lacunas omnes expleuimus. Symeon Magister Officiorum alicubi Solemanem Protosymbulum Balsamæ vocat, quem Zonaras archisatrapam Masalmæ dixit. Similiter extra saraium sunt Beglerbegi, qui & ipsi bassæ vocantur. Prætori Græciæ nostro, qui ante 510 annos vixit, Peclarpaces scribuntur. Et erant in imperio Saracenico simul & Emires, & Vezires, & beglerbegi, etiam ante monarchiam Turcicam: prorsus vt dici nequeat, pro Sultanis vezires adpellatos, in Emirum locum successisse bassas & beglerbegos. Quippe meminit beglerbegorum officii vetustior Prætore Cedrinus, & ipsum nomen interpretatur Archontas Archonton, vt nostri dominos dominorum: veluti qui sub se, præter gregarios milites, spachios, subassas, etiam sangiacos & begos habeant: vtrosque minorum (quod aiunt) gentium dominos, de quibus suo loco. Prætor addit, officium Beglerbegorum respondere dignitati vel officio maximi Stratopedarchi, quem nunc Generalem campi vocare solemus. Itidem Sultano seruit extra saraium is, qui dicitur Emir Halem, cuius paullo ante meminimus. Vexillorum præfectus supremus est, ac tum ipse vexillum regium gestat in expeditionibus, tum vexilla Beglerbegis offert sua, itidemque sua sangiacis begis. Emirachur stabuli præfectus est, cui vocabulo si Buiuc præponatur, maior vel primus; si Cudzuc, minor aut secundus stabuli præfectus intelligitur. De his iam percepisse lectorem opinor, qui Turcis bassæ, qui beglerbegi, qui Emires sint. Nec ignoro nomen Emir Quibir, dignitatis in aula Sultanorum Cairensium maximæ. Sed intra limites cohercenda scriptio, ne commentarius prolixior lectorem offendat, aut sæpius eadem repetat.

ISNIC. BVRSA. TEGGIVR.

Isnicam dixi, nomen hodiernum & Turcis vsitatum retinens, licet ab aliis 1 aliter scribatur, quæ Nicæa priscis est. Castaldus per errorem non vrbem Nicæam vocat Isnicham, sed lacum siue paludem Ascaniam, quæ tamen hodie Turcis Acsu dicitur, nomine significante aquam albam siue limpidam. In multis enim antiqua nomina sic immutant, vt priscorum similitudinem retinentia, tamen aliquid in lingua sua significent. Prusæ nomen antiquum retinui, tametsi nunc Bursa vulgo dicatur: quæ vox in errorem impulit Bonfinium, vt Byrsam adpellaret: quasi nomen hoc aliunde, quam a Prusa rege Bithynorum, acceperit. In Leonis Augusti constitutione de Thronis, etiam Theopolis siue Dei ciuitas cognominatur. Idem Claudiopolitano prouinciæ Honoriadis archiepiscopatui Prusiadem subiicit, quod ideo notandum, quia Busbequius in itinerario Prusiadem cum Prusa confudit. Teggiur Turcis est prouinciæ præses, quem ipsi more suo denominant a cuiusque prouinciæ metropoli. Laonicus Harmosten reddidit, quæ vox antiquo Laconum vsu significat eum, qui vel in vrbem, vel regionem imperio subiectam mittitur, vt eius res constituat ac disponat. Prætor noster ducem regionis interpretatur, qui Græcis est Higemon. Sic enim perturbationem rerum in Asia minori describens, post occupatam a Flandris Constantinopolim, ait: Qui duces aliis in locis alii fuerant hactenus, singuli regionem administrationi suæ commissam, nunc sui iuris efficiebant: vel ad hoc impulsi motu proprio, vel ab incolis ad defendendam regionem arcessiti. Quæ sane verba me commonefaciunt de imperii nostri statu non dissimili, post exstinctos imperatores Sueuos.

EDRENOS. VLVBAT. CAPLIZE.

Edrenosium Teggiurem dixi, ab opido, quod Turcis vocatur Edrenos. Adranusium ducem siue præsidem dixissent Græci veteres. Ciuitas ipsa Bithyniæ, 16 non procul a Prusa distat. Constitutio nouella Leonis Augusti de Thronis, episcopatum Adranusium metropoli Nicomediensi Bithyniæ subiicit. Opidum Adranes, genere neutro, priscis adpellabatur. Vlubat opidum vocant Turci, quod Lupadi nostris Geographis dicitur. Prætor Græciæ noster, & Chalcocondyles, Lopadium nominant. Nec procul a Palormo situm est, (Panormum dixere Græci superiorum ætatum) vbi veteris vrbis Cyzici ruinæ inter copiosa rude-

ra marmorum conspiciuntur, & vina nobilia nascuntur, quibus cum voluptate Constantinopoli salubriter vtebamur. Vox Caplize Turcis calidam aquam siue balineum significat, quæ Græcis thermæ sunt. Et superant Prusæ nunc etiam ad montis Olympi pedem thermæ præstantissimæ, ac in primis celebres: quum ex interuallo non magno, aquæ calidæ pariter, & frigidæ, miro naturæ beneficio, largiter ebulliant. Apud Stephanum, qui librum de vrbibus scripsit, Ortelio citante, Therma legitur, locus Prusiæ, (Prusæ vult puto dicere, quamquam & alioquin hæc mendosa arbitror) qui & Basilica vocetur. Hic ille locus est Basilicarum siue regiarum thermarum, quo de nunc agimus. Nam quod opidum Thermarum Basilicarum in Nouella Leonis Augusti reperitur, aliud est, ac longius remotum a Prusa: quum Episcopatus ille metropoli Cæsariensi Cappadociæ subiiciatur.

MONS CALOGERORVM. GENISCHEher. Iussuph.

17. Montem monachorum, qui legitur heic in annalibus, Turci sua lingua vocant Geschis dage, Græci Kalogeron oros. Intelligitur autem hoc nomine mons Olympus Bithyniæ, qui Constantinopoli degentibus, & in Propontide nauigantibus, insigni altitudine conspicitur. Nomen hoc inde tulit, quod olim frequentia Calogerorum haberet monasteria, velut hodieque mons Athos in Europa, quem sanctum vocant: vbi XXIII supersunt monasteria, singula quondam MCC aut CCC a calogeris inhabitata, contraque vim prædonum ac piratarum munita. Nunc deminuto licet numero, tamen adhuc eorum est magna copia. Vocatur autem monachus a Græcis Calogeros, non veluti Kalos Hieros, id est, bonus sanctus, quod nostris persuasum est: sed quasi Kalos geros, (sic enim hodie loquuntur) id est, bonus senex. Nam senilis ætas huic professioni aptissima est. Neapolim interpretatus sum, voce Græca, quæ Turcis est Genischeher, id est, noua ciuitas. Ea non procul a Nicæa distat, & Busbequio, sicut & Ortelio, Ienisar dicitur: ac intelligi eamdem arbitror a Spandugino, in exposita superius narratione, de origine Sultanorum Turcicorum. Iussuph, Prusæi nomen præsidis, idem est cum Iosepho. Gauderius, Ferdinandi Cæsaris interpres, scripsit Iussuc in versione sua, quod vocabulum Turcis anulum significat.

DE VARIIS MONETIS. QVID MANGVRI, ASPRI, Siderocapsia, Hyperpyra, Hyperpyrarii, Dramæ, Scachi, Sultanini, Seraphini, Byzantii, Chrysini, Altumler. AEgyptiæ Syriacæque monetæ ratio.

18. Necessario nobis heic agendum de variis tam Græcorum, quam Turcorum Ægyptiorumque monetæ generibus: vt vno loco posita, velut in conspectu lectori sint. Ac primo quidem, vt pretium singulorum, quæ Turcis in vsu sunt, indicemus: animaduertendum, ante annos 40 vel 50, quo tempore scripsit Turcica sua Theodorus Spanduginus, octo manguros æreos vnum asprum argenteum valuisse. Rursum quatuor aspros effecisse dramam. Dramas vero nouem, pretium fuisse taleri vnius Germanici, qui 36 aspros valebat: quum Sultaninus aureus, tam pondere, quam auri bonitate par Zecchino siue Ducato Veneto, 54 aspris æstimaretur, hoc est, vno talero Germanico, cum semisse. Deinde pretium taleri diu stabile fuit, aspri quadraginta: Sultanini vero, seu ducati, sexaginta. Nos autem Constantinopoli quum essemus, sic erant horum omnium aucta pretia, propter grauamina (quemadmodum aiebant) belli Persici, & alias causas explicatu non necessarias: vt manguri 24 vno commutarentur aspro: aspri quinque dramam efficerent: dramæ duodecim, talerum Germanicum: vnus cum semisse talerus, Zecchinum Venetum, hoc est, aspros 90: quum paullo minus esset Sultanini pretium. Hoc modo drama, quinque constans aspris, valebat sex nostros cruciatos seu quarantanos Venetos: decem dramæ, vel aspri 50, florenum Germanicum: aspri 60, seu duodecim dramæ, talerum nostratem. Quæ ipsa quoque pretia deinceps adeo sunt aucta, talerum vt vnum aspris æstimatum 80 intelligam. Exposito pretio singulorum, addamus nunc de monetis ipsis quædam, futura

lectori-

lectoribus, vt spero, non iniucunda cognitu. Primum igitur aerei manguri successerunt in nummulorum locum, quos asses prisci dixerunt. Ex argento signati sunt his proximi, qui Graecis aspri, Turcis Acse nominantur. Reineccius noster, in Adpendice ad Beluacensem, perperam scribit Asperos. Ibidem facta mentione de 500 iperperis, addit: hoc monetae Tataricae genus esse. Ego vero vtrumque dico pro Graecae monetae genere habendum. Et aspri quidem Graecis, Turcis Acse, sic ab albedine dicti sunt; vt Italis bianchi, Gallis les blancs, certa nimirum & ipsa monetae genera. Sicut enim Mauros Graecis est niger, vnde Moros Itali nostrique vocant Æthiopes: ita color albus eisdem Aspros dicitur. Nec recens adeo vocabulum hoc esse, paret ex glossario perueteri, quod Aspraturam interpretatur Graeca voce κόλλυβον, hoc est, monetam minorem: cuius generis aspri seu bianchi vel in primis sunt, cum quibus collybistae siue nummularii monetam maiorem, tam argenteam, quam auream, commutare solent. Aspros autem voco, Latinam vocem Nummulos respiciens, quae subintelligitur. Nam Graeci quidem Aspra dicunt. Et sunt duplicia, maiora minoraque. Minora vulgo in vsu sunt, maiora vocantur peculiari voce Siderocapsia. Quippe Siderocapsa nomen est opidi, quod e regione Thassi situm est, prope montem sanctum, de quo paullo ante dictum. Eo loco tam auri, quam argenti fodinae sunt, (vnde Chrysiten Liuii putat esse Bellonius) & aspra signantur, ceteris maiora, quibus ab opido Siderocapsiorum mansit hactenus adpellatio. Recipit haec tantum Sultanus Turcorum, & suis thesauris infert. Eadem erogat in militum ministrorumque suorum stipendia. Minora plane non admittit, quidquid tamdem ei soluendum sit. De iperperis obseruanda primum vitiosa scriptura. Non enim iperpera scribi debent, sed hyperpyra. Pulologus noster hyperpyri vocem habet. Manuel Musicius Atheniensis interrogatus a me, quanti putaret aestimandum hyperpyron: respondebat, propemodum par huius pretium esse Marcelli argentei Veneti pretio. Quidam Italico nummo Iulio putant aequandum. Equidem accurate pretium supputans, hyperpyron inuenio valere nouem cruciatos seu quarantanos. Incolae Cyprii regni prius, quam barbarorum subirent iugum, in quinque diuersa hominum genera distribuebantur. Horum aliis omissis, quod huic instituto nostro quadrat, exponam. Infimi generis adpellabantur Pariki, condicionis homines seruilis, vsque adeo dominis obligati propemodum vt vitae necisque potestatem in eos haberent. Nomen ipsum Pariki, Graecae originis est. Nam πάροικοι dicuntur Graecis coloni, sicut & Iustiniano Augusto παροικικὸν νόμιμον, ius colonarium est. Secundum hos proximi vocabantur vulgo Lefteri, qui quidem & ipsi Paricorum seu colonorum erant e numero, sed qui vel interueniente pecunia, vel gratia dominorum, vel alia quadam via libertatem impetrauerant, diuersa tamen ratione. Quippe nonnulli absolute liberi efficiebantur, quum alii personali dumtaxat libertate potiti, nihilo minus rerum suarum nomine dominis essent obligati: puta, quotannis vt soluerent principibus aut nobilibus viris, 15 vel 16, plus aut minus, perpyra: (sic enim corrupte vocabant) cuius in perpyris numerandae pecuniae caussa, Perpiriarii dicebantur. Adgnoscit, opinor, voces lector deprauatas, quum & hyperpyra dici debeant, & Eleutheri, qui liberi sunt, & Hyperpyrarii, qui singulos in annos hyperpyra soluunt. Si quis denique pretium hyperpyrorum cognoscere cupit, expendat haec Beluacensis verba, de libri 30 capite 143: Terra Soldani valebat ei cottidie 400000 iperpera, id est, 57000 marcas argenti. Sed prius scripturae tollendum vitium, pro 57000 marcis argenti, 5700 marcas vt reponamus. Et nihilo minus haec ipsa summa prouentus cottidiani tanta videtur esse, paene fidem vt mereri nequeat. Sed enim pergendum ad alia. Quam diximus dramam, pro certi ponderis apud Turcos nomine lector accipiat, quod quidem ex drachmae vocabulo Graeco mutilatum est. Ipsius ponderis rationem in aspris iam exposuimus. An vero Turcicum antiquo ponderi Graeco respondeat, disputare nunc religio est, ne lectori nimium velut extra metas vagando molesti simus. Scachi perquam frequentes in Turcia sunt hoc tempore, moneta Persici Scachi siue regis, vnde nomē habent, Turcorum hostis acerrimi.

Singuli valent aspros Turcicos octo. Sultanini ex auro sunt, quondam adpellati Soldani. Sic enim apud Beluacensem loco iam indicato legimus, argentariæ fructum in Lebena (non procul a Sebastia) fuisse tres rotas argenti depurati, hoc est, tria millia Soldanorum. Eiusdem cum Soldanis erant tum ponderis, tum pretii, qui Græcorum imperatorum temporibus Byzantii nominabantur, & Byzantini: characteris dumtaxat ratione diuersi. Consimiliter & Seraphini, quos primus ex Soldanis Ægyptiis signauit Melechseraph, a quo nomen etiam hoc consequuti sunt. Chrysini Græcis a chryso dicuntur, vt ab auro nobis aurei: quod imitati Turci, suos siue ducatos, quod nomen a Venetorum Ducibus profectum arbitror, siue Sultaninos, ab Altum vocauerunt Altumler. Chrysinorum quidem in aliquot Græcis & Asiaticis monumentis antiquis nomen obseruauimus, quæ alio lectores habituri loco sunt.

Quod Ægyptias, Arabicas, Syriacasque monetas adtinet, harum quoque nunc mutata ratio: sicut ex hac consignatione D. Hieronymi Beck a Leopoldstorf videre est, qui pretia singularum notauit, vt erant anno 1551, quum illas terras perlustraret. Zibit, æreі nummuli perexigui, signa potius sunt, quam moneta. Duo valent vnum Direm, qui & ipse nummus est æreus. Duo Direm valent Nuccarum vnum, qui nummus est æreus maior, cum litteris Arabicis. Nuccari quatuor valent nummulum argenteum, quem Arabes Osmannum, Turci Achs, Græci Aspron vocat. Nuccari sex faciunt nummum argenteum maiusculum, quē Maidinum vel Cattam nominant. Maidinus vel Catta, Osmannum vnum cum dimidio facit, & quatuor Marchettis Venetis æstimatur, vel octo Bezziis siue nigris nummulis Germanicis, quorum tres conficiunt vnum cruciatum. Scachi, maiores argentei nummi, quorum singuli quatuor maidinos; decem vero, Turcicum aureum valent. Altum, aureus Turcicus, valebat id temporis XL maidinos, vel aspros LX. Coronati aurei pretium erat, maidini XXXV. Horum vero quam nunc sint aucta pretia, deprehendere lector ex superius indicatis potest.

Obiter denique huic explicationi de monetis adiungitor, Sultanos Turcorum tam in ipsis auspiciis imperii, quemadmodum Spanduginus memoriæ prodidit, quam victoriis potitos illustribus, aut natis heredibus masculis exsultantes, sicut in annalibus hisce nostris passim animaduertere licet, aspros nouos signare solitos. quod quidem vbi factum est, vsum asprorum veterum interdicto publicato prohibent. Quapropter ab omnibus ad rei monetariæ præfectos deferuntur veteres, ac pro duodecim veteribus aspri decem noui soluuntur. de quo sane lucrum Sultanis haud exiguum prouenit. Inquisitores etiam constituuntur, qui an aliqui veteres aspros retineant, obseruent. Hi variis vtuntur fraudibus, & multa nequiter committunt. Eius autem lucri caussa Muchemetes II, qui Constantinopolim cepit, singulis X annis aspros signabat nouos. Fortasse tamen hoc etiam fecisse videri possit ad imitationem antiquitatis Romanæ, cuius in nummismatis toties est reperire vota decennalia, vicennalia, tricennalia. Non enim dubium est, Muchemetem secundum, quem diximus, velut in ipso successorem imperio, multa priscis in Augustis, quos pro decessoribus suis habebat, ex ambitione quadam æmulari voluisse.

SVGVTZVC, GERLĖ, BOLI.

19. Dicit auctor annalium existimari vulgo, sepultum Osmanem ad Sugutzuc, qui locus a salice nomen habeat. Narrat autem Laonicus, esse vicum iuxta Mysiam, quem incolæ Sogutam vocent, vbi flumen sit eiusdem nominis. In hoc vico tradit aliquamdiu habitasse Oguzios, & ipsum Othmanem domicilium ibidem habuisse. Putabatur igitur istic conditus, vbi plerumque degere solitus fuerat. Addit etiam, posse locum adpellari vicum Itææ. Sic enim reddidit interpres, secum in errorem & alios abripiens. Non enim Itææ, sed salicis vicum dicere debuerat, quæ Græcis itæa vocatur. Germani, quorum lingua componendis nominibus per est idonea, Falberdorf interpretarentur. Sed notandum, a Laonico post Sogutæ vocem, omitti alteram Turcicam Gui, duarum syllabarum, quæ vicum

seu pagum significat. In annalibus nostris Sugutzug legitur, voce nouellas siue teneras salices significante, vel salicetum potius: sicut iisdem Turcis Belezug tenerae siue nouellae quercus sunt, aut quercetum: quod ipsum quoque nomen est opidi Anatolici, cuius infra meminit annalium auctor. Hinc etiam pagi Osmanzug, vel Othmanzug, nomen deriuo: veluti quo significetur Osmanis siue seminarium, siue plantatio. Apud Abrahamum Ortelium in tabula Natoliae legitur Othmangiuch, quod tribus syllabis Italico more pronuntiatum, idem est cum Othmanzug. In itinerario Busbequii legitur Othmanlick, deprauate puto, quum Otmansick vel Othmansuck ab ipso scriptum fuerit: vt posterius hoc V Gallicum habeat, Turcis etiam vsitatum. Longius ab origine vocis recedunt, qui Otmanic scribunt. De Boli, tam regione, quam opido, supra diximus numero 13: Bellonius opidum priscis Abonitichos dictum putat. Gerle non procul a Boli opido distat. sed in Ortelii Natolia puto non recte scribi Gerede, pro Gerele, quod idem est cum Gerle.

SANGIAC, SANGIAC BEG. MESCHIT, VEL Meszit. Dsiuma, siue Zuma. Imaret. Candri. Cangri. Chiangare.

Sangiac dissyllabum, siue Sanzac, Turcis vexillum significat. Sunt autem ipsis loco vexillorum siue signorum militarium, globi, aerei deaurati, summo in hastili defixi: circumplexis ac dependentibus vndique seu crinium colligatorum manipulis, seu caudis equinis. Vertici pomorum siue globorum, quos diximus, nonnumquam luna crescens imponitur. Huiusmodi signa militaria plura gestari vidimus ante bassam seu beglerbegum Temesuarensem, quum is nobis Constantinopolim ituris occurreret in planicie, post descensum a montis Haemi clisuris, non procul a Tatarbasare, qui locus a foro Tatarorum nomen habet, ad tertium a Philippopoli lapidem: vbi nos praetereuntem regio cum comitatu, magnoque camelorum & aliorum iumentorum numero, (summarios corrupte vocat Beluacensis, qui Graecis samarii sunt, & sagmarii, & sagmatarii) vidimus. Ab his signis militaribus dicuntur Sangiacbegi, prouinciarum scilicet praesides, siue praetores: qui quum ad expeditiones suscipiendas mandato Sultani euocantur, curant ante se signum eiusmodi, quale diximus, cum strepitu tympanorum, & aliorum instrumentorum, quibus vtuntur valde stridulis, gestari. Graeci Turcicum illud Sanzac, flambarum & flambulum adpellant: Sanzacos autem, flambulares. Leo Sapiens, Imp. Aug. librum de adparatibus bellicis scripsit, conuersum liberius, quam par erat, in linguam Latinam a Ioanne Checo Anglo, quem Graecum habemus. In eo Flamulum, quo Cedrinus etiam vtitur, & forma deminuta Flamuliscium, & Flamulares reperiuntur, nomina Graecis & Turcicis hisce respondentia. Non enim temere dictum a nobis, simias esse Graecorum Turcos, in rebus plurimis: maxime quae spectant ad officia militaria, prouinciarumque praefecturas ac praesidatus, & earum distributiones. Messitae seu Meszitae Turcis proprie templa dicuntur, e lignis fabricata: qualia scilicet ab eis exstruebantur, quum necdum imperii creuissent opes. Zuma vero, (cuius vocabuli supra quoque facta fuit mentio) templum significat amplum, operis lapidei. Medressa quid sit, quid Imaretum, Gauderius ipse tam heic, quam aliis in locis, in ipso contextu exposuit. Nimirum xenodochia sunt, vt est videre apud Busbequium, haud inelegantet constructa, suisque distincta cubiculis: in quae non modo Turci diuertunt, sed etiam aliis quibusuis homines addicti de religione sententiis. Quippe nec Christianus quisquam, nec Iudaeus, seu diues, seu mendicus, ab iis arcetur. Bassae quoque, ac sangiaci, quum peregrinantur, illis vtuntur. Mos ita fert Turcorum, vt singulis, qui eo diuertunt, cibum praebeant. Quum cenae tempus adpetiit, adest minister cum ingenti ligneo disco, qui mensae instar videri potest. Hoc patinae plures continentur, impletae vel oriza cocta, vel decocto ad cremorem ordeo, addito carnis plerumque veruecinae frusto. Circum patinas positi panes sunt, & nonnumquam aliquid faui. Sumit ex his, qui vult. Ac fas est peregrinantibus, his cibis toto triduo gratis frui. postea mutandum hospitium:

Sane Turcici proceres maximis impensis exstruere potissimum student hæc septem: Messitas, imareta, Græcis Maratia, carauāsaraia; balinea publica: quibus etiam pulcherrimos fontes adiungunt, in ceteris, ad vsus hominum iumentorumque cottidianos; in messitis, ad lustrationes vel ablutiones quasdam peragendas prius, quam templa sua siue messitas ingrediantur. His adde fluminum pontes, & vias publicas, lapidibus stratas. quæ quidem omnia perinde spectabilia sunt apud Turcos, & eximia: sicut apud Anglos ista, versu comprehensa veteri:

Mons, & fons, & pons: ecclesia, femina, lana.

Propemodumque licebit & Turcica disticho complecti:

Messita, maratium: carauansaraia, lauacra,
Fontes, & pontes fluuiorum, strata viarum.

Obiter hoc etiam addo, Constantinopoli Messitis, quæ istic numero plus minus quadringentæ sunt, tot huiusmodi adiuncta esse maratia: vt si quis in vno triduum victitet, ac deinde pergat ordine ad cetera, totius anni spatio vel inuisere nequeat omnia, vel omnium vti beneficio. Sequitur etiam paullo post hunc locum in annalibus explicatus imaretorum vsus, quum narrant, ipsummet Vrchanem in exstructo ab se imareto cibos distribuisse.

Candria regio sita est ad Pontum Euxinum, inter Bithyniam, & Pontum, hoc nomine, prouinciam: vbi & opidum Candria reperitur in Ortelii Natolia, situm eo plane loco, quo Dedacana vetus a Nicolao Sophiano ponitur. Diuersum ab hoc opidum est Cangri, versus Amasiam siue Cappadociam, quod olim Gangra nominabatur, vnde Turcis & regio Chiangare dicta.

ZERCOLAE, TAM ALBAE, QVAM RVBRAE.

21. Zercola capitis e filtro tegumentum est, latam auream fimbriam habens, qua parte capiti imponitur: de penulæ manica tegminis ipsius petita forma, sicut ipsimet aiunt Turci. Superiori Zercolæ parti, sesquispithamam altæ, caput inseritur: inferior a vertice capitis infra ceruices in dorsum non aliter ad tres spithamas vsque demittitur, ac feminarum Gallicarum tegmen, quod Chapperon ab eis dicitur. A media fronte surgit oblonga quædam quasi vel fistula vel vagina ex ære, partim deaurata, partim argento foris obducta, cui gemmas inserunt, non magni tamen pretii. Hæc Zercola Genizaris albi coloris est, aliis nonnullis rubri, de quibus alio dicendum loco. Fistula siue tubulus excipiendo cono de pennis auium facto seruit, vel belli tempore, vel quum satellitio suo Sultanum stipant.

MVSVLMANI, MVSVLMANISSARE. MAGARISsare. Turci. Laonicus emendatus.

Musulmanos dici se volunt Mahumetani, tamquam recte credentes: vt A-
22. rianicis temporibus ceteri Christiani, quotquot abominabantur eorum furores, Orthodoxorum nomen profitebantur. Ac tametsi Mahumetanis honestissima sit Musulmanorum adpellatio, principibus ipsis Musulmanorum Sultanos se nominantibus, vti frequenter apud Prætorem nostrum videre est: tamen Græcis vicinis, vt Christianis, erat exsecrabile nomen, qui verbo Musulmanissare de omnium grauissimo apud Christianos flagitio desertæ religionis vtebantur: cuius etiam vim declarantes, aliud Magarissandi verbum adhibebant, quod significat stercore faciem conspurcare. Cedrinus, aliique scriptores historiæ, cum iis, qui ius Canonicum orientalis ecclesiæ tractarunt, vtroque vtuntur. Osmanici tamen adfectant hanc adpellationem, & Turcos se dici nolunt. Quo de vocabulo facere non possum, quin Philippi Mornæi sententiam exponam, ex libro eius Gallice scripto, de veritate religionis Christianæ contra paganos, Iudæos, Mahumetanos, & alios, cui similis in hoc argumenti genere nullus antehac prodiit. Nam eadem opera de Turcorum etiam origine quiddam non temere reiiciendum intelligemus. Ait ergo Mornæus, Israelitas fuisse transportatos, etiam Herodoto teste, vltra Mediam, ad regiones id temporis inhabitatas: & ab eis partim Colchos originem duxisse, qui Herodoti tempore circumcidebantur: partim Tataros, qui circa annum Christianum 1200 ductu Zingis Chanis velut inundatione quadam or-

dam or-

dam orbem terrarum obruerunt, & imperium deinde Chanis illius Chitaini constituerunt. Erant autem, inquit, hi circumcisi prius etiam, quam Mahumetis nomen audissent: eoque procliuiores fuerunt ad amplectendum legem Mahumetis, quod ex parte cum ipsorum religione conueniret. Vox ipsa Tatari siue Totari, lingua Syriaca reliquias siue residuos significat, ait. Inter hordas quoque Tatariæ, versus partem eius magis aquilonarem, nonnulli nomina Dan, Zabulon, Nephtali, retinuerunt. Vnde non est, quod miremur, tantam Hebræorum esse copiam in regionibus Russiæ, Sarmatiæ, Lithuaniæ. Putat etiam, eo plures istic Hebræos inueniri, quo propius ad Tataros accedatur. Equidem vt obiter aliquam de meo velut symbolam his adiiciam, adulescens in Liuoniam, necdum collegio Teutonicorum equitum dissipato, a Cunrado patre missus ad Albertum patruum, quum alia istic animaduertere memini: tum etiam versus Lithuaniam, in vicinia metropolis Rigæ, (quæ in edito Laonico vitiose transpositis litteris scribitur Vcra, pro Ryca: sicut ibidem pro Euphlaste reponendum Eiflante. Sic enim Germani ceteri vocant Liuoniam, Saxones nostri Liflandam. Gallicus interpres Vcram vult esse Nouogrodiam, puerili errore: quum dicat auctor, suis vrbem legibus & libertate frui: ab optimatibus regi: ad mare sitam esse: Danos, Anglos, Gallos eo cōmerciorum causa nauigare: quæ de Nouogrodia intelligi nequeunt) in huius ergo Rigæ vicinia, nationem quamdam esse barbaram Lettorum, a ceteris Liuoniæ barbaris incolis, Curonibus & Estonibus, lingua plane discrepantem: qui perpetuo in ore quasi lamentationem quamdam habent, quam vociferando per agros adsiduo repetunt. Ieru Ieru Masco Lon. quibus verbis Ierusalem & Damascum intelligere creduntur, ceterarum in antiqua patria rerum, tot a sæculis, & in remotissimis ab ea solitudinibus, obliti. Ad Mornæum vt redeamus, putat hoc idem non minus esse vero simile de Turcis, quam de Tataris: quum nomen ipsum Turcorum Hebraica lingua significet exsules, & contumeliosum apud ipsos habeatur. Viderique Mahumetem non abs re, ne populos illos longe numerosissimos offenderet, qui tum temporis incipiebant se commouere, retinuisse circumcisionem, lustrationes, & alias quasdam legis Mosaicæ cærimonias.

GENISCHEHER, GOINVC, CARASI, COSRI, Bergama, Edremit, Gelipoli.

Opida sunt Isnicæ vicina, Genischeher & Goinuc, vel Guinuc trisyllabum, 23.
vt heic in archetypo scribitur. Illud nouam ciuitatem significat, & in Ortelij Natolia, sicut & Busbequio, Ienisar vocatur, vt supra dictum numero 17. Goinuc in eadem Ortelij Natolia reperitur. De Carasi exposuimus antea numero 13. Cosri cum Caristo Natoliæ puto eadem est. Bargama vetus est illa, celebrisque membranarum nomine Pergamus, Galeni medici patria. Quæ Turcis heic Edremit, olim dicebatur Atramyttium, Leoni Augusto episcopatus Ephesinæ metropoli subditus. Nautæ nostri vocabant nomine magis corrupto, Landemiti: quod propius ad originem suam accederet, si lingua sua, hoc est Italica, dixissent L' Adremiti. Nobis quidem articuli cum ipso nomine confusio perdifficilem reddebat de adpellatione veteri coniecturam. Sunt autem hæc Troadis opida. De Vlubat superius quædam numero 16 notauimus, infra daturi plura. Paullo post Gallipolim dixi, more nautarum nostrorum, quum Turcis Gelipoli nominetur. Ridicula sunt somnia Nicolai Nocolaidis Delphinatis, de nomine atque origine huius vrbis: quum a C. Caligula conditam, ab eodem nomen accepisse tradit. Mox opinione mutata, quod fuerit a Gallis exstructa, Gallipolim vult dictam, ceu Gallorum ciuitatem: perinde ac Philippopolis sit Philippi ciuitas, Nicopolis quasi Nicolopolis, Nicolai ciuitas: perbelle, ne dum Gallos suos ornat, suimet obliuiscatur. Non enim aliam in Græcia reperimus vllam Nicolopolim, quam hanc: cuius vt auctor est Nicolaus Nicolaides, ita merito nomen hoc ei relinquamus, vt a duplici Nicolao, Nicolopolis adpelletur. Sed omissis iocis, amplius cccc annis ante C. Caligulam apud Xenophontem nostrum ciuitatis huius sit mentio. Nec a Gallis etiam condita fuit, sed ab Atheniensibus: quorum

dux Callias, initio struendæ dato, promeruit: vt ab ipso Galliupolis, (Calliopolim fere Latina consuetudine vocamus) ceu Calliæ ciuitas, diceretur. Episcopatum huius ad Heraclienſem Thraciæ metropolim Leo imperator in Thronis refert.

DE PRIMO TVRCORVM IN EVROpam transitu. De castellis, Zemenic, Chiridocastro, Maitò.

24. Prius, quam de castro Zemenico dicatur, recitabimus heic verba Laonici de prima Turcorum in Europam transiectione, cum quibus deinde locum hunc annalium conferemus. Capto, inquit Laonicus, præsidio Cherronesi, & Madyto, in Thraciam Turci progressi sunt, vsque ad fluuium Tænarum. Notetur in his verbis interpretis oscitantia, qui præsidium Cherronesi dixit, pro Cherronesi castro. Id castrum accipi non potest de Dardanellis. Nam eas arces, quæ duæ sunt, non vna, Muchemetes II exstruxit post captam Constantinopolim, vel ipso teste Chalcocondyla. Ergo Cherronesi castrum illud intelligitur, quod versus Ægæum mare duobus abest milliaribus Græcis vel Italicis a Maito, versus Propontidem vero duobus & viginti a Calliupoli. Et Maitos hodie dicitur eiusdem Cherronesi oppidum, ne Xenophonti quidem ignotum, cui Madytos adpellatur, sicut & Laonico, tribus dumtaxat a Dardanellis versus Ægæum distans milliaribus. Prætor Græciæ noster Asty vel vrbem Madytorum nominat, sicut & Leonis Augusti nouella de Thronis Madyta pariter, & Madytum dixit. Castro autem, quo de agimus, nomen est apud Græcos Chiridocastron. Hellespontus istic vsque adeo in angustum cogitur, vt a litore Asiatico Cherronesiacum Europæ tantum vno milliari Græco disiungatur. Hoc igitur in loco Turci primum ex Asia transmiserunt in Europam, & industria quadam Zemenicum, vt ipsi narrant; Chiridocastron, vt Græci; a captiuo quodam Christiano ducti occuparunt. Inde dissitam ad alterum lapidem adorti Madytum, quam incolarum frequentia territi tentare prius ausi non fuerant, quum hodieque supra CCC Græcorum domos habeat, & ipsam in potestatem redegere. Nos istic in itinere nostro vinum coloris rubri comparabamus, quod mensibus aliquot durante nauigatione, variis in malis, & nausea perpetua, præcipue nos recreabat. Nicolaides, de quo paullo ante diximus, fabulas vt de Galliopoli, sic etiam de hoc castro, nobis obtrudit. Narrat enim, dici castrum viduarum, ex huiusmodi occasione. Quum Turci, ait, ope duorum mercatorum Genuensium Hellespontum transmisissent, pro singulis capitibus transportandorum solutis duobus ducatis: primum omnium in Europa castrum hoc ceperunt, in quo mares omnes immani sæuitie contrucidarunt, vita femillis tantummodo cōdonata. Qua de causa nomen ei deinceps mansit, vt castrum viduarum adpelletur. Hoc si verum esset, adpellandum erat Græce Chiron castron, vel Chirocastron, quod nomen ipse non posuit. Sed satis animaduertit peritus historiæ lector, in ipso fabulæ peccatum initio. Non enim ad primum in Europam Turcorum transitum pertinet illa de Genuensibus historia, sed ad insequentia tempora, sicut suo loco deinceps numero 87 indicabitur. Deinde Chiridocastri nomen exstitisse constat etiam prius, quam Turci transmisso Hellesponto castrum ipsum occupassent. Erat in naui nostra senex multarum rerum peritus, Antonius Meliensis, Græco patre natus in Melo insula (Milon Græci pronuntiant) conductus a Nauarcho, vt index itineris interdiu noctuque nobis esset, quem Podotam Græci nunc dicunt vocabulo peculiari, quod in Pulologo reperitur, vulgus nautarum Pelotam vocat. Is mihi, quum Calliupoli relicta, iam XXII milliaribus emensis, Chiridocastrum præternauigaremus, & ruinosi castri nomen significabat, & historiam non friuolis de causis obseruandam commemorabat. Quo, inquit, tempore Turci primum hasce freti Hellespontici transmiserunt angustias, vt Asia potiti, Europæ regiones inuaderent: hoc ipso castro, quod vides, in potestatem redacto, primū in Europa pedem fixerunt. Eius rei nuntio, summa celeritate, Constantinopolim perlato: tanta Græcorum, maiorum

nostrorum

nostrorum arrogantia, tanta securitas fuit: vt minime cogitarent de castro mox recuperando, & eijciendis prius ex Europa Turcis, quam maiores in ea vires adquisiuissent, altiusque suas egissent radices: sed accepti damni grauitatem verbis eleuando dicerent, esse dumtaxat amissum stabulum porcorum. Ludebant enim, vt Nazianzeni nostri verbis vtar, in rebus minime ludicris: ridebant, in rebus minime ridiculis, sed deplorandis potius: dum ex Chirido castro per iocum, stabulum porcorum faciebant. Græcis enim Chiridia dicuntur porci. Sed risus iste tandem in amaras conuersus fuit lacrumas. Audiamus maiorem nunc ex eiusdem Antonij narratione Græcorum insaniam. Venit inde, non magno temporis interiecto spatio, Turcorum in potestatem & Calliupolis, vt in his annalibus quoque recitatur: Græcis interim altum dormientibus, nec de rationibus occurrendi conatibus hostium vel tantillum sollicitis. Quid fit? Huius etiam detrimenti accepti nuntius Constantinopolim venit. Tum magis vt Græcos dementes cerneres, amissam illi Calliupolim flocci facere, iacturam publicam reapse magnam, verbis secordiæ plenis extenuare, non nisi amphoram vini a Turcis ereptam sibi dicere. Sed eos Turci paucis annis in Thracia fecere progressus, vt huius Soleimanis bassæ, qui Calliupolim tunc eis eripuit, fratris filius Baiasites, occupatis etiam suburbanis agris, Constantinopolim pluribus annis obsideret: quam quidem omnino redacturus erat in potestatem, ni Tatari Temiris interuenisset expeditio Baiasiti fatalis: qua prosperrimi Turcorum successus aliquamdiu diuino consilio fuerunt inhibiti, ne ante tempus a Deo destinatum, imperij Græci reliquias deuorarent. Hæc narratio licet in historiis Græcis non exstet, dignam tamen censui, quæ memoriæ proderetur: vt ex ea nostri homines exemplum capiat, nobis quod ex vsu sit. Vtinam ne nos etiam modo tam altum, veterno Græcorum correpti, sterteremus, vix vt expergisci possimus: dum non Chiridocastra, porcorumve stabula, sed hactenus inuicta Christianorum propugnacula: non Calliupoles, aut amphoras vini, sed Pannonias, sed Cypros, integra regna scilicet, amittimus. Sed reprimo me. Nam plura vetat dolor, & ominis infausti metus.

TRITVRANDI MOS APVD GRAECOS, ET Asiaticos. Bolair. Asprolimiona.

Arearum in quas messis tempore segetes tam in Græcia, quam in Asia, colliguntur; & ipsa triturandi ratio, huiusmodi est. Solent illarum regionum incolæ, 25.
postquam demessæ fruges sunt, non domum eas ex agris, more nostro, granis necdum excussis, in horrea conuehere: sed in aream quamdam sub dio comportare. Deinde sparsis per aream manipulis frugum boues & bubalos immittunt, qui dum pedibus subiectas proterunt, aristis grana nullo negotio excutiuntur. Et solent hæc sub dio fieri, extra pagos & opida. Semper autem mos hic apud orientales triturandi fuit, inde vsque ab antiquissimis temporibus, sicut & in sacris libris interdictum vetus reperitur: Os boui trituranti ne obligator. Secundum hæc mentio fit expeditionis Turcorum, primum mari, nauigiis oram Cherronesi versus Ægæum legentibus, & prætèrito Rumeliæ vel Europæ promontorio, sinum Magarisium (sic a fœdis tempestatibus ac pluuiis dictum, quæ illis in regionibus existere boreis flantibus solent, quum apud nos aquilo serenitatem aëris ferat) intrantibus, vbi Cherronesi latus alterum, longo tractu, in mare se porrigit: deinde terra, missis equitibus, qui cum Edzebego planiciem Cherronesi versus amnem Maritzam peruagarentur, & album ad Portum naualibus se cum copiis coniungerent. In his verbis obseruandum illam Bolairis planiciem Turcis dictam, Prætori Græciæ nostro vocari Bolerum, qua scilicet per ipsam Cherronesum, Hadrianopoli procul ad dextram relicta, cum Didymoticho, versus Ænum opidum, & Maritzam fluuium, quondam Hebrum dictum, ac longius inde Thessaliam versus itur. Nam a Chiridocastro siue Zemenico, per excurrentis in mare Cherronesi campos, ad Maritzam fluuium, & illum maris sinum, in quem se Maritza siue Tænarus, vt Laonicus de causa deinceps exponenda vocat, propter Ænum ciuitatem effundit, directum iter non magnum est. Quippe Thra-

cica Cherronesus instar linguæ se porrigit in Ægæum mare, tam angusto terræ continentis spatio: sex tantum vt milliaribus Græcis distet Hellespontus a sinu Magarisio, qui est ab altera Cherronesi parte: quibus a sex milliaribus etiam dictum est Hexamilium Cherronesi, sex tantummodo milliaribus Græcis a Calliupoli dissitum: vt alterum celebrius illud Hexamilium Isthmi Corinthiaci totidem patet in latitudinem milliaribus, & vtrimque gemino similiter a mari alluitur. Begi vocabulum, quod heic Edzi cuidam ex proceribus Turcicis tribuitur, interpretati iam ante sumus. Hoc tantum lector obseruet, planiciem Bolairensem, siue Bolerensem, vt Prætor vocat deinceps apud Turcos Edzeæ planiciei vel Ezeæ nomen ab hoc Edze bego consequutam, vt infra, certis ex locis horum annalium, parebit. Portus Albus denique Græcis est Asprolimiona.

DE OPIDIS CHEREPOLI ET ZORLI. CIVITAtes Cherronesi, ab Europæ promontorio Constantinopolim vsque, cum interuallis vnius ab altera.

26. Quæ opida Thraciæ Cherepolim & Zorlum Turci vocant, Græci dixere Chariupolim & Tzurulum. Chariupolis siue Chariopolis, perinde ac supra de Calliopoli dictum, ab Atheniensi Charia conditore fuit adpellata. Nam præpotens mari populus Atheniensis ante bellum Peloponesiacum, propter amplitudinem classis, & vsum rerum naualium, Cherronesum cum maiori parte maritimæ Thraciæ ac Macedoniæ, cum Perintho, (nunc Arachlea, quod idem est cum Heraclea) cum Selybria, cum ipso Byzantio, possidebat: in eaque loca, semel occupata, colonias deducebat: Thucydide, Xenophonte, atque aliis, testibus. Prætor Græciæ noster Chariopolim commemorat, & quo sita loco sit, indicat: dum ordine ciuitates has in Cherroneso recenset, Heracleam, Panium, Rhædestum, Chariopolim. Meminit & Cedrinus in Constantino Monomacho Augusto, vbi de Patzinacis in Macedoniam profecturis explicat. Leo Sapiens Augustus in Nouella de Thronis, Heracleæ metropoli, quam Thraciæ Macedoniæque simul adtribuit, velut in confinio sitam, inter alios episcopatus, hos subijcit: Madytum, de qua diximus, Rhædestum (nunc Rhodostum) Panium, Hexamilium, (nunc Xamilij) Calliopolim, Peristasim, Chariopolim, Tzurolloën, (nunc Zorli) & Athyra, qui nunc Pons grandis nominatur. Quod si lubet intelligendarum historiarum caussa nosse interualla horum opidorum, vt ordine sita sunt ad litus Hellesponti ac Propontidis, inde a Dardanellis, vbi fauces Hellesponti sunt, in Ægæum cursu rapido semet exonerantis, ad ipsam vsque regiam vrbem Constantinopolim: hæc peraccurate computata illius, quem dixi Meliensis Antonij studio, notabis.

A Rumeliæ, vel Romaniæ, Græciæve promontorio, quod extremum est in Europa propter Hellesponti angustias, ad arces faucium, siue Dardanellos, milliaria Græca sunt 18

A Dardanellis Maitum vsque,	M. 3.
Maito Chiridocastrum,	M. 2.
Chiridocastro Calliupolim,	M. 22.
Calliupoli Hexamilium,	M. 6.
Hexamilio ad S. Georgij promontorium,	M. 6.
A S. Georgio Peristasin,	M. 6.
Peristasi Arachlizam,	M. 7.
Arachliza Myriophytum,	M. 7.
Myriophyto Coram,	M. 6.
Cora Gainum,	M. 4.
Gaino Rhodostum,	M. 25.
Rhodosto Arachleam,	M. 30.
Arachlea Silyuream,	M. 20.
Silyurea ad Pontem grandem,	M. 15.
A Ponte grandi ad Pontem paruum,	M. 10.

A Ponte

A Ponte paruo ad S. Stephanum, M. 10.

A S. Stephano ad Heptapyrgium, siue Iadiculam, vel arcem septem turrium, sitam in extremo vrbis Constantinopoleos ad Propontidem angulo, M. 5.

Ab Heptapyrgio ad Sultani saraium, vbi alter est vrbis angulus ad Bosporum, Propontidi semet infundentem, M. 7.

Tzurulus, (Castaldo Chiorli, Busbequio Chiurli) quam Leo imperator Tzurolloën vocat, nonnihil a Propontide versus mediterranea distat, a Selybria maritima sex plus minus horarum itinere. Nos istic satis commode diem ac noctem egimus. Fallitur in Selime primo Iouius, & auctor annalium Silesiæ Cureus, qui pagum ignobilem & obscurum vocant: quum hodieque sit opidum, & a Prætore dicatur Asty, quod ciuitatem significat, ac in Græcorum historiis etiam Mauricij Augusti temporibus, ante CIↃ scilicet annos, mentio Tzuruli fiat, vbi dicitur, Chagano cum infinita multitudine Thraciam ingresso, Romanorum ducem territum, in castello Tzuruli, tamquam loco munito, se conclusisse. Nam hæc ipsa leguntur apud Zonaram verba.

EVRENOS, ET CETERI TRES APVD TVRCOS illustrium quatuor familiarum auctores.

Tradunt nostri, & in his Geufræus, Osmanem sibi tres fœderatos adsciuisse, quorum adiutus ope, cōpluribus opidis subactis, auctoritatem sibi potentiamque comparauerit. Horum duos fuisse Græcos, religionis Christianæ desertores, tertium vero Turcum. Græcorum vnus, Michaël nominabatur: alter, Marcos. Turco nomē Aurami fuisse scribit. Ab his propagatas esse tres familias apud Turcos, ceteris omnibus, secundum Osmanidas, nobiliores: a Michaële, qui Michalogli, quasi Michalides, dicantur: a Marco, qui Marcozogli, quasi Marcozides: ab Aurami, qui Auramogli, & Auramides. Nos hactenus horum in annalibus hisce mentionem nullam habuimus. Eurenosis nomen heic primum anno Christiano 1357 legimus, quem ex procerum numero fuisse non dubium est, quum begus adpelletur. Et Turcos heic quidē sequi malo, quibus Eurenos, quam Geufræum, cui Aurami vocatur. Vnde posteri quoque non Auramogli cum Geufræo, sed cum Turcis Eurenosogli, velut Eurenosides, sunt adpellandi. Michalogli serius his commemorantur in annalibus, & nominatim Mechemet beg Michalogli, dux Acanziorum, sub initium Muchemetis primi, anno Christiano 1414. Malcozogli longe post hos, anno Christiano 1480, quo tempore Bali beg Malcozogli nominatur, sub Muchemete secundo. Quartæ familiæ non fit apud Geufræum mentio, quam Turchan begus propagauit. Hoc nomen in his annalibus reperitur sub Murate II, anno Christiano 1433. Eurenoses apud Laonicum Brenezes scribitur, pro Eurenezes, aut Vrenezes. Idem Michaloglios etiam Michalines alicubi vocat. Malcozzides & Malcozogli cur a Turcis pro Marcozziis & Marcozoglis dicantur, scio: cur a Reineccio Malaconij, nescio. Eurenosis etiam posteri rectius Eurenosij vel Eurenesij vocabuntur, quam Ebrenes. Turchan begus Chalcocondylæ Turachanes nominatur. Nostra ætate nullam horum extra Malcozzios, & Michaloglios, mentionem inuenimus: & Michaloglioru͂ sane recentiorem, ex quibus Achmetes Acanziis præfuit in exercitu Soleimanis, ad obsidendam Viennam proficiscentis. Casanen vero Michaloglium triennio post in his annalibus expeditione Soleimanis altera contra Germanos, a nostris cæsum, magnis cum copiis, legimus. 27.

DIMOTVC. BVRGOSINE. BERGAS. Plagiari.

In vicinia Tzuruli, de qua dictum, Didymotichum Prætor cum aliis opidum ponit, a geminis muris sic adpellatum, Turcis mutilate Dimotuc: quod Nicetas Latine versus, Eurum fluuium ambire tradit, pro quo scribere debuit interpres Hebrum fluuium, cuius nomen in pluribus historiarum Græcarum locis ita corruptum reperitur. Opidi Dimotuci adpellatio ne hodie quidem est obscura, præsertim propter elegantissimos vrceolos, qui ab incolis elaborati, quum alia in 28.

loca, tum etiam Constantinopolim deportantur. Solent enim ex eis tam ipse Turcorum Sultanus, quam alij magnates, aquam haurire. Didymotichum nouella Leonis imperatoris Traianopolitanæ montis Rhodopes metropoli subijcit. Andronicus autem Palæologus II huius nominis imperator, ab episcopatu ad metropolis dignitatem in synhodo prouexit. Vicina Didymoticho est Burgosine, quæ Castaldo Bergas est, aliis vulgo Bregas, magis etiam vitiose. Nostri comites Turcici, quum istic essemus, Burgos adpellabant. Gerardus Mercator cum aliis ex Bergas facit Bergulam & Bergelen Ptolemæi, Bergulion Cedrini, & Arcadiopolim. Proximum ab hoc opidulum versus Hadrianopolim medij diei distat itinere, quod idem Castaldus Sitibabam nominat, quum a Turcis nostris Eskibaba diceretur: id est, Baba vetus. Soleimanes bassa mortuus eo casu, qui recitatur in annalibus, in pago non procul a Calliupoli sepultus traditur, cui nomen Plagiari. De monumento tamen eius nihil istic intelleximus, licet ad Calliupolim quatuor fere septimanis hęreremus. Obseruandum in annalibus, mortuum hunc Soleimanem duobus ante patrem Vrchanem mensibus: cui filius Murates natu minor, non Soleimanes successerit. Nam plerique Soleimanem inter Sultanos referunt, & primum huius nominis faciunt.

BELEZVG. CHELIL. CADILEscher. & Cadi Asker.

29. Belezuga locus est Anatoliæ, cui nomen a querceto. Significat enim vox ipsa nouellas quercus, vt adnotatum supra, numero 19. Zenderlu Chelil est is, qui edito Chalcocondylæ corrupta scriptura Chatites adpellatur, pro Chalites, quod ei nomen est apud Gregoram. Ex eo qui Halim facit interpres Laonici, errat: quum diuersa plane nomina sint Chelil & Ali. Vox Cadi Turcis iudicem significat, qui de causis litigantium aliquo in opido, vel vrbe, vel prouincia cognoscit. In Italia Potestatum vocant, cuius officij mentionem Prætor Græciæ noster facit, quo loco narrat Venetiis missum fuisse Constantinopolim nouum Exusiasten, (quo nomine significatur is, qui est cum potestate, ac iurisdictionem exercet) quem ipsi, ait, Potestatum nominant. Cadi vero Lescher, siue Lesker, significat iudicem supremum, qui Arabum Maurorumque lingua dicitur Cadi Asker: qua voce solent vti, qui elegantius loquuntur, vulgus altera. Erant autem prius in vniuerso Turcorum imperio duo tantum Cadilescheri. Primus Anatoliæ, alter Rumeliæ, hoc est Romaniæ vel Europæ. Sed a Selime primo tertius his adiunctus fuit, post subactos populos principis Aladeulis, & Sultani Cairensis, videlicet Ægyptios, Syros, Arabes, & Armeniorum partem: quæ regiones quum latissime pateant, etiam tertij huius Cadilescheri officium maioris est momenti, quam reliquorum. Habent autem imperium Cadilescheri ceteros in Cadios siue iudices, & Hoggias, & Talismanos: velut apud nos sub iurisdictioue Archiepiscoporum, episcopi, presbyteri, diaconi, continentur. Iidem & Cadilicatus siue iudicum officia (Potestarias Itali vocant) arbitratu suo conferre solent, sed ea lege tamen, vt constituti ab ipsis iudices, a Sultano confirmentur. Addendum & hoc, duos illos primos iudices maiores accepisse Turcos a Græcis, quorum (vti dictum sæpius) æmulati sunt imperij veterem formam. Quippe Græci etiam Dicastas siue Iudices Anatoles & Helladis habebant. Adeoque magna fuisse istæc officia vel ex eo patet, quod imperatrix Zoë iudicem Græcorum fecerit Constantinum Monomachum, cui tamen non multo post ipsa nupsit, & per nuptias imperium tradidit, sicut in eius vita Cedrinus scripsit. Idem in Paralipomenis, quæ necdum habemus edita, Iudicis Hellados (quæ Græcia est) ac Peloponesi, tamquam magno præditi officio siue dignitate, meminit.

SCACHIN. SIS OPIDVM. MERITZA FLVMEN.

30. Qui Turcis heic Lala Scachin, Laonico Saines vocatur. Et prædicat eum valde Laonicus, optimumque virum adpellat. Quænam vero sit illa Sis, cuius captæ fit mentio, videndum. Ponit Marius Niger in Thracia Sissopolim, quæ olim dicta fuerit Apollonia: ponit & Pinetus in Macedonia Sissopolim, quæ veteribus

fuerit

fuerit Apollonia Taulantiorum. Vtrius sit opinio melior, ipsi viderint. Equidem neutram harum accipi de Sis opido posse puto, quum Sissopolis Thraciæ versus Euxinum, haud procul ab Anchialo, quam nunc Achelò Græci vocant, collocetur: Macedonia vero remotior etaim sit ab illis locis, quæ huic proxima statuūtur, nimirum a Tzurulo & Burgosine. Restat igitur, vt aliud his vicinius opidum quæramus, quod Sis annalium sit. Hoc vero nobis monstrat Græciæ Prætor esse Cissum, non procul a Tzurulo situm, sicut ex his verbis eius adparet: Cepit Imperator Ioannes Ducas Vatatzes & Cissum castellum, & vsque ad eum fluuium, quem vulgus Maritzam vocat, limites constituit. Potitus est & monte Tugano, & opidulum in eo condidit: quò Nicolaum Cotertzen ablegauit, vt excubias ibidem ageret, & Latinis intra Tzurulum degentibus negotia facesseret: quod quidem opidum Tzuruli non magno tempore interiecto Romanis a copiis in potestatem redactum fuit. Quibus in verbis obiter & Maritzæ fluminis mentio fit, quod statim heic in annalibus etiam reperitur, & a Turcis Meritza nominatur. Sed Prętor paullo post, hęc de Maritza subiicit: Alij sedes constituebant versus inferiores partes, & eum fluuium, quem lingua vulgaris, vt antea dictum est, Maritzam vocat. Reapse quidem is Hebrus est, qui versus Ænum opidum excurrens, ibidem in Ægæum se pelagus effundit. Sed quia cum hoc & alij se coniungunt amnes, ac maiorem efficiunt: iccirco nomen etiam apud accolas mutat. Flumina vero, quæ Prætor ab Hebro siue Maritza recipi commemorat, alia non est necesse recenseri, quod Turcicis nostris illustrandis non seruiant: sed duo tantum præterire silentio non possum, quæ Hadrianopoli se in Hebrum exonerant. Vnius fluuioli nomen est Harda, nec olim, nec hodie celebris: alterius Tunsa, cuius faciunda fuit mentio, quod Chalcocondyles sæpe Tænarum nominet, sicut ex vita Muchęmetis II, quem Hadrianopoli regiam sedem vltra Tænarum, qua Hebrum illabitur, muniuisse scribit; & ex allegatis supra, num. 24, videre est. Quippe Tænarus fluuius idem est cum Tunsa, videturque nonnunquam Tænari nomen manere flumini, abolita Hebri adpellatione, ad ipsam Ænum vsque ciuitatem, vbi mare Ægæo miscetur. Hebrum denique Valizam nemo vocat, nec Mazeram: vt existimarunt Nicolaus Nicolaides, & Oliuarius.

YPSALA THRACIAE OPIDVM.

Post captam Didymotichum tradunt annales, Chazim Elim begum versus Ypsalam cum copiis perrexisse. Huic nomini simillimum est Cypsala, quod 31.
opidum ab Antonino in Thracia commemoratur. Alij Cypsellà scribunt, vti legitur etiam in Nouella Leonis Augusti de Thronis. Non procul ab Æno ciuitate collocatur, de qua mox dicturi sumus. Chypsala Sophiano dicitur, Chapsilar Bellonio, qui haud scio an non erret, similitudine nominis Chapse vel Chaphse deceptus, qui vicus exiguus est in itinere, quo Constantinópoli Didymotichum itur: vt infra parebit in extremo Baiasite secundo. Distat etiam ab Hadrianopoli, qua Selybriam tenditur, non magno itinere diurno quoddam opidulum, cui nomen Hapsala, nobilitatum messita & carauansaraio Mechemetis bassæ, ambobus sane pulcherrimis & sumtuosis. Eo nos in loco pernoctabamus. Sed vti diuersus est ab Ypsala, sic cum Castaldo eundem esse cum Capsa, statuere non possum.

YGNOS, AD MERITZAE FLVMINIS OSTIVM.

Hæc ciuitas Græcis dicitur Ænos & Oenos, quorum posterius ipsi pro- 32.
nuntiant Inos, vnde nomen Ygnos, quod heic in annalibus legitur, molli pronuntiatione litteræ N per Gn, Græcis, & Turcis, & Italis, & Hispanis, qui ñ scribunt, familiari. Inter metropoles vel archiepiscopatus Thraciæ refertur ab Imperatore Leone in Nouella de Thronis. Virgilius & alij Ænum ab Ænea post excidium Troiæ conditam in Thracia, sicque nominatā ab eodem narrant. Propter Ænum fluuius Meritza vel Hebrus in mare semet exonerat, vti paullo ante dictum ex Prætore nostro. Principes aliquando Catelusios Genuates habuit, sic-

ut & Lesbus insula, (de quibus infra dicemus cap. 138.) quum illi a ciuibus arcessiti temporibus imperatorum Græcorum inter se discordium, vrbis defensionem suscepissent, sicut apud Laonicum legitur. Castaldus Enio scripsit, quod duabus (vt opinor) syllabis enuntiandum. Antonius Bonfinius in historiis Vngaricis corruptius Eniam vocauit, quum anno 1469 Nicolaum Canalem præfectum Venetæ classis Eniam Thraciæ vrbem direptam incendisse tradit.

ZAGORA, DEBELTVS, PHILIBE.

33. Zagora Thraciæ prius adpellabatur Debeltus, vt est apud Cedrinum & Zonaram. Debelti Episcopatum Leo Sapiens Imperator in Nouella de Thronis metropoli Hadrianopolitanæ montis Hæmi subiicit. In historia Symeonis Magistri officiorum manuscripta legitur, Iustinianum Rinotmetum imperatorem restitutum opera Terbelis Bulgarorum principis, ei quum alia dona dedisse, tum defalcatam ab imperio Romano regionem, quæ postea Zagoria dicta fuerit, possidendam concessisse. Deueltus, quam adhuc ita Græci vocant, siue Zagora, quod ei nomen Bulgari tribuerunt, milliario sexagesimo ab Hadrianopoli distat. Philibe vero Turcis est Philippopolis Thraciæ, Debelto vel Zagoræ vicina: quam vrbem qui a Philippo Macedone, magni Alexandri patre, conditam cum vulgo existimant, falluntur. Nam Philippi Cæsaris opus est, vt aliæ complures in Thracia ciuitates ab imperatoribus fuere conditæ, quod ipsa quoque nomina testantur, vt Traianopolis montis Rhodopes, vt Hadrianopolis Hæmi montis, vt Arcadiopolis, vt Anastasiopolis. De Philippopoli vero expresse scriptum his verbis reperi quodam in historiæ Græcæ libro, cuius & principium, & nomẽ auctoris perierat, quum ceteroqui multa scitu digna contineret: Philippus imperator vrbem in Europa condidit, quam Philippopolim adpellauit. In hac vrbe totum nos triduum commorabamur, dum Turci comites nostri suum Bairam maius, exacto ieiunio triginta dierum, diebus mensis Octobris quinto, sexto, septimo, celebrarent. Est adhuc archiepiscopatus, cui tunc præerat is, qui postea factus est patriarcha nobis Constantinopoli degentibus, Theoliptus: de sententia synhodi Græcorum abdicato Pachomio, viro prophano, & litterarum plane rudi, qui largitionibus & aliis malis artibus dignitatem adeptus fuerat.

(Scalig. ad Euseb. n. 2263.)

GRADVS LEGIS MAHVMETANAE PERITORVM apud Turcos, & qui Talismani dicantur.

34. Vt Talismani qui sint, commodius intelligatur: sciendum, certos esse gradus Mahumetanis eorum, qui leges apud ipsos periti sunt, & partim ius dicunt, partim legem interpretantur. Ludouicus Bassanus Iadrensis in hunc modũ comparat eos cum nostris Ecclesiasticis. Primum Muphtim dicit esse inter ipsos instar vel Papæ nostri, vel Patriarchæ Græcorum. Quippe iuris omnis & sacrorum Rex est, vti veteres etiam Romani loquebantur. Huic proximi sunt Cadileschери, de quibus dictum numero 29. Bassanus hos cum Archiepiscopis nostris comparat. Sequuntur Cadij, veluti proximum post Archiepiscopos locum obtinent Episcopi. Secundum hos sunt eis Hoggiæ, qui seniores dicuntur, vt Græcis & nostris Presbyteri. Excipiunt Hoggias Talismani, seu Presbyteros Diaconi. Vltimi sunt Deruisij, qui Calogeris Græcorum, monachis nostris respondent. Talismani Mahumetanos ad preces interdiu & noctu quinquies dicendas excitant, de quibus alias agemus. Clepsydris, veteri more Græcorum, vtuntur ad distinguenda tam diurna, quam nocturna temporum spatia. Nam quæ a nostris artificiosæ confecta perueniunt ad Turcos horonomia, longe ipsis gratissima, planeque admiranda, procerum dumtaxat vsibus seruiunt. Quum precum tempus adpetiit, turres adiunctas meschitis præaltas conscendunt. Eæ sic factæ sunt, vt in superiori parte, propemodum vbi occipiunt deminui, vt tamdem in acuminatum fastigium desinant, in proiecto quaqua versum obambulari possit. Heic ergo circumeuntes, acutissima voce clamorem tollunt, digitis alteram aurium obstruentes, & homines ad inuocandum numen exhortantur. Vox ipsa longius, quam quisquam nostrum

nostrum credat, qui ea loca non adierit, pertinet. Communis autem precatio Musulmanorum huiusmodi est, auctore Postello: In nomine Dei misericordis, propitij. Laus Deo, regi saeculorum, misericordi & pio, regi diei iudicij. Heus seruiamus illi, & heus adiuuabimur. Dirige nos in punctum rectum, punctum eorum, in quibus tibi beneplacitum est, & quibus non irasceris: & non errabimus. Haec tam illis est vsitata precatio, quam nobis dominica: & a quibusdam ad battologiam vsque adeo recitatur, vt centies eam repetant. Idem facit in oratione publica Talismanus pro his, qui negligēter orant: aiuntque hac repetitione suppleri aliorum errores ac delicta. Quidam vero tanta repetunt adsiduitate, tamdem vt concidant: alij corpus ita circumagitando, vt omnino extra se rapiantur.

DE GENIZERIS, VEL GENIZARIS: vnde sic dicti.

Nusquam reperi Genizarorum originem verius descriptam, quam heic: 35. ideoque locus est memorabilis, quo plurium alucinationes refutantur. Nam alij volunt institutos ab Othmane vel Osmane Gasi, nonnulli (quos interest Iouius, & Geufraeus) fuisse referunt ordinatam ipsorum militiam primum omnium a Murate II, quem ego numerum potius auxisse dixerim, quam fuisse militiae ipsius auctorem. Vocis etiam etymon controuersum est. Initio declarationis annalium Spandugini opinionem recitaui, de Sari pago, quem Delus ille ceperit, a quo fuerit ortus Osman. Ea locum habere nequit. Reineccius aliquoties repetit, Ianizarorum nomen ad notionem reuocatum, a Ianua deduci: quum Turcis IANVAM aulam dici constet. Ego vero fateor, adeoque vulgo notum est, aulam Sultani (Romani veteres comitatum Principis adpellabant) a Turcis vocari Portam Osmanicam, quod Portae nomen idem est fere cum Ianua: sed (quod ipsius pace, citra insectationem vllam dictum esto) cogitare debebat, Turcis Portam dici sua lingua, CAPI: de quo vocabulo deriuari non Ianizarorum vel Genizarorum nomen potest, sed Capisilarorum, de quibus alibi. Paucis vt verum etymon indicem, nomen Genizeri Turcis nouos homines, seu milites nouos significat, seu Latina voce veteri Tirones: cuius etymi ratio patet ex iis, quae heic in annalibus exposita leguntur. Geufraei somnium de Cham & Ieser, ceu ridiculum explodito.

CHAIRADIN, BVGA, ISCHEBOLI.

De Bassarum & Vezirum officio supra diximus, numero 14. Quod Chelili 36. datum fuisse traditur cognomen Chairadin, lingua Turcica significat eum, qui bene strenueque se gessit, vel bene meritus est: vt Graecis Euergetes dicitur, quod sibi cognomentum prisci reges, aliquot Aegypti Syriaeque sumserunt. Ex Chairadin Laonicus fecit Charatinem: & in fine libri octaui, Charaitinem: Iouius, Hariadenum. Idem enim nomen nostra memoria datum fuit a Soleimane II piratae nobili, sed strenuo ceteroqui viro, Barbarossae: de quo dicturi suo loco sunt annales. Buga Calliupoli transiecto Hellesponto Prusam ituris occurrit. A Geographis recentioribus Iuba, transpositis literis scribitur, vti deinceps repetemus initio Muratis II. Opidum Ischeboli Graecis est Scopelos, Zagorae vicinum. Leo Sapiens Augustus inter episcopatus metropolitani Hadrianopoleos Haemi montis, Scopelum refert: vnde situs intelligi potest.

SERVII, SERBI, SORABI, ZIRFI, Zersi, Seruoctonium.

Seruios collocat Laonicus in antiqua regione Triballorum Mysiaque superiori: quo nimirum ex septemtrione paullatim commigrarunt, debilitatis imperij Romani Graecique viribus. Nam Serbos circa Maeotidem Plinius collocat, vnde partim profecti fuere versus Danubium, & Mysiam hanc superiorē: partim itinere diuerso, per Sarmatiae siue Poloniae latissime patentes campos in oram Germaniae, Polonis vicinam (Lusatia nunc dicitur) infusi, sedes ibidem, & in vicinia constituerunt, inter Salam & Albim fluuios. Hinc Sirbos ibi Dubrauius recte 37.

collocat, hinc Misnia quoque Imperatoris Henrici Aucupis tempore dicta fuit a vicinis Sirbia, hinc in iis locis & Serbi Wenedi, & Serbecum, & Serbestum opida. Ne lingua quidem defecit, in vtraque Lusatia Wenedis incolis vsitata. Nec I litera cum E permutata nos moueat, quod in hac voce frequenter fieri notauimus. Nam & annales Austriaci Syruiam dixerunt, quorum verba reperies numero 54. Historiæ Saxonum Sorabos vocant, quos Sorabros apud Laonicum vitiose legimus. Vocantur & Rascij vel Razij, quod a Ros, siue Rossis deductum puto, cum quibus originem & linguam communem habent. Bonfinius Ratianos dixit, & melius Roxianos, quod est a Græcorũ illo Ros haud dubie. In actis Concilij Constantiensis Sirfi dicuntur, quod nomen eis hodieque datur a vicinis Carniolanis, Carinthiis, Stiriẽsibus, Croatis, Dalmatis, Vngaris. Ideo locus ille, quem nostri Annales a Seruiorum clade nomen accepisse narrant, in archetypo Annalium Serf vel Zerf Zunguni dictus fuisse scribitur. Hoc enim Gauderius Cæsaris interpres in versione sua non inseruit, vim ipsius adpellationis explicasse contentus. Facit alterius loci mentionem Cedrinus, & alij, qui a Bulgarorum cæde vocatus fuerit Bulgaroctonium. Ad eius vocis imitationem licebit hoc Serf Zunguni Turcicum reddere composita voce Græca, Seruoctonium.

GILDERVN BAIASIT. IACVP ZELEBI.

38. Quod Baiasiti datum fuit cognomen Gilderum siue Gilderun, significationem fulminis habet: perinde ac de priscis illis regibus, Alexandri successoribus, quidam Cerauni siue fulminis cognomen habuit, eadem ex causa celeritatis, & impetus in bellis gerendis subiti. Lælapis adpellatio, quam ei quidam ex Laonico tribuunt, significati alterius est. Sic enim turbinem Græci vocant. Et Baiasites, quum vehementioris esset ingenij, facile turbini adsimilabatur, vt idem Laonicus inquit. De cognomine Zelebi, quod heic Iacupi tribuitur, dictum superius, esse profectum ex consuetudine Romana, qui Nobilissimos vocabant Augustorum filios natu minores. Iacupem (qui Iagupes Laonico, nostris Iacobus est, non Iosephus, vti putauit Laonicus. Nam Iussuph Turcis dicitur, qui Ioseph nostris) nonnulli temere vocarunt Soleimanem: quum potior habenda sit fides, hac quidem in parte, Turcis & Græcis, quam ipsis.

GERMIANI DITIO. GERMIAN BEG.

39. Germianum Asiæ minoris pars est, quæ Cariæ veteri, cũ parte Lydiæ, Mæoniæque respondet, quatenus ad mediterranea Phrygiamque maiorem hæ tendunt. Licet hoc vel ex eo colligere, quod nunc etiam Nisa collocetur in Germiano, quæ veteribus est Nysa Cariæ mediterraneæ ciuitas, versus Mæandrum fluuium. Leo Sapiens imperator in Nouella de Thronis adpellat Nyssam, sub Ephesina metropoli. Præterea Germianum fluuius Madre nunc interluit, vt olim Mæander indicatas regiones, qui prorsus idem est cum Madre. Nomen ipsum Germiani vnde factum sit, certo dicere non possum: nisi velimus a Germe deriuare, quod opidi & episcopatus nomen est in Leonis Augusti nouella de Thronis, Cyziceno Hellesponti metropolitano in Asia subditi. Prætor noster, qui cc plus minus annis ante Chalcocondylem suam scripsit historiam, videtur in locis Germiano respondentibus, regionem Celbianum siue Celuianum ponere: quum narrat, Theodorum Lascarim, occepto imperio, Celuianum vniuersum, cum Mæandria regione, cum Philadelphia, & Neocastris, occupasse. Referẽda vero sunt hęc ad annum Christianum plus minus 1206, quo tempore necdum seu Germiano, seu Celuiano imperabãt Iconienses Sultani, sed erat adhuc ea regio Græci iuris, & a Duce Græco administrabatur. Flandris autem Constantinopoli potitis, Theodorus Lascaris in Asiam minorem profectus, vrbes ad imperium spectãtes a Ducibus Græcis, qui se in ista rerum perturbatione dominos earum fecerant, sicuti supra dictũ num. 15. repetebat. Atque hoc modo Celuianũ quoque redegit in potestatem, Duce Theodoro, quem a stoliditate Morotheodorum adpellabant, eiecto. Postea tamen decrescentibus paulatim Græcorum viribus, Celuianum a

Turcis occupatum fuisse, consentaneum est: quippe cuius agri principem Turcum Laonicus Germianum vocet. Reineccius Meleci & Azadini fratrem Aladinem tradit eumdem esse videri cum Laonici Germiano, qui regnarit Iconij, atque hac dignitate exutus, in Ioniam profugerit, ibique vitam priuatam, quietem amplexus egerit. Ita quidem e verbis Laonici colligi posse fateor, adeoq; non abs re videri, Germen eum commigrasse, deque loco domicilij priuati cognomẽ accepisse. Verum non video, cur hominis priuati, priuatisque parentibus orti filiæ nuptias tantopere Murates pater Baiasiti filio conciliare, pompaque magnificentissima celebrare studuerit, qui præcipue potentiam adfinium in deligendis vxoribus spectabat, vti deinceps adparebit ex inito cum illustri Despina Seruiæ, Bulci filia, coniugio. Nec item scire possum, qui fuerint hi Germiani principes ab Iconiensibus orti: quum eiecti a Tataris Iconienses, non in Ionia, sed ad Ænum vrbem in Thracia exsularint. Velim hoc etiam explicari, quonam modo Germianus ex horum posteris a Baiasite spoliari potuerit ea regione, quam priuatus ipse, priuatis (vt dictum) parentibus natus, non possidebat? quo item modo dici possit a Temirlanco restitutus in id, quod in potestate non habuerat? Hæc enim in annalibus hisce diserte tradita leguntur. Sunt alia quoque plura, quæ de his in medium adferre possem, ac nominatim docere, duos fratres Iathatinem & Aladinem, quos Reineccius in Iconiensium stemmate Caichosrois filios facit, vti commenticios, & qui rerum in natura numquam exstiterint, expungendos esse. Verum hæc aliò pertinent, futura cuius manifesta, quum Prætor aliquando noster in lucem exierit. Quod denique Reineccius, ait, videri Chalcocõdylem in Thracia collocare regionem Germianum: de hoc quidem Germiano non potest accipi, quum situm in Anatolia sit, & sub Iconiensium imperio Turcos necdum in Europa fixisse pedẽ constet. Si quis tamen desiderat nosse, quid hoc nomine Laonicus intelligat: is sciat, apud Leonem Augustum mentionem fieri archiepiscopatus Germiorum, siue Germiani, quem inter Maroneã & Arcadiopolim Thraciæ medio ponit loco. Nec in nouella Leonis Cermia, sed Germia legi.

HEMID. ACSCHEHER. CVTAHIGE. Seidischeher. Geluazi.

Hemid, quæ aliis Emid, Omidie Nigro dicitur, adpellata fuit priscis vrbs Cerasus. Ad Pontum Cappadocicum nostri referunt, Leo Sapiens in Thronis ad Pontum Polemoniacum: subiicitque Cerasuntis episcopum metropolitano Neocæsariæ. Acschehér in Ortelij tabula Natoliæ scriptum legitur Acsara, nonnihil immutato nomine Turcico. Veteribus Græcis dicta fuisset Leucepolis, recentioribus Aspropolis: quorum vtrumque Turcicæ adpellationi respondet. Sed nulla tali nomine ciuitas in iis locis apud priscos reperitur. Cutahige maioris est ciuitas Phrygię, quondam dicta Cotyaium. Leo Sapiens imperator metropolim Phrygiæ facit, sicut & hodie celebris est in Anatolia, cuius in medio sita est, propter sedem siue domicilium Beglerbegi Anatoliæ, qui priscis Romanis erat Præfectus Prætoriorũ Orientis, Græcis autẽ magnus Orientis domesticus, quod sane propter imperij veteris imitationes Turcicas notandum. Non recte nostrorum aliis in Galatia ponitur, & Cute nominatur, vt Bellonio: Iouio Cutia, & Cuteia: aliis Chiutai, vel Kiuthai: aliis Chuta, vel Chuteo, qui tamen hoc nomine Corycũ per errorem accipiũt, de quo in Muchemete II latius. Seidischeher Turcis, Græcis Hierapolis, ciuitatem sanctam siue sacram significat. Sunt autem Hierapoles in Anatolia vel Asia minori plures, præter Syriacam & alias, quæ huc non pertinent. Vnam Leo Sapiens Augustus collocat in Phrygia Salutari, sub metropolitano Synadensi. Alteram facit metropolim Phrygiæ Cappatianæ. Sic enim in ipsa Leonis nouella legitur, quum rectius hæc dici Phrygia Pacatiana videatur in libro de vtriusque imperij noticia. Lector vtram volet, accipiat. Geluazi denique reperitur in Anatoliæ tabula, non procul a Cerasunte vel Omidie sita: sed immutatione litterarum exigua, Giuluaza scribitur.

MAGALGARA. BOLINA.

41. Quod opidum Turci Magalgarę nomine accipiant, scire certe non possum: id quidem dicere licet, quodcumque tamdem sit, in finibus Thraciæ, Thessaliæ, Macedoniæ quęri debere. Gauderius interpres Cęsaris adnotarat videri, quod sit Megalepolis. Sed illa non in his regionibus locū habet, sed in Morea seu Peloponeso: nec Magalgara nunc dicitur, sed Leontari vulgo, Leontarium Laonico & aliis recentioribus. Si quis adpellationem Græcam Magalgaræ proximam requirit, Megalagoram accipiat: qua forum magnum significatur. Ex eodem locorum situ colligo, Bolinam Turcis dictam, quæ Græcis est Apollonia montis Athi, qui nunc Hagion oros, siue mons sanctus adpellatur, a frequentibus (vt opinor) Calogerorum monasteriis, nomine non adeo recenti. Nam Leo quoque Imperator sub Thessalonicensi, metropolitano Thessaliæ, collocat episcopatum Hierissi, quem alia dictum adpellatione tradit episcopatum Montis sancti.

VSCVFIA. TILIA FELIX. TANGRI GICTVGI.

42. Cassidis formam hodieque retinent Vscufiæ Turcorum instar pileoli rotundi, oualis figuræ, vel rotundi calicis absque peduncuIo, factæ: cuiusmodi coronas ouales ex auro solido gestare solebant imperatores Græci. Planeque talis etiam imponebatur huic Theolipto Patriarchæ, cum nos Constantinopoli essemus, a duobus aliis tunc ibidem præsentibus Patriarchis Siluestro Alexandrino, & Michaële Antiocheno, die x Martij mensis, anno Christiano 1585, quo tempore ab eis inaugurabatur, quod Græci vocant in thronum collocari. Solent hodieque Genizari & alij ditiores ex auro solido factas vscufias gestare. Pecos ipse vidi sic ornatos, qui Sultani Turcorum cursores sunt, circum ipsum semper obambulantes, quum e saraio prodit. Nomen tiliæ Felicis Turcicum in archetypo legitur, Deuetlu Caba Agaz: quarum vocum prima felicem significat, altera tiliam, arborem tertia. Quæ vero Bolinæ ab euersione diuina mansisse dicitur adpellatio, lingua Turcica Tangri Gictugi pronuntiatur: id est, Deus euertit.

GVMVLZINA. MAROLIA. SERES.

43. Hæc opida locis paullo ante nominatis vicina sunt, vlterius in Græciam de die scilicet in diem progredientibus e Thracia Turcis. Sunt enim in finibus Thraciæ Gumulzina & Marolia, non magno disiunctæ interuallo. Gumulzina Castaldo in tabula Græciæ recentiori Culmaza corrupte scripta legitur, pro Cumulza vel Gumulza, quam Turci Gumulzinam vocant. Marolia Græcis est Maronia, quæ inter archiepiscopatus refertur a Leone Augusto, Geographis nostris iam Marogna dicitur. Sita est vltra ciuitatem Ænum, de qua numero 32 diximus, qua itur in Thessaliam e Thracia. Seres Græcis numero multitudinis Serræ dicuntur, vrbs satis celebris, quam Leonis Augusti nouella refert inter metropoles. Prętor Græciæ noster haud procul a Cisso, de qua dictum numero 30, versus Maritzam, vel Hebrum flumen, collocat.

CAVALA. DIRE. SIRVS. MANASTIR. SELERVC.

44. Recitantur ordine plures a Turcis captæ ciuitates in confinibus Thraciæ, Macedoniæ, Thessaliæ. Cauala versus Philippos Macedoniæ tendit. Bucephalum putauit Bellonius antiquis fuisse dictam, ab equo regis Alexandri. Dire videtur esse Doari vel Deari, quam eadem in vicinia recentiores Geographi collocant. Sirus mea quidem opinione, fuerit Hierissus: cuius episcopatum Thessalonicensi nouella Leonis Imperatoris subiicit, & Montis quoque sancti vocat episcopatum, vt paullo ante dictum numero 41. Aut Syrus a Turcis dicta pro Sidrus, quæ Sidrocapsa nunc, ad montem sanctum, velut a nobis adnotatum superius numero 18. Manastir opidum Turcis dictum, nomen Græcum habet Monastirion, a propinquitate (puto) monasteriorum montis sancti, quorum obiter facta numero 17 fuit mentio. Nicetas (si recte memini) Leonem quemdam Monastirioten nominat, oriundum ex hoc opido. Geographi nostri Monestir aliud in Mace-

in Macedonia ponunt, vltra Theſſalonicam: quod huc pertinere non arbitror, ob mentionem vicinorum locorum, quæ vltra Theſſalonicam ſe non porrigunt. Et Theſſalonica Turci non ſub hoc Murate I, ſed eius pronepote II, potiti ſunt. Seleruc in recentioribus tabulis Geographicis non reperitur, niſi forte ſit illud Slelar aut Selelar, quod non procul a Monte ſancto collocatur.

TEMIR LANC, TEMIR CHAN, TEMIR CVTLV. Sultan Borcuc. Deſtenſes Tatari.

Quem noſtri non recte Tamerlanem, & Tamburlanem, Græci Temirem, 45. vocat: is a Turcis plerumque Temir, vel Temur Chan, quod regiæ dignitatis eſt nomen, explicatum ſupra numero 3, dici ſolet: ac ſi nominaretur Hiſpanorum more, Don Temir. Significat autem vox Temir, ſiue Temur, ferrum: id eſt, gladium. Tatari, propter ſucceſſus rerum proſperrimos, Temir Cutlu cognominarunt: hoc eſt, ferrum ſeu gladium felicem. Nonnunquam tamen, vt hoc etiam annaliũ loco, Temir Lanc adpellatur, quod Temirem claudum ſignificat. Quippe claudicabat, vt ipſemet confitetur in primo cum Baiaſite capto congreſſu & colloquio, quod in annalibus longe pulcherrimum, tantoque monarcha dignum, legitur. Et alij claudicationis hanc referunt cauſam, vt Laonicus, quod priuatus adhuc & inops murum, quo cincti pecorum greges erant, furti committendi cauſa conſcenderit: quumque ſe viſum a patrefamilias animaduertiſſet, in terram deſiliens, crus fregerit: alij, quod inter pugnãdum in pede vulneratus, ex eo tempore claudus fuerit. Is autem, cuius deinde fit mentio, Borcuc vel Bercuc, Ægypti Sultanus fuit. Et nomen huius ex Schiltepergeri Germanico ſcripto, qui tunc temporis Aſiatica peregrinatione ſuſcepta, pugnis Tataricis ac Turcicis interfuit, Reineccius allegat: ita tamen a librariis mutatum, vt Baracloch pro Barakoch, vel Barakock potius ſcribatur. Sic enim ex Annalibus hiſce reſtitui debet. Nomen ipſum Borckuck vel Barackok, diuiſis vocibus, erit Barac Kuk, vel Barac Gog, id eſt, Gog benedictus, ſiue laudatus & inclytus. Et ſtatim ab initio declarationis annalium de Kuk, Guk, & Gog, quædam in Giokelp aut Kukelp, diximus. Deſtenſes autem Tataros, de certa quadam natione Tatarorum accipimus: contra Marij Nigri ſententiam, qui tradit in genere Tataros ipſos ſe Diſt lingua ſua vocare. Sunt enim diuerſi Tatari, priſcis etiam, non hac dumtaxat ætate, cogniti: vt Aythono & aliis Mogli, ſiue Mongli: vt Sumongli, a Tataro fluuio dicti, velut Tatari aquatici: vt Tangori, qui & Tanchari, & Tonchari: vt Chitaini, qui & Chataini: vt Nogaij, vt Caſanij, vt Aſtracanij, vt Præcopitæ, vt Keraij. Reineccium ſane miror ex Sabellico repetere, Tatarorum imperatorem ætate Sabellici vocatum fuiſſe Nogaim. Quippe Nogai Tatari nationis eſt nomen, cuius princeps hodieque Nogai Chan dicitur. Sic apud Pachymeriũ Nogas Scytha legitur, & Cazanes Scytha, pro Nogaiorum vel Nogæorum & Caſaniorum Chane ſiue principe. Qui vero ſint hi Deſtenſes, intelligere licet ex iis, quæ deinceps in vita Muchemetis II leguntur de ſubactis incolis Tauricæ Cherroneſi, poſt captam vrbem Capham. Quippe Deſtenſes cum Kerimiis ſiue Crimiis Tataris, (Crimski nunc a vicinis dicuntur) eo loco noſtrorum annalium coniunguntur: de quibus Crimiis nos in ſupplemento annalium, vbi bellum hoc decennale Perſicum exponimus, luculente.

LAZARI SERVIAE PRINCIPES. BVLCOGLI, BVLcouitzij, Bucouitzij. Crateuitzij, Cernouitzij. Karlouitzij.

Ex iis, quę deinceps in his annalibus ſequuntur, animaduertere licet: Turcos 46. a Lazaro vel Eleazaro Bulco, ſicut adpellatur a Chalcocondyle, qui primus regionem Iſtro adiacentem ſiue Seruiam a Stephano rege Bulgaro nãctus fuit, ſucceſſores omnes, Seruiæ Deſpotas ſiue principes, adpellaſſe Lazaros, vt omnes Conſtãtinopoleos Imperatores itidem dixere Conſtantinos, Laonicus ipſe quodam in loco Georgium Seruiæ Deſpotam more Turcico Eleazarum ſiue Lazarum vocare videtur, vbi dicit Eleazarum pro Belgrado multas vrbes in Pannonia conſequutum a Sigiſmundo. Quippe Thomas Ebendorfus Haſelbachius, qui

M

tunc vixit, in Austriacis manu scriptis tradit, hanc permutationem non inter Sigismundum & Eleazarum, sed inter Albertum II Austriacum & Georgium Seruiæ principem factam: quem quidem ipse norat, quum in aula Friderici IIII Cæsaris exsul honorifice aleretur. Iidem principes a Turcis alicubi etiam Bulcogli nominantur ab hoc primo Lazaro Bulco, tamquam Bulci filij vel posteri, sicut & Michalogli & Malcozogli sunt Michalis & Marci posteri. A Seruiis autem ratione prorsus consimili, Bulcouitzij fuere vocati, velut Bulci filij siue posteri. Nam id linguę Slauorum aut Venedorum, qua Seruij vtuntur, familiare est. Sic etiam hodieque Moscouij Basilouitzios, Theodorouitzios, Iuanouitzios, pro filiis Basilij, Theodori, Ioannis, dicunt. Itidem Crateuitzij Bulgarorum principes erãt, a Crate, quem Vnglesis fratrem Laonicus celebrat, oriundi. Sic ab auctore generis adpellati Cernouitzij, Catari Dalmatiæ, regionisque vicinæ quondam reguli. Sic Karlouitzij dicebantur in Albania vel Epiro Dyrrhachini vel Durazzij principes, quod a Karulo propagati fuissent, ex regum Galliæ familia. Nam Ludouicus Galliæ rex, quem canonisatum (vt aiunt) a Pontificibus Romanis, Sanctum cognominant, fratrem Karulum habuit, Andegaui Prouinciæque Comitem, qui Cunradino Friderici II Cæsaris nepoti regnum Neapolitanum cum vita per fas nefas eripuit. Eius filius fuit Karulus II, nepos Petrus Grauinæ Dux, pronepos Karulus Dyrrhachij princeps: a quo Karlouitzij Dyrrhachini, posteri. Pronuntiandi tamen diuersitas in causa fuit, cur Geufræus & alij quidam Bulcouichios, Crateuichios, Cernouichios, & Karlouichios scriberent. Ac Geufræus sane non Bulcouichios, sed Vucouichios adpellauit, enuntiatione Græca, qui non Bulcos, sed Vulcos; non Bucos, sed Vucos dicunt. Et animaduerti semel etiam apud Laonicum legi Bucus, non Bulcus. Sic in itinere nostro mox, vbi Belgrado a tergo relicto, Seruiam ingressi fuissemus, occurrere nobis opidula vel pagi potius (vti quidem nunc sunt duo: quorum prior Bucouarum minus, alter Bucouarum maius adpellatur. Ea nomina sunt his locis a Buci, Seruię Despotis indita. Nam Bucowar ciuitatem Buci significat. Hanc vero regionem possessam fuisse ab illo ipso Lazaro Bulco, qui cum Murate primo bellum hoc gessit, ex his Laonici verbis manifesto patet: Vnglese Crateque mortuis, Pristinum & Nistram, sic dictam regionem, subigens Eleazarus, vsque ad flumen Sauum progressus est. Huic tamdem bellum intulit Murates propterea, quod ad Pannonios se contulerat, & eos in Muratem concitabat. Quibus in verbis quod Pristinum nominatur, haud procul a Cosobo campo Laonicus ipse ponit. Obiter hoc etiam adiicitor, a Reineccio Cratis loco Cralem, Vnglesis fratrem, non recte dici: nec minus ab aliis Crateuitziorum adpellationem corrumpi, modo Cratis nomen apud Laonicum recte scriptum sit, quum eos Craiouichios vocant.

CAMPVS COSOVA. CAEDES MVRATIS PRIMI. SVLtanorum anni, quibus regnarunt, ad numeros certos reuocati.

47. Quem Chalcocondyles in huius prœlij descriptione campum Cosobũ vocat, nostri Cosouæ planiciem nominant, a copia merularum. Bonfinius eleganter his verbis descripsit: Planicies in Rasciæ Bulgariæque finibus lata, quam Rigomezeu Vngari, Rasciani Cosouam vocant, nos Campum Merulæ. Hunc fluuius intersecat, qui Schitnitza dicitur, & ab Illyrici montibus defluens, in Istrum fluit. In hac ergo planicie cæsus fraude licita Murates pater ab hoste, scelerato dolo Iacupes filius ab amicis strangulatus fuit. Annales hi Baiasitem culpa cædis fraternæ liberant, in proceres Turcicos eam cõferunt. De muratis nece Laonicus dubitat, quonam modo cædis auctor arripuerit hastam, regemque mox inuaserit, nemine prohibente: tum quo deinde modo Baiasites acie iam instructa, breui temporis spatio, fratrem necauerit, & in prœlium illico redierit. Sed ita descriptę sunt in annalibus facti circumstantiæ, nullum vt dubiũ relinquatur: præsertim, quum domesticus ille Lazari Cabilouitzius narretur Muratem non hostiliter hasta petiisse, qui hominis impetus potuisset a Genizaris & aliis custodibus corporis inhiberi. sed prætextu defectionis & transfugij sic Turcis imposuisse, nemine vt impediente

diente

diente admitteretur, abditamque sub veste sicam letaliter in viscera Muratis adigeret. Vnde profectus ab illo tempore mos Turcorum, deducendi legatos,& alios exteros, ad Sultanum suum per cubicularios, qui brachia eorum vtrimque tenent. His maioris illud momenti, quod plerique tradunt, Muratem XXIII annis imperasse: Laonicus editus, LVII: quum Turci recte XXXII regni huius annos Mahumetanos numerent. Item, quod alij notant, hęc in planicie Cosoua contigisse anno Christano 1351, manifesto prorsus errore: alij 1373, quos itidem falli, vel hoc argumento colligere licet. Ostendimus supra, declarationis initio, principium regni Osmanis rectissime referri ad annum Christianum 1300. Præfuit autem rebus Osman 29 annis, Vrchan filius annis 32, Murates nepos annis itidem 32 Turcicis: qui superius indicata ratione redacti nostros ad annos, in annum Christianum 1390 desinunt: a quo tempore Baiasites Muratis filius annis dumtaxat 14 in imperio fuit, vt Turci vere scribunt. Et quia tanta diuersitas est in annorum notatione, quibus apud Turcos Sultani priores imperarunt: lubet hoc loco, quæ de his a nostris sunt tradita, cum Turcicis ex aduerso collocatis conferre. Sequar autem Francisci Sansouini rationes, qui diligenter ab omnibus historicis (quos quidem habere potuit) scripta, quasi fascem in vnum collegit.

Anni Sultanorum, a scriptoribus Christianis proditi.		Anni Sultanorum, ex annalibus Turcicis excerpti.		Anni Turcici ad Christianos lato modo redacti.
Othoman.	28.	Osman.	29.	28.
Orchan.	22.	Vrchan.	32.	31.
Amorat.	23.	Murat.	32.	31.
Baiazit,	26.	Baiasit.	14.	13½.
* Cirifcelebi.	6.	Soleiman.	7.	7.
Mose.	0.	Musa.	3½.	3½.
Mahomet.	17.	Muchemet.	8.	7¾.
Amorat II.	34.	Murat II.	31.	30.
Mahomet II.	31.	Muchemet II.	30.	29.
Baiazit II.	30.	Baiasit II.	33.	32.
Selim.	7.	Selim. an. 8.	mens. 8.	8¾.
Soliman.	48.	Soleiman II.	48.	46½.
Selim II.	8.	Selim II.	8.	7¾.
Amorat III. hactenus, 12		Murat III. hactenus, 12½.		12.

Horum annorum, ad præsentem vsque 1587 collectorum, hæc in qualibet serie summa fuerit:

292.	296½.	287¾.

Quum autem anni Turcici 296, Christianos efficiant 287: sequitur omnino tot annis hactenus imperium Osmanidarum durasse, sumto eius initio, sicut indicatum est, ab anno 1300. Sin aliorum sequi rationes velimus, necessario referendum erit principium regni Osmanidarum ad annum Christianum 1295, quod omnium Chronographorum & Historicorum illustrium sententiis aduersabitur: aut omnino fatendum, in illa supputatione nostrorum quinque totos annos esse superfluos.

MONVMENTVM MVRATIS IN CAMPO COSOVA.

De sepultura Muratis obiter habeto, tradi a quibusdam, cadauer eius Sophiam fuisse deportatum. Alij cum Turcis consentiunt, qui Prusam memorant auectum, & iuxta Thermas Prusæas maiorum monumentis adgregatum: ita tamen, vt prius euisceraretur, & intestina in planicie Cosouana (Cassouianam Sansouinus vbique non recte vocat) terræ mandarentur. Id verum esse colligitur ex his Bonfinij verbis, quibus etiam monumenti, eo loco relicti, hodieque superstitis, & nobis a comitibus Turcis monstrati, mentio fit: In media (inquit) fere planicie Cosouæ collis modicus adsurgit, cuius radices Schitniza lambit. Non multo vlterius, ad caput æquoris, quædam turris erat, cuiusdam olim Amuratis tumulus 48.

& pyramis: qui profligato exercitu, ibi cæsus & sepultus est. Hactenus Bonfinius, cuius verbis nonnihil inhæreamus. Schitnizam alij Schinitzam temere nominare malunt. An idem fluuius sit cum Moraua, videbimus deinceps, numero notarum 124. Amuratis tumulum & sepulturam intelligit, quo loco fuerũt ipsius condita viscera. Quemdam dicit Amuratem, indefinite; pro Sultano Murate I. Profligatum prius ait exercitum, nõ exprimens, Turcicusne profligatus fuerit, an hostilis exercitus, ac deinde Muratem cæsum: quum cæso Murate, Lazari Seruiæ principis exercitum a Baiasite filio Muratis heic audiamus fuisse prœlio victum.

KIRATOVVM MONS ARGENTI. VIDINA siue Vidinum. Citros. Bozina. Patzinacæ.

49. Kiratouum Turcis adpellatur opidum Seruiæ situm ad montem, quem Argentarium vocant, a fodinis argenti. Gallicus interpres Laonici Rhodopen hunc esse vult, quum sit Hæmus. Antonius Bonfinius argẽti fodinarum in Seruia mentionem facit, vt admodum nobiliũ. Kiratouum Castaldo scribitur Cratouo, quod idem est cum Kiratouo. Vidinam hodie dicunt, quam Marius Niger olim vult adpellatam fuisse Viminacium. Eius in Iustiniani Augusti amissæ Nouellæ titulo fit mentio, cuius epitomen in Paratitlis meis Græcis reperi. Sambucus noster in Vngariæ chorographia quoddam Viminatz, diuersum a Vidina, mox infra Belgradum ponit. Chalcocondylis interpres Latinus Bydenam reddidit, quam Vidynam scribere debuerat: quemadmodum legitur etiam in posteriore Nouella de ordine Thronorum, quam in Synhodo Andronicus Palæologus II imperator edidit. Eius enim hæc verba sunt: Vidina, quæ prius erat episcopatus sanctissimi archiepiscopatus Bulgariæ, in metropolim euecta est. Bonfinius Budinum nominat. Michael Ritius Bidinum, apud quem tamẽ male scriptum legitur Biolinium, pro Bidino. Vidinensis sangiacatus, nunc inter alios Beglerbego Temesuarensi subiectos recensetur, de quo plura suo loco, in Noticia videlicet imperij Osmanici. Citros in nouella Leonis imperatoris episcopatus est Thessaliæ, sub metropolitano Thessalonicensi. Bozinæ regionis vulgo quoque notum est nomen. Incolas historici Græci dixere Patzinacas. Origine sunt Venedi, quod ex ipsa lingua, qua vtuntur hodieque Veneda liquet. Antiquitates horum Cedrinus in Monomacho Augusto luculente descripsit. Sed eo loco deest in edito Cedrino fragmentum insigne, quod cum historiæ studiosis aliquando communicabimus. Vir acris iudicij Peucerus, quem adulescens in Geometricis & Astronomicis audire memini, Patzinacarum seu Patzinacorum nomen a Pozina siue Pozinania, nobili Poloniæ municipio, deriuare solebat: quod in iis scilicet finibus aliquando sedes habuisse videantur, antequam versus Triballos commigrarent. Et dicti videntur a Græcis Patzinacæ, nostrorum more, quibus Bozinachi non aliter adpellantur, ac Slaui, Slauachi: Poloni, Polachi: Bœmi, Bœmachi.

ALASCHEHER IN CARAMANIA.

50. Alascheher lingua Turcica significat Altam ciuitatem. Græcis vno vocabulo diceretur Hypsilipolis. Sed eiusmodi nomine nulla reperitur in historiis vrbs, nec apud Geographos, quod equidem sciam. Leo Sapiens Augustus in nouella de Thronis sub metropoli Neocæsariæ Ponti Polemoniaci recenset episcopatum Hypsilon, id est, altum vel sublimem. Idem sub Synadensi Phrygiæ Salutaris metropoli collocat episcopatum Hypsu, quod itidem Græce alludit ad altitudinem. Sed an ad Alascheherim ea nomina congruant, vt existimetur adpellationem Græcam Turci lingua sua reddidisse: iudicio lectoris eruditi relinquo. Quia tamen statim heic sequitur Aidinensis agri mentio, qui versus Cariam Phrygiæ maiori finitimã se porrigit, & Alascheheri capta venisse Baiasitis in potestatẽ traditur: facile persuaderi equidem mihi paterer, opidũ posterius Hypsu, abolito vocabulo Græco, Turcicũ Alascheher eiusdem significati diuersa in lingua nomen accepisse. De regionibus, Aidinẽsi & Sarchania, superius a nobis num. 13 tractatũ.

CONSTANTINI A TVRCIS ADPELLATI GRAECORUM imperatores omnes. Nigeboli. Prælium Nicopolitanum.

Ei Græ-

Ei Græcorum imperatori, cui Baiasites intulisse bellum dicitur, nomen erat Ioannes Palæologus, (Caloioannem vulgo nominabant, non a pulchritudine, sed bonitate) qui Manuelem filium, cuius nos præcepta educationis regiæ Latina fecimus, consortem imperij viuus designauit. Nihilo minus hunc Turci Constantinum vocant, non Ioannem: prorsus eadem ex causa, quam supra, numero 46, de Seruiæ Despotis exposuimus, qui similiter eis Lazari vocantur omnes, & Bulcogli. Quamquam hoc quoque verum, videri Græcos ipsos imperatores adfectasse Constantini nomen, vt nostri Cæsaris & Augusti, tamquam primi Constantinopoleos & Orientalis imperij conditoris. Sic Heraclius Augustus in Nouellis suis, quas aliquot habemus necdum editas, Heraclium filium cognominat NEON siue nouum, aut iuniorem, aut alterum Constantinum. Sic in monasterio Constantinopoli, quod Græci Suluna vulgo vocant, adpellatum, quondam Periblepτæ siue spectatissimæ Deiparæ, Armeniorumque sacris nunc dicatum, versus occidentalem templi partem Michaël Palæologus imperator cum Theodora Augusta pictus cōspicitur, inter vtrumque parentē collocato Constantino filio, cum inscriptione triplici. Primæ verba sunt hęc, q̄ Latine prōferā Græca cū aliis datur⁹ alibi: 51.

MICHAEL IN CHRISTO DEO
FIDELIS REX ET IMPERATOR,
DVCAS, ANGELVS, COMNENVS,
ET NOVVS CONSTANTINVS.

Quod ille cognomen Constantini magis profecto mereri videbatur, quam alij, propter recuperatam, expulsis Flandris, Constantinopolim. Vrbem vero Nigebolim Turci vocant, quæ priscis a victoria Traiani Augusti de Dacorum rege Decebalo dicta fuit Nicopolis. Ea duplex est, maior & minor: quas medius rex fluuiorum Danubius interlabitur. Hodie Sangiacatus Nigebolensis sub Rumelię siue Græciæ beglerbego censetur. Nomine regis Vngarorum intelligitur Sigismundus, qui postea factus fuit imperator. Is anno Christiano 1392 Nicopolim obsedit, vti Bonfinius commemorat. Geufræus, & alij quidam, pugnatum volunt anno 1396, profesto Michaelino. Sed vero similius est, quod a Turcis etiam traditur, quum a Sigismundo Nicopolis oppugnaretur, eo se cum exercitu Baiasitem obsidione Constantinopoleos soluta contulisse: dumque suis obsessis succurrere niteretur, anno proximo 1393 prœlium fuisse commissum. Et annus iste Christianus Mahumetano 794, quo pugnatum annales aiunt, respōdet. Impressionis nocturnæ nulla mentio nostros apud historicos. Froissardus, Bonfinius, Geufræus, prœlij tam infeliciter pugnati culpam in Gallorum proteruiam conferunt, sicut ex ipsorum narrationibus cognoscere, qui volet, potest.

PAX INTER BAIASITEM ET GRAECOS.

Nusquam nostris in historiis legitur, Baiasitem cum obsessis Constantinopoli toto vel octennio, vel decennio, Græcis principibus pacem fecisse: minus etiam, quod expressa in annalibus condicione, de recipiendis in vrbem Turcis, ea pax facta fuerit: sed vrbe iamiam peritura, nec opinatum superuenisse tradunt auxilium, mouente contra Baiasitem maximis cum copiis Temire Chane Tatarorum. At vero quum apud Laonicum legatur, ingratum erga patrem filium Andronicum, dum a Baiasite regno præfici cuperet, eiecto patre Caloioanne, cum Manuele filio regni consorte, verbis inter alia talibus vsum: Habebo in vrbe iudicem siue præfectum Turcum: non absimile vero fuerit, adigente Baiasite Gręcos ad extremam desperationem, tamdem eorū imperatores, Caloioannem & Manuelem, in id etiam adsensos, quod vltro de Turcis in vrbem admittendis Andronicus obtulerat. Cur enim habiturum se iudicem Turcum promittebat, si nulli erant in vrbe domicilium habituri Turci, quibus ille Cadius siue iudex in occurrentibus controuersiis ius diceret? 52.

MELATIGE. SILISTRA. EMPOLI.

Quæ sit vrbs Melatige, de his Laonici verbis intelligitur: Post Ertzicam (rectius scripsisset interpres Ertzincam, vel Ertzingam, duplici gamma) captam, pro- 53.

gressus Baiasites, Melitinen vrbem, Euphrati impositam, in deditionem accepit. Hinc enim paret, Melatigē Turcos dicere, quæ olim vocata fuerit Melitine. Prothysteron dumtaxat animaduertendum, quod prius Erzingam a Baiasite captam fuisse commemorat, quam Melitinen: quum a Turcis contrarium scribatur. Est autem Melitine Leoni Augusto in nouella de Thronis Armeniæ secundæ metropolis. In Anatoliæ descriptione Geographica reperire est Malatiā ad Euphratem fluuium, quæ Turcorum est illa siue Melatige, siue Melatie, Græcorum Melitine, collocante hanc etiam Laonico super Euphratem fluuium. Silistræ nomen hodieque Turcis notum, ciuitatis in Macedonia, vbi Silistrensis Sangiaci sedes, Rumeliæ siue Græciæ beglerbego subiecti. Empolis haud scio, an non sit Amphipolis, vicina Serris, de qua dictum capite 43. Lembalo quidem reperitur in Græcia Castaldi, sita versus Thessalonicam, Emboli fortasse Turcica, cum articulo Italico. Nisi quis malit, datum loco nomen ab Embolo, propter similitudinem cum rostro nauis. Sed Amphipolim potius heic arbitror intelligi.

DESPOTARVM DIGNITAS. CRALES, CRALAENA. QVISnam Turcis Bulcus Despota. Bulcouitziorum Genealogia.

54. In Græcorum imperio prima, secundum regiam vel Imperatoriam maiestatem, dignitas erat eorum, quos ipsi vocabant Despotas: vti videre licet in Officiorum Palatij catalogo, passimque Græcis in historiis. Vicini principes Græcorum exemplum imitati, se quoque Despotas nominarunt, præsertim Bulgari, Seruiiq;: licet eosdem videamus in Græcorum historiis interdum regio quoque censeri titulo, quum Crales pro Despotis adpellantur, & ipsorum coniuges Cralænæ, pro Despinis. Idem in nostris etiam obseruauimus. Sic enim Thomas Ebendorfus in Austriacis annalibus manu scriptis: Elisabet, inquit, filia Friderici Austriaci regis Romanorum desponsata fuit aliquando Ioanni Bohemo regi Lucelburgico, qui eam reliquit, impotentiæ mendacio prætenso. Solicitata quoque, vt regi Syruiæ nuberet, torum schismatici (hoc est, religioni Græcæ addicti) recusauit. Enimundus Bonefidius I. C. putabat Cralis vocabulū a Karulo deriuari, & apud has gentes in honore habitum, propter Karuli magni nostri singularem virtutem, & famam rerum gestarum illustrem: vt a Karulo scilicet omnibus eorum populorum regibus nomē velut auspicatum indetetur. Sed ignorabat Vngaris, Bulgaris, Seruiis Kiral, aut contractius enunciando Cral, vocari regem: Cralna, reginam: quæ Polonis sunt Crol, & Crolna. Chalcocondylis etiam interpretes ambo in hac voce alucinati sunt. Ad Seruiorum principes, & hunc annalium locum vt redeamus, narratur Bulcus Despota Baiasiti filiam suam dedisse vxorem. Monuimus supra, Seruiæ Principes omnes a Turcis fuisse dictos aut Lazaros, aut Bulcos, aut Bulcoglios: eiusque rei causam reddidimus. Interim tamen ipsi peculiare quoddam singuli nomē, ritu Christiano in baptismi cærimoniis sibi datum habebant. Hoc igitur loco Bulcus Despota nominatur a Turcis, quem Stephanum Bulcouitzium, Seruiæ Despotam, sui vocabant. Id vel ex hisce Laonici verbis intelligitur: Postquam Eleazarus vitam finiit, principatum Stephanus Eleazari, cui Bulco nomen erat, Triballorum Dux, quorum metropolis Spenderobe dicitur, arripuit: Baiasiti strenue nauans operam, quandocumque auxilium eius implorasset. Quæ verba rectius vt intelligatur, obiter addo, Stephanum Eleazari filium, debuisse interpretem dicere. Dum etiam nomine Triballorum intelligi Seruios, quorum regia siue metropolis Spenderobe dicitur, hoc est, Senderouia. Nihilo minus & hic Stephanus, & filius Stephani Georgius, deinceps in Muratis II vita Lazari nominantur. Quum autem frequens horum Seruiæ Despotarum, quos supra diximus, adpellatos fuisse Bulcouitzios, mentio fiat tam aliis in historiis, quam hisce nostris annalibus: lubet hoc loco genealogiam ipsorum subiicere, de Turcicis, Græcis, Latinis, Italicis, Gallicis, Germanicis, Vngaricis expositionibus, ac præsertim Bonfinianis, excerptam: quæ nonnullis, vt spero, locis historiarum lucis aliquid adferet. Sumemus autem principium ab eo vel Lazaro, vel Eleazaro Bulco, quem Laonicus scripsit a Stephano rēge Bulgaro nanctum regionem Istro adiacentem,

ac deinde redactis in potestatem ditionibus aliis, ad Sauum flumen vsq; progressum fuisse. quibus verbis haud dubie Despotatus Seruiæ fines describuntur.

LAZARVS BVLCVS, Seruiæ Despotes, in prœlio captus anno Christiano 1390, & vindicandæ Muratis I mortis causa, coram Baiasite filio frustulatim concisus. Annal. Turc.

|

STEPHANVS Bulcouitzius, a Murate II ditione sua spoliatus, anno Christiano 1427. Annal. Turc.

GEORGIVS Bulcouitzius, Baiasiti militauit contra Temirem Chanem. a Murate II restitutus in paternum Despotatum, anno 1442. Annal. Turc.	N. Despina, Baiasiti Gilderuni nupta.

Stephanus candenti ferro cęcatus a Murate II.	Georgius, Laonico Gurgurus, ab eodem Murate visu priuatus.	Lazarus, successor patris in regno.	Maria, Sultani Muratis II vxor. Sic eam Spanduginus, non Irenem, vocat.
Lupus, vir fortiss. cui Matthias Vngariæ rex, ob rē bello Bohemico strenue gestam, castellū Feiezco donauit.	Ioannes, cum aliquot fratribus.	N. Despina, nupta Stephano Bozinæ regi, qui soceri quoq; principatū consequutus, tandē e castello Iaizæ Muchemetis II blanditiis euocatus, cute viuus exuitur: vitamq; cum regno, quod patri dolo surripuerat, amittit.	

CARA RVSTEM. ALI.

Causa prohibitæ monetæ veteris apud Turcos.

Nomen hoc, Cara Rustem, significat Rustemem nigrum. Rustemes vero 55. Turcis dicitur, quem nostri vocant Rostanem, quo nomine Sultanus Soleimanes memoria nostra Vezirem & generum habuit. Ali Turcis est sine aspiratione, qui Laonico dicitur Alies, aut Halies, vt interpres scripsit. Causa, vel prætextus causæ potius, cur Talismani, velut admodū religiosi & accurati Mahumetanæ legis obseruatores, vsum nummorum veterum e medio tollendum censerent, explicationem minime difficilem habet. Quippe nota lex Mahumetis, qua statuas, simulacra, sculptas & pictas imagines, ex interdicti diuini præscripto seuere prohibuit: notum, quanto zelo Musulmani Christianorū in templis imagines mutilare, frangere, destruere soleant. Itaq; quum Romanorum & Græcorum imperatorū imagines in nummis & aspris expressæ conspicerentur, violari Prophetæ legem clamabant, & abolendæ monetæ veteris auctores erant. Sed interim sub prętextu religionis impostores nequissimi quæstum faciebant, vt ipsimet Turci satis ingenue fatentur. Hodie non amplius animos Turcorum illa religio tantopere tangit, vt signatos Christianorū principum charactere nummos auersentur. Immo nummos siue ducatos Venetos, quibus vetitę lege Mahumetis impressę sunt imagines, Sultaninis suis, qui nihil habent legi contrarium, Arabicis dumtaxat insigniti litteris, longe præferunt. Taleris autem Germanicis, præsertim quibus aut ipsius Imperatoris, aut Ferdinandi Archiducis, aut Septemuiri Saxonis insculpti sunt vultus, vsque adeo non infesti sunt, vt ex illis ipsis sibi prohibitis adgnitos imaginibus expetant auidissime: nec dubitent, modo se pro mercibus suis eos habituros intelligāt, de communi pretio trientem vel quadrantem remittere. Ne pondus quidem horum explorant, quod tamen in Sultani sui, ceterisque monetis vsitatis, scrupulose facere solent.

Cur Imperatores Græcorum a Turcis dicti Teggiures.

Teggiures supra, numero 15, diximus a Turcis adpellatos Græcorum tam in 56.

vrbibus, quam prouinciis, præsides. Nomen ipsum a sollertia militari deducunt. Et scimus hos a Græcis non duces modo, qui sunt eis Higemones; verum etiam Stratigos & Stratilatas dictos, vocabulis duces militares significantibus. Quod autem Turci Teggiurum nomen etiam Græcorum Imperatoribus tribuerunt, ex alia nulla factum est caussa, quam irrisionis & contemtus: quasi scilicet Imperatorum nomine digni non essent, qui per angustis inclusi finibus, ipsiusque propemodum Constantinopoleos mœnibus circumscripti, præsides vrbis potius, quam augusti Romanorum imperij reges dici mererentur. Laonici locus est in historiæ principio, quo paucis exponit, quam in artum redacti tamdem fuerint imperij Græci limites. Animaduerti Græcos, inquit, & regnum eorum primo sub Thracibus exstitisse. Postea reliquo regno a barbaris exutos, paruum quoddam regnum gubernasse: videlicet Byzantium, Byzantiique maritimam regionem inferiorem, Heracleam vsque: ac iuxta Pontum Euxinum maritimam regionem superiorem, Mesembriam vsque: præterea Peloponesum totam, extra tres aut quatuor vrbes Venetorum. Ad hæc, Lemnum & Imbrum, & insulas ibidem in Ægæo sitas. Hactenus Laonicus. Baiasitis vero tempore ceteris exuti, cum ipsis etiam suburbanis agris, vix intra muros vrbis se tuebantur. Propterea per ignominiam Teggiures a Turcis audiebant.

CARAMANIAE BEGVS ALISVRIVS. Tekiensis regio.

57. De Caramania quære notata superius numero 13. Saltim hoc indicare nunc lubet, eum Caramaniæ Principem, cuius heic mentio fit, a Laonico nominari Alisurium. Narrat autem hunc, quum ceteros Asiæ regulos Baiasites ditionibus exueret, pacem cum eo fecisse: atque ita suis ipsum, licet aliqua cum iactura, consuluisse rebus, ne regno prorsus exturbaretur, annales addunt. Nomen diuerse scriptum legitur, Alisurius, Alidurius, Aliderius, Aluris, ex Laonici deprauatis exemplaribus. Notandum hoc quoque, quem Aliderium Caramanum a Murate II bello petitum scribat Laonicus, in his annalibus Ibrahimem vocari: sicut videre est in iis, quæ anno Christiano 1437 gesta referuntur. Hemidam esse Cerasuntem, ostendimus numero 40. Tekiensis regio Phrygia maiori cõtinetur, quatenus in mediterraneis ea versus Cappadociam, Armeniam, & Ciliciam se porrigit. Interpres Laonici Tecien pro Tekie scripsit. Et alicubi Laonicus ait, Tekien esse regionem vt Bithyniæ, sic etiam Ciliciæ vicinam: id est, a Bithyniæ finibus, ad Ciliciæ fines vsque pertinere. Coniunctas vero, Bithyniam Tekiensemque regionem, Othmaniam fuisse vocatas vno nomine: supra, numero 13, docuimus. Coniam esse priscũ illud Iconium, prius dictum fuit numero 12. Triturandi quoque modus explicatus numero 25.

ACSERAI. NIGDE. CAISARIA. BORLI.

58. Castrum album Turcis Acserai, siue domus alba dicitur. Vetus aliquod hoc nomine castrum vel opidum in iis locis nullum reperitur. In Ortelij tabula Natoliæ legitur Acsara. Ibidem quæ Turcis heic Nigde, Nigdia scribitur. Vtraque non magno a Conia vel Iconio distat interuallo. Vincentius Beluacensis Acserai vocabulum mutat in Hacsar, quum ait: Apud Hacsar inuenitur coctus & aluminis minera. Caisaria Ciliciæ, quam sic etiam Marcus Paulus Venetus nominat, dicta priscis Cæsaria fuit. Apud Beluacensem Gazaria corrupte scribitur. Borli duplex in Natoliæ descriptione conspicitur, vna Borli simpliciter adpellata, non procul ab Enguri vel Ancyra sita: altera cum cognomento, Tarachi Borli, non procul a Castamona & Sinope. Ad Ponti prouinciam vtraque pertinet, quæ regio principum erat Isfendiarum, quibus intulisse Baiasites bellum dicitur. Et quinam principes hi fuerint, explicatum abunde superius. Sinopen nouella de Thronis ad Amasianam metropolim Helenoponticam refert.

CASIBVRCHAN, ORTHOBVLES, ET MVLSVMANES, & Cyriscelebis, an iidem cum Emire Soleimane.

59. Quis begus ille Turcicus fuerit, cui Baiasites Sebastiam ademit, propter analium

nalium narrationes nimis succinctas sciri non potest. Hoc tamen minime dissimulandum, Sebastiam fuisse primam Turcorum in Asia sub Aladine regiam, sicut annales ab initio testatur, & Laonicus, qui progressos ex hac Turcos ait Asiam subegisse totam, vsque ad Hellespontum. Quapropter si hoc tempore superstites erant Aladinis posteri, vero simile est, eos Sebastiæ præfectum habuisse quemdam: cui ab æquitate summa inditum nomen Casi Burchan, lingua Turcica iudicem Dei significabat. Ad Sebastiam annales nostri a patre relictum fuisse tradunt Emirem Soleimanem filium, qui tamen a Temire Chane nusquam occisus legitur, sed imperasse post Isam fratrem a Musa necatum, totis septem annis. Laonicus autem Sebastiæ præfectum a patre memorat Orthobulem, qui captus ibidem a Temire, ac post aliquot dies interfectus fuerit. Vnde Baiasites accepto de morte filij nuntio, cuidam pastori tibia canenti dixerit: Cane carmen, cuius argumentum sit: Nec Sebastiam, nec filium Orthobulem amittas. Equidem sæpe multumque cogitans de conciliandis annalibus Turcicis cum Chalcocondylis & nostrorum expositionibus, quorum illi maximum natu filium Baiasitis vnum faciunt Emirem Soleimanem, hic duos diuersos ceteris maiores ponit, Orthobulem & Mulsumanem, nostris Cyriscelebim ficticium ingerentibus: in eam denique sententiam veni, vt Cyriscelebi citra controuersiam excluso, veluti quem nec Turci, nec Græci adgnoscant; reliquos duos, Orthobulem Mulsumanemque, pro vno & eodem Baiasitis filio Soleimane statuam habendum, quem tamen interfectum a Temire, capta Sebastia, per errorem Græci crediderint. Eius opinionis meæ causam hanc habeo, quod nomen Orthobulis non Turcicum esse, sed Græcum arbitrer: & idem significare Græcis, quod Turcis Musulman. Quippe quum in Turcia versarer, interrogatum a me virum magnificum & amplissimum, D. Bartholomæum Pezzenum, Cæs. Maiest. a consiliis, & nuper ad Portam Osmanicam cum munere Legati missum, quidnam vox Musulman Turcis significaret, respondere memini, vim illius eamdem esse cum Orthodoxi nomine Græco. Vixerat autem ille totos octo reipublicæ causa tunc annos inter barbaros, eorumque linguam norat. Quum igitur Græcis Orthodoxus sit, qui rectam sententiam tenet, idemque significet vocabulum Turcicum Musulman: sequitur, Orthobulis quoque nomen idem esse cum Musulmano, quando sic Græcis adpellatur is, cuius rectum consilium, recta voluntas est. Hoc modo manifesto paret, vnde Chalcocondylis error manarit, duos ex vno Baiasitis filios facientis: ex eo nimirum, quod vnum in duos distingueret, cui diuersis in linguis diuersum, sed vnius tamen significati, nomen erat. Nec mihi quisquam obiecerit, aliud esse Musulman, & aliud Mulsuman. Quippe vocem Musulman a Græcis enuntiari Mulsuman, & in historiis, & aliis ipsorum libris sæpissime deprehendi. Quinetiam verbum Musulmanissare, de quo superius dictum numero 22, multis in locis apud Græcos ita mutatum reperi transpositis litteris, vt Mulsumanissare legeretur. Ne hoc quidem tacendum, quæcumque Turci de Soleimane memorant, a Laonico ad Musulmanem referri. Quis ergo fieri posse non existimet, vt nomen Mir Sulman ab exteris commutaretur in Musulman? Sic certe Mirchan alicubi scriptum legere memini, qui nomine integro diceretur Emir Chan. Quod vero necem Orthobulis adtinet, quæ recensetur a Græcis, a Turcis silentio præteritur: nihil ea nostris rationibus officit, quum vice versa Turci Temiriano prœlio Mustapham Baiasitis filium occubuisse memorent, quem Græci tam certo non periisse credebant, vt alium quemdam mentientem hoc nomen, veluti suppositicium fratrem poscenti Muchemeti dedere nollent, mortuoque Muchemete contra Muratem II, Muchemetis filium, sua cum pernicie fouerent. Præterea non abs re mirum alicui videatur, Laonicum dicere, necatum a Temire Baiasitis filium Orthobulem: quum is auctori belli & iniuriarum, patri pepercerit; & expresse Laonicus idem postea scribat, (fide licet dubia) Mulsumanem, Mosem, Iesum, Mechmetem, & reliquos filios Baiasitis in potestatem Temiris venisse. Quid optatius accidere Temiri poterat, quam præter ipsum patrem filios habere in potestate, quibus occisis, Osmanidarũ in Asia regno, nemine repugnãte perpetuo frueretur? At tan-

tum abfuit, vt id faceret, vt etiam diserte Laonicus initio libri 4 fateatur, Mosem a rege Temire annonas in castris habuisse, tamdemque dimissum ex captiuitate, mari ad regionem patriam rediisse. Qui plurium, vel omnium potius vitæ pepercit, cur in vnum sæuiisse credatur? Adde testimonium hostis. Nusquam Turci scripserunt in annalibus, interemtum a Temire Baiasitis aliquem fuisse filium: sed sperasse Temirem potius, quempiam filiorum Gilderunis se conuenturum, quod illi formidine non necessaria trepidi, omiserint. Immo ferociam potius, & iracundiam sui Baiasitis, vituperant; Temiris humanitatem ac modestiam laudant. Superest vnum, quod obiici possit, de Ziche Orthobulis filio, quem Laonicus ait bellum intulisse Ioanni Comneno, Trapezuntino Imperatori. Sed heic mihi respondeat aliquis, vnde tamdem Ziches ille post mortem patris Orthobulis anno denique sexagesimo primum in scenam prodiit? quove modo saluus euasit e tot parricidiis & laniенis horum temporum in Osmanidarum familia, sub Musa, Muchemete I, Murate II, Muchemete II, qui omnes parricidæ fuerunt? Cur huic tam diu sęuus ille Muchemetes II pepercit, qui vix mortuo patre, sanguinem statim fraternum sitiit? An huic credidit exercitum suspiciosissimus omnium tyrannus? Denique constat ex Turcicis annalibus, id temporis viciniæ Trapezuntis præfectum a Muchemete fuisse maximum natu filium Mustapham, qui tantum decennio post illa cũ Trapezuntinis bella, Parthis in Armeniam & Caramaniam infusis occurrit, eisque cæsis, Iusufzem begum ducem viuum cepit, & patri misit: quod argumentum est euidens, fuisse tum Mustapham virilis ætatis, nec Zichem Osmanidam in iis locis vel imperiũ aliquod, vel exercitum habuisse. Quæ quum ita sint, restat vt statuamus quatuor omnino nomina, Orthobulis & Mulsumanis, quæ Græci tradiderunt; Cyriscelebis, quod nostri: Soleimanis, quod Turci; tamdem in vnum conferenda Soleimanem Baiasitis germanum filium, natu maximum: cuius si Ziches ille filius non fuit, nusquam ne nomine quidem tenus Turcis notus; cum Orthobule ficticio patre, suppositicius filius Græcis defendendus relinquitor. Habent lectores eruditi rationes meas, quas vel adprobandi, vel confutandi, liberam eis potestatem facio. Neutrum tamen ex duobus illis a Laonico memoratis, in Osmanidarum omisi familia, ne quis nimię me temeritatis arcessat: qui præter hos, necdum auditis aliorum iudiciis, pluribus etiam Baiasitis filiis, Iesu minori, Ali, Dusmi Mustaphæ, natalium controuersiam mouere nõ dubitauerim.

TECHRIN BEGVS, ERZINGAE PRINceps. Diorryges.

60. Qui Turcis est Techrin begus, Erzingæ vel Erzinzanis princeps, a Laonico vocatur Scender, rex Armeniorum: cui Baiazitem illato bello, Ertzingam ademisse, cum annalibus hisce consentiens, narrat. Postea tradit Tezetinem, virum regio sanguine ortum ab Ertziganis rege, puero Mustaphæ, Muratis II fratri, auxilio venisse. Hoc ego nomen, siue Tezetinis, siue Tezerinis, idem esse puto cum Techrine nostrorum annalium. Diorryges opidi nomen Græcum a fossis ab Euphrate perductis factum arbitror.

QVI TVRCOMANI. SVLTANVS Alcairensis. Cair. Miszir. Mizraim.

61. Turcomanos vocat auctor annalium Turcos omnes in Asia, ceteris subiectos begis, extra Osmanidas. Sic Turquia Beluacensi regnum Iconiense dicitur, Aythono minor Asia. Prætor Græciæ noster subditos Iconiensi Sultano duplices facit, partim Musulmanos adpellans, partim Turcomanos. De Musulmanorum nomine dictum antea, quod haud dubie tunc etiam paret habitum velut honestius. Turcomanos ait esse gentem, quæ Persarum (sic Turcos Iconienses vocat, velut e Perside oriundos) extremos fines insidebat, & implacabili odio Romanos (id est, Græcos) persequens, agendis prædis ex horum agris delectabatur, præsertim illo tempore, quo res Iconienses fluctuabant, mirificeque Tancharorum impressionibus turbabantur. Ergo Turcomani tunc erant infami vocabulo instar illorum prædonum, quos nunc Martelosos & Vscochos (vnde Scacchorum siue

siue latrunculorum nomen) vocamus. Prætor quidem tunc Michaëlem Palæologum, ad Iathatinem Sultanum Musulmanorum se conferentem, ab his Turcomanis omni comitatu & supellectile spoliatum fuisse narrat, nec quidquam suorum ab eis potuisse recipere, licet hinc inde dimissis mandatis, Sultanus imperasset: vt spoliato tam corpora, quam res ademtæ restituerentur. Alcairensem Sultanum annales more Turcico nominant, Ægypti Syriæque Sultanum, ab aulæ siue regiæ loco. Cairum Laonicus antiquam Memphim facit. Al, vt articulus, additur. Vox ipsa significat vrbem, excellentiæ causa: quod vrbium maxima sit. Hodie Turcis & Arabibus incolis Missir adpellatur, a vetustissimo tam Ægypti, quam Ægyptiorum nomine, Mizraim.

CHEMES. MVEIGE. BEALBEC.

Ciuitas Syriæ Chemes, olim dicta fuit Emisa: Gregorio Emiseno alumno 62.
clara, cuius exstant octo libri de homine, qui nonnullis in exemplaribus non recte Gregorij Nysseni nostri nomen præferunt. Ortelius notauit, quod Turcis & Arabibus sit Hamsa. Sed heic Chemes legitur, quod aliorum scripturæ vicinius, quibus Hames vocatur. Fit eius apud Aythonum his verbis mentio: Ciuitas Syriæ Hames, quæ Camela hodie adpellatur a pluribus. vbi videndum, an non pro Camela, scribi debeat Camesa. Mueige Turcis est, qui Græcis historiis nominatur Moauia & Mauia. Cursorem dixi, quem Turci Pec aut Peic, nostri lacqueium dicunt. Bealbec Syriæ cauæ ciuitas, Postello Balbec, priscis Heliopolis fuit.

CARABAG. VNGRA.

Ad Carabagum hibernasse Temirem tradunt annales, vrbem siue Parthiæ, 63.
siue Persiæ: quibus nominibus indifferenter vtimur, pro ea regione, quæ Turcis est Aiem, vel Aiem vilaget, de qua superius dictum numero notarum secundo. Vox Carabag significat lingua Turcica vineam nigram. Chalcocondyles scripsit, Temirem solitum se recipere Cheriam: quod primū Sebastia, quod itidem Chalepia (sic interpres scripsit) Damascoque captis, fecerit. Ergo veri sit simile, Cheriam a Laonico dici, quæ heic Carabag nominatur, nonnihil mutato vel a Græcis vel Turcis vocabulo. Engurim supra, numero notarum 10, diximus Ancyram esse. Tantum heic addendum putauimus obiter, hanc etiam in edito Chalcocondyle Vncram nominari: quod quum Græci mollius enuntient Vngra, propius accedit ad Turcicam adpellationem Enguri.

BVLCI FILIVS. DERVISLAR. MVSTAPHAE mors. *Græcorum de Baiasitis filiis errores.*

De Bulcis & Bulcouitziis prolixe tractauimus ad notarum numeros 46, & 64.
54. Heic tantum hoc moneamus, istum Bulci filium (qui Turcis est Bulcogli) expresse nominari a Spandugino Georgium, Seruiæ Despotæ filium: cuius maiores & posteros continuato superius stemmate complexi sumus. Ac temporum sane ratio Spandugini sententiæ nequaquam aduersatur. Deruisij seu Deruislari sunt illi quidem apud Turcos aliqua ex parte Calogeris Græcis, monachis nostris adfines, vti superius indicatum: sed aliis tamen de causis (modo Paulum Tomorreum, fratrem Georgium Vngariæ perniciem, & alios de nostris excipias) ea comparatio, quod vulgo solet dici, claudicat. Quippe quum vniuersa lex & religionis professio Mahumetana sanguinaria sit, speciem Turci quidem religiosæ pietatis in legis peritis ac Deruisiis suis requirunt: at interim ab agendis eos rebus, tam pace, quam bello, præsertim contra Christianos, & hostes reipublicæ suæ, nequaquam arcent: sed magis etiam, quam ceteros, deuouere vitam suam pro religione, proque lege patria, suos illos religiosos volunt. Hinc aliquot in Vngaricis finibus captos a nostris recordor, viros ceteroquin alicuius auctoritatis & existimationis, qui Deruislaros se profitebantur. Hinc in vita Muchemetis primi seditionem Torlacis monachi Turcici, & in vita Baiasitis II, Scachoculis eremitæ sanguinarij pugnas, & cædes, & grassationes immanes, quibus multa millia hominum absumta fuerunt; & in vita denique Soleimanis, ad annum

Christianum, 1526, Calenderis Zelebis & Deruisſariorum motus ac prœlia legimus. Hac ergo de cauſa Seruianos illos fortiſſime pro Baiaſite dimicantes Bulci milites, truculentos ac feroces Deruiſios adpellabat Temir, qui ſe vitamque ſuam pro ſalute ſuorum animoſe deuouiſſent. Germanum vero Baiaſitis filium Muſtapham hoc prœlio periiſſe diximus ex fide horum annalium antehac aliquoties, idque licet Sultanus Muchemetes primus, itemque Murates II poſt mortem patris ſæpius verum eſſe proteſtarentur: tamen vſque adeo Græcis impreſſa de hoc diuerſa erat opinio, Muſtapham vt alium, pro legitimo ſe venditantem, obuiis vlnis exciperent, & armis contra Muratem magna cum imprudentia, maloque ſuo, tuerentur: offerente ampliſſima quæque Murate, modo neutrius a partibus ſtarent, ac ipſos inter ſe rem armis decernere paterentur. Conſimilis huic Græcorum eſt error de Baiaſitis filio, quem fidium (ſic enim chordas interpres reddidit) opifex Pruſæus incolumem Byzantium perduxerit: quum tamen nulla fiat in annalibus Alis cuiuſpiam, Baiaſitis filij, mentio; nec ab ipſo quidem Laonico, quum alibi Baiaſitis filios recenſet. Notandum magis, quod etiam Mulſumane regnante narrat a Moſe Ieſuque fratribus occultatum fuiſſe Pruſæ puerum Muchemetem apud illum ipſum opificem chordarum, a quo Muchemetes hoc opificium didicerit. Et factum id ſcilicet a Moſe, omnium crudeliſſimo, vel ipſo Laonico teſte, ne ab aliis carus ſibi puer occideretur. Muchemetem vero iam grandiuſculum inde profugiſſe ad Alurim Caramanum, a quo adiutus, ſeruatori ſuo Moſi bellum intulerit: ſed victum confugiſſe ad Alim fratrem, exſulem ac inopem, & quidem Conſtantinopolim: vbi nonnihil reſpirauerit, collectiſque ſuorum reliquiis, denuo tentare belli fortunam decreuerit. Hæc Laonicus de puero Muchemete, chordarum opificis diſcipulo, pæne pueriliter, nec vero multas ob cauſas conſentanea. Magis idonei rerum Turcicarum ſcriptores, ipſi Turci, tradunt; rebus Temiriano prœlio deſperatis, Baſſas abduxiſſe ſecū, arrepta fuga, maximum natu Baiaſitis filium Soleimanem, veluti legitimum patris in imperio ſucceſſorem: & illorum exemplo Muchemetem, non puerum, (vt Laonicus putauit) ſed copiarum ex imperio paterno quarumdam ducem, ſuis itidem rebus vti conſuleret, Amaſiam cum ſuis ſe contuliſſe: quo loco deinceps eum vixiſſe, non ſemel annales tradunt: & indidem cum exercitu contra Muſam fratrem mouiſſe, poſtquam interfecto Soleimane, vindicem necis ipſius ſe profeſſus eſſet. Quæ res, meo ſane iudicio, dignæ ſunt hominum hiſtoriæ ſtudioſorū obſeruatione: quum in publicatis hactenus ſcriptis hiſtoricis, nihil intricatius de Turcicis rebus reperiamus, quam quæ de hoc ipſo tempore ſummæ Turcorum infelicitatis, memoriæ prodita legimus.

SEMERCANT. BAIASITIS MORS.
Annorum ratio.

65. Regionis Zacatainæ, cuius incolæ id temporis imperio Temiris parentes, Laonico Tzachataides nominantur, caput eſt vrbs Semercant, hodie mercium Indicarum emporio celeberrimo Septemtrionalibus etiam nota. Samarcanda plerumque vocatur, edito Laonico Samrachanta, litteris tranſpoſitis, pro Samarchanta. Sunt qui dictam putant a Sem, Nohæ filio, quorum opinioni Turcorum pronuntiatio Semercant adſtipulatur. Maracandam Sogdianę veteribus adpellatam exiſtimant aliqui. Ceterum Baiaſitem ex animi ægritudine doloreque mortuum ſcripſit Chalcocondyles, cui Turcicæ narrationes non aduerſantur: ſed addunt, hoc mœrore velut ad deſperationem adactum, mortem ſibimet ipſi conſciuiſſe. Quod dilucidius exponens Theodorus Spanduginus, ait Baiaſitem, ſpe libertatis amiſſa, cōſtituiſſe cum animo ſuo ſeipſum occidere. Sed quum nullum eius peragendæ rei modum inueniret, tam denique diu caput alliſiſſe illi caueæ de ferro factæ, qua tenebatur incluſus: donec præ furore fremens ac frendens, miſere ſibi mortem adferret, tyrannique vita, ſecundum poëtam, indignata ſub vmbras fugeret. Interpres Laonici pugnatum notat inter Baiaſitem & Temirem anno Chriſtiano 1397. Mortuum Baiaſitē ſcribit Franciſcus Sanſouinus anno 1398, Geufræus anno 1400. quos equidem falli opinor. Quippe ſecundum

rationes

rationes accuratas annalium deprehendimus, commissum fuisse prœlium anno vel 1399, vel 1400. Gilderunem vero mortuum anno 1403. Similiter in annis regni huius erratum a Laonico, qui 25 numerat, pro solis 14: de quo vide supra, numero 47, notata.

CASTAMONI. CONGERI, CONGI.

Claudiopolis ciuitas est Honoriadis, in Ponto prouincia, quam nou. Leonis 66.
Aug. metropolim facit, eique præter alios episcopatus, Heracliam quoque Ponticam subiicit. Hanc Marius Niger recenti nomine dici putat Castamenam, siue Castamonam: sed fallitur, quum rectius Castromena sit Claudiopolis. Castamona vero sita longius est, versus Sinopen opidum Helenoponti, & Paphlagoniam. Tam Sinopes, quam Castamonæ nomina, cum ipsis opidis, supersunt: vti videre est in annalium supplemento nostro, ad annum Christianum 1584. Istic enim tunc Osman bassa Vezirazemes contra Persas iturus, militem in hibernis habuit. Menauinus alicubi Castemolen nominauit. Cedrinus in Michaële Stratiotico siue militari, Castamonem adpellat, & in Paphlagonia collocat his verbis: Castamonem in Paphlagonia sitam veniunt, quæ sane Castamon domicilium erat Magistri [Officiorum] Isaacii Comneni. Prætor Græciæ noster Castamonam vocat in historia sua, de Michaële Palæologo, post victos a Tataris Iconienses, hæc commemorans: Michaël Comnenus, hoc prœlii euentu, cum maximo Persicorum exercituum duce, quem Peclarpacem Persæ (hoc est, Iconienses Turci) vocare solent, in viam sese dabat: adeoque pluribus vna diebus iter faciebant, quum hostem sibi a tergo inhærentem haberent, horisque singulis cum eo dimicarent. Tamdem festinabundi Castamonam perueniunt, iuxta quam domus indicati Peclarpacis erat. Hactenus Prætor. Quæ vero heic Congeri nominatur, eam ipsam esse puto, quam in Anatoliæ tabula Congi scriptam legimus, haud procul a Castamona dissitam.

GENVINI BAIASITIS FILII SECRETI a commenticiis.

Quæ de Baiasitis liberis hoc loco non multis verbis exponuntur, diligenti 67.
consideratione memoriaque digna sunt. Quippe quum illi de Turcorum sententia, non plures numero, quam sex omnino fuerint: quid aliud statuamus, quam reliquos hactenus nobis obtrusos, velut in iudicio status ab ipsis Turcis condemnatos, pro genuinis deinceps adgnosci non debere? Neque vero vel vnum, vel alterum dumtaxat hoc iudicium tangit, sed reiiciendi omnino totidem veniunt, quot extra controuersiam legitimi censentur: nimirum hi sex, Orthobules, Mulsumanes, Cyriscelebis, Alis, Iesus minor, Mustaphas cognomento Dusmes: cum primi ex his Orthobulis filio Ziche, quem ipsum quoque Turci ceu cretum Osmanidarum sanguine nõ adgnoscunt. Interim vero pro duobus explosis, duo succedunt hactenus quidem ignoti, sed a Turcis pro legitimis adgniti Gilderunis filii pro Dusme Mustapha, Mustaphas Zelebis, amissus in pugna contra Temirem: pro Iesu minore, Casanes Zelebis.

A QVO NECATVS FVERIT ISA. CONSTANtinus, pro Manuele Græcorum imperatore.

Scripsit Laonicus, inter Mulsumanem Iesumque maiorem gesta fuisse de 68.
imperio bella, quorum tamen annales hi non meminere, tamdemque Iesum a Mulsumane peremtum. Eius parricidii culpa Mulsumanem, hoc est, Soleimanem profecto immerentem onerat, cuius auctorem Turci Musam produnt, quibus cum ipsa rerum gestarum series consentit. De nomine Constantini, quo Turcos Græcorum imperatores omnes adpellasse, numero notarum 51 diximus, exemplum heic aliud habes. Is enim Græcus imperator, ad quem narratur Emir Soleimanes obsidum loco misisse sororem suam, fratremque natu minimum, non Constantini nomen habebat: sed Manuelis, ex Palæologina familia, cuius & superius facta mentio.

SEDES IMPERII TVRCICI DIVERSAE.

Quanam cærimonia Sultani Turcici regnum auspicari consueuerint, ex- 69.

positum a nobis est prolixe in annalium supplemento, initio regni Selimis II, quod incidit in annum Christianum 1566. Solebat autem hoc in ea fieri ciuitate, quæ sedes esset imperii. Principio Turcis ea fuit Prusa Bithyniæ, paullo ante mortem Osmanis ab Vrchane filio capta: quæ licet honorem hunc non diu retinuit, ex pristina tamen prærogatiua meruit, vt longissimi temporis spatio Sultani Turcorum mortui paternis & auitis istic monumentis, etiam diu post captam Constantinopolim, sicut in vita Sultani Selimis II de Achmete Corcuteque fratribus ibidem sepultis videre licet, inferrentur. Postquam vero transuectis in Europam copiis, Murates I, Vrchanis F. Osmanis N. Hadrianopolim cepisset: eodem & regni sedes ex Asia commigrasse videtur, quod recte se facturos Sultani ducerent, si rebus Anatolicis iam tranquillioribus, præcipuum militiæ robur Hadrianopoli velut in excubiis haberent: vnde, momentis rerum ex vsu suo gerendarum animaduersis, progredi paullatim latius, & in Europæ viscera grassari possent. Sansouinus existimat, primum omnium Muchemetem, Gilderunis filiũ, huc imperii sui sedem transtulisse, quod vrbium Thraciæ facile caput esset Hadrianopolis. Sed ante Muchemetis etiam tempora certum siue regiæ, siue Portæ Osmanicæ locum, Sultanos priores Hadrianopoli constituisse: pluribus ex locis Laonici manifestum est. Quippe de Mulsumane loquens: Profectus, inquit, Hadrianopolim, regni sedem, (hoc est, quæ regni sedes erat) regnum ordinauit. Et paullo ante de Mose: Hadrianopolim, ait, quæ regni sedes est, profectus; ibidem rex declaratur. Quam vero ad vrbem translata tertium fuerit Porta, nemo non nouit.

GERLE. DOLAP. SOLEIMANIS MORES.

De Isfendiarum ditione superius explicatum numero notarum 13, qua & Gerle comprehendebatur opidum. Id nota 19 diximus in tabulis Geographicis corrupte scriptum inueniri Gerede pro Gerele. Narrant vero annales, Soleimanem castra propter Gerlen, ad ripam fluminis, locasse. Non exprimitur eius fluminis heic nomen, sed in Anatoliæ descriptione Dolap vocatur. Soleimanis indolem Chalcocondyles quoque ceu bonam prædicat, eique magnas virtutes tribuit: sed eadem cum Turcis de perpetuis eius potationibus & luxu commemorat, quæ homini minus rerum suarum prouido sollicitoque, tamdem exitium adtulerunt.

VALACHIA CARABOGDANIA. Nemetsassi. Islach. Gallicia. Vaiuoda. Murze. Bogdan.

Dacia quondam adpellabatur amplissima regio, quæ Transsiluaniam cum
71. vtraque Valachia continebat. Et cingunt ambæ Valachiæ Transsiluaniam, quarum vna maioris nomen habet, altera minoris. Maior ad Euxinum mare se porrigit, & nostris Moldauia, Turcis Carabogdania, quasi nigra Bogdania, siue Bogdani regio, dicitur; a frumento nigro, cuius est ager ille feracissimus. Gallicus, & alter Chalcocondylis interpres, Podoliam perinscite faciunt, regionem iuris Polonici. Minor propter Danubii ripas extenditur, & plerumque Transalpina, Bonfinio Montana quoque, sicut & aliis, nominatur. Vlachiam vocauere Græci, & incolas Vlachos: pro quibus interpretes Zonaræ, Cedrini, & aliorum historicorum reddidere Blachiam & Blachos, contra molliorem pronuntiandi rationem Græcorum: quos imitantes Turci, non Iblach, sed Islach dicunt. Nomen Valachorum non a Flaccis Romanis, origine fabulosa, quæ pluribus tamen placuit: sed a Germanis nostris profectum arbitror. Habuerunt enim vicinos Daci Germanos, puta Quados, Gothos, Gepidas; in quorum agro, qui nunc Cepisiensis dicitur, incolæ præsertim Casemarco vicini se Nemetsassios hodieque nominant, voce de Nemetis (sic Vngari Germanos adpellant, vt Venedæ nationes Nemitzos) & Sassiis composita, quæ Sassios siue Saxones Germanos significat. Germani vero pleriq; tã Italos, quam Gallos, (qui Germanis sunt Walli, sicut Gilimer nomen Gothicum est Wilmer. Et in Anglia quoq; Wallorum nomen priscis incolis

colis prouincialibus, ab Anglosaxonibus nostris inditum, manet) vocare solent Walchos & Walischos: quorum linguæ prouinciali quum lingua Daciæ, quæ ipsa quoque Romanorum prouincia quondam fuit, adfinis esset: idem a nostris Walchorum nomen accepere, quod denuntiatione molliori mutatum in Walachos. Suffragatur huic opinioni meæ vetus etiam Galliciæ nomen, frequens in antiquis Vngariæ regum titulis, quo Valachia significabatur, eadem cum Gallis & Italis vtens lingua, sicut & nunc adfinitatem aliquam cum eorum lingua prouinciali retinet. Vaiuodæ vero nomen generaliter significat præfectum militum, quem capitaneum vulgo vocant. Sed apud Vngaros vt olim, sic etiam hodie, duæ sunt adpellationes administrationum maximarum: vna Bani, de qua suo loco, nimirum capite 174, plenius dicturi sumus, altera Vaiuodæ. Banus est præses regius in aliquo ex regnis Vngariæ adiunctis. Vaiuoda vero præses dicitur, loco regis administrationem habens in aliqua prouincia, puta Transsiluania, Valachia maiori, Valachia minori: sed ea lege tamen, vt gubernatore sit inferior. Vaiuodæ Valachi, postquam ab Vngariæ regum obœdientia se subtraxissent, more Græcorum Despotæ, de qua dignitate superius numero notarum 54 prolixe dictum, pro Vaiuodis audire maluerunt, quasi si principes essent absoluti: nec regibus subiecti, sed potius dignitate regibus proximi. Verum vsuuenit eis, quod Græcis accidisse constat, qui maximas ad angustias redacto imperio, titulos ampliores excogitarunt: vti nunc etiam apud Ausones nonnullos in ipso propemodum amittendæ libertatis articulo consimilia quædam adfectare, præter morem maiorum, videmus. Despotarum certe nunc illorum ea sub Turcica seruitute condicio est, mancipiorum vt nomine potius, quam principum, censendi veniant. Sed pergendum ad alia. Valachorum ille Vaiuoda, quem Annales hi Murzen vocant, Laonico Mirxes dicitur, Bonfinio Merches, hoc est, Marcus. Reperitur apud eumdem Laonicum & Mirdan, Valachiæ principis nomen, compositum ex hoc ipso Mirx & Dan siue Gdan. Nam & ipsa regio Bogdaniæ nomen accepit a Bogdanis siue principibus suis, qui vocabulo sane pio dicuntur Bogdani, tamquam Dei munus, vel Theodosii, vel Theodori, vel Dorothei. Meminit huius vocis & Cedrinus in Basilio Bulgaroctono, quum ait: Occurrit etiam imperatori Bogdanus, castrorum interioris regionis toparcha siue regulus.

SAMOBVNOGLI. AZAPI VEL AZEPI.
Laonici locus emendatus. Emir Halem.

Quem heic annales Samobunogli, siue filium Samobunæ vocant, infra 72. Scheich Bedredin adpellatur, vbi de seditione per ipsum mota prolixæ sunt narrationes. Stipendiariorum nomine intelligunt Azapos vel Azepos. Laonicus alicubi peregrinos dixit, more Græco, quibus Xeni vocantur, id est, peregrini, qui stipendiis conducti militant, hoc est, qui sunt misthophori, sicut iidem adpellant. Idem alibi: Turcorum pedites, ait, quos Azapidas vocant. Et omnino militiam hi pedestrem obeunt, licet alio libri octaui loco legantur hæc verba in vita Muchemetis II tunc Belgradum oppugnantis: Azapides (quos Hussarones nostri vocant) diripuerunt forum. Rex clamabat, vt eximerent eorum puellas. Heic primum lector obseruet, Azapidum nomine pedites Vngarorum ab auctore intelligi, qui regis siue Sultani Muchemetis forum, scilicet castrense rerum in exercitu venalium, diripuerint. Ergo quæ interiecta verba sunt, Quos Hussarones nostri vocant, glossema sunt interpretis imperiti, Azapidas pro Hussaronibus accipientis: quum Azapidæ pedites sint, Hussarones equites. Deinde puellas eximere dixit, quum Græci Laonici verba significent, oculorum coras siue pupulas aut pupillas eruere, vel effodere, quod paullo melius adiectis margini verbis redditum, Vt hostium oculos exsculperent. Præfectus autem signiferorum Turcis est Emir Halem, cuius supra, numero notarum 14, facta fuit mentio. Sane magnum huius officium est, & fructuosum, dignitateque proximum ab Aga Genizarorum. Sed Officiorum Portæ, tam eorum, quæ intra saraium, quam quæ foris ordinata sunt, expositio plena, locum poscit alium.

MVSAE SIVE MOSIS CRVDELITAS.

Lazarus, pro Stephano Seruia Despota, Lazari filio.

73. De Vidina dictum numero notarum 49, de Buruuada & Matera deinceps, loco magis idoneo, ad annum Christianum 1444, dicetur. Musæ siue Mosis crudelitatem, & iracundiam, ac tyrannidem in suos, Laonicus etiam commemorat, partim his verbis: Moses iræ imperare non poterat, sed præceps in eam ferebatur, quidquid illa dictasset, faciens: partim alio loco, verbis consimilibus: Optimus quisque indignabatur, ob Mosis violentiam & tyrannidem. Causam vero, cur bello Seruiæ Despotam persequeretur, Laonicus exposuit: quum recitat, eum a Despota desertum fuisse, Græcorum persuasionibus adducto, Mulsumanis vt partibus semet adgregaret, quod Moses ægerrime tulerit. Et Despotam hunc annales vocant Lazarum, quum tamen ex historia constet, hæc a Stephano gesta, Lazari filio, Georgii patre: quo de superius numero notarum 54 tractauimus.

GEIVISE, GEBISE. LIBYSSA, LEBVSA.

Astacus. Sinus Astacenus. Intzu.

74. Geiuise opidulum est Bithyniæ, situm ad Nicomediensem, vel Astacenum potius antiquitus dictum sinum, in ipsa via, qua Constantinopoli, quæ hinc itinere bidui abest, Nicomediam itur. Ea vero vlterius a Geiuise distat vnius itinere diei. Geographica Natoliæ descriptio Abrahami Ortelii Geiecen habet, voce nonnihil mutata: Busbequius in itinerario Gebisen scribit, additque putari, hanc olim fuisse Libyssam, Hannibalis sepulcro celebrem. Ego pace tanti viri Geiuisen hanc, siue Gebisen, non Libyssæ reliquias arbitror, sed Astaci. Nam Libyssa longius a sinu remota est, versus Bithyniæ mediterranea, & vrbem Nicæam: hodieque vocabulo propius ad Libyssam accedente, Lebusa dicitur. Astacum vero propterea puto nunc esse Geiuisen, quod heic in amœnissimum illum maris sinum prospectus pateat, quem ab Astaco, quondam hoc loco sita, veteres adpellauerunt Astacenum: vt paullo vlterius idem, mutato nomine, Nicomediensis dicitur. Astacus ipsa, cum Astaceno sinu, sic ab astacorum copia, quæ cancrorum marinorum species est, nomine vulgo Græcis hodieque Constantinopoli noto, mihi quidem videtur adpellata. Quæ paullo post nominatur Intzua, pagus aut vicus est ignobilis, haud procul a Tzurulo situs in itinere, quo Constantinopoli Selybriam, & vlterius Hadrianopolim itur. Eius deinceps quoque fit mentio in extremo Selime I, qui correptus istic pestilenti morbo fuit, quo subito periit.

AKENZI, VEL ACANZII.

75. Sine stipendio militant apud Turcos Akenzi, rusticum genus hominum, sicut apud Vngaros Haiduchi. Quidquid consequi prædæ possunt, sibi retinent: non totum tamen. Quippe non aliarum dumtaxat rerum suarum, quas possident, verumetiam omnis tum prædæ, tum lucri, quod in bellis percipiunt, decumas Sultano suo soluere coguntur. Itali genus hoc militum sua lingua Ventureros adpellant, priscis Volones dicti fuisse videntur: vnde Callimachus Experiens non ineleganter nostros Cruce signatos, Volones nominauit.

MICHALOGLI. TOCAT.

76. Prima nominis Michalinorum, siue Michalogliorum, siue Michalidum mentio, in his quidem annalibus, hoc loco reperitur. De his dictum a nobis antea numero notarum 27. Vrbs Tocat, quo relegatus fuisse dicitur Mechemetes Michaloglius, existimatur a plerisque, quos inter & Marius Niger est, respondere veteri Neocæsariæ, quam in Cappadocia collocant, ipsam quoque prouinciam Cappadociæ Toccatum adpellante Pineto: quum Leonis Augusti Nouella de Thronis, Neocæsariam facit metropolim Ponti Polemoniaci. Tocatam hanc nostram Laonicus Tochatam scripsit, nec desunt, qui malint eam referre ad Armeniam. Bellonio certe Nisar est Neocæsaria, nomine recentiori, quod paullo propius ad priscum illud videtur accedere. Pedites, quorum dux in Valachiā profugisse dicitur, paullo ante dicti fuere stipēdiarii, Turcis Azepi, de quib. num. 72.

VARSAC, SIVE VERSAC. CONIAE BEGVS.

Opidum Caramaniæ siue Ciliciæ, quod annales Varsac & Versac adpel- 77.
lant, in Anatoliæ tabula Geographica Versageli scribitur. Coniæ princeps, siue
begus Iconii, Caramaniæ princeps dicitur, ab aula siue regia Iconiensi. Et bello
petiit hunc Muchemetes, propter societatem cum Musa: cuius adiuuandi causa
Prusam Caramanus obsederat, dum Muchemetes absens, in Europa rem contra
ipsum Musam fratrem gereret.

SAMPSONIS OPIDVM.

Huius ciuitatis Cedrinus & alii meminere, tamquam in Ponto prouincia 78.
sitæ. Prætor Græciæ noster ait, in illa regni vel imperii Græci confusione, quæ a
Flandris capta Constantinopoli exstitit, Sabam quemdam pro se hanc vrbem
Sampsonis occupasse cum tota vicinia, cui prius imperatoris Græci nomine præ-
erat: statimque subiicit mentionem Cappadociæ siue regni Trapezuntii, velut
huic vicini, quod in potestate Dauidis Comneni tunc fuerit.

ROMANIA. CVNVZA, CONOZVS. TA-tarbasar. Tatargoi.

Quum Tatari dicuntur in Romaniam ex Asia migrare iussi, Romaniæ no- 79.
mine Thraciam accipito, cuius hoc annalium loco expressum castrum Cunuza,
non procul abest ab vrbe Philippopoli, & Conozos Græcis nominatur. Castal-
dus in hodiernæ Græciæ tabula Geographica vocat Cognuzam, Italica Græca-
que pronuntiatione. Nos in itinere nostro per hæc ipsa loca proficiscebamur, &
in opidulo quodam pernoctantes, ibidem deprehendebamus ex ipso nomine lo-
ci, fuisse regionem hanc olim Tataris, huc velut in coloniam deductis, ad inhabi-
tandum concessam. Nam opiduli nomen incolæ dicebant esse Tatarbasar, quæ
vox emporium siue forum Tatarorum significat. Nec longius, quam sex aut se-
ptem horarum itinere, distat a Philippopoli. Ponitur ibidem a Castaldo Tartagi,
prorsus vbi Tatarbasar viatoribus ab Hæmi iugis altissimis in plana Thraciæ de-
scendentibus occurrit, in æquore spatiosissimo, longeque pulcherrimo sita: quod
nomen a Tataris itidem videtur deriuatum, fortasse Tatargoi scribendum, quod
Tatarorum est pagus, & idem scilicet cum Tatarbasar.

MANISSA. TORLAC.

Turci Manissam vocant vrbem Asiaticam, quæ Græcis est Magnisia, Lati- 80.
nis Magnesia. Sansouinus & alii non recte Mangresiam putant hodie nominari.
Sunt autem in Asia minori ciuitates huius nominis duæ, quarum vna dicitur ad
amnem Mæandrum sita Magnesia. Hanc Ephesinæ metropoli nouella Leonis
Augusti subiicit. Alteram ad Smyrnensem metropolim refert, amenissimo sitam
versus Ægeum mare loco. Superest etiam nunc vtraque, sed posteriorem illam
puta, quam Sultani Turcici filiis suis inhabitandam adsignare solent inueterata
consuetudine: sicut ibidem diximus supra, iussu paterno iam Muchemetem, vni-
cum Sultani Muratis III filium, degere. Torlac, nomen est apud Turcos certi ge-
neris religiosorum, diuersa quædam a Calenderum & Deruisiorum professione
sequentis instituta: de quibus omnibus suo dicendum aliquando loco. Et hic ille
Torlaces monachus siue religiosus est, cuius obiter mentionem supra fecimus
numero notarum 64. De Serris antea dictum numero 43. Salonicam vulgo no-
tum priscis dictam fuisse Thessalonicam.

SCHEICHE. SOPHI. PRIMA SOPHI-lariorum seditio.

Sunt hæc quoque nomina siue sacerdotum, siue peritorum Mahumetanæ 81.
legis, & eiusdem interpretum. Scheiches apud Turcos pæne pro viris sanctis ha-
bentur, veluti qui animarum curam gerant. Ex horum numero quemdam sibi
deligit etiam ipse Turcorum Sultanus, quem in omnibus, quæ ad salutem animæ
suæ pertinere putat, consulit. Ceterum hoc loco prima notanda Sophilariorum
in annalibus hisce mentio, de quibus infra suo dicturi loco sumus. Eorum nomen
non a Græco Sophos, quod sapientem significat, sed a Sophi, voce Arabica deri-
uatum est, qua denotatur lana. Nam hi Sophi profitentur religionem ceteris

Mahumetanis nouam, quæ præcipit inter alia, ne caput fastu quodam lineis spiris inuoluatur, quod Turci factitare solent: sed vti capitum tegumenta dumtaxat humilitatis modestiæque declarandæ causa, de lana conficiantur. Plura de his, vbi deinceps ad Sophinorum mentionem peruentum fuerit, exposituri capite 188 sumus.

ANNI MVCHEMETIS. ISMYR IN ANATOLIA.

82. Redegimus supra, numero notarum 47, Sultanorum annos, quibus regnarunt, ad certos numeros. Ibi traditum inter alia, Muchemetem primum octo dumtaxat annis imperasse. Licet hoc colligere de Turcicis annalibus, qui principium regni Muchemetis ad annum Mahumetanum 816 referunt, anno Christiano 1414 respondentem: mortuum vero notant eumdem Muchemetem anno suo 824, qui noster est 1422. Ergo dumtaxat annis octo rebus præfuit. Hoc ideo significandum putaui, quod loco prius indicato scripserim ex Sansouino, regnasse Muchemetem annis 17, pro quibus 12 annos Chalcocondyles posuit: quum accuratior sit annalium Turcicorum computatio. Ciuitas Isinyr a Turcis dicitur, quæ Græcis est in Asiæ minoris Ionia nobilis illa Smyrna.

MVSTAPHAS ALIENVS, IN OSMANIDArum se familiam ingerit. Exemplum huic simile de Voldemaro Brandeburgico.

83. Ne mirum aliquibus videatur, potuisse Dusmen Musthapham, pro Mustapha Zelebi, dudum amisso Baiasitis filio, se tanto venditare artificio, vt eius patrocinium non Græcus dumtaxat imperator, sed etiam magni Turcorum principes, Smyrnæus ille Chuseines begus, Aidinensis, Sarchaniensis, Mentesianus, Chemidensis, susciperent: libet heic ex annalibus manuscriptis exemplum subiicere simillimum de quodam, qui 60 plus minus ante hos Dusmis Musthaphæ motus annis, se principem Brandeburgicum, Imperii Romani septemuirum, mentitus fuit. Et ipsis hæc annalium verbis, e lingua Germanica Latine redditis, exponemus. Anno (inquiunt) 1348 Rudolphus Saxoniæ Dux secum ipse dispiciebat, qua via Ludouicum Bauarum, Ludouici Augusti Bauari filium, principatu Brandeburgensi pellere posset, quod quidem parum abfuit, quin perficeret. Diuulgabat enim, Marchionem Voldemarum Brandeburgensem, qui ante triginta & vnum annos amissus, peregrinationes varias priuati hominis habitu susceptas obiuisset, nunc tandem inuentum esse. Hoc modo productum in scenam molitorem quemdam, verum adserebat esse Voldemarum Marchionem Brandeburgicum. Ille vero molitor in Saxonia secreto pluribus annis habitus, ea signa corporisque notas, quibuscumque fieri potuerat artibus & astu, acceperat: vt confidenter profiteretur, certis se probaturum documentis, vere se Marchionem Voldemarum esse. Mox ergo reperti denuo Voldemari Marchionis, tot ab annis amissi, fama per omnes regiones didita fuit: eoque rumore permotis multorum animis, complura castella, cum ciuitatibus & opidis, molitori deditionem faciebant. Si qui vero dedere se nollent, tam auxiliaribus Karuli Bohemiæ regis, & Imperatoris Septemuirûm quorumdam suffragiis electi, qui Bauaro infestus erat, quam Saxonis Rudolphi copiis, ad accipiendum molitoris imperium, adigebantur: adeo quidem, minor vt Brandeburgici principatus pars in potestate Bauari maneret. Tamdem intellectum, molitorem esse, qui se pro Marchione Voldemaro gereret. Qua de causa Daniæ rex, & Ludouicus Romanus, alter imperatoris Ludouici Bauari filius, Ludouici Brandeburgici frater, itemque Cracouiæ rex, & Stetinensium Dux, ac plures Poloniæ Silesiæque tunc ad Poloniæ iura spectantis proceres, cum Bauaro se coniungebant: quorum auxiliis adiutus, varias rerum difficultates vtcumque superabat. Committebantur & diuersa prœlia, nonnumquam vincentibus molitoris illius copiis, qui Marchionem se Voldemarum adserebat: ac vicissim Bauari militibus aliquando sua quoque tropæa statuentibus. Vna tamen in pugna quadam dimicatum a Bauari partibus sane quam infeliciter, Ludouici Romani, qui Bauari frater erat, auspiciis parum auspicatis. Nam is vix saluus euasit, captusque magna cum

gna cum ficticii Voldemari gloria fuit ex partibus Bauari, Dux Rudolphus Palatinus Rhenensis cum LXXIX nobilibus galeatis: quos inter XL Poloni numerabantur, & in his XIIII tum fratres, tum adgnati, qui easdem gestabant galeas, & gente Zerlizia nati erant. Ea clades tantum de Bauari opinione deminuit, vt aliquot ab eo ciuitates deficerent, quæ prius ab ipso steterant. Hoc modo totum triennium durante bello, tranquillo principatus Brandeburgici possessione Bauarus potiri non potuit: donec tamdem redactus in potestatem molitor ille, commenticius princeps, & ad ignis supplicium damnatus exureretur. Non ouum ouo magis simile, quam hic Voldemari molitoris motus, illi Mustaphæ suppositicii conatui similis erat. Ac ne quis inæqualem Dusmi fuisse Voldemarum, ratione potestatis & imperii, quod adfectabat, suspicetur: vt nihil de labefactatis Osmanidarum viribus post calamitatem Baiasitis dicam, saltim videamus ex ipsis aliorum annalium manu exaratorum Latinis verbis, quam potenti principi molitor ille succedere voluerit. Anno, inquiunt, 1310 Voldemarus Brandeburgensis Marchio, mortuis fratruelibus & patruis, diuisum in multas partes totum solus illius tituli obtinuit principatum: & glorians in fortitudine ac magnitudine potentiæ suæ, curiam celebrem & famosam indixit regibus & principibus, prope longeque positis: habiturum se nuptias cum filia patrui sui significans, & omnes missis veredariis ad huius sollemnitatis gaudium inuitans. Eam tenuit in ciuitate maritima Rostochio, sita maris ad portum, vnde versus Daniam, Suetiam, Noruegiam, & ad partes alias nauigatur: in quem etiam nauigia mercium diuersarum de diuersis & remotis regionibus adpellunt. In hac curia fuit rex Daniæ, cum duobus Ducibus, fratribus suis, & immensa multitudine populi terræ suæ: Duces, Comites, Liberi Barones innumerabiles de Saxonia: Marchiones & magnates tam de illis, quam de exteris partibus, quorum numerus vix poterat æstimari. Marchio manibus regis Daniæ miles cum magno decore insignitur. Mille septingenti nobiles, in hoc tirocinio, nouæ militiæ cingulo per Marchionem cum pompa maxima decorantur. Ibi Dominarum de diuersis partibus formosarum, sicut & militum, innumerabilis exstitit copia. Tentoria per campos erecta, scarlato circumdata, cum opperimentis, subselliis, & stratoriis, velut aurum micantia videbantur. Putei pleni vino, cereuisia, & medone, ad potandum: specus repletæ carnibus, piscibus, & frumento: naues onustæ speciebus aromaticis, ad corporales explendas delicias, habebantur. Quæ quidem gloria post hæc in fauillam breui est redacta, propter nuptias illicitas, & fastum gloriæ temporalis. Nam ipse Voldemarus Marchio sine herede decessit, & ad Imperium totus ille principatus amplissimus deuolutus fuit. Hactenus Annalium verba, quorum lectionem Magnifico Domino Hieronymo Beck a Leopoldstorf, vt alia plura, debemus. Ex his autem liquido paret, non minoris fuisse momenti Voldemarianum hoc negotium, quam illud Mustaphæum. Recenseamus & alia, quæ in comparationem vtrimque venire possunt. A Mustapha stabat Imperator Græcus istic, a Voldemaro stabat Germanus Imperator heic: & tanto quidem potentior, quanto Græcum imperium id temporis Germanico debilius erat. Præter Imperatorem cum Mustapha coniuncti principes illic erant, heic Voldemarum quoque principes præpotentes fouebant. Debilitatam Muratis potentiam Græcus Imperator, & Turcici volebant principes, quod a Murate sibi metuerent, suaque tueri pariter, & prius ab Osmanidis sibi per vim erepta recuperare niterentur: itidem volebat deminutas Bauari vires Karulus imperator Occidentis electus, quod illum velut æmulum, qui patrem habuisset imperatorem, non abs re sibi suisque rebus formidabilem putaret: volebat eumdem ditione Brandeburgica pulsum Rudolphus Saxo, stirpe Anhaltinorum ex Alberti Vrs. posteris editus, vt aliqua ratione principatum illum sibi suisque repetere tamdem aliquando posset, quem iure propinquitatis & adgnationis cũ Brandeburgicis principibus exstinctis, ad se pertinere putabat. Triennio toto Murates imperio potiri quieto non potuit, defendente se istic Mustapha, resq; turbante Turcicas: heic triennio nec Bauarus vti frui Brandeburgica regione, nec vinci

potuit Voldemarus. Mustaphæ tristis fuit illic exitus, heic infelicior molitoris Voldemari. Mustapham neci dedit istic laqueus, heic Voldemarum rogus absumsit. Hoc modo causas, consilia, personarum rationes, & rerum euenta fuisse consimilia, respondentibus etiam temporibus ipsis, videmus: ideoque tam sibi rebus omnibus gemina, tam illustria duo sæculi vnius exempla, iucunda lectu, consideratione digna, libenter heic ob oculos ponere studiosis historiarum voluimus.

VARDARIVM OPIDVM. VARDARIVS amnis. Vardariotæ. Vardari. Verdari.

84. Quod legitur in annalibus Vardarium, Thessaliæ opidum est, ad Vardarium flumen, quod Axium priscos dixisse, Prætor noster & alii notant, ad septimum a Thessalonica lapidem situm: licet fossæ Vardariæ 100 milliaribus Græcis absint a Thessalonica, de quibus alibi. Meminit Leo Sapiens Augustus in nouella de Thronis episcopatus Vardariotarum, quem metropoli Thessalonicensi subiicit. Et hosce Vardariotas etiam Turcos nominat, translatos aliunde scilicet huc, ad Vardarium fluuium. Scribimus autem Vardarium, more Græco: quum alii Bardarium malint, contra pronuntiationem incolarum, quibus est Vardari, & Verdari.

CHVSEIN BEG, GRAECIS ZVNAITES.

85. Quem Turcici annales Chuseinem begum, Ismyræ principem nominant, Laonicus Zunaitem vocat Smyrnæum principem: qui cum Dusme Mustapha captiuus a Græcis custoditus fuerit in Epidauri arce, nunc Monemuasia siue Maluasia, & in Imbro Lemnoque insulis, quam diu Sultanus Muchemetes vixerit, cui quidem hac in re gratificati sint. At Muchemete mortuo, Mustaphas cum hoc liberatus, & Murati Muchemetis filio fuit oppositus, præsenti cum rerum Græcarum discrimine, sicut idem prolixe commemorat. Obiter hoc etiam adiicitor, Zuanitem hunc dici Sansouino, non Zunaitem: per oscitantiam scriptoris, vt puto.

VLVBAT. LOPADIVM. LVPADI. Rhyndacus: Michaltzi.

86. Monuimus supra, numero notarum 16, quod Turcis opidum minoris Asiæ dicatur Vlubat, Laonico Lopadium esse, nunc vulgo Lupadi nomen habere. Meliensis Antonius, Podota noster, cuius supra meminimus numero notarum 24, Lapidum quoque dici volebat. Sed heic addendum, non opidum dumtaxat esse Lopadium: sed etiam lacum Lopadium & profluentem e lacu Lopadium amnem, eodem conspici loco, & iisdem adpellari nominibus. Licet hoc etiam perspicue de Laonici verbis intelligere, quum res easdem referens, ait: Eo tempore castra Murataei metabantur prope Lopadium lacum, & regionem Michalicii vastabant: vbi lacus multis ambagibus per angustias in mare semet effundit, & ibidem pons est. Mustaphas autem accedens, castra locauit iuxta ostium fluuii, qui ex lacu promanat. Quibus in verbis quæ Michalicii regio vocatur, nunc Michalizi, tam ab huius nominis fluuio, quam ab opido dicitur: quod a Lapido siue Lopadio milliaribus Græcis 10 distat. Addendum & hoc, amnem Lopadium priscis dictum fuisse Rhyndacum.

Falso rumore didito, res magni momenti confecta.

87. Præter illud strategema, quo Mechemetes begus Michaloglius Mustaphæos proceres ac milites in partes Muratis adtraxit; aliud etiam a Laonico memoriæ proditum est, quo singularis vafriciei commento res pariter ac spes omnes Mustaphæ funditus euersæ corruerunt. Ait enim, missis ad Græcorum imperatorem ac proceres, tam a Murate, quam Mustapha legatis, Græcos tamdem re deliberata Mustaphæis adsensos, Murataeorum postulata reiecisse. Tum vero Murataeos suorum in castra, maxima cum festinatione reuersos, mox falsum sparsisse rumorem, quo Græcos adfirmabant Muratis partes amplexos. Ea re per transfugas, vt fit, in hostium quoque castris didita, summopere perturbatos Mustaphæos, quorum legati cum peroptato Græcorum responso necdum adpulerant,

lerant, abiectis animis vel Muratis se gratiæ ac fidei permisisse, vel fuga saluti consuluisse: quod ab ipso quoque Mustapha factum, Zunaite patritum ad principatum se recipiente. Memorabile profecto exemplum, quo pacto nonnumquam in bellis res maximæ rumoribus vel prosperis, vel aduersis, cum dexteritate sparsis, perficiantur.

BVGA. GVBA, PRO BVGA.

Quo loco sita sit Buga, satis intelligi potest de notatis superius ad numerum 88.
24. A Lopadio non longe distat, habetque lacum, ex quo promanat amnis Buga, ciuitati cognominis. Recentioribus Iuba vel Guba scribitur, litteris transpositis. Amnis Buga, quem diximus, Lopadio flumini miscetur: quod itidem Græcos olim Rhyndacum adpellasse, paullo ante notauimus.

GENVENSES QVIDAM IN EVROPAM MVratis II copias trans Hellespontum, accepta mercede maxima, transportant.

Referunt Turci, Muratem, vt Mustapham fugientem opprimeret, quum 89.
omnes ad Hellespontum propter Calliopolitanum traiectum naues in terram ille subduxisset, mercatorum impositas nauigiis copias suas trans Hellespontum vehi curasse. Quibus in verbis, quinam illi mercatores fuerint, non exprimitur. Sed Laonicus, rem disertius exponens: Præuerterat, inquit, Amuratem Mustaphas, Callipolim transfretando. Amurates vero nactus Ianuensium nauim maximam, quæ forte adpulerat, cum gubernatore paciscitur, vt se cum Peregrinis & militibus Ianuæ, (stipendiarios & Portæ militos vertere debuit interpres) reliquisque copiis, in Europam transueheret. Mercedem gubernatori soluit maximam, quantam pollicitus pecuniam fuerat, impigre numerando. Hinc ergo iam cognoscitur, mercatores illos fuisse Genuenses, quibus alii Muratem in singula transuehendorum capita ducatos singulos, alii binos soluisse memorant. Et notandus hic locus tam Laonici, quam annalium, propter nostrorum alucinationes, quorum alii nauatam hanc Turcis aiunt a Genuensibus operam tempore primæ Turcorum transiectionis in Europam, in quibus est Nicolaides, de quo supra dictum numero notarum 24: alii referunt ad id tempus, quo rescissis auctoritate Pontificis induciis, quas Vladislaus Polonus Vngariæ rex cum Murate pactus fuerat, Eugenius IIII Pontifex, & Italiæ principes, Vngaro promiserunt, se triremibus obsessuros Hellespontum: quo minus ex Asia Murates, vbi bellum contra Caramanum gerebat, in Europam transmittere, conatusque Vladislai regis, Europa Turcos eiecturi, posset impedire. Quo sane tempore, si Genuenses transportandis Turcis operam Murati nauassent: ceu pessime de tota meriti republica Christiana, diris omnium deuoti fuissent. Sed hoc quidem eos Laonicus & annales hi crimine liberant, quum interim negari nequeat, hanc Genuensium, priuatorum tamen hominum operam, in hoc tempore contra Mustapham Murati præstitam, non leue Græcorum rebus adtulisse damnum, ac proinde ceteris etiam totius Europæ populis Christianis fuisse noxiam. Bolairis & Ezeæ planiciei loca superius exposita sunt numero 25. Tantum heic obseruandum, nomine Boleri siue Bolairis, etiam opidum heic situm intelligi. Mortis genus, quo Mustapham Murates adfici iusserit, nimirum vt de pinna quadam murorum vrbis Hadrianopolitanæ suspenderetur; a Chalcocondyle silentio præteritum, a Turcis memoriæ proditur.

LAZARI DVO, SERVIAE DESPOTAE, simul.

His annis Bonfinius cum vno Georgio, Despota Roxianorum siue Razia- 90.
norum, qui & Seruii, Muratem bella gessisse scripsit. Annales vero Turcici tradunt, anno Christiano 1427 Lazarum Despotam senem ditione sua prorsus exutum: nihiloque minus anno sequenti proximo Muratem, instaurato bello, Lazari regionem vniuersam populatum esse. Quibus ex verbis equidem colligo, nomine Lazari senis intelligi Stephanū, Lazari primi filium, quem Murates regno eiecerit: sed ab eius filio receptam mox ditionem, a Murate direptam anno proximo

fuisse: Lazarum vero iuniorem hunc, Georgii nomen habuisse perspicit ex horum Despotarum stemmate lector, quod supra, numero notarum 54, dedimus.

IBRAHIM, PRAIMES, ET MPRAIMES.

91. Qui Turcis Ibrahim bassa, Chelilis bassæ pater dicitur, Laonico Praimes est, Alis filius: quo loco notauit ad libri marginem interpres, hunc eumdem esse cum Chaiambego. in quo sane fallitur. Nam hic Chaiambegus interpretis, Laonico libro sexto Carambes dicitur, Priami filius, Chelilis frater. Vbi nota, Priamum vocari nomine corrupto, loco Praimis, quem Græci Mpraimem scribunt, ob difficilem ipsis pronuntiationem litteræ nostræ B, pro qua MP ponunt: vt Mpaiasites, pro Baiasites: Rompertus, pro Robertus: Mpiperius, pro Biberius, cognomine Tiberii: Mpaiulus, pro Baiulo: quæ posteriora duo reperiuntur apud Cedrinum & Gregoram. Laonicus libro deinde octauo etiam Preimem, siue rectius Mpreimem dixit. Et Græcum Praimes siue Preimes, Turcicum Ibrahim, facta sunt ex Hebræo Abraham.

MVRATES SALONICAM EXPVGNAT.

92. Annales hi quidem non indicant, cuinam Murates Salonicam siue Thessalonicam ademerit: sed res sic habet. Anno Christiano 1423. Thessaliæ ciuitas Thessalonica vendita Reipublicæ Venetæ fuit ab Andronico Palæologo, Manuelis Imperatoris Græcorum antepænultimi filio, pænultimi Ioannis, & vltimi Constantini fratre: cui lege permutationis, annui reditus ciuitatis Taruisinæ cesserunt. Sed mortuus fuit Andronicus in itinere, dum Venetias nauigaret. Nihilo minus vrbe potiti Veneti, suos eo Rectores misere: quorum primus fuit Marinus Bondomerius, cum titulo Comitis Thessalonicæ. Venditio propterea facta fuit, quod Græci nullo se modo Thessalonicam aduersus Turcorum vim posse tueri viderent: licet vrbs ipsa magnitudine insignis, copiis locuples, Thermaici sinus portu nobilis, nec vlli Græcarum ciuitatum ceteris ornamentis inferior esset. Anno deinde 1431 Sultanus Murates eam obsedit, ac multoties oppugnatam, Venetis tamdem eripuit: cæsis defensoribus, ac præsidii Veneti reliquiis naues ingressis, quæ in portu stabant, earumque subsidio Turcorum e manibus dilapsis.

MONS ZOGA, QVI ET TOGANUS, & TUGANUS.

93. Quæ Turci montana Zogæ vocant, Græci vel Toganum montem, vt Laonicus; vel Tuganum, vt Prætor noster, dixerunt. Laonici locus hic est. Mustaphas, inquit, tamdem nusquam tutus, fuga se contulit in montem, quem incolæ Toganum vocant. Prætoris autem hæc verba sunt: Imperator etiam montem Tuganum in potestatem redegit, & opidulum in eo condidit: quo Nicolaum Cotertzen ablegauit, vt excubias illic ageret, & Latinis intra Tzurulum degentibus negotia facesseret: quod quidem opidum Tzuruli non magno tempore interiecto Romanis a copiis occupatum fuit. Quibus e verbis intelligitur, Thraciæ montem esse Tuganum vel Toganum, vicinum Tzurulo, de qua superius dictum, numero notarum 26. Zoga vero Turcicum, eam ad Toganum rationem habet, quod pronuntiationem adtinet, quam Ozman vel Osman, ad Othman.

ARBANIA. ALBANVM. ARNAVTLAR.

94. Quam Græci veteres Epirum dixere, nunc Arbaniam vocant, & Albaniam. Nomen Arbaniæ reperitur in libro Græca lingua vulgari scripto, cui nomen Portolanus. Albanum Prætor Græciæ noster hanc regionem indigetat. Incolæ Turcis Arnautlari nominantur, a quibus iam maiori ex parte Morea quoque, siue Peloponesus, inhabitatur.

HERZEC, HERZEGOVINA. BOZINA DVPLEX: Sandalis regio. Dux Sancti Sabæ.

95. Regia Bozinæ superioris, versus Iadram siue Zaram, & Epidaurum, nunc Ragusam se porrigentis, Herzeca a Turcis adpellatur, a Castaldo, Cherſec: ab aliis Orzega, a Bozinacis & Croatis Herzegouina: quod Ducis siue Principis sedes esset, quem Bocinaci Croatique, cum Vngaris, Germanico vocabulo nominant Herzog. Quippe duplex erat olim Bozina, superior & inferior: quarum hæc

hæc regem habebat, quem Illyricorum regem nuncupat Chalcocondyles: illa principem ſiue Ducem, quem etiam Sancti Sabæ Ducem vocabant. Laonico Sandalis regio dicitur, & incolæ Cuduergi ab eodem appellantur, haud ſcio, an non corruptis vocabulis, vno ex Sanſaba, ſicut Itali pronunciant, altero ex Herzecoui. Sed plura de his infra, quum in Baiaſitis II vita de Achmete baſſa Cherſeogli ſiue Cherſecogli tractabimus, notarum 161 & 162 capitibus. In tabulis chorographicis pro Hercego ciuitate reperias alicubi ſcriptum Sercico, ſed corrupte.

BVLCI FILIA MVRATI NVPTA.

Nomine Bulci accipe Georgium Bulcouitzium, Seruiæ Deſpotam, & vide notata ſuperius ad numeros notarum 46 & 54. Filiam huius, Murati nuptam, pleique vocant Irenen, cognomento Cantacuzenam, in quibus eſt Geufræus, quem Reineccius ſequitur. Sed hi quidem errant. Nam recte ſcripſit Spanduginus hanc Mariam fuiſſe dictam, quæ nata fuerit non Cantacuzino, ſed Iurgo (ſic Seruii Georgium vocant) Deſpota patre, Cantacuzina tamen Irene matre, quæ ſoror fuerit Georgii Cantacuzini. Georgius autem, quod Spanduginus non addidit, nepos erat imperatoris Ioannis Cantacuzini, ex Matthæo filio, Albanenſium principe. Quapropter hæc etiam Maria neptis fuit eiuſdem Ioannis Imperatoris Græci. Fallitur & Bonfinius, qui Deſpinam hanc Synderouia capta Turcorum in manus veniſſe ſcribit: quum ex annalibus his conſtet, illam vrbem anno demum poſt initum hoc matrimonium tertio fuiſſe occupatam. Et notandum, hanc Murati nupſiſſe anno Chriſtiano 1435, vel Mahumetano 838. poſt biennium vero, circumciſum fuiſſe Muchemetem Muratis filium. Hinc enim intelligitur, non fuiſſe natum ex Maria Deſpina Muchemetem, quod vulgo magnis etiam a viris memoriæ proditur. Quippe bimuli apud Turcos circumcidi non ſolent. Et tradunt annales, Muchemetem natum anno Mahumetano 833, circumciſum anno 841. vnde colligitur, octennem fuiſſe, quum circumcideretur. Adde teſtimonia Græcorum, Chalcocondylis & Spandugini; quorum ille Georgii Deſpotæ filiam, Muchemetis nouercam expreſſe vocat: hic vero Muratem ex Maria Deſpina nullam ſuſcepiſſe ſubolem, diſertis itidem verbis tradit. Habes etiam initio declarationis huius, prima ſtatim nota, de hoc quædam a nobis expoſita. 96.

BVRVZ, BARAZ, CIBVRA.

Caſtrum (hoc nomine ciuitates etiam Turci vocant) Buruz, in Anatoliæ tabula chorographica Baraz, nominatur, & ad fluuium Madren collocatur, qui veteribus eſt Mæander. Olim Cibura dicebatur, vnde per aphæreſin Buruz fecere barbari, quod verum huius nunc opidi nomen eſt, non Baraz. Græci veteres Cibyren nominarunt, & allui a Mæandro flumine ſcripſerunt. Leo ſapiens Imperator hanc primo loco refert inter epiſcopatus Stauropolitanæ metropoleos in Caria. 97.

RITVS PONENDI PRIMVM IN SACRIS ædificiis lapidem.

Inter alia, quæ Græcorum imitatione Turcos factitare ſolitos, aliquoties monuimus: hoc etiam refertor, quod heic narratur, Muratem nouum templum Hadrianopoli conditurum, quodam die Veneris (quo Turci feſtum ſuum hebdomadarium celebrāt) ſummo mane, primum templi lapidem manibus ſuis poſuiſſe. Nam is quoque ritus a Græcis imperatoribus ad Turcos manauit. Recitabo dumtaxat vnum exemplum de omnium illuſtriſſimo totius orbis ædificio templi Conſtantinopolitani ſacræ ſanctæ Dei ſapientiæ, qui Chriſtus eſt. Id quo conditum modo, quantis ſumtibus, quot annis fuerit: expoſitum a Græcis eſt libello quodam manu exarato. Leguntur autem in eo quædam huc pertinentia de Iuſtiniano Auguſto, tanti operis auctore, quæ Latinis verbis fere totidem lectori dabimus. Quum ponendo, inquit, fundamento principium daret imperator, Eutychium patriarcham aduocauit, qui preces eccleſiæ ſtruendæ cauſa concepit. Imperator autem manibus ipſe ſuis calcem teſta prehendit, ac primus 98.

omnium in fundamentum proiecit. & cetera. Quibus sane verbis, quonam modo primus lapis in structuris talibus poni soleat, declaratur. Nam quum maxima fundamentis eiusmodi saxa sint adhibenda, quæ vix plures operarii simul, nedum vnus aliquis princeps, loco mouere possunt: amplissimus scilicet lapis ipso præsente, manumque nonnihil admouente, ad inchoandum opus ab his suo loco ponitur: cui deinde primus imperator, aut princeps auctor ædificii, calcem iniicit: atque ita struendo ædificio principium dedisse intelligitur.

OPIDI SEMENDRIAE DIVERSA NOMINA.
Georgii Despotæ Seruiorum varii casus.

99. Quod opidum Seruiæ, non procul a Belgrado ad ripam Danubii situm, Semender Turcis adpellatur, aut Semendre: diuersis est nominatum vocabulis ab historiarum scriptoribus. Synderouiam vocat Bonfinius, Spenderoben & Spenderouiam Laonicus, Simandriam Busbequius, Iouius Samandrium, Smendrouum Spanduginus: ex quo Laonici Spenderoben arbitror equidem mutandam in Smenderouen. Vngaris est Zendrew aut Sendrew, nomine a vulgo corrupto ex Sancto Andrea, cuius hoc cognomen habet & aliud castellum in Vngaria superiori, quod hodieque nostri iuris est. Seruiana Semendria siue Sendreuia nunc Sangiacatus est, Budensi Beglerbego subditus. Obsessa tunc a Murate, defendebatur a Georgii Despotæ maioribus natu filiis, Stephano (qui per errorem a Laonico iunior creditus fuit) & Georgio, sicut ait Bonfinius. Laonicus enim in eo quoque fallitur, quod Stephanum id temporis in castris ad Semendriam Murateis fuisse scripsit, obsessumque dumtaxat Georgium, tamdem fecisse deditionem. Quippe fratres ambo deditione facta Muratis in potestatem venerunt, & eamdem sustinuere pœnam, oculis adhibito candenti ferro visu spoliati propterea, quod patrem instigasse filii ad defectionem putarentur. Is autem cum filio minimo natu Lazaro profugerat ad Albertum II Imperatorem Austriacum, & Vngariæ Bohemiæque regem, Sigismundi Augusti generum & successorem, vt ab eo contra Muratis vires auxilia postularet: quæ quidem impetrata fuere, sed nihilominus succursum tardius, & interim dedita Murati Semendria. Quapropter Georgius cum Lazaro filio, suisque thesauris, qui ducatorum quinquies centena millia continebant, ad Ragusæos se recepit, & ibidem in exsilio priuatus aliquamdiu vixit. Sed quum Murates non desineret agere cum Ragusæis, vt ipsi dederetur, quo quidem nomine maxima quæque Ragusæis offerebat ac pollicebatur: præmonitus ab eis Despota, cum thesauris ad Alberti successorem Vladislaum Polonum, Vngariæ regem, se contulit: eiusque tamdem ope restitutus in integrum fuit, vti deinceps suo loco dicetur.

ALBA GRAECA. BELGRADVM CHRIESCH.
Permutatio Georgii Despotæ cum Alberto II Augusto, nomine Belgradi.

100. Huius etiam vrbis varia nomina sunt, Alba Græca, Nandor alba, Beligrada numero multitudinis Cedrino, Belgradum, quod Seruiorum lingua significat arcem albam, (Poloni Bialogrod dicerent) Geufræus denique Criesch etiam dici vult, quod mutilatum est ex integro nomine Germanico, Griechisch Weissenburg, id est, arx alba Græca. Priscis Taurunum fuit, vti Busbequius ex antiquis numismatibus recte docet. Propugnauit eam hoc tempore contra vim Muratis Ioannes Auranes. Obsidionem, quæ septem mensibus durauit, decadis II libro IIII descripsit Bonfinius. Erat tunc in Vngarorum potestate Belgradum, quorum rex Albertus Austriacus eam munitionem a Georgio Despota Seruiorum iure donationis, vt Lazius; lege permutationis, vt alii scripserunt; consequutus fuerat. In Austriacis genealogiis Lazianis hæc legimus: Alberto II vix regni gubernacula ingresso, Amurates Seruiæ Despotam adortus, Albam Græcam ad confluentes Danubii & Saui positam, natura & opere munitam, obsidione cingere cogitabat, omni genere adparatus terra & aqua instructus. Quam vim ac potentiam hostis Despota considerans, quo in ceteris tuendis auxilio sibi rex Albertus esset, munimentum illud ei donauit. Ab hoc Huniades illi loco præficitur, ob eius singu-

singulare momentum: quippe qui ad trium fluminum confluentes situs, Sauo in Italiam, Histro in Austriam atque Germaniam, Tibisco denique in Transsiluaniam, Poloniam, & Morauiam, hosti potentissimo viam ostentaret. Aduentu Alberti cum copiis, Albæ obsidio soluitur. Hactenus Laziana, quæ errore non carent, quum donationem interuenisse, non permutationem, tradunt. Audiamus & Laonicum. Erat, inquit, huic in Pannonia non contemnenda regio, cum vrbibus multis & opulentis, quas permutatione facta cum Sigismundo, pro Belgrado Eleazarus acceperat. Hæc enim vrbs mire placebat regi, vt opportuna, propter portus commoditatem. Quippe Belgradū duobus circumfluitur fluuiis. Ab vno Ister, ab altero latere Sauus fluit, qui istic in Istrū effunditur. Ergo Lazius ex Chalcocondyle corrigendus, vt permutationem factam sciamus, non donationem: ac vicissim Chalcocondyles emendandus ex Lazio, pro Sigismundo vt Albertus, pro Eleazaro Georgius ponatur. Bonfinius etiam ipsa loca recenset, quæ pro Belgrado hac permutatione Georgius acceperit: castella nimirum hæc, Zalonkemen, (Salankemen vocabant nostri comites. situm est supra Belgradum, ad ripam Danubij, e regione ipsius ostij Tibisci, qui se in Danubium heic exonerat) Bechien, Kelpen, (Vngari Kerpen dicunt) Vilagosuarum, Tocaium, Moncachum, (Vngari Muncazium nominant) Thaalliam, Regezum: opida vero hæc, Zathmarum, Bezermem, Debrezen, Thurum, Varsanum, & alia.

NOVA. NOVOGROD.

Quæ Turcis & Croatis Noue dicitur, arcis nouæ significationem habet, in 101.
Seruiæ finibus sita. Nunc ibidem sangiacus est Turcicus, Budensi subiectus beglerbego, cum nomine Nouogrodensis. Primus hanc Murates cepit, sed Christiani recuperarunt: & sub Muchemete II rursus eam amiserunt: in cuius vita de hac quædam adijciemus alia, capite notarum 132.

SCACH ABEDIN BASSA. SABATINES.

Qui a Turcis heic nominatus Scach Abedin, Italis historicis Sciabadin, ex 102.
Bonfinio, Chalcocondyli Sabatines eunuchus est, quasi Sa Badines. Sic Busbequio Sagtamas Persarum rex est, qui & nobis, & ipsis dicitur Scach Tamas, vel rectius Scach Techmas: & idem Bagtamas eidem, qui nobis Beg Tamas, vel Techmas beg, id est, Dominus vel princeps Techmas. Sic & Tzanis a Philippo Bergomati est Scach Tzanorum. Edzis begi natales ad illum Edzem begum refero, qui sub Vrchane, Soleimani Vrchanis filio militauit: & propterea begos hos Edzeos ipsis etiam Eurenosiis, & aliis nobilioribus Turcorum familiis, secundum Osmanidas, præferendos puto.

MESID BEG INTERFECTVS. PANNODACIA. Ardelium. Erdel, seu Ertel. Tosibinium. Laonici Cudunidas.

Narrant annales Turcici, mandato Muratis Mesitem begum per Valachiam 103.
in Vngariam, cum exercitu, penetrasse: sed omnibus ibi cum copiis fuisse cæsum. Heic primum notabit lector, Mesitem Laonico dici Mezetem, Europæ præfectum, hoc est, Romaniæ beglerbegum, Bonfinio Mezethum. Valachiæ vero nomine, Transalpinam heic intelligi, auctore Bonfinio, de qua superius numero 71 dictum. Quod autem iussum referant Mesitem ingredi Vngariam, accipiendum de Transsiluania: quam hoc loco, sicut alibi quoque, Pannodaciam Laonicus a Pannonibus siue Pæonibus, & Dacis, qui Valachi gemini sunt, a quibus Transsiluania circumdatur, adpellat. Idem mox subijcit hæc verba: Pannodaciæ regio, Ardelium nominatur. Addit etiam, metropolim huius esse Tosibinium: quæ vox quomodo ab interprete corrupta sit ex Cibinio, quod nunc manet apud Vngaros nomen, & Germanis est Hermestadium, supra capite notarum 12 docuimus. Et sunt profecto corrupta mirifice in edito Laonico vocabula propria. Quis Cudunidam cogitaret esse Culionidem, nisi valde peritus eorum temporum historiæ? Bartholomæus is certe Collionus erat, nobilis dux Bergomas: cuius etiam gentiles si natos quis dicat ex familia de Collisionibus, quis diuinare mox posset, hos

ortos familia nobilium Bergomatum, quibus nomen ſit a Collionibus? Ita nimirum corrupta vox legitur in vita Karuli IIII Augusti, quam Reineccius noſter publicauit. Ad annalium noſtrorum ſeriem vt redeamus, erat id temporis Ardelij regio (nunc Vngaris Ertel dicitur) Iango Choniati commiſſa creditaque, ſicut Laonicus ait: id eſt, Ioanni Huniadi, longe illuſtriſſimo duci, Matthiæ regis Vngariæ patri: quem Geufræus Iancum Banum adpellat, vocabulis infra declarandis. Hic Meſitem Romaniæ beglerbegum, auctore Bonfinio, cum XXCIↃ Turcorum fudit, cæcidit, interemit.

SOPHIA. TIBISCA. SCOPIA. SARdacia. Sardica. Triaditza.

104. Satis notum eſt Sophiæ nomen, opidi Bulgariæ magni & populoſi, licet nulla ſit ex parte munitum. Ibi diem nos vnum & alterum hæſimus. Ad marginem Chalcocondylis hæc adſcripſit interpres verba: Sophia, nunc Scopia. manifeſtus hic error eſt, quum vrbem Scopia diſerte Laonicus in Macedonia collocet. Vide notata inferius capite 169. Marius Niger Sophiam veteribus adpellatam putat Tibiſcam. Bonfinius ait, vrbem a templo, quod magnifico ſumtu Iuſtinianus exſtruxerit, nomen accepiſſe. Atqui nullum heic templum tale vel olim fuit, vel hodie ſaltim ex aliquibus ruinis agnoſci poteſt: & a templo Conſtantinopolitano, quod Iuſtinianus Sanctæ Sophiæ ſiue Dei ſapientiæ nomine ſplendidiſſimum condidit, hoc opidum, 14, vel 15 dierum itinere diſſitum a Conſtantinopoli, vocatum fuiſſe, quis credat? Idem addit, Sardaciam hanc olim fuiſſe dictam, a Sardis & Dacis: hoc eſt, a gentibus longiſſimo terrarum ſpatio, & ipſo quoque mari diſcretis. Subiicit deinde, celebratam ibi fuiſſe quondam ſynhodum Sardacienſem vel Sardaicenſem. Hinc vero tamdem intelligitur, de Sardica loqui Bonfinium, vbi Sardicenſis habita ſynhodus fuit, ſub imperio filiorum Conſtantini Magni. Ea vero non heic quærenda, nec hodie Sophia dicitur, ſed Triaditza: quod ei nomen etiam ætate ſua fuiſſe, Glycas noſter ſcripſit.

SCACHI ABEDINIS EXPEDITIO infelix. Iancus Turcos cædit.

105. Quum heic dicatur ablegatus fuiſſe beglerbegus Romaniæ, hoc eſt Europæ, Scachus Abedines, cum vniuerſis Romaniæ copiis, & Acanziis, & Genizaris: haud dubie magnus illi a Murate datus fuit exercitus, quem Bonfinius æſtimatum fuiſſe ſcribit octuaginta Turcorum millibus: quod equidem annalium verba conſiderans, vero conſentaneum puto: quamuis adiiciat Bonfinius, id non facile fidem admittere. Cæſorum certe numerus ei fidem facere debebat, quum fateatur triginta Turcorum millia fuiſſe tunc interfecta, capta quinque millia. Expeditioni cauſam præbuit tum Meſitis baſſæ calamitas, paullo ante cum ſuis ad internicionem deleti: tum vtriuſque Valachiæ defectio, quæ auctore Ioanne Huniade, Turcorum a fide diſceſſerat. Hunc enim annales intelligunt Ianci nomine, quo gentibus illis Ioannes dicitur. Laonicus (vt indicatum) Iangum Choniatem, Spanduginus recte Iancum Vaiuodam adpellat, videlicet Erdelij ſiue Tranſſiluaniæ, Geufræus Iancum Banum: de quibus officiorum ac dignitatum in Vngariæ regno præcipuarum nominibus, partim capite notarum 71 diximus, partim infra dicturi ſumus.

Vladiſlai Regis Vngariæ prima contra Turcos expeditio.

106. Ante omnia declaremus heic poſitarum in annalibus perſonarum aliquot nomina. Rex Vngarorum, expeditionis huius auctor Vladiſlaus erat, ex Poloniæ regum, Iagelloniæ ſtirpis, familia: quem Vngari plerique, deſerto Ladiſlao Auſtriaco, Alberti II Auguſti poſtumo regni adminiſtrationi præfecerant. Iancus qui nominatur, Ioannes eſt Huniades: Lazarogli, ſiue filius Lazari, Seruiæ Deſpota Georgius, Græcis & noſtris Stephani filius, Lazari nepos. Caſan vel Caſam baſſa Turcis ſcribitur, quem Geufræus Carambegum nominat, & nigrum dominum ſiue ducem interpretatur: Philippus Callimachus magis corrupte Carambum vocat, Laonicus Chaſanem, ſicut & Turci: quod verum ei nomen fuiſſe crediderim,

diderim, & alterum cognomen, a nigredine: sicut & aliud Celepini cognomen eidem tribuit Bonfinius, a nobilitate. Turci tradunt, Romaniæ siue Græciæ beglerbegum hunc fuisse, Laonicus Europæ ducem, quod idem est. Bonfinius vero Natoliæ facit beglerbegum, & copias huc e Natolia traduxisse memorat, quod vero non sit simile. Nam, vt nihil de consensu horum annalium cum Laonico dicam, sane credibilius est, hunc Græciæ vel Europæ beglerbegum fuisse, qui occiso ab Huniade Scacho Abedini Romaniæ beglerbego successerit, & e propinquo cum Europæ copiis hosti occurrerit: quum Anatoliæ beglerbegus ab hisce regionibus longius remotus esset, nec cum exercitu tam facili momento posset Hellespontum transmittere: vt interim taceam, quantum periculi rebus Anatoliæ creaturus fuisset beglerbegi discessus in Europam, necdum ab Osmanidis oppressa Caramani, hostis perpetui, & aliorum potentia. Quod cæsus fuisse cum suis Casanes in annalibus legitur, non sic accipiendum, ac si fuerit interfectus. Tradunt enim scriptores historiarum magno consensu, (præsertim Bonfinius, & Callimachus, qui aut tunc, aut non multo post vixit, & Poloniæ regibus, Ioanni præsertim Alberto, familiaris fuit) hunc bassam non occisum fuisse, sed captum.

CLISVRAE ISLADINAE. SLADITZA, PRISCIS Osmus fluuius. Capi Derbent.

Clisuras dixi, nomine Græcis historiis noto, vias siue transitus angustos admodum, per loca montuosa, quæ Latinis olim furcæ nominabantur, & fauces. Sic Iustiniano Rinotmito Cedrinus: in reditu eius obsederant Bulgari vias in angustia clisuræ. Exposuit & restituit alicubi vocem Cuiacius, Iureconsultus clarissimus, deriuatam a verbo Græco, quod occludendi significationem habet. Isladinas vero clisuras heic intelligunt Turci, quæ in Thraciam ex Bulgaria profecturis in Hæmo monte occurrunt eo loco, quo paruus amnis Sladitza subter clisuras Hęmi labitur. Nam vti Bonfinius scripsit, a Sophia duplex iter est, ad superandum Hæmum, in Thraciam & Macedoniam euntibus. Vnus aditus a Traiano plerisque putatur factus, vbi adhuc quadrato lapide porta maxima spectatur. Alter ad paruum est amnem, quem Sladitzam Bulgari vocant. Prius iter nos tenebamus, in quo portam illam reperimus, ad pagum Bulgaricũ sitam. Et locum hunc Turci comites nostri nominabant Capi Derbent, hoc est, portam faucium vel angustiarum. Alter aditus est ille, de quo heic agimus, & quem Isladinum annales vocant, a Sladitza fluuiolo. Cedrinus heic amnem Osmum ponit, quem arbitror esse Sladitzam. Locus est in vita Constantini Monomachi siue Gladiatoris. Basilitzæ nomen apud Laonicum, in expositione cladis huius Turcorum, vitiose scriptum vix dubito: licet non ignorem, velle Geufræum, Basilitzen nouo vocabulo nunc Hęmum dici: cuius opinionis penes ipsum fides esto. 107.

GEORGIVS DESPOTA CVM LAZARO filio restitutus a Murate.

Lazarogli, siue Lazarides, Georgius scilicet Despota, post primam hanc expeditionem Vladislai regis, in gratiam rediisse cum Murate traditur heic in annalibus, idem & Laonico referente: sed addit hic, fuisse tunc restitutum cum patre Georgio Lazarum quoque minorem natu filium, cum tributi quotannis soluendi onere, quod erat definitum parte dimidia redituum totius Seruiani Despotatus. Hinc ergo Cureus Silesiorum chronographus refutatur, qui scripsit, Georgium post cladem Varnensem Amurati reconciliatum, sua recuperasse: hoc est, anno post hanc Vladislai victoriam tertio: quum omnino constet, ante Varnensem expeditionem inuitatum a Vladislao rege Despotam ad belli contra Muratem suscipiendi societatem, id nullo modo facere voluisse: regemque cum Huniade propterea sibi reddidisse infestum. Capita pacis inter Vladislaum & Muratem, post cæsos ad Isladinas fauces Turcos, apud Laonicum, Bonfinium, & alios leguntur. 108.

CHELILIS BASSAE NOMEN CORRVPTVM.

Adtigimus de hoc quædam numero notarum 29, & rursum 91. Apud edi- 109.

tum certe Laonicum tam filij Chelilis, quam patris Ibraimis heic corrupta leguntur nomina. Sunt enim hæc eius verba: Potentiam maximam tenebat Chatites Priami filius, quo in ianuis regis vir prudentior non erat. Primum in his Chatites, mutandum in Chaliles, & Priamus in Praimem vel Mpraimem: quibus litteris Mp Græci nostrũ B conantur exprimere, sicuti cap. 91 dictum: prorsus vt Mpraimes sit Braim vel Ibraim. Geufræus etiam nomen eius corrupit, cui Chaly bacha scribitur, & Haly bacha, pro Chalil vel Chelil bassa. Laonico sane Chaliles, & Alies, vel Halies, (qui Turcis Ali) diuersa nomina sunt.

EXPEDITIO SECVNDA VLADISLAI REGIS, post violatas decennales indutias.

110. Causas expeditionis secundæ Vladislai regis annales hi Turcorum non exposuerunt, sed apud nostros, Laonicum, Callimachum, Bonfinium, plene commemoratas legimus. Tradunt enim, Eugenium IIII Pontificem, vbi decennales Muratem indutias cum Vladislao rege pactum accepisset: tantum opera Iuliani Cardinalis Cæsarini legati a latere, apud iuuenem & auidum gloriæ regem, aduersantibus interim magnis viris, qui religionem pacis ac fœderis, interuenientibus sanctissimis iurisiurandi vinculis icti, minime violandam adsererent, perficere potuisse: tamdem vt auctoritate pontificia rescissis indutiarum pactis, arma cõtra Muratem rursus capienda decerneretur. Aiebat enim Pontifex, initam cum infidelibus pacem, non consulta prius Apostolica sede ratam haberi nõ posse: præsertim, quod ea videretur in perniciem ac detrimentum reipublicæ Christianæ facta. Sic redintegratum temere fuit bellum, de cuius exitu plerique viri sapientes male tunc etiam ominabantur. Quippe Murates bona fide præstiterat, quæcumque mutuæ pacis tabulis ad se pertinentia continebantur, & præstiturum se fuerat pollicitus: nihil minus fore veritus, quam vt Christianus rex, tantæ virtutis ac fidei, cum Huniade, ceterisque præstantibus viris, tam infami perfidiæ scelere semet obstringeret. Sed enim lectorem ad eos, quos dixi, Callimachum præsertim, ac Bonfinium, remitto.

MATERA. SCHVLI. NIGEBOLI. BVRVVAD.

111. Pro Matera Callimachus & Bonfinius nominant Pezechium, pro Schulio Callimachus Sumium, Bonfinius Sunium: quæ Sulio respondere arbitror, molliori pronuntiatione, veriorique scriptura. Bonfinio Macrapolis etiam recitatur, quæ Matera sit, necne, videant alij. Vi quidem capta fuisse Pezechium & Sulium, annales innuunt, Callimachus & Bonfinius adfirmant: quumque neminis vitæ parceretur, interfecta Turcorum ibidem quinque millia periisse. Nigebolim supra diximus capite notarum 51 Turcis esse dictam, quam nos vocamus Nicopolim. Buruuadam annales occupatam, præsidium accepisse narrant. Ergo illa sponte se dedidit, nec vastata fuit. Vnde colligitur a Turcis Buruuadam vocari, quam Callimachus Tauarnam, Bonfinius Cauarnam dixit. Hanc enim vltro deditionem fecisse commemorant, exemplo Pezechij Suliique territam.

DIVERSAE DE ALTERA MVRATIS IN EVropam transiectione cum exercitu opiniones.

112. Diximus supra, numero notarum 89, Muratem bello contra Mustapham supposititium fratrem, Genuensium quorumdam opera, numerato his maximo pretio, trans Hellespontum peruenisse cum copiis: idque verum esse, testimonio Laonici docuimus. A quibus autem hoc bello contra Vladislaum Vngariæ regem, Muratis exercitus in Europam transuectus fuerit, equidem hactenus intelligere non potui. Non ausos id tunc facere Genuenses, facile crediderim, propter Italiæ totius consensum: quæ maxima Turcorum ex Europa pellendorum, ac radicitus exstirpandorum spe concepta, classem ad angustias Hellesponti miserat: qua fatentur ipsi Turcorum annales impeditum fuisse Muratẽ, quo minus in Europam transiicere cum suis per Hellespõtum posset. Nec dissimulaturus tanti sceleris auctores erat Cardinalis Florentinus, Italicæ classis præfectus: siquidem illius adfines esse culpæ Genuenses, constitisset: minus eis parsurus Eugenius, Papa Venetus,

pa Venetus, exitiali Genuatibus odio cum aliis Venetis infestus. Dumtaxat in litteris suis, quarum Bonfinius meminit, Muratem Cardinalis scribit, elusis astu vel largitione speculatoribus, ad Calliopolim transiecisse. Quæ verba quonam modo cum verbis annalium concilianda sint, aut aliter intelligi possint, quam cum ipsius Cardinalis ignominia, negligentiæ semet arguentis, equidem non video. Cur enim Italicæ classi præfectus, non impediebat, quo minus vel ad Calliopolim, vel alium Hellesponti locum ille transijceret? cur in se culpam tacite confert? cur oscitantiæ semetipsum accusat? Ait enim, ad Calliopolim transmisisse Muratem, a quo transiectu ipse Muratem arcere iussus fuerat. Ex aduerso scribunt Turci, classem Italicam in tempore Calliopolim adpulisse, Muratemque præpediisse, quo minus illic transmittere potuerit. Audiamus & Laonicum, qui per otium traiecisse Muratem narrat, quum aduerso vento diebus aliquot durante, impedirentur Itali, quo minus ex Propontide in Hellespontum contra Muratem venire possent. Interea vero Muratem ad turrim sacram, quæ in Asiatico litore sita sit ad angustissimum in Propontide locum, transmisisse. Excusat hic quoque Cardinalem classis præfectum, & vbi transiecerit, sua quidem opinione, Murates, indicat: nisi quod per errorem scribit interpres, factum hoc ad angustissimum in Propontide locum: pro quo, in Hellesponto, dicere debebat. Bosporus enim angustias habet, commodas ad transijciendum: Propontis vero nullas, nisi qua in Ægæum mare per Hellespontum erumpens, a Calliopoli vsque ad arces, quas Dardanellos vocant, spatio 27 milliarium, in artum cogitur, vt antea capite notarum 24 diximus. In hac ergo narrationum diuersitate, nihil inuenio probabilius, quam quod annalibus his memoriæ proditur: Muratem scilicet ab Italis impeditum ad Calliopolim, ea relicta, sursum (non deorsum, vbi situm erat illud Dianæ fanum vel Hieron, quod male turrim sacram reddidit interpres) cum exercitu per Bithyniam profectum, e regione illius loci, quo loco nunc arcis nouæ structura cernatur, mercatorum nauigiis in Romaniam siue Thraciam transiecisse. Nam hinc manifesto paret, eum nec ad Calliopolim, nec ad Dardanellos, nec ad vllas alias Hellesponti angustias transuectum: sed supra Constantinopolim, versus Pontum Euxinum, in ea Bospori parte, qua is artissimus est inter Asiam & Europam, & vbi propterea nouam arcem (Neocastron Græci vocant, vt paullo post dicetur capite 128, ad vnum supra Constantinopolim milliare Germanicum) Muratis filius Muchemetes exstruxit, vt heic ex Asia in Europam, vel vicissim ex Europa in Asiam, transiectu facili ac breui, quoties libuisset, nemine prohibente, cum exercitu posset transmittere. Quidquid dicat Laonicus, quidquid scripsisse Cardinalem, male fortassis ab exploratoribus instructum, Bonfinius adserat; hæc potius ego vera puto.

VARNA. STAGNVM VARNENSE. CALIACRA.

Ciuitas est ad Pontum Euxinum Varna, quam Ortelius Odessum priscis, 113. vel Odyssum dictam tradit, alij Dionysopolim faciunt. Anchialus esse de Curei sententia nequit, quum ea superstes Achelo nunc dicatur, nomine non admodum recenti. Nam & Cedrino Acheloum vocatur, & apud Symeonem magistrum Officiorum in historia necdum edita legitur, Anchialum recentiori vocabulo nominari Achelo. Barnam scribũt Chalcocondylis interpretes, & apud Cedrinum tum Barnam, tum Barnas numero multitudinis, doctissimus Xylander, nobis, dum viueret, amicissimus. Ad Varnas, ait Cedrinus, castra Bulgari posuerunt. Item, Catacalo (inquit idem Cedrinus) sitarum ad Istrum vrbium locorumque præses, quum Rossis occurrisset iuxta litus Varnæ, quam ita vocant, manumque cõseruisset: eos in fugam egit. Heic litoris Varnensis fit mentio, Callimachus etiam sinum maris, & stagnum, Bonfinius paludem nominat. Hæc pactionibus regi Vladislao dedita fuit, vt scripsit Laonicus: Caliacra vero vi capta, cuius heic in annalibus nulla mentio. Bonfinius tamen eam silentio non præteriit, & male Callacrium scripsit: nomen hoc addens opido datum, a Gallis ex Asia, re infeliciter gesta, reuersis: vt Callacriũ quasi Gallacrium diceretur. Atqui Caliacra signi-

ficat Græcis bonum vel elegans promontorium. Mario Nigro, hodiernam Græcorum pronuntiationem sequuto, Chaliacra vocatur.

PVGNA VARNENSIS. CARA MICHAIL.

114. Hoc prœlio Vladislaus rex pugnasse dicitur ab vno latere, vel secundū Laonicum, in dextro cornu: Cara siue Niger Michaël in sinistro, de quo tamen aliud præterea nihil memoriæ proditum reperio. Bonfinius eadem de Nigro Michaële commemorat, ac diserte profitetur, ex Turcorum se narrationibus illa repetere: ne verbulo quidem adtingens, quis fuerit iste Michael. Laonicus ait, Dacos in sinistro curasse cornu, quibus fortasse Michael Zilagius præerat, cuius sororem Huniades habebat in matrimonio. Equidem alium diuinare Michaelem, id temporis apud Vngaros celebrem, non possum.

LAONICI LOCVS EMENDATVS ET EXpositus. Chazilar. Vitezi.

115. In primo conflictu cæsus fuisse refertur ex parte Muratis Anatoliæ beglerbegus. Hanc interemti Anatoliæ beglerbegi gloriam Laonicus Huniadi, fortissimo duci tribuit. Hoc autem loco facturum me pretium operæ spero, si verba quædam Laonici partim corrupta, partim obscura, restituero & illustrauero. Ea vero tam apud Latinum, quam Gallicum interpretem, huiusmodi sunt: Ioannes Choniates habens Phazen, id est eos, qui Bitaxides vocantur, ibat in Asiæ ducem. Opinor aliis hæc legentibus idem accidere, quod initio mihi contigisse memini. Nimirum monstrum quoddam arbitrabar esse Phazen, ex quo vno mox plures nescio qui Bitaxides, velut ex equo Troiano, prodierint. Ne diutius auidum lectoris animum detineam, dico sic ista legenda: Ioannes Choniates habens secum Chazes, id est eos, qui Vitezides vocantur, ibat in Asiæ ducem. Quæ verba lector vt intelligat, Turcis Chazi norit significare strenuum militem, quæ vox numero multitudinis Chazilar eis effertur, Græcis Chazes, hoc est, strenui milites. Iidem vero lingua Vngarica dicuntur Vitez, vt Germanica *Rittersleut.* Ex hoc autē Vitez, Chalcocondyles more Græco formauit Vitezides. Hoc modo nihil in Laonici verbis obscuri restat. Gallicus interpres Vngaricarum rerum imperitus, alio loco Bitezides cum Hussaris confundit, qui leuis apud Vngaros armaturæ sunt equites. Solent autem huiusmodi Chazilari & Vitezi tam apud Turcos, quam Vngaros, habere certas quasdam notas, quibus ipsi præ ceteris militibus conspicui sunt: & in primis tot gestant ardearum in capite pennas, quot hostes vel in prœliis, vel duellis, quæ vtrique genti frequentissima sunt, occiderunt. His ergo militibus strenuis stipatus Huniades, Anatoliæ beglerbegum inuasit, & cum suis occidit.

PRECIBVS MVRATIS MVTATA PROELII FACIES. Inauditum pignus fidei caussa Murati datum.

116. Non a Turcis tantummodo memoriæ proditum est, constitutum in maximo discrimine Muratem auxilium cælitus implorasse: verumetiam ab historicis Christianis idem relatum in litteras, quorum aliqui rem non temere silentio prætereundam produnt. Quippe commemorant, poscente Murate certum aliquod a Vladislao rege pacis inuiolabiliter obseruandæ documētum, profano quorumdam consilio traditam ei fuisse hostiam, ecclesiastico ritu consecratam: ne scilicet vllo modo de fide voluntateque regis, accepto tam augusto pignore, dubitaret. Postea vero perturbatis (vt dictum) induciis, quum ad arma deducta res esset, ac prœlio Varnensi cæsis in vtroque cornu Murateis, in extremo res Turcorum discrimine versarentur: Muratem e sinu prolata Christianorum hostia, & erectis ad cælum oculis, in huiusmodi quædam prorupisse verba: Christe, si Deus es, vt Christiani tui de te perhibent, vindica perfidiam tuorum, qui te mihi dedere pignori, nihiloque minus adeo religiose sancitam pacem per summum scelus violarunt. Quibus in hunc modum ab ipso prolatis ea scilicet euenerint, quæ tam ab hostibus, quam a nostris recitantur. Philippus tamen Callimachus hanc rem tam secreto referre videtur actam, nihil vt certi de tradito tali pignore vulgo constaret.

CHESER.

CHESER, ET CHETER BEG, IDEM. VLADISLAO *regi caput amputat. Elpiorum familia.*

Narrant annales ei, qui Vladislao regi prostrato caput amputarit, & Murati obtulerit, nomen fuisse Cheser beg, eumdemque natum ex Elpia fuisse familia. Chalcocondyles autem scripsit, nomen peregrino, qui Murati caput interemti Pannonum regis adtulerit, fuisse Therizes: qui virtutis insigne præmium a rege consequutus sit. Heic inter se diuersa duo recitari videmus. Primum est, peregrinum Laonico fuisse, qui caput regis adtulerit, hoc est Azepum siue peditem stipendiarium, pro quo begum posuerunt annales. Et begorum nomine proceres apud Turcos adpellantur. Alterum, nominis ipsius discrepantia, quum ille Therizem dictum fuisse velit: Turci vero Cheserem nominent. Quod prius adtinet, potius equidem Turcis habendam fidem arbitror, vt ex procerum numero fuisse credatur, qui Elpiorum familia natus erat. Hanc enim initio declarationis huius videri eamdem esse cũ Oguzia, monuimus. Is ergo regi caput amputauit, quum alius quidam ex Azeporum siue peditum numero, incisis equi regij tendinibus, eum cum ipso rege humi prostrauisset, vt Turci referunt. In nomine non magna diuersitas est, nisi quod Laonicus vulgo notum & mutilatũ posuit. Quippe Cheser elegantius apud Turcos loquentibus idem est cum eo, qui a vulgo pronuntiatur Cheter, ex quo Cheteris nomen Laonicus sub finem octaui libri fecit: heic Therizem mutilate scripsit, pro Cheterize. De ipso Vladislai regis amputato capite quid factum postea fuerit, paucis Thomas Ebendorfus in Austriacis suis exposuit. Caput, inquit, Vladislai, cum armis, & dextra, fertur pro iocalibus (id est, cimeliorum loco) regi Tatarorum oblatum. Nimirum in vindictam perfidiæ dextra quoque mortuo præcisa fuit, qua fidem dederat. 117.

INTEREMTORVM VTRIMQVE PROELIO *Varnensi numerus, & alia.*

Dies ille, quo pugnatum ad Varnam, traditur a nostris fuisse decimus mensis Nouembris, anno 1444. Geufræus vndecimum statuit. Bonfinius cæsa prodidit Christianorum ad XCIↃ, Turcorum ad XXXCIↃ. Numerus militum, qui regis in exercitu fuerit, a Bonfinio positus plurimum discrepat ab eo, quem Turci memorant. Nam hi de LXXXCIↃ loquuntur, ille tantummodo de XVICIↃ. 118.

CHADVM BASSA. SEMISSE ASPRI AV- *ctum Genizarorum stipendium.*

Quem heic annales nostri Chadumem bassam vocant, Laonico Phatumes est, regiæ domus iudex. Hoc ideo duxi notandum, quia confirmat id, quod paullo ante scripsi numero 115, Phazen alibi mutandum in Chazes, vt heic Phatumes in Chatumes, quod idem est cum Chadumes. Id vero nomen Chadum vel Hadum, castratum vel eunuchum significat. Inde quod dicitur, adiecisse Muchemetem stipendio Genizarorum semissem aspri: ex more Turcorum intelligi debet, qui a Sultano suo diurnas annonas accipiunt: non menstrua, nec annua salaria, quæ principes nostri dare solent. Causas reuocati a bassis ad gubernationem Muratis, Chalcocondyles exposuit. 119.

MOREAS. GEREME. TZACONIA.

Moreas, genere masculo, dicitur a Græcis hodie, quæ Peloponesus olim vocabatur. Nomen ipsum, quod apud Damascenum Studitam reperitur, deriuant Græci nunc ab arbore moro, quod tota regione scilicet arbor hæc frequens sit. Heic expugnatam a Murate Geremen, excidioque datam, tradũt annales: quam arbitror esse veterem Gereniam Peloponesi, quod opidum Ptolomæus in ea Peloponesi parte collocat, quæ Laconia dicebatur olim, nunc Tzaconia, non Sacania, sicut Ortelius praue scripsit. 120.

IBANIS SEV IOANNIS DITIO. COTZIA- *cum, siue Getia. Iscodar, Scodra, Scutarium. Ischender beg.*

121. Annales hi ditionem Ioannis vocant, quam Ibanis regionem dixit Laonicus. Iuanem vero scribere debuit interpres. Etenim Seruianis Iwan, vt hodie Rossis quoque Ioannes vocatur. Intelligitur autem Ioannes Castriotes vel Castriotus, partis Albaniæ princeps, pater Georgij Castriotis, qui nominabatur a Turcis Ischender beg, id est dominus Alexāder, ex quo Schanderbogū fecerunt alij, magnumque Alexandrum non recte interpretati sunt. Corruptius eumdem Bonfinius Sandorobechum adpellauit. Laonicus Scenderem scripsit, qui puer in ianuas regis venerit, hoc est, ad portam Osmanidæ principis: & hoc tempore Muratem ei bellum fecisse commemorat. Chalcocondylis interpres hoc loco margini Calcioli nomen adscripsit, pro nomine Castrioti. Cotziacum in huius belli narratione, libro VII Laonici, Getia vocatur: vicina Cruæ, (Croiā nostri dicunt, de qua plura paulo post) quam post Getiam, licet frustra, Murates adortus fuit. Iscodarbeg Turcis est Scodræ dominus siue princeps, videlicet hic ipse Georgius Castriotus, de quo dictum. Scodra vero Græcis est integra voce Scutarium. Plinius tamen alicubi Scodram vocat, & in nouella Leonis Augusti de Thronis etiam Scodrarum episcopatus sub Dyrrachina metropoli reperitur, qui sane non diuersus est ab eius ciuitatis episcopatu, cuius heic fit mentio. Fallitur Barletius, quum Turcis Scandriam dici putat, quasi Alexandriam. Nam Iscodar non est Scandria, nec Alexandria vocatur eis Scandria, sed Ischendrie.

SAXONES IN HVNIADIS EXERCITV. Sazij. Sassij. Sassia.

122. Mirum alicui videatur, cur annales mentionem Saxonum heic seorsum faciant, quum statim in genere Germanorum nomen subiiciant, quo Saxones etiam continentur. Eius eximendi scrupuli caussa dico, non heic nostros in Germania Saxones intelligi: sed Saxones Transsiluaniæ, vel Erdelij, vel Septemcastrensis in Vngaria regionis incolas, qui Sassios siue Saxones hodieque se profitētur, & a Ceculis, eiusdem regionis incolis, tam lingua, quam aliis rebus omnibus, differunt. Hinc Bonfinius in Transsiluania sitæ Saxobaniæ mentionem facit, pagina 612 postremæ Francofurtensis editionis, quam Sambuco nostro clarissimo debemus: cuius equidem mortui memoriam cum beneuolentia vsurpo, & præter meritum a quodam excellentis ingenij doctrinæque viro, nobis itidem amico, mox a morte paullo tactam inclementius, doleo. Et ibidem Sambucus margini nomen Saz, ad Saxobaniam adscripsit: quo significare voluit, hanc a Saziis siue Sasziis sic dictam. Notum vero, Saxones a Germanis, quos superiores vocant, ita nominari: quum ipsi patriam suam Sassiam, seque Sassios indigetent. His coniunge, quæ supra de Nemetsassiis capite 71 exposuimus. An autem victi Saxones nostri a Karulo magno Augusto, quemadmodum in Flandriam, sic etiam in hæc Erdelij loca translati fuerint, quod aliquibus persuasum video: non huius est loci, prolixius discutere. Mihi quidem vix vero fit simile, qui sciam non vno seculo Saxones ante Karulum magnum in Pannonia cum ipsis fuisse ciuibus suis Longobardis; vt omittam alia, quæ sane plurima possent in medium adferri. Copiæ nostrorum, quas Turci maximas fuisse dicunt, hominum viginti duo millia continebant: præter Valachos tamen, vti Bonfinius meminit.

VALACHI A TVRCIS CAESI. IVSTO IVDIcio vindicatum in transfugas.

123. Aiunt annales, cæsos a limitotrophis aliquot proceribus Turcicis fuisse Valachos ante commissum in planicie Cosouana prœlium. Chalcocondyles vero tradit, Valachos ab Vngaris & ceteris Christianis, ad Muratem sub ipsam defecisse Cosouanam dimicationem: deque sententia Muratis arma ponere iussos, in exercitu vtriusque conspectu, summa cum omnium admiratione, ceu perfidos transfugas ac desertores, trucidatos fuisse. Quod equidem exemplum singularis in Murate seueritatis ac iusticiæ, præteritū a Turcis esse silentio, non abs re miror.

ANNVS

ANNVS PROELII COSAVANI. NVMERVS VTRIMque cæsorum. An Morana fluuius idem cum Schitniza.

Notauimus in margine libri annum Mahumetanum 853, quo pugnatum in 124.
Cosouana planicie, respondere Christiano 1448: quo Bonfinius etiam dimicatum scripsit. Idem addit, periisse continuis hisce conflictibus Turcorum ad XXXIIIIcIↃ, Christianorum vero dumtaxat VIIIcIↃ, quemadmodum Murates ipse suis in litteris ad Corinthios fassus fuerit. Ceterum hoc loco præterire silentio non possum, me superius numero notarum 48 policitum explicationem quæstionis, an Schitniza fluuius idem sit cum Moraua. Sic enim hunc cum incolis voco, qui Chalcocondylis interpreti Morabas scribitur. Cedrinus alicubi Morauen tam fluuium, quam castellum ad eius ripam positum, nō procul a Beligradis, nominare videtur. Peruenit, inquit, vsque ad Morauen & Belegrada, quæ castra sunt Pannoniæ, in Transistriana regione sita, & Crali Turciæ vicina. Quibus verbis vltimis Crales Turciæ significat Vngariæ regem. Sæpius enim repetit Cedrinus, Vnnos & Vngros dici Turcos. Idem hos in Pannonia Turcos occidentales discernit a positis in vicinia Persarum Turcis orientalibus. Et Turci a Persis hodieque dicuntur Mogores, quod nomen genti suæ nunc etiam tribuunt Vngari, sicut Eginhartus quoque Karuli magni tempore scripsit, Vgros vel Vngros & Magores eosdem esse. Nota vox Vngarorum, Maggior mudra. Sed redeamus ad Morauam. Geufræus Morauam olim Moschum fuisse nominatum putat. Meminit autem Laonicus, sepultos fuisse Turcos, hoc prœlio cæsos, ad ripam Morauæ fluminis. Bonfinius vero proceres ait ibidem sepultos, gregarios in profluentem Schitnizam coniectos. Hinc parere videtur, idem esse flumen, Schitnizam & Morauam. Sed quum equidem recordari videar, comites nostros istic vnum Morauam nominasse: restat vt concludamus, Schitnizam hactenus conseruato nomine, postquam se Morauę miscuit, amisso priori vocabulo deinceps solo Morauæ nomine censeri, donec ita coniunctus vterque fluuius in Danubium labatur. Memini vado nos transire Morauam, magna mensium aliquot siccitate plurimum deminutis eius aquis: sed nusquam ab eis incolis Schitniza, vbique Moraua nominabatur, contra interpretis Gallici opinionem.

FERIS BEG. GERGONI SIVE CHRYSONIcum. Anatoliæ montana.

Nomen beglerbegi Romaniæ, qui Gergonim arcem vel opidum instaurare 125.
iussu Muratis debebat, annales ipsi non expresserunt. Bonfinius autem scripsit, hunc adpellatum fuisse Frigibechum, quod Italica pronuntiatione tantumdem valet, ac Frisibeg. Turci Ferisi beg, aut Feris beg enuntiant. Reperitur enim superius tale begi cuiusdam alterius nomen, initio vitæ Baiasitis I, qui progressus cum copiis ad Danubium vsque, primus istic Vidinam occupasse traditur. Opidum Gergoni Turcis dictum, Bonfinius Chrysonicum nominat. Situm est in Roxiana siue Rasciana Seruianaue regione, ad Morauam fluuium. Anatoliæ montana Turci vocant hoc loco, sicut alibi quoque sæpius, montem olympum, siue Calogerorum, in Bithynia, prope ciuitatem Prusam: de quo dictum antea, capite notarum 17.

BELIGRADVM ALBANIAE. CRVA, CROA, CROAE, CROIA. Principum Croianorum in Belgio familia.

Idem cum superiori, ad Saui Danubiique confluentes sito Belgrado Seruiæ, 126.
nomen habet hoc Albaniæ vel Arbaniæ (sicut vulgus Græcorum vocat) Beligradum, hoc est, arx alba. Quippe coniuncta cum opido arx est, quæ a Valona, celeberrima nunc etiam Epiri ciuitate, (Leo Imperator Auloniam, veteres Aulonem dixerunt) vnius itinere diei distat. Ceterum dissimulare non debeo, nullam obsessi a Murate paullo ante mortem Beligradi mentionem reperiri, vel apud Martinum Barletium Scodrensem, rerum a Scanderbego gestarum scriptorem, vel apud Bonfinium, vel Geufræum: sed obsidium Croiæ dumtaxat ab his exponi, quā prius etiam capto Cotziaco siue Getia, quatuor ante hoc tempus annis, irrito

conatu tentauerat: vt scripsit Laonicus, qui Cruam nominat, vrbem Albanorum primariam. Nouella Leonis Augusti, quam toties citamus, velut alteram quamdam imperij Constantinopolitani Noticiam, numero multitudinis Croas adpellat, & harum episcopum Dyrrachino subiicit. Idem ei nomen est apud Prætorem Græciæ nostrum. Barletius Croiam vocat, idque nomen Epirotarum lingua fontem significare dicit: quod intra munitionem iugis aquæ fontes sint. Primus hanc Murates bis obsedit, quo de nunc agimus: & quum ea potiri secunda oppugnatione non posset, in morbum letalem præ indignatione lapsus, rabidam exhalauit animam. Imitatus est patrem persequendo Castriote, vexandaque Croia, Muchemetes II filius: qui continuis munitionibus vndique circumdatam, & artissime clausam, capere tamen non potuit, Scanderbegus tamdem sponte Venetis eam donauit ante mortem, ne tantæ reipublicæ destitua præsidio, Turcorum in manus mox a morte defensoris veniret. Obiter hoc adiicitor, ab hac Croia nomen tulisse nobilissimos Belgij proceres Croianos, qui Croiam aliquando possedisse traduntur: sicut in iisdem Albaniæ locis & Karlouitzij principes, origine Galli, de quibus dictum cap. 46, Dyrrachium suo cum agro tenuerunt: & Achaiæ principes in eadem vicinia rerum aliquando fuerunt potiti, Sabaudosaxonica nati familia. Ex Croianis regulis summæ fuit auctoritatis apud Karulum V Augustum Hadrianus, Chiurij dominus. Eadem editus gente fuit Antonius Princeps Portianus in Gallia. Nunc apud Belgas superstites sunt duo fratres, Dux Arescotanus, & Haurechius Marchio, cum principe Chimæo Arescotani filio.

GALATA. CERAS. SINUS CERATINUS.
Pera. Sycæ. Scala Sycena.

127. Vrbs Galata vulgo etiam nota est, e regione Constantinopoleos sita, trans sinum, quem Ceras siue Cornu, & Ceratinum siue Cornutum, veteres etiam vocarunt: quod instar cornu ceruini sparsim ramis quasi quibusdam litus vtrumque amplectatur. Patet in ambitu totus hic sinus milliaribus Græcis 20. Galatas hodie masculo genere Græcis effertur, sicut & Prætori Græciæ nostro, qui Phrurion siue castellum vocat. Eadem & Pera dicitur, & Peræa Nicetæ historico, quod vltra sinum posita sit. Veteres ab arborum ficos ferentium copia Sycas nominabant, quæ vox apud Zosimum quoque nostrum legitur. Xylander apud Cedrinum Ficus interpretatur, & suburbium esse dicit Byzantij: quum tamen intermedio mari ab vrbe disiungatur. Qua Constantinopoli Galatam transiicitur, Scalam Sycenam ponit vetus vrbis Constantinopolitanæ descriptio, quæ libro Noticiæ vtriusque imperij adiecta est. Et scalam in Portolano suo Græci hodieque dicunt eum locum, quo naues adpellunt, & vbi exscenditur. Vsus est hac voce Cedrinus in Copronymo, quum narrat, vnum glaciei fragmentum cum impetu delatum & impactum in scalam Acropoleos, (id est, arcis Byzantinæ de qua capite 139) eam comminuisse. Latitudo sinus inter hanc scalam & opidum Galatam, vel inter ambas potius scalas, e regione positas, ad passus 300 patet. Galata Genuensium colonia est, etiam hodie maiori ex parte a Christianis inhabitata, præsertim mercatoribus.

NEOCASTRON, RUMELI CHISAR, ANATOLI CHISAR.
Castellum Lethes. Turres nigræ. Hermæum promontorium. Lamus. Lamocopia. Bogazi. Bogazi Chisar. Bosporus. Brachium S. Georgij. Loca Bosporana tam Europæi, quam Asiatici litoris, a Constantinopoli vsque ad Euxini maris ostium. Cyaneæ. Symplegades. Planctæ.

128. Arcem munitissimam, quam a tergo Galatæ Muchemetes II, ad mare, id est, ad Bosporum e mari Euxino profluentem, condidisse narratur; Græci Neocastron, hoc est, castrum nouum vocarunt, vt & Turci Geni Chisar, cuius & supra mentio facta capite notarum 112. Iidem tamen nobis etiam Rumeli Chisar adpellari dicebant, quum hac præteruheheremur ad Pontum Euxinum, quod arcem Romaniæ vel Europæ significat: sicut alteram huic oppositam in Asiatico litore, nunc ruinosam, Anadoli Chisar, id est arcem Anatoliæ vel Asiæ nuncupabant.

Neocastron

Neocastron vulgus occidentatalium Christianorum, presertim Germani, Turres nigras dicunt. Abest a Cōstantinopoli ad vnum milliare maius Germanicū, locus sane munitus, & formidabilis admodum miseris captiuis, præsertim lautioris fortunæ: qui hos intra carceres conclusi, numquam fere libertatem recipiunt: eaque de causa castellum hoc lethes vel obliuionis olim quoque vocatum puto, cuius in Bosporo positi Gregoras meminit, ab eo dicti, quod perpetuos ad carceres damnatorum nulla exstet amplius memoria. Constat autem, fuisse istic etiam ante Muchemetem II. illa, quæ diximus, in vtroque litore castella: sed imperatorum Græcorum incuria sic neglecta, nulli vt vsui seruirent alij quam custodiendis captiuis. Causas condendi Neocastri Muchemetes habuit, vt transiicere tam in Asiam quam Europam, libere posset: ne Christiani nauibus suis transuectionem exercitus prohiberent: vt denique Constantinopoli capiendę seruiret. Laonicus arcem ita descripsit, vt hodie conspicitur. Ait eam constare tribus turribus magnis; quarum vna superior in accliui colle prominet: reliquæ duæ consistunt inferius ad ipsum litus Bospori: quo videlicet hinc in naues prætérlegentes impetus fieri possit. Harum duarum vna maxima est. Tecta sunt plumbea. Murus ambit arcem crassus pedes XXII. Turrium crassities ad XXX pedes extenditur. Petrus Gyllius, illustrator vrbis & Bospori diligens, antiquis Hermęum hoc loco promontorium fuisse statuit. Bosporo datum nomē est a transnatatu bouis, aut buculæ vel iuuencæ potius, videlicet Iûs, Inachi regis Argiuorū filiæ, de qua est in fabulis historicis. Ita nimirum in Originibus Byzantij Gręcis manuscriptis legimus. Nullibi Bosporus angustior est, quam inter Neocastrum & Anatoli Chisar. Idem Gyllius auctor est, Bosporum Græcis vocari Læmon, Turcis Bogazi, quæ nostris sunt fauces, vel angustiæ maris, vt etiam in homine fauces adpellantur Læmos. Hinc Læmocopiam Laonicus hoc loco posuit. Nostri Bosporum etiā S. Georgij brachiū nominarunt, velut angustum maris meatum, propter monasterium & ędem S. Georgij Manganorum dictam Propontidi se miscentis. Id propterea notādum, quia complures in hoc alucinantur, dum S. Georgij brachium ad Sestum & Abydum collocant: vt Volaterranus, quem citat Ortelius in voce Hellespontus, vt Geufræus, vt Thomas Porcacchius, vt alij. Saltem rectius hoc vel ex hisce Vincentij Beluacensis verbis didicissent: Hoc est mare magnum, (id est Pontus Euxinus, nunc etiam Italis mare maius) de quo brachium S. Georgij exit, (id est Bosporus) quod in Constantinopolim vadit. Ergo S. Georgij brachium est supra Constantinopolim, ad cuius orientalem angulum, subter ipsam Sultanorum arcem, in Propontidem Bosporus illabitur. Adeoque a S. Georgij brachio siue Bosporo, per Propontidem & Hellespontum, Sestum & Abydum vsque, 180 milliarium Græcorum est iter. Gallicus interpres Laonici mirifice profecto cæcutit, ac sibimet ipsi contradicens, ait: Mechemetes arcem Læmocopiæ condere cepit in ora Propontidis, ex parte Europæ, in eo proprio loco, qui Bosporus adpellatur. Et adscripsit margini, verbis his locum significari, quo Sestus olim sita fuerit: eumq; Turcica lingua dici Bagazasar, siue præcisionem fauciū. Quid magis absurde dici potuisset, quam cōditam ad Bosporum arcē, intelligi debere sitam eodem loco, quo Sestus olim exstiterit? Certe Neocastrū hoc Muchemetis a Sesti veteris loco prope 200 milliarib' Græcis distat, totumq; Propontidis & Hellesponti spatium his interiectum est. Quod autē dicit, eum locum lingua Turcica vocari Baiazasar, siue præcisionē faucium: in eo quoq; fallitur, & vocabulum corruptum ponit. Nam scribere debuit Bogazi Chisar, & interpretari arcem fauciū. Læmocopię quidem Gręca vox, qua Laonicus vtitur, incisurā faucium significat, hoc est locum, vbi finis est harum Bospori faucium, qui deinceps in multo capaciorem Propontidis sinum magna cum vndarum violentia semet effundit. Quū autem superius capite notarum 26 loca totius Hellesponti & Propontidis, inde vsque a Dardanellis vel arcibus, hoc est, a cadaueribus Sesti & Abydi, ad vrbem Constantinopolim, & ad ipsum adeo Sultani saraium, vbi Bosporus in Propontidem pręcipiti maxime cursu illabitur, enumerauerimus: libet a saraio Sultani rursus incipiendo, sursum quasi mentis nauigatione quadam ad ipsum vsque maris Euxini ostium progredi, & vtrimque

sita loca, quum ad dextram in Asiatico litore, tum ad sinistram in Europæo, nomiminibus partim priscis, partim nunc vsitatis, ordine recensere: sic tamen, vt nimis scrupulose, more Gylliano, vetusta, cognitu parum necessaria, nō inseramus.

Igitur angulo Sultanini saraij respondet e regione Scutarium in Asia disiunctis a se inuicem locis hisce dumtaxat vno milliari Græco. Ante vero, quam traiectus hic superetur, occurrit in ipsis aquis exstructa quædam arx parua, quam Turrim Scutarinam Græci vocant, Turci Kisculam, hoc est, arcem virginis, ex causa quadam alibi exponenda. De hac arce sunt intelligenda Nicetæ verba, libro 4, quum ait: Ab hoc imperatore Manuele turris illa (potuisset arcem vertere) non procul a continente in mari exstructa est, quæ Damalis pridem, nunc Arcula dicitur: & altera turris e regione, iuxta Manganium monasterium (scilicet S. Georgij) eo consilio, vt ferrea cathena vtrimque extēsa, barbaris nauibus aditus in loca vrbis arci vicina, & tractum illum omnem, vsque ad Blacherniam regiam, intercluderetur. Quibus in verbis Arculæ nomē significare puto paruam arcem. Idem post inquit: Imperator in palatio ad Damalim, quod Scutarium dicitur, versabatur. Distat a continenti Asiana Scutarium centum passibus. Nomen opido vicino dedit, vt Græcis hodie Scutarium, Turcis Iscodar dicatur: olim non Chalcedon, vti Iouius, Peucerus, Busbequius, aliique magni viri putarunt, (Chalcedonis enim rudera 10 milliaribus ab Angulo Sultanini saraij versus Astacenum sinum, ad promontorium Damalicum, iuxta portum Eutropij, sita sunt:) sed Chrysopolis. Id autem opido nomen inditum aliqui putant, vt auri ciuitas diceretur, ab auro, quod olim antiquissimis temporibus pro Persarum regibus heic tributi nomine congeri ex Asia tota solitum fuerit. Sed Origines vrbis Byzantinæ aliam nominis rationem, verbis Græcis, in hanc fere sententiam, referunt. Conspecta (inquiunt) confestim aquila, cor victimæ rapit, & in promontorium Bosporij litoris defert, e regione Chrysopoleos, cui Chryses Agamemnonis ex Chryseidæ filius, post necem patris, Clytæmnestræ fugiens insidias, & ad quærendum Iphigeniam properans, nomen hoc apud incolas reliquit, sepulturæ suæ monumentum, quum istic viuendi finem fecisset. Quibus in verbis promontorium Bosporij litoris, illud ipsum intelligitur, in quo nunc saraium Sultaninum orientale situm est.

A Chrysopoli siue Scutario, litus Asiaticum legentibus, occurrit primum pagus, qui Stauros Græcis dicitur, ab aurea cruce, quam in templi ab se ibidem conditi vertice Constantinus magnus insigniter ornatam constituisse perhibetur. Sic enim audire de Theodosio Zygomala, patriarchali Protonotario, valde docto viro, memini. Et ipsius templi ruinas amplissimas aliquando cum admiratione, comitibus Hieronymo Arconato, & Paulo Rosa, ex eo tempore pie mortuo, viris optimis & amicissimis, inspexi: quum nauigio trāsuecti Chalcedonem, in Eutropij portum, terra deinde promontorium Damalicum pedibus emetiremur, in quo rudera templi S. Euphemiæ, concilio Chalcedonensi nobilis, in horto quodam superant: & ad hunc deinde pagum Staurum, aliaque loca progrederemur.

A Stauro, locus in Anaplo (sic enim frequenter historici Græci vocant hæc ab vtroque latere loca, quæ sursum ad Euxinum mare nauigantibus conspiciuntur) proximus, est in eodem Asiatico litore, monasterio quodam insigni celebris, qui nunc Akimitos Græcis dicitur. Olim Akimiti vocabantur, hoc est, monachi peruigiles, totasque noctes sine somno, precibus & hymnis dicendis exigentes.

Ab Akimito pergitur ad Chrysokerama, locum ab æde sacra dictum, tegulis olim inauratis ornata.

Chrysokeramis vicinum est Anatolis Castelli. Sic Græci nunc mutile vocant, quod integre diceretur Anatolis (hoc est Asiæ) Castellion. Et paulo ante meminimus, idem Turcis eodem significatu vocari Anadoli Chisar.

Vltra Castellion Anatolis, est Megalocarya, magnis a nucibus auellanis dicta: quam rectius Græci volunt ad sanctos Angelos nominari.

Supra Megalocaryam conspicitur Vetus Hieron, (sic & Turci cum Græcis vocant) id est Fanum siue templum, a Constantino Magno conditum: quo tempore con-

pore confecto bello Gothico, reuersus fuit, vt Græci nunc aiunt. Constat tamen, hoc olim quoque loco fuisse temporibus antiquissimis templum Argonautarum, quod adpellatum fuit Hieron siue fanum Iouis Vrij, hoc est, largientis ventos secundos. Et notum est, solitos imperatores Christianos mutare templa paganorum in nostri ritus ecclesias.

Vlterius castellum Argyron situm est, quod Castaldus etiam posuit, Algyrum vocans.

Hactenus in Asiatico, siue dextro Anapli latere, sita loca numerauimus. Nunc idem iter ab imo repetituri, litus Europæum legamus ad læuam, donec itidem ad ostium Ponti Euxini perueniamus.

Itaque Galata Ceratinum ad sinum relicta, transeundum primo promontorium, saraio Sultanino, e regione trans sinum cornutum sito, respōdens: & mox offeret sese Carauoli, locus omni variorum ædificiorum & hortorum cultura, ne templis quidem Turcicis deficientibus, amœnissimus: vbi diuersorium Anglicanæ reginæ legato adsignatum erat, quum nos istic essemus. Ibidem Iuliæ Pesceniæ marmor Græcum est elegantissimum, cuius inscriptionem habemus.

Carauoli proximus est locus a S. Phocæ templo Christianis adpellatus, Ortachioi Turcis. Archion priscis dictum refert Gyllius.

Vltra S. Phocam, Archangelus est, locus sic ab Archangelo Michaele dictus. Veteres Catascepen nominasse, patet ex his Nicetæ verbis: Monasterium in Ponti faucibus loco, qui Catascepe dicitur, exstruxit Archiducis Michaelis nomine. Vocant nunc etiam Græci Asomaton, propterea quod Angeli corporis expertes sint.

Inde peruenitur ad Diplokionion, sic dictum a geminis columnis, quod Turci Besictas, veluti lapidem cunarum vocant. Ibi monumentum est sepulturæ Chairadinis Bassæ, cui ab Italis nomen Barbarossæ datū fuit. Meminit heic eum sepultum liber ipse annalium, ad annum Christianum 1547. Diplokionion priscis dictum erat Iasonium. Ortelius non recte Diplociana scripsit, pro Diplokionio: & Bisitas, pro Besictas.

Vltra Diplokionion est id, de quo prolixe nunc egimus, Neocastron.

Hinc itur ad locum, Stenia nunc dictum, nomine corrupto de Sosthenio, ni fallor. Aut hoc illud est Stenon, Cedrino & aliis frequenter nominatum.

Sequitur Neochori, quod sic enuntiatur a Gręcis hodie, quum sit Neochorion. Significat autem locum vel agrum prædiumue nouum.

Supra Neochorion pagus est Pharapia. Sic enim a Græcis effertur, a nostris Therapia.

Peruenitur hinc ad Panagian sto mauro molo, id est, ad sanctissimam Deiparam virginem, sitam ad nigram molem portus. Quidam e vulgo nominant, ad sanctissimam Deiparam die xv Augusti.

Vltima Turris est, ad ipsum Ponti ostium, cum pago a Græcis inhabitato, sita: sicut & hactenus indicatorum vtriusque litoris locorum incolæ fere Græci sunt. Eam turrim Busbequius Pharum vocabulo veteri nominat, sed accolæ Phanarion adpellant, a Grȩco verbo deriuata voce, quod lucendi significationem habet. Quippe noctu faces accenduntur in suprema turris parte, quam animi caussa conscendimus, vt ad ostium Ponti nauigantium incolumitati consulatur. A Constantinopoli distat hoc ostium maris Euxini milliaribus Græcis plus minus 35. Scopuli saxo viuo siti duo sunt ante Ponti ostium, quo in Bosporum magna vi semet exonerat. Hæ scilicet illæ Cyaneæ siue Symplegades, siue Planctæ sunt, quas ipse Busbequius pæne putauit fabulosas, aut inuenire se saltim, velut alio deuolutas, potuisse negauit. Insulæ priscis hæ dicebantur, non quod sint magnæ, sed quod vndique mari velut insulillæ vel nisidia, sicut Græci vocant, alluantur: Cyaneæ, quod ex interuallo magno adnauigantibus cæruleum de se colorem præbeant: Symplegades & Planctæ, a conquassatione mutua, qua spectantibus ex remoto spatio non tangere se tantum existimantur, verumetiam loco moueri, & ita coire: dumtaxat vnus vt esse scopulus, vnum nisidion, videantur. Hanc opinionem de

Cyaneis meam Gregoræ verba hæc, e libro historiarum IIII, confirmant: Promontorium, inquit, templi Argonautarum, quod Os Ponti adpellatur: vbi Cyaneas & Planctas esse Græci quondam dixerunt: nimirum in ipso Ponti ostio. Hæc omnia sane diligenter inspicere bis memini, præsente Hieronymo Arconato, præstantis ingenij viro: qui rem memoria dignam heic mihi primus suggerebat. Altera Symplegadum, quam simpliciter saxum Busbequius adpellauit, habet columnam veterem ex albo marmore, quam vulgus istic Pompeij columnam falso vocat. In hac præter alia, quæ Gyllius diligenter obseruauit & descripsit, Augusti Sphingem mihi monstrabat Arconatus, a Gyllio non animaduersam. Sphingi respondet inscriptio, quæ ab aliis omissam ponere libuit.

DIVO CÆSARI AVGVSTO
L. CLANNIDIVS
L. F. CLA. PONTO.

Nec tamen defuerunt heic olim etiam Cn. Pompeii monumenta, relicta in his locis inde ab illis vsque temporibus, quum Imperator Populi Romani, contra Mithradatem, Ponti regem, bellum gereret. Exstat vnum adhuc liberti cuiusdam Pompeiani marmor, quod non procul a Casanis bassæ messita, (quondam illustri S. Theodosiæ templo) supra nauale Sultaninum sita, conspicitur. Id pulcherrimis exaratum litteris Romanis, hæc verba continet.

V. CN. POMPEIVS. PHILINVS.
POMPEIAE. PHILOMENAE
FILIAE
ET. SIBI

Habet Lector vno comprehensa capite non pauca, quibus tam prolixe recensendis, si præter officium & institutum alicui fecisse videbor: excusabit apud æquos me iudices infixum animo feruens explicandi res Græcas & Turcicas studium, cum rerum ipsarum varietate tam vtili, quam minime tædiosa.

TEMPVS CERTVM CAPTAE CONSTANTINOPOLEOS.

129. Certum est, captam Constantinopolim a Muchemete II, die 29, mensis Maij, quem IIII Kal. Iunias vocamus, anno Christiano 1453, non 1452, quemadmodum apud Æneam Siluium per errorem librarij fortasse scriptum legitur. Potest hoc etiam ex collatione Mahumetanorum annorum ad Christianos colligi. Cetera de vrbis tam obsidione, quam occupatione, licet paucis exposita sint verbis, vt in annalibus fieri solet; iis tamen consantea sunt, quæ Chalcocondyles prolixius, vt in historia, memoriæ prodidit.

ATMINDAN. COLVMNA SERPENTINA.
Statuarum stichioses.

130. Atmindan significat Turcis eum Constantinopoli locum, quem ab equorum cursu Græci dixerunt Hippodromum. Nam si verbum verbo reddas, At & Mindan, significant equorum locum capacem & amplum. Columna serpentina nunc etiam superest, ex ære facta, sic ab imo conuolutis inter se spiris serpentis triplicis, vt in parte superiori tamdem sese tres ceruices, triaque serpentina capita, diuidant ac separent in formam triquetram: quibus quondam accepimus impositum ab vrbis conditore Constantino magno fuisse plurimum scriptis celebratum illum tripodem Apollinis Delphicum. Quod ait, effectum fuisse per hoc simulacrum, vt eo durante nullus esset in vrbe serpens: ex opinionibus Græcorum Muchemeti relatum fuit: quorum in libro manuscripto de vrbis ædificiis, quem habemus, Stichioses eiusmodi (sic enim adpellant) statuarum variæ leguntur, & quidem ab Apollonio Tyaneo profectæ, si quidem vera narrant. Certe quod statim sequitur, de statua equestri ahenea destructa, qua pesti præclusus fuerit in vrbem aditus: superstitiosis videri posset aliquam mereri fidem, quum singulis annis ea nunc fœde mensibus æstiuis calidioribus grassetur. Qua nos istuc æstate venimus, absumsisse credebatur inter quatuor menses hominum ad CIↃIↃ. Nec anno sequenti pauciores interierunt.

SIVRIGE.

SIVRIGE. SPHETIGRADVM. SPHETIA.

Duxit in Albaniam copias Muchemetes aduerſus Iſchenderem begum, ſi- 131.
ue Georgium Caſtriotem. Siurige lingua Turcica ſignificat arcem acutam. Græci dicerent Oxypyrgion. Laonicus Sphetiam vocat, adpellatam a Barletio Sphetigradum, lingua Slauonica, quam idem a Croia diſtare 58 milliaribus ait.

NOVE. NOVA. NOVOGRAD. NOVVS *mons Raſciæ. Neopyrgium.*

Noue Croatis & Seruianis dicitur, quæ heic noua nominatur, opidum Ser- 132.
uiæ, cuius tunc Deſpota Georgius adhuc ſuperſtes erat: ſed non multo poſt moritur, impetrata pace a Sultano Muchemete, filioque minimo natu Lazaro, ſucceſſore poſt ſe relicto. Notauimus ſupra, capite 101, Nouogradum nunc vulgo dici, quod arcem nouam ſignificat, non nouum montem, vt Bonfinius interpretatur, dum Nouum montem Raſciæ vocat. Apud Laonicum Nouopyrgum legimus, pro quo Neopyrgum reponemus, nomen id Græcis ſonans, quod Venedis Nouograd. Ibidem margini adſcriptum Nouobardum, mutabimus in Nouogardum, vel potius Nouogradum. Ait heic Laonicus magnum eſſe metalli prouentum, & alluentem opidum Morauam, Iſtro miſceri. Sangiaci nunc ſedes eſt, Budæ beglerbego ſubditi.

BELGRADI VEL ALBAE GRAECAE *ſecunda obſidio.*

De Belgrado, & Muratis obſidione, dictum antea numero 100. Nunc ite- 133.
rum obſeſſa fuit a Muchemete Muratis filio, qui eam repetebat ab Vngaris, vt membrum Seruiæ nunc ſui iuris effectæ, de quo prolixe tractatum indicato capite. De hac obſidione ſecunda Thomas Ebendorfus, in Auſtriacis annalibus ſuis, hæc retulit. Anno 1455, Turcus Machumet ſecundis elatus fortunis, Deſpotam Georgium, Ratziæ principem, in ſuis terris hoſtiliter inuaſit, & plura hominum millia crudeliter abduxit. Hinc & Deſpota verſus Vngariam, ad Albam Græcam, cum ſuis ſecretis ſe contulit, terramque ſuam gubernandam Ioanni de Huniad, Vngariæ Gubernatori, dum Viennam (ad Fridericum IIII Imperatorem) pergeret, commendauit. Inde Nandoralba, ianua & clauſura regni Vngariæ, obſidetur a Mahumeto, anno 1456, oppugnatione acerrima facta die 21 Iulij: quũ prius hoc in itinere caſtrum S. Andreæ, (Nota margini adſcripti nomen Senderouiæ) quod erat Georgij Deſpotæ, adgreſſus incaſſum fuiſſet. Soluta obſidione, mortuus Ioannes de Huniad, Comes Biſtricenſis, x1 die Auguſti. Eum deplorauit Fr. Ioannes de Capiſtrano, Huniadis commilito: Salue aureola cæli, quæ cecidiſti, corona. Regni exſtincta es lucerna. Orbis corruptum es ſpeculum, in quo nos diutius inſpicere ſperabamus, & alij. Nunc tu deuicto inimico triumphas coram Deo & angelis, o bone Ioannes. Sane quam fortiter, & immortali cum laude ſua, hi duo ſe geſſerunt, hoc propugnaculo Chriſtianorum defendendo, Huniades & Capiſtranus, monachus ordinis prædicatorum, clarus in hiſtoriis Volonum cruce ſignatorum dux, qui mortuum Huniadem paucos intra dies ſequutus fuit. Muchemetes in oppugnatione diei 21 Iulij, cuius Ebendorfus meminit, letali accepto vulnere, vix incolumis euaſit. Obſidio ſoluta fuit die 6 Auguſti, quem Calixtus III Pontifex haberi feſtum ex eo tempore voluit, ſub nomine Transfigurationis Chriſti: quod tamen feſtum illo die, multis ante ſæculis, Græci celebrare conſueuerant, adpellantes id Sacram ſanctam metamorphoſin Domini & Dei, Seruatoriſque noſtri, Ieſu Chriſti.

DAI CARATZE BASSA. BONFINIVS ET *Chalcocondyles emendati.*

Hic Baſſa Bonfinio Caracia vocatur, Chalcocondyli Caratzies. Europæ ne 134.
beglerbegus fuerit, an Anatoliæ, non exprimitur in annalibus. Laonicus tamen diſerte Ducem Europæ nominat, ex quo corrigendus Bonfinius, qui Aſiæ du-

cem fecit; errore consimili cum eo, quem supra numero 106 de Chasane bassa notauimus. Verba Laonici hæc sunt: Europæ Dux Caratzies, qui gloria & virtute excellebat omnes, qui regiis in ianuis militabant, ab opidanis bombardæ globo ictus occubuit. Eum rex (Muchemetes) multum lugebat. His verbis etiam mortis genus indicatur, quo periit. In obsidione vero Constantinopolitana corrupte nomen huius Saratzies legitur, pro quo reponendum, Caratzies. Huc etiam pertinet ille Laonici locus de oppugnatione Belgradi, excerptus & emendatus supra, cap. 72.

REX BOZINAE STEPHANVS.

135. De Semendria diximus cap. 99. Bozinacorum origo declarata legitur capite 49. Duplicem esse Bozinam, docuimus capite 95. Qui Bozinæ rex heic memoratur, Stephanus erat, de quo plura non multo post. Is sponte sua deditionem Semendriæ fecisse narratur, quam a morte soceri occupauerat. Erat autẽ vxor huic, Lazari Bulcouitzij filia, Georgij Despotæ neptis, quemadmodum in genealogia Bulcouitziorum, capite 54, indicauimus. Et adparet hinc, Lazarum Seruiæ Despotam, Georgio patri, qui diutissime regnauit, non diu superstitem fuisse.

TARABOSANIS IMPERATOR A MVchemete II victus.

136. De Castamone dictum capite 66. Sinopes etiam frequens hactenus facta mentio. Nouella Leonis imperatoris, cognomine Sapientis, episcopatum Sinopensem Amasianę metropoli subiicit in Helenopôto. Pordapam dici tradit Laonicus, nouo vocabulo, licet heic in annalibus parum mutato veteri, Sinap scribatur. Tarabosan Turcis est Trapezus, nota sedes Comnenorum principum, qui audire volebant Imperatores. Vltimus eius gentis, a Muchemete victus, fuit Dauides Comnenus.

DRACOL WEIDA. BLADVS. VLADA. Matthias Vngariæ rex.

137. Hic Valachiæ Vaiuoda, qui Turcis Dracol nominatur, Laonico Bladus dicitur, Draculæ filius, ex immanitate celebris, de quo plurima commemorantur, huc non pertinentia. Bladi nomen ex ratione pronuntiandi Græcis familiari, Vladum scribere debuerat interpres. Vladam Bonfinius adpellat, & post etiam Draculam paterno nomine. Callimachus integre Vladislaum Draculam scripsit. Hunc qui coniecisse dicitur in carcerem rex Vngarus, Matthias Huniades fuit, Ioannis filius, Austriaci Ladislai, Pragæ subito exstincti, Vngarico in regno successor. Muchemetes, hoc ab Vngaris capto, Valachiam subiecisse narratur. Id vero factum potius existimandum a Dracula iuniore, Vladislai fratre: qui tamen postea se, cum ipsa regione, Muchemetis imperio summisit, accepta soluendi annui tributi condicione: nihiloque minus a Matthia rege confirmatus in principatu, teste Bonfinio, fuit; tamquam ab Vngariæ rege, directo Valachicæ ditionis domino. Sic nimirum prius etiam conuenerat inter Muratem II & Vladislaum regem anno Christiano 1441, post victos ad Isladinas fauces Turcos: vt Valachi Turcorum quidem essent tributarij, sed nihilo minus ad Vngariæ regnum, velut antea, pertinerent.

MITYLIN. CATALVSII, VEL CATELVSII, Lesbi principes, origine Genuenses.

138. Mitylin, pronuntiatione Græca, quæ Mitylene nostris est, vocatur a Turcis Insula Lesbus, ipsis etiam Græcis hanc ita nominantibus. Cedrinus certe Lesbum alicubi Mitylenen dixit, ab vrbe totius Insulæ primaria. Vulgus Italicorum nautarum Metellino nunc adpellat. Habebat insula, quum oppugnaretur a Muchemete, principem Dominicum Catalusium vel Catelusium, quem Græci Kyriacon vocabant. Interpres Laonici Nicolaum Catelusium, pro Dominico, haud scio cuius auctoritate fretus ex historicis antiquioribus margini adscripsit. Nam

Geufræus,

Geufræus,qui nomen idem habet,recentior est,& alios sequens falli potuit. Ipsa Catelusiorum gens origine Genuensis erat. Oriundus ex ea Franciscus Catelusius, quum Ioannem Palæologum Imperatorem, a bonitate Caloioannem vulgo dictum, Andronici II filium, Michaëlis II nepotem, Andronici I pronepotem, Michaëlis primi, qui Flandris Constantinopolim eripuit, abnepotem bello contra Ioannem Cantacuzenum,tutorem & socerum,& vsurpatorem imperij,iuuisset: insula Lesbo donatus,etiam Caloioannis sororem in matrimonium accipere promeruit. Acciderunt hæc anno 1355. De quo colligitur, non totos 100 annos in eorum potestate Lesbum fuisse. Lucij Catelusij, qui Æni princeps in Thracia fuerit, apud Laonicum fit mentio: sicut obiter etiam principes Æni supra memorantur,capite notarum 32. Idem Chalcocondyles Dominici fratrem facit Lucium, quem rectius a Sansouino Turcicis in annalibus Dominici huius propinquum vel adgnatum nominari arbitror.

MVCHEMETIS AEDIFICIA CONSTANTINOpolitana. Genisarai. Eskisarai. Iedicula.

Non exprimunt annales,quęnam ædificia Constinopoli Muchemetes exstru- 139.
xerit. Ideo lubet hæc de Laonico & aliis promere. Statim enim proxima post Lesbum captam hieme, narrat eum quieuisse Laonicus, intentum ædificiis vrbanis, templis, nauali, arce Byzantina, quam condidit iuxta portam a Græcis Auream vocatam, vbi & turres maximas excitauit, spectatuque dignas, & ipsam regiam interius eleganter ornauit. Hactenus Chalcocondyles paullo commodius redditus, in cuius verbis notandum, intelligi templorum structuram, de commutato Christi Dei sapientiæ templo Iustinianeo in messitam Mahumetanam, deque diruto antiquissimo Christianorum templo, quod ædificatum a Constantino magno Sanctorum Apostolorum nomen habebat, cuius ipse loco suam struxit cum imareto messitam, Turcicarum omnium in vrbe primam, & operis magnifici, quemadmodum hodieque conspicitur. Nauale Christianis ab imperatoribus neglectum instaurauit, ornatum & extensum a posteris ea cura, nunc vt amplissimum sit. Supra Galatam situm est in sinu cornuto, versus aquas dulces, vbi nimirum celebrati a priscis fluuioli, Cydarus nunc Machleua,& Barbyses, nunc Chartaricon,& a vico vicino Pectinachorion dictus, in sinum hunc influunt. Continet iam nauale loca concamerata 187, exporrecta longa serie, magnique triremium numeri capax est: licet aliud Sansouinus ex antiqua relatione quadam Veneta, parum præsenti rerum formæ consentaneum tradat. Fuit & illo quondam loco regia, quo loco dicit Laonicus eum struxisse Byzantinam arcem, propter Auream portam, quæ ab vna parte meridiem ac Propontidem, ab altera solem occidentem respicit. Hæc ædificia Muchemetem condidisse, Laonicus scripsit. Menauinus autem, sicut & alij, tres ait arces a Muchemete Constantinopoli structas: Genisaraium, Eskisaraium, & Iadiculam. Ad orientem solem, e regione Scutarij, siue Damalici promontorij, situm est Genisaraium, (sic dictum, quod nouum sit) in extremo vrbis angulo, qui a templo vicino, sancti Demetrij vocatur: vbi Bospo rus impetu maximo, ad ipsam crepidinem collis, in quo saraium vel arx posita est, in Propontidem irruit. Olim Palatium Byzantinum, & Acropolis Byzantina dicebatur, velut arx in vno de tribus extremis angulis vrbis sita, quo loco Byzas initio Byzantium condere cepérit. Hæc Sultanorum Osmanidarum sedes, hoc domiciliū & aula est, quam Capi siue Portam Osmanicā vocant. Vndique muris (de quibus infra, capite 149) ac turribus inclusa, tribus in circuitum milliaribus Græcis patet. Voluit huius saraij noui nomine Muchemetes posteros & successores in imperio suos obligatos esse soluendis messitæ suæ nouæ, singulos in dies, aspris mille: quæ summa, computatis pro vno talero Germanico aspris 40, cottidie ad 25 taleros excrescit: in annos vero singulos, supra nouies mille, centum taleros efficit. quibus alios annuos reditus ad summam CIↃIↃ ducatorum, adiecit. Eskisaraium, voce significante saraium vetus, in vrbis meditullio situm est: sicut & olim ibidem in vrbis omphalo vel vmbilico, priscorū erat imperatorum regia. Vasilia

ta megála Græci quondam nominabant. Nunc illa gynæconitidi Sultaninæ præcipue seruit, spatio saraij, ratione circuitus, ad duo passuum millia exporrecto. Iadicula denique Propontidis in litore condita est, ad meridionalem & occidentalē partim vrbis angulū, versus Auream portam, nunc quidem superstitem, sed obstructam tamen, ac versus vrbis terrestres muros: qua in Thraciā, Macedoniam, vniuersam denique Græciam, itur. Sic autem adpellata Turcis est a Iedi & Cula, quorū illud est septem, hoc turrium significationē habet. Græci nunc Heptapyrgion dicunt, aut Heptapyrgon, puro puto vocabulo Græco: semiturcico, vel hybride potius, Hepta gulades: ex quo etiam obiter intelligi potest, quod Aphricanæ Guletæ sit etymon siue notio. Ipsa quidem arx custodiæ regiorum thesaurorum est adsignata, perpetuasque militum excubias habet, qui feruntur esse numero quingenti, de quibus alio loco.

MACHMVT BASSA. VARIA SCRIPTVRA VOCIS VNIVS.

140. De hoc Machmute Laonicus hæc: Mechumetes, inquit, regij palatij dux, (postea ducem ianuarum vocat) & Europæ præfectus, filius Michaelis, Græcus. Et addit, Græcos pueros (Græcorum filios dicere debuit interpres, id est Græcos) qui abducti Byzantio, cum rege commorabantur, magnam potentiam sibi peperisse. Nominis scripturam, tam in hoc, quam aliis locis, ab interprete Cæsaris acceptam Galderio, retinui. Triplicem sane reperi, nostris his in annalibus: Muchemet, Mechemet, Machmut. Historiæ Græcorum & nostrorum hominum præterea diuersitates alias habent, vt Muchumet, Mahumet, Machomet, Mahomet, Mohamed, quod Moamed Græcis est, absque aspiratione. Stephanus Vngarus, sane peritus interpres linguarum plurium, Turcicæ, Arabicæ, Persicæ, quem nobis impetrante magnifico domino Hieronymo Beck a Leopoldstorf, consulere de multis licuit, recte putabat in genere tum scribi, tum enuntiari, Mohammet.

FINIS REGNI BOZINENSIS. OBSERVANDA DIVERSITATIS annorum ratio. Stephani regis excoriati calamitas. Matthias Vngariæ rex Bozinam recipit. & Muchemetem fama sola fugat. Couadza.

141. Bellum hoc, quod Bozinensi tam regno, quam ducatui finem adtulit, Bonfinius refert ad annum Christianum 1463. Turci vero tradunt, hoc annis XI post captam Constantinopolim fuisse gestum. De quo sequitur, ad annum Christianum 1464 referendum esse. Solet etiam vsuuenire plerunque, vt nostri numeros annorum ad initia bellorum referant. Annales vero Turcici finem rerum gestarum respiciunt, ideoque fere iam rebus ipsis expositis annorum numeros adiiciunt. Hoc diligenter obseruare lectorem velim, ne me putet alicubi temere mutasse numeros ab aliis positos. Hertzegouinæ sub iugum missæ nomine, Ducatus Bozinensis intelligitur, alius a regno: cuius interitum deinceps numero notarum 162 exponemus. Quod autem dicitur, Muchemetem Bozinæ regē captum occidisse, paullo explicandum latius, vt plenum tam barbaræ perfidiæ Muchemetis, quam immanitatis horrendæ facinus cognoscatur. Stephanus ergo rex Bozinensis, & vxorio iure (ceu dictum paullo ante) Seruiæ Rasciæque Despota, bello petitus a Sultano Muchemete II, & obsessus Iaitzæ, blanditiis tyranni per quosdā de industria subornatos e castello Iaitzano euocatur, & ad colloquium arcessitur. Quum barbaro temere fidem habuisset, manuque capita pacis inter se ac Muchemetem initæ gestans, in castra venisset, capitur: cute, iussu Muchemetis, viuus exuitur: iusto denique Dei iudicio cum vita regnum, quo fraude patrem filius sceleratus excusserat, amittit. Hoc modo tum Bozina, Rascia, Seruiæ magna pars, Turcorum in potestatem venit. Matthias tamē rex Vngarus Iaitzam, cum XXVII Bozinæ opidis, recepit: quam militum corona deinde rursum Muchemetes circumdedit, & oppugnauit: irritoque conatu, fama duntaxat aduentantis Matthiæ territus ab obsidione, Bozinæque finibus, discessit. De opido Hertzegouina dictum superius, capite 95. Couadzam Turci cum Bozinacis & Croatis adpellant, quę Iaitza Bonfinio, Chalcocondyli Gaitia, paulloque rectius Gaitza nominatur.

PLVRES

PLVRES IN ALBANIA PRINCIPVM DItiones. Giolchisar. Egripos.

Erant in Albania plures reguli, qui suas singuli ditiones habebant. Inter has 142.
erat Ibanis, siue Ioannis, Castriotæ regio, de qua superius dictum capite 121. Hanc armis nunc imperio Muchemetis cessisse referunt annales, quod alij factum deditione narrant. Laonicus hac serie ditiones enumerat. Primum ait Sandalis in Epiri vicinia sitam esse regionem, cui finitimæ sint Venetorum aliquot vrbes, Albaniæ proximæ. Ioannis inde Castriotis agrum succedere, cui sit adnexa regio Comneniadarum. Hinc sitam vlterius Arianitæ, Comneni filij, ditionem asperam & montuosam. Eius regiam vocabulo nunc etiam noto, Cannina dicebant, numero multitudinis: quæ supra Valonam vel Auloniam in sublimi posita conspicitur. Arx Caramaniæ Giolchisar, cuius paullo post mentio fit, in Anatoliæ tabula chorographica scribitur Culchisar. Egripos insula Turcis dicitur, quam vulgo iam Negropontum adpellant, sicut & primariam insulæ ciuitatem: quæ ponte, cui castellum adiunctum est, cum Achaiæ continenti cohæret. Vrbi nomen apud priscos erat Chalcis, insulæ vero, Eubœa: quam Euripi fluxus nobilitauit, vt Euripum princeps ille philosophorum Aristoteles. Nam si vera sunt, quæ de ipso, causas motus Euripi peruestigante, referuntur: quum tandem Aristoteles Euripum capere non posset, cepit Euripus Aristotelem. Erat Eubœa, quum a Muchemete bello peteretur, Venetorum in potestate. Defendebant eam contra Turcos acriter nomine reipublicę, Ludouicus Calbus, & Paulus Erizzus, vel Ericcius, prætor Chalcidis, quem Potestatum Veneti nominant. Sed classe Veneta suis succurrere non ausa, tandem opido per vim potiti fuere Turci. Filia Pauli Prætoris, vrbe capta, propter insignem formæ venustatem ad Sultanum Muchemetem deducta, memorabili exemplo pudicitiæ mori maluit, quam eius libidini prostituere.

VSVN CHASAN. IVSVFZE BEG. MVSTAphamfilium Muchemetes strangulari iussit.

De huius Chasanis origine Reineccius exquisite disserit. Vsun a Turcis ob sta- 143.
turam corporis eximiam dicebatur. Nam Vsun eis significat longum siue procerum, qui Persica lingua Diras diceretur. Laonicus quoque Chasanem Longum adpellat. Ioachimus Cureus, Silesiorum historicus, nominat Hussancanum, vel corrupta voce, vel in Hassan Chan mutanda, quod esset Hispanico more, Don Hasan vel Chasan. Sed ipsos Persicos reges eo nomine vsos non memini vel legere, vel audire: quod tamen proceribus eidem regi subditis tribui scio, & antea notasse recordor. Iusufze vel Iusufge nomen itidem factum est a statura, forma deminuta. Significat enim Iosephulum. Iouius simpliciter Iosephum nominat. De Tocata superius quædam habes capite 75. Quum dicitur a patre Mustaphas fuisse præfectus iis locis, intelligitur Amasia: de qua dictum initio declarationis, cap. notarum 6. Mustaphas hic ante patrem exstinctus fuit, aliis venationi causam mortis adscribentibus, aliis nimiæ Veneri. Nobis ea lubet interpretando adijcere, quæ digna memoratu de ipsius interitu prodidit Spandugnius. Ait enim, Achmetem bassam, cognomento Bidicem, de quo statim plura dicturi sumus, habuisse feminam forma præstantem, cuius amore captus fuerit Mustaphas hic, Muchemetis filius: quum aliquando in aulam, officij caussa, manum patris exosculaturus, venisset. Inde factum, vt illa quodam tempore balineum (pro more Turcico) ingressa, Mustaphas eodem se conferret, & nudam (vt erat) nulla pudoris habita ratione, violaret. Indignum hoc facinus quum Achmetes ad Sultanum Muchemetem deferret, laceratisque vestibus ac tulipanto, de tam graui quereretur iniuria, vindictam sceleris exposcens: respondisse Muchemetem, cur iis querelis vteretur? an nesciret, Sultani se mancipium esse? Si maxime filius, inquit, meus Mustaphas in vxoris tuæ complexus venit, an non meo cum mancipio rem habuit? Nihilo tamen minus patrem de tali patrato facinore filium secreto quam acerrime increpasse, iussisseque, suo vt e conspectu ilico discederet. Et quia deesse non soleret officio, in obseruatione iuris & æqui, si quidem ita libitum ei

fuisset: misisse post triduum quemdam e suis, qui Mustaphæ neruo iniecto fauces iussu patris eliserit. Hæc Spanduginus. quæ sane si vera sunt, vt pluribus ex caussis esse videntur: memorabile nobis exemplum paterni rigoris erga filium, ceteroqui præstantem virum, in ea gente præbent: cuius Sultani suos in subditos, velut in vilissima mancipia, ne maxima quidem dignitate viris secundum ipsos principes repugnantibus, quiduis sibi licere putant.

CARACHISAR. CHAS MVRAT.

144. Clauserus in Chalcocondylis conuersione sua nomen vrbis, quam Muchemetes in Chasanis regionem pergens occuparit, non repertum (vt arbitror) in suo codice, omisit. Adscriptum tamen est margini de libro Gundeliano Coryci nomen, ac recte quidem. Nam Corycum cepit, quam Turci suam ad linguam nonnihil accommodarunt, & Charachisar dixerunt. Monuimus enim supra, cap. 15, Turcis esse in more, sic antiqua mutare nomina ciuitatum, castrorum, stagnorum, fluminum, regionum: vt priscorum adfinitatem retinentia, nihilominus in sua lingua quiddam significent. Ita de Coryco factum Carachisar, quod Turcice sonat arcem nigram. Apud Ortelium in Synonymia Geographica Curcu Nigri, & Corcos ex itinerario Beniaminis, admitto: Mercatoris vero Chutam, cum Chuteo Iosephi Barbari, nihil ad Corycum pertinere puto. Murates ille, Romaniæ vel Europæ beglerbegus, cuius nomen heic subijcitur, cognominatus fuit Chas, hoc est, elegans aut venustus.

VSVMCHASANIS FILIVS ZEINELI CAESVS in prælia contra Muchemetem.

145. Qui hoc prœlio fuit interfectus Chasanis Longi filius, nullum heic in annalibus nomen habet. Secretarius autem Sigismundi Malatestæ, reguli Ariminensis, qui tunc vixit, & plerisque rebus id temporis in Græcia & Anatolia gestis cum hero suo, magnæ virtutis, & nominis clari duce, interfuit; Zenialem vocat, qui Iouio Zeynal dicitur. Is vero Turcis est Zeineli, vocabulo significante hominem, cui dentes aut maxillæ prægrandes sunt. Illum Latini Dentatum vocarunt, hunc Græci Gnathonem, opinor: qui an Latine Maxillatus dici possit, alij viderint.

MOLDAVIAE VAIVODA TVRCOS INgenti clade adficit.

146. Moldauiæ Vainodam quum dicimus, semper illum intelligimus, quem a Turcis principem Carabogdaniæ nominari, monuimus supra, cap. 71. Qui vero cædem hanc Turcorum insignem edidit, adpellatur a Bonfinio & Cureo Stephanus, magnus sane vir, & bello felix: qui non Turcos modo cæcidit, verumetiam illustri de Tataris potitus est victoria. Quæ Turcis Iscodara sit, explicatum ante, numero 121.

GEDVC, ACHMETIS BASSAE COGNOMEN, varie corruptum. Achmetis fortuna, non minus varia.

147. Magni nominis vir fuit Achmetes hic bassa, tam apud Sultanum Muchemetem II patrem, quam apud Baiasitem filium: de cuius origine Geufræus errat, quum tradit, eum fuisse filium Stephani, non regis, sed Despotæ Bozinensis. Nam Bozinę Ducis filius fuit alius ab hoc Achmetes bassa, cui cognomen erat non Geduc, sed Chersеogles, vt eum nostri vocant, de quo infra, suo loco, dicetur. Hic autem Achmetes, Albanensis erat origine, vel Epirota. Sigismundi Malatestæ secretarius scripsit, eum fuisse virtute militari parem antiquis ducibus: adeo quidem, vt sola nominis sui fama, quocumque se conferret, omnibus formidinem ac trepidationem inijceret. Addit, cognominatum vulgo Gendich propterea, quod ei dens vnus deesset. Quam vero a tenui fortuna maximam ad dignitatem subito peruenerit, Spanduginus his propemodum verbis exposuit. Erat, inquit, Sultano Muchemeti satelles, (Solacos Turci vocant) qui Bidic Acmat ex eo nominabatur, quod in oris antica dentium serie, dentem vnum amisisset. Hic quum aliquando cum principe suo colloqueretur, vt fieri nonnumquam solet, adserebat inter alia: non posse principem reuera se magnum prædicare, si non ex paruo magnum,

magnum, & viciſſim ex magno paruum facere poſſet. Hæc eius verba tantum in animo Muchemetis habuerunt efficaciæ, vt Achmetes hactenus ſatelles, ab ipſo ſupremum ad primarij baſſæ gradum proueheretur. Quid ei poſt hæc euenerit, quum ipſius vxori a Muſtapha, Muchemetis filio, ſtuprum inferretur: paullo ante narratum, capite 143. Mortis genus, conſentaneum fortunæ ſubitæ, nimiumque blandienti, ſuo loco deinceps commemorabitur, numero notarum 156. Nunc diuerſitas indicanda cognominis, & verum cognomen oſtendendum. Diximus eum a Spandugino vocari Bidic, & alibi Vidich, a ſecretario Malateſtæ Ghendich: quam ſcripturam Geufræus retinet. Nominis notionem priores duo pæne rectam adtingunt, quum ita fuiſſe vocatum ab amiſſo dente referunt: Geufræus in expoſitione vocis fallitur, quum ſic ait ipſum a magno dente nominatum. Scriptura hoc modo mutanda, vt apud Spanduginum pro Bidic & Vidich, legatur Gidic: apud reliquos duos pro Ghendich, Gedic: quod idem eſt cum Geduc. Peritiores Arabicæ linguæ Gutuc enuntiant per V Gallicum, quod parum abeſt a Gidic ſiue Gitic. Significat autem vocabulum hoc truncum alicuius rei fractæ. de quo animaduertitur, hoc ei datum fuiſſe cognomen a trunco dentis, qui adhuc in ore ſcilicet reliquus hæreret.

MARE NIGRVM, ET MARE MAIVS. COFE.

Pontus olim dictus Euxinus vel hoſpitalis, per contrarium ſenſum, velut 148. Axenos & inhoſpitalis, nunc a Turcis Caradenizi vocatur, a Græcis Maura thalaſſa, idem vtroque nomine ſignificante, videlicet mare nigrum. Vſus eſt hac adpellatione Damaſcenus Studites in theſauro concionum ſuarum, ſcripto lingua Græca vulgari. Nomen hoc ei datum perhibent, non quod aquas habeat nigras, quæ profecto limpidiſſimæ ſunt: ſed a ſubitis fœdiſque tempeſtatibus, quæ prius placidum ac ſerenum, paullo momento nigris tenebris inuoluunt. E diuerſo mediterraneum mare, non tantis obnoxium mutationibus, ſed longe ſerenius, illis Acdenizi dicitur, his Aſpra thalaſſa, id eſt album mare. Itali diſſentiunt ab vtriſque, ac a nobis etiam Germanis, qui hos ſequentes & ipſi nigrum mare nominamus. Etenim adpellare ſolent mare maius, quod idem eſt cum mari magno. Id ei nomen dat Vincentius Beluacenſis, vti ſupra notatum capite 128. Cofe Turcis ſcribitur, quæ Capha noſtris eſt, in Taurica Cherſoneſo trans mare nigrum ſita, Genuenſium quondam colonia. Notum eſt, olim dictam fuiſſe Theodoſiam. De Kerimis, Crimiis, Keraiis, (ſic diuerſis iiſdem nominibus adpellantur) Deſtenſibusque Tataris, dictum ſuperius, numero notarum 45.

MVCHEMETES OBSESSAE
Semendriæ ſuccurrit.

Obſcuriuſcule quædam heic dicuntur, quæ ſic intelligenda. Muchemetes 149. ad Morauam fluuium profectus eſt, hoc eſt, in Seruiam ſiue Raſciam, ad metropolim eius regionis Semendriam, vel Senderouiam, obſidione liberãdam. Quippe Matthias Vngariæ rex, vti Bonfinius refert, hieme anni 1476, ad Semendriam, vndique militibus cinctam, exſtrui caſtella tria curauerat: vt artiſſime clauſam in poteſtatem redigeret. Iis vero caſtellis potitus Muchemetes, obſidionem ſoluit. Obiter heic lector obſeruet, a Turcis etiam Morauæ nomen retineri, non Schitnizam cum Moraua confundi, de quo ſuperius actũ, capite 124. Quum deinde muro nouam arcem cinxiſſe dicitur, intelligendum illud Geniſaraium, in vrbis orientali angulo conditum, de quo paullo ante, numero 139. Præterea nomen Soleimanis Romaniæ beglerbegi, quod ſtatim ſubiicitur, Bonfinius ignorauit, Baſſeum modo vocans.

INSIGNIS TVRCORVM CLADES IN VNGARIA.

Bonfinius vnum hac expeditione Turcorum ducem nominauit Halibechum, qui annalibus eſt Ali beg Michalogli: de reliquis duobus, Iſa bego Chuſeinogli, & Bali bego Malcozogli, nihil compertum habuit. Turcorũ exercitum 150. LXCIↃ æſtimat. Vngarorum duces fuere, Stephanus Batorius, Vaiuoda Tranſſiluanienſis, & Paulus Kiniſius, Comes Temeſuarenſis. Numerum cæſorum Bon-

finius idem in litteras retulit, Turcorum XXXCIↃ, Vngarorum VIIICIↃ dumtaxat. Annum quoque poſuit 1480. Vnde corrigendi captæ ſuperiori anno Scodræ numeri apud ſecretarium Malateſtæ, proque 1477, reponendi 1479.

RHODVS A TVRCIS PRIMVM OBSIDETVR.
Amadeus cognomento Viridis, Comes Sabaudiæ.

151. Sæpenumero quidem tentata fuerat hactenus, & obſeſſa Rhodus a Saracenis, etiam ab illo tempore, quo ab equitibus Hieroſolymitanis S. Ioannis Baptiſtæ (Frerios vocari ſcribit Nicetas, Gallica nimirum voce; ſignificante fratres) poſſidebatur: & ante hanc obſidione proxima liberauerat eam Comes Sabaudus Amadeus, cognomento Viridis, immortali cum laude ſui nominis. Ideoque cum alba cruce, in campo rubro defixa, quæ ipſius ordinis equitum Rhodiorum inſignia ſunt, perpetuum ea familia ſymbolum FERT huius Amadei virtute promeruit. Nam eæ litteræ plenius explicatæ ſignificant, Fortitudinem Eius Rhodum Tenuiſſe. Sed Turci nihil ad hoc vſque tempus in eam moliri fuerant auſi, licet Aſiæ quietam prope poſſeſſionem interturbari ab equitibus illis Rhodiis, ægerrime ferrent. Nunc tandem Rhodum iuſſu Muchemetis adgreſſus eſt Meſites vezir baſſa, gente Palæologa natus. Erat tunc princeps ordinis, quem Græci Megalon Maſtora vocabant, noſtri magnum Magiſtrum, Petrus Albuſſonius, natione Gallus, qui poſtea Cardinalis eccleſiæ Romanæ creatus fuiſſe traditur. Is tam fortiter hac obſidione cum ſuis ſe geſſit, vt nō ſolum infecta re, verumetiam damnis acceptis grauiſſimis, inde diſcedere Meſites cogeretur. Quippe non reuocatis ad calculum detrimentis ceteris, cæſa periere Turcorum XXXCIↃ, vt quidam aiunt, Geufræo longe minorem ponente numerum.

OTRANTVM A TVRCIS CAPTVM, ET
a Chriſtianis receptum.

152. Otrantum Turcis & Italis dicitur extremo in angulo Apuliæ ſita ciuitas, e regione Albaniæ vel Epiri: cuius ab opido Velona ſiue Valona, quondam Aulonia, ſexaginta dumtaxat interiecto mari milliaribus Græcis diſtat. Imperator Leo metropolim facit, & Hydruntem vocat, vnde corruptum nomen Otranti. Leone quidem regnante pars vt iſthæc Italiæ, cum Calabria, Byzantino parebat imperatori: ſic & metropoles Romæ Nouæ patriarcham, non veteris Papam adgnoſcebant. Inter alia poſt captam Hydruntem a barbaris edita crudelitatis exempla, refertur & illud, quod vrbis archiepiſcopū ad aram ſerra diſſecuerint. Nos e Corcyra ſoluentes, deficientibus idoneis ventis, heic ſubſiſtere coacti fuimus, in non exiguo, propter immanes piratas Turcicos, diſcrimine conſtituti: qui ob interfectam cum familia non ita dudum Ramadanis baſſæ Tripolitani coniugem, vt in ſupplemento annalium narrauimus, in Venetos rabioſe graſſabantur. Nec Hiſpanus gubernator Hydruntinus minori vſus eſt erga nos barbarie, qui per nauclerum cum periculo ablegatum rogantibus, vt aliquanto propius ad portum accedendi poteſtatem faceret: quo portus & vrbis vicinia tutiores a piratarum iniuriis eſſemus, non ſolum id negauit: verumetiam denuntiari iuſſit, ſe nos omni genere tormentorum bellicorum ex arce, ſi propius accederemus, excepturum. Id fiebat propterea, quod Conſtantinopoli veniremus: vbi ſuperiori æſtate, velut paullo ante dictum, grauiſſime morbus peſtilens ſæuierat. Amplius tamen quinque menſibus, ante noſtrum diſceſſum, ea graſſari deſierat; ac nos quarto iam menſe a Conſtantinopoli aberamus. Ita nimirum exuere quaſdam belluas omnem non dico caritatis Chriſtianæ, quæ fruſtra in eis quæritur, ſed humanitatis ſenſum videmus, de hac vita quam diutiſſime conſeruanda ſollicitos, quum æternam & cæleſtem nullam exſpectent. Hydruntem a morte Muchemetis, quum Baiaſites patris in imperio ſucceſſor, bello contra Zemem fratrem implicatus, Achmetem Geducem baſſam ad ſe anno proximo (ſicut in annalibus paullo poſt ſequitur) reuocaſſet; Neapolitani reges obſeſſam & expugnatam recuperarunt, ab Vngaro rege Matthia copiis auxiliaribus impetratis: quæ pugnis aduerſus vicinos Turcos adſuetę, prçcipuam hoc bello, ſuperandis barbaris, operam nauaſſe prædicantur.

MORS SVLTANI MVCHEMETIS II.
Teggiur Zair. Clyzomene. Nymphaeum.

Commode mors consilia Muchemetis interrupit, futura reipublicæ Chri- 153.
stianæ perniciosa. Nam Otranto capta, progressurus erat haud dubie: præsertim quum Roma Noua potitus, etiam de Roma veteri subijcienda perpetuo nescio quid somniaret. In Asiam transmisisse cum exercitu dicitur, inuasurus Ægypti Sultanum, tum quod legatos suos, ab Vsumchasane Persarum rege cum muneribus reuertentes, violasset: tum etiam, quod pedaneũ vectigal a Turcis, Mechien, per imperij sui fines, religionis ergo proficiscentibus, exigeret. Exstinctum tradit Bonfinius anno Christiano 1481. v Non. Maias. Addunt annales, in Teggiurum prato mortuum. Hoc loci nomen Turcis Teggiur Zair effertur. Et exposita superius est causa, numero notatum 56, quamobrem Turci Græcorum Imperatores nominauerint Teggiures. Secretarius Malatestæ refert, Muchemetem cum exercitu transiecisse Scutarium, indeque profectum ad Chisiuichen, cuius planicies ab vna parte ad mare pertineat, in morbum incidisse. Quibus in verbis pro Chisiuiche putarim equidem aliud nomen reponendum, adeoque Geiuisen illam, de qua dictum capite notatum 74. Quippe fatentur omnes historici, Muchemetem iter hoc Nicomediam versus tenuisse: a qua non longe cum abesset, mortuus fuerit. Notatum vero supra, Geiuisen vnius itinere diei non magno dissitam a Nicomedia. Dictum ibidem, maris istic esse sinum, quem veteres Astacenum vocarint. Eum secretarius etiam Malatestanus ipse digito quasi commonstrat. Prætor Græciæ noster cuiusdam regij vel imperatorij palatij meminit, cui nomen dat Nymphæum. Ab eo non procul dissitum describit locum, tali Teggiurum vel Imperatorum prato rebus omnibus simillimum. Alicubi de Nymphæo: Michaël, ait, Palæologus imperator Nymphæum peruenerat, quo loco recreare se solebant imperatores, postquam Constantinopoli (a Flandris) in exsilium eiecti fuerant. Alibi vero planiciem vel pratum ipsum describit his verbis: Quum dies aliquot (imperator Ioannes scilicet Ducas Vatatzes) Phlebiis exegisset, Clyzomenen profectus, (hoc loco nomen est) ibidem tentoria figi iussit. Nam istic imperatores e Nymphæo digressi, commorari solent, maioremque veris partem transigere. Quippe totus ille locus mera planicies est, quæ graminis copiam, compluribus equis sufficientem, producit. Aquis etiam irrigatur, ac in propinquo multos pagos & ciuitates habet, a quibus ad victum necessariæ res copiose subministrantur. Hactenus Prætor, qui Nicæa profectum ad hanc Clyzomenen scribit imperatorem. Ea vero si non est illud Teggiurum vel Imperatorum pratum, in quo mortuus, de annalium sententia, fuit Muchemetes: equidem alium, quem indicem, sic adpellatum locum, nullum inuenio.

SVLTANI ZEMIS, ALTERIVS FILII
Muchemetis historia.

Principio monendus lector, huic apud Turcos nomen esse, Sultan Zemi, 154.
vel Gemi, pronuntiatione Italica. Geufræus, & alij, non recte Zizimum & Zizimen adpellant: peius etiam Bonfinius Czaliabum, quod ex Zelebi corruptum arbitror, de quo vocabulo dictum initio declarationis huius. Vtriusque pugnæ narratio, qua bis Achmetis Geducis bassæ ductu superatus a fratre fuit, heic in annalibus exstat. Reliquæ post fugam vitæ fortuna breuiter e nostris exponitor, quando Turci eam, vt parum sibi cognitam, in litteras referre non potuerunt. Igitur altero prœlio victus, desperatis rebus suis, in Rhodum profugit: seque magno equitum Rhodiorum Magistro, qui tunc erat Petrus Albussonius Gallus, tradidit. Agebat tunc ætatis annum vigesimum octauum. Id vbi Baiasites accepisset, amplissimis Magnum Magistrum, eiusque consiliarios, muneribus demulcens, vti diligenter adseruaretur, petiit: simul ad eius alimenta se quadraginta millia ducatorum singulis annis, quam quidem diu frater superstes futurus esset, numeraturum promisit: pacem denique cum Christianis perpetuam culturum spopondit. Accepit eas conditiones magnus Magister, quas quidem bona fide Baiasites im-

pleuit. Zemes vero, tum plenioris securitatis causa, tum vti Baiasites tanto magis in metu perpetuo contineretur, in Galliam fuit abductus: vbi diu vixit in quadam Rhodiorum equitum arce, cui nomen Burgonouo. Deductus inde Romam fuit, ad Innocentium eius nominis VIII, Pontificem. Ibi, quam diu vixit Innocentius, ac post mortem illius, sub Alexandri VI pontificatu, mansit: donec occupaturus regnum Neapolitanum Karulus VIII Galliæ rex, Romam venisset. Nam is Zemen ab Alexandro impetrauit, vsurus eo, quemadmodum quidem aiebat, ad recuperandum imperium Constantinopolitanum. Pontifex autem Zemi venenum propinasse lentum traditur, quo certum ad terminum paullatim confectus expiraret. Itaque post aliquot dies Terracinam perductus, ibidem rebus humanis excessit.

MEKIE. MEDINA ALNABI. FILII nepotumque Zemis historia.

155. Victus priori prœlio Zemes, dicis causa, quod aiunt, quasi voti reus, Mekien se contulit. Ea nostris Mecha est, Achmeti onirocritæ Mecca, Saracenis Medina Alnabi, hoc est, ciuitas prophetæ. Reapse vero ad Alcairensem Sultanum confugit, a quo Geufræus eum copiis & pecuniis adiutum scribit: sed negat hoc Malatestæ secretarius; tantummodo referens Zemen Sultani Alcairensis fidei vxorem cum filio commendasse. De hoc eius filio quid factũ fuerit, paucis Spanduginus exposuit. Quippe narrat eum, quum in Rhodum insulam peruenisset, amplexum religionem Christianam, & baptissatum. Ibidem, susceptis ex coniuge quatuor liberis, duobus masculis, totidemque femillis, velut in latebris vixisse: donec Rhodo capta, percunctanti de eo sollicite Soleimani proditus, quum religionem Christianam deserturum se constanter negasset, duobus cum filiis occideretur: iubente Soleimane, vt filiæ Constantinopolim aueherentur.

MORS GEDVCIS ACHMETIS BASSAE.

156. Qui a condicione humillima subito supremam ad dignitatem & opes emerserat, & imperatoriis tamen artibus præstans, magnas pro Sultanis suis, Muchemete Baiasiteque, res gesserat, insigni sua cum gloria: quam indigna tamdem morte vitam hanc clauserit, annales hoc loco paucis commemorant. Causas tamen nullas adiiciunt, cur ita subito peremtus fuerit, iussu Baiasitis, vt Geufræus; ipsius manu Baiasitis, vt Malatestæ secretarius scripsit. Geufræus ait, testatum fuisse Baiasitem, nimiam serui magnitudinem ac virtutem domino formidinem incutere. Malatestæ vero secretarius huiusmodi quædam paullo prodidit explicatius, quæ commutatis verbis ipsius Italicis cum Latinis, heic inseremus. Erant, inquit, pertinaces animi Genizarorum, quos sane nonnumquam dicere non est veritum, quando Baiasite domino parum propitio vterentur, arcessituros se *Sultanum* Zemem, qui eis imperaret. Quinetiam armati aliquando, magna cum rabie ad ipsas Sultanini palatij portas adcurrerunt. Tum vero Baiasites lenibus eos verbis mitigare, cunctisque postulatis ipsorum sane quam indulgenter adnuere. Sopitis autem furentium iris, auctores seditionis e medio sustulit. Et quia sæpenumero Genizari ad Achmetis Chendicis veziris bassæ domum itabant, Baiasites Hadrianopoli tamdem, qua in vrbe tunc agebat, ad conuiuium Vezires suos omnes inuitauit: ibique Achmetem bassam manu propria confecit. Hæc ille, quibus Arateum hoc epiphonema rectissime quis adiecerit: eiusmodi scilicet amoris ac beneuolentiæ tyrannorum esse præmia.

FAMILIA CARAMANIAE PRINCIPVM EXstincta. *Pirametus, pro Ibrahime. Caramania in formam beglerbegatus redacta.*

157. Vltimus est Casanes ille, cuius heic nomen prodiderunt annales, qui de Caramanorum familia principum in historiis reperitur. Nam Geufræum errare videmus, qui tradit exstinctam horum familiam sub Muchemetis imperio, duodecim vel tredecim ante hoc tempus annis: & aliud vltimo dat nomen, Abrahamum vocans. Ait enim, Muchemetem liberatum. Vsumchasane (Assambegum

ipse

ipſe nominat) aduerſario, poſt obitum Pirameti Caramani reuerſum in Caramaniam, Abrahamo filio eius impoſuiſſe neceſſitatem implorandi auxilia Chriſtianorum, maxime Pii II Pontificis: qui profectione in Caramaniam conſtituta, Anconam, vbi claſſem adornari curauerat, profectus; ibidem mortuus ſit, dum aduentum Venetorum ſociorum exſpectaret. Hinc eueniſſe, vt claſſe diuiſa, & occupatis Vngarico bello Germanis, Caramanus minime ad reſiſtendum Turcis ſufficiens, interfectus fuerit: atque ita familiam Caramanicam defeciſſe, cuius ditio ceſſerit Oſmanidis. Non temporibus hæc dumtaxat, ſed rebus etiam confuſa ſunt. Ait occiſum Abrahamum, Pirameti filium, in ea familia poſtremum, poſt Vſumchaſanicum bellum, quod pertinet ad annum Chriſtianum 1474. Voluiſſe vero Pium II Pontificem huic opem ferre paullo ante, quam ipſe vitam cum morte commutaret, & alter a Turcis opprimeretur. Atqui decem plus minus ante hoc tempus annis, Pium Papam mortuum fuiſſe conſtat. Præterea tradunt annales, a Muchemete II ereptam Caramano Giolchiſarem, anno Chriſtiano 1469. nec tamen ipſum principem, qui tunc Ibrahimes erat, interfectum fuiſſe. Quem etiam dicit Abrahamum, Pirameti filium, bella cum Muchemete geſſiſſe; Bonfinius Pirametum adpellat, Turci nominant Ibrahimem, qui ſcilicet idem eſt cum Abrahamo. De quo equidem colligo, quodnam ſit illud Pirameti nomen. Arbitror enim, litterarũ metatheſi Pirametum eumdem eſſe cum Praimeto vel Praime, ſiue Turcico Ibraime. Sic & ſupra notauimus, ex eadem voce Praime factum apud Chalcocondylem Priamum, tranſpoſitis itidem litteris. Ibraimis vero filius Caſanes, quum in Baiaſitis Porta educaretur, anno tamdem Chriſtiano vel 1483, vel ſequenti mortuus, Caramanidarum familiæ finem impoſuit: ex quo tempore Caramania beglerbegatus Oſmanidarum eſſe cepit.

IMARETVM BAIASITIS, AD FLVMEN Hadrianopoli conditum.

Sunt Hadrianopoli trium confluentes amnium, Hebri ſiue Marizæ, Tunſæ 158. ſiue Tænari, & Hardæ, de quibus ante dictum capite 30. Poſtquam hi fluuii coiere, Marizæ nomen ſuperat, in cuius ripa ſcilicet imaretum ſuum Baiaſites exſtruere cepiſſe dicitur.

KILI. CILIVM. CELIVM. CHELIA. ACHILLEA. NESTORalba. Beſſarabia. Kermen, Aherman. Moncaſtrum. Stephanus Vaiuoda Carabogdaniæ.

Quæ heic de arce Kili capta leguntur, huiuſmodi fere verbis a ſecretario 159. Malateſtæ ſunt expoſita, quæ vertendo adſcribere libuit. Baiaſites, ait, in otio triennium exegit, poſt ſuperatum videlicet, expulſumque fratrem Zemem: ac deinde Tataris in ſocietatem adſcitis, claſſem 350 nauium, cum magnis terreſtribus copiis inſtruxit: vt bello Carabogdaniæ Vaiuodam inuaderet, eiuſque vires euerteret. Regionem huius ingreſſus, omnia flammis & ferro vaſtauit, ciuitatemque Chilium cepit, etiam arcem dedente Mamalacco Caſtellano, patriæ proditore. Profecti ſunt deinde Turci Tatarique maximo cum exercitu ad opidum Moncaſtrum. Quumque ſibi eam quoque ciuitatem dedi poſtulaſſent, ac interueniente pacto relinquendi cum vita facultates incolis ſaluas, voti compotes facti fuiſſent: nihil eorum, quæ promiſerant, præſtiterunt. Baiaſites etiam familias plus minuſue quingentas eorum ciuium Conſtantinopolim abduci iuſſit. Bonfinius eodem tempore geſtas ibidem res commemorans, Achilleam, ait, nunc Cheliam, & Neſtoralbam, ad Iſtri oſtia ſitas, a Turcis tunc obſeſſas fuiſſe. Stephanum vero Myſiæ inferioris (Moldauiam dicere vult) principem, ab Vngaro rege Mathia petiiſſe opem ex fœderis ſocietatiſque lege. Sed ante miſſa ſubſidia, ciuitates illas in hoſtium poteſtatem veniſſe. Conferamus hæc inter ſe, Turciciſque cum annalibus. Primus ait, a Baiaſite capta fuiſſe cum arcibus opida, Chilium & Moncaſtrum: alter, Cheliam & Neſtoralbam: annales denique, Kilim & Chermen. Conſentiunt igitur omnes, de capto priori opido, niſi quod eſt quædam in nomine diuerſitas: ſicut idem a Laonico Celium quoque dicitur, a Cureo Cilium. Iouius, per errorem puto, Lithoſtomum adpellat, in ripa Danubii, vel ad oſtium

Danubii potius. In alterius autem ciuitatis vocabulo dissentire videntur, primo nominante Moncastrum, altero Nestoralbam, tertiis denique Chermen. Secretarii Moncastrum, & Chermen Turcorum, idem esse puto: diuersam ab vtraque Nestoralbam. Quippe Kermen seu Chermen situm est in Moldauiæ Tatariæque finibus, versus Pontum Euxinum, vbi scilicet in hunc se Danubius effundit. Et Sangiacatus est hodieque Chermen vel Aherman, Beglerbego Romaniæ siue Græciæ subiectus. Bonfinii vero Nestoralba, non Moncastrum, aut Chermen, sed vrbs est hodie Bialogrod dicta, quod arcem albam significat, ad profluentis in Euxinum, non Istri, sicut Bonfinius scripsit, sed Nesteris amnis ostium sita. Quapropter non Nestoralba, sed Nesteralba scribi debuit. Et Nester priscis vocatus fuit Tyras fluuius. Historici Græci recentiores ab annis 500 Danastrin adpellarunt, vti Neperem vicinum, Danaprin: qui mihi quidem non est Borysthenes ante, quam Berisnam a Rossiæ vel Russiæ finibus venientem recipiat, ad quam Borysthenis etiam vetus nomen propius accedit. Cureus scripsit, hoc ipso anno Christiano 1485, Stephanum Valachum, de quo disceptabant inter se reges, Vngarus Matthias, & Casimirus Polonus, vtrius esset cliens, tamdem in verba Casimiri regis in castris iurasse: nihiloque minus desertum a Polonis, amisisse Bessarabiam. Hæc nimirum est illa regio extrema in ora Valachiæ, Nigrum ad mare sita, quæ Kilim & Chermen, siue Moncastrum, opida continet, sic a Bessis Thracibus adpellata. Noui aliquando in aula Maximiliani II Augusti, Spiræ comitia celebrantis, Nicolaum, patre Bessarabiæ principe natum, vti quidem credebatur: documentis quibusdam, ac testimoniis, præsertim Venetorum plumbeis bullis, hanc eius originem adprobantibus.

BELLVM INTER SVLTANOS, CAIRENSEM ET Osmanidam. Vsun Vsbeg. Tersis.

160. Huius belli causæ referendæ veniunt ad superiorum temporum offensas. Diximus enim, Muchemetem II, Baiasitis patrem, paullo ante mortem in Asiam transmisisse, bellum vt faceret Alcairensi Sultano, qui hostes eius iuuerat, præsertim Caramanum: & alioqui se gerebat erga Turcos insolenter, vti dictum capite 153. Prosequitur ergo bellum a patre inchoatum Baiasites, nouis insuper iritatus iniuriis, quod Zemis partibus Sultanus Alcairensis fauisset. Is a Iouio, Geufræo, ceteris, Caitheus non recte nominatur; melius a Petro Martyre Mediolanensi Caitbeus, quasi Caitbegus, Sultani Mahumetis pater, dicitur. Vide caput 237. Ab eodem Zemis vxorem & filium tradi sibi Baiasites postulabat. Quis autem fuerit inter ceteros hoc bello socius Sultani Alcairensis Vsun Vsbeg, non exprimitur. Nomen Vsun, longum significat: Vs, callidum & astutum. Amicus meus Nicolaus Haunoltus, ait Vsbeg Han vocari regem quemdam Tatarum, longius etiam dissitum quam sit Chitainus. Adanorum ciuitas in Cilicia satis est nota, de Græcorum etiam, Zonaræ, Cedrinique historiis. Tersis est illa diui Pauli patria Tarsus, quam Stephanus, vrbium Nomenclatoris auctor, Græcis etiam vult adpellatam fuisse Tersum & Tersiam. Bellonio nunc Hama putatur, & Hamsa dici, per errorem: quum ea sit Emissa Phœnicum. Tam Adana, quam Tarsum fluuius alluit, qui priscis Cydnus erat, iam Carasu dicitur, ab aquæ profundæ nigro admodum colore.

NON SEMEL, SED BIS PVGNATVM INTER SVLTANINOS & Osmanicos. Diuersa nomina, Cheserogli, Cherseogli, Herceogli, Herzecogli, Cherzecogli.

161. Ceperunt hactenus a Muratis vsque secundi temporibus, a Turcis memoriæ prodita, nonnihil habere pluribus in explicandis rebus gestis plenius, quam nostris in historiis reperiri videamus. Indicio est, plerorumque nostrorum error de prœlio, quod vnum tradūt inter Sultaninos & Osmanicos longe grauissimum fuisse commissum, tanta cum Turcorum strage, quantā ab alia natione orbis vmquam perpessi fuerint. In his est Geufræus, qui tum nomina ducum, tum geminam pugnam confundens, exercitu Turcico in fugam conuerso, Cherseolū generum Baiasitis captum, Alcairum ad Sultanum Caitheum fuisse deductum ait.

Anna-

Annales autem Turcici duces expeditionis primæ faciunt, Ferhatem begum, Baiasitis generum: Caragosamque, beglerbegum Caramaniæ: quibus e duobus alter fuerit cæsus, nimirum Ferhates Baiasitis gener. Expeditioni vero secundæ præfectos fuisse memorant, Muchemetem Cheseroglim, & Achmetem Ducis filium, Romaniæ beglerbegum. Nesciuit ergo Geufræus, cæsum priori prœlio Ferhatem, Baiasitis generum: nesciuit altero prœlio duos fuisse duces, Cheseroglim & Herzecoglim. Itaque non pugnas modo duas in vnam confundit, verumetiam e tribus, Ferhate Baiasitis genero, Cheserogli, ac Herzecogli, qui & ipse Baiasitis gener fuit, vnum quasi conflat Cherseolum suum. Eius vero nomen hoc haud dubie corruptum est ex Cheserogli, qui Cheseris est filius, de quo Chesere bego, Elpia familia nato, tractatum superius capite 117. Non tamen hic Cheserogli Baiasitis gener, aut captus secundo prœlio fuit, sed Herzecogli siue Ducis filius, Achmetes bassa: quem antea quoque Geufræus confudit cum Achmete Geduce, sicut expositum supra, numero notarum 147. Nomen habuit Herzecogli Turcogermanum. Nam supra notatum capite 95, plures populos Ducem nominare vocabulo a Germanis accepto, Hertzog. Indidem lector intelligit, Bozinam duplicem, duos habuisse principes: quorum vnus regium, alter Ducis titulum habuerit. Ex vltimo Bozinensi Duce natus fuit hic Ducis filius, vel Herzecogli, cuius nomen hoc varie scriptum legitur apud historiarum auctores. Spandugínus habet vocabulum Cherzecogli, quod idem est cum voce recte scripta Herzecogli. Sed errat idem, quum Anatoliæ beglerbegum facit, qui Turcis auctoribus Romaniæ beglerbegus fuerit. Apud Malatestæ secretarium Herceogle reperitur, apud Iouium Cherseogle. Sed hæc omnia deprauata sunt ex illo Turcogermano, quod diximus.

FINIS DVCATVS BOZINENSIS, VEL HERZEGOVINAE, vel Herzegæ, vel Orzegæ, vel S. Sabæ, vel Montis Nigri. Achmetis Herzecoglis bassæ historia.

Recensuimus supra, capite notarum 141, regni Bozinensis interitum: nunc 162.
qui Ducatus Bozinensis exitus fuerit, itidem commemoremus; ita promisso nostro, & huius Ducis filii, vel Herzecoglis historia poscente. Nam annales aiunt, Achmetem bassam Herzecoglim, prœlio contra Sultaninos secundo, cum equo prolapsum, in Sultaninorum manus venisse, deductumque fuisse ad Vsbegum, & custodiæ traditum. Secretarius autem Malatestanus, eadem narrans: Baiasites, inquit, nuntio cladis suorum accepto, indignatione nimium quanta succensus, denuo præpotentem instruxit exercitum, eique supremo cum imperio præfecit Herceoglim, Stephani quondam S. Sauæ Ducis filium: qui aduersa quadam fortuna superatus, & vniuersis cum copiis cæsus fuit, etiam tribus ei dextræ manus digitis amputatis. Videamus ergo, quæ fuerit huius tam origo, quam familia: quæ ad Turcos deficiendi occasio: qui denique totius gentis, e qua natus erat, interitus. Diuersa vero referuntur a duobus auctoribus, Spandugino & Iouio: quos quidem ambos, & primo Græcum illum, audiamus. Narrat is, ante hæc tempora Sultanum Muchemetem II decreuisse cum animo suo, sub iugum mittere Ducatum Bozinensem, cuius princeps Stephanus, S. Sabæ Dux, & Herzechus (animaduertit lector Germanicam vocem Hertzog) vulgo fuerit adpellatus. Ipsam regionem Ragusæis esse finitimam, inter quos, & principem Stephanum, simultates intercesserint, ex causa quadam huiusmodi. Erat Duci legitima coniux, e qua tres liberos mares susceperat; Ladislaum natu maximum, cui nupsit Anna Cantacuzena: Stephanum, secundogenitum: & vltimum, Vaticum. Acciditautem, vt Florentina quædam mulier, excellentis formæ, sed nimium corporis sui prodiga, sese in hanc Ducatus Bozinensis regionem, relicta patria, conferret. Dux Stephanus, qui sæpius accepisset ex aliorum sermonibus, mulieres Florentinas ob formæ venustatem, animique indolem, & morum elegantiam, facile primas inter alias omnes Italiæ feminas ferre: quum primum de huius aduentu intellexisset, eius videndæ cupidus, misit qui ad se mulierem arcesserent. Conspectam mox adamare cepit, adeo quidem, nihili suam vti legitimam con-

iugem faceret, cuius eum ceperat satietas. Vxor vero principis, eam quum ferre diutius non posset iniuriam, Ragusam cum filio natu maximo fuga secreta se contulit. Maritus missis ad eam certis internuntiis, vti domum rediret, orabat: neue discessu & absentia sua causam præberet, vnde sua diuulgaretur infamia. Vicissim illa respōdebat, se redituram, si Florentinam ab se dimisisset. Dux Stephanus id vti faceret, imperare non poterat animo suo. Nihilo minus suis ad Ragusæos hominibus ablegatis, vxorem cum filio repetebat. Illis voluntati principis non obtemperantibus, bellum infertur. Ragusæi vicissim se defensuri, copiis suis Stephani filium Ladislaum cum imperio præficiunt, eumque rebus omnibus adiuuant. Filius prœlio cum patre congressus, victoria potitus est, ac patrem fuga sibi consulere coegit: magno paternorum militum numero interfecto. Tum vero fugitiuus Dux Stephanus ad Sultanum Muchemetem mittit, qui eius opem & auxiliares copias aduersus filium suppliciter implorarent. Simul obsidem Muchemeti filium secundogenitum offert. Is erat Stephanus, qui deinceps musulmanissauit. Muchemetes non postulatis dumtaxat adnuit, verum etiam propriis auspiciis id bellum se gesturum promisit. Aduentante vero cum exercitu Muchemete, moritur pater: Ladislaus, filius primigena, Venetias cum vxore ac liberis se confert: indeque profugiens in Vngariam, rebus ibidem excedit humanis. Muchemetes occupata regione, quoddam tertio filio Ducis Stephani Vatico reliquit opidum, cui nomen Valacca, cum castello Dalmatiæ Nouo, & aliis locis, vnde victitaret: vicissimque Vaticus pro domino siue patrono, Muchemetem adgnoscebat. Mortuo vero Muchemete, Baiasites huius Vatici, Stephani S. Sabæ Ducis filii, regionem in potestatem redegit: qui non multo post Arbæ mortuus fuit. Id opidulum est insulæ cognominis, in Hadriatico sinu propter Dalmatinum litus secundæ post Veghiam, quam Ortelius non recte Vechiam scripsit, & peius interpretatus est Vetulam, quum Vegla seu Vigla dicenda sit, & a Bonfinio Corycia veteribus vocata putetur. Hæc de fine Ducatus Bozinensis, & ipsorum Ducum familiæ, Spanduginus memoriæ prodidit. Iouius autem refert ex Iani Lascaris sermonibus, hominis apud Græcos illustri familia nati, cui notissimus Achmetes bassa fuerit, Cherseoglim matura iam, & virili ætate, religionem Christianam deseruisse: sic tamen, vt in pectoris sinu veræ fidei non obliuisceretur. Fuisse vero filium Cherseccchii, Nigri Montis in Slauonia reguli: cui quum data esset in matrimonium, iamque domum ad celebrandas nuptias deduceretur, puella nata de stirpe Despotica Seruiana; sceleratum patrem, motum admirabili nurus elegantia, coniectis in eam oculis, amore correptum fuisse: quumque luxuria pudorem omnem vinceret, sibi eam accepisse vxorem, contra voluntatem cognatorum, qui reprehenderent facinus, filio contumeliosum, infame patri. Commotum dedecore tantæ iuuenem iniuriæ, præcipitique nimis impulsum desperatione, Constantinopolim se contulisse: quumque Sultano Baiasiti fœdum patris facinus dolenter exposuisset, eius se fidei totum, & clientelæ tradidisse. Baiasitem, auditis Stephani querelis, bono vt esset animo, iussisse. Virtutem ipsius maiora fortunis paternis promereri. Habiturum loco ereptæ sponsæ, quæ cognata sit exsulis reguli, filiam maximi Sultani, rara formæ venustate præditam. Secundum hæc eum, deserta religione Christiana, Stephanique nomine posito, vocatum fuisse Achmetem & Cherseoglim, nuptiasque filiæ Baiasitis impetrasse: cui fidus perpetuo manserit, adeo quidem vt insidianti deinceps imperio paterno Selimi summopere sit aduersatus. Hæc Iouiana de Cherseogle narratio num præferenda Spandugineæ veniat, equidem aliis diiudicandum relinquo. Solum hoc, quod de morte Stephani patris Spanduginus tradit, sub aduentum Muchemetis (vt ait) exstincti, scrupulum quemdam nobis iniicit. Referunt annales Turcici, Muchemetem Herzegouinam, siue Bozinensem Ducatum, occupasse anno Christiano 1464; a quo tempore vixit ipse quatuordecim adhuc annis, & fortasse superstes etiam Dux Stephanus mansit. Non enim legitur in Annalibus, hunc id temporis a Muchemete cum filiis e medio sublatum, vel omnino ditione sua spoliatum, quemadmodum de Bozinensi rege dicto loco proditum videmus expresse: sed tantum

a Mu-

à Muchemete sub iugum fuisse missam Herzegouinam, quæ Bozina superior est, & S. Sauæ (sicuti Malatestanus actuarius ille Græca pronuntiatione scripsit) vel Sabæ ducatus. Hoc modo si diutius superstes Dux Stephanus pater, & Turcis subditus, eisque tributum pendens, non modo Florentinæ mulieris adulterio se polluit, verumetiam deinceps sub Baiasitis imperio sponsam Stephano filio secundogenito per scelus eripuit: non mirum est, adaucto plenam ad mensuram flagitiorum cumulo, finem Bozinensi ducatui numen iratum imposuisse. Solet enim vel in primis eiusmodi principum vagæ libidines excidia regnis eorum arcessere.

DVLGADIR ET ALADEVLE.

Daud bassa. Turgut regio.

Prouincia siue regio Dulgadir, aut Dulcadir, a nostris partim Anadoule, & 163.
Alalulie, non recte dicitur, partim Aladoule. Turcici vero annales Dulgadiris nomen regioni tribuunt, cuius princeps ab eis dicitur Aladeule, vocabulo tetrasyllabo. Limites ditionis, Cappadociæ montibus inclusæ, quos Munzari voce Cedrinus in Paralipomenis nostris complectitur, tunc temporis erant hi: versus Syriam Sultano Cairensi parentem, Berrhœa, nunc Chalep vel Halep Turcis, nostris Halepo: versus imperium Persici vel Sophini regis, Armenia minor: versus imperium Osmanidæ principis, Amasia: versus Caramaniam, Adana & Tarsus. Aladeules ipse Turcomanus erat princeps, non Christianus: vt etiam Malatestanus actuarius testatum reliquit. Daudis nomen Turcis idem est, quod Hebræis Dauid. Nicolaides deprauate scribit Daat. Magnus & celebris apud suos fuit, qui Constantinopoli messitam, hodieque sartam tectam, struxit: & filio suo Sultani Baiasitis filiæ nuptias promeruit. De Varsaco Caramaniæ dictum capite notarum 77. Erat illa tunc quidem, post obitum Casanis begi, quem supra capite 157, diximus e Caramanidarum familia fuisse postremum, in formam redacta prouinciæ vel beglerbegatus, vt Turci vocant, qui primum Caramaniæ beglerbegum Caragosam hoc ipso bello nominant: sed habebat quosdam adhuc minorum gentium proceres, quibus haud dubie necdum Osmanidarum placebat imperium, licet eiusdem nationis essent, eiusdemque sectæ. Turgutensem regionem a Turcis nominari Phrygiam maiorem, qua versus Ciliciam pertinet, ex Laonico paret: qui primi Baiasitis vitam describens, Turgetum Phrygiæ Ducem nominat, & postea Turgaturij de gente principem. Rursus autem in Murate secundo: Caramanus, inquit, vicinus est Turgutæ. Turgutes autem Phrygiæ imperat, & Cappadociam Armeniamque regio eius adtingit. Quibus in verbis, nisi Turgut a Dulgadir, ab ipsis etiam Turcis distingueretur, propemodum quis eiuraret, nullum esse discrimen inter Turgaturij nomen, & Dulgadir. Sed suspendenda scilicet sententia, donec correctior se nobis Laonici codex offerat. Nota quidem est permutatio litterarum R & L frequens, vti quum phulkizin Græci pro phurkizin dicunt, id est, in furcam agere.

IACHOSCHICIVS. IACHSOGLI.

Quem nos, interpretem Cæsaris Ferdinandi Spiglium sequuti, Iachoschi- 164.
tzium diximus, eum in ipso annalium archetypo Iachsoglim nominari, minime dissimulandum duximus. Nusquam sane nomen hoc, nec ipsum licet memorabile facinus, apud Vngarorum historicum Bonfinium reperitur, nec legationis huius a Matthia rege, qui tunc Vngaris suis imperabat, ad Sultanum Baiasitem missæ fit mentio. Significat autem Iachsogli, filium Iachsi, vel Iachsidem. Et Iachs Turcica lingua significat hominem rebus omnibus elegantem & aulicum, quod a Turcis ei fortasse cognomen tunc, obita cum laude legatione, fuit inditum. Fieri tamen etiam potest, vt potius hoc Iachschitz originis sit Vngaricæ.

AREB. ARABIA, PRO IMPERIO SVLTANI Cairensis. Isingi. Singani. Zingani. Sultanus AEthiopum Pachymerio.

Quum annales exercitum a Baiasite missum aiunt versus Arabiam, intelli- 165.
gendi sunt fines aut limites imperij Sultanici, quod Syriam Caramaniæ conter-

minam, quæ tunc in Osmanidarum potestatem venerat, & Ægyptum Arabiamque complectatur. Sic in iis, quæ sequuntur, initio regni Selimis, Sultanus Achmetes, eius frater, ad fines Arabicos profugisse narratur, hoc est, ad limites imperij Sultanini, Ægyptiaci Syriacique. Rursus in eodem Selime traduntur Arabes, qui & Æthiopes sint, itinera fugienti Sultano Tommambai præclusisse. Quo Arabum Æthiopumque siue Maurorum, hoc est nigrorum Sultano Cairensi parentium nomine, lector alios nō accipiat, quam ipsos Ægyptios, qui & Arabes, & nunc etiam Æthiopes a colore vocantur, & Issingi Turcis, nostris Singani vel Zingani, vocabulo tam Arabibus, quam Ægyptiis communi. Non enim hi Zigeuni dicendi, nec Cianiganij Tatari, quod Reineccius putauit. Idem Pachymerium temere arguit erroris, quod in tertio Bendecarem Cairensem vocarit Æthiopum Soldanum. Addit enim, hoc ab eo factum perperam. Immo recte loquutus est Pachymerius, quum Ægyptios vocat Æthiopas, qui reuera facie colorata sunt. Cepit enim nomen Æthiopum veteris linguæ Græcę lata significatione, sicut hodie Græci Mauros, vnde Mori nostri, nigros in genere dicunt, siue sint Arabes, vel Ægyptij, vel Aphri, vel Æthiopes illi proprie sic adpellati. Denique doctissimus Eustathius, & antiquior hoc Stephanus, vrbium Nomenclatoris auctor, Ægyptum perhibent Æthiopiam vocatam, propter habitantes in ea nigros homines.

GENERI BAIASITIS TRES SIMVL FACTI.

166. Diximus capite notarum 161 de duobus generis Sultani Baiasitis, de Ferhate a Mamelucis occiso, & Herzecogli ab iisdem capto. Nunc tres alij commemorantur, eisdem filiarum nuptias consequuti. Primus horum filius Vsumchasanis adpellatur, & paullo post, Iacupes begus: qui expeditione anni proximi contra eosdem Mamelucos periit. Alter, Vsgurlis ex filio nepos. Fortassis autem Vsgurles hic idem est cum Vsgure bego, cuius supra mentio fit, ante prœlium Cosouanum secundum, sub annum Christianum 1448. Tertius, Daudis fuit bassæ filius, de quo Daude paullo ante dictum, capite 163. Ceterum obiter hoc quoq; notandum, necessario fuisse duos Vsumchasani filios Iacupes: quorum alter Baiasitis gener, a Mamelucis cæsus fuisse narratur: alter in regno patri successit, vt adparebit ex iis, quæ capite 188 sequentur.

LARENDE CARAMANIAE, SIVE LARANDA.

167. Quæ capta fuit a Mamelucis Larende, Chalcocondyli Laranda scribitur, quum ait: Muratem secundum bello petiisse Caramanum Aliderium, Cariæ Ducem, cuius duæ sint vrbes, Laranda & Toconeium, pro quo Iconium reponendum docuimus. Leo Sapiens Augustus in nouella de Thronis, Larandorum (sic enim vocat numero multitudinis) episcopatum non in Caria collocat, sed in Lycaonia, sub metropolitano Iconiensi, quod equidem magis probo. Nunc quoque Laranda nominatur, & in Natoliæ tabula non procul a Cogna conspicitur, in Caramaniæ siue Ciliciæ mediterraneis. De Gumulzina cap. 43, de Ypsala 31, dictum.

PAX INTER SVLTANINOS ET OSMANIDAS.

Matthiæ regis Vngari mors.

168. Quod Sultanus Alcairensis in transactione Baiasiti Tarsum & Adana restituisse dicitur, verius esse puto; quam quod Malatestæ secretarius ait, Baiasitē Soldano Adana Tersumque reddidisse. Nam hæc opida Ciliciæ sunt, siue Caramaniæ, quam Caramanidarum exstincta familia Baiasites, vt antea dictum, sibi vindicauerat. Postremos etiam Sultaninos Adana cepisse, paullo ante legimus. Itaque reddita potius ab his ciuitas Baiasiti fuit, qui eam cū Tarso, ceu Caramaniæ membra, repetebat. Nomine deinde mortui regis Vngariæ, Matthias intelligitur, Ioannis Huniadis filius: successoris autem, Vladislaus Polonus, Casimiri Iagellonidæ Polonorum regis filius, pater eius Ludouici regis, qui ad Mohatzium cæsus a Sultano Soleimane, iuuenis admodum periit.

BAIASITES VNGARIAM NON AVDET INGREDI,

Vscopia. Manastir, Monestir.

169. Hæc de vano Baiasitis conatu inuadendæ Vngariæ narrat etiam Bonfinius, & accidisse refert a morte Matthiæ regis, Turcorum terroris, sub initium regni

Vladislai,

Vladislai, anno Christiano 1492. De Scopiorum vrbe nonnihil adtigimus supra, notarum capite 104. Videt autem lector ex hoc ipso annalium loco, recte me monuisse, diuersas esse voces opidorum, Sophiam & Scopia. Nam prior heic Sophia nominatur, altera more Turcorum Vscopia. Solet enim vocabulis a gemina consonante incipientibus præponere vel I vel V Gallicum, vt alibi quoque notauimus. Laonicus Scopia collocat in Macedonia, facitque regiam prisci regni Bulgarici, quod in ipsam pertinebat late Macedoniam & Epirum: ideoque Cedrinus etiam Scupia (reponendum Scopia) metropolim Bulgariæ nominat. Disertus interpres aliquot historicorum Græciæ recentium, Hieronymus Wolfius, alicubi pro euersione Scopiorum dixit euersas speculas. Recentioribus geographis Scopi scribitur. Manastiri nomine nō heic intelligitur locus ille, de quo supra dictum capite 44, situs in confiniis Thraciæ, Thessaliæque: sed Monasterium penitioris Macedoniæ, versus Epirum vel Albaniam, quod Monestir a Castaldo adpellatur. Huius in Albaniam expeditionis Baiasiticæ meminit & Bonfinius, qui dicit eum profectum contra montanos Albanenses, quos Spanduginus Cimariotas dixit, ab opido monteque Chimara de quo deinceps latius in vita Sultani Soleimanis.

BAIASITES A MONACHO TVRCICO pene fuit occisus.

Quod heic de periculo Baiasitis, propemodum a deruisio quodam siue monacho Turcico interfecti, narratur: fere totidem verbis a Spandugino quoque memoriæ proditum legitur, quæ interpretari lubet, vt expositionis consensus adpareat. Torlaces, ait, quidam in Baiasitem irruit, simulans eleemosynam ab eo se petere. Solent autem hanc Dei nomine petentes, Allahitschi dicere. Quum acinacem strinxisset, quem sub filtro gestabat, exterruit equum, cui Baiasites insidebat. Ideoque cedente retro Baiasitis equo, nonnihil euitatus fuit ictus hominis: ac nihilo tamen minus Baiasites vulnus accepit. Tum vero bassa quidam, cui nomen erat Schender, massam ferream, quam busdoganum vocant, eo cum impetu capiti hominis impegit: vt cranio perfracto, cerebrum emanaret. Indignatus huius facinoris causa Baiasites, edicto proposito, Torlaces vniuersos proscripsit, & extra Constantinopolim & imperij sui fines eiecit. Animaduertit lector eadem narrari, nisi quod annales aiunt, deruisium hunc, & Calenderem fuisse: Spanduginus, Torlacem: de quibus iam vocabulis hominum, superstitiosos quosdam ordines vel instituta sectantium apud Turcos, quam fieri breuissime poterit, explicādum. 170.

ORDINES MONACHORVM SEV RELIGIOSORVM QVOrumdam apud Turcos. Deruislar. Calenderlar. Huggiemallar. Torlaclar. Muchemetes bassa Vezir azemes a Deruislaro publice confoditur. Quid Turcis Diuanum.

Nomen Deruisiorum, quos ipsi numero multitudinis Deruislar adpellant, ex hac ipsa narratione nostrorum annalium perspicitur esse quasi generale: quo scilicet ordines & sectæ religiosorum ceteræ comprehendantur, sicut apud nos in genere monachi dicuntur, qui tamē inter se diuersis distincti sunt ordinibus. Vocant autē annales hunc initio Deruisiū, statimq; subiiciunt, eum fuisse sectatorem instituti vel ordinis Calenderū, & auribus, collo, brachiis adpēsos gestasse ferreos anulos. Id in more Calenderum ordini esse, mox adparebit. Qui vero ceteroquin apud Turcos Deruislar appellātur, nullos in capite pilos, nullas comas habet, vbiq; tonsi. Conspiciūntur in eorum frōtibus & tēporibus cauteria, vel ignito ferro, vel accēsa spongia, vel linea fascia quadā, inusta. Aures perforatæ sunt, quibus iaspidū gestāt enotidas, & anulos sane non paruos. Amictus, ouillæ vel caprinæ pelles. his ita corpus cingunt, vt pellis vna parte anticā, altera posticā tegat. cetera nudi sunt, tā æstiuo, quam hiberno tēpore. Passim in suburbanis & in pagis habitant. Vernis & æstiuis mensibus peruagantur quasuis regiones, ac prætextu religiosæ vitæ perpetrant infinita flagitia. Fures sunt, adulteri, prædones, latrunculi: nec horū scelerum vlla tangit eos conscientia. Quas quidem ob causas cauendū ab eis, præsertim 171.

in itineribus. Quippe nemini parcunt, cuiuscuiusmodi tamdem sit nationis aut religionis, si superiores se fore confidant. Præterea sunt infames ceu fœdi pædicones, eoque flagitio se mutuo polluunt, ne quidem a iumentis abstinentes. Nequitias vt suas tegant, ac sanctiores videantur, maslaco & oppio vescuntur. Hinc enim quasi phrenetici redduntur, isque dum durat furor, ipsimet vel forfice, vel cultello se vulnerant, in collo, pectore, brachiis, lateribus: donec vulneribus & cruore deformati conspiciantur. His deinde vulneribus tamdiu spongiam accensam imponunt, donec in cineres redacta tamdem exstinguatur. Eum dolorem patienter se tolerare simulant. Hinc illis & honos a dementato vulgo, & veneratio non leuis exhibetur, quod Deo cari existimentur: hinc & largiores eleemosynas impetrant, e quibus victitare solent. Habent in Anatolia quemdam ordinis sui priorem siue præsidem, quem non Assam baba, sicuti Nicolaides scripsit, sed Azem baba nominant: voce non proprie patrem patrum significante, sed patrem supremum, vel Protopapam, vt Græcos appellasse, de Cedrino paret: vnde Moschouij suos etiam Protopoppos fecerunt. Et imitatos esse Turcos Græcorum ordines ecclesiasticos, ordinumque gradus, satis adparet ex iis, quæ capite 34 exposuimus.

Calenderes continentiæ præcipuam sibi laudem vindicant, insignem præ se ferentes sanctimoniam. Sacella quædam inhabitant admodum exigua. Tunicas gestant strictas & curtas, absque manicis, instar saccorum; tum e lana, tum pilis equorum contextas. Crines penitus abradunt. Pilei sunt ex albo filtro, similes iis, quos Græcorum sacerdotes & episcopi nigros & latos admodum gestant: nisi quod oris adfixi dependent vndique longiusculi crines equini. Ferreos satis crassos anulos auribus, collo, brachiis gestant. Etiam cuti penis perforatæ ferreus vel æreus anulus inseritur, ne coire, vel si maximopere cupiant, possint. Atque hoc vltimum in vno tantum Calendere vidisse nos recordor, qui Sophiæ propter imaretum, in quo nos ad biduum hærebamus, vnam ex pluribus cellulam incolebat.

Huggiemales plerique iuuenes, robusti, diuites, Aphricam, Ægyptum, Arabiam, Persiam, Turciam omnem, alieno sumtu, sub prætextu religionis peruagantur: regionum & vrbium situs & interualla notant, cum iis, quæ ipsis in itineribus occurrunt. Amictus, stricta quædam, vsque ad genua pertinens, tunicula. Zona lata cinguntur, cuius oras auro & serico exornant. Eidem cimbala quædam adpendunt, cuiusmodi & subter genua gestant alligata. Supra tuniculam vel leonis vel pardalidis pellē iniiciunt, vngulis ab antica parte colligatam. cetera nudi sunt, nisi quod etiam calceos funiculis constrictos gestant. Inaures argenteæ sunt, vel æreæ, vel alio quouis ex metallo. Capillos in humeros vsque promittunt, & oleis quibusdā, vt terebinthino, vt iuniperino, perungunt: quo magis scilicet crescant. Manu librum tenent. Amatorias quasdam odas, quibus mirifice Turci, Arabica, Persica, sua lingua compositis delectantur, cantillant. Si venustus aliquis puer occurrat, medium mox amplectuntur, cantando saltandoque cymbala pulsant. Hinc concursus hominum, a quibus deinde munusculum aliquod petunt. Hi quoque prætextu religionis non fœmineos dumtaxat, sed magis etiam masculos amores consectantur: quibus sane spurca gens nimium quantum est dedita.

Torlaces ouillis caprinisque pellibus, perinde ac deruisij se vestiunt. His vrsinam, pilis extrinsecus versis, vnguibus ad pectus colligatam, iniiciunt; eaque pallij loco semet inuoluunt. Acuminato pileo præalto, plures habente plicas, ex albo filtro, vtuntur. cetera nudi prorsus incedunt. Adhibent & ipsi temporibus cauteria. Litterarum plane rudes sunt. Plerumque conspiciuntur ad tabernas, fora publica, balinea: quibus scilicet locis multi conueniunt, a quibus aliquid petere possint. Veniebant ad nos Constantinopolim ex Ægypto, Sebastianus ab Haunsperg, & Ioannes a Salagasto, viri nobiles. Horum alter Salagastius nobis narrabat Alexandriæ, quum istic ipse degeret, huiusmodi quemdam sanctum virum opinione Mahumetanorum; quum præ foribus balinei muliebris stans exeuntem e balineo feminam quādam attentius intuitus esset: in eā furore

quasi

quasi quodam correptum inuolasse, ac protinus humi prostratam, nec admodum fortasse repugnantem, in oculis omnium compressisse. Maritum eo facto se beatum duxisse, quod vir sanctus, impulsu diuino, præ aliis cum vxore sua coiuisset. Vide cæcitatem gentis, ac præsertim Ægyptiorum. Nam alibi vix aliquid eiusmodi factum, nobis illic degentibus, comperi. Sunt æque rapaces in itineribus & viis publicis, ac Deruisios esse diximus. Plebeculæ, præsertim rusticæ, se chiromantices gnaros esse persuadent. Hinc ingens ad impostores hominum concursus, qui pro vatibus eos habent, præsertim mulierculæ. Hinc ad eos omnis generis cibi, cum aliis rebus necessariis, adferuntur. Interdum senem ex suis aliquem circumducunt, quem pæne diuinis honoribus adorabundi adficiunt. Cum hoc vel opidum, vel pagum ingressi, præcipuum in aliquod hospitium, vel carauansaraium, vel imaretum diuertunt: illumque non tam annis, quam malitia vetulum, magna, sed simulata humilitate circumstantes obseruant. Is nescio quos enthusiasmos præ se fert, ac subinde quædam, veluti diuinitus sibi reuelata, serio maxime vultu profert: nunc instar mortui iacet, nunc oculos vicissim aperit, & ad se redire simulat. Inde conuersus ad ficticios & subornatos discipulos: Corripite me, inquit, filii carissimi, & extra locum hunc deportate. Nam reuelatum mihi diuinitus est, quæ pœnæ his hominibus immineant. Quibus auditis, obsecrant impostorem nebulones, Deum velut auerruncando deprecetur, ne pœnas illas exigat. Ille se simulat adsentiri, preces ad Deum concipit, vt iram suam expiari, seque placari propitius patiatur, orat. Hac iræ diuinæ comminatione misella plebecula, mirum in modum expauefacta, trepidat. Postea vero consolationis aliquid ex huius intercessione vicissim hauriens, turmatim ad impostorem nequissimum adcurrit. Omnes eam rem prodigii loco ducunt, seque diuinitus moneri putant. Simul animis deuotis, & accepti beneficii causa gratis, tot eleemosynas ad planos hosce deferunt: vt eis onusti suas ad speluncas reuertantur, hominesque superstitiosos ac stolide simplices irrideant, qui tam fœde sibi patiantur imponi. Vescuntur & hi maslaco, vel oppio; & humi cubantes, libidinibus abominandis mutuo se polluunt. Hæc de nefandis horum apud Turcos specie tenus religiosorum institutis breuiter exponenda duximus, licet ab aliis quoque prodita, tum ad illustrandam annalium historiam, tum vti secum lector ipse perpendat quanto nunc illos necesse sit esse factos deteriores, quum ante centum plus minus annos vnus ex eis necem Sultano suo, totius in oculis exercitus, intentare fuerit ausus. Nostro quidem tempore, nimirum anno Christiano 1579, consimile quoddam huic facinus accidit, saneque memorabile. Nam deruisio cuidam concepta cædes animo, pari ausu tentata, successu feliciore perpetrata fuit. Multa sunt a nobis in annalium supplemento commemorata de Mechemete bassa vezirazeme, Selimis II genero, summæ secundum Sultanum apud Turcos auctoritatis viro. Is quum pro more domi suæ ius dicturus, adeundi se copiam faceret vniuersis, in synhedrio, vel consessu, vel consilio, vel audientia publica: (diuanum Turci dicunt, quam vocem Beluacensis libro 31, cap. 145, Douanam corrupte scripsit, horridiuscule typhanum Porsius) ingredientem ad se magno nisu, per mediam hominum turbam, notum sibi deruisium quemdam conspicatus, manum exporrigit, eleemosynam scilicet homini daturus. Itaque ab aliis ei ceditur, vt adire bassam posset: ad quem vbi propius accessisset, sicam e sinu profert, & ea vi Mechemetis in pectus adigit, vt illico letale vulnus acciperet, quo exspirauit: ipso mox etiam deruisio ab astantibus in frusta conciso. Vide quam a decessoribus suis homines scelerati necdum degenerarint.

SCARAMANGIVM, GIAMVRLIKION, GEPENEC. SEIFE,
Kilitsch, acinax, copis. Zausii. Pusdigan.

Quod Spanduginus filtrum dixit, annalibus est gepenecum. Sic & Vngari 171.
vestem militarem adpellant, quæ tunicis, pænulis, aliisque vestibus superiniici, pluuio præsertim cælo, solet. Vulgus hanc gestat e filtro factam, ideoque materiæ nomen ei Spanduginus dedit, quam equidem quo Latino vocabulo debeam exprimere, non video. Slauina dici non potest, minus gausape, cum Reineccio:

propter diuersitatem tum materiæ, tum formæ. Reperitur apud Cedrinum, & Symeonem Magistrum Officiorum, & Achmetem onirocriten, Scaramangii vox: de cuius significato consultus a me Theodosius Zygomalas Nauplienſis e Peloponeso, patriarchalis Protonotarius, aiebat in vsu Græcis esse nunc Agarenicam vocem Giamurlikion, qua vestis ea significetur, quam viri militares gestent supra vestes alias interiores, ad arcendas pluuias, niues, gelu, cetera denique aëris incommoda. Persas autem inuentores, ei nomen dedisse scaramangii, quod ab eis ad Græcos deinde cum ipso vestis vsu manauerit. Hoc igitur est id, de quo nunc loquimur, gepenecum. De Scaramangio locum etiam capitis 199 consule. Arabibus Seife, Kilitsch Turcis dicitur is gladius, quem nos acinacem reddidimus. Leuiter est incuruus, & quia non pungit, sed cæsim ferit, apud Xenophontem, Græcosque ceteros, Persica tractantes, nomen Copidis inuenit. Et constat ex eodem Xenophonte nostro, genus hoc gladiorum a Persis alias itidem nationes, præsertim Asiaticas, accepisse. Zausii, sicut antea quoque diximus obiter in supplemento annalium, comparandi veniunt cum nostris nobilibus aulicis, iisque præsertim, quorum opera principes vtuntur in expediundis variis negotiis, quas commissiones vocare consueuimus. Habent hi præfectum, quem Zausiorum bassam adpellant. Ab eo nos excipiebamur, obuiam nobis ad primum lapidem extra Constantinopolim, insigni cum comitatu Zausiorum progresso, & longissimo tractu per vrbem ad carauansaraium, legatis Cæsareis adsignatum, deducebamur. Inter dignitates Palatii Græcorum imperatorum recentiores, inuenitur etiam Megas siue magnus Tzausius, quod officium vel mutuati sunt ab Agarenis Græci, vel a Græcis Agareni acceperunt, & idem est haud dubie cum Zausiorum bassa. Numerus Zausiorum fere nunc apud Osmanidas ad septingentos excreuit. Pusdigani denique nomen Agarenicum retinui, sicut & superius in narratione de capta Constantinopoli, quo claua massaue ferrea, Turcis vsitata significatur. Græci recentiores hanc vocem vsuceperunt, ac suam reddidere: quum olim Κορωώνην dicere soliti fuerint.

CLADES VNGARORVM, AB IACVPE AGA CAESORVM, Frangepani. Agalari. Turci Græcos in multis imitati. Sceptra siue baculi Græcorum: Druncarii. Drunci. Banda: Bandophori.

173. Iacupis Agæ nomen in historia Bonfinii desideratur. Iouio Cadum bassa dicitur. Idem nomen habet Wolfgangus Dreslerus. Verum hoc ei non erat proprium, sed ab accidente inditum. quippe Chadum vel Hadum significat cuiratum, cui testes scilicet exsecti. Huic Vngarorum cladi causam præbuit Ioannes Frangepanus, ex illustri & Romæ quondam clara Frangepanorum familia natus, quibus in Croatiam Dalmatiamque commigrantibus datum hoc erat ab incolis nomen, vt Franc Pani dicerentur, hoc est, domini Franci. Defecerat autem Frangepanus post Matthiæ regis obitum, a rege Vladislao, & Duce Ioanne Coruino, Matthiæ regis filio notho, qui ad Iaitzam Banus earum regionum erat. Quumque in arce Breuia ceu rebellis obsideretur, proximi bassæ auxilium implorauerat. Ingressus est Vngariæ fines Iacupes Aga cum octo vel nouem millibus equitum, vti Bonfinius scripsit. Agarum vel Agalariorum nomen apud Turcos a baculo deductum est, qui scilicet magistratus est symbolum: sicut etiam ante Turcos Græcorum Imperatorum officiales sua quædam gestabant sceptra, quæ nihil erant aliud, quam baculi. Et quidem in more Græcis erat, vt quoties nouus fieret imperator, omnes officiales sceptra seu baculos suos deponerent, nec nisi iubente nouo imperatore resumerent in manus: quo ritu significabatur, eos in officiis suis ab ipso confirmari. Meminit eius moris antiqui, Symeonis Magistri Officiorum historia manuscripta, cuius verba reperies capite 199, meminerunt & alii quidam: isque nunc etiam retinetur a Turcis, quos imitatores esse Græcorum, præsertim in rebus ad imperii formam ritusque publicos spectantibus, iam sæpenumero diximus. Quamquam alii putant, ab ipsis pleraque profecta a Saracenis: qui post defectionem a Romanis, eorum nihilo minus tam ciuilem, quam militarem impe-

imperii gubernationem fuerint æmulati. Sic igitur & Agalarii dicti sunt ab aga, quod baculum significat. Adeoque propius vt ostendam similitudinem Officiorum Palatii atque imperii Græci, cum Officiis Portæ Osmanicæ: dico, Turcis Agalarios esse sua lingua, qui Græcis erant vel Drungarii, vel Druncarii potius. Eos Leo Sapiens Augustus in libro suo de adparatibus bellicis olim dictos fuisse tradit Chiliarchos, quod militibus mille præessent; & Druncum, Chiliarchiam. Latini Chiliarchos vocabant Tribunos, qui nunc Colonelli sunt. Druncum (sic enim pronuntiabat Zygomalas, & Druncarium: non Drungum, vel Drungarium, quod vulgo fieri solet) sic adpellatum arbitror a trunco, siue baculo, siue sceptro; quemadmodum hodieque regimentum vocamus tam ipsius tribuni baculum, (vitem dixere puto Romani) quem ceu magistratus insigne gestat, quam illum signorum militumque numerum, qui ad constituendum regimentum requiritur. Ideoque Druncus est regimentum militum, cuius caput est Druncarius, olim Tribunus, nunc Colonellus aut regimenti præfectus. Conueniunt & alia militiæ nostræ cum illis, quæ Leo tradit Imperator. Vandon adpellat signum equitum vel peditum, vt nostri Vanen & Vandlin, aut Vændlin: Vandophoron, qui vexillum Vandi gestat, & nostris est Vandrich. Addit, Vandum constare militibus 300, aut saltim non paucioribus, quam 200: nec pluribus, quam 400. Sic & Druncum siue regimentum habere vult non pauciores mille, non plures tribus millibus. Ceterorum apud Leonem collatio cum nostris, alterius loci fuerit, ac fortassis in hoc genere nonnihil aliquando moliemur: quum aliquam non antiquæ dumtaxat militiæ notitiam, verum etiam præsentis vsum adsequuti videamur. Itidem de Viglæ Stolique magnis Druncariis alibi. Plurimum certe faciunt hæc ad illustrandas Græcorum recentiores historias. Ad Druncariorum ergo similitudinem Turcis sunt Agalari, velut tribuni, puta Genizar Aga, Capizilar Aga, Spahoglan Aga, Silichtar Aga: de quibus omnibus conuenienti loco tractabitur.

BANI REGNORVM APVD VNGAROS. CHRObatæ. Choruatæ. Direnfil Ban.

Promisimus supra capite septuagesimo primo, nos de Banis & Banatibus in 174.
regnis Vngariæ adiunctis aliquid dicturos plenius. Id igitur vt hoc præstem loco, quo Bani Vngarici mentio fit: dico, Banum apud Vngaros vocari, non gubernatorem, vel Locumtenentem (τοποτηρητὴν Græcis, & ἔξαρχον, vnde nomen Exarchorum Italiæ Rauennatium) siue Vicarium regis in ipsa Vngaria: sed alicuius ad Vngariæ iura spectantis regni præsidem. Pertinent vero partim antiquitus, partim etiam nunc, hæc ad Vngariam regna: Dalmatia, Croatia, Slauonia, (id est, Illyricum) Ramia vel Rama, (quo nomine in Vngarorum regum titulis intelligitur Bozina) Seruia, Gallicia siue Valachia, Lodomeria, Comania, Bulgaria. Præter hos Banos, mentio fit in historiis Banatuum, Machouiensis, & Zeuerinensis, (Suerinum iam vulgo vocant in Transalpina Valachia propter Danubium, a Seuero Augusto ædificatum opidum) & Erdelii, Turcicis in historiis; quæ Ioannem de Zapolia, Comitem Cepisiensem, regni vsurpatorem, & patriæ pestem, Ertel Ban adpellant; licet a nostris Erdelii siue Transsiluaniæ Vaiuoda tantummodo nominaretur. Ipsimet Vngari Banum seu Wanum vocare se dicunt eum, qui vexillo aliis præit. vnde paret, discrimen hoc inter Gubernatorem & Banum esse: quod illi tam pace, quam bello, cura regni omnis incumbat; hic bellicis tantum negotiis præsit. Ipsum etiam nomen a Bando factum perspicitur, quod regiis ipsorum constitutionibus dicitur Banderium: estque Banus Græcis Flamularis, φλαμουλάρης, Sanzacbeg seu Flambular, Turcis. Nunc ad annales vt redeamus, quem heic Vngaricum Banum generaliter adpellant, Bonfinius Croatiæ tantummodo Banum fuisse tradit, regni videlicet Vngariæ regno adiuncti. Croatarum vero nomen hodieq; notissimum. Gens est pertinax in retinenda religione sua Christiana. Propterea Turcis esse subdita, cum eius amittendæ periculo recusans, ad vicinos migrat: magnamque nunc Austriæ Morauiæque partem, agris colendis dedita, complet. Cedrinus in Basilio Bulgaroctono, Choruatas adpellans: Finitimi sunt, inquit, Bulgaris Choruatarum populi. quod nomen Choruat, vel Horuat,

aspiratione forti, nunc eis est etiam in vsu. Ceteri Græci Chrobatas siue Chrouatas nominant. Et alicubi scriptum apud ipsos legere memini, Seruios & Chrouatas eosdem esse respectu nimirum eiusdem originis & linguæ Venedæ: quam in Seruiis demonstrauimus capite trigesimo quinto. Rursus ab annalibus his Banus Vngaricus etiam Direnzil Ban nominatur, veluti Drenz Cili Ban: hoc est, Drenzius Ciliæ Banus. Quippe celeberrimus Ciliæ Comitatus ad Croatiæ Banatum antiquitus pertinebat. Et Bonfinius expresse tradit, Bassam (quo nomine Iacupem Agam intelligit) primum omnium hoc bello Cilianum agrum populatione deformasse. Bani proprium nomen apud eum legitur. Emericus Drenzenus, vir (vt ipse fatetur) summæ tam industriæ, quam consilii: qui suffectus in locum Ioannis Coruini Ducis a Vladislao rege fuerat. Habuit, auctore Bonfinio, secum Banus septem militum tantummodo millia: reliqui rusticæ plebis inconditæ, nec armis adsuetæ, cohortibus constabant. Accidit aliud etiam malum, quod Drenzenus contra sententiam animi sui coactus a Bernardino Frangepano, pugnauit: qui tamen e prœlio fuga se subduxit. Hæc scilicet erat illa tum discordia, tum fuga, quam innuere volunt annales, quum aiunt; Vngaros ipsos inter se dissentientes, fugisse. Bernardinus pater erat Ioannis illius Frangepani, quem obsessum fuisse Breuiæ diximus. Filius, vir fortis, hostis antea, vel rebellis potius, hac pugna cæsus occubuit.

OCCASIO, ET CAVSA BELLI BAIASITIS ADVERSVS VENETOS in Peloponeso. Ludouicus Maurus, Dux Mediolanensis Turcum in Venetos concitat. Inebechti a Turcis obsessa.

175. Naupactus Achaiæ maritima ciuitas est, opinione quorumdam, Ætoliæ Leoni Augusto, ad sinum quondam Corinthiacum vocatum sita. Nautis vulgo iam Lepanto dicitur, Inebechti Turcis, quod a Nepanto Marii Nigri non procul recedit: Achaia, Liuadia: Ætolia, Despotatus: sinus Corinthiacus, Colpo siue Golfo di Lepanto. Erat hoc tempore, nimirum anno Christiano 1498, Naupactus in potestate Venetorum a 70, plus minus, annis: qui misso ad Baiasitem Andrea Zantano, legato suo, pacem in annos 25 cum eo fecerant, cuius tabulas Baiasites scriptura manus suæ, pro more confirmarat. Nihilominus vix adpellere Venetias legatus potuit, quum datam Venetis fidem Baiasites violat. Quippe sibi lege sua Mahumetana permitti volunt Agareni & Osmanidæ, vt in rebus ad imperium spectantibus, ex vsu suo fidem datam flocci faciant, nec vllam promissorum Christianis factorum rationem habeant. Bellum igitur in eos molitur, & prætextus causa cupide occasiunculam arripit, quod Veneti protegendum suscepissent Comitem Ioannem Cernouichium, (Cernouitzios dicendos ostendimus supra, capite 46, & hunc alii Georgium vocant) vicinæ Cataro ditionis regulum, cui pleraque Baiasites ademerat. Sed alia reapse suberat causa, quæ pæne certam ei spem faciebat eiiciendi Venetos e Morea siue Peloponeso, in qua multas sane magnas & munitas vrbes arcesque possidebant. Etenim Galliæ rex Ludouicus XII, Ludouicum Sphortiam, cognomento Maurum, a nigredine vultus, Ducatu Mediolanensi spoliaturus, quem sui iuris adserebat, fœdus contra Sphortiam cum republica Veneta percusserat. Ea Gallorum cum Venetis coniunctione territus Sphortia, legatum ad Baiasitem mittit, qui tum muneribus ei, tum variis rationibus persuaderet, vt bellum Venetis inferret. Quippe futurum aiebat, vt occupatis Italico bello Venetis, ipse nullo negotio Græcis vrbibus, & castris, & insulis eos exueret. Hac illectus spe Baiasites, a pace cum Venetis sancita discessit. Ac fuit profecto noxium Venetis id Mauri facinus, sed tamdem hæc in ipsum, quod dici solet, cusa faba iusto Dei iudicio fuit. Nam & ambitionis, & iniuriarum multiplicium erga Ioannem Galeacium fratris filium, & funestorum patriæ consiliorum, quibus Gallos aduersus Neopolitanos reges, Turcos aduersus Venetos commouit, acerbas denique pœnas luit. Quod quidem ei subtilis & arguti vir ingenii, legatus Florentinæ reipublicæ, futurum aliquando prædixerat. Quippe quum huic ad se misso suas arroganter ostentaret, vti plerumque solebat, & opes,

&in-

& ingenij vires: inter alia quodam in conclaui depictum ei monstrat simulacrum mulieris amictu pulcherrimo vestitæ, in quo expressa mirifico artificio tota conspiciebatur Italia. Propter hanc mulierem adstabat Æthiops cum peniculo, quo se ipsum innuere volebat, qui & Maurus vulgo vel Æthiops audiret, & emblematum loco soleret vti vel peniculo, cum inscriptione Latina, ET MERITO ET TEMPORE, vel ramusculo tres complexo rosas, cum inscriptione Germanica, MIT ZEIT, id est, CVM TEMPORE. quæ quidem ipsius emblemata symbolaque passim in parietibus & aulæis Mediolani, Ticini, Taurini, apud doctissimum & illustrem eius vrbis archiepiscopum, Hieronymum Rouereum, & aliis in locis videre memini. Erat hic Æthiops ita pictus, vt peniculo mulieris e veste puluerem cum sordibus aliis extergeret. Ea pictura legato monstrata, quid ipsi de hac videretur, interrogat. Tum is: Vt mihi quidem videtur, inquit, hic Æthiops puluerem omnem in se ipsum conuerrit. Quod hominis acuti de Ludouico Mauro vaticinium deinceps euentu comprobatum fuit.

INEBECHTINIS FRVSTRA VENETI succurrere cum Gallis & Hispanis confœderatis nituntur.

Quæ de infelici conatu remouendi Baiasitis ab obsidione Naupacti narrant 176.
annales, paullo dilucidius his fere verbis Spanduginus exposuit. Anno, inquit, millesimo quadringentesimo nonagesimo nono, Ferdinandus rex Hispanus, occupatis Naupactio bello Venetis, ex lege fœderis subsidia misit; auspiciis Consalui sui, quem Magnum capitaneum vocabant. Is adiunctus classi Venetæ, Cephalleniam insulam Turcis ereptam recuperauit, cum S. Maura: quod opidum in insula cognomine, (prisci Leucadem vocarunt) non procul a Naupacto Patrisque situm, ab Augusto post Actiacam victoriam, Nicopolis dictum fuit. Adaucta quoque tunc Veneta classis fuit auxiliaribus nauigiis a confœderato rege Francorum Ludouico XII ductu reguli Rauestani, Philippi Cliuensis, qui Genuam pro rege tunc administrabat. Is prœlio cum Turcis congressus, quum Venetorum triremes nullum nauigiis suis ferre subsidium vidisset: indignatus, vela ventis dedit, & inde discedens, Massiliam reuersus est. Erat autem Venetæ classis imperator Antonius Grimanus, qui propterea, quod pugnanti Rauestano non succurrerat, & alioquin etiam se gesserat segniter, ferreis in compedibus Venetias missus fuit. Nihilo tamen minus idem postea Ducis dignitatem obtinuit.

METHONE CORONEQVE BAIASITIS in potestatem veniunt.

Nobiles in primis Peloponesi sunt vrbes in Messenia maritimæ, Methone 177.
& Corone, quæ vulgo nunc Modon & Coron adpellantur. Vtramque non sine periculo vidimus. Methonen Nicolaides per errorem scripsit olim dictam fuisse Mantineam. Quippe vetus Methonæ nomen est, & ipsa ciuitas a duplici Mantinea, tam sinus Argolici, (nunc Mandigna) quam Arcadiæ, (nunc Mandi) longe diuersa. Leonis Augusti nouella de Thronis, Methonen & Coronen facit episcopatus, eosque Patrensi metropolitano in Peloponeso subiicit. Ceterum paullo aliter a Iouio narratur a Turcis occupata Methone, quam heic in annalibus. Quippe tradit eam incuria præsidiariorum in hostis potestatem venisse, qui rumore de subsidiis quatuor aut sex triremibus aduectis per vrbem didito, relictis stationibus suis ad portum concurrerint. Id vero conspicatos hostes, spe prædæ commotos, accedente Baiasitis incitatione, cum variis præmiorum promissis, in vrbem desertasque stationes irrupisse, captamque diripuisse. Quod deinde subijcitur, a Turcis preces in vrbe capta fuisse conceptas, quæ die Veneris haberi soleant: his a Spandugino verbis itidem narratur, quæ reddita lubuit inserere. Memoriæ proditum est, inquit, postridie quam capta fuisset Methone, Baiasitem omnino voluisse vrbem ingredi ad agendas Deo gratias in ipso Christianorum templo. Quumque iam peruenisset in pontem, quo transeundæ vrbis erant fos-

sæ, conspicatum fossarum altitudinem, dixisse: Tam munitam ciuitatem mihi Tangri Vereris per virtutem Sinanis bassæ, beglerbegi mei, violentamque Genizarorum meorum expugnationem, concessit. Quibus in verbis illa Turcica, Tangri Vereris, aut Verersi potius, Deum propitium significant. Sinan vero bassa, cuius heic mentio fit, initio expugnati Cairi ductu Selimis, Baiasitis filij, cæsus a Mamelucis occubuit, vt in annalibus suo loco sequetur.

MITYLINE A VENETIS ET CONFOEDERATIS, irrito conatu, tentata. Philippi Rauestani reguli naufragium.

178. Annales Turcici dumtaxat Hispanicorum auxiliorum meminere, quæ scilicet a Ferdinando Aragonum & Castellæ rege, Karuli V Cæsaris auo materno, suppeditata fuere Venetis, Duce Consaluo, de quo diximus. Sed constat hoc etiam bello Gallica Venetis a rege Ludouico venisse subsidia, duce Philippo regulo Rauestano, Cliuensium in Germania principum familia nato, qui hac expeditione secum adduxerat Albaniæ Ducem Scotum, quem Albignium vel Obignium historiæ vocant, & Infantem Nauarrenum, (sic Hispano more secundogeniti regum filij nominantur) cum magno aliorum nobilium e Gallia numero. Tota classis hominum bello idoneorum ad x c I Ɔ continebat, vt Spanduginus refert. Ab his obsessa fuit vrbs Lesbi Mityline, captisque suburbiis oppugnati terribilem in modum muri, sed frustra. Regulus Rauestanus, postquam obsidione soluta discessum ex insula, Magnum Rhodi Magistrum cum x x i x nauigiis exspectare nolens, naufragium propter insulam Cerigum, quam veteres Citheram dixere, fecit: adeoque pauci ex iis, qui nauibus hisce vehebantur, incolumes euaserunt. Ad ea, quæ tradunt annales de placato a Venetis, impetrandæ pacis causa, muneribus Baiasitis animo: addendum, eos per Andream Grittum, post hæc ipsorum Ducem, Baiasiti S. Mauram quoque restituisse, locum hodieque Turcorum in potestate constitutum, longeque munitissimum. Leucadem alij priscis dictam volunt, alij Neritum. Sententiam priorum ex Prætore Græciæ nostro probare liquido licet.

SECVNDVS SOPHILARIORVM MOTVS aduersus Osmanicos. Scach. Culi. Scitan Culi. Kisel bassa.

179. De regione Tekie siue Teke dictũ superius, cap. 57. Altera fuit hęc aduersus Osmanidas, & sectã Osmanicorũ seditio, ab iis excitata, quos Sophilarios & Kiseles bassas dixerũt. Quippe de prima superius indicatũ cap. 81. Iouius auctorẽ seditionis adpellat Techellem, a patria, puto: Dreslerus cum aliis Eliam, nulla ratione: Turcorũ annalib. Scach Culi nominatus fuisse refertur, voce significante Scachi seruum. Et Scachi adpellatione intelligitur Scach Ismail, recens Persarũ regno potitus, de quo paullo post expósituri prolixe sumus. Ait Iouius, eum fuisse discipulum Arduelis, de quo itidem mox dicendum: post cuius cædem, Euphrate transmisso, venerit in Armeniam minorem, & in spelunca quadam ad radices Antitauri montis habitauerit. Ea parum vero videntur consentanea, tum quod Teke regio minime sit Armenia minor, sed Phrygia maior, vt aperte lector ex ipsis annalium verbis numero 57 notatis perspicit: tum etiam, quod e Persia venienti minime Baiasites munera quotannis missurus fuerit. Vtut sese res habeat, Scachi quidem Ismailis partes amplexus fuit, ideoque Scach Culi nominatus: ex quo Turci, partibus Osmanidarum adhærentes, fecere Scitan Culi, voce significante Satanæ vel Diaboli seruum mancipiumve. Geufræus alicubi pro Culi scripsit Coullet. Spanduginus ei suppeditata fuisse tradit ab Ismaile Scacho x x c I Ɔ hominum, quod equidem verum non arbitror, ex iis, quæ heic in annalibus sequuntur. Magis est vero consentaneum, quod Iouius ait, per internuntios ab Ismaile confirmatum in proposito fuisse. Kisel bassa significat rubrum caput. Id nomen Osmanici dederũt hoc ipso tempore sectatoribus Ismailis Scachi Persarum, a rubro capitis tegumento: quo de plenius agendum paullo post.

ANTALI,

ANTALI, CIVITAS ANATOLIAE. GRAECORVM *anni a mundo condito, quonam modo cum nostris conueniant. Nomina quædam vetusta cum recentioribus collata.*

Quæ Turcis heic Antali vocatur, priscis erat Attalia, quondam ab Attalo re- 180.
ge, vno de successoribus Alexandri magni, condita. Leonis Imperatoris nouella de Thronis eam collocat in Pamphylia secunda, sub metropoli Sylęo siue Perga. Græci posteriores adnotant, factam metropolim anno mundi 6592, sub Eustratio sanctissimo patriarcha, imperatoris Alexij Comneni auctoritate. Quod quidem accidisse constabit anno Christiano 1084, si de sententia Græcorum anni a condito mundo 5508. statuantur vsque ad Christum natum elapsi, secundum editionem LXXII interpretum. Aythonus Nataliam, transpositis a librario primis litteris adpellat, pro Antalia: quo loco Reineccius notat, scribendum pro Natalia Nacoliam. Atqui Nacolia longe distat ab Antalia, Phrygiæ nimirum maioris mediterranea ciuitas, ad Sangarium flumen sita: quum de Antalia sua statim subiiciat Aythonus, eam supra mare Græciæ (Gallice loquitur, pro, ad mare) sitam. Et maris Græciæ vocabulo intelligitur Ægæum mare, vel Archipelagus. Addit enim, quod hæc ciuitas respiciat regnum Cypri. Quippe verum hoc est, & ab Attalia, quam Setteliam modo vocant, totus ille sinus obiectus Cypro, nunc Golfo di Settelia nominatur. Beluacensis Satteliam scripsit, eidemque sinus ille maris adpellatur Gaufra Sattelię, vocabulo Gallico Goufre, quod hodie Græcis est Corpho, priscis κόλπος, Italis Golfo, Latinis sinus. Quia vero in hunc Aythoni locum incidimus, explicemus obiter & alia quædam ibidem posita regionum & ciuitatum nomina. Primam Turquiæ (Sultanorum Iconij regnum, vel Asiam minorem intelligit) prouinciam initio vocat Lygoniam, deinde rectius Lyquoniam (pronuntiatione Gallorum effertur Lyconia, id est Lycaonia) quæ famosam ciuitatem habeat Coni, hoc est Iconium. Rectius hanc collocat in Lycaonia, quam Laonicus in Caria; de quo supra, numero 12, dictum. Addit, hanc esse maiorem totius Turquiæ regni, hoc est metropolim. Briquiam Reineccius interpretatur Lyciam, quum Briquia seu Bryquia sit Phrygia. Facit autem Bryquiæ metropolim Aythonus Zichiam Græciæ. Sic enim scripsit, nomine Græciæ Romaniam intelligens Asiaticam, de qua dictum capite 6. Zichiam hanc Reineccius interpretatur Cydnam. Atqui Zicchiæ Cedrinus quoq; mentionem fecit velut ciuitatis in Asia minori sitæ: quum in Copronymo frigus inauditum memoriæ prodit, quo congelatis amnibus & ipso mari, potuisse narrat itinere pedestri a Zicchia transiri mare ad ipsum vsque Danubium, id est ad ostia Danubij, quæ in Thracia sunt. Bithynię metropolis apud Aythonum scribitur esse Nichor, quam Nicæam puto, Turcis Isnic; non Nicomediam, quæ Turcis est Ismid: quum Reineccius ex Nichor faciat Nicomediam. Nec apud Leonem Augustum minus est metropolis Bithyniæ Nicæa quam Nicomedia. Genech Aythoni Reineccius interpretatur Pontum, quum magis proprie sic dicatur, quæ olim Colchis erat, postea Lazorum adpellata regio, siue Lazice: cuius metropolis est Leoni Augusto Trapezus, quam in Genech ponit Aythonus. Paphlagoniæ ciuitatem vocat Aythonus Ginapolim, ex qua Reineccius fecit Germanopolim. Atqui Ginapolis Aythoni, vel Ginopolis potius, ad Pontum Euxinum sita, hodieque Ginopoli nominatur. Apud Leonem Augustum Innopolis dicitur, & episcopatus eius ad Gangram Paphlagoniæ refertur. Sed desino plura.

GARAGOS BASSA, BEGLERBEGVS *Anatoliæ, viuus palo transfigitur.*

Habes heic insigne crudelitatis exemplum in religiosis Turcorū, cuius obi- 181.
ter mentionem supra fecimus, cap. 64. Transfixus a Scachoculi palo fuit Anatoliæ beglerbegus, vt annales referunt. Ei nomē dant Turci Caragos, vt nostro quoque tempore celebris fuit Caragos Rais, quem in Supplementi narratione de bello Cyprio commemorauimus. vulgo nostri Caracossam dixere. Iouio Cargius bassa nominatur, & eidem alibi Caraius est. Dissentit etiam in expositione histo-

riæ nonnihil ab annalibus, qui Caragosam captum fuisse narrant, & Cutaigen adductum, & suis in opido commonstratum: quumque deditionem opidani facere nollent, in eorum conspectu palo transfixum. Iouius autem prope dicit abfuisse, vt caperetur: sed subtractum a suis, Cuteiam euasisse: qua deinceps a seditiosis expugnata, etiam ipse hostium in manus venerit. Postea vero ad Cara essar, (Carachisar scribere debuit) in media via, qua transeundum erat Ali bassæ, cum exercitu rebelles persequenti, viuum ab eis palo transfixum: vt a tergo sequentibus tam fœdo tanti viri supplicio formidinem & horrorem incuterent. De Cutahige supra dictum, capite 40.

CORCVT A SEDITIOSIS VINCItur. Diuersæ Turcorum narrationes a nostris.

182. Corcutem in Osmanidarum genealogia quintum ordine Baiasitis filium fecimus, & germanum Selimis fratrem, qui deinceps imperauit. Etenim eamdem cum Selime matrem habuit. Hunc referunt annales a rebellibus in pugna fuisse superatum. Iouius vero pugnatum ait in hos aduerso prœlio duobus a nepotibus Baiasitis, Muchemete Sciemsciai, (Sinan Scach rectius adpellatur) & Orcane Alempsaci, filiis: (pater Alem vel Allama Scach, filius Vrchan nobis est in genealogia) Corcutem expresse tradit, non ausum fuisse cum Techelle congredi. Quæ sane vera sint, nec ne, mihi quidem disceptare non lubet: indicanda tamen putaui, ceu suspecta propter ætatem nepotum. Quæ ditio sit Aidinensis, ostensum numero 13. Ducis filius est Herzecogli bassa, de quo dictum capite 161, & 162.

ALIS BASSAE CONTRA REBELLES EXPEDITIO.

183. Quantopere creuerint perduellium vires, vel ex eo colligi potest: quod in hos proficiscentem Alim bassam duxisse Spanduginus ait equitum ex Anatolia XL CIↃ, quibus Genizarorum IIII CIↃ Baiasites adiunxerit. Nihiloque minus Achmetem quoque Baiasitis filium, ex Amasiana sua prouincia collectis copiis, ei subsidio venisse.

CHEIDER BASSA CVM ZINDI KEMALE SANgiacbego, victus & occisus a seditiosis. Zonchium. Nauarinum.

184. Cheider Bassa, Caramaniæ beglerbegus, a Spandugino Caidir adpellatur, & domicilium in vrbe Cogno, vel Iconij habuisse dicitur. Zindi Kemal beg eidem Camali nominatur, & vir admodum militaris fuisse prædicatur. Tradit enim Spanduginus, hunc bello Baiasitis contra Venetos cepisse castellum Moreæ siue Peloponesi maritimum, hodieque munitissimum, nec procul a Methone dissitum, 15 videlicet milliaribus Græcis, quod a nautis Italis Zonchium, Spandugino Gionchium, Græcis nostri temporis Nauarinum vocatur, priscis Coryphasium Messeniæ fuisse creditur: Iouio tamen Pylum, regna Nestoris, adpellante. Neque castellum hoc Kemales seu Camales dumtaxat expugnauit, verumetiam oppressas inopinato quatuor triremes Venetas, cum ipsis militibus & sociis naualibus, ibidem in potestatem redegit.

PLANICIES ZIBVC, ET SIVAC, EADEM.

185. Quam heic annales planiciem Zibuc vocant, Spanduginus adpellat campum Siuac, tametsi corrupte legatur in edito, Campagna detta Siuas. Quippe ciuitas quidem est Siuas, de qua dictum capite 5: sed hoc nomine campus aut planicies nobilis in Anatolia, quod equidem sciam, nulla. Quapropter ex Annalibus Siuac reponendum, quod idem est fere cum Zibuc. Iouius hæc ad Galatiæ campos retulit, vbi sitam ait Caraessar. Ea Turcis est Carachissar, hoc est arx nigra, quæ in beglerbegatibus collocatur in Amasiæ Tocatique prouincia, complectente Paphlagoniam, Galatiam, & Cappadociam: vbi sangiacatus hi coniunguntur, Carachisar, (vide caput 144, & eodem numero textum annalium, hanc a Muchemete II captam referentium, quum aduersus Vsumchasanem pergeret) Sasum, (priscis Sasima, de Nazianzeni nostri libris nota) Tarabosan siue Trapezus.

Addit

Addit Iouius hoc loco mentionem montis cui nomen dat Olinga, nec eum magno ab Ancyra distare tradit interuallo.

KIHAIA. PROTOGEROS. PRIMIKIRIOS. VLOfedzi. Vlefe. Timarion. Timariotæ. Ramasan.

Qui præfectus Vlofeziorum heic dicitur, vocabulo Turcico Kihaia nominatur. Id proprie vicarium seu locumtenentem, seu legatum, atque etiam præfectum aulæ significat. Ideoque Kihaia Vlofeziorum est vicarius seu legatus illius, quem Vlofeziorum bassam adpellant. Græci Protogeron nunc dicunt, qui catalogo dignitatum vel officiorum Palatij πριμικήριος ipsis est, nostris primicerius, adpellatione vetusta. Ex Protogero Geufræus Protortz corruptum posuit, & superintendentem interpretatur. Nomen Vlofeziorum significat stipendiarios, quibus Vlofe vel Vlefe numeratur. Sunt enim duo stipendiorum apud Turcos genera, quorum vnum vocatur Vlefe, Timar alterum. Vlefe stipendium est, quod more nostro militibus vel aulicis soluitur a rationalibus vel quęstoribus: apud nos menstruum vel annuum, apud Turcos in singulos dies. Hoc qui fruuntur, Vlefedziorum nomen habent. Geufræo & Sansouino sunt Olophagi. Timar est pensio, vel stipendium, vel reditus adsignatus in prædiis, & possessionibus castrorum, opidorum, pagorum, agrorum: vel in percipiendis decumis, aliisve fructibus, Græci timarion adpellant; a quibus ad Turcos manasse vocem hanc arbitror. Reperitur apud Damascenum Studitam in martyrio Theodori tribuni militum, cui virtutis & rerum fortiter gestarum nomine narrat a Licinio Augusto datum fuisse pro timario castrum Heracleæ. Videturque vox a Græca τιμὴ, qua significatur honor, deriuata: quod huiusmodi timaria, velut honoraria, siue beneficia, siue reditus, siue pensiones, honoratis beneque de republica meritis concederentur. Timariis donati vocantur Timariotæ, vel Timarati, etiam apud Chalcocondylem. Caramuses significat nigrum Mosem. Ramasanis nomen idem est cum Ramadane: sicut Otman, vel Odman idem cum Osmane. 186.

TEBRISIVM. TAVRISIVM. CARAVANA.

Tebrisium, nunc Tauris, admodum his annis innotuit, etiam vulgo, Turcorum stragibus aliquot nobilitatum inde vsque a Sultani Soleimanis II temporibus. Qui Ecbatana Mediæ vocat, errare puto: quum Cedrinus eam Taurezium adpellans, in Persarmenia collocet, quam hodieque maiorem dicunt Armeniam. In huius meditullio Tebrisium recte Iouius ponit, vt male Chalcocõdyles vrbem fecit Assyriorum: cuius interpres Tabrezen, vt Cedrinianus Tabrezium, scripsit. Iouij sententiam hęc Aythoni verba confirmant: In Armenia maiore ciuitas Taurisij famosior est, & plus aliis opulenta. Vide quædam alia de hac infra, capite 204 notata. Carauanę Turcis & aliis orientalibus populis sunt hominum agmina nonnumquam maxima, propter itinerum discrimina se coniungentium. Neque tantum hoc fieri solet ab iis, qui mercium vel distrahendarum causa, vel comparandarum, alio proficiscuntur: verumetiam ab illis, qui per solitudines Arabum, ad visitandam voti vel religionis ergo Meccham peregrinantur. Excrescunt hæc agmina, pro magnitudine periculi, nonnumquam ad 20 vel 30 hominum millia: iustus vt exercitus esse, præsertim ob camelorum multitudinẽ, & aliorum iumentorum, quæ sagmaria sagmatariaque Græci vocant, videantur. 187.

SCACH SIVE REX PESRARVM ISMAIL, COGNOMENto Sophinus. Sophilar. Enasserlar. Kesil bassa. An hoc primum tempore secta Sophilariorum extiterit.

Licet in annalium adpendice nostra, de discidiis sectarũ Mahumetanarum, 188. Osmanicæ Sophinæque, decennalis initio belli, quod inter eos geritur, quædam rara, nec ab aliis ante nos memoriæ prodita complexi sumus: hoc tamen loco, quo primam Ismailis Sophini mentionem annales faciunt, paucis ea consignare libet, quæ ad ipsius Ismailis originem, principatus initia, progressus, res gestas illustrandas pertinere putabimus. Pater Ismailis Sophini fuit Erdebil, quem Iouius & alij vocant Arduelem vel Harduellem. Hoc illi cognomen faciunt a loco quodam

Persiæ, cuius dominus aut regulus fuerit: ipsum vero nomen eius tradunt fuisse Secaider. Aiunt præterea sectatum vitam religiosam, instar eremitarum vel monachorum nostrorum. Ideoque Sec interpretatur Spanduginus nunc abbatem, nunc plebanum siue curatum, vt vulgo loquuntur, hoc est, animarum curam gerentem. Ego vero in opinione mea persisto, quam initio belli persici superius in Supplemento annalium exposui, & cuius auctorem habeo Matthiam de Faro, Cæsareum Constantinopoli ad Portam Osmanicam Dragomanum vel interpretem: diuersa scilicet hæc esse nomina diuersarum personarum, quorum vnus fuerit Erdebil pater Ismailis, familia natus apud Persas illustri, ditionisque cuiusdam regulus: alter Scheich Haidar, non princeps aut regulus, sed reuera id, quod audiebat; nimirum Scheiche, vel Imam: quorum illud hominem religiosum gentibus illis significat, ab innocentia sanctimoniaque vitæ: hoc vero, Doctorem. Etenim ex opinione vitæ religiosæ ac duriter actæ, consequutus aliquid apud vulgum auctoritatis; tribus Mahumetis Prophetæ sociis, Ebubekire, Omere, Osmaneque reiectis, Alim quartum Prophetæ socium, eiusdemque consanguineum & generum sequendum in omnibus adfirmabat, si salui esse vellent. Docebat autem hęc, & alia, quodam in opido Persarum, cui nomen Reza. Fama noui doctoris, nouæque disciplinæ, longe lateque didita, confluxit ad Scheichem vel Imamum Haidarem ingens e Persia vicinisque regionibus hominum multitudo. Primus autem ex magnatibus & regulis Erdebil non hanc dumtaxat Haidaris sententiam doctrinamque probauit, verumetiam ex eius præscripto se gerens, patrocinium causæ suscepit, eaque re multitudinis animos sibi mirifice deuinxit. Ita nimirum alias quoque constat homines ingeniosos, nouæ religionis vsos prætextu, insignem ad potentiam peruenisse. Tantopere quidem Erdebil, ceteroqui non magni nominis opumve regulus, hac noui dogmatis professione creuit: vt ei filiam suam rex Persarum Chasanes, quem a proceritate staturæ nominatum Vsun Chasan superius indicauimus, matrimonio legitimo copularet. Quippe filiam Martham ex Æcaterina Comnenia susceperat, quam Camit de Cami fuisse dictam, non recte scriptum apud Spanduginum legitur. Etenim gentibus iis Carum de Comnini vocabatur: priore nomine corrupto de Græco Æcaterine, altero vero familiæ. Nam Caloioannis Comneni, penultimi Trapezuntiorum imperatoris, erat filia: quā Caloioanne mortuo, frater Caloioannis Dauid, vltimus imperator Trapezuntius, Vsumchasani dedit vxorem, vt eius præsidio contra nimium vicinas & infestas sibi vires Sultani Muchemetis paullo tutior esset. Ex hac Vsumchasanis filia Martha, natus fuit Erdebili filius Ismail, de quo nunc agimus. Habuit in regno successorem mortuus Vsumchasanes Iacupem filium, qui vulgo ab historicis Iacobbeg, ab annalibus hisce Sultan Iacup deinceps in vita Sultani Soleimanis nominatur. Is protectorem nouæ sectæ sororium suum Erdebilem, mirifice sibi suspectum, quod vereretur, ne regius adfinis, & tantæ multitudinis deuotione fretus, sibi regnum eriperet, interfici curauit. Euasit crudelis auunculi manus Ismail admodum adulescens, octodecim (vt plerique tradunt) id temporis natus annos: seque, Martha matre comite, contulit ad amicum paternum Pircalem, regulum ditionis & castellorum quorumdam ad mare Caspium, nunc Culzum Denizi Turcis, Beher Culzum Arabibus adpellatum, quo clausum mare significatur. Istic educatus Ismail ex præscripto religionis paternæ, tamdem exstincto per venenum a coniuge datum Sultano Iacupe auunculo, domum reuerti, paternæque ditionis hereditatem, cum opidis & prædiis maternæ dotis nomine sibi debitis, adire statuit. Dominio paterno potitus, mox vlterius progreditur: & CCC tantummodo stipatus militibus, Somakiam pæne prodigiosum in modum occupat. Ea ciuitas est Mediæ, quam modo Siruanum vocant, ac versus Armenię maioris fines sese porrigit, & Laonico Samachia, Spandugino Sumachies adpellatur: tanti quidem momenti, vt anno Christiano 1583 ei captæ beglerbegum Osman bassa præfecerit. Hinc copiis non parū adauctis & instructis, Tebrisium, extimam Persarum regiam, sese confert: eamque, superato rege Aluante, Sultani Iacupis filio & successore, victor in potestatem redigit. Iterum cū Aluante congres-

sus, non

ſus, non modo ſuperior euadit: verumetiam ipſum, cum exercitus maiori parte, trucidat. Inde Muratem Chanem, (Morat Chan, & Morat beg, aliis nominatur: Auguſtino Curioni noſtro Marabeg, quod longius ab origine recedit) Aluantis occiſi fratrem perſequutus, pari proſperitate ſuperat. Is victus ab Iſmaile, Bagadatim verſus aufugit, hodiernam ſcilicet Babylonē, propter ruinas priſcæ Babylonis ſitam. Victor vrbem Sciras, armorū omnis generis officinam, a Tebriſio xx dierum itinere diſtantem, cum victricibus copiis adit & occupat. Ibi demum inſigniter ſuum armauit exercitum. Poſtea negotium ei fuit cum Vlu Chane Tatarorum Sicheco, quem inſtructum exercitu trecētorum millium equitum, adgredi prœlio non dubitauit: quo ſingulari virtute fortunaque victor euaſit, hoſte cæſo, vel in turba (quod alij tradunt) a ſuis oppreſſo, ſuffocatoque. Tamdem ad tot illuſtres de pluribus partas victorias, is felicitatis eximiæ cumulus acceſſit: vt moriente in exſilio Murate Chane, Iacupis filio, & vltimo herede, nō modo Perſici regni poſſeſſione, ſublatis æmulis, quieta potiretur; verumetiam vicinos quoſdam populos, ac præſertim Bagadatinos, in deditionem acciperet. Hæc de Iſmailis Sophini origine, proſperoque rerum ſucceſſu, quo ſibi ſuisque regnum Perſicum peperit, & conſtabiliuit, hactenus heic exponenda duximus. Nam bella deinceps cum Oſmanidis, ac Selime præſertim geſta, ſuo loco nobis annales ipſi dabunt. Ab Oſmanidis ei Sophi cognomentum, & Kiſelis baſſæ, per ignominiam fuit inditum. Prioris notionem adtigimus ſupra, cap. 81. Non a Græco Sophos deductum eſt, quod tamē exiſtimare quoſdam video, qui a Perſarum Magis & Sophis antiquiſſimis ſumtum nomen vſurpaſſe Sophinos volunt: ſed a Sophi, Arabica voce, quæ lanam ſignificat. Quippe quuum Mahumetani, & præſertim Oſmanici, more veteri, tulipanto lineo ſubtiliſſimi operis caput inuoluant, noua iſthæc Sophilariorum religio præcipit inter alia, ne caput faſtu quodam lineis eiuſmodi ſpiris ornetur: ſed vt tegumenta capitum e lana, non magna re pretij, conficiantur. Et quia laneum hoc tegumentum capitis, quo præter aliorum Mahumetanorum morem hi nunc vtuntur, plicas habet duodecim, & Arabica vox Enaſſer, duodecim ſignificat: etiam alud nomen Enaſſerlariorum conſequuti ſunt, ac ſi Græco vocabulo dicas Dodecaptychos, aut Latino Duodécimplices. Quūm denique tegmē eiuſmodi rubro dumtaxat colore tinctum geſtare ſoleant, Kiſilbaſſilarij quoque dicti ſunt, veluti capita rubra. Solebant autem ante hæc vocari tempora Perſæ Turcis Aiemini vel Azemini, ſicut & ipſa regio Perſarum iiſdem eſt Aiem, quod ſupra notatum capite 2. Scachus igitur Iſmail ab æmulis Oſmanicis, aliiſque Mahumetanis, velut horum anteſignanus, tam Sophi, quam Kiſel baſſa vocatus fuit: ac manſit etiam apud nos in hodiernum vſque diem nomen hoc poſteris ipſius, vt Sophini adpellentur. Nec tamen in ea ſum opinione cum aliis, vt tunc primum natum hoc Sophilariorum vocabulum putem. Quippe vetuſtius eſſe temporibus Iſmailis, ex annalibus Turcicis paret: qui regnante Muchemete primo, Baiaſitis proauo, 90 ſcilicet annis ante Scachoculis ſeditionem, & Iſmailis imperium, Sophilarios itidem tumultuatos commemorant. Itaq; vero eſt ſimile, Scheichem Haidarem non noui dogmatis auctorem fuiſſe, ſed reliquas potius ex incendio veteri, quaſique ſopitas hactenus ſcintillas, denuo ſuſcitaſſe; prorſusque ſimili ratione Scachum Iſmailem Sophi nomen ab inimicis tuliſſe, frequens antea plebeiis, ſed ante ipſum nulli datum regi.

QVI CORIZZI VEL CORIDSCHI, QVI TVRcomani Perſici. Supplicium Scachoculis.

Tria ſunt apud Perſas genera militantium. Primi vocantur ab eis Turcomani, 189. quorum ea condicio eſt, quæ vaſallorum apud nos, quos feudatarios adpellamus. Et ſunt apud eos feuda perpetua, quæ a parentibus ad liberos & poſteros deuoluuntur, ſequius ac Turcis eſt in vſu. Quoties igitur hi iuſſu regis euocantur, eo cum equitū numero ſe regi ſiſtunt, quam ratione feudorū adducere tenentur. Alteri dicuntur Corizzi vel Coridſchi, qui ſtipendiis militant. Et alia ſtipendia reapſe non ſunt apud Perſas, quam quæ Græcis σιτηρέσια, Romanis annonæ militares

nominabantur: res nimirum ad alimenta pertinentes, cum equis, vestibus, armis, tentoriis, ceteris. Tertij constant e copiis auxiliaribus confœderatarum finitimarumque gentium, Armeniorum videlicet, ac Georgianorum: qui religionem Christianam profitentur, in Persas propesi, Turcis infesti. Vulgus igitur istorum, qui Scachoculim sequuti ducem, tam crudeliter hactenus grassati passim fuerant, Scachus Ismail ceu mancipia distribuit inter proceres suos, quo nomine Sultani, Chanes, Turcomani Persis veniunt: capita vero seditiosorum trucidanda Corizzis, hoc est, stipendiariis militibus suis, obiecit. Hoc memorabile, quod apud Spanduginum legitur, auctorem tam fœdæ tragœdiæ, qui se Scachoculim, velut Scachi mancipium adpellauerat, ab aliis vero nominatus ob immanitatem fuerat Scitan Culi, siue Satanæ mancipium, laudabili seueritatis exemplo viuum, de sententia regis Ismailis, in flammas coniectum & exustum fuisse.

MOTVS SELIMIS ADVERSVS PATREM BAIASITEM. Precopij Tatari. Chan Precopiorum Poloniæ regnum ambit. Beligrad ad amnem Nesterem. Seguan bassa.

190. Deiecturus imperio patrem Selimes, non Trapezunte per Asiam minorem profectus fuit, quod futurum videret, vt a fratribus, Achmete Corcuteque, hoc in itinere impediretur: sed Cofen, quæ nostris est Capha, ceu dictum capite 148, trans mare nigrum nauigauit: quo loco tunc Mechemetis Tatarorum Chanis filiam non duxit vxorem, vti Geufræus scripsit, quum ex ea filium Soleimanem, hoc ipso tempore 19 plus minus annos natum, haberet: sed auxiliares a socero copias impetrauit, quibus Mechemet Tatar Chan, pater filium pręfecit, Chanoglim ab historicis adpellatum, hoc est, Chanis siue regis Tatari filium. Hi vero Tatari peculiari adpellatione Precopij nominantur, a voce Precop, significante fossam. Quippe ductis in Isthmo a mari ad mare fossis, a continenti Tauricam Chersonesum velut abscindere conati sunt. Qui nunc Precopiis imperat Chan, nuper ad Comitia Polonicorum ordinum, creando rege post obitum Stephani regis indicta, suos & ipse legatos misit, qui regnum suo nomine ambirent. His in mandatis dederat, primum vti potentiam suam Polonis ostenderent, qui myriades aliquot equitum suis e terris posset ad Poloniæ defensionem educere. Deinde proponi iussit, frugalem habituros regem, qui spretis aliis sumtuosis epulis, ad sedandam famem dumtaxat equinam æqui bonique faciat. Quod denique religionem adtineret: Pontifex (inquit) tuus, Pontifex meus: Lutherus tuus, Lutherus meus esto. Quæ legatio magno cum risu fuit excępta. Sed ad Selimem vt redeamus, is Capha discedens, Chilim adiit, de qua dictum capite 159: hinc Beligradum venit. Hæc vero non est Vngarica Nandor Alba, vel Beligradum, quæ necdum hoc tempore Turcorum in potestatem venerat, ab Soleimane primum, Selimis filio, nouem decemue post annis occupata: sed illa Nesteralba, quam Nesteris ad amnis ostium sitam Goreccius Polonice Bialogrod indigetat, vti prolixius expositum indicato capite 159. Seguan bassa Turcis est præfectus iumentorum sagmatariorum in exercitu maximus, quorum aliquoties facta iam mentio.

CVR SEMENDRIAE SANGIACATVM SELIMI filio Baiasites obtulerit.

191. Causa, cur pater Semendriæ sangiacatum concesserit filio, non est in annalibus expressa. Nimirum impedire Selimem volebat, ne progrederetur vlterius, & ad Portam veniens, Genizarorum animos fluctuantes & alienos a patre, mox ad se transferret. Vsus enim fuerat astute captato prætextu filius ad palliandum hoc iter suum, quod hinc inde publicarat, adire se patrem, eius honorandi causa, quod Turci quoque vocant osculari manum: indeque mox arma conuersurum in Christianos, præsertim Vngaros. Id vero plausibile futurum erat apud Genizaros, & alios Portæ milites, qui mox Selimi, ceu propagandi regni cupido, se totos haud dubie daturi erant. Itaque Semendriam ei pater offert, Vngaris proximam, quasi si diceret: Non est, quod ad Portam progrediare. Contra Christianos pugnare

pugnare vis? Do tibi vicinam Vngaris Semendriam. Heic Rhodus, heic salta. Dictum vero superius de Semendria, cap. 99. Perrexit inde Zagoram Selimes, quam cap. 33 diximus sexagesimo ab Hadrianopoli distare milliario Græco. Heic eum Malcozoglis, & alij quidam adierunt, excitati rumore per ipsum sparso, de bello Christianis inferendo, suamque Selimi operam obtulerunt. Is vero secretas vt animi sui cogitationes nonnihil eis aperiret, grata sibi respondit ipsorum esse studia. Siquidem ad imperium peruenisset, non modo fines Osmanici regni prolataturum: verum ipsos etiam vniuersos maximis beaturum dignitatibus & opibus. Hac vafricie sibi animos eorum conciliabat, qui ceteroqui more hominum mallent orientem adorare solem, quam occidentem.

CVR BAIASITES CONSTANTINOpolim properarit.

Putat ea de causa Spanduginus Baiasitē, intellecto Selimis aduentu, Hadrianopoli relicta, Constantinopolim properasse: ne filius præceptis regiis thesauris, quos capite 139 Constantinopoli custodiri diximus in arce Iedicula vel Heptapyrgio, neruis scilicet belli gerendarumque rerum potitus, regno patrem exueret. Ad hanc causam accedit & illa, quod amissa imperij sede, de suis rebus actum Baiasites esse videbat. 192.

LOCVS VBI PROELIO CONGRESSVS EST CVM patre Selimes. Zorli. Saranta Ecclisies. Kirc Clisse. Carabulyc, Selimis equus.

Narrant annales & alij, non procul a Zorlo concurrisse patris, qui podagra laborās curru vehebatur, & filij copias. Zorli vero Turcis est opidum vetus Tzurolloë vel Tzurulus, de quo dictum cap. 26. Iouius ait, ab hac memorabili pugna pagum hunc, prius obscurum & ignobilem, (id supra dicto capite refutauimus) nomen aliquod, & splendorem fuisse consequutum. Spanduginus addit, eumdem locum pertinere versus Quadraginta ecclesias. Id etiam opidum est Thraciæ, nunc Græcis Saranta ecclisies adpellatum, (prisci τεσσαράκοντα ἐκκλησίαις dixissent) Kirc Clisse Turcis, eodem significato: vbi sangiaci Kircclissiensis hodie sedes est, Rumeliæ siue Græciæ beglerbego subditi. Selimes denique prœlio victus, equi beneficio saluus euasit: cuius si nomen etiam scire refert, vt illius Alexandrei Bucephali, notandum e Busbequio, dictum fuisse Carabulyc, voce nubem nigram significante. 193.

SELIMES VICTVS COFEN AVFVGIT. MIDge pagus. Nischanzi bassa.

Pagi Migdæ nomen annales soli referunt, ceteris ad Nigrum mare Selimem 194. profugisse narrantibus. Migdæ vero situs ex eo colligitur, pagi ceteroquin ignoti, & nusquam proditi, quod Spanduginus ait, Selimem per Thraciam fugiēdo Varnam versus, Euxinum petiisse. Quapropter Midge non procul aberit a Varna, de qua superius dictum, capite 113. Quod paullo post sequitur Cadilescheri nomen, declaratum supra, cap. 29. Nischanzibassa dicitur apud Turcos is, qui literas omnes, & instrumenta quotquot apud Portam expediuntur, obsignat: adeoque gerit officium, supremi Cancellarij nostris in aulis officio simile.

ACHMETIS AMBIENTIS ET INVADENTIS imperium durities erga Genizaros, crudelitas in legatos. Corcutes fratrum competitor.

Ostendimus in Osmanidarum genealogia, Sinanem Scachum, & Allamam 195. Scachum, primogenitos Baiasitis filios, ante patrem exstinctos fuisse: quorum vnius, maioris scilicet natu, Sinanis obitum peracerbe pater ac diu luxit. Tertius e filiis erat Achmetes, Amasiæ præfectus; qui accepta motus Selimiani fama cum XXCIↃ armatorum per Asiam minorem Scutarium, e regione Constātinopoli situm, contendit: & audita Genizarorum legatione, qui se accepturos ipsius imperium nuntiabant. si maiores annonas polliceri vellet: durius respōdit, nolle se, iam

designatum a patre successorem, ab ipsis imperium pretio redimere, quibus vel inuitis eo sit potiturus. His verbis animos Genizarorum ab se prorsus alienauit, & imprudens æmulo Selimi adiunxit. Quod vbi pater animaduerteret, iisdem Achmeti reconciliandis CIↃ Sultaninorum, filij nomine, promisit. Hæc scilicet illa pecunia fuit, quam annales Achmetem patri misisse referunt. Hinc Asiam vi subacturus Achmetes, mortui fratris sui primogeniti Sinanis filios, Muchemetem & Aladinem, Larendæ, Caramaniæ opido, de quo capite 167 dictum, obsedit & cepit. Eius rei causa quum grauiter a patre per legatos obiurgaretur, legationis principem capite truncari iussit, ceteris nares & aures præcidit. Id facinus omnium odia mirifice in Achmetem accendit. Ac videamus obsecro, quæ rerum id temporis confusio fuerit in Osmanico imperio. Quintus ordine nascendi filius Baiasitis, raro in Osmanidarum familia exemplo Selimis ex vtroque parente frater, Corcutes erat. Quartus enim Muchemetes, ante hoc tempus a suspicaci patre, quum incognitus & patrem, & fratres suos adiisset, metu motus alicuius secreti veneno sublatus e medio fuerat. Is Corcutes, moriente auo Muchemete secundo, ab amicis paternis, absente patre, collocatus in regium fuerat solium: ne frater Baiasitis Zemes, prior inauguratus, Baiasiti regnum præriperet. Aduenienti deinde Constantinopolim patri, & abdicato filio, imperium in se trãsferenti, cesserat tenero quodam amore pietateque motus Corcutes: quum hoc nomine vicissim pater illi promisisset, se rationem ipsius, in constituendo successore, supra filios ceteros habiturum. Eidem Castamonam post obtinenti, de qua dictum capite 66, a morte fratris Muchemetis prouinciam Magnesiam adtribuerat, non exigua Lyciæ Cariæque parte adauctam. Hic ergo Corcutes, ceteroqui studiis Mahumetanorum philosophicis, & quieti deditus, seditiones fraternas conspicatus, & ipse stimulos ambitionis, alienos a professione philosophi, sensit: quod iure sibi putaret imperium deberi, cui fuisset ante patrem inauguratus. Quid autem effecerit, ab ipsis expositum legitur annalibus.

ZECME MINOR. RHEGIVM SIVE ῥήγιον, MAIVS ET minus. Melantias & Melitias. Athyras fluuius. Glyckynero. Votum Soleimanis. Athyrorum episcopatus.

196. Nomen Zecme significationem in lingua Turcica nullam habet. Quapropter a Græcis ad Turcos velut vsucapione quadam peruenisse arbitror, a Zeugma vel Zeugmin deriuatum: id est, a iuncturis pontium, quibus elegantes duo Propontidis sinus illic sternuntur, in quorum alterum ad Zecmen minorem se fluuius Athyras effundit. Est enim Zecme minor, vel comepolichnion, vel opidulum illud, multis cinctum mœnibus; cui nunc Ponto piccolo nomen est Italicum, a minori ponte. Facta fuit eius mentio supra, capite 26. Minor autem Zecme, sicut & pons minor, ad discrimen maioris dicitur, longius ab vrbe versus Siliuriam distantis. Theodosius Zygomalas putabat antiquis temporibus dictum fuisse ῥήγιον, siue Rhegium, maius & minus: & vtrumque Constantini Magni opus fuisse. Quod si verum est, vt equidem non dubito, intelligetur Rhegij nomine Parui Pontis opidulum, siue Zecmæ minoris, in historia Græca manuscripta, titulo carente, cuius obiter meminimus capite 10: quum narrat, imperante Iustiniano primo, graui terræ motu non vrbem modo deformatam, sed ipsa quoque suburbia cum Rhegio subuersa & abolita fuisse. Non enim alia suburbia Constantinopolis habuit, aut habere potuit: quam quæ versus duplex hoc Rhegium, pontem minorem & maiorem pertinuerunt, vt hodieque testantur ædificiorum suburbanorum maximæ vel ruinæ, vel rudera. Græcus etiam scriptor historiæ Agathias noster, lib. 5 mentionem Rhegij facit, in descriptione terræ motus eiusdem, vbi Rhegium addit ἐπίνειον vrbis esse, id est opidum suburbanum, quod stationem pro nauibus habet. Apud Cosmographorum principem Ortelium ex Procopio Suidaque reperitur Melantias & Melitias, pagi nomen in Thracia, 102 stadiis a Byzãtio dissiti, quem Athyras amnis alluat. Prorsus hoc de Zecme vel Ponte minori accipiendum, a Constantinopoli 15 milliaribus Græcis disiuncto; quæ a 102

stadiis

stadiis nihil, aut parum absunt. Athyræ fluuij nomen heic in Aqua dolce nunc Italis est mutatum, Græcis in Glyky neró. Pontes ambos, tam maiorem, quam minorem, milliaribus 10 ab se inuicē dissitos, Sultanus Soleimanes, auus huius Muratis III, maximo sumtu refecit: cuius quidem memorabile votum fuit, quo tria sibi concedi diuinitus optabat, vt ante mortem perficeret. Primum instaurationem aquæductus maximi, quem ab auctore Valentem, aut Valētianum, non Valentinianum, vt vulgo corruptis in libris legitur, historici dixerunt: deinde horum pontium in vtroque sinu maris, sane quam lato, refectionem: vrbis denique Viennensis Austriacæ occupationem, quam maximis duabus expeditionibus ab se frustra tentatam, summa cum indignatione recordari solebat. Prioris vtriusque voti factus est compos, regio prorsus opere per XX plus minus milliaria deductis in vrbem ex ipso Danubio copiosis aquis, & ambobus exstructis pontibus: tertio Numen Christianis propitium, ne tyrannus in intima Germaniæ viscera penetraret, fauere noluit. Athyrorum quoque meminit episcopi Leo Sapiens imperator in nouella de thronis, eumque subiicit Heracliensi metropolitano in Thracia. Quæ quidem Athyra diuersa non sunt ab hisce duobus opidis, quæ diximus. Et Zygomalas ἄθυρα dicta, velut ἄπυλα, volebat ex eo; quod vti nunc, ita superioribus etiam sæculis, opida fuerint nullis portis clausa, nec mœnibus cincta. Vulgo denique Græcorum illud, πόντος μέγας: hoc, πόντος μικρὸς, adpellatur: vt paullo peritioribus γέφυρα μεγάλη, & γέφυρα μικρά.

PRATVM GENIBAXEVM. GENIZARORVM DOMICILIVM. Excubita. Excubitoria. Loca certa pascendis felibus, ex Turcorum instituto. Cusluc & Ikindi, stata pascendis iisdem horæ.

Diuertisse traditur Selimes, haud dubie magno cum comitatu, in locum vrbis, ab annalibus Genibaxe vel Genibacze nominatum, id est in hortum nouum; 197.
cuius in prato, multorum tentoriorum capaci, Turcico more commorari sub dio poterat. Idem nomen & Spanduginus memoriæ prodidit. Selimem referens hospitium cepisse in loco, cui nomen sit Ianibacza, non procul a Genizarorum domicilio. Dictum paullo ante, Corcutem quoque Constantinopolim ingressum, haud procul a domicilio Genizarorum delegisse sibi locum hospitii: quod sane quo factū consilio fuerit, nemo nō animaduertit. Hoc Genizarorum domicilium messitæ proximum est, quam memoriæ carissimi sibi filij Muchemetis Soleimanes secundus exstruxit. Is natus ex Rossa coniuge, ceu dictum in annalium supplemento, Selimis II frater natu maior, haud dubie patri successurus erat, si superstes ei fuisset. Nec item procul abest a messita Turcorum prima Constantinopoli, quam in locum ædis sanctorum Apostolorum Muchemetes II, vrbe capta condidit. Ipsum hoc ædificium pro Genizaris exstructum arbitror ad imitationem veteris tam in vrbe prisca, quam noua, Prætorianarum cohortium excubitorij, quod historici Græci recentiores Excubitum & Excubita dixerunt. Erant enim vt in vrbe veteri, sic etiam in noua Constantiniana, Cohortium Prætorianarum, quibus Genizari successerunt, itemque Cohortium vrbanarum, & Vigilum excubitoria. Nec locum equidem excubitorij Prætorianorum veteris mutatum arbitror, ob commoditatem situs; quem norunt, qui Constantinopolim viderunt. Sunt ibidem horti longe amplissimi, circumdati muris, in quos insilire feles solent, quoties alimenta statis horis a prætereuntibus Turcis exspectant. Quippe sibi persuadent homines superstitiosi ac barbari, se nescio quid apud Deum promereri gratiæ, si brutas etiam in animantes, feles, canes, pisces, auiculas, eleemosynam conferant. Itaque volucres eis necare captas ad victum religio est, easque pretio potius suo redemtas libertati naturali restituunt: piscibus deuoranda frustula panis obiiciunt: canes & feles in plateis publicis, ad certa loca cottidie, statis horis gregatim conuenientes, pane, carnibus, cibis ceteris pascunt. Et obseruari a felibus in his ipsis muris hortorum, de quibus loquimur, horas statas tam Cusluci, quod medium est inter exortum solis & meridiem temporis interuallum, quam Ikindi, quod meridiem ab occasu solis æquo spatio diuidit,

equidem frequenter illac ad patriarchium, visitandi Zygomalæ nostri caussa transiens, animaduerti: coramque vidi mulierculas humilioris staturæ, carnes assas, ex opsopoliis proximis emtas, & perticis oblongis adfixas, felibus hosce muros insidẽtibus porrigere, quum nescio quid precularum admurmurarent. In hos igitur hortos, Excubitorio Genizarorum proximos, Sultanus Selimes diuertit.

DE MVSTAPHA BASSA, BAIASITIS VEZIRAZEME Ducaginogli Bostangi bassa, Aigas Aga.

198. Erat hic Mustaphas natus in vrbe Serrensi, propter Amphipolim sita, de quibus ambabus dictum capite 43 & 53. Patrem habuit sacerdotem Christiani ritus Græcum. Et Græcos sacerdotes in coniugio viuere nemo non nouit. Fuit hic Mustaphas vir astutus, malitiosus, vindictæ tenax. Statim post mortem Baiasitis a Sultano Selime fuit interfectus, vti non multo post in annalibus sequitur. Iouius Selimem non huius dumtaxat vsum opera scribit in opprimendo patre, sed etiam Ducaginoglis Bostangis bassæ, siue Hortulanorum præfecti, cui secreto Selimes pro perfidiæ præmio filiam nubilem promisit & dedit; & Aiacis Genizarorum Agæ, quod Turci nomen non Aiax, sed Aigas enuntiant. De Ducaginogli paullo post dicetur, capite 206.

CVR DIMOTVCVM SECEDERE BAIASITES, IMPERIO DIMISSO voluerit. Inaugurandi Sultani cærimonia. Imperatorum insignia vel symbola. Coronandi alterius imperatoris ritus apud Græcos, priori superstite. Παρακοιμώμενοι. *Scaramangium. Tzohadari.* ἄμβων, Δικητήσιον. *Tzankia.*

199. Dimotucum a Turcis vocari ciuitatem, quæ Græcis Didymotichon dicatur, indicatum supra, capite 28, nonnullis ibidem adiectis ad hanc quæ pertinent. Voluit autem eò se conferre Baiasites, abdicato imperio, quod eius esset patria. Quippe natus illic fuerat. Et nemo non occulto quodam instinctu naturæ delectatur iis præcipue locis, in quibus existendi principium habuit. Ea quoque de caussa Baiasites, quum ante triennium, videlicet anno Christiano 1509, terræmotus horribilis, de quo paullo ante legimus, in his annalibus, Constantinopolim & Didymotichum pæne totas diruisset: non Constantinopolim modo refecit, verumetiam decem sarchorum, id est mercenariorum & opificum millia, Didymotichum misit: qui patriæ suæ mœnia collapsa, cum ædificiis instaurarent, vti Spanduginus memoriç prodidit. Quo autem ritu Sultani Osmanidę mortuis patribus, imperium auspicari soleant: expositum in supplemento annalium nostro, ad annum Christianum 1566. Heic quibus cærimoniis superstes pater filium sibi substituerit, indicatur: Quippe filio tradi cistas iussit, quibus imperatorij thesauri cõtinebantur. Eorum vero nomine non illi veniunt, quos adseruari diximus in Iedicula: sed quæ Græci vocabant imperatoria, vel κειμήλια, vel ἐπίσημα, vel σύμβολα. Sic Græciæ Prætor ait, venisse capta Constantinopoli Græcorum in manus imperatoria Balduini II symbola, quæ quidem hæc fuerint: Calyptra, formę Latinis vsitatæ, (Latinos Græci vocabant populos ad imperium Romæ veteris pertinentes, quum sibi Romanorum adpellationẽ adrogarent) & vnionibus distincta cum lapillo rubri coloris in vertice capitis: calceamenta, cocco tincta: gladius vagina de coccinei coloris serico facta, vestitus. Inde patrem Selimes adiit, eique manum, vt annalium liber; pedes, vt Iouius narrat, osculatus est. Idem addit, hoc ab eo factum maxima, sed simulata cum summissione; quum temeritatis obiter suæ veniam posceret. Mox ei pater adsurgens gladio latus cinxit, vt Iouius memorat: vt annales, solio sedere suo iussit. Calyptram ei nullam imposuit, quod ea Turcorum Sultanis in vsu non sit, tulipanto dumtaxat caput inuoluentibus: vti ne Sultanæ quidem ipsorum calyptra coronaue regibus nostris vsitata, caput ornant: sed vera tænia, siue fascia, siue diademate, variis & exquisiti pretij gemmis distincto, quod ad sinciput colligatur. Eiusmodi diadema conficiebat Germanus aurifaber in opido Galata, Ioannes Saxo, natus apud Holsatos, huic Sultanæ, Muratis III

coniugi,

coniugi, quum filius Muchemetes circumcidendus esset. Addere libet hoc loco ritum coronādi apud Græcos imperatoris, priori adhuc superstite, quem de Græco historiæ libro manu exarato Symeonis Magistri Officiorum exscribemus. Loquitur autem Symeon de Michaële, Theophili F. Augusto, quem temulētum siue μέθυσον vocant historiæ, post Bardæ Cæsaris auunculi cædē, Basilium Macedonē ad imperij societatē cooptante. Verba sunt huiusmodi. Quum imperator, ait, in processione prodiret, sequebatur à tergo Basilius, gestās imperatoris scaramangium, quod pro more παρακοιμώμενοι faciūt. Ad augustales autem fores vbi peruenisset imperator, coronam pro imperatorum consuetudine non deposuit: sed intra ianuas sacras cum ea Michael ingressus est. Et corpore cōuerso, tres gradus ambonis coronatus adscendit, stante inferius Basilio Parakimomeno. Infra Basiliū stabat Leo Castor, qui a secretis erat, sententiā scriptam (tomum Græci vocāt) manu tenens, & Michaël Anurius Præpositus, & tribuni plebis, vna cum tribulibus. Cœpit ergo secretarius hæc ex imperatoris decreto verba legere: Bardas Cæsar aduersum me cōspirauit, vt vitam mihi adimeret: eaq; de causa extra vrbem me abduxit. Quod nisi Symbatius ac Basilius indicium eius rei mihi fecissent; equidem non amplius in numero viuorum existerem. Ac periit ille sua sane culpa. Basilium vero Parakimomenon, ceu fidum mihi, meique seruatorem imperij, quique me liberauit ab hoste, ac singulari adfectu complectitur, esse volo custodem & curatorem imperij mei; faustisque, velut imperatorem, adclamationibus salutari. Tum vero Basilius oppleri lacrumis. Et imperator demtam e capite suo coronam Photio patriarchæ porrexit: qui ea sacram ad mensam deportata, preces super illam concepit. Inde paludamentum adtulere præpositi, & calceamentis Basilium induerunt. Is abiecta chlamyde, ad imperatoris pedes procidit. Mox autem egressus Patriarcha, demtam prius e capite imperatoris coronam, ipsimet imperatori reddidit. Quumque sceptra, de more, humi procidissent: coronauit Basilium Michael, omnibus fausta voce adclamātibus: MICHAELI ET BASILIO AVGVSTIS, MVLTI ANNI. Hæc non abs re putauimus exponenda, quo studiosis antiquorum rituum rem gratam faceremus. Adiiciamus & difficilium intellectu quorumdam explicationem. Scaramangiū, quid sit, indicatum cap. 172. παρακοιμώμενοι sunt intimi cubicularij, qui augustalibus in cubiculis & ipsi propter imperatores dormiebant, vti Symeon hic noster haud multo post declarat in descriptione cædis Michaelis Augusti. Tale nunc officium est apud Turcorum Sultanum eius cubicularij, qui Chiohadar aut Tzohadar adpellatur. Is enim & intra Sultani cubiculum noctu excubias agit, & pluuiam Sultani vestem gestat, vt Parakimomenos, quæ scaramangiū heic vocatur. Ac norunt omnes, qui Portam viderunt Osmanicam, non Sultanum modo comitari cubicularium, qui sereno quoque cælo scaramangium eius gestat: sed omnes etiā cottidie bassas ac begos, quotiescumque per vrbē ad Portam equitant, habere pedisequum vnū, qui vestem huiusmodi portat, ceteris superiniiciendam vestimentis, si aere mutato forte pluat. Ambonis nomen in templis Græcorum ab adscendendo factum est, quod gradus complures habeat. Et extra secretum a reliquo templo sacrarium vel θυσιαστήριον est, quo mensa sacra continetur, sacerdoti dumtaxat adeunda. Quod paludamentum dixi, Symeoni δικιτίσιον adpellatur. Scio paludamentum esse vestem imperatorum castrensem, quæ exprimendo Dikitisio non satisfaciat: sed quum aliud inuenire nomen non possem, hoc vti libuit. Δικιτίσιον vero sic mihi sunt interpretati Græci, vt eo significari dicerent ἐπιμάνδυον, siue supramantellum, (adhibeamus enim voces barbaras, vt intelligamur) quale superiniici Patriarchis in solium pontificale collocandis solet: vt intelligatur, hoc indutos, iam factos esse Pontifices. Casiolam memoriæ prodidit Isidorus, quæ huc puto quadrat. Tali vestimēti genere nostros etiam imperatores indui, quum inaugurantur, ipsimet vidimus. Estque notabilis apud Zozimum nostrum locus, vbi tradit hoc propterea factum apud Romanos, vt intelligeretur, imperatores etiam esse Pontifices Maximos: quemadmodum in nummismatis quoque se nominabant. Calceos siue calceamenta, Tzankia dixit Symeon: quibus imperatores vti coccinei coloris solebant. Præpositi sim-

pliciter heic vocantur, quos apud antiquiores sacrorum vel augustalium cubiculorũ præpositos dici videmus in Iustinianei codicis, & historiarum libris. Sceptra sunt baculi, magistratus symbola. Nec intelligũtur heic ipsius imperatoris sceptra, sed officialium: quæ apud Græcos deponi solita, quum nouus imperator inaugurraretur, superius cap. 173 monuimus: idemque mos apud Turcos hodie retinetur, quorum Genizari, & alij officiales, quum nouus Sultanus Portæ saraium ingrediens, regnum suum auspicatur; baculos suos deponunt ex causa, quam indicato capite declarauimus.

PORTAE XXIIII VRBIS CONSTANTINOPOLITANAE, CVM multis memorabilibus, & ad historias intelligendas necessariis.

200. Quia non tantum heic Hadrianopolitanæ portæ, sed aliarum quoque deinceps, in vita Soleimanis II, fit mentio: placet vno loco simul enumerare portas vrbis omnes, ac singulas velut ob oculos ordine collocare: quod operæpretium nos his exponendis facturos existimemus, qui sæpenumero legendis historiis, ob harum tam adpellationum, quam situs ignorationem, mirifice nos torqueri meminimus. Nec ipsum Gyllium recensendis his omnibus, & recte adpellandis, vel ex semisse lectori fecisse satis; fatebuntur ij, qui nostra cum Gyllianis conferre voluerint. Incipiemus autem ab angulo vrbis orientali, in quo situm esse Genisaraium, siue palatium, arcemue Sultaninam, superius 139 cap. ostendimus: & in litore sinus Ceratini, Constantinopolim a Galata intersecantis, de quo dictum cap. 127, propter vrbis orientale partim, partim septemtrionale latus progrediendo, pergemus ad angulũ Pentapyrgij, qui recta versus aquilonẽ spectat, & a quo muri portęque terrestres incipientes, ad angulum se tertiũ porrigunt, arcis Heptapyrgij vel Iediculæ structuras cõplexum: vnde versus angulum primum in litore Propontidis reflectendo, totam scilicet vrbem circumibimus, portisque suis includemus.

Porta I. Est igitur prima secundum radices promontorij arcis Sultaninæ porta, quæ Græcis, quotquot videri peritiores volunt, Porta Horæa, (ὡραῖα) vulgo Heuræa dicitur. Illud a pulchritudine factum nomen est, hoc a vicis & ędificiis Hebręorum, huic portæ proximis. Neutrum tamen verum eius est nomen, quum Porta Neorij sit adpellanda: quod istic νεώριον siue nauale quondã fuerit, vti Gyllius etiam probat. Leonardus Chiensis Imperialem portam vocat in obsidionis vltimę historia, velut arci Augustali proximam. Iuxta portam hanc est scala Sycena, traiectusque Sycenus, vel Galatæ perama, sicut Græci vocant. In toto sinu multa nauicularum millia reperiuntur, & plura quidem opinione quorumdam, quam Gundularum Venetiis: quibus ingens hominum multitudo singulis momentis trãs sinum Ceratinum, & trans Bosporum ab vrbe vehitur, ac in vrbem reuehitur. Ipsæ nauiculæ tam Turcis, quam Græcis & aliis, ab vsu, quem in transiiciendo præstant, Peramæ vulgo nominantur.

II. Secunda Turcis Balucbazar vocatur, a foro piscario. Græci, licet altera dictione vulgo nunc vtantur, & Pazarion siue Pazari forum adpellent, voce Damasceno Studitæ familiari: tamen nomine magis originẽ Gręcam sapiente, ψαροπωλεῖα quoque nuncupant, a distractione piscium. Quippe ψάρια pisces adpellant.

III. Tertia Gemiscle vulgo, Gyllio Gemicapi nominatur, non recte tamen. Nam Gemisi Schele, quasi scala fructuum, dici debebat. Et scalam diximus adpellari locum, vbi de nauigiis exscenditur. Adpellunt autem heic naues onustæ omnis generis fructibus, prout anni tempora ferunt: vuis scilicet, pomis, piris, ficis, oriza, ceteris. Gyllij Gemicapi mutatum in Gemisi Capi, significat portam fructuum. Græci quoque Carauiorum portam vocant, quibus καράβια sunt naues, vocabulo Basilicorum etiam epitomæ nostræ vsitato, præsertim ad legem Rhodiam de iactu.

IV. Quarta Turcis est vel Ontun capisi, vel Ontum schele: quorum illud denotat lignorum portam, hoc lignorum scalam. Græci vel ξύλων πόρτα disiuncte, vel ξυλόπορτα composite vocant. Dicta vero fuit hæc lignorum siue porta, siue scala, non quod ipsa sit lignea, quã reliquis similem per omnia vidimus, id est, lapideam: sed quod

quod huc nauigia lignis onusta soleant adpellere. Quo nobis ineptior videri debet interpres Laonici Gallicus, qui non modo portam, sed etiam palatiū ligneum in illa quondam marmorea Constantinopoli fingere fuit ausus. Quodnam vero palatium illud Xyloportæ fuerit, de quo Laonicus loquitur: in vndecima porta declarabimus.

Quinta Turcis dicitur Vnkabani, quod Græci scribunt Vnkampani, eadem V.
tamen cum Turcis pronuntiatione. Ἀλευροπωλεῖον quoque Græcis sua lingua vocatur, quod ibi farinæ vendantur. Gyllio scribitur Vmcapi.

Sexta nominatur a Turcis Tzubali Capisi, quod Græcis scribitur Tzumpali VI.
capisi, nec tamen aliter, quam a Turcis enuntiatur; ob difficilem ipsis prolationem litteræ B, de qua dictum capite 91. Gyllio adpellatur Iubalica, pro Iubali Capi, enuntiatione Gallica; quæ Italicæ Chiubali vel Ziubali respondet, modo tribus syllabis efferatur. Ipsa vox significat portam vitriariam. Quippe vidimus istic officinas, in quibus vitra conficiuntur. Fuit in vrbe Roma veteri vicus vitriarius, vbi scilicet tabernæ vitriariorum erant: vt ex vrbis antiqua descriptione paret. Talis vicus adhuc Constantinopoli quoque superest, cuius infra mentio fit in illo magno sub Soleimane incendio, quod accidit anno Christiano 1540. Sed vero est simile, vitriarias officinas Constantinopoli fuisse constitutas ob incēdiorum metum extra vrbem, & hoc præcipue loco; qui ad sinum Ceratinum positus, abundat aquis ad exstinguenda, si quæ forte orirentur, incendia.

Septima vocatur Hagia capisi, quod hybride voce Turcogræca significat VII.
portam sanctam. Ego tamen in ea sum opinione, vt existimem rectius adpellari ἁγίας καπισί, hoc est, portam sanctæ, videlicet Theodosiæ: cuius templum e regione trans sinum, vidi, vetus & elegantis structuræ, nunc commutatum in messitam, quæ Casanis bassæ dicitur, vt supra expositum capite 128. Per hanc enim portam ingrediuntur vrbem, qui a S. Theodosia veniunt, vbi frequentia cum vicis ædificia sunt.

Octaua dicitur Phanarij porta, vel simpliciter Phanarion: cuius vocis no- IIX.
tionem supra, 128 capite, sub finem, ostendimus.

Nona Diplophanarion adpellatur, & vti geminas (a quibus nomen accepit) IX.
turres, sic etiam portas duas habet.

Decima vulgo Græcis Porta κυνηγοῦ siue Kynigi, sed rectius porta κυνηγίου vo- X.
catur. Et κυνήγιον in Basilicis suis Græci verterunt eum locum vrbis, qui Romanis temporibus Arena dicebatur: vbi videlicet vel homines cum feris, vel inter se feræ committebantur. Kynigion ad Vlachernas refertur, locus scilicet depressus & concauus, vbi Patriarchion erat meæ peregrinationis tempore, quod hoc anno 1587 pecunia redemit a Græcis Sultanus Murates III, vt istic messitam, sui nominis monumentum, condat. Id hactenus sæpe tentatum, impediuit Turcorum Muphtis; qui debere Muratem diceret prius ex ereptis Scacho terrarum terris annuos messitæ struendæ reditus constituere. Græcis ruinosum Constantini palatium vicissim concessit ædificandum in vsum tam patriarchij, quam patriarchalis ecclesiæ, de quo mox aliquid indicabimus.

Vndecima nominatur veteribus Xylokerkos, causa paullo post exponenda, XI.
nunc autem Hagiobazari porta, per quam scilicet ingrediuntur vrbem Hagiobazariotæ, trans sinum habitantes, e regione huius portæ. Nomen Hagiobazari significat vel sancti, vel sanctum emporiū. Et emporij voce Symeon quoque Magister cum aliis Græcis vtitur pro nullis clauso portis, aut nullis cincto muris opidulo. Sancti potius existimem dicendum emporium, vt intelligatur emporium, sancti Mamantis, quod olim monasterium insigne, palatium augustale celeberrimum in historiis, pontem denique non minus nobilem, S. Mamantis adpellatum habuit. Heic enim effundunt sese in extremum Ceratinum sinum celebres illi priscis fluuioli Cydarus & Barbyses, nunc Machleua & Chartaricon, vt indicatum supra, capite 139, qui quidem ad S. Mamantem ponte iunguntur. Hagiobazariotarum vox denotat incolas emporij S. Mamantis. Ceterum ad hanc portam Hagiobazari secundus est vrbis angulus versus terram continentem, vbi sci-

licet incipiunt portæ murique terrestres; sic dicti, quod nec a sinu Ceratino, nec a Propontide alluantur, sed versus Thraciam porrecti sint. Veteres heic alteram posuerunt vrbis Acropolim, velut in eius extremitate sitam secunda, respectu primæ, quæ Byzantis arcem continet, vt ostensum cap. 139. Et habebat hic angulus olim arcem, dictam Pentepyrgion, a quinque turribus, vel Magnauram, vel τῆς ξυλοκέρκου, & palatium Xylinæ portæ apud Chalcocondylem, cuius interpretes vitiose scripserunt Xyllæ palatium, & peius interpretati sunt ligneum. Hæc autem nomina frequenter in historiis Græcorum, Zonaræ, Cedrini, aliorum, occurrunt. Explicatio prolixior alterius loci fuerit. Apud Leonardum archiepiscopum Chiensem leguntur in epistola, de capta Constantinopoli, turres Aueniades: de quibus interrogatus a me Zygomalas, quænam scilicet essent: respondebat, dicendas esse non Aueniadas, sed turres Anemanis, cuius est in historiis Græcorum mentio: planeque volebat, has illas esse quinque turres, in altera vrbis acropoli, quas diximus Pentepyrgij nomen habere. Id autem verum esse, vel ex hoc intelligitur, quod Chiensis turribus adiungit Xyloportam, quæ a Xyloporta priori diuersa, veteribus ξυλόκερκος dicta fuit propterea, quod artifices eam struentes, magna in fundamento aquæ reperta copia, tignis plurimis ac palis in aqua defixis lapides iniecerint, atque ita demum ædificij fundamentum firmum effecerint, vt est in libro de ædificiis vrbis. Nec abs re quis dixerit, videri palatium Xyloportæ potius scribendum Xylokerki palatium: scriptorem librario vocem obscuriorem hanc, cum notiori Xyloportæ commutante.

XII. Duodecima Turcis est Egri capi, quæ vox obliquam portam significat. Et reapse sic exstructam vidimus, vt in eam nõ directo, sed ex obliquo pateat aditus. Leonardi Chiensis epistola, quam diximus, Caligaream vocat: Græci Caligariorum. Sic autem a Caligariis siue sutoribus est adpellata, qui calceamenta faciunt, a Turcis nominata Passumaggia. Inter hanc & proxime sequentem portam, situm est ad ipsos muros, alto loco, palatium vetus Blachernianum, quod Constantini iam vulgo vocant, vbi solebant elephanti hactenus ali. Hoc iam præterito anno Murates III Græcis loco patriarchij concessit, vt paullo ante diximus. Ceterum reperitur in Græcis historiis huius portæ Caligariorum nomen antiquius, Porta καρσία, siue obliqua: quod interpretati Turci videntur per Egri capi. Vrbis tamen ædificiorum liber Charsiæ portam voluit dictam, ab auctore vel conditore Charsia, qui vtentis colore Veneto factionis fuerit. Nam factiones olim quatuor erant in hippodromo decertantium equis, quos κέλητας Pindarus dixit, singulis bigis, trigis, quadrigis; ita distinctæ coloribus, vt βένετοι vel cærulei, λευκοὶ vel albi, πράσινοι seu virides, ῥούσιοι seu rubri, dicerentur.

XIII. Decimatertia est illa, cuius hoc annalium loco fit mentio, quæque nobis occasionem primam recensendi portas vrbis præbuit. Vocatur autem Hadrianopolitana, quod Hadrianopoli recta venientes, vrbem ingredi per eam soleant. In hac porta periit oppressus hominum turba Constantinus Dragases, vltimus Græcorum imperator.

XIV. Sequitur decimaquarta, recenti vocabulo Turcico dicta Top capisi, quo significatur porta bombardaria, siue tormẽtorum bellicorum. Græci ante captam a barbaris vrbem, nominabant S. Romani portam, sicut & Leonardus Chiensis, & Chalcocondyles testantur: cuius tamen interpres Gallicus ex S. Romani porta facere portam Romanam fuit ausus. A bombardis eam Turcos arbitror adpellasse, quod obsidionis tempore tormenta bellica præcipue fuerint huic opposita.

XV. Proxima secundum hanc est decimaquinta, Turcis Geni capi, Græcis νέα πόρτα, quod portam nouam significat.

XVI. Inde peruenitur ad decimamsextam, videlicet Silyuriæ vel Selybriæ portam, quæ a priscis χρυσῆ πόρτα, vel aurea porta nominabatur, & porta fontis. Nam extra portam hanc est hodieque fons, qui χρυσοπηγὴ vel aureus fons a Græcis antiquo nomine dicitur, celebris in eorum historiis, quæ sępenumero palatij πηγῆς siue fontis mentionem faciunt, & templi Deiparæ virginis ad πηγὴν siue fontem. Interpres Cedrini plerunq; Pegé, & in Pege reddidit. Ædificia nũç diruta sunt, fundamẽtis adhuc

adhuc exstantibus, & ipso fonte: quem hodieque Græcorum vulgus χρυσοπηγὴν adpellat, & inuisere magno concursu, certo anni tempore veluti si Deiparæ templum adhuc incolume staret, consueuit. Aurea porta nunc etiam reliqua conspicitur, sed obstructa, nec id quod audit, aurea: satis elegans tamen, expressos e marmore continens agones siue labores Herculis, artificio non vulgari.

Hoc iam loco peruentum est, ab angulo vrbis secundo, propter muros vrbis terrestres circumambulando, ad oppositum huic angulum vrbis tertium: qui, sicut secundus ille ad sinum Ceratinum extremum situs est, ita & ipse pertinet ad Propontidem: vt deinceps latus vrbis reliquum mari alluitur, vsque ad promontorium Byzantis, vel vrbis angulum primum. Ab hoc enim angulo primo latus vrbis vnum, videlicet aquilonale, a mari Ceratini sinus efficitur, vsque ad angulum secundum Pentepyrgianum: rursus ab altera parte mare Propontidis secundum latus vrbis, & meridionale quidem efficit, vsque ad tertium vrbis angulum Heptapyrgianum: occidentale vero tertium latus ab omnibus aquis immune, terrestri muro claudit vrbem, qui iuxta sinum Ceratinũ a Pentepyrgio incipiens, ad Heptapyrgium iuxta Propontidem definit.

Igitur Heptapyrgianum iam angulo nauigio circumuectis, prima propter XVII.
arcem in latere meridionali porta se nobis offert, ceteroqui numero decimaseptima, quam ab arce vicina portam ἑπτὰ γουλάδων, id est, septem turrium, voce mixtobarbara nominant. Obseruauimus in hac Græcam inscriptionem, quam dabimus alibi.

Secundum hanc proxima sequitur octaua decima porta, Turcico vocabulo XIIX.
Narli capi dicta: quo nimirum adpellunt ex insulis nauigia malis aureis, seu granatis, (ῥοΐδια nunc Græci vocant) onusta.

Decimanona vocatur Psomatiorũ porta. Liber exstat apud Græcos manu- XIX.
scriptus, de ædificiis vrbis, quẽ habemus. In eo nomẽ portæ Psamatij reperitur, & Palatiũ Psamatij, & γηροκομεῖον Psamatij, quo domus significatur exstructa curandis & alendis senibus. Originem vero nominis Psamatij legimus hanc in eodem libro, stetisse scilicet olim hoc in loco Psamatij, quoddã simulacrum, quod deastrorum cultor quispiam ceu deum coluerit. Christianos vero frequenter hominem ab eo colendo dehortantes, adpellasse simulacrum illud, quod ipse veneraretur, deum ψευματίνον, id est, falsum & ficticiũ, quique nomen illud mentiretur. Ab hoc igitur idolo dei ficticij volunt ipsi loco nomen inditũ, vt Psamatij diceretur, id est ficticij dei locus: vulgo Psama dicente, pro ψεῦμα, quod est mendacium. Propter hanc vero portam Psamatij quondam & palatium erat, & γηροκομεῖον, vt diximus: vtrumque Psamatij nomẽ ob viciniam habens, & ab Helena Augusta, matre Constantini magni, vrbis conditoris, exstructum. Christianorum vulgus hanc portam nunc etiam San Matthia vocat, nomine corrupto ex Psamatia.

Vigesima Græcis Contoscalij porta dicitur. In libro de vrbis ædificiis locus XX.
hic Contoscalinon adpellatur, & causa nominis adiicitur. Etenim ipsa porta velut intra sinum quemdam abscedit versus vrbem, & ab altera parte proximum sibi portum habet pro triremibus, in mare se porrigentem, & muro circumdatum. Is portus olim quum pararetur, præfectum fuisse tradunt operis, velut ἐργοδιώκτην, Agallianum Turmarchum, (id Turmæ ducem significat, hoc est legionis, sex hominum millia complectentis, vt est apud Leonem Augustum in libro de bellicis adparatibus) qui cognomen Contoscelis habuerit, a breuibus tibiis. Gambacurtam Itali dicerent. Ab hoc adpellatum aiunt portam Contoscalinam, veluti contoscelinam. Ego vero pace Græcorum dixerim potius Contoscalinam, vel Contoscalij vocatam a conta scala. Κοντὸς enim Gręcis nunc paruus, vti quum Cedrinus ait, quemdam fuisse nominatum ab exiguitate staturæ Κοντολέοντα prætorem Cephalleniæ, & alium Κοντοστέφανον, ceu Leonem paruum, & Stephanum paruum. Scalæ nomen iam ante declaratum.

Vigesima prima Catergolimenis porta nuncupatur, a portu triremium, quæ XXI.
vulgo sunt Græcis κάτεργα, sicut & κατεργάρηδες nunc adpellantur classiarij, vel nauales socij triremium.

XXII. Vigesima secunda vulgo nunc Græcis est πόρτα τοῖς ἀρκούδες, id est, vel vrsarum, vel vrsina, Turcis Tschatlati capsi, a mactatione pecudum. Sunt qui nouam litoris portam nominant. Equidem crediderim esse antiquam. Ædificium rotundum extra muros in ipso mari, vicinum ac vetus habet, vndique circumfluum, nisi qua terræ iungitur; in quo mactantur, excoriantur, & exenterantur pecudes: itemque fenestras habet hæc porta marmoreas a latere, cuiusdam ædificij vel palatij veteris, quod ipsis muris vrbanis incumbit. Heic aliquando pæne naufragium fecisse recordor, quum animi gratia Wolfius Vngnadius Baro Sonneccianus, & Hieronymus Arconatus, & ego, Saraium Sultaninum, e Ceratino sinu profecti, cælo primum sereno, marique placido, circumnauigaremus: & oborta subito tempestate, non sine periculo huc reiiceremur.

XXIII. Vigesima tertia & vltima porta vocabulo Turcico nominatur Achur capisi, quod Achurij portam significat. Achurium vero Turcis est ædificium capax, aream habens in medio, cuiusmodi solent esse stabula pro regiis equis. Et arbitror esse Græcam origine vocem, vsucaptam a Turcis. Etenim ἀχυρῶον vocant Græci stabulum, a reponendis scilicet paleis. Sic Emir Achur, stabuli præfectus est in aula Sultanina, veluti capite 14 diximus. Itaque propterea nomen hoc isti portæ datum, quod per eam saraio Sultanino contiguam, inuehantur omnia curandis & pascendis equis ac iumentis Sultani necessaria, quotquot intra saraium scilicet aluntur. Ab hac vltima porta, saraij Sultanini murus trium in ambitu milliarium Græcorum incipit, iuxta quem ab altero saraij latere primam quoque portam vrbis collocauimus. Nec inter Achurij portam, & Horæam illam primam, vlla reperitur alia, quam qua secreto soli Sultano licet e saraij septis ad angulum S. Demetrii prodire quoties ei sic visum est. Ac solet hoc facere multoties, quum eleganter ornatam marmoreis columnis domunculam ibidem habeat, intra quam velis obductam sedes, tam e sinu Ceratino, quam secundo Bospori fluxu in Propontidem præternauigantes intueri cum voluptate potest, ipse conspectus a nemine.

Sedenim ante, quam hanc portarum enumerationem claudamus, libet ex allegato sæpius libro, de ædificiis vrbis, ordine recensere veteres portas vrbis terrestres, quæ illic solæ leguntur; ceteris ad sinum Ceratinum Propontidemque sitis, silentio præteritis. Recitantur autem dumtaxat hæ quinque, sumto ab extremitate Pentepyrgiana initio.

Prima vocatur ξυλόκερκος, ob eius fundamentum, defixis in imo palis factum. Nunc Hagiobazari portam dici notauimus.

Altera Charsiæ, qui scilicet ei condendæ præfuit. Turcis est Egri capi, siue porta obliqua.

Tertia πολύανδρος, ab hominum multitudine dicta. Quippe traditum in historiis legimus, & in hoc ipso de ædificiis vrbis libro, Theodosium minorem Augustum terræmotu collapsos vrbis muros terrestres curasse per Cyrum præfectum vrbanum instaurari: cuius quidem ea fuerit in opere maturando & vrgendo sedulitas, vt intra sexagesimum diem absolutum fuerit. Hoc autem in opere, quum vna populi pars ab angulo Pentepyrgiano, altera vero ab angulo aduerso Heptapyrgiano muros condere cepisset: ad hanc demum portam pars vtraque suis perfectis operis conuenit, eaque de causa Porta πολύανδρος, adpellata fuit, ab hominum multitudine, qui tunc istic conuenerunt. Nunc Hadrianopolitanam vocari diximus. Et est illius is profecto situs, vt medium in muro terrestri locum occupet, id quod equidem diligenter obseruaui. Nam quum ab acropoli Pentepyrgiana, propter fossas muri terrestris, ad angulum vel acropolim Heptapyrgianam ituro, necesse sit vnius horæ spatium impendere: tantumdem temporis a Pentepyrgio requiritur ad portam Hadrianopolitanam, quantum ab eadem ad portam Heptapyrgio proximam. Apud Leonardum Chiensem reperitur hac ipsa in vrbis ac murorum parte locus arduus (vt adpellat) Miliandri. Non alibi quærat hunc lector, quam ad portam Hadrianopolitanam vel πολύανδρον, correcto tamen prius vel enuntiationis, vel scripturæ vitio. Nam pro Miliandro equidem minime dubito reponendum μυριάνδρον, quod idem est cum πολυάνδρῳ: siue adeo per inscitiam

scitiam vulgi factum fuisse dicamus Miliandron ex Myriandro, siue per oscitantiam scriptoris librarij corruptum nomen existimemus.

Quarta κατωγαία, siue subterranea; cuius tamen nominis ratio nulla redditur. Respondet iam Topcapisi vel bombardariæ portæ, quondam S. Romani.

Quinta Græcis πέμπτη fuisse dicta narratur, quod numero quinta scilicet inter portas esset terrestres. Olim auream portam vocauere, nunc Silyurianam adpellari ostendimus. Quod autem Geni capi siue noua porta non commemoratur, inter portas S. Romani & auream sita propterea fit: quod nulla tunc fuerit, posterioribus scilicet exstructa temporibus, vt ipsum quoque nomen innuit.

Habes iam, benigne lector, insignem non portarum dumtaxat vrbis explicationem: verumetiam multarum præterea rerum declarationem, quæ mihi quidem aliquando Græcas & Turcicas historias lectitanti visæ fuere difficiles intellectu, ac perobscuræ. Tibi sane, remotis non paucis iam quasi salebris, iter idem ingressuro, minus pleraque tædij paritura confido. Vel ipsi tam a Turcis obsessæ, quam expugnatæ Constantinopoleos historiæ Chalcocondylis & Leonardi Chiensis, mirum quantum hæc expositio nostra lucis adferet.

MORS SVLTANI BAIASITIS, A FIlio Selime veneno sublati.

Non meminerunt annales dati a filio Selime Baiasiti per alios veneni, quod 201. a nostris constanter adfirmatur: ipsis tamen expositionibus horum inter se non parum dissidentibus. Nos plerorumque narrationes sic recitabimus, vt integrum tamen lectori iudicium relinquamus. Spanduginus ait, Selimem patri adiunxisse Ionuzem bassam, qui curam eius gereret, omnesque res patris administraret. Interim tamen secreto cum Ionuze transegisse, venenum vt patri propinaretur. Itaque Baiasitem prius, quam Dimotucum peruenisset, vi veneni dati exstinctum fuisse. Iouius addit, venenum ei præbitum ab Hamone Iudæo medico. Alij commemorant, Selimem metuentem, ne se bello in Anatolia contra fratres, Achmetem & Corcutem, occupato, rursus imperium sibi vindicaret pater: corrupisse medicum patris Vstarabim, promissis ei singulos in dies annonis asprorum mille, qui reditus esset annuus 9000 talerorum, aspris 40 pro vno talero computatis. Itaque recepisse medicum, se Baiasiti venenum pharmaco mistum propinaturum. Ac tradidere quidam, venenum hoc fuisse comminutum pulueris instar adamantem. Vstarabim in opido Tzurulo Baiasiti auctorem fuisse sumendi pharmaci, quo mirificus seni vigor totius corporis & animi rediturus esset. Adnuente Baiasite, medicum altero mane Sultaninum ad cubiculum venisse: quumque dormientem adhuc reperisset, exspectabundum ibidem hæsisse, donec euigilaret. Elapso temporis aliquo spatio, quum non expergisceretur: excitari iussisse, iamque experrectum interrogasse, pharmacone vti vellet. Illo adsentiente, Vstarabim antipharmacis multo ante munitum, prægustatam ab se medicinam Baiasiti præbuisse hauriendam: simul cubicularijs mandasse, ne quid ei potus subministrarent prius, quam bene coperto corpore sudasset. Inde medicum se Constantinopolim ad Selimem contulisse, qui promissi præmij loco iusserit ei caput amputari: quod diceret, hominem sceleratum ac infidum Sultano patri, eadem vsurum erga se quoque perfidia, siquidem hoc vti faceret, ab alio quopiam compellatus esset.

CRVENTVM ET PARICIDIAle Selimis imperium.

Sublato de medio patre, progressus est Selimes ad immanem sæuiciam, fœ- 202. daque paricidia, solus vt rerum potiri posset. Frater eius natu maior Achmetes ad Arabicos fines profugisse dicitur, hoc est in Caramaniam, regno Sultani Cairensis finitimam. Quippe non multo post sequitur, eum suis tamdem e latebris cum milite Caramano cōtra Selimem prodiisse. Arabes etiam vocari Ægyptios, & Ægyptiorum Sultano subiectos, indicauimus capite 165. Mustaphæ bassæ mentionem paullo ante fecimus capit. 198. Fuit interfectus propterea, quod Achmetis eum

filios, Muratem & Aladinem, de imminente sibi a patruo Selime periculo, monuisse per celeres internuntios compertum fuisset. Meritas luit pœnas, ob perfidiam erga Sultanum Baiasitem, herum suum, contra quem Selimi filio studuerat. Fratrum filij, quos Selimes strangulari iussisse traditur, more Osmanidis recepto, qui nefas esse putant, Osmanidarum sanguine terram conspergi, numero fuere quinque: Muchemetes & Aladines, Sinanis Scachi filij: cum tribus filiis Sultani Muchemetis, vt est videre nostra in Osmanidarum genealogia. De Tekiensi prouincia dictum capite 57. Qui primus e ianitoribus regiis, & Azem Aga vocatur in annalibus, integre dicendus est Capizilar Azem Aga. Nomina iam aliquoties exposita sunt, & suo loco de Capizilariis agemus, qui Sultani Osmanidæ ianitores sunt. His præfecti solent esse vel quatuor, vel sex, prout ipsi visum Sultano. Vocantur autem vel Capizilar Bassi, vel Capizilar Aga. De vocabulo Bassa, capite 14: de Aga, 173 diximus. Qui primus aut supremus inter hos est, Capizilar Azem Aga nominatur. Etenim Azem supremum significat. Notandum heic Casanis Azemis Capizilariorum Agæ nomen. Quippe Geufræus ait, Corcutem incidisse in manus Bostangis bassæ, qui Selimis gener fuerit. Ostendimus autem supra, capite 198, Bostangim bassam, Selimis filiæ nuptias cõsequutum in præmium perfidiæ, cognomen habuisse Ducaginoglis, ex causa paullo post aperienda. Nomen vero proprium huius Ducaginoglis erat, non Casam vel Casan, sed Achmet, quemadmodum ex ipsis annalibus deinceps adparebit. Et omnino Capizilar Aga diuersus est a Bostangi bassa. Quapropter in his Geufræus errauit. Opidum Egrigos Bellonio Grigos est, ad mare situm, versus sinum Aiassicum, qui priscis erat Issicus.

SELIMIS STATVRA. PROELIO VICTVS ET occisus Achmetes, eiusque filiorum exsilia.

203. Quod pumilionis Selimi nomen tribuitur, sic de sententia Spandugini est accipiendum: vt intelligamus, eum reliquo corpore fuisse oblongo, sed tibias habuisse breues. Eaque de causa spectabilior erat in equo, quam si pedes incederet. Neapolis Caramaniæ Turcis sua lingua vocatur Genischeher. Et annalium heic notanda verba sunt, quæ sæpius repetunt, has res in Caramania fuisse gestas, quo se contulerat Achmetes, vt auxiliis Sultani Ægyptij siue Cairensis e propinquo contra Selimem vti posset. Leonis quidem Augusti nouella de Thronis Neapoleos meminit, episcopatus metropoli Stauropolitanæ in Caria subditi. Hinc adparet, errare Iouium, qui pugnatum ait prope Prusam in amplissima planicie, quę nouæ terræ, C liugua Italica, vel nouæ ciuitatis adpelletur. Et proficiscitur hęc eius inde alucinatio, quod alia sit haud procul a Prusa, vel Nicæa potius Neapolis siue Genischeher, de qua superius capite 17 & 23 dictum. Ea tamen procul admodum distat a Neapoli Caramaniæ. Nec video, quo possit esse loco tanta planicies, ac tantorum exercituum capax, in vicinia vel Prusæ, vel Nicææ, vel Genischeheris siue Neapoleos, huic proximæ: quum istic perpetua vel iuga sint, vel cliui saltim montis Olympi. Taceo, superius aliquoties in annalibus hisce reperiri, Caramaniæ begos cum Osmanidis bella gerentes, si hostibus impares se viderent, in montuosa regionis suæ loca se recepisse: quæ quidem illæ ipsæ latebræ sunt, in quas se cum milite suo Sultanus Achmetes, Selimi fratri copiis impar, abdidit; & quales in vicinia Prusæ nullas habere potuisset. Ideoque non abs re dicitur Achmetes ab initio belli, transeũte cum copiis in Asiam Selime, veluti fratre debilior ad Arabicos profugisse limites, hoc est, in Caramaniam: vnde nusquam hactenus prodiisse legitur, multoque minus præsenti cum discrimine rerum suarum in Bithyniam fratri subditam se contulisse. Filiorum, quos duos reliquit superstites, Muratem & Aladinem, in his quidem annalibus nulla exstat mentio: sed ab aliis, præsertim Menauino, teste oculato, commemorantur. Aladinem euasisse fuga, narrat Iouius; & in itinere, quo se conferebat ad Ægypti Syriæque Sultanum, amicum paternum, febri exstinctũ. Muratem vero referunt omnes ad Ismailem Sophinum, Scachum Persarum, se recepisse: qui filiam ei suam dederit vxorem. Quippe constat, vtrumque principem tam Achmeti patri, quam filiis, aduersus Selimem fa-

uisse:

uisse: quod esse sibi propemodum ante fores cernerent formidabilem illam Osmanidarū potentiam, quam bellis ciuilibus debilitatam cupiebant, ne cum vtriusque detrimento longius serperet: vti sane mox ab hisce motibus Sultanos Ægyptios cum Mamelucis suis ad internicionem deleuit, Sophinos tum primum exortos grauiter adflixit: tametsi nihil hactenus in hos, arcano quodam Dei iudicio, summis licet vsi viribus, efficere potuerint Osmanidæ, quod spem eis opprimendi regni Persici certam præbere queat. Id eo maiori dignum admiratione, quod insolentiores perpetuis hactenus, & infinitis prope contra quosuis populos facti victoriis, nihil non vi sola præpotentis imperij tum prosternere, tum diruere se posse iactitant. Ergo Romani tamdem illius Pindari verum esse, suo cum interitu, discant oraculum:

Vis consili expers mole ruit sua.
Vim temperatam Dij quoque prouehunt
In maius. iidem odere vires
Omne nefas animo mouentes.

SELIMIS ADVERSVS ISMAILEM SOPHINVM EXPEditio. Prælium in planicie Zalderana. Iouius emendatus. Ordu. Orda. Fossatum. Tuldum. Tebris. Sultania. Kemach.

Huius belli causæ intelliguntur ex indicatis capite præcedenti, de recepto præsertim hospitio Murate, Achmetis F. Iouius exercitum Selimis habuisse tradit hominum ducenta millia, duplo maiorem numerum faciunt annales. Idem vocat Ismailis primarium ducem Vstaoglim, qui nostris annalibus Vstagelu ogli, vel Vstazelu ogli, rectius quidem haud dubie, nominatur. Id filium Vstageluis significat. Quis autem fuerit hic Vstagelues, nō exprimitur in annalibus. Iouius statim post expositum prœlium Selimis cōtra Persas, & occupatum Taurisium, narrationem belli Turcorum aduersus Costageluem Aladuliorum principem subijcit. Idem bellum Turci quoque mox gestum referunt, sed aduersus Aladeulem Dulgadiris prouinciæ Ducem. Ergo iam animaduertisse videmur, huius Dulgadirensis regionis principes habuisse nomen Aladeulis in genere, cuius supra facta mentio capite 163, sed singulis tamen prȩterea peculiare quoddam fuisse nomen; adeoque deuictum hunc ab exercitu Selimis Vstazeluem fuisse vocatum, cuius filius fuerit Vstazelu ogli, supremus belli dux apud Ismailem Sophinum, qui Zalderanis in campis occubuit. Hinc igitur emendandus Iouius, & pro Vstaogli reponendus Vstazelu ogli: rursumque pro Costagelu, scribendus Vstagelu. Planicies Zalderan legitur in annalibus, qui Iouio sunt campi Calderani. Situs horum ex eo percipitur, quod dimicatum tradit idem non procul a ciuitate Choi, quæ priscis Artaxata fuerit dicta. Malcozoglis siue Malcozides prior, Turcis est Thur Ali beg, Iouio Thurabeus, vocabulo hinc itidem corrigendo: alter Mahomet, quem annales non nominant. Turci vulnus inflictum fuisse Scacho tradūt a Malcozide, Iouius ictu sclopeti læsum ait sub humero sinistro, non grauiter tamen, & incerto vulneris auctore. Orda Turcis est Ordu. Proprie quidem hoc vti vocabulo solent pro foro castrensi rerum venalium, sed interim generaliter etiam pro castris seu fossato potius, vt adpellat Leo Sapiens Augustus, accipitur: itemque pro tuldo, quæ Græcis vox in historiis reperitur, & in Leonis Augusti libro de bellicis adparatibus sic definitur, vt impedimenta vasaque militum, & omnes res necessarias complectatur; nimirum famulicia siue pueros, & iumenta, siue sagmaria, reliquaque animalia, & si quid præterea rei ad vsum fossati milites secum vehunt, trahunt. Germani Trossum adpellant. Hæc proprie vox hoc in loco Turcicæ Ordu respondet. Notum, apud Tataros aulam, seu castra, seu comitatum Chanum siue regum adpellari ordam. Apud Beluacensem Ioannes de Plano Carpi, legatus Pontificis ad Tataros, curiam regis interpretatur, & stationem imperatoris ac principum, itemque tentorium ducis. Sed heic, vt diximus, tuldū Persici regis in prædam cessisse Turcis intelligitur: vti mox etiam sequitur, vnam ex Ismailis vxoribus in orda fuisse captam. Solent enim mulieres, si quæ

204

sequuntur castra, tuldi pars esse. De Tebrisio supra quędam exposuimus cap. 187. Ptolemæi Teruam esse, plerique putant, & transpositis fortasse litteris Teure scribetur rectius: Hebræorum Susam, Iouius autumat. Id quidem hoc loco minime silentio prætereundum, quod a Choi propter quam vrbem pugnatum fuisse diximus, 80 milliaribus Asiaticis vel Romanis Taurisium distet. Addendum & hoc, commissum fuisse prœlium die 26 mensis Augusti, anno Christiano 1514. Sultaniam denique Iouius idem fuisse putat exstructam e ruinis Tigranocertę. Fiet eius infra quoque mentio, in expeditione prima Sultani Soleimanis aduersus Persas. De Carabago explicatum capite 63, de Amasia capite 6. Ciuitas hodie dicta Kemach in Armenia, quondam metropolis erat Armeniæ Camachus, vt eam Leonis Augusti nouella de thronis adpellat, & indicatum a nobis est superius capite 5. Peucerus corrupto vocabulo Ciamassum nominauit. Sansouinus quoque Iamacam vitiose, pro Camaca vel Camaco, scripsit: errorem Laoniceni sequutus interpretis.

BELLVM DVLGADIRENSE. MORS DVCIS Vstageluis vel Aladeulis.

205. De Dulgadiris prouinciæ finibus dictum supra, capite 163. Duces eius, siue reguli, Turcomani erant, non Christiani: regio ipsa tota montuosa, Tauro & Antitauro inclusa. Dreslerus simpliciter Cappadociam vocat, sed non recte. Bello causam præbuit, quod huius regionis Ducis Vstazeluis filius, vt dictum, hosti Selimis & Osmanidarum Ismaili Sophino militasset: quodque pater, occiso Calderanis in campis filio, Taurisio proficiscẽtem versus Amasiam Selimis exercitum, in clisuris montium, & impeditis itinerum angustiis, fluminumque transiectionibus, adflixisset. Sinanis bassæ meminimus supra, capite 177. Vstazeluis a Sinane capti, eiusque iussu necati caput, a Selime Venetias, pro Turcorum more, missum fuit. Substitutus huic Alis begus, infra nominatur Seachi Suarensis filius, initio regni Soleimanis, ad annum Christianum 1522, vbi plura de hoc exponemus, capite 219.

SELIMIS IN BASSAS SVOS SAEVICIA. Ducaginogli. Ducagini reguli. Catalogus paricidiorum & cædium Selimis.

206. Piri bassa Turcis est is, quem historia belli Rhodij Pyrrhum Græco nomine vocat, vt Aiacem Iouius itidẽ adpellatione Græca dixit, qui Turcis est Aigas. Ducagini filius Turcis est Achmet bassa Ducaginogli, cuius obiter facta mentio, capite 198. Natus fuit Ducagina familia, quam Iouius ait illustrem fuisse in regione Naupactia siue Lepantina, sicut iam dicitur. Ego vero hanc fuisse celebrem inuenio apud Epirotas vel Albanenses, in quorum regione Barletius Ducaginimeminit, loci vel opidi cuiusdam, cui cum imperio præfuerunt olim, & a quo familiæ nomen hoc inditum fuit. Annales Venetorum tradunt, anno Christiano 1444 Paulum & Leccam Ducaginos fratres, Tamusij filios, cum ditionibus suis in Albania, Venetæ se reipublicæ fidei permisisse. Iouius hunc Ducaginoglim ait infamem fuisse pluribus vitiis, auaricia, ambitione, perfidia. Filio Selimi patrem Baiasitem prodendo, nuptias filiæ ipsius impetrauit, vt ante diximus. Causa mortis heic verius est exposita, quam ab aliis, qui necatum volunt ob expilatas prouincias, quibus præfuisset. Atqui Vezirazem bassa, quo munere dicunt annales functum fuisse Ducaginoglim, quum occideretur, non prouinciam quamdam administrat: sed ad Portam suprema cum potestate, velut ad clauum totius Osmanidarum imperij sedet, nec nisi grauissimis de causis alio solet ablegari: quod in Sinane prius, deinceps accidisse meminimus in Osmane Vezirazeme contra Persas misso, cuius loco tunc Prouezirazemes ad Portam constitutus fuit Mesites bassa, spado vetulus, nunc saluis annonis rude donatus. Oturaziacũ Turci dicunt. Præter Ducaginoglim, referunt annales ab Selime necatum Ischenderem bassam, qui & ipse gener ipsius erat, & Tazisadem Cadileschetum, & Seguanem bassam, (officij vocabulum est, explicatum cap. 190) qui nomen habuerit Bal Gemes. Id hominem

minem significat melle non vescentem. Hæc de procerum Selimis cædibus hoc tantum loco memorantur. Addamus & alias, aliis temporibus ac locis perpetratas. Mustaphæ necem prodidimus supra, capit. 202. Chendenum bassam Iouius trucidatum refert ante, quam contra Sophinum Ismailem in Persiam progrederetur: quod vir magno rerum vsu præditus, iter hoc grauibus de causis ei dissuasisset. Chuseinem bassam, Vezirem suum, simili de causa deinceps iussit interfici, quod ei per solitudines Arabię Cairum petituro cum maximis copiis, auctor esset, ne temere tanto cum exercitu tam periculosum iter ingrederetur, vt in annalibus expositum legimus. Ægypto potitus, Ionuzem bassam, (Ianum male Geufræus & alij vocant) a Cheire bego per calumniam delatum, seu furore quodam impulsus, e medio sustulit, vt est in annalibus. Colligamus immanis iam belluæ diritatis inauditæ facinora. Primum octo paricidia, prorsus enormia, quibus patrem veneno peremit, Achmeti Corcutique fratribus 2, & 5 fratrum filiis laqueo fauces elisit: procerum deinde maximorum cædes totidem, Mustaphæ bassæ Vezirazemis, Cheudeni bassæ, Ducaginoglis Vezirazemis bassæ generi sui, Ischenderis itidem bassæ generi, Taziadis Cadilescheri, Balis Gemis Seguanis bassæ, Chuseinis bassæ Vezitis, & Ionuzis bassæ: quæ sane omnia quonam modo legatus Venetus, Aloysius Mocenicus, vsque adeo eleuare potuerit, vt nihil fuisse barbarum in hoc tyranno dicere sit ausus, mihi quidem mirari subit.

SELIMIS ADVERSVS ÆGYPTI SYRIAEQVE Sultanum expeditio. Cansaui Gauri. Mameluci. Circassi, siue Quinquemontani.

Simulasse dicitur Selimes, alteram aduersus Ismailem Sophinum expeditionem se suscepturum, quum reapse Sultanum Cairensem inuasurus esset. Id astu fecit, ne præpotentes duos hostes simul in se cōcitaret: qui quidem inter se reconciliati fuerant, animaduerso Selimis instituto, non minus Ægyptij, quam Persæ interitum quærentis. Præterea stimulos addebat Selimi Cheir begus Halepi, (Iouius & alij Caiarbeium non recte vocant) qui suo cum Sultano inimicitias exercēs, defecturum ab eo se nuntiabat, si propius ad Halepum cum exercitu Selimes accessisset. Cansaui Gauri nomen est Sultani Cairensis in annalibus hisce Turcicis, qui nostris corrupta voce nominatur Campson Gaurius. Hunc Selimes prœlio vicit, in quo Sultanus ipse cæsus occubuit. Cairbeium quoque, vel Cheirem begum, hoc prœlio cecidisse, Geufræus tradidit: cui tamen deinceps Ægypto capta Selimem commendasse Cairum, in his annalibus expresse legitur. De Mamelucis abunde Iouius & alij scripsere, quæ paucis dumtaxat attingamus. Cepere sub Friderico II Augusto. Durauit eorum societas vel ordo cum imperio CCC plus minus annis. Nomen ipsum significat militem, qui stipendia facit. Et militabant Sultano, perpetuisq; bellis exercebantur, equestris rei præsertim peritissimi. Moriente Sultano deligebant alium e corpore siue collegio suo, liberis suffragiis. Plerumque tamen Emirum maiorum, qui numero quatuor erant, auctoritate dignitateque Sultano proximi, ratio haberi solebat. Electus cuique Mameluco centum Seraphinos pro felicibus auspiciis imperij donabat. Omnes necessario vel Christiani erant, vel ex Christianis parentibus nati; nec in ordinem suum vel Arabes, vel Saracenos, siue Mauros, vel Hebræos, vel Turcos admittebant. Maior eorum pars e Circassis constabat, in pueritia captis, aut pretio distractis. Eam ob causam Zercas siue Cercas quoque vocantur a Turcis, ob Circassorum inter Mamelucos præcipuum numerum: quæ natio nomen Quinquemontanorum habet, Iberis siue Georgianis vicina. 207.

TOMMANBAI, SVLTANVS VLTIMVS Ægypti. Vlu Duueidar. Emir Quibir.

Quem nostrorum historię Tomumbeium vocant, Turcis est Tommanbai, 208. nomine non vitiato. Quod officium, quæue dignitas fuerit eius, qui dicitur heic Vlu Duueidar, ex ipso annalium cōtextu intelligitur. Initio commentationis huius, capite tertio, Vlu significare notauimus excelsum. Petro Martyri Mediola-

nensi in descriptione legationis Babyloniæ, non Vlu Duueidar, sed Emir Chebir adpellatur, quod Arabibus est Emir Quibir, id est, magnus Emir. Ea vox a nobis capite primo & 14. superius est explicata. Martyr adiicit, Emir Quibir esse magistratum primũ post Soldanum, idq; propterea, quod exercitibus præsit. Ergo Sansouinus & alij falluntur, qui huius in historiæ narrationibus ex Tommanbai Vlu Duueidare, vel Emire Quibire; fecerunt Admiralium Alexandriæ. Reperitur etiam apud Geufræum Derdar Quibir, vt apud Andream Cambrinium Florentinum, & alios, Magnus Diadarius. Vtrumq; mutilatum ex Duueidare. Nec Geufræus sibi constat in hoc explicando; quum modo magnum Mariscallum, modo Præfectum vel Admiralium, modo magnum stabuli comitem interpretatur, qui Græcorum in aulis erat ὁ μέγας Κονοσταῦλος. Si Petro Martyri, vt oculato testi, fides habenda, qui hunc præfuisse dicit exercitibus; fuerit scilicet is apud Ægyptios Vlu Duueidar, qui Serasker nunc apud Turcos est, aut qui μέγας δοὺξ apud Græcos imperatores olim dicebatur. Nam μέγας στρατοπεδάρχης esse non potest, quẽ Prætor Græciæ noster cum Beglerbego comparat. Eius verba superius exscripta leguntur, capite 66.

MELICVL VMERA. ZAMBERDI GASALI. GAZA. Zozimus Gazæus. Remle. Rama. Rammola.

209. Vocabulum Melicul Vmera, nomen eius officij siue dignitatis denotat Arabica lingua, quondam Mamelucis vsitata, quæ apud Turcos est vel Beglarbegi, vel (vti vulgo pronuntiatur) Beglerbegi, hoc est, domini dominorum, qui sangiacos scilicet, aliosque begos sub se habet. Vide prolixius explicata cap. 14. Zamberdi Gasali, nostris est Iamburdus Gazzelles. Equidem hactenus operam dedi, vt minime corrupta nomina, præsertim propria, singulis in linguis ederem. Gaza, cuius in his annalibus paullo ante mentio fit, nota est Palæstinæ ciuitas, quæ viros illustres aliquot dedit: & inter alios, Zosimum Gazæum, oratorem eloquentem, licet paganum, qui necatus ab imperatore Zenone fuit, homine crudeli & malitioso. Is est editus a nobis auctor historiæ Zosimus Comes, ἀποφισκοσυνήγορος, quod nomen illum significat, qui fisci aliquando fuit aduocatus. Eum Karulus Sigonius V. C. singulis septimanis pagellatim, quum ederetur, a me per veredarios, opera Petri Pernæ Bononiam Basilæa missum, historiæ suæ de imperio occidentis inseruit, nulla beneficij mei vel vnico verbo mentione facta: cui tamen anno 1581 se Boloniæ inuisenti, quum ex Sabaudi Ducis aula discedens, ad Ferrariensem cum Ducis Augusti Septemuiri Saxonis legato, Andrea Paullo, viro amplissimo, & amico singulari, comitandi eius caussa proficiscerer, magnas sane gratias agebat, ingenue fatendo, minime se suum illud opus absque mea communicatione Zosimi, cum laude publicaturum fuisse. Nec dissimulabat se, quum in sepulcrũ suum (sic enim adpellabat bibliothecam) me deduceret, Romam profectum petiisse copiam sibi fieri pellegendi Zosimi, qui esse ferebatur in Vaticana: nec tamen id a Gregorio XIII P.M. licet adhibitis intercessoribus illustrissimis ac primi nominis & loci Cardinalibus, Farnesio & Estensi, certis de caussis impetrare potuisse. Quo plus, ore tunc quidem rotundo, mihi se debere profitebatur. Sed enim ad annales vt redeamus, quod heic memoratur Remle, opidum Palæstinæ, varias adpellationes habet. Nam & Remle, sicut heic, & Ramma, & Rama, & Rammola Mauris, qui Arabes sunt, ac finitimis nominatur: quod vocabulum terram arenosam significat, & a Turcis est muratum in Remle. Distat x, vel x i i plus minus, milliaribus Asiaticis a Giaffa, quæ sacris est litteris Ioppe, sic ab Iapeto vel Iapheto dicta, quod versus Europam, ab Iapheti filiis inhabitatam, portus eius celeberrimus spectet.

CVDSIMVBAREC. IKINDI. MESSIT AXA. Iadsunamasi. Cubei Sahara. Cuba. Trulla. Naos dromicos.

210. Selimes in Ægyptum cum exercitu profecturus, quum ab Hierosolymis non procul abesset, morem tyrannorum sequutus, quibus in ore preces hæ perpetuo sunt,

Da mihi fallere, da iustum sanctumque videri; ciuitatem Musulmanorum etiam opinione

opinione sacram sanctam inuisere voluit. Hæret enim hodieque Turcorum in animis ea siue religio, siue superstitio: vt voti rei, Meccha sua visitata, non se legitime soluisse votum arbitrentur, nisi Bethlehemam quoque, Christi cunis nobilem, & Hierusalemam adierint. Vocant autem Hierosolyma, vel Hierusalemam, lingua sua Cudsimabarec, quod nomen significat locum benedictum vel inclytum. Vespertinæ preces Turcis sunt Ikindi nemas, quæ nimirum medio concipiuntur inter meridiem & occasum solis spatio. Concepit has in messit axa, id est in alba messita, siue templo Turcico. Nocturnas, quæ Iadsunamasi Turcis adpellantur, & interuallo medio dici solent inter occasum solis & mediam noctem, peregit in Cubei Sahara, siue Sehara: vocabulo denotante templum in spatiosa situm area, & cui fastigium impositum est formæ rotundæ. Tale fastigium Euagrio, scriptori ecclesiasticæ historiæ, θόλος dicitur: Græci recentiores, vt Zonaras, Cedrinus, alij, Trullum & Trullam nominant: vti quum Cedrinus ait alicubi; Trullam sanctę maioris ecclesię furnicam corruisse: quibus in verbis furnica significat habentem formam furni, hoc est rotundam, nō in longum porrectam, cuiusmodi tectis cooperta templa Gręcis ναοὶ δρομικοὶ vocantur. Vox Cubei ne Italis quidem est ignota, veluti quum Venetorum in annalibus legitur, anno 1416 ignem exussisse cubas templi S. Marci, plumbo tectas. Intelligitur autem hoc annalium loco per Cubei Sahara, templū Solomonium hodiernū Hierosolymis, quod & cubam habet eiusmodi, Turcicis templis familiarem, & amplissimam circa se complectitur aream.

RVRSVS AETHIOPES SIVE MAVRI, PRO Aegyptiis & Arabibus.

Cur Ægyptij & Arabes, olim Sultani Cairensis subditi, nominentur Æthiopes ac Mauri, a nigro colore corporum, diximus supra, capite 165. Sansouinus expresse hac in historia, Cairi siue Misziris (vt nunc adpellari, capite 61 notauimus) incolas Mauros vocat, vulgari consuetudine. Paullo etiam post sequitur heic in annalibus, interceptum ab Arabibus & Æthiopibus Tommanbain, Selimi fuisse proditum. Ceterum transfugæ dumtaxat heic vnius meminerunt annales Turcici, sed historici nostri duorū, qui Mameluci fuerint, natione Albanenses vel Epirotæ. Fecisse tradunt hos transfugium ad ciuem popularemque suum, Sinanem bassam, eique consilia Sultani Ægyptij cum insidiis detexisse. 211.

Regio Sait, Aegypti pars. Aythonus emendatus.

Quod vrbem Cairum ingressi dicuntur Selimiani milites, id factum aiunt alij per eam portam, quam nostri Bassuellam vocāt, & de qua paullo post amplius agemus. Regio Sahid Ioanni Leoni Aphricano superior Ægyptus est, quam Thebaidis prouinciam dixere veteres. Aythonus cap. 54, vt etiam annales hi Turcici, non Sahid, sed Sait, hanc adpellat; & primam ac maiorem (id est maximam) Ægypti prouinciam facit: quo loco notandum obiter, secundam prouinciam eiusdem Ægypti vitiose scriptam Demesor, pro quo reponendum sine dubio diuisis vocibus, De Meser: quod Gallica phrasi denotat prouinciam Meserensem, hoc est vicinam vrbi Meser, quam rectius capite præcedenti diximus nominari Missir, aut Missir. Ibidem quinta prouincia cum vrbe Damiata, non est Æliopolis, ab Ælio Pertinace Augusto sic vocata, quod auctori Platinæ credidit Reineccius: sed Heliopolis, quasi solis ciuitas, vt in eadem Ægypto quondam erat Hermopolis, Mercurij ciuitas; Panopolis, Panis ciuitas: & aliis a Diis aliæ nominatæ reperiuntur, etiam a ridiculis illis Ægyptiorum numinibus quædam, vt a canibus Cynopolis: a lupis, Lycopolis: a felibus, Æluropolis. Plures Elias noster Cretensis in Nazianzenum, quodam loco recitat. Corrigitor hoc etiam in illo ipso Aythoni capite, quum dicit, haberi carnes crastinas, hædinas, gallinaceas; vt lector malit carnes castronias, id est, veruecinas, quam crastinas. 212.

MESSITA DICTA CHASANIS ZAMI.

Auctorem huius messitæ siue templi Cairensis Chasanem vocant annales hi Turcici, rectius proculdubio, quam vel Ioannes Fraxineus, apud quem Hessin legitur, vel Helferichus in itinerario, cui scribitur Hessen, pro Chasan. 213.

TOMMANBAIS SVSPENDITVR. FINIS REGNI *Sultanini & Mamelucorum. Bab Suvveile.*

214. Memorabilis est fœdus hic Tommanbais interitus, & Ægypti Syriæque Sultanorum regni finis. Suspensus fuit Tommanbais XI die mensis Aprilis, anno Christiano 1517, vt Sansouinus adnotauit. Sumtũ hoc de ipso supplicium ad portam Bassuellam, vt idem retulit, quum prius ignominiæ causa laqueo ad collũ adpenso, per vrbem mulo insidens circumductus fuisset. Peucerus Basuelam Syriæ portam nominat. Sed melius annales indicauere locum in vrbis vmbilico, cui nomen Bab Subeile vel Suweile, quorum illud significat portam, hoc plateam.

MORBVS ET MORS SELIMIS, IN LOCO FATALI. *Dephterdarlar. Bairam maius & minus.*

215. De pago Inzua dictum superius, numero 74. Non procul abest a Zorlo, siue Zurulo, siue Ciurlo Iouij, de quo dictum itidem cap. 26 & 193. Nec longe a Zurulo distat is locus, qui Selimi fatalis propter impietatem erga patrem bis exercitam, prœlio committendo, venenoque præbibendo, de quo dictum capit. 201, fuit. Et bis hoc loco Turcici quoq; fatentur annales, fatali Selimẽ loco diem suum obijsse. Causam mortis adtulit ei pustula siue carbunculus pestilens, vt Turci memoriæ produnt. Sansouinus ex aliis refert, plagam fuisse corrosiuam, instar gangrænæ: quod equidem nõ puto, propter interitum Selimis subitum, quum gangræna tardiores plerumque progressus faciat. Dephterdari siue Dephterdarlari, sunt vel Rationales, vel quæstores, vel (vti nunc adpellamus) præsides & consiliarij cameræ. Bairam, maximum Turcis festum est, instar paschatis nostri, quod mense Ramazane celebrant, quo & ieiunium suum seruant, integro mense 30 dierum, a crepusculo matutino, vsque ad solis occasum, nihil cibi potusue sumentes: & absoluto ieiunio, suum hoc Bairam, paschatis in morem, peragunt. Duplex autem Bairam Turcis in vsu est. Vnum, mense Ramazane, de quo nunc agimus; & quod Buiuc, siue maius, aut magnum adpellant. Eius supra meminimus, cap. 11 & 33. Alterum, sexaginta plus minus ab hoc diebus celebratur, & Chazilariorum Bairam dicitur, hoc est religiosorum, qui peregrinationem voti ergo suscipiũt, ad visitandum Mahumetis Prophetæ sui sepulcrum Mecchanum, vt indulgentias peccatorum suorum istic impetrent. Quippe ceteri ad huius obseruationem Bairani non tenentur. Ideoque Cutzug Bairam ab eis adpellatur, vti festum minus, aut paruum. Neque vero sibi quidquam ad impetrandum veniam admissorum facinorum, prodesse putãt solam Mecchani templi visitationem: in Bethlehemam quoque, cum Hierosolymis adeant, vti paullo ante significabamus. Hinc vero certum mortis Sultani Selimis tempus colligitur alioqui controuersum. Quippe legitur apud Iouium, exstinctum Selimem anno Christiano 1519, die 14 mensis Februarij: quum Sansouinus, & alij, verius omnino tradant, id accidisse mense Septembri, anno 1520. Quippe Buiuc Bairam tunc instabat, quod Selimes celebraturus erat Hadrianopoli, si superstes fuisset.

SOLEIMANES INITIO REGNI BELGRADVM OBsidet. *Burgurdelen cum ea capit. Sabacz. Sabatia.*

216. Causa, cur regnum auspicatus Soleimanes, Vngaris mox bellum inferret, non erat alia reapse, quam certa spes occupandi Belgradi, cum ceteris eius regni prouinciis & opidis, rege Ludouico, Vladislai F. necdum per ætatem ad gubernandum idoneo, & procerum suorum, tam sæcularium, quam ecclesiasticorum contemtui exposito: qui posthabita dignitate regis, & salute reipublicæ, suis dumtaxat commodis, ambitioni, luxui, fastuiq; ab hominum memoria inaudito, studebant. Occasionem vero pacis abrumpendæ, Spanduginus hanc exposuit: quod legatus Soleimanis, ad denuntiandũ Vngaris bellum missus, ni tributũ Soleimani soluissent; non modo non exceptus ab eis honorifice, verumetiam tractatus præter legatorum ius fuerat: idque propterea, quod vindicare se de Sultano Turcico vellent, ob ignominiose ac insolenter habitos a Selime prius legatos suos. Burgurdelen vero Soleimanes præcipiendam putauit, ne qua Sauo secundo Belgradensibus

densibus

densibus obsessis, ad quorum is mœnia Danubio iungitur, venire subsidia possent. Quippe Burgurdelen Turci vocant illud in ripa Saui fluminis opidum, quod Vngaris Sabacz adpellatur, cinctum vndique Sauo, in quem Drinus ibidem, ac Baconsius amnes, influunt. Bonfinius refert, anno Christiano 1470 initam fuisse vel occeptam ædificari molem Sabaz, cui nomen Turcus indiderit, vti Sabaz vocaretur, quod Turcica lingua mirabile quid significet. Intelligit autem Turci nomine Sultanum Muchemetem, Baiasitis patrem, Selimis auum, Soleimanis proauum. Quippe Muchemetes, a Belgradi obsidione, anno Christiano 1456, inuicti ducis Huniadis virtute turpiter reiectus, hanc exstruere 14 post annis arcem voluit ad Sauum, e regione Sirmiensis agri: vt inde fines Vngaricos inuadere pro lubitu posset. Hinc nouæ munitioni superbum nomen datum Bonfinius putauit. Sed postea tamen Sabatiam, veluti Sauatiam, a Sauo flumine potius dictam fatetur. Rex autem Matthias, Huniadis filius, anno Christiano 1475, Muchemete adhuc superstite, Sabatiam vi expugnatam recepit: a quo tempore nostrorum in potestate mansit ad hoc vsque bellum Soleimanicum. Alba Græca potitos Turcos notauere nostri anno 1521, die 24 Iunij.

RHODI OBSIDIO. MERMERE. MARmora. Portus Physicus.

De Mentesiana ditione dictum supra, cap. 13. Videnda quoque Natoliæ tabula Geographorum principis Ortelij. Mermere Turcis adpellatur opidum Anatoliæ maritimum, a cuius portu distat interuallo non magno Rhodus. Opidi nomen Græcis est Marmora, portus autem, Phisco, pro quo legitur in Ortelij Natolia Fischio, non recte tamen, quando Physcus etiam Sophiano scribitur. Situs est e regione portus Rhodij, qui ab hoc dumtaxat XVIII milliaribus Græcis disiungitur. 217.

MEGALO MASTOR RHODI. Stankoi. Bedrum.

Græca voce Turci quoq; μεγάλον μάστορα vocant magnũ Rhodi Magistrum, vel ordinis equitum Rhodiorũ principem. Is erat id temporis Philippus Villerius Liladamus, natione Gallus: qui Fabricio de Caretto nato e familia Marchionũ Finariensium in Liguria Saxonicæ stirpis, nec ita dudum mortuo, successerat. Deditio Rhodi facta fuit anno Christiano 1522, die 25 mensis Decembris, videlicet natalicio Christi, quo etiam Soleimanes vrbem ingredi voluit. Erat in potestate Rhodiorum equitum nobilis quoque Cos insula, Hippocratis medici patria, quam Itali nautæ Lango nominant, Græci στὼ Κῶ, velut εἰς τὼ κῶν, Turci Stankoi. Hæc itidem Soleimanis in manus, amissa Rhodo, venit. Arcem quoque Bedrum sequutam mox aiunt annales horum exemplum. Eam Marius Niger existimauit esse Branchidas Cariæ Strabonis, & Petrum vocat. Idem Halicarnasum veterem putat respondere Castello S. Petri, quo de nunc annales hi loquuntur. Notus quidem est sinus S. Petri, sic a Castello S. Petri dictus: sed vtrum referendus sit ad Halicarnasum, an ad Iasum Cariæ, sinus vt Iasius ille Plinianus sit, equidem aliis definiendum relinquo. 218.

FINIS DVCATVS DVLGADIRENSIS SCACH Suvvar. Zuiria. Tzanisas.

Quemadmodum antea, capite 157, quosdam ostendimus anticipasse finem regni familiæque Caramanicæ: sic etiam factum in Aladeuliorum familia, fineque principatus Dulgadirensis, videmus. Quippe nostri volunt, eam desiisse sub imperio Selimis, anno Christiano 1514, quo tempore captus & occisus fuit Vstezalues, vti supra declaratum. Turci vero tradunt illi fuisse substitutum a Selime fratris filium, Alimbegum, qui Scachi Suarensis filius heic adpellatur. Is septem annis a morte patrui potitus imperio, nunc tamdem sub Soleimane sceleratis insidiis e medio tollitur. Scachi nomen iis gentibus est familiare, de quo commentationis huius initio diximus. Sic in adpendice Reineccij ad caput 8 Aythoni, Siruania non pro alio debet accipi, quam pro Scacho Siruani, qui Mediæ Scachus 219.

siue rex est: sic & Philippo Bergomati quidam nominatur Tzanisas, vocabulo corrupto ex Tzani Scach, qui Tzanorum Scachus est, gentis itidem Ponticæ, sicut & Suarenses ad Pontum Colchidemve pertinent, vel Lazi, vel eis proximi. Ac sunt iidem hi Suarenses, quorum regionem Ortelius ex Alphonso Hadriano Zuiriam nominauit.

AIGAS BASSA. CHASNADAR BASSI. Apochrysiarius Bonfinij. Apocrisiarius.

220. Habet heic lector illum Aigasem bassam, quem supra indicauimus a Iouio voce Græca nominari Aiacem. Oriundus erat e Cimera, non procul a Corcyra, trans sinum sita, quam Leo Sapiens Augustus Chimaram in nouella de thronis adpellat, & cum Buthroto, ibidem ad quintum a Corcyræ opido & arcibus milliare sito, Naupacti metropolitano subijcit. Supremus thesaurarius in Officiis Portæ Osmanicæ Chasnadar bassi dicitur. Eorum explicatio suum, non multo post, locum inueniet. Et sunt in omnibus regnis Thesaurarij, quos Bonfinius dici Romanis Quæstores, Græcis Apochrysiarios existimans, fallitur. Nō enim apud hos Apochrysiarij reperiuntur vsquam, sed Apocrisiarij; longe diuersi nomen officij, quo fungentes, A responsis aliqui Latine vocarunt. Græci hodie sic internuntios & legatos adpellant.

PETROVAR. SIRMIVM. FRANCOCHORION. Interitus Ludouici regis Vngariæ prædictus a spectro.

221. Quod Varadinum Petri dicitur, Vngari Petrouar adpellant, hoc est, ciuitatem petri, vel πετρόπολιν. Sitam in libero colle vidimus ad Danubium, in ea parte regni Vngariæ, quæ a Salankemene, Tibisci ostiis obuersa, (dictū de hac capite 10.) vsque ad Varadinum hoc Petri. Sirmium vocatur. Græci, Francorum a cæde, φραγκοχώριον recentioribus in historiis dixere. Quod annales aiunt, pugnatum inter Soleimanem & Ludouicum circa tempus Ikindi, de notatis capite 210 lector intelligit. Etenim quod Christianis vespertinarum precum tempus est, hora nimirum tertia post meridiem: Turcis Ikindi nemas adpellari notauimus. Stephanus Broderithus in historia de hac Ludouici regis Vngari clade, dimicari ceptum refert hora post meridiem fere tertia, quæ scilicet a Turcis etiam memoratur. Hic autem Ludouicus, eius nominis apud Vngaros secundus, Vngariæ Bohemiæque rex, ad opidum Mohatzium, (Mugacium libuit aliis nominare) prostratis vndiq; copiis suis, prœlio semet eripiens, in vicina palude, quum in altiorem paullo ripam euadere conaretur, & equus regius posterioribus pedibus insistens, frustraque saltum in ripam aduersam moliens, in dorsum vna cum vectore corrueret; ita vt erat armatus, sesquipalmis in aquæ lutulento gurgite depressus & suffocatus interiit, anno Christiano 1526, die mensis Sextilis 29, Ioannis Baptistæ decollationis memoriæ dicato, pro quo natalem alij non recte ponunt, id est 24 Iunij. Filius erat Vladislai Iagellonij, Casimiri Poloniæ regis nepos. Matrem habuit Annam Candalensem, regiæ Nauarrenæ stirpis apud Vascones, in Gallia; quæ nulla cute vel pelle tectum in lucem edidit, quam postea medicis arte naturam iuuantibus, est consequutus. Habitum hoc infelicis ominis loco. Pater baptissando pro more Christiano, Iulij nomen indere decreuerat: sed aliud suadente matre, Ludouicus fuit adpellatus. Hoc itidem ominosum plerisque visum, quod vnus hoc nomine rex quondam apud Vngaros pariter & Polonos rerum potitus fuisset, Sigismundi regis, & post Imperatoris socer, e Gallica familia regum Neapolitanorum ortus, ideoque Loisus vulgo dictus, qui moriens masculum heredem post se nullum reliquerat. Narrantur & alia, quæ infelici iuueni (quippe vigesimum primum ætatis agebat annum, quum interiret) tristissima quæque portendere credebantur. Retulit aliquando mihi generosus & illustris Baro Kitlizianus Ioannes, quem honoris caussa nomino, sibi notam fuisse matronam honestissimam, gente Bocciana nobili cum primis apud Silesios editam, & equiti Sueuo Stainanæ familiæ nuptam. Ea iuuencula missa fuerat in aulam Ludouici regis, vt esset in gynæcio reginæ Mariæ, Karuli V & Ferdinandi Augg. sororis,

sororis, Ludouici coniugis: & quidem a morte regis omnium consternatis animis, & ob metum aduentantium barbarorum trepide gynæcio præsertim fugiente, coronam regiam, ab aliis præ formidine neglectam, conseruasse dicitur. Commemorabat hanc Baro noster recitare solitam, non multo ante regis interitum, quum Budæ rex ageret, ac pro more clausis arcis foribus pranderet: (misere quidem certe victitasse regem hunc, defraudatum & contemtim habitum a proceribus Vngaris, regio interim luxu diffluentibus, testis oculatus Herberstainus Baro memoriæ prodidit) accessisse ad arcis portam spectrum quoddam, vt euentus docuit, in forma hominis fœdum in modum distorti & claudicantis: altaq; voce flagitasse colloquium regis, cui necessario quædam indicaturus esset, ad regiam regnique salutem pertinentia. Quumque neglectus initio, quod in aulis fieri solet, nunc altiori clamore, nunc eiulatu adhibito, id vti quamprimum regi significaretur, peteret: tamdem hominis importunitate commotos quosdam, quum extra regem ipsum nemini secretum hoc se patefacturum diceret, rem ad regem detulisse: qui mox abire quemdam e splendidioribus aulicis, & simulata persona regia, quid istuc arcani esset, quærere iusserit. Tum vero claudum illum de arcano reuelando velut a rege præsente adpellatum, negasse primum, hunc esse regem: deinde subiecisse, regem, qui se audire nollet, breui periturum: atque his prolatis, in oculis omnium euanuisse. Memorabilis sane plures ob caussas historia, quam equidem loco tam idoneo, minime putaui silentio prætereundam.

NOVVS DERVISLARIORVM MOTVS.

Qui Calenderes Turcis dicantur, qui Deruislarij, declaratum superius capite 171. Deruislarios quidem esse nomen generale, quo Calenderes & alij capite dicto recensiti comprehendantur, vel hoc etiam ex loco perspicitur. Calender autem Zelebi, significat Calenderem siue religiosum nobilem, ex causa in ipsis annalibus exposita, quod originem generis scilicet ad Chazim Bectasem referret; cuius, vt auctoritatis olim summæ viri, mentio facta fuit in vita Vrchanis Gasis, Osmanis filij, non procul ab annalium initio. 222.

BANVM ERDELII SOLEIMANES VNGARIAE regem creat. Caussæ progressuum, quos Turci fecerunt in Vngaria.

De Bani dignitate tractauimus capite 174, de Ardelio vel Erdelio, capite 103. Banum heic Erdelij vocant annales, quem nostri non Banum, sed Vaiuodam Erdelij siue Transsiluaniæ, perpetuo dixerunt. Is tunc temporis erat Ioannes de Zapolia, Comes Cepisiensis, Vngariæ pestis: qui ante prœlium de industria tardius ad Ludouicũ regem copias auxiliares ducens, regem cum suis in extremum illud discrimen coniecisse creditur, vt ambitu nefario peruenire, cæso Ludouico, genuinus scilicet Vngarus, ad regnum posset. Eam ob caussam dudum quoque Ludouici sororem Annam, Ferdinando, magni Maximiliani Cæsaris nepoti desponsam a Vladislao patre paullo ante, quam e viuis excederet, frustra licet ambiuerat: vt eo plus iuris ad regnum, siquidem sororius regis fuisset factus, haberet. Ipsius autem Ioannis Zapoliensis sororem primo sibi matrimonio iunxit Sigismundus Poloniæ rex, e qua tamen nullos suscepit liberos mares. Postea suam Ioanni filiam Isabellam, ex altero coniugio natam, Sigismundus vxorem dedit, vt infra dicturi prolixius sumus. Creduntur Ioannis causæ fauisse Poloni, eamq; studiis maximis quum per alios, tum per Hieronymum Lascum, Alberti patrem, Soleimani Osmanidæ, ac Francisco Valesio Gallorum regi, bonis scilicet illis confœderatis ac sociis, in detrimentum reipublicæ Christianæ commendasse: ne quieta totius Vngarici regni possessione potiti principes Austriaci, formidabiles ipsis etiam Polonis fierent: qui sane stimulus æmulationis Francisci quoque regis animum perpetuo pungens, eum ad consilia nefanda, reiq; publicæ perniciosa, cum indelebili ad omnem memoriam posteritatis infamia sua, perpulit. Ita nimirum per ambitionẽ & inuidiam fuit adtractus in viscera nostra sæuus & iuratus hostis. Vtinam ne nunc etiam fucata libertas electionis, & fœderis Osmanidarum cum 223.

vicina Sarmatia prætextus, ac deteſtabilis quorumdam ambitio, malum aliquod Europæ pariant; quod Deus tamen optumus maxumus omen auortat. Notari quidem annalium verba debent, quibus Iohannes hic Turcis non electus ab Vngaris rex, ſed Banus Tranſſiluaniæ nominatur ante, quam Soleimanis beneficio ſcilicet regnum obtineret. Idem Banus detuliſſe ſua dicitur Soleimani obſequia. Quid aliud hoc, quam factum fuiſſe clientem, vel mancipium potius Soleimanis? Magis id etiam paret ex eo, quod ſequitur: Soleimanis imperio Banum ſe ſummiſiſſe, vel ſubditum Soleimanis factum eſſe, ſicut ipſa verba Turcorum ſonant. Hæc ſcilicet illa libertas eſt, quam ore iactitant, qui Turcis ſemet adiungunt. Fructus autem bonæ protectionis huius & patrocinij Turcici, paullo poſt ex capite 250, & ipſis ex annalibus, vbi de morte Ioannis, & filij matrisque in Tranſſiluaniam relegatione narratur, luce meridiana clarius adparebũt: itemque de ſupplemento annalium noſtro, vbi tandẽ videmus, ambitioſi patris, & reipublicæ noxij filium, Arianæ ſectæ patronum, quæ Mahumetanis fores aperit, ſine liberis, in ipſo ætatis flore, iuſto Dei iudicio, rebus humanis exemtum fuiſſe. Notum vetus, ac veriſſimum quidem oraculum illud:

Εὐσεβέων παίδεσσι τὰ λώϊα, δυσσεβέων δ' οὔ.

Fauſta piorum poſteritas, infauſta ſceleſtûm.

VIENNAM AVSTRIAE SOLEIMANES OBSIDET.
Wetſch. Vindoniana. Oſtrikion.

224. Huius obſidionis auctor Soleimani fuit Ioannes Zapolienſis, hoſtis Germanorum, cum Vngaris ſuis, parum æquis nationi bene de ſe meritæ. Nec in illa cæcitate ſua dementes perſpiciebant, ſi Soleimani licuiſſet in Germania pedem figere, (quod ſane quo minus fieret, per ipſos non ſtetit, ſolo benigni numinis fauore peſtem illam noſtris a finibus auertente) non minus Vngarorum libertatem oppreſſurum fuiſſe barbarum, quam noſtram: a fronte ſcilicet, & a tergo iam ipſis intra ſepta ſua concluſis. Vienna Turcis eſt Wetſch. Vetus adpellatio Vindomana legitur in Noticia vtriuſque imperij, quam equidem integriorem puto, quam Vindobonæ: præſertim ſi diuiſa littera M in N & I, dicatur Vindoniana: ſicut obiter ſuperius etiam capite primo commentationis huius indicauimus. Regioni nomen non ab Auſtro datum, quod ab Auſtris perflari crebro ſoleat, vt Lazius ſcripſit, ſed ab orientali ſitu, reſpectu reliquæ Germaniæ, vel e Prætore Græciæ noſtro paret, qui Græcis ὀστρίκιον ſuo quoque tempore dictam oſtendit. Id enim nomen Oſtrich, vel Oſt Reich, Germanis ſimpliciter ſonat regnum orientis, vel ad orientem ſitum. Quod frigoris vi narrant Turci Soleimanem ab obſidione diſcedere coactum, excuſandi Sultani ſui, ſuorumque cauſa faciunt. Quippe conſtat, Turcos vicies muros vrbis ſubiiſſe: vicies a mœnibus virtute propugnatorum fuiſſe repulſos: adeoque tamdem, frameis licet ac fuſtibus adhibitis, adigere ſuos amplius ad oppugnationem redintegrandam nulla vi potuiſſe. Hinc vrbis capiendæ deſperatio Soleimanis animum ſubiit, vt adparebit ex ipſa Viennenſis obſidij deſcriptione, quam ad finem libri huius lector inueniet. Cepit in morem fugæ Soleimanes reliquis cum copiis abſcedere, die 14 Octobris, anno Chriſtiano 1529. Atmindanis nomen, cuius mentio ſequitur, expoſuimus ſupra, capite 130.

ALTERA SOLEIMANIS CONTRA GERMANOS EXpeditio. Caſan Michalogli cum ſuis a Friderico principe Palatino cæſus. Palatinorum in rempublicam merita.

225. Intelligunt annales Hiſpani nomine Karulũm V Auguſtum, Hiſpaniarum regem: quem Imperatorem Romanorum infitiari ſolebat Soleimanes, quod ſe belli iure ſucceſſorẽ Conſtanrini magni diceret, qui tam occidentis, quam orientis fuiſſet imperator. Caſanis Michaloglis nomen apud Soiterum, qui ex noſtris hoc bellum eleganter deſcripſit, non legitur. Vaiuodæ adpellatio, quæ Caſani tribuitur, capitaneum ſignificat. Cæſus cũ ſuis memorabili clade fuit a Friderico principe Palatino Rhenenſi, auxiliorum imperij ſupremo duce, qui poſt Septemuirali dignitate fulgens, honorata grauique ſenecta vitam in terris clauſit ſuam.

suam. Serenissima sane Palatinorum principum familia tam superiori, quam hoc contra Soleimanem bello, perutilem immortali cum laude sua reipublicæ Christianæ nauauit operam: quum obsessa Vienna Philippus, e Friderici fratre Ruperto natus, in loco nihil id temporis munito, contra vim potentissimi hostis defendendo, suum pro salute patriæ caput deuoueret: Fridericus & Wolfgangus fratres Crembsij, ad decimum a Vienna lapidem, cum copiis in omnem bene gerendæ rei occasionem intenti subsisterent: ac nunc demum anno tertio redeunte Soleimane, primus Fridericus ad defendendam Austriam aduolaret, & paratus ipse barbaros imparatos & imprudentes inuaderet, cæderet, profligaret. Hostis quidem ellogium, de cæso ab Alamanis Casane Michalogli, ad huius familiæ laudem pertinet.

CORONE, INSVLA BALV, BADRA, CAPTAE A NOSTRIS.

De corone dictum cap. 177. Insula Balu, locus est ad ipsam Coronen, litori 226.
proximus, quem incolunt Græci, Turcis inhabitantibus. Hinc intelligi potest, quod apud Ortelium legimus, Coronen in Messenia Peloponesi, Sophiano dici Coron, Mario Nigro Nisi. Quippe νησί Græcis insulam significat, integreque dici debebat νησίον. Ac toti nomen vrbi a patre Niger dedit. Badra Turcis effertur, Peloponesi vrbs: Patrasso vocant Itali: Patræ quondam Græcis, numero multitudinis enuntiabatur.

CHAIRADIN BARBAROSSA. CESAIR.

Notionem vocabuli Chairadin capite 36 dedimus. Heic nulla fit Horuccij 227.
mentio propterea, quod perierit ante, quam pro Turcis aliquid insignis rei gessisset, priuatis contentus commodis. Maior is natu frater Chairadinis, sub archipirata Kemale nomen & rem consequutus e piratica, Selimem Arabem, regni Algeriensis heredem, cui rogatus suppetias tulerat, per insidias in balineo necauit, & vrbem cum regno sibi per vim adseruit. Exstincto deinde Horuccio, cuius interitum Iouius descripsit, Chairadines frater, & ipse pirata nobilis, in possessione regni successit: tamdemque Soleimani factus longe carissimus, ea gessit, quæ deinceps in annalibus exponuntur. Ad hunc per errorem omnia referuntur heic, de capta præsertim Cesaire, quæ a fratre, dum viueret, gesta fuerant. Cesair Numidię metropolis, Algerium vulgo dicitur. Priscis erat Iulia Cæsarea. Nicolaides a Mauris Gezeir, Arabibus Elgezair dici putat, nomine significante insulam, propter Balearium & aliarum insularum viciniam, sane ridicule: quum vtrũque sit idem, nisi quod alteri additus est EL vel AL articulus Arabicus: & vtrumq; corruptum sit ex Cęsarea, sicut & Cesair. Barbariam vocari maritimam Aphricam, initio supplementi annalium nostri monuimus. Asprorum quadragies centum millia faciunt centum millia talerorum, pretio taleri vnius ad 40 aspros reuocato, sicut ostensum est capite 18.

OFFICIA PORTAE OSMANICAE PRAECIPVA, *cuiusmodi sunt hodie.*

Prius, quam accedamus ad explicationem officij, quod Chairadines heic 228.
consequutus traditur, supremi videlicet beglerbegi maris: vno tamdem complectamur loco totius aulæ, vel Portæ potius Osmanicæ officia præcipua, rebusque Turcicis explicandis & intelligendis necessaria.

Primum hæc sciri oportet esse duûm plane generum, aliis intra saraium deputatis ipsiusmet Sultani ministeriis, ac rursus aliis extra saraium sua obeuntibus munera.

Intra saraium hi Sultano seruiunt.

Capi Aga, vel Capi Agasi. Præfectus aut Capitaneus Portæ.

Oda Bassi, cubicularius maximus, & pręfectus Itzoglanis saraij. Adolescentes sunt, qui ab ætatis octauo, ad vigesimum annum vsque, pro Sultano aluntur & educantur intra saraium, varieque pro indole sua instituuntur, præsertim vt legere discant, & scribere, & iaculari, & equitare: legumque Mahumetanarum summam percipiant.

Chaſnadar baſſi. Theſaurarius maximus.

Kilertzi baſſi. Diſpenſator maximus.

Serai Dar Agaſi, vel Serai baſſi. Supremus ſaraij præfectus, abſente Sultano.

Et hi quidem omnes ſpadones vel caſtrati ſunt, ac ſinguli ſub ſe plures alios, itidem caſtratos vel eunuchos, habent.

Secundum hos, tres inprimis adoleſcentes ſunt, ipſius Sultani miniſteriis inſeruientes, quorum hæc nomina:

Silichtar, qui arcum, ſagittas, arma cetera Sultani portat.

Tzohadar, qui veſtium Sultani curam gerit, eiuſque ſcaramangium portat, ad arcendam pluuiam factum. De hoc plenius dictum capite 199.

Kiuptar, cui potus Sultani commendatus eſt, & qui ſemper eques etiam pro Sultano fert aquam ſecum in lagena.

Pertinet huc etiam, id eſt, refertur inter officia ſaraij, Boſtangi baſſi, præfectus hortulanis: cui delectorum e Chriſtianorum liberis Atzamoglanorum ſupra quatuor millia parent.

Sunt autem his omnibus ſui tam vicarij, quam alij officiales adtributi, qui pro antiquo more gradatim ad dignitates ſupremas adſcendunt. Inſeruiunt autem recenſiti hactenus ipſi Sultano intra ſaraium, ac ſiquidem eques e ſaraio prodit, omnes eum comitantur: ſin aliquò ſe mari confert, ipſe Boſtangis baſſa clauum caicæ, ſiue nauigij, quo Sultanus vehitur, tenet ac gubernat.

Ad ſaraium quoque pertinent hi, quorum nomina ſequuntur:

Zeſchnegir baſſi, prægustator maximus, & prægustatoribus ceteris, plus minus centum, præfectus.

Mutpac Emini, præfectus culinæ, vel rei cocinariæ.

Achſi baſſi, coquus maximus.

Extra ſaraium hæc officia numerantur.

Primus omnium locus eſt Muphti, qui ſupremus eſt Alcorani ſiue Mahumetanæ legis interpres: & auctoritatem apud Turcos eam obtinet, quam Papa ſiue Pontifex maximus apud Latinos; apud Græcos, Patriarcha.

Huic proximi ſunt Cadileſcheri vel Cadiaſcheri, ſupremi & ordinarij militarium ciuiliumque cauſarum iudices: vnus per Græciam vel Europam, dictus Rumeli Cadileſcher: alter per Aſiam, Anatoli Cadileſcher: quibus tertium Selimes primus adiunxit, poſt ſubactos Armenios quoſdam, Dulgadirenſes, Ægyptios, Syros, Arabes: ideoque maius eſt huius officiũ, propter multitudinem populorum, & ipſarum regionum amplitudinem. Plura de his diximus ſupra c. 29.

Sequuntur Vezir baſſæ, capita ſcilicet conſilij Sultanini. Quondam non niſi tres aut quatuor Vezires erant, vti paullo poſt exponemus. Sed nũc vel plures, vel pauciores, prout viſum fuerit Sultano, deligũtur. Supremus, qui Vezir azem Turcis adpellatur, ſolus vniuerſum maxima cum poteſtate adminiſtrat imperium, ceteris in diuano (quod explicatum nomen eſt ſub finem 171 capitis) ſic adſidentibus, nihil vt ipſi proloquantur. Ex his etiam deligitur iudicio Sultani, qui Ser Asker, & Ser Dar adpellatur, explicãdis paullo poſt vocabulis. Quum nos Conſtantinopoli ageremus, Vezirum dignitas a Sultano Murate, nouo ceteroqui exemplo, nouem baſſis erat tributa, quorum ſubiicere nomina libet.

1. Oſman baſſa, Vezirazem, & Ser Dar contra Perſas.
2. Meſſich Baſſa.
3. Mechemet baſſa.
4. Ali Capitan baſſa, beglerbegus maris: noſtris Vluz Ali, hoc eſt, Ali apoſtata.
5. Ibrahim baſſa beglerbegus Cairi vel Ægypti.
6. Ferhat baſſa, belli dux cõtra Perſas.
7. Giaffer baſſa.
8. Ali baſſa, ſororis Sultani maritus.
9. Cigalogli baſſa, beglerbegus Reuani.

Poſt vezires, auctoritate maxima ſunt tres Beglerbegi, quorum hic ordo.

Rumeli beglerbeg, hoc eſt Romaniæ ſiue Græciæ.

Anatoli beglerbeg, hoc eſt, Anatoliæ vel Aſiæ.

Denizi

Denizi beglerbeg, hoc est, maris: qui vulgo Turcis nunc recepto vocabulo, Capitan bassa quoque nominatur.

Hi tres parem in sedendo locum & honorem obtinent cum ipsis bassis veziribus, quoties in diuanum publicum veniunt.

Sequitur Nischanzi vel Nissanzi bassa, qui litteras omnes, omniaque mandata, & instrumenta, quotquot apud Portam expediuntur, obsignat: veluti supremus Portæ Cancellarius.

Tres Dephterdari, quorum primus, nostro more loquendo, Præses Cameræ, vel præfectus est ærarij maximus: duo reliqui, velut collegæ ipsius, & consiliarij fiscales.

Rais Kiutap, cuius in manibus sunt omnes libri, commentarij, res ad Archiua pertinentes. Ideoque gradum Vicecancellarij tenet, aut primi vel maximi secretarij.

Omnes autē, hactenus enumerati, suo in diuano publico sessionem habent.

In eodem diuano sedent etiam XL plus minus Iasitschi, siue secretarij, vel actuarij: qui scripturas absque mora perficiunt & expediunt. Ac tanta quidem sedulitate geruntur omnia, vt ipsa negotia propemodum eodem tempore proponantur, consultatione subiiciantur, & exsequutioni mandentur.

Sequuntur Agæ, Turcis Agalari dicti, numero multitudinis, vel Officiales, siue Tribuni, qui non habent sessionem in diuano, vel Synhedrio, siue consilij publici loco: nihiloque minus obligati sunt, vti cottidie compareāt in saraio, sibique deputatis in locis aliis sedeant. Notionem vocis Aga, lectori cap. 173. dedimus.

Principem vero inter hos Agalarios locum obtinet, Genizarorum Aga siue Tribunus, qui Kihaiam siue vicarium suum, & Capitaneos, & cohortium duces, & alios officiis præfectos habet. Adeoque sub eius vexillo tam Genizarorum, quam Solacchorum, viginti circiter hominum millia militant.

Proximus huic Emir Halem, qui supremus est vexillifer, & in expeditionibus vexillum Sultaninum gestat, & alioqui vexilla beglerbegis, in mortuorum loca substitutis, itidemque Sangiacbegis, offert. Quippe quum quis horum a bassis in defuncti locum electus est, mox Emir Halem symbolum ei dignitatis, vexillum tradit: simul tympanistas & tibicines ad domum vel tentorium electi sub vesperam mittit, & istic pulsare tympana, tibias ac fistulas inflare iubet. Officium fructuosum est, & primi, secundum Genizarorum Agam, nominis ac loci.

Capitzi bassæ, modo quatuor, modo sex, pro arbitrio Sultani creantur. Et præfecti sunt Capitzilariis, id est, ianitoribus: habentque singuli sub se trecentos, aut quadringentos Capitzilarios, quorum est inseruire ipsius personæ Sultani, eumque circumstare, quoties publice facultatem adeundi se præbet, quod audientiam dare dicunt: & belli tempore, quādo Sultanus in castris est, circum ipsum excubias, instar cubiculariorum agunt.

Duo Præfecti stabulo, maior & minor. Primus ipsis Buiuc Emir Ahor, vel Achor, vel Achur: alter, Cutzug Emir Achur, adpellatur. Vulgo vterque dicitur Imbrahor bassi. Apud Græciæ Prætorem nostrum vox est ἀμυραχούρης, ex Emir & Achur itidem facta. Vide a nobis explicata cap. 14, & cap 200, ad XXIII portam Constantinopoleos. Habent hi suos etiam Kihaias, id est vicarios, & alios præfectos officiis: eorumque parent imperiis hominum ad duo millia.

Tzaus bassi, capitaneus siue præfectus Tzausiorum, qui numero plus minus sunt septingenti, & cum nobilibus aulicis comparari possunt, quorum scilicet opera variis principes in commissionibus & mandatis expediundis, & deducendis exterorum principum legatis, vtuntur.

Capitzilariorum Kihaia, maximus vicarius quasique suppræfectus omnium Capitzilariorum siue ianitorum. Eius officium poscit, vt vna cum Tzausiorum bassa pedes in diuano coram Bassis adstet, argenteum manu baculum tenens, quem Græcos dixisse σκῆπτρον siue sceptrum, capite 173 notauimus: vt introducat eos, qui audiri postulant: vt scripturas e diuano, quum vsus exigit, ad Sultanum ferat: eiusque vicissim sententias (resolutiones vulgo dicunt) Vezirazemi referat.

Mutapheraki bassi, capitaneus Baronum ac præcipuorum begorum aulæ, qui non tenentur in militiam proficisci, nisi aliquam in expeditionem Sultanus ipse prodeat. Ideoque nostrorum ad Baronum similitudinem, liberi esse volunt. Maiori etiam ex parte filij sunt Bassarum, procerum, beneque meritorum virorum de Osmanidis.

Sex Agalari siue Tribuni Spachiorum, id est, equitatus immediate deputati custodiæ Sultani. Horum hæc nomina sunt.

1. Spahoglan Aga, vel Agasi.
2. Silichtar Agasi.
3. Sag Vlefetzi bassi.
4. Sol Vlefetzi bassi.
5. Sag Garib Agasi.
6. Sol Garib Agasi.

Horum vero Tribunorum vnusquisque duobus aut tribus equitum millibus præest.

Sequuntur non pauci, quorum adpellationes simpliciter heic ponemus, in commodiorem dilaturi locum tam prolixiorem de his, quam de plurimis prætereа nunc silentio prætereundis explicationem.

Topzi bassi, præfectus Artilliariæ, siue rebus ad tormenta bellica spectantibus.

Tzegebetzi bassi, præfectus armis, vel armaturæ.

Tzader Mecter bassi, præfectus tentoriis.

Tzalitzi Mecter bassi, præfectus tubicinibus, & musicæ Sultaninæ castrensi.

Autzi bassi, supremus rei venatoriæ præfectus.

Doganzi bassi, præfectus accipitrariis, siue Falconariis.

Tzagerschi bassi, præfectus nisis, quos sparaueros vocamus.

Samsontzi bassi, præfectus canibus venaticis. Hoc officium inter præcipua numeratur. Et quondam ex iis, qui huic præerant, deligi Genizarorum Agalarij, siue Tribuni, solebant.

Seguan bassi, præfectus iumentis sagmatariis in exercitu, vel in Comitatu Sultani. Iumenta vero sagmataria, vel sagmaria, vel samaria, (pro quibus summaria non recte scribi apud Beluacensem, ostendimus capite 20) Græci vocare solent, quæ nostri clitellaria. Sunt in his equi, muli, cameli: rariores tamẽ apud Turcos ad hunc vsum equi, plures muli & cameli. Quapropter a Seguane recensendi veniunt.

Deuetzi bassi, præfectus iis, qui camelos agunt.

Catertzi bassi, præfectus agasonibus, vel mulos agentibus.

Harpa Emini, præfectus equorum pabulo.

Præter hos, non exigui nominis ad portam sunt:

Dephter Emini, præfectus libris, quibus Timaria continentur. Et supra copiose dictũ, cap. 186, de timariis & timariotis, siue timaratis. Et Emini generaliter alioqui significat eum, qui prouentus siue reditus aliquos recipit & administrat.

Kihat Emini, superintendens Cancellariæ, veluti Taxator quispiam, nostro more: qui regalia Cancellariæ, quæ vocant, exigit: eorumque curam necessariam gerit. Hoc officium comparari pretio decem, vel etiam quindecim millium ducatorum singulos in annos, solet: quo potiri qui potest, maximas opes colligit.

Tersane Emini, superintendens Arsenalis: id est, qui νεωρίου φροντιστὴς est, siue προνοητὴς, vt Græci dicunt, siue qui naualis curam gerit.

Sunt alia quoque tam officia, quam officiales Osmanicæ Portæ, minorum tamen illi (quod dici solet) gentium: & eo quidem numero, magis vt idoneum locum sibi poscunt, vbi plenius explicentur. Interea vero, dum luculentiora paramus, & quidem horum collationum cum Palatij & imperij Græci dignitatibus, hæc beneuoli lectores æqui bonique faciant.

PRIMVS

PRIMVS DENIZI BEGLERBEGVS FACTVS CHAIRADINES.

Sangiacus Gallipolis. Sultani Muratis huius iusticia. στρατηγὸς siue Prætor Calliopolitanus, & δωδεκανήσου. Cedrini correcta versio.

Solebat ante illa tempora classis Sultaninæ præfectus esse maximus & ordi- 229.
narius is, qui Calliopolis Sangiacus erat. Hoc ex Laonici quoque pluribus locis intelligere licet, vti quum in Muchemete II mentionem facit Ionuzis præfecti (Sangiacum interpretatur) Calliopolis, itemque Zogani præfecti Calliopolis: & postea tamen regiæ classis imperatorem facit eumdem cum præfecto Calliopolitano. Nunc etiam Sangiacatus est Calliopolis, sed maris siue Denizi beglerbego, tamquam maiori, subditus: & ibidem huius beglerbegi sedes est ordinaria, quam residentiam vulgo vocant. Fuit igitur a Soleimane noua reperta dignitas, vt maris prætor non amplius esset sangiacus, sed beglerbegus. Huic officio tunc Chairadinem cum titulo veziris præfecit: vti nũc Vlutzalis quoque maris est beglerbegus, & Vezir bassa. Præerat ipsius nomine Calliopoli, quum istic vno, plus minus, mense nos hæreremus, Subassa quidã natione Genuensis, vir humanus; &, quod in apostata mirere, nobis in causa quadam nostra perquàm addictus & vtilis. Quippe mortuo ad Calliopolim, vt in supplemento annalium narrauimus, Henrico Barone de Lichtestain, Cadius siue Potestatus vrbis Calliopolitanæ, relictas ab eo res, veluti bona caduca, & ad se, qui cadilicatum a Sultano pecunia, pro more Turcico redemisset, deuoluta repetebat a nobis, & animo iam deuorarat. Nos autem ab ipso ad subassam adpellantes, fuisse Baronem defunctum Cæsaris nostri legatum, adeoque personam publicam, replicabamus: cuius bona nec pro caducis haberi, nec adplicari fisco, nisi violato iure gentium, possent. Quum auarus Cadius a sententia ne litteris quidem amplissimis salui commeatus prolatis & inspectis, dimoueri vellet: Subassa, compellatis nobis Italica lingua, præsente Cadio cum adsessoribus suis, id consilij dabat, vt Constantinopolim ad Oratorem Cæsaris nostri rem omnem perscriberemus, & aliquem e nostris eodem ablegaremus, cui veredarium vltro se adiuncturum policebatur. Ita re Constantinopoli cognita, & ad diuanum delata, confestim Sultani Muratis iussu missus ad nos fuit Tzausius quidam Murates, natione Circassus, qui non solum hac lite nos liberaret Calliopoli, verumetiam extra Dardanellos, a Calliopoli 27 milliaribus Græcis dissitas arces, vbi naues perquiri solent, ne mancipia vetitæue merces exportentur, deduceret. Simul remissa Cadij, nobis iniurij, pœna fuit arbitrium Oratoris Cæsarei, Pauli Baronis Eitzingani, collaudataque Subassæ prudẽtia, qui pro nobis aduersus Cadium stetisset. Missum quoque diploma nouũ salui commeatus, priori longe seuerius: quo interdicebat, ne qua nobis a quoquam suorum exhiberetur molestia: sed vt omnibus rebus nos potius omnes vbiuis locorum in imperio suo, iuuarẽt. Tzausius ipse cum Sultano se loquutum, & audisse referebat ex ipsius ore, quum diceret, nullo modo se permissurum, vt vlla re, vel minima, pactæ cum imperatore Christianorum indutiæ violarentur. Ideoque quum aliquando nobis Hebræus quidam publicanus, (sunt enim in Hebræorum manibus omnia per imperium Turcicum telonia, quæ nummis a Sultano redimunt) ipso præsente, nescio quid molestiæ nauicula, qua vehebamur ad arcem Asiaticam, perquirenda exhibere vellet, ei tanta vi pusdiganum siue clauam ferream in caput impegit: vt quasi mortuus humi collaberetur, & moribundus a suis domum deportaretur. Sed enim ad rem vt redeamus, hoc Sangiaci Calliopolitani officium præturæ maritimæ Turci a Græcis acceperunt, quos iam toties diximus eos multis in rebus æmulatos. Apud Cedrinum aliquoties is, qui στρατηγὸς siue prætor Calliopolitanus erat, etiam τῆς δωδεκανήσου præturam gessisse traditur, quo vocabulo non tam duodecim insularum, quam maris imperium significatur. Etenim hodieque Sangiacatus insularum, Mitylenę, Chij, Naxi, Negroponti vel Eubœæ, Rhodi, Leucadis siue S. Mauræ, cum aliis, ad imperium eius, qui maris est beglerbegus, pertinent. Alicubi Xylander, ceteroqui doctus vir, & Græcæ perquam peritus, apud Cedrinum insulas Dodecanesi vertens, ita duodecim insularum

ciuitatem vocari adiicit, errore manifesto. Quis enim audiuit vmquam in Ægæo vel Archipelago, ſicuti nunc vocat, ciuitatem inſularum duodecim? Locus eſt in eius Nicephori vita, qui feminam proteruam, & nimiopere crudelem in Conſtantinum filium, cui oculos eruit, Irenen imperio deiecit. Habitantes in duodecim inſulis, dicere debuit interpres. Et intelligit Cedrinus inſulas extra Dardanellos vel arces Helleſponti, vel extra Seſtum & Abydum, in Ægæo mari ſitas; quarum hæc, ſi requiris, habeto nomina: ſicut a Græcis olim vocari ſolebant, & nunc iiſdem, nautarumque vulgo, & Latinis enuntiantur.

Ex Helleſponto ad dextram, verſus occaſum ſolis nauigantibus, occurrunt:

1. Λῆμνος. ϛὶω λῆμνον. nautis Stalimnes. Lemnus terra ſigillata nobilis.
2. Εὔβοια. Negroponto, Eubœa.
3. Νάξος. Nexia. Nixia. Naxus.
4. Πάρος. Paro. Parus.
5. Μῆλος. Milo. Melus, Thucydidea nobilis hiſtoria.
6. Ζάκυνθος. Zanthe. Zacynthus.
7. Λευκὰς. ἁγία μαῦρα. S. Maura.
8. Κεφαλλωνία. Cefalonia. Cephallenia.

Ex Helleſponto ad læuam, verſus ortum ſolis nauigantibus, hę ſeſe offerunt:

9. Λέσβος. μιτυλώνη. Metellino. Lesbus.
10. Χίος. Sio. Chius.
11. Σάμος. Samo. Samus.
12. Ῥόδος. Rodi. Rhodus.

Vt autem aliæ minores inter has inſulas duodecim Dodecaneſi non numerabantur, veluti quæ tunc præfectos nullos; vti ſangiacos nullos nunc, habebant: Ita nec ampliſſimæ duæ, Cyprus & Creta, nunc Candia: quod inſtar magnarum illæ prouinciarum ſuos ſingulæ prætores haberent. Nec Cypro capta, Sangiacatum ex ea Selimes ſecundus fecit: ſed beglerbegatum, velut ex inſula regni ius antiquitus habente.

EXPEDITIO SOLEIMANIS PRIMA CONTRA Perſas, ex hiſtoriis Theodori Spandugini.

230. Qui ab annalibus Vluma begus nominatur, apud Spanduginum Zilama legitur, apud Iouium Vlamanus, vtroque vocabulo vitiato. Deprehendet etiam lector, ſi Iouiana cum Turcicis conferre voluerit, a Iouio res Perſico bello geſtas tradi confuſe, mutilate, tenuiter: heic non ordine tantum, verumetiam integrius ac plenius omnia referri. Aliquanto meliora ſunt Spandugine a, quæ cum Turcicis vt conferri poſſint, lectoris gratia ſane interpretando deſcribamus. Erat inquit, id temporis regulus Bitiliſij Sereſes begus, beneficio tamen Sultani Oſmanidæ, cuius imperio parebat. Forte vero quidem, cui nomen erat Vlama, (Zilama corrupte legitur) vir vſu belli maximus, quum res inſignes pro Scacho Sophino geſſiſſet, eaque de cauſa Wanum, (Ziam non recte ſcriptum in edito Spandugino reperitur) ditionem pulcherrimam, ab eo beneficij loco (feudum vulgo vocamus. & vſitatæ ſunt apud Perſas quoque feudorum conceſſiones) impetraſſet: tamdem in eam ſententiam venit, vt deficiendum a Sophino, & Turci partes ſequendas ſtatueret. Erant tunc inter Oſmanidam & Sophinum indutiæ. Turcus intellecta hominis voluntate, mox datis ad Sereſem begum litteris, ei mandat, vt Vlamæ ſuorum aliquam manum adiungeret, quorum præſidio munitus aduerſus impedimenta Sophini, ſecurius ad Portam perueniret. Vlama Wano digreſſus, Bitiliſium ſe contulit. Ea loca diſtant a ſe inuicem dierum quatuor itinere. Sereſes aduentantem Vlamam corripi iuſſit, & vinctum Soleimani miſit. Sophinus Vlamæ diſceſſu cognito, Wanum vna cum coniuge ac liberis Vlamæ in poteſtatem redegit. Hoc initium belli fuit, inter Soleimanem & Scachum Tamaſem geſti. Turcus Vlamam vinculis liberat, eique centum millia Sultaninorum reditus annui donat, atque vnde venerat, remittit: Sereſe bego, ceu perduellionis reo, proſcripto. Simul imperat Vlamæ, captum vti Bitiliſium timarij loco ſibi retineret. Hoc

ret. Hoc modo ceptum inter eos belligerari. Serefes begus sub Sophini signis militabat, Vlama sub Osmanicis. Pluribus pugnis & velitationibus commissis, tamdem Vlama Serefem begum interfecit, & occisi caput Soleimani misit. Is deinde quemdam ex suis ad Scachum Tamasem ablegauit, qui ab eo coniugem & liberos Vlamæ reposceret. Tamases mulierem, vno cum filio remisit. Et acciderunt hæc anno Christiano 1533. Vlama cum vxore ac filio mox intra Soleimanis fines se contulit, tantumque perfecit: vt ipsius exhortatione factus animosior Soleimanes Ibrahimem bassam cum exercitu Halepum ablegaret. Illic in hibernis Ibrahimes substitit, & Halepi castellum exstruxit. Eodem se contulerunt ad Ibrahimem bassam cæsi Serefis begi coniux & liberi, laqueum collo gestantes, & admissorum veniam petentes. Is eis benigniter exceptis, ad Soleimanem litteras dedit, quid de ipsis fieri iuberet, interrogans. Respondit Soleimanes, adiungendos Serefis begi filio 400 Genizaros, qui eum cum matre Bitilisium comitarentur, vt auferre suos inde thesauros, & quocumque lubitum esset, proficisci possent. Si tamen stare suis a partibus, ac secum manere vellent, donare se ipsis timarij nomine Halepum. Ex hoc Sultani responso quum satis perspiceret Serefis filius, suum se patrimonium non recuperaturum: Bitilisium cum matre profectus, thesauros inde suos auexit, & ad Scachum Sophinum se contulit. Ibrahimes vero bassa Carahemidam progressus, Vlamam cum XXX CIↃ Turcorum Taurisium misit, intra quam vrbem Musa Sultanus, Scachi Tamasis adfinis se tenebat. Is quum fugæ se dedisset, deserta, nudataque præsidiis ciuitas, Turcorum se fidei permisit. Confestim per litteras Ibrahimi significat Vlama, quam celerrimo gradu se Taurisium conferret. Ibrahimes Carahemida digressus, & Taurisium properans, Soleimanem litteris hortatur, vti versus fines Persicos maturaret. Ipse Taurisium quum venisset, ædificium quoddam antiquum ibi reperit: quod muniturus, commodum istic architectos Georgianos inuenit, qui munitionem egregiam struxerunt, cui tormenta bellica 350 Ibrahimes imposuit. Hoc tempore Turci Taurisio potiti sex fuere mensibus, & vicinæ ciuitates eorum imperium acceperunt. Soleimanes etiam, quum primum ad Carahemidam accessisset, mox illinc abiit, & Taurisium profectus, ibidem XX diebus hæsit. Inde relicto Taurisio, Sophinum instituit quærere. Sed is perpetuo prœlium detrectans, tamdiu Soleimanem distinuit, donec hibernum frigus ingrueret. Eam ob causam Soleimanes Bagadatim se recipere coactus fuit. Hoc autem frigus vsque adeo vehemens erat, vt neque progredi, neque regredi posset exercitus. Scachus etiam Sophinus omnem eis annonam ab omni parte præcluserat. Vnde factum, vt fame partim, partim frigore dimidius Turcorum exercitus periret. Absque nonnullorum quidem Armeniorum fuisset opera, regiones illius admodum peritorum, qui maximo pretio Turcis annonam vendebant, actum adhuc peius cum ipsis fuisset. Conspicatus in his constitutum difficultatibus Osmanidam Scachus Tamases, e Corasane cum paucioribus, quam decem suorum millibus, mouens; Taurisium adiit, vbi triginta Turcorum millia tribus sub ducibus erant sub Vlama, Siruanogli, & Iadigiare bego: quorum quisque decem millibus equitum præerat. Hi quum accepissent, Sophinum Taurisij fines ingressum esse: prodierunt extra vrbem, seque dimicaturos in hostem professi, Taurisio deserto fugam arripuerunt. Sophinus vrbem ingressus, munitionem a Turcis fabricatam diruit, aheneisque tormentis comminutis, monetam ex ære signauit. Posteaquam Soleimanes ad Bagadatim hiemem vniuersam exegisset, abductis inde copiis, Taurisium versus abiit: & vrbem ingressus, diebus ibi quindecim mansit, ac laqueo suspendi Iadigiarem begum Eminem iussit, cuius culpa factum fuerat, quod a Turcis contra Persas non erat dimicatum. Hoc enim nomine accusauerat ipsum Vlama cum Siruanogli. Sophinus intellecto, Soleimanem motis Bagadatæ copiis, Taurisium tendere: in regionem Corasanis se recepit. Tamdem Soleimanes Constantinopolim reuersus est, firmo Bagadati præsidio contra Sophinum imposito, cui Soleimanem bassam cum beglerbegi titulo præfecit, Albanensem vel Epirotam natione, adiunctis ei triginta duobus

Turcorum millibus. Tauriſium vero, quia relictum ab eo fuerat abſque præſidio, reuerſus Sophinus nullo negotio recuperauit. Et hactenus hæc Spanduginus, cuius interpretari & exſcribere locum voluimus; vt cum annalium narratione conferri poſſit. Libenter tamen æqui lectores fatebuntur, a Turcis pleraque tradita rectius ac plenius.

BELLI PERSICI CAVSA, OCCASIO, PRAETEXTVS.

231. Solemus exemplo Thucydideo bellorum αἰτίας ſiue cauſas, ab occaſionibus & prætextibus diſtinguere, (προφάσεις & ἀφορμὰς ipſe vocat, & προσχήματα πολέμων) quæ quum magnis ſe principibus, ceteroqui bellorum aduerſus finitimos gerendorum auidis, offerunt: numquam eius prætextus deſunt, quos adfectibus ſuis, & cupiditatibus iniuſtis, obtendant. Ita ſuſcipiendi contra Perſas belli vera cauſa Soleimanis erat in animo, deceſſorum ſuorum, Muchemetis II proaui, Baiaſitis aui, Selimiſque patris æmulatio: qui cum Perſarum Scachis acerrimas inimicitias exercuerant, & aliquoties æquo fere Marte cum eis conflixerant. Sibi fortunam magis propitiam Perſis opprimendis, & adiungendis imperio ſuo, policebatur. Hoc cum animo ſuo conſtitutum habenti, nec occaſio defuit; Vlama bego, geſtis bello rebus, & adfinitate Scachi, cuius ei ſoror nupſerat, illuſtri viro ad Soleimanem a Scacho deficiente, magnoſque ſe duce ſucceſſus ei promittente: nec prætextus longe quærendus erat, quum præ manibus eſſet Perſarum a ceteris Mahumetanis diſſidentium noua ſuperſtitio, ab Erdebile cepta, Techmaſis auo, ab Iſmaile Sophino patre defenſa propagataq; , Techmaſis etiam patrocinio ſubnixa. De hac & annalium in adpendice, ſub initium belli Perſici, prolixe diſſeruimus: & adiunximus alia, capite 188 Pandectis huius. Indidem lector intelligere poteſt, quod heic traditur obieciſſe Techmaſi, Perſiſque ceteris, Soleimanes: nimirum eos debito quatuor Mahumetis prophetas honore nō proſequi. Quatuor enim hi Mahumetis tum ſocij, tum ſucceſſores, fuerunt. Ebubekir, Omer, Oſman, & Ali: quorū prioribus ordine tribus reiectis, quartum Alim, Mahumetis propinquum & generum, Perſæ probant ac venerantur.

CVRDISTAN. CVRDI. KELDAN. CORDYNA. CVRTI.

232. Reineccius in adpendice ad octauum Aythoni caput, Cordos & Cordinos nimis late Turcicam gentem eſſe prodidit ex Ioanne Leone Aphricano. Et adiecit alia de Corduenis & Carduchis, quæ heic minime repetenda. Nec Curdiſtanum equidem admiſerim eſſe Mediam, quæ verius nunc Siruan adpellatur. Vox Curdiſtan ſignificat regnum Curdorum. Et habitant hodieque Curdi, ſicut his ex annalibus etiam manifeſto paret, in regione Bagadatis, quæ Babylonia priſcis eſt, & in vicinia Carahemidæ, quæ quondam erat Amida Meſopotamiæ, nunc Diarbekir adpellatæ. Quibus in locis quum olim Chaldæorum ſedes fuerint, equidem ſuperius in annalium ſupplemento concluſi, Curdos eſſe Chaldæos: præſertim quum a vicinis Perſis & Turcis ea regio Curdiſtan adpelletur, quam nunc quoque Keldan vocant Arabes, id eſt Chaldæam. Liber ἀκέφαλος hiſtoriæ Græcæ, cuius aliquoties mentionem feci, poſteros Semis, Nohæ filij, regiones has ſortitos refert: Perſiam, Bactrianam, Hyrcaniam, Babyloniam, Cordynam, Syriam, Meſopotamiam, cum aliis, quæ ſequuntur. Quis heic Cordynam, poſitam inter Babyloniam & Syriam Meſopotamiamque, non animaduertit recentiori vocabulo nominatam, pro Chaldæa? Idem ſitus, iidem fines hodie ſunt Curdiſtani, de quo agimus. Adde Cedrini locum e Baſilio Macedone, quum ait; Baſilium e Meſopotamia victoriæ nuntios accepiſſe: cum quibus adlata quoque fuerint ei multa ſpolia, multaque mancipia Curtorum & Saracenorum. Hi Curti plane non alij ſunt, quam hodierni Curdi, & Curdiſtaniæ regionis incolæ.

SER ASKER SVLTANVM. SERDAR.

μέγας δούξ.

233. Hoc officij ſiue dignitatis apud Turcos non ciuilis, ſed militaris eſt nomen: quo ſigni-

quo significatur supremus imperator exercitus Sultani, siue capitaneus generalis (vti nunc loquimur) supra ceteros omnes capitaneos exercitus. Asker Arabice supremum significat, pro quo Turcorum vulgus Lesker solet dicere: veluti quum Cadi Lesker effert iudicem maximum, qui Arabibus est Cadi Asker. Sultanum gignendi casus est apud Turcos. Persis Serdar, non Ser Asker vocatur, nomine Turcis etiã vsu capto. Græci denique μέγαν δοῦκα nominabant hoc apud se fungentem officio, quod magnum ducem denotat, ac primariæ vocabulum dignitatis est inter alia magni palatij munera.

KETZIE BASSA. CACEBA CHORASAN.

Annales Ketzien bassam, familiari Turcis nomine, Chanem illum adpellant 234.
Chitainum; qui, ceu capite tertio diximus, Vlu Chan discriminis causa vocatur, id est, excelsus aut summus Chan siue rex Tatarorum. Ketzie bassa, si verbum verbo reddas, filtrinum caput significat. Ita tum in genere Tatari Chitaini nominantur, a capitum tegumentis e filtro factis; tum peculiariter ipsorum Chan, vel princeps maximus: perinde ac Persas in genere dicimus Kesilbassilarios, a rubris capitum tegumentis, & ipsi peculiariter eorum Scacho nomen Kesilbassæ tribuimus. Apud Iouium, & alios corruptum nomen Caceba reperitur, pro integro Kezie bassa. Tegumenta vero capitum hæc Tatarica viridis in vniuersum coloris sunt; quo singulari quodam iure siue priuilegio se vti adserunt omnes propterea, quod ortam a propheta gentem vniuersam glorientur. Quippe non vtuntur apud Turcos & ceteros Mahumetanos vestitu viridi, nisi qui genus suum ad Mahumetem referunt: ac præsertim aliis, extra hos, viride capiti tegumentum adhibere, piaculum ingens fuerit. De Chorasane, siue Chorosane, dicto capite tertio sub finem. Recte Cedrinus Persidem interiorem nominauit. Sane si Taurisium occupantibus Turcis, in Chorosane Techmases bellum gerebat: vt minimum ab eis XX dierum aberat itinere.

SVLTANIA, QVONDAM TIGRANOCERTA. ORIGO Sultanici nominis apud Persas, ex Cedrino.

Notauimus e Iouio supra, capite 204, videri Sultaniam vrbem olim fuisse 235.
Tigranocertam, nobilem Græcis & Romanis in historiis: aut saltim e Tigranocertæ ruinis exstructam fuisse Sultaniam. Nomen hoc a Sultanis est consequuta, quod Persiæ quondam fuerit regia, Sultanique sedes ac domicilium. Et a 500 plus minus annis, postquam Turci Persis ac Saracenis oppressis, potiri Perside fuerũt, principes regionis adpellari cepisse Sultanos: ex his Cedrini verbis liquido constat. Turci post Muchemetis (inquit) mortem, deiectis imperio persis ac Saracenis, domini Persidis facti sunt: & Tangrolipicem Sultanum adpellarunt, hoc est principem vniuersum imperium habentem, & regem regum. A Temirlanco denique Sultania fuisse diruta vastataque perhibetur.

FLVVIVS PERSIDIS DOCVS GEZID.

A nouenario numero nomen hoc fluuius accepit. Quippe Docus, nouem si- 236.
gnificat. Nominis ea ratio, quod hac in parte regionis iter facientibus nouies hic amnis omnino sit vel transeundus, vel transiiciendus.

BAGADATINA REGIO IN FORMAM BEGLERBEGAtus redigitur. Bagadatinus Chalipha. Solemanes a Chalipha voluit inaugurari. Chalipha Cairensis. Inaugurationis cærimonia.

De vrbe Bagdat, siue Bagdet, dictum initio Pandectis nostri, capite 4. Heic 237.
notandum, eodem nomine regionem & vrbem censeri; sicut & Babyloniæ regionis mentionem paulo ante, capite 232 habuimus. Addendum obiter, hodieque Chaliphen siue Cheliphen quemdam Bagadate reliquum esse, qui tamẽ dumtaxat nomine tenus dignitatem pristinam tuetur. Quondam enim præpotens erat princeps, vt ex Prætoris quoque nostri paret historia, licet recentiori. Nam suo

tempore commemorat Tancharos, bellicosam nationem Tataricam, omissis inimicitiis & bellis aduersus Sultanum Iconiensem, Babylonio arma intulisse, quem Caliphan Musulmanorum gentes adpellare consueuerint. Notionem vocabuli supra, capite tertio, dedimus. Magnæ adhuc est auctoritatis apud Musulmanos, quo Mahumetani se nomine salutari auent. Iouius etiam fatetur, in Bagdat Chaliphæ siue sacrorum principis sedem esse, quia cunctis Mahumetanis regibus, inquit, excolitur: & veterem adoptandi prærogatiuam retinet, ex certaque coemtionis cærimonia confirmandi Assyriorum regis. Ab hoc Soleimanes, veteris superstitionis instituta sequutus, insignia & ornamenta suscepit. Cærimoniam inaugurationis Iouius non exposuit. Itaque repetemus eam ex commentariis Petri Martyris Mediolanensis, ita tamen, vt prius lectorem moneamus; non Asiaticæ dumtaxat Babyloni, siue Bagadati, Chalipham olim præfuisse, qui dicis adhuc causa scilicet retinetur: sed etiam Babyloni Ægyptiacæ, quæ Memphis est, & Cairus, vti sæpe notauimus. Etenim Sultani Ægyptij siue Cairenses, excusso Bagadatini Chaliphę iugo, ne confirmationem vel inaugurationem saltim ab eo petentes, imperium & auctoritatem ipsius adgnoscere viderentur: suum sibi Chalipham delegerunt, titulo tenus id nominis ferentem, qui certo venditionis imaginariæ ritu, summum Sultanis imperium, accepta non magna pecunia, traderet. Iam igitur ipsius verba Martyris audiamus. Habent, inquit, & Ægyptij summum Pontificem, (id est, Chalipham) ad quem regnū, siquidem viri essent, pertineret. Is ius suum trium millium auri drachmarum pretio regiam tenenti vendit. E tribunali Soldano, stāti pedibus, vitæ necisque liberam potestatem dat. Ipse descendit, seipsum spoliat, Soldanum imperaturum induit, abit priuatus. Permanet in imperio Mahumetes, Caitbei filius & successor. Quæ vltima verba de sui temporis Sultano protulit, tunc isto ritu inaugurato. Regiam tenēti ius suum a Chalipha vendi dicit, Cairensem Sultanorum regiam intelligens, quam annales in Selimo saraium vel palatium Sultaninum adpellant.

SVLTAN IACVP. HESTE BEHISTE.

238. Hunc Sultanum Iacupem, Scachum Persarum, Vsumchasanis fuisse filium, notatum superius 166, & amplius etiam 188, capitibus. Ædificium, cui nomen Heste Behiste, sic a paradisis octo Persica lingua dictum fuit, istic excultis a Sultano Iacupe, voluptatis causa. Notum ex Herodoto, Xenophonte, ceteris, quanti voluptarios hortos regios, & paradisos Persæ priscis etiam sæculis fecerint.

QVID DVNDAR APVD TVRCOS.

239. Solent exeuntes in hosticum Turci prædæ faciundæ causa, numerum aliquem suorum militum, cum vexillo, maxime commodo quodam constituere loco: quo nimirum & præda conuehatur, & sparsi per hosticum milites ceteri confluant, si forte copias aliquas hostiles in procinctu esse cognouerint. Huic in hunc vsum deputato suorum numero, Dundaris nomen dari solent. Talem igitur a tergo selectorum militum manum Soleimanes reliquit, hostium motus omnes obseruaturam: ne quam in suos ex improuiso facerent impressionem, vt reipsa contigit. De Corizzis dictum capite 189.

CHAIRADINES TVNISIM AMITTIT. RAIS. TVLIPANTVM. φακιόλιον, symbolum fortitudinis.

240. Mauribegi nomine qui pulsus a Chairadine fuerat, Mule Assan intelligitur, quem nostri Muleassem vocant, & cuius historiam exposuimus in annalium supplemēto, ad annum Christianum 1573. Begus Hispanus est Turcis Karulus V imperator, ita dictus ex causa superius explicata capite 225. Raislari, siue Raisi, qui sequuntur, præfecti sunt triremium ac nauium. Tulipātum est lineum illud tegmen quo capita Turci candidis inuoluere spiris solent. Græci nunc φακιόλιον adpellant, quod vocabulum extare puto in Onirocriticis Achmetis nostri. Zygomalas aiebat, ab Agarenis haberi pro symbolo fortitudinis, quo admoneantur in bellum ituri, ne de reditu, sed morte potius viriliter oppetenda cogitent: quando mortuorum cadauera linteis inuolui solent.

INDI-

INDICVM DIENSE BELLVM ADENIS REX a Turcis, violata fide, suspenditur.

Hoc loco prius, quam ad res gestas anno Christiano 1538 progrediamur, exponamus sane paucis Indicum de Dio ciuitate (Deu barbaris, Dio Lusitanis nominatur) bellum inter Lusitanos ac Turcos: quando nulla fit eius in annalibus hisce mentio, nec Iouianæ, vel Surianæ, vel aliorum narrationes integræ sunt, & Pandectis a nobis habenda ratio. Memorabile quidem in primis esse fatebitur lector, ob nefariam Turcorum erga regem Adenis perfidiam & immanitatem, qui tamen Musulmanus erat, & ipsorum superstitioni addictus. Auctor expositionis Georgius Hustius Raffiniensis ex Illyrico, nunc Sclauonia, rebus ipsis, quum gererentur, interfuit, & consignatas Magnifico Domino Hieronymo Beck a Leopoldstorf obtulit, qui nobis legendas exhibuit. Igitur anno 1538 Nugnas Acugnanus, orientalis Indiæ prorex, quem prouinciis illis Ioannes rex Lusitaniæ præfecerat, ciuitatem Diensem metropolim ac præcipuam munitionem regni Zambri, quod Cambaiam nostri vocant, in potestatem redegit. Rex autem Zambrius & paganus erat, deastrorumque cultor, & infestissimus hostis Lusitanorum. Is quum Lusitanis imparem viribus se videret, legatos ad Soleimanem bassam, Cairensem beglerbegum, misit; qui hoc prius adito, muneribusque conciliato, Sultanum inde Soleimanem ipsum conuenirent; oblataque pecunia maxima, contra Lusitanos opem eius implorarent; simulque policerentur, herum suum cum pluribus aliis regibus Indicis, eius se summissurum imperio, modo subsidium aduersus hostes Lusitanos impetrasset. Placuit ea Soleimani legatio, qui per hanc se sperabat occasionem imperium Osmanidarum in ipsas longe lateque propagaturum Indias, & auri gemmarumque feracissima regna sui iuris effecturum. Itaque legatis prolixe policetur omnia, classemque mox adfuturam auxilio spondet. Mittitur non multo post Soleimanes bassa, beglerbegus Ægypti, cum machinis bellicis, & iusto exercitu, anno eodem 1538, mense Iunio propemodum exeunte bellum vt hoc conficeret. Quippe Turcis hæc arridebat occasio, quos non tam in oppressos commiseratio, vel officium erga confœderatos; quam spoliorum ac prædę cupiditas, ad bella plerumque pertrahit. Classe ventis vela dante, primum ad Thoron itum, quod est terræ Madianitidis (vt creditur) opidum, in Arabia solitudinibus, haud procul a montibus, Orebo & Sina: quo loco tam exponendis, quam auehendis terra, camelorum opera, mercibus, Ægypti, Arabiæ felicis, Indię respectu, commodissimum est emporium. Post aliquod inde dies adpulerunt ad vrbem Giden in Arabia Petræa, (Ziden alij vocant) quæ ipsa quoque maritima ciuitas est, Turcorum imperio subiecta, nec minus nobile, quam Thoron emporium. Tamdem in Arabiam felicem, & ad portum vrbis Adenis peruentum, circa mensem Octobrem. Est Aden primaria felicis Arabiæ ciuitas, non situ solum, sed etiam opere munita. Quippe nec propugnaculis caret, & ipse locus per se tutissimus est. Ab ortu solis, adiacent ei prærupti & excelsi montes; ab occidente, clausum maris portum habet: a meridiei latere, validum in alto proximo scopulo propugnaculum eminet; in quo noctu Arabes ante, quam a Turcis Aden caperetur, ignes excitabant: qui magno ex interuallo conspecti, Turcicæ classis aduentum indicabant vicinis Arabibus, vti scilicet vrbis ad defensionem concurrerent. Substitit ibi classis, cunctantibus Turcis, & consilia variantibus. Rex quibusdam e numero suorum ad eos ablegatis, cur illuc venissent armati, scire se cupere significabat. Tum bassa, perbenigno regiis dato responso, ac suis ad regem vicissim missis internuntiis, cum muneribus, ne quid hostile moliri videretur, blandiciis & arte persuadet, sub prætextu comparandi pretio commeatus, vt classem Sultani Osmanici cum milite portum interiorem pateretur ingredi. Coherciturum se suos, vt ab omni maleficio, præsertim erga religionis consensu sibi deinctos, abstinerent. Quippe rex Adenis, vniuersa cum gente sua, Mahumetis sacra colebat. Intellectis hisce postulatis, in portum Osmanici admittuntur. Eodem astu vafricieque beglerbegi, ad colloquia rex, & conuiuia pellicitur. Quumque post aliquot dies in nauim prætoriam, tribus dumtaxat e suis comitatus, veniret:

peramanter salutatur, excipitur blande, mensæ & epulis adhibetur. Sed post conuiuium, nescio qua occasione captata, corripitur: ac tum demum sentire miser cepit, improborum munera cum fucata blandicie, fraudis esse plena, prorsusque respuenda circumspectis. Nec mora, dum rex in prætoria detinetur, milites complures de industria, victus comparandi prætextu, ciuitatem ingrediuntur. Solent enim Turci, quod vi non possunt, aut absque multa sanguinis effusione, dolis & perfidia consequi. Mox Soleimani bassæ per secretos indices nuntiant, Arabibus resisti, & vrbem defendi posse, licet aduenissent illæ quoque copiæ, quas fama iam aduentare ferebat. Tum bassa maturandum statuit, & Arabum anticipanda consilia. Portis per absentiam regis occupatis, miles immittitur: oppressisque Turcorum numero ciuibus, Aden in potestatem redigitur. Mox & ipse rex productus, ad malum prætoriæ nauis in sublimi, tribus illis cum comitibus, suspenditur; & ad terrorem, fœdo spectaculo, ciuibus suis ostentatur. Opidani tam indigne regi sibique videntes illusum, velut in re subita trepidare: capite destituti, hostibus impares numero, consilij denique inopes, nihil omnino moliri. Sic in seruitutem redactæ ciuitati præsidium firmum imponitur, prouido scilicet bassæ consilio: ne, si quis aduersus ei casus Indico bello accideret, vicinum deesset perfugium. Nec enim a tergo Turci relinquere solent aliquem vel suspectum, vel aduersarium, qui quemuis in euentum esse sibi possit impedimento. Quippe genus hoc barbarorum longe omnium vaferrimum est, & tam præsentibus, quam futuris circumspiciundis ac pensitandis sollertissimum. Præterea potitus Adene bassa, siquidem reliqua non succederet ex animi sententia expeditio, fecisse tamen operæ pretium videri poterat, ac viam aperuisse tentandis apud Indos aliquando maioribus. Captam ciuitatem ingressus Soleimanes, dato signo, proclamari iussit: ne ciuium bona, neue merces diriperentur: & quemdam e suis, vilioris hominem condicionis, in ipsa vrbis porta terrendis ceteris, capite plecti iussit. Aromatum namque magna huc copia deferri ex India solet. Præterea sinus Arabicus siue Persicus heic incipit, & Abyssinorum Æthiopum, quorum rex Præteianus vulgo nominatur, montes atque limites ibidem conspiciuntur. Osmanici, Adene relicta quum annona copiosa naues onerassent: Oceano se commisere, ac decem nouemque dies ac noctes itinere maritimo consumsere. Tamdem ad ea, quæ petebant, loca quum peruenissent: Bassa Lusitanos adgredi cepit, & vrbem Dion siue Deuon, a Lusitanis Zambrio regi ereptam, obsidione cingi iussit. Itaque machinis bellicis e nauibus in terrā expositis, oppugnata ciuitas quadraginta diebus continuis, tam terra, quam mari: sed irrito plane conatu. Turris dumtaxat quædam, instar castelli seu propugnaculi facta, quæ vno ac dimidio aberat ab vrbe stadio, & cui præsidij causa LXXX Lusitani milites impositi fuerant, Turcorum in potestatem venit: præsidiariis ipsis sese dedentibus, & mox in naues perductis. Duobus elapsis mensibus, auditum de classe Lusitanica, quæ suis succursum veniret. Itaque territus bassa, machinas bellicas nauibus imponi iussit, ac noctu soluens, profugit. Quam enim animose suas in speciem instituunt, & ordiuntur expeditiones, Turci; tam leui momento territi, rebus ex animi voto non succedentibus, honoris omni respectu postposito, ceu timidæ diffugiunt damæ. Quumque iam bassa non procul a Zebetho esset opido, interfici captiuos in littore iussit. Durauit annum integrum hæc expeditio, fuitque Zebethum etiam, Arabiæ felicis opidum, a Turcis in reditu expugnatum. Tam Adeni, quam Zebetho, beglerbegi cum Dephterdaris, singuli singulis præfecti fuere, de quibus non multo post, in beglerbegatuum catalogo.

BELLVM CONTRA CHIMERIOTAS. Ceraunia. Chimara. Auelona. Lutsibassa.

242. Chimeriotæ sunt Arnautlari, vel Albani, vel Epirotæ, trans sinum ex aduerso Corcyræ siti: qua in regione continua montium series est, quam vno vocabulo nautæ iam dicunt Chimeram. Iouius, & alij volunt olim hæc fuisse montana

vel

vel τὰ Ceraunia, itemque Acroceraunia, pro quibus dicere malim equidem Acra Ceraunia. Leo tamen Augustus in nouella de thronis, vt obiter adtigimus antea, sub Ætoliæ metropoli Naupacto, tam Buthroti, quam Chimaræ collocat episcopatus: quæ loca sibi inuicem vicina, Butintro & Chimera, quum illic hæreremus, a nautis nostris adpellabantur. Iisdem Auelona, cuius heic mētio fit, enuntiabatur adiecto articulo Italico Lauelona, vel disiuncte, La Velona: quum quidem vulgaris linguæ Græcæ periti adderent, eo nomine βελόνη, significari acum. Sed ignorabant homines & antiquitatis & litterarum rudes, adpellationem recentiorem hanc ex veteri Aulone factam. Sita est in Albania vel Epiro, ex aduerso extremæ illius oræ Italiæ, quæ in Apulia promontorium S. Mariæ nunc habet, Iapygiam quondam dictum: vbi ciuitas Hydrus posita, dumtaxat intermedio maris Hadriatici sinu, LX milliaribus Græcis ab Aulone disiungitur, vti capite 152 notauimus. Leonis Augusti nouella de thronis Auloniam recenset inter episcopatus metropoli Dyrrhachinæ subditos, & proximo post episcopatum Glauinitzæ vel Acrocerauniæ commemorat loco. Ceterum qui annalibus heic adpellatur Lutsi bassa, corruptum apud historicos nostros, Iouium & alios, nomen habet, Lustibeus aut Luphtibeus. Spandugini de hoc notabilis est locus, quem interpretando lubet inserere. Sultanus, inquit, Soleimanes Lutsi, perquam humili condicione nato, suis ex sororibus vnam dedit vxorem, eumque primum bassam creauit, a quo tamen officio nunc deiectus est. Quippe quum vxor mariti concubitus cum masculis ægerrime ferret, eoque nomine cum ipso expostulans, diceret: fratrem suum, Sultanum Soleimanem, illi se iunxisse matrimonio, secum vti cubaret: excandescens Lutsi bassa, mulieri colaphum impegit. Hoc vbi rescitum a Soleimane, sororem ei protinus ademit, ac recepto Sultanino sigillo, dignite supremi Veziris hominem exuit. Est enim in more apud Osmanidas, vt qui auctoritate quatuor inter bassas est maxima, Vezirazem siue supremus consiliarius nominetur, & in manu sua sigillum Sultaninum habeat. Hæc Spanduginus. quæ sane si vera sunt, vt esse videntur: conueniens fœdis ac dissolutis moribus homini datum nomen fuit. Quippe Lutsi lingua Turcica significat eum, qui non nisi de venere cogitat: qualem Grecus aliquis dixerit ἐρωτικὸν vel ἐρωτομανῆ.

BESICTASI ΔΙΠΛΟΚΙΟΝΙΟΝ.

Besictasi, locus est ad Bosporum Thracium in Europa situs, qua Constantinopoli sursum tenditur, aduerso Bospori fluxu, versus os Ponti Euxini. Plus minus 243. quatuor abest a Galata milliaribus Græcis, aut vno Germanico. Nomen lingua Turcica lapidem siue saxum cunarum, significat: a distractione, puto, Christianorum mancipiorum, ac matrum præsertim, liberos etiam teneros in cunis habentium. Sepultus heic est Chairadines, qui messita quoque noua suo sumtu ibidem exstructa, nobilitare locum & excolere voluit. Διπλοκιόνιον Græcis hodie vocari, prisc is Iasonium, notatum reperies supra, capite 128. Hoc tempore, de quo scilicet annales modo loquuntur, aduecta fuerunt istuc capitum Christianorum, e Corcyra dumtaxat in seruitutem abreptorum, cuiusuis sexus & ætatis, ad sexdecim millia: quemadmodum Iouius memoriæ prodidit. De Sultaninis, & eorum pretio, dictum 18. capite.

CARABOGDANIAE FLVVIVS BERVT.

De Carabogdania consule caput 71. Eius amnis est, quem Berut annales hi 244. nominant. Vngari tamen, & Valachi, siue Moldaui, partim contractius & durius Prut, partim paullo mollius Brut, enuntiant.

NEPTVNI DORIAE, VICTI A CHAIRADINE, FVGA.

Doriam Turci, more Italico, pronuntiant; quem Iouius dixit Auriam, ma- 245. gis consuetudini Latinæ respondente vocabulo, velut ipse quidem existimauit. Is & vsu rerum mari gerendarū, & felicitate singulari, tantam adeptus gloriam fuit: vt vulgo Neptunus, ceu maximus quispiam maris deus, adpellaretur. Hūc tamen a Chairadine prœlio nauali, & artibus imperatoriis superatum, fugisse; non insolenti, sed modesta memorant annales oratione. Quo commendabiliores no-

bis esse debent, vti non ad gratiam suorum, nec ad insectationem nostrorum; sed ad veritatem quæ anima est historiæ, scripti. Iouianum quidem epiphonema, quo clausit hanc narrationem, quam acres habet aculeos? Auria, inquit, tanti vsus, tantæ peritiæ, tantæ existimationis mari dux eo die, nullus imperator exstitit. Atqui cogitare de illo veteri verbo debebat Iouius, quo Demosthenes etiam fugiēs, excusasse se fertur:

'Ανὴρ δὲ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται.

Qui se fuga dat, dimicabit denuo.

Nec inelеganter Alexius Angelus imperator, vt apud Græciæ Pretorem nostrum memoriæ proditum legitur, quum perditis rebus nō modo frustra, sed etiam cum periculo se diutius hæsurum Constantinopoli animaduerteret, omnibus valere iussis, & arrepta sponte, nolenti tamen animo, fuga: Dauidem quoque dixit beneficio fugæ saluti atque incolumitati suæ consuluisse. Non minus certe magni & sapientis est imperatoris, summam rerum incertæ Martis aleæ non temere committere: quam prospere cedentibus omnibus, victoria prudenter vti.

PVBLICANORVM CARCER CONSTANTINOPOLI.

246. Vendit omnia per imperium suum telonia maximo pretio, vel paucos, vel plures in annos, Sultanus Osmanidarum: ideoque si maiores aliqui pecuniæ summas ei vectigalium nomine policeantur, quam reapse deinceps exhibere possint: in carcerem, veluti qui non soluendo sint, & fraudem Sultano facere voluerint, coniiciuntur. Hic carcer publicanorum Constantinopoli dicitur. Et sunt in vniuerso Osmanidarum regno publicani fere Iudæi, gens exactionibus & vsuris nimium quantum supra mortales ceteros dedita: quum ipsi etiam Turci vel Musulmani, paullo sincerioris homines conscientiæ, nolint audire publicani: non aliter, ac si cum infamia coniuncto propter aliorum nequitiam nomine, virum bonum adpellari nefas sit, etiamsi præter officium nihil ipse faciat.

ONTVM CAPISI. XYLOPORTA. PORTA lignaria. Carauanserai.

247. Ostendimus supra, capite 200, quæ porta sit hæc lignaria, videlicet ad quam nauigia lignis onerata solent adpellere: Græcisque dictam ξυλοπόρτην, ab iisdem lignis, quæ huc aduehuntur, nō quod ipsa lignea sit, quemadmodum credidit vterque Chalcocondylis interpres. De voce Caranauserai, dictum capite 14, significari scilicet hac, ædificia carauanis exstructa. Carauanas vero more Turcico se coniungentium esse agmina, quum loca minus a latrociniis tuta peragranda sunt. In hæc ergo carauansaraia, quæ amplissima plerumque sunt, diuertere cum equis, iumentis sagmatariis, mulis, & camelis, hæ carauanæ solent. Vasta sunt ædificia quemadmodum Busbequius descripsit: aliquanto longiora, quam latiora, ceteroqui quadratam ad formam accedentia: quorum in medio patet area ponendis sarcinis & camelis, mulis carrisque collocandis. Hanc aream plerumque circumcirca murus ambit interius, tres plus minus pedes altus; parietibus illis quatuor, quibus totum ædificium clauditur, adiunctus. Eius muri superficies æqua est, patetque in latitudinem pedes quatuor. Heic Turcorum cubilia sunt, heic cenacula, heic rem expediunt culinariam. Nam ad parietes, quibus totum ædificium continetur, foci frequentes cum fumariis vel infumibulis sunt inædificati. Hospites ipsi nulla re a camelis, mulis, equis alia seiuncti sunt, quam eius muri spatio. Quinimmo ad muri pedem ita ligatos habent equos, vt capite ac tota ceruice supra murum emineant, dominisque se calfacientibus aut etiam cenantibus adstent, velut ministri: & interdum panem, vel malum, siue quid aliud, de manu eorum capiant. In eodem muro lectos sibi sternunt. Tapetem in primis explicant, quem ea de causa ephippiis aptatum fere circumferunt. Huic iniiciunt vulgo penulam, ditiores Valentinam, quam vocant: quæ mollibus e pilis contexta candidaque, linteaminum loco mihi quidem ipsorum exemplo fuit. Ceruical præbet equestris sella. Veste talari, pellibus suffulta, qua vestiuntur interdiu, teguntur noctu. Sic somnum capiunt, nullis lacessitum, extra naturalem iumentorum mandentium

tium strepitum, blandimentis. Ipsorum saraiorum, pro carauanis exstructorum, tecta plerumque plumbea sunt.

AREA VEL FORVM TACHTAL CALA. TAMPEzim. Chalcocondylis locus emendatus & expositus. Chalcopratia. Chartopratia. Vicus vitriarius.

248. Aream, quæ Tachtal Cala nominatur, Laonicus in octauo forum adpellauit, & Tactalem vocari addidit. Apud actuarium Malatestanum Tectalaca scribitur. Pro illius Tactale, huius Tectalaca, repone Tachtal cala: quæ voces Turcicæ sunt, & aream tabernas ligneas habentem significant. Quippe Cala denotat tabernulam vel tentoriolum, & Tachtal asseres sunt: vt intelligantur ex asseribus factæ tabernulæ. Hæc area fere vrbis est in meditullio, non procul ab Eskisaraio, vel a saraio veteri muliercularum Sultani, de quo capite 139. Est eadem in area Sultani Baiasitis secundi messita, cuius supra fecere mentionem annales, in eius Sultani funeris descriptione. Hoc autem loco ludicra cottidie omnis generis exhibentur, quæcumque homini venire in mentem possunt. Et adhibentur pueri, equi, asini, canes, feles, cerui, leones, vrsi, leopardi, vulpes, & nulla non alia, peregrina præsertim, animalia. Sunt istic qui chiromanticen profitentur; sunt præstigiatores varij, funambuli, luctatores, saltatores, alij propemodum innumerabiles. Ideo Laonicus inquit: Hæc ludicra quis cottidie cernat in foro, quod Tactalem vocant. Sequitur ibidem vocabulum Tampezim, quo nonnullos ex his ait adpellari. Neminem hoc declarasse arbitror hactenus, quum barbarum sit, & ignotum, addo etiam corruptum. Quippe non Tampezim Turci dicunt, sed Ziampas, quę duabus syllabis vox enuntiatur. Significat autem χοινοβάτας, vt Græci vocant, qui Latinis funambuli sunt. Ad vnum huius areæ latus incipiunt illorum tabernæ, qui Persicas operis excellentis, & Turcicas itidem pictas, Græcas & alias coloris nivei læuigatasque chartas vendunt. Ideoq; Græcis hæc χαρτοπρατεῖα dicuntur. His a tergo proximus est vicus fabrorum, ex ære vasa quæuis elaborantium, qui hoc annalium loco memoratur. Is vicus in historiis Græcorum recentioribus Cedrini & aliorum celeberrimus, nominatur χαλκοπρατεῖα, nimirum a distractione vasorum ex ære factorum. Locus insignis est Cedrini de Chalcopratiis in Theodosio maiore, puto. Vici quoque vitriarij, Chalcopratiis proximi, fit heic mentio: quo tabernæ vitriariorum, vt olim erant in vrbe Constantiniana, veteris ad imitationem Romæ, sic etiam hodie conspiciuntur. Diuersus tamen hic vicus est, ab illa vitriariorum porta, de qua dictum superius, capite 200. De porta fori piscarij, quæ bolucbazar capisi Turcis est, expositum eodem capite 200: sicut & de porta Hebręa, Turcis Schifutlar capisi. Sitæ vero extra muros vrbis a foro piscario ædes, in litore maris; intelliguntur illæ, quæ muris vrbanis excluduntur ab vrbe, secundum litus Ceratini sinus exstructæ, versus septemtrionem, id est, e regione Galatani litoris.

NOVA CAIRADINIS AVSPICIIS RECEPTA.

249. Noua Turcis est, quam Castellum nouum nostri vocant, in Dalmatiæ situm finibus. Id auspiciis Karuli V Augusti receptum fuerat. Quos eius prouinciæ sangiacos ad obsidionem hanc euocatos fuisse tradunt annales, de prouincia Bozinensi accipito, deque præfectis huic: quorum princeps id temporis erat Vlumas ille Persa, de quo dictum capite 231. Translatus enim fuerat a Persicis ad hos fines, more Turcorum, non nimium transfugis fidentium: ac deinceps quoque fit eius mentio in obsidione Agriensi, anno Christiano 1552 a Turcis frustra tentata. Præerat Bozinensi prouinciæ ceu beglerbegatus, & ad Castelli noui obsidionem secū sangiacos suos septem adduxit. Virtutis eximiæ præsidiarij milites, quos hostes ipsi commendant, Hispani fuerunt, & Germani, numero ad IIII CIↃ.

SOLEIMANES SVB PRAETEXTV DEFENdendi pupilli, a Bano Erdeliano relicti, matrem cum pupillo Vngaria spoliat.

250. De Ioanne Zapoliensi, Bano Erdeliano, dictum capite 223. Hic morię̄s pu-

pillum reliquit heredem, tutelæque Soleimanis commendauit, Ioannem Sigismundũ, quem sustulerat ex Isabella Polona, cuius heic mentio fit nomine tamen non expresso, velut Turcis ignoto. Habuerat Ioannis sororem Barbaram, ni fallor, primo matrimonio coniugem Sigismundus maior, Poloniæ rex: qua mortua, Bonam duxit, Ioannis Galeacij Ducis Mediolanensis, ex Isabella Aragonia Neapolitana, filiam. Bona partu primo Isabellam hanc edidit, Ioannis Zapoliensis cõiugem, Ioannis Sigismundi matrem. Ceterum nulla fit heic in Turcicis mentio Ferdinandi Cæsaris, Vngariæ Bohemiæque regis; qui tamen hoc bellum, Perenio & Rogendorfo ducibus, gerebat. Id equidẽ fieri propterea crediderim, quod Ferdinandum Soleimanes, hostem suum, pro Vngariæ rege non adgnosceret. Notanda vero Isabellæ oratio, quam Turci reginæ nomine non dignantur, quum Budam adfirmat non suam esse, sed Sultani Osmanidæ ciuitatem. Nimis in hoc veram se vatẽ experta paullo post fuit bellua, quum Soleimanes ipsa cum filio per summam perfidiam eiecta, Budæ pariter & Vngariç reliquæ, velut in prouinciam redactæ, beglerbegum præficeret, bonus ille scilicet tutor: matre, tam Turcis addicta, cum filio pupillo, in Transsiluaniam vel Erdelium relegata. Huiusmodi nimirum esse præmia societatis & amicitiæ barbaræ solent, vt de tyranno suo moriturus aiebat Aratus: τοιαῦτα τὰ ἐπίχειρα τῆς τυραννικῆς φιλίας.

VALPOVM. STRIGONIVM.

Granus fluuius.

251. Walpou Turcis est arx, Vngaris dicta Walpo, Valponium Iouio. Vltra fluuium Drauam sita est. Post tertium obsidionis mensem a præsidiariis dedita fuit, præfecto ab iisdem capto, & hosti prodito. Strigonium nunc Granum vulgo dicunt, ab amne Grano, qui defluens a Carpathiis montibus, vbi montanæ nunc ciuitates celebres sunt, ad radices arcis Strigoniensis siue Granensis, Danubio miscetur: vnde ciuitati quoque Strigonium nomen inditum putatur, velut Istrigranium, ab Istri & Grani confluentibus. Alba regalis non tam a regum Vngariæ sepulturis sic adpellata fuit, quarum meminerũt annales: quam a regum inauguratione, quæ hoc fieri loco priscis temporibus solebat. Istic etiam rex Ferdinandus, cum Anna coniuge, Vladislai regis filia, Ludouici sorore, XIIII die Februarij, anno 1527, adhibita S. Stephani vera corona, fuit inauguratus.

SCHIRVVAN. SIRVAN. SERBAN. ERROR IOVII.

252. Si lector ab aliis de hoc bello memoriæ prodita leget, nusquã ita descriptum inueniet. Vt Techmas Spandugino Tamas, Sansouino Tolcas etiam: sic Ercas eidem Spandugino nominatur Algas; mirifice vitiatis adpellationibus. Regio Schiruuam aut Siruan, haud dubie nunc est illa, quam prisci dixere Mediam, posteriores etiam Vaaspracan, vt apud Cedrinum in Constantino Monomacho legimus. Fallitur Iouius, quum ait, Albaniam hodie vocari Serban, vicinam Mediç, propterque Caspium mare sitam. Quippe regio Georgianorum est Albania, qui numquam vel ipsi regi Persarum, vel regio fratri paruerũt hactenus: sed Christiani, & liberi, suos principes habent; Persis dumtaxat confœderati, sicut expositum capite 189. Siruanum vero, siue Media, regni Persici membrum est: quod tametsi Mustaphas bassa vezir imperio subiecit Osmanidarum, anno Christiano 1578, & beglerbegatus in formam redegit: mox tamen Persis receptum, ab iisdem hodieque retinetur.

VVAN. VVASTAN. IBANVM CEDRINI.

253. Vrbs hæc cum arce sic ad Persici regni limites pertinet, vt etiam maiori finitima sit Armeniæ. Cedrinus in eodem Monomacho Augusto vocat ἰβὰν, πόλιν τῆς Βαασπρακάν, Id Latine reddens interpres, Ibanum & Baaspracan scripsit. Ego simpliciter exprimerem, vt tanto melius intelligerer: Iuuan, aut Iuan, vrbs regionis Vaaspracan. Et quia capite præcedenti Vaaspracan, ex eiusdem Cedrini auctoritate, Mediam esse docuimus: intelligere iam licet, Wanum ad eamdem Mediam referri debere: vel ea si non contineatur, saltim finitimam videri. Wastanum significat regionem circa Wanum sitam, ceu Wani territorium: siquidem Istan, siue Stan, Turcis regnum vel regionem significat.

NOTICIA BEGLERBEGATVVM TOTIVS OSMAnidarum imperij, quos hodie possident.

Quia Persicis in finibus extremus hic a Soleimane Wani beglerbegatus id temporis institutus fuit, libet hoc loco quamdam quasi Noticiam regni Osmanici lectoribus exhibere, descriptis ordine prouinciis eius siue beglerbegatibus, quos in Asia, Aphrica, & Europa nunc Murates hic tertius, vnici Muchemetis Osmanidæ pater, possidet: vt ita denique Pandecten historiæ Turcicæ nostrum claudamus, visuri deinceps latius ne permissu numinis fines suos propagaturi sint, an vastissimam illam molem imperij, cunctis hactenus formidabilem populis, secundum ipsorummet oracula tamdem aliquando Deus Opt. Max. suæ declarandæ maiestatis ac gloriæ caussa sit euersurus, vel in ordinem, subque iugum filij sui sic redacturus; vt Gogi Magogique sub cælo nullum amplius nomen exstet. Id enim postremis se facturum diebus, per suos indubitatæ fidei vates nobis denuntiauit. Ordiamur autem ab oriente Sole. 254

ASIAE BEGLERBEGATVS.

I. Anatoli beglerbeg. Eius sedes est in ciuitate Cutaige Phrygiæ maioris, quam olim Cotyaium Græci nominabant, sicut expositum capite 40. Sangiacos habet sub se duodecim.

II. Caraman beglerbeg. domicilium habet ad Caisariam Ciliciæ, de qua suo dictum loco. Septem sub hoc sangiacatus sunt.

III. Siuas beglerbeg. ad Sebastiam, de qua consule caput quintum Pandectis huius.

IV. Tocatun beglerbeg. Residet ad vrbem Amasiam. Sub eo sunt quinque sangiacatus.

V. Dulgadir beglerbeg. de hac prouincia consule caput 163 Pandectis huius. Quatuor sub se sangiacatus habet.

VI. Halep beglerbeg. ad Halepum siue Berrhœam Syriæ, de qua capite 6.

VII. Scham beglerbeg. ad Damascum Syriæ.

VIII. Tarapolos vel Trapolos beglerbeg. ad Tripolim Syriæ.

IX. Maras beglerbeg. ad Marassum, propter Euphratem situm, inter Halepum & Mesopotamiam.

X. Diarbekir beglerbeg. in Mesopotamia, ad vrbem Amidam, quam Turci nunc Carahemid nominant. Sangiaci parent huic duodecim.

XI. Bagdat beglerbeg. ad Bagdatim siue nouam Babylonem, de qua cap. 4.

XII. Balsara beglerbeg. ad sinum Persicum, non procul a Bagdat siue Babylone.

XIII. Laxa beglerbeg. Antiquitus Carmania. tendit ad limites Ormuz, & Persis est finitima.

XIIII. Gemen, Aden beglerbeg. in Arabia felici, ad litus rubri maris. vide caput 241. Diuersa loca sunt, vno tamen beglerbegatu comprehensa.

XV. Chebetz, Hustio Zebet beglerbeg, vt eodem capite dictum. Locus situs in litore sinus Arabici, finitimus est imperio regis Æthiopum Præteiani.

XVI. Missir beglerbeg. Cairo præest, & toti Ægypto. Sāgiaci sub eo sexdecim.

XVII. Cypri beglerbeg. Nicosiæ vel Famagustæ degit.

XVIII. Scheherezul beglerbeg. in Assyria, Persis finitimus.

XIX. Wan beglerbeg. respicit Persarum fines, versus Siruanum siue Mediam, & Armeniam maiorem, ceu dictum capite præcedenti.

XX. Arzerum vel Erzrum beglerbeg. in Armenia maiori, ad limites Siruani siue Mediæ, & Georgianorum. Distat a Tarabosane siue Trapezunte, sex dierum itinere.

XXI. Tiphlis beglerbeg. finitimus Georgianis siue Curgginis, vt nunc adpellantur. Institutus fuit a Mustapha bassa Serdare anno Christiano 1578, mense Septembri. Locus etiā priscis notus, apud Cedrinū reperitur in Constantino Monomacho, verbis huiusmodi: Asā (is erat e Tāgrolipicis fratre nat⁹) a Sultano Tāgroli-

pice missus contra Romanos, quum Taurezium, & opidum nominatum Tephlis, præteriisset: Vaaspracaniam ingressus est, id est, Mediam.

XXII. Siruan beglerbeg. Hoc nomine Media nunc adpellatur, a metropoli Siruan, quam eodem anno Mustaphas idem cepit, & primum istic beglerbegum constituit Osmanem bassam famosum: sed a Persis non multo post eiectus fuit. Nihilo tamē minus hic beglerbegatus Osmanidarum inscriptus est libro, qui nisi restituatur, numquam se pacem facturos cum Persis profitentur.

XXIII. Temircapi beglerbeg. Locus est ad mare Caspium, porta ferrea dictus, & Capi derbent, porta faucium vel angustiarum. Cepit hunc Osman bassa eodem anno 1578, & in formam beglerbegatus, necato Schemhali Chane, socero suo redegit.

XXIIII. Cars beglerbeg. Cedrinus Carse nominat, & in Persarmenia collocat, quæ nunc Armenia maior est. Distat Cars ab Arzerum quatuor dierum itinere. Beglerbegatus cepit anno Christiano 1579, auctore Mustapha bassa.

XXV. Tschildir aut Tzildir beglerbeg. ad fines Georgianorum, ab eodem Mustapha bassa institutus, anno 1579. Porsius Tschaldung perperam scripsit.

XXVI. Fassa beglerbeg. in Mengrelia. Munitio structa per Vluzalim Capitan bassam fuit anno 1579, & ibidem institutus beglerbegatus. Sed paullo post discessum eius captam vicissim Georgiani diruerunt. Ciuitatis Phasianæ mentionem facit Leonis Augusti nouella de thronis, & episcopum eius refert sub metropolim Trapezuntis. Hæc eadem cum hodierna scilicet Phassa fuerit.

XXVII. Sochum beglerbeg. in Georgianorum finibus, a Sinane bassa vezirazeme institutus, anno Christiano 1580.

XXVIII. Batin beglerbeg. ibidem a Sinane tunc institutus.

XXVIIII. Reuan beglerbeg. Hunc locum Ferhates bassa cepit & muniuit anno Christiano 1582, ereptum Tocmaci Sultano, Persicarum partium principi. Beglerbegus istic primus fuit Cigaloglis bassa, Genuas.

XXX. Somakie beglerbeg. De Somakia, quę Chalcocondyli Samachia nominatur, dictum supra, capite 188. Beglerbegatus auctor fuit Osman bassa, anno Christiano 1583.

Posteriores autem beglerbegatus hi, bello decennali Persico, quod adhuc geritur, instituti; quemadmodum noui sunt, ita potius nomine tenus sic adpellandi veniunt, nec cum antiquis comparandi. Nunc ordinem naturæ sequendo, prouinciis Asiæ recensitis meridiem versus ab oriente progrediamur.

APHRICAE BEGLERBEGATVS.

I. Cesair beglerbeg. Sedem habet in Algesair, quæ nostris est Algerium, sicuti capite 227 notatum.

II. Tunisi beglerbeg. residet ibidem.

III. Tripoli beglerbeg. domicilium ibidem habet.

Sunt autem Aphricæ duo præterea regna, libro Turcorum vel Osmanidarum (vt ipsi loquuntur inscripta) quæ tamen necdum inter beglerbegatus referuntur, sed potius tributariorum seu feudorum nomine veniunt; Fessa nimirum, cum Maroco.

Nunc ad occidentem, & aquilonem, quæ restent prouinciæ, videamus.

EVROPAE BEGLERBEGATVS.

I. Rumeli Beglerbeg, quem Græciæ vocant. Sedes eius est Sophiæ. Sub eiusdem vexillo sangiacatus infra scripti continentur.

1. Sophia Seruiæ.
2. Nigeboli siue Nicopolis, vide caput 51.
3. Kirckliffe. vide cap. 193.
4. Vyza, Thraciæ.
5. Kirmen, Macedoniæ.
6. Siliſtra. ibidem.
7. Giustandil. ibidem.
8. Bender, versus Euxinum Keraiosque Tataros.
9. Acherman. vide cap. 159.
10. Vscopia. vide cap. 169.
11. Prisrem, Thessaliæ.
12. Salonichi, Thessaliæ.

13. Trichala,

13. Trichala, ibidem.
14. Misitra, quondam Sparta, Moreæ.
15. Palæopatra, ibidem.
16. Iagnia, Ioannina Ætoliæ,
17. Deluina } Achaiæ.
18. Elbassan }
19. Auelona. vide cap. 242.
20. Ducaggin. vide caput 206.
21. Iscodar, in Albania. vide cap. 121.

II. Denizi beglerbeg, qui & Capitan bassa vulgo, pro maris capitaneo siue prætore. Sedes ipsius est Gallipoli. Sangiacatus ei subiecti sunt:

1. Gallipolis. vide cap. 23.
2. Galata. cap. 127.
3. Nicomedia. cap. 74.
4. Limnos. cap. 229.
5. Mityline. cap. 138.
6. Chios. cap. 229.
7. Nexia. ibidem.
8. Negroponto. cap. 142.
9. Rhodi. cap. 229.
10. Cauala. cap. 44.
11. Napoli di Romania.
12. Lepanto. cap. 175.
13. S. Maura. cap. 178.
14. Alexandria.

III. Budun beglerbeg. Sedes eius ibidem. Subiecti sunt ipsius iurisdictioni sangiacatus hi fere:

1. Nouigrad.
2. Filek.
3. Zetschen, siue Zetzen.
4. Zolnok.
5. Gran.
6. Segedin.
7. Alba regalis.
8. Sexard.
9. Simontorna.
10. Copan.
11. Muhatz.
12. Ziget, siue Saswar.
13. Petscheu, vel Quinque ecclesiæ.
14. Sirmium.
15. Semendria.

IIII. Temeswar beglerbeg. residet ibidem. Subiecti sunt eius administrationi sangiacatus hi.

1. Temeswar.
2. Mudaua.
3. Vilaoswar.
4. Tschianad.
5. Vutschitirni.
6. Giula.
7. Vidin.
8. Lipa.

V. Bozna beglerbeg. Sedes ipsius in Bagnialuca. Sangiacatus hi subditi sunt.

1. Bagnialuca.
2. Poschega.
3. Clissa.
4. Herzegouina.
5. Lika.
6. Sazeschna.
7. Iswornik.
8. Brisrem.
9. Allatschia chissar.

VI. Coffe beglerbeg. Eius sedes est ad vrbem Capham in Taurica Chersoneso. Sangiacatus dumtaxat erat initio. beglerbego Græciæ subiectus. Præter Capham, & ei vicina loca, sangiacatus omnes, ditione sua complectitur, ad Tanaim paludemque Mæotidem sitos. Sed verum si fateri volumus, beglerbegi nomen potius titulo, quam potestatis amplitudine tuetur.

Hæc meta regni barbari, nostrique laboris esto, quam Dei propitij nutu feliciter adtigisse gaudemus: & eumdem suppliciter oramus, tamdem vt abolere sanguinariam & impiam tyrannidem velit, ac veteris oraculi veritatem euentu comprobare; quo creditum pluribus a sæculis, Coranum legemue Mahumetis gladio ceptam, gladio propagatam, gladio denique terminandam: vt obstupescens ad operis diuini magnitudinē, & effusus in hymnos orbis vniuersus, accinat.

IMMORTALI ET
OPTVMO MAXVMO
DEO SOLI HONOS
OMNIS ET OMNIS
GLORIA SÆCVLIS
INFINITIS.

gique parere, in animum inducerent, iis pristina iura, immunitates, libertatemque pollicebatur. Quibus minis coactæ ciuitates, Quinqueccleſienſis, Alba regalis Peſtenſis, aliæque præterea multæ ſeſe, nihil reluctatæ, hoſti dedidere.

Sola Buda, præſidio duorum vexillorum, quæ Chriſtophorus Peſſerer, & Ioannes Traubinger, Capitanei ducebant, freta, hoſtis minas contemnere auſa: circumfuſa Turcarum agmina, aliquot dies fortiter repugnando, remorata eſt tamdiu, quoad iugi hoſtium oppugnatione debilitati, fracti, ſpeque contra tantos impetus tuendæ vrbis, deſtituti milites Germani, ad arcem refugere, vltro vrbe hoſti relicta. Arx porro ad voluptatem magis, quam vim inſtructa erat, neque natura, neque hominum opera ſatis munita, proinde factum, vt de ea ſeruanda diffidentes, de ſalute quæ in vltimum diſcrimen vocata videbatur, cogitarent. Ideo conditiones quas, ſi arcem vltro dederent, Turcarum tyrannus tulerat, accepere, arcem in hoſtium poteſtatem dedere. Erat autem in conditionibus, Turcarum Cæſarem, ſi arcem traderent, omnium ſaluti, vitæque parcere decreuiſſe, comites inſuper daturum, qui ſaluos eos ad ſuos perducerent. Firmatis itaque, ſignatiſque propria Turcarum Cæſaris manu litteris, fidentes milites, relicta arce prodiere, acceptiſque conductoribus, abitum parabant, ſed infelices qui perfidi hoſtis datam fidem, tutam exiſtimarint. Vix portas vrbis egreſſi, a Ianizaris, (ſic illi Prætorianos milites vocant, rei militaris expertiſſimos, in quibus ſpes omnes rerum gerendarum ſitas habent) excepti, circumuentique, armis primum, boniſque exuti, nudique dimiſſi, deinde haud ita longe a Buda crudelem in modum trucidati: ægre ex omnibus ſexaginta dilapſi, ſeruatique, perfidiæ plus quam Punicæ teſtes euaſere. Occupata Buda, Turcarum Cæſar recta exercitum ad Viennam adducere properauit. Budæ Cepiſienſem Comitem, & Ludouicum Gritti Veneti ducis filium nothum, cum quinque millibus peditum, tribus equitum, reliquit. Quæ ad Danubium ſitæ arces, caſtella, oppida, vrbes, vltro hoſti paruerunt; in quibus Plintenburgium, Strigonium, Comaronum, Altenburgium, ita munitæ arces exiſtunt; vt ſi ea, quæ debuerat, in earum præfectis fides, probitaſque fuiſſet, & præcipue, ſi Strigonienſis Archiepiſcopus, fœderum ſacramentorumque oblitus, ſui ſaltem officij, nominiſque memor eſſe voluiſſet, arcem ſitu, arteque munitiſſimam, & ad inhibendum, crudeliſſimi tyranni impetum appoſitiſſimam, non vltro apertam, præſul Chriſtianus, exitiali Chriſti nominis hoſti obtuliſſet, adque illius partes deſciuiſſet. dierum aliquot moram ſane Turcarum Cæſari obieciſſet, quoad regia maieſtas vndique contracto, quam poterat validiſſimo exercitu, aduerſus hoſtium immanes copias ſeſe armaſſet, firmaſſetque: tantam cladem reſpub. Chriſtiana non accepiſſet, Auſtria, ferro, ignique vaſta non iaceret, tot hominum millia per ſummam crudelitatem interfecta, non deſiderarentur; irreparabilia damna declinaſſemus.

Hic nihil ceſſans Turcarum Cæſar, mira celeritate Viennam verſus contendit, eamque viceſima ſecunda die Septembris, nona hora, ante meridiem, aliquot millibus equitum, abſque vlla intermiſſione, quoad reliqua immenſi exercitus moles cōflueret, obequitari tentarique fecit. In vrbe ſæpe ad arma ſignum datum, quo ſecuri militum animi, ad obeunda, ſuſtinendaque, futura prœlia, acriores vigilantioreſque deinceps concurrerent. Quę cum inſperata omnium animis accidiſſent, militiæ præfecti, & a conſiliis, de vrbe tenenda conſilium inierūt: cumque vndiquaq; ſuburbiis cincta eſſet, quæ hoſtium inſidiis opportuna vrbi defendendæ obſtare videbantur; decreuere incendenda, diruendaque. quod cum non ſegniter milites effeciſſent, atq; adeo perpetuo quatriduo, effractis foribus ædium, direptis, hoſtilem in more, infœlicium ciuium bonis, vino, quo ea vrbs abundat, partim exepto, partim in terram effuſo, pulſatis dominis, ſi qui ſua ſeruare ſtudebant, octingentas domus ſubruerunt. Deinde militiæ præfecti, a conſiliis, tribuni, milites, vnanimi conſenſu, ſacramento fœdus pepigere, ſeſe vrbem pro virili tueri velle, ſeruareq; tormenta, quę amiſſa, magno hoſti adiumento forent, ad reliquias Germanicæ nationis ſuperandas. Et omnino pro Chriſti fide religioneque, ſi quis caſus vocaret, vna ſtrenue pugnando aut vincere, aut fortiter occumbere.

Hinc ad hostem ab vrbe depellendum, versa consilia; munita variis operis mœnia: sua, quam tueretur, cuique Duci designata vrbis regio est. Illustrissimus Princeps, Comes Palatinus Rheni Philippus, Bauariæ dux, &c. qui vltro præsentibus periculis caput suum obiicere non dubitauit, centum equitum turma tempestiue Viennam ingressus, quod eius patruus Fridericus, comitiis Spirensibus, aduersus Turcas omnium principum consensu, supremus capitaneus ac Dux electus, subito hostium aduentu exclusus, Crembsij resedisset, in eius locum nepos suffectus, cum reliquis sacri Imperij ducibus, qui XIIII vexillis peditum præfuerunt, eam vrbis partem, quæ a porta est, quæ Hungariam versus patet, & Stubarum nomen sortita est, ad turrim vsque Rubeam, quam vocat, defendendam suscepit. Eck a Reischach, cuius ductui tria millia peditum paruerunt, portam Carinthiam, quæ ad hostium vim minus munita, fidelius præsidium exigebat, ad Augustini ædem suorum robore vallauit. A quo Abellus ab Holeneck, qui Stiriæ auxilia ductabat, duo vexilla peditum, regionem Vrbis, quæ ad arcem vsque sita est, cũ suis insedit. Arcem Leonhardus a Vels, cui imperatori Veterani per Hungariam variis casibus exerciti, obtemperarunt: hortorũ arcis Maximilianus Leisser partem tuebatur. Arcis item portam, ad vsque Scotorum portam, & Iudæorum turrim, occupauit.

His in subsidium, si qui casus vocaret, quatuor Vrbis areis, quingenti equites Austriaci subornati: vtrinque præterea ad Scotorum portam Ioannes a Greisneck, & Ioannes Hauser duarum vrbis regionum, ciues substituerunt: reliqui ciues præfecto ciuium, & iudici parere iussi, quibus restinguendi incendij, si quod exortum esset, partes datæ. Reiprechto ab Eberstorff, qui duobus vexillis præfuit Austriacis, regio vrbis, quę a Iudæorum turri tenet, & *im Ellendt* germanice appellatur, concredita. Inde Hispani milites ad Carinthiorum portam, vbi maius periculum vrbi imminebat, virtutis ergo, & ob tormentorum, quos arcobusos appellant, copiam accersiti sunt. Reliquam vrbis partem, qua Danubius præterlabitur, ad turrim vsque Rubeam, & Imperij auxilia, Ernestus a Brandenstein, quem duo millia Bohemorum secuta sunt, vna cum Wilhelmo a Wartenburg, & Comite Ioanne ab Hardeck, qui ducentos equites ducebat, insederunt. Duces, militiæ præfecti, & a consiliis, nobilissimi atque optimi quique, quod magnus metus animos omnium inuaserat, vtrinque ad Carinthiorum turrim pulueribus submotis, mœnia subrutum, diuulsumque iri, vbi summum periculum erat, ibi summopere excubandum rati: inter quos Ioannes Cacianer fuit, Stiriæ & Carinthiæ auxilia: Caspar item Ritschan, & Sigismundus Leysser cum duobus vexillis militum, a Carinthiorum porta ad diui Augustini ædem in omnem euentum instructi paratique consistebant. Cum porro descripta munia, quisque obiisset, delegatasque vrbis regiones occupassent, tormenta ænea producta, perque vrbem, mœnia ac turres distributa, præcipue autem super Carinthiorum turri collocata instructaque sunt, quorum aliqua crebro iaculandi impetu puluerum vi rupta dissilierunt, neque vllus sane locus ad vniuersum Turcarum exercitum circumquaque impetendum vexandumque oportunior fuit. Indeque adeo maxima damna Turcis illata plærique ex captiuis affirmarunt. Portæ vrbis omnes clausæ, communitæque fuere, vna Salis porta, qua ad Danubium itur, aperta, vnde eruptio, si qui casus tulisset, fieri posset. Nauigia bellica celocesque optimi regis Ferdinandi prouidentia, maximis impensis a fabris Italis, aduersus Turcarum Nassadistas instructa armataque, in naualibus exusta, concisa, ac submersa sunt. nautæ enim Itali, qui in spe erant, frustra expectabantur. Ad murum proxima ædificia, quæ gerendis rebus obstare videbantur, solo æquata. Ligneæ tegulæ, ne exceptis malleolis, ac sulphuratis iaculis, incendium alerent, circumquaque deturbatæ. Iacti præterea aggeres ab ea vrbis parte, qua hostis pręcipue timebatur, vt si etiam mœnia subruta forent, vnde se defenderent, haberent.

Interea dum hæc fierent, qui Turcæ exercitum præcurrerunt, pernicibus equis freti, nostros assiduis incursibus exercebant, quibus cum toto triduo acriter nostrates equites congressi, quosdam captiuos trahere, cæsorumque capita in vr-

bem referre: nulla ab armis quies, nulla intermissio fuit, donec immanibus hostium copiis, campi circumquaque completi sunt. Vicesima tertia die Septembris, equitatus nostri circiter quingenti, per Stubarum portam, quæ nōdum clausa erat, progressi: cum hoste ad diui Marci ædem concurrerunt, & cum hostium ingruentium impetum non ferrent, auersi sese ad mœnia proripuerunt. Eo prœlio tres e nostris cæsi, septem capti fuere, in quibus Comitis Ioannis ab Hardeck vexillifer Christophorus Zetliz fuit, qui ab equo deturbatus, vexillum alij, qui ad vrbem referret, commisisse fertur. Turcæ, tribus, qui ex nostris cæsi, capita abscidere, tribus item ex iis, qui quatuordecim, ad Diui Marci ædem, mille passus pro Stubarum porta in ptochodochio leprosi ægrotabant, interfectique sunt, capita ademerunt, quæ pilis totidem præfixa, captiuos equites ad Turcarum Cæsarem ferre coegerunt: qui cum ad Cæsarem Turcarum perducti constitissent, eos interrogauit, an non essent principes, ac gerendarum rerum, militiæque præfecti, vrbem dedituri: cui responderunt captiui, obfirmatum esse apud omnium animos, obsidionem tam diu tolerare velle, quoad vitam, spiritumque ducere queant: quo sermone Turca perculsus, deinde quanta hominum vis intra mœnia esset, item interrogauit. Responderunt, Doryphoros XX millia esse, equites duo millia. Tum vbi Rex eorum esset, quæsiuit. Lincij eum agere responderunt, idque oppidum ad ripam Danubij XXIIII milliaria longe a Vienna situm esse. Ad hæc Cæsar, Quæram illum etiam si in medio sit Imperio, ac reliquos Germaniæ populos inuisam. Percontatus præterea est, suburbia quamobrem exusserint. Fieri enim non posse, vt vrbē seruent, se nihil dubitare, quin potiturus sit. Ad quæ illi, se nescire responderūt. Interim nostri, duobus e captiuis Turcis, velatis oculis, per ciuitatem ductis, liberam ad suos redeundi potestatem fecerunt. Quo facto vexill ferum, cuius ante mentionem fecimus, egregie aurata sericiaque veste adornatum, cum tribus e captiuis, quibus trinos ducatos dono dedit, saluos XIIII die Octobris ad vrbem remisit, in mandatisque dedit, quo dicerent militiæ præfectis se, si vltro ciuitatem dederent, cum eis pro mœnibus pacisci velle, oblatis bonis conditionibus: neminem ex suis intra ciuitatem intromissurum: nullius rem, salutemue offensurum, eorum qui in vrbe essent: quod si facere recusarent, negauit se inde discessurum, quoad vi armisque expugnatam occupet, ex omni ætate minores, maioresque natu trucidet, vrbem igni in cineres redactam, solo æquet. Subiunxit præterea, vt dicerent, quando vnus Deus sit, qui cœlestia moderetur, æquum esse, vnum caput, vnum principem orbi terrarum imperare. Eum sese esse velle, vitamque acerbam habiturum, quoad illos, vniuersamque Christianorum nationem armis subegerit, suæque ditioni parere coegerit. Ad quæ cum nihil prorsus responderetur, instructis ordinibus exercitus robur Viennæ admouit. Oppidum Pruck & arcem Trautmansdorff, quod resistere tantis viribus desperabant, iustis rationibus nihil reluctantes, in deditionem accepit, nemini quicquam damni fecit, inque discessu etiam ab omnium bonis temperauit. Quibus locis occupatis, ex infinita multitudine prædonum exercitum, circiter triginta millia, Michaloglio Bassa duce, (Hi nullis stipendiis militant, ab reliquo exercitu pernicibus equis effusi, oppida, pagosque incendunt, & prædam agunt) longe lateque amandauit. Quocirca Stiriam penetrantes, & ex altera Danubij ripa, ad Laureacum vsque, peruetustum superioris Austriæ, supra Onasum flumen oppidum, peruadentes; inaudita efferatæ immanitatis exempla edidere, dies, noctesque, iugibus incendiis continuarunt: prædam ex hominibus, iumentis, pecudibus, reque familiari egerunt, nullum crudelitatis genus interim omittentes, cæsis crudelem in modum, quos captiuos ducere posse desperabant: in mulieres, ac teneram ætatem omni libidine intemperantissime abusi: prægnantibus exciso vtero fœtus eripientes, partim terræ alliserunt, partim hastis præfixos sanguine rorantibus deferebant: ex præda quæ ferre non poterant perdiderunt.

Obsessa autem Vienna est XXVI die Septembris, aqua terraque circumcirca, immanibus Turcarum agminibus, vt ex edita Diui Stephani, elegantis, vetusti

ac rari operis pyramide, vnde longiſſime proſpectus patet, humani oculi acies, exercitus magnitudinem ſuperare, comprehendere, metiriue nequiuerit. Ad decem millia paſſuum denſa tentoria, circiter vigintiquinque millia numero (ſic enim fere compertum eſt) poſita tenebant. Ipſe Turcarum Cæſar, ad Diui Marci, quæ ædes in via, qua itur in Hungariam, ſita eſt, caſtrametatus vſque ad Schuechat, & arcem Trautmansdorff; Imbraim Baſſa ſupremus Turcarum Cæſaris a ſecretis, & capitaneus, ac rerum pene omnium gubernator, a Danubio ad vſque Viennæ montana, caſtra habuit. In medio Turcarum Cæſaris exercitu, quemadmodum veriſſimis authoribus didicimus, tercentum ænea tormenta, quas bombardas vocant, collocata: vallo, foſſaque circum caſtra munita, & ad prœlium parata, inſtructaque omnia. Cæſaris caſtra, magnifice intus, de gentis more, auleis, aureis puluinaribus adornata, foris auratis faſtigiis collucebant, quæ quingenti circumſtipabant ſatellites, arcubus armati: ante tormenta mediocri relicto ſpacio, robur exercitus, quos Ianizaros vocant, conſiſtebat. Hi feruntur magna apud Turcarum Tyrannum authoritate eſſe, in quibus ſpes omnis victoriæ pendeat, quique eligendi Imperatoris poteſtatem habeant. Numero duodecim millia fuere. Deinde Baſſæ, duces, & capitanei, ex Natolia, id eſt, minore Aſia, Boſſena, aliiſque Turcæ ſubiectis prouinciis, poſt mœnia ad Cecium montem vſque obſidebant. Naſſadiſtæ, qui celocibus, actuariiſue nauibus freti, aduerſo flumine, Danubium tenerent, ripam fluminis ad Nuſdorff vſque quinque millia paſſuum a Viennà occupabant. Vbi porro Turca animaduertit, eam vrbis partem, qua Carinthiorum proſtat turris, vt infirmiorem, noſtrum præſidium fortiter inſediſſe, indeque tormentis ſuos milites præcipue impeti, vexarique: eo vim omnem contulit exercitus ſui, turrim expugnare conatus: in ſuburbiis, quæ exuſta a noſtris militibus; ſolo, ob ſubitum hoſtium aduentum, nondum prorſus æquata erant, magnam vim tormentariorum exercitatiſſimorum collocauit, qui perfoſſis muris, poſt quos latebant, tuti, noſtros e mœnibus eminentes, certiſſimis ictibus impetiuerunt, multoſque adeo inſidiarum rudes confecerunt; quoad damno icti cauerunt, ne quis appareret. Grandiora tormenta poſt ſuburbia conſtituit, quibus aduerſam Carinthiorum turrim vehementiſſime impugnauit. tanta interim, ad grandinis ſpeciem, ſagittarum vis effuſa eſt, vt proxima muro tecta, denſa iaculorum ſegete completa horrerent. Viceſima deinde ſeptima die Septembris Naſſadiſtæ quingentis celocibus Danubij pontem inuaſere, occupatum exuſſere: (etſi non vanum eſt, noſtros quoque priores, partem pontis ſubruiſſe) ibique in ripa caſtrametati, iter aduehendi commeatus, intercluſerunt. quod vbi a noſtris animaduerſum, equitatus cum tribus millibus peditum vrbem egreſſus, prœlio hoſtem laceſſiuit. ſed cum noſtri tormentorum grandiorum parum ſecum produxiſſent, hoſti in fugam verſo haud ita magnum damnum intulere. Eadem die Fridericus Rheni Palatinus, cum Wolfgango item Palatino, ad Crembſium appulit; qui ſi maturius veniſſet, magnum noſtris conſilio & armis ſubſidium adiunxiſſet. Cum autem certis authoribus pontem exuſtum dirutumque cognouiſſet, cum pleriſque aliis Crembſij inuitus reſedit. Intercluſis itaque aqua terraque itineribus, vt nihil neque inferri, neque efferri potuerit, circumquaque omnibus hoſtium copiis refertis viis, reliquum fuit, vt in vltimum diſcrimen vocati, noſtris corporibus, qui pro hoſtium ingentibus copiis ſane parua manus fuimus, hoſtilem impetum in omnem caſum ſuſtineremus. Quantus autem ſtrenuiſſimi cuiuſque animum timor, quanta denique vitæ ac ſanguinis vilitas inuaſerit, qui vtrinque res ex æquo æſtimauerit, facile conſiderabit; præſertim ſi expenderit, Viennam neque natura loci, neque arte hominum ſatis munitam, muro tantum aggeri impoſito, veteri ac vix ſex pedes denſo, vallatam; ad quem ſicco pede aditus militi pateat. Accedit, quod vrbs bene magna, vndique imminenti hoſti præſidia varia opponere neceſſe habebat. Erant autem qui in vrbe tuenda occupabantur milites, non plures XVI millia. Accedebant ciues, quorum multi non comparebant. Nam cum inutilem militiæ ſexum, vxores,

paruos liberos, matres, propinquos, senio ac morbo confectos, pie prosequerentur, iis ereptis ad communes fortunas defendendas rediturí; hostis inusitata celeritas illorum consilio obstitit. Turcarum vero, cum exploratores nostri, tum illorum captiui, pro vero retulere, ter centum millia fuisse; qui si, vt solent, vno impetu vndiquaque ad mœnia successissent, tam pauci ne sustinerent oppugnationem, magnus metus inuaserat. Qua re nihil deterriti, generosi animi Principes, Philippus Comes Palatinus, & qui vices Regis agens, summus Imperator designatus erat, Comes Nicolaus a Salm, natu grandior; Wilhelmus a Rogendorff, ac ceteri militiæ præfecti, & a consiliis tam paucorum militum virtuti non diffisi, intra vrbem ita affectam strenue perseuerandum decreuere.

XXIX autem die Septembris, qui Diuo Michaeli festus fuit, duo millia quingenti milites per Carinthiorum portam, eruptione facta, Turcarum circiter ducentos, Duces item duos interfecere, cum e nostris non plures tribus desiderarentur: quod si dimidia hora ante vrbem exiuissent nostri, Imbrahim Ducem, quem bassam vocant, vrbis situm speculantem, comprehendissent; qui omnium Turcarum Imperatoris actionum, consiliorumque gnarus, non pœnitenda præda venisset. Hispani interim, aliique milites, aliquoties pauci numero, plus minus quinquaginta vrbe egressi, per vineas plerosque hostium ex insidiis imprudentes oppresserunt, ac spolia tulerunt: non raro ipsi tamē temeritatis suæ pœnas dedere.

Iam spe vrbem Turca deuorauerat; quippe qui terrori fore omnibus tam immanem potentiam putarat: quibus in fugam coniectis, vrbem desertum iri, aut certe minus coactum iri, sibi certò persuaserat: ideoque tormenta ænea, quibus tentata mœnia subrui solent, in naues imposita, a tergo dimisit. Cum autem præter opinionem præsidia vrbis impauide hosti resisterent, alia via aggrediendum duxit: cuniculis actis, magnam vim puluerum muro subiecit; malleorum atque ignitarum sagittarum magnum numerum in vrbis fastigia effudit. immisit præterea Germanos quosdam pecunia corruptos, qui vrbem (quod tres deprehensi in quęstione confessi, qui XVII die Octobris iusto supplicio, in quatuor partes laniati sunt) variis locis, præscripto tempore incenderent. quo, cum omnia incēdio misceretur, ipse disiecto muro, aditu facto, perturbatos opprimeret. Quod cōsilium haud eos clam fuit, qui rebus gerendis, in vrbe inuigilarūt. Neque enim nisi mediocribus tormētis impetebat hostis, ac manuariis, quos arcubusos appellāt, ad omnium admirationem, diu noctuque, nulla intermissione certissimis ictibus imminebat. quæ muros labefacere, subruereve possent, nulla audiebātur. facilis itaque coniectura fuit, more suo Turcam variis locis, actis cuniculis, perfossoque muri fundamento, pulueribus adhibitis, ruinam aditumque moliturum. Qua vero vrbis parte penetraret hostis, nesciebatur; quoad Turca quidam ad mœnia, prope Fibri quam vocant turrim, vltro se offerens, prima Octobris die bene mane deprehensus indicium fecit. quo edocti Duces, aduersus hostium cuniculos, fodere instituerunt: neque infelici successu, ad Carinthiorum turrim, quam summopere Turcæ solo æquare conabantur, Turcarum operas nostri excepere; iisque propulsatis, magnam vim pulueris, vt quidam autumant, ademere. quæ res Turcarum Imperatori, magnæ admirationi mixtum terrorem attulit. Christianis parentibus se natum index fassus, de variis rebus interrogatus, verissime respondisse repertus est. Nam a pueris inter Turcas eductus, plurima eorum consilia callide imbiberat. De Turcæ consilio interrogatus, respondit, decreuisse vrbem, disiectis puluerum submotorum vi turribus, violenter derepente capere: docuit loca, quibus perfodere pararet: de tormentis respondit: terra quadringenta ænea tormenta aduecta esse, quæ pugni magnitudine globos iacularentur, ac maiora etiam quædam: aduerso autem Danubio, non plura subornata decem prægrandibus XX pedum longitudine. De nauigiis Turcæ respondit: Imbrahim Bassæ sexaginta naues parere: Turcarum Cæsaris nauium, se numerum nescire: Nassadistarum autem, quadringentos esse: omnibus porro nauigiis quinque armatorum millia ascripta: prægrandia quædam aliquot retro a Vienna milliaribus, relicta. De numero militum ait, ferendis armis idoneorum centum

millia

millia eſſe; in quibus duodecim millia Ianizarorum, qui Imperatorem Turcarum ſtipent; ſex item millia, qui Imbrahim Baſſæ adſint: horum armaturam eſſe, tormenta manuaria, arcus Parthicos, & pila non admodum longa; reliquos equeſtres eſſe. De ſumma mortalium, Turcarum exercitus interrogatus, circiter centum millia, numerari affirmauit. De camelis deinde, viginti millia agi reſpondit, pabulo, farina, armiſque onuſta: neque vltra milliare vnum, vniuerſo cum exercitu, hominibus, iumentiſque defatigatis, proficiſci poſſe Turci aſſeruit. Multi captiui Turcæ quæſtioni adhibiti fuerunt: ſed hoc diuinitus (ſic enim credere phas eſt) oblato indice, nihil veracius, præſentique rerum diſcrimini ſalubrius fuit. Ideoq; virtutis ergo Generoſus Heros Guilelmus a Rogendorff, quoad viueret, homini victum amictumque pollicitus eſt. Huius porro indicium ſecuti Duces noſtri, quibuſcunque locis hoſtium operæ cuniculos agere parabant, diu noctuque ſuos in contra fodiendi opere continuere; ita vt vtrinque quatuor pedum ſpatio aliquando concurrere viderentur.

Quarta Octobris die, Turcæ adeo vehementibus omnis generis tormentorum fulminibus vrbem concuſſerunt, vt in ſtuporem veteranos, ac multo rerum vſu peritiſſimos exercitatiſſimosque milites coniicerent; qui ſe tantum tamque horribilem fragorem, nullis bellorum caſibus vnquam expertos affirmarunt. Interea temporis hoſte in agendis cuniculis occupato, noſtri circiter octo millia rei ſeſe bene gerendæ occaſionem nactos rati, ſexta die Octobris, quo hoſtem ſuburbiis arcerent, & agentes cuniculos explorarent, per Salis turrim erupere: multos e Turcis in ſuburbiis pro arcis porta, & Carinthiorum turri trucidarunt. Extitit interea quidam inauſpicato clamore, ſtrenue aduerſus hoſtes irruentes reuocans, quod ordines componere, & aciem inſtruere conſilium eſſe diceret. quo clamore, ceu panico terrore externatis repente militibus, receptu fugæ ſimillimo ad vrbem trepidabatur: adeo vt denſo fugientium agmine, multi in vallũ foſſamq; deuoluti, propriis armis, alij grauiter ſaucij, alij occiſi fuerint. Ea eruptione Wolfgangus Hag, qui Dux, vexillo vni præerat, cum quibuſdam primi ordinis militibus, & Hiſpanis, (qui primi ſeſe omnibus periculis offerre auſi fuerunt) cum reliquos a fuga dehortatus, ſeſe vt ſequerentur Germani animi, ac fugæ neſciæ virtutis memores obteſtaretur, longius in hoſtium inſidias præcipitatus, deſtitutusque, fortiter pugnando oppetiit. Eadem die circa meridiem Turcæ camelos, ſarmentis onuſtos, ipſi quoque onera baiulantes ad mœnia adegere. foſſas impleturi videbantur, quo facilius aggerem exuperarent: ſed neſcio quomodo hoſti certe conſilium diſplicuit. Nihilo ſecius noſtri inſtructa acie, ſuo quiſque ordine, locoque hoſtem opperiebantur. Eck a Reiſchach ſtrenuus miles, tres ea die glandes plumbeas, aduerſo pectore excepit. ſummi Dei beneficio, ac ferrei thoracis, loricæque bonitate tectus, incolumis ſeruatus eſt.

Octauo porro Octobris die, ac pridie ante vtrinque ad Carinthiorum turrim per murum cuniculos egere, fundamentaque muri incidere; hac arte rati, mœnia ſuppoſitis excuſſa pulueribus, intra ciuitatem prolapſura, noſtri rerum non ignari, præualidas trabes circumquaque muro admouerunt. quo factum vt incenſis pulueribus diſiecta mœnia, noſtris indemnia foras prolaberentur. Dirutam muri partem ſubinde qui in vrbe erant, vt res ferebat, ſarmentis ac trabibus, refecerunt. curæ omnium, magis ac magis ad vigilandum intentæ. Duces ipſi ad laborantem vrbis partem excubarunt. nulla quies, nullus oculis ſomnus capitur: perpetuus hoſtis amoliendi animos defatigat labor: iam proditionis ſuſpicio, iam incendiorum metus, ducum vexat mentes. Eadem die, quidam e Turcis captus eſt; qui capitis periculo affirmauit, Turcarum Cæſarem non vltra decem dies ad Viennam fore. quod verum eſſe euentus docuit. Poſtero deinde die mane infra Carinthiorum portam hoſtes per foramen in vrbem ſumma vi penetrare conati; tandem a noſtris propulſati. A meridie circiter tertiam horam iterum tormentis æneis fulminare cœperunt; & murum prope Carinthiorũ turrim, e regione Diuæ Claræ, duobus locis puluerum vi ſubruerunt. in ipſa interim muri ruina magno conatu aggerẽ ſuperare, & per apertũ murũ inua-

dere parabant. Fortiter nostri hostem sustinuerunt, multi Turcarum occisi: Hispani quidam, Germanique milites, vna cum muri parte, cui insistebant, eiecti, deuolutique, fere salui euasere. Hic raro casu, quidam tormento ictus, pro mortuo habitus; deinde illæso corpore in illius marsupio, plumbeus globus inuentus est. A nona Octobris die ad duodecimum, nulla intermissione, tormentorum assiduis ictibus cuncta personant: subinde ad mœnia euaditur; neque in vrbe cessatur: vehemens vtrinque certatio; ab vrbe omnis generis tormenta in hostes effunduntur. Musicis interim instrumentis, tubis, tibiis, cornibus, fistulis ac tympanis, infractum imperterritumque animum nostri significabant.

Duodecima deinde die Octobris, ad Carinthiorum portam ex altera parte, Stubarum versus quam vocant portam, iterum Turcæ magnam muri partem deiecere; neque vno tantum loco fumus apparuit. quod indicio fuit, pluribus locis, subiectis pulueribus, hostem simul mœnia subruere conatum. Sublato illico vexillo, Hispani Germanique milites, fortiter sese hosti ostentant. sed Turcæ terrore perculsi, neque diu, neque ita magna vi, nostris negotium facessebant: ad oppugnandumque, quod e speculis ac turribus quidam in vrbe viderunt, Turcarũ Duces frameis fustibusque suos milites pulsatos, adigere nequaquam potuerunt: si qui ad fossam adacti, illico fugam retro arripuerunt. quam nos potentem manũ summi Dei fuisse interpretamur; qui cor virtutemque adimit, quando, quibusq; voluerit. Statim post subruta mœnia, Turca, Carinthiorum turrim prægrandi ac violento tormento aggressus, certissimis ictibus, lapideis globis, fastigia turris impetiuit, deiecitque; sicque nostris Bombardarum præfectis, defendendæ vrbis, ex ea parte, quæ sola igniariorum tormentorum capax erat, & vnde magnam cladem hosti obtulerant, facultatem ademere. Quamquam per noctem, quoad fieri potuit, admissa damna refecere: completa fimo vasa muri instar opposuere, sub quibus tuti hostem vexarent: quorum tamen multi insigniter petiti a Turcis, manuariis tormentis icti, occubuere. Continenter interim Turca oppugnationem vrgere, suos animare, cohortari, impellere, vt superato muro vrbem (quod facillimum factu erat) caperent. Decreuerat enim Turca, antequam infectis rebus, se in Hungariam reciperet, id quod e captiuis cognouimus, omnibus viribus, vndiquaque vrbem aggredi, atque vltimam oppugnationem experiri. quod nostris magnum metum attulit; fecitque verisimile, quod a decimosecundo Octobris ad XIIII ab oppugnatione temperabatur. Hic varij vulgo, vt in magno metu, rumores spargebantur. Certum erat, Turcam, antequam infectis rebus discederet, omnia moliturum; quando subrutis in immanem aditum muris, diurnis nocturnisque oppugnationibus, nihil prorsus profecisset, per cuniculos in vrbem inuasurum; derepente ex insperato nostros oppressurum, vndiquaque emergentibus e cellis vinariis, per insidias, hostibus, plerique suspicabantur: timebatur præterea, ne stationes militum, subiectis pulueribus disiicerentur, non sine magna nostrorum clade. Sed pro sui populi salute, si vmquam aliâs, hoc tempore sane excubauit summus Deus; qui animos nostrorum auxit, atque hostium audaciam repressit; monitumque hoc exemplo Christianum populum maluit, quam funditus perditum. Nam XIIII Octobris, contra omnium expectationem, hostes iterum, igniariis manuariis, ac item grandioribus instare, ac magnam plumbeorum globulorum vim, ad glandium speciem, oblongorum, in vrbem iaculari. Decima deinde hora noctis, incensis castris (quod e quibusdam Christianis, qui effugerant, percepimus) magno vlulatu, (quem fuisse captiuorum existimabamus, generis ac nominis nostri Christianorum, qui spem magnam fouebant, se tamdem aliquando liberatum iri: sed valde sua miseros fefellit opinio: siquidem in fuga partim arrepti, in perpetuam seruitutem; partim crudelem in modum concisi, ac laniati, oppetiere) fugæ simillimum discessum properarunt. Merito itaque generosis ac fortibus militibus summi quique honores haberi debent; qui gratia summi Dei, suo robore, Christiani sanguinis sitientissimum hostem remorati, & a Germania, quæ firmissima est Christianæ Reipubl. pars, suis corporibus excluserunt. Quod si Viennam Turca cepisset, igniariorum tormentorum ornatissimam

tissimam, instructissimamque copiam in suam potestatem redegisset, eo ipso anno, per autumnum in superiorem Germaniam facile penetrasset. quam si occupauerit, quod Deus nolit, actum est de Christiana libertate; sub omnium grauissimo tyranno, durissimam Christi fideles seruitutem tolerabimus. Atque adeo, vt longius progressurus non fuerit, Viennam certe ita aggeribus muroque communiisset, vt per hyemem ibi refecto exercitu, primo vere, iusto bello Germaniam lacessere expeditissime potuerit. Constat enim, eo consilio Turcam Viennam venisse, vt ea occupata, toto triennio Germaniæ bellum faceret, in eaque cruentam tyrannidem, pro libidine, innumerabili hominum ex omni ætate iactura expleret, omnia igni ferroque vasta redderet: quod proh dolor iam nimium sæpe experti sumus, ac iam recenti vicinoque magis Austriæ periculo ac clade moniti, e somno vel veterno potius, expergefieri debemus. Vidimus his oculis, oppleta omnia loca cadaueribus, fœdis vulneribus crudelissime consauciatos; nulli sexui, nulli ætati temperatum. Exemti matrum aluo fœtus allisi, parui pueri frameis dissecti, hastis transfixi: virginibus mixtæ matres, post abominabilem execrabilemque abusum, horret mens dicere, a ceruice resectis capitibus, toto corpore deformatæ. nullo omnino exemplo immanitatis extare, neo excogitari quidem posse existimo, quæ non ediderit in nostri sanguinis fratres truculenta bellua.

Tempus itaque est, Viri Christiani, vbicunque terrarum Christo viuitis; tempus inquam est, nos e somno excitari, hanc irati ob nostra scelera, numinis plagam agnoscere, vnanimiter ad Deum conuerti, resipiscere; omisso vanæ gloriæ studio, odium mutuum ponere; monstrosas de fide Catholica dissensiones, & nunquam finiendas disputationes abiicere; in vnum Catholicæ Ecclesiæ sacrosanctum corpus coalescere; & in amore proximi, ac bonis operibus simul, totis viribus, in Christo, qui caput est, vnanimes viuere, orareque vt nobis gratiam suam concedere dignetur, qua armati, immanem hostem, a ceruicibus nostris propulsemus, & deinde oppressis hostibus, quieti, in pace, pie sancteque viuere queamus. Quod si editum in infelices Austriæ Christi fideles exemplum nihil nos mouebit, hancque præsentem Dei plagam, ad nos nihil pertinere putabimus, quid aliud quam præsens exitium toti Germaniæ, ac orbi Christiano, pronunciemus? Non, mihi credite, didicit modum habere hostis: circuit omnia, leo rugiens, impotenti animi libidine, inexplebili regnorum cupiditate, insatiabili sanguinis nostri siti: longius semper longiusque progredietur, quoad vnus omnia occupabit. quod eum hactenus fecisse, multorum Regum, Principum, populorum, vrbium exitio edocti, tandem scire debemus.

Cum itaque per noctem (vt diximus) magna pars exercitus discessisset, Veneris die, Imbrahim bassa, vna cum reliquis ducibus, mane instructis ordinibus, circiter LX mille equitum, in procinctu constitit: nihil tamen ea die gestum. venit in mentem ducibus nostris, quod ante e captiuis audierant, esse hostium voluntatem, vt de redimendis captiuis ageretur, & vtrinque fieret permutatio. Sic enim Imbrahim Bassæ videri illi affirmauerant. mittunt itaque nuncium cum litteris, sibi quoque placere, cum belli ius ita ferret, vt captiuorum ratio vtrinque haberetur. Ad quæ Imbrahim bassa, suo signo confirmatas litteras dedit: quarum exemplum ascribere, visum est, operæprecium esse.

Imbrahim Bassa Dei gratia supremus secretarius, supremus consiliarius, potentissimi inuictissimique Cæsaris Sultani, Soleimani dux, & vniuersi imperij, ac rerum gerendarum gubernator. Visis litteris, quas nuntius vester nobis reddidit, generosi duces, ac rerum gerendarum præfecti illustres, de voluntate vestra cognouimus. Scitote nos non venisse, vestras vt ciuitates occuparemus; sed vt Archiducem vestrum Ferdinandum quæreremus: quem tamen non inuenimus. etsi pluribus diebus in illius expectatione hic morati sumus; non tamen ad hunc vsque diem comparuit. heri tres e vestris captiuos libere ad vos dimisimus: simili ratione vos cum nostris agere æquum est, quomodo nuntium vestrum iussimus ad vos referre. Integrum porro vobis est, mittere quem

vobis viſum fuerit, qui de captiuis cognoſcat: neque tali in caſu de fide noſtra quicquam dubitare debetis. Quod verò iis qui Budæ in præſidio fuere, fidem non ſeruaſſe inſimulamur, illorum, non noſtra culpa factum eſt. Datæ pro Vienna XVII *Octobris,* *Anno* MDXXIX.

In mandatis præterea nuncio dedere, ſeſe, vt militares homines decet, iuxta ius belli facere, conſtitutum habere, quando eo res deuenerit, vt plurima inter eos agenda reſtent. Tabellario e Damaſcena purpura, veſtem rubeam dono dedere. Eodem die Chriſtophorum Zetlitz, de quo antea meminimus, Comitis Ioannis ab Hardeck vexilliferum captiuum, egregie aureis purpureiſque veſtibus ornatum, libere ad vrbem remiſere; eademque de re, ei mandata dedere.

Poſtridie porro Cæſarem, qui cum exercitu præceſſerat, perſequutus ea celeritate, vt quinque diebus Budam venerint, quæ XXXII prælongis Germanicis milliaribus a Vienna abeſt; innumeri equi ex fuga mortui corruerunt; nec non e Turcis, captiuiſque Chriſtianis, paſſim in viis plurimi, cum aſſequi non poſſent, mortui reperti ſunt. Paulus Backitſch, Sigiſmundus Weixelberger, & Ioannes Cazianer, leui armatura fugientes perſecuti, multos ceperunt, plurimos interfecerunt; e captiuis etiam Chriſtianis non paucos liberauerunt: Naſſadiſtæ quoque ad Poſonium, ex vrbe, arceque, cui præfectus fuit Wolfgangus Oder, impugnati, quibuſdam demerſis nauibus, magnam iacturam fecerunt. Captiui Turcæ, pro certo affirmarunt, Turcarum Cæſarem maxima damna accepiſſe, tum quod plurimi ex illius militibus cæſi, igniariorumque vi confecti ſunt, multi fame enecti: tum quod equorum camelorumque ingentem numerum amiſerit; tum quod ſingulari virtute præditum Baſſam, Ducem e Natolia, id eſt minori Aſia, quod certis authoribus accepimus, pro Carinthiorum porta catapulta igniaria ictū deſiderarit. Cauſę diſceſſus fuiſſe perhibentur, quod pro tanto exercitu commeatus non ſuppeditauerint; indeque intolerabili fame vexatos hoſtes, diutius durare nequiuiſſe, & quod cœli immitioris inclementiam, appetente hyeme, molles Aſiæ gentes, & transmarini milites, non ferendam experiebantur. Ianizeri præcipue militiam diutius ferre recuſabant; etſi centum in dies ſingulis aſperi (ſic nummi uocantur Turcici argentei; qui ſinguli ſex noſtratibus, id eſt crucifero vno cum dimidio, commutantur) numerentur: quamquam negauerat ſeſe Cæſar a Viennæ oppugnatione, niſi vrbe capta diſceſſurum; etiamſi tanta niues cælitus decideret, vt ad genu vſque pertingeret. Adhæc Turca pro comperto habebat, Ferdinandum regem, iuſtum exercitum in Bohemia contraxiſſe: ab Imperio non contemnenda auxilia mitti, paratumque prœlio cum eo decernere: & cum ſuos fame laboribuſque fatigatos ſentiret, cum recentibus congredi noluit. Recta itaque, fugienti ſimilis, ad Albam vſque properauit, magna præda onuſtus. Tam lentum Turcæ diſceſſum, Duces, militiæ præfecti, & a conſiliis, aliquandiu ſuſpectum habuere; in inſidiis alicubi aliquot millia ſubornata, latere rati, inſtructi acie pro vrbe egreſſi, Iouis diem integram armati conſtitere: cumque hoſtis nullus compareret, iterum ad vrbem ſeſe receperunt. XVIII Octob. Fridericus ad Rhenum Palatinus, vna cum reliquis Principibus, quos Crembſij per obſidionis pericula fuiſſe oſtendimus, Viennam venit. Haud ita multis poſt diebus, cum ab hoſte iam ſummi Dei ac bonorum virtute ſecuri agerent ciues, grauior ab amicis terror obiicitur. Germani milites, & Imperij præcipue auxilia, plus quam barbarica truculentia, iuris humani diuinique obliti, hoſtilibus animis, neglecta maiorum diſciplina, indigniſſimis iniuriis contumeliiſque ciues affecere. Nam quidam non contenti vina exhauſiſſe, in quo perdendo magis, quam hoſte arcendo occupati, ſic inebriabantur, vt cum ad arma ſignum daretur, alij arma vbi inuenirent, ignorarent, alij vacillantes per plateas offenderent: hoſpitium ſuorum, etiam præſentium, refractis ſeris, corruptis arcis, armariis, menſis; direptis quæ reliquæ erant, facultatibus, animos ſuos manuſque expleuerunt: necdum illorum libidini ſatisfactum; vitra, fornaces, tabulas pictas comminuerunt: (tantum non vitam miſeris ciuibus eripuerunt) vina, carnes, panes, copioſe ſuppeditata, ac regis optimi benignitate gratuito condonata, nihil

importunos

importunos animos flectebant. Nam XIIII vexillorũ ab Imperio auxilia XXIII Octobris, a prima luce vſque ad veſperum, frequentes coiêre; conuentuque habito, trium oppugnationum ſtipendia, de more militari flagitarunt; quæ niſi numerarentur, præſentem ducibus ac ciuibus cædem denuntiabant: omnia denique acerba minati. Conradum Goſman, & Iacobum a Werdenau, capitaneos, per integram diem, conuentui intereſſe coegerunt. Qui cum docerent, quam iniuſta eorum petita eſſent, ſi quid iure deberetur, ſeſe offerre aiebant; quos tam diu in vinculis ac cuſtodia ſeruarẽt, quoad ſatisfieret. ſimulque copioſe ad eos ac fortiter Eck a Reiſchach verba fecit, cum petenti libera quæ vellet dicendi copia facta eſſet. Sed nullius oratione, humanitate, admonitione, quicquam profectum: vno ore omnes ſublata voce, pecuniam flagitare, cædem, prædam minari. Quem tumultum grauiter ferebat inclytus Princeps Fridericus: atqui indomitum vulgus, niſi ſuæ libidini ſatisfieret, compeſci poſſe deſperabat. quid facerent? de oppugnatione ſtipendium coactum, ac vi magis quam merito extortum vnum promiſerunt: ſed nondum placati milites, duobus ſupra dictis ducibus haſtas vndiquaque intentarunt: quoad inclinato iam die, magni Michaelis vexillifer, prolato ſigno progreſſus, Commilitones, ait: Quicunque emeritis duobus ſtipendiis, & vno, oppugnationis gratia oblato, contenti eſſe volunt, me ſequantur. Ægre hic a vexillifero cruentas manus abſtinuerunt. Eum deinde per denſum circulum perrumpentem, vexilliferi reliqui, & anteſignani ſecuti, conuentum diremêre. Cum porro Imperij auxilia duobus emeritis ſtipendiis, item vno oppugnationis prætextu extorto, diſſolutis deliniti eſſent: ecce ibi alia exoritur diſſenſio. Veterani milites, qui plures annos Duce Leonhardo a Vels in Hungaria militauerant, & Eckij a Reiſchach imperio ſubiecti, quod debita ſtipendia non continuo, & ex ſententia numerabantur, ſe vrbem direpturos minati: propter tumultum magnus iterum metus ciues occupauerat: qui maturo Ducum, militiæ præfectorum, & conſiliariorum, ſanoque conſilio diſcuſſus, tamdem conquieuit. Sic res vtrinque geſtas, breuiter quam veriſſime complexi ſumus, ne longa narratione hominum aures oneraremus. Deo ſanè Opt. Max. merito gratias agere debemus, qui immanem efferatumque tyrannum longius ſæuire vetuit; orareque vt aduerſus incredulos, nobis in fide vera conſentientibus animos roburq; miniſtret, quo ſimul ex hoſte crudeliſſimo victoriam, ſimulque pacem aliquando tãdem reportemus.

CATALOGVS VIRORVM ILLVSTRIVM, DVCVM MILITIÆ, PRÆFECTORVM, LEGATORVM, CÆTERORUMQUE, quorum virtute & conſilio ſecundum Deum Vienna ſeruata fuit.

Primi ordinis officia militaria.

Illuſtriſſimus Princeps, Philippus Palatinus ad Rhenum Bauariæ Dux, Friderici patrui loco ſupremus auxiliorum imperij Dux, ſeu Capitaneus.

Cõmes Nicolaus a Salm, natu grandior, inclyti Regis Ferdinandi a conſiliis, ac cubicularius, ſupremus totius exercitus Regij Capitaneus; de cuius fato obiter paucis perſtringam. Iam inde a prima ætate, & ipſo tirocinio, maximis bellorum caſibus exercitus, omnibus fere memorabilibus prœliis interfuit. Et nuper Viennæ, cum murus vi pulueris ſubiecti labefactatus corrueret, lapide ictus, altero pede vulnus accepit: quod vix dum obductum, ſoluta obſidione, cum Strigonium cum exercitu aliquot millium profectus eſſet, recruduit: adeo, vt inualeſcente malo, imbecillior, quam qui militiam ferre poſſet, amicorum conſilio, ad ſuos domũ redierit; quo per quietem priſtinam valetudinem reciperet. Deinde in Marcheck, Auſtriæ Caſtello, in ſuorum luctu & lachrymis e vita diſceſſit. Felix poſt tot emerita decora heros, ſi (quod vnum in votis habebat) pro patria, ac Chriſti fide, ſaltem fortiter pugnanti oppetere, & parta ſuis victoria, generoſum ſpiritum reddere licuiſſet. Obiit anno a nato Chriſto M. D. XXX, IIII Menſ. Maij, ætatis ſuæ anno LXXII.

Melchior Stadler.
Melchior Schrampfl.
Sebaſtianus Roſenberger.

Leonhardus Lochner Carinthiæ capitaneus, duas centurias equitum duxit; in quibus nobiles:

Ioannes a Neunhauſ.
Chriſtophorus Doſch.
Chriſtophorus Brunhaimer.
Wolfgangus ab Eckenburg.
Chriſtophorus ab Eckenburg.
Leonhardus a Malentein.
Ioannes Brunhoffer.
Ioannes Rhenner, &c.

Chriſtophorus Saler, capitaneus, vexillum duxit peditum Carinthiæ; ſub quo nobiles:

Chriſtophorus Mardachs, ſignifer.
Ioannes Hauts.
Caſpar Kienberger.
Chriſtophorus Keller.
Hans Reiſchberger.

Hiſpani capitanei:

Ludouicus de Aualos, Magiſter campi. Ioannes de Anguilera, Ioannes de Salinas, Melchior de Villaruel, circiter ſeptingentos Hiſpanos pedites duxerunt: qui ſtrenue pro Ferdinãdi regis optimi ſalute excubantes, omnibus periculis vltro ſeſe primi obtulere: adeo vt audierim neminem tam maleuolum, qui non ſingulare illorum virtuti teſtimonium dederit. In his nobiles numerantur:

Ciros ſignifer.
Antoniꝰ Comargo ſignifer: occubuit.
Petrus Nauares, ſignifer.
Cardenes, item ſignifer.
Georgius Manriquez.
Chriſtophorus de Aranda.
Ludouicus de Calathauit: occubuit.
Alfonſus de Eredia.
Zapata.
Val de Rama.
Balacurs.
Iuanus de Argolio
Ferdinandus de Roza.
Iacobus Garzias de Guſman: occubuit.
Gueuara. &c.

Didacus Seraua, Regiæ Maieſtatis puerorum nobilium præfectus, vnde reliqui ſe effugiſſe facile patiebantur, Viennam iam aqua terraque, hoſtium innumeris copiis circumſeptam, conducta celoce, decoris demerendi ſpe incenſus, ſecundo Danubio properauit: in oppugnatione primus in hoſtem ſulphurata iaculatus, aduerſo thorace tria ſpicula excepit. Multa memorabilia Hiſpanos patraſſe audiui, ſed quia incerto autore ferebãtur, malui bonos milites ſuis laudibus fraudare, quam nimium laudandi ſtudio, palpum obtrudere voluiſſe videri.

Sub Ioanne Cacianer, Capitaneo, Nicolaus Schnitzenbaumer CLX equitibus præfuit; in quibus nobiles:

Ioannes Leiffer, præfectus excubiarũ, vel magiſter *de la garda.*
Ioannes Gall, ſignifer.
Alexius Flaſchberger.
Chriſtophorus Mindorffer.
Ioannes Globits, Præfectus excubiarum.
Ioannes Leble, &c.

Sub Ioanne Comite ab Hardeck, a poculis hereditario Auſtriæ, infra Onaſum, Capitaneo, militarunt CCL equites; in quibus nobiles:

Ioannes a Schelnberg.
Heinrichus a Schelnberg.
Chriſtophorus Zetlits, ſignifer.
Eraſmus Deuffel.
Gulielmus ab Oberbeck. is, excuſſo ab equo ad D. Marci ædem ſignifero, fertur ſignum arreptum, vt ante meminimus, ſeruaſſe, & ad vrbem retuliſſe.
Nicolaus Rechenberger.
Conradus Phrior, Vratiſlauienſis.
Ioannes Reibnits.
Melchior Panouuits.
Valentinus Longus a Procat.
Sebaſtianus Hoſuuits.
Balthaſar Seidlitz.
Conradus Seidlitz.
Ioannes Haubitz a Ruperſdorf.
Laurentius Magnus.
Balthaſſar Knobloſdorff a Berndorff.

Georgius

Georgius Scheredi: item Georgius Hatalinij, Adamus Honorij, Ioannes Norouusky: qui quatuor, Episcopo Strigoniensi cum seruirent, impiis & consceleratis illius cum Turcis conspirationibus offensi, cũ XXVIII equitũ turma, ad Ferdinandum Regem sese receperunt.

Sub Leonhardo a Vels, capitaneo, singulis vexillis, Præfecti fuere capitanei infrascripti.

Ægidius a Vels.
Ioannes ab Altenhausen.
Thomas Flaschberger, signifer.
Christophorus Reischacher.
Hainrichus Wundershofer.
Ioachimus ab Helmstorff.
Thomas ab Armstorff.
Petrus a Vels.
Nicodemus Sinckmoser.
Ioachimus ab Rosenau.
Hainrichus Sendroffzky.
Albertus ab Kodsan.
Georgius Westualin.

Caspar Ritschan, capitaneus Regius, vexillum peditum duxit; inter quos nobiles fuere:

Christophorus & Ioannes Amsteter.
Ioannes Lochner.
Ludouicus Gall.
Guilielmus Waltinger.
Gregorius a Faulach.
Georgius Seidlitz.
Caspar Carlouitz, &c.

Wolfgangus Hagen, capitaneus Regius, vexillo peditum vni præfuit: longius in hostem progressus, atque a nostris (vt ostendimus) destitutus, fortiter pugnando oppetiit. cui successit Ioannes Altenhauser; sub quo nobiles militarunt:

Albertus Peltzky, signifer.
Ioannes Parnsbruner.
Christophorus a Sinzndorff.
Georgius Strasser.
Ioannes Werder, &c.

Sigismundo Leisser, capitaneo Regio, vnum vexillum peditum paruit; sub quo:

Guntherus ab Herberstain, signifer.
Matthias Fux.
Iacobus Tranner.
Andreas Hoffer, &c.

Sub Maximiliano Leysser, capitaneo Regio super vnum vexillum peditum, militarunt:

Sebastianus a Weisseneck, signifer.
Petrus a Weisseneck.
Christophorus Leisser.
Seifridus a Ratmansdorff. Andreas a Mallentein. Caspar & Ioannes Ottwein. Balthassar Schramph. Hieronymus a Rechberg. Caspar Purcksdorffer.

Ioannes Surg, a Surgenstain, capitaneus Regius, vexillo vni præfectus; sub quo meruerunt:

Erhardus a Petlingen, signifer.
Georgius Waldner.
Ioannes Brenner.
Georgius Gluck.

Ioannes Grummoser, capitaneus Regius, duo vexilla peditum tenuit; sub quibus militarunt:

Guilielmus a Bibrach.
Michael Wildmair, signifer.

Sub Eck a Reischach capitaneo, sex capitanei, qui singulis vexillis præfuerunt; militarunt:

Ioannes Vlrichus a Rotenburg.
Ioannes Dietrichus ab Hochenneck, capitaneus.
Schweickhardus Thum a Neuburg.
Iodocus a Grienstain, signifer.
Ludouicus Wolff ab Habsberg.
Ioannes ab Hochenfeldt.
Ioannes a Seiboldstorff.
Rupertus a Grana, Burgundus.

Maximilianus Auer, ab Hernkirchen, capitaneus Regius vnius vexilli peditum.

Ioannes Georgius a Burckstal capitaneus Regius vnius vexilli; sub quo militarunt:

Heinrichus ab Raubenstein.
Sebaldus a Bolckenstain.
Wolfgangus Sigismundus a Stain.
Ioachimus Schonfelder.
Wolfgangus Gultinger.
Guilielmus Füller.
Conrad Zeller.
Georgius Gurtler, signifer.

Eitel Ioannes a Faulach, capitaneus Regius vnius vexilli; sub quo:

Christophorus a Schina, signifer.
Fridericus ab Eintzberg.
Wenceslaus ab Homburg.
Ioannes Reibitz.

Christophorus a Neuenfels, capitaneus Regius vnius vexilli; sub quo:

Michael a Landenburg, signifer.
Ioannes Ottmair.
Ioannes a Logau.

Wolfgangus Pfaffenlap, capitaneus Regius vnius vexilli; sub quo:

Ioannes Eberbardus a Reinach.
Iacobus Sigismundus a Reinach.
Heinrichus a Mandach, &c.
Ernestus a Brandenstain, Regiæ Maiestatis satellitũ, quos Trabandos vocant, capitaneus, quatuor signis præfuit peditum Bohœmorum; in quibus nobiles fuerunt:
Guilelmus Zusirzetitzky a Wartẽberg, capitaneus Regius vnius vexilli.
Sebastianus Knoblstorffer, signifer.
Petrus a Profez, capitaneus Regius, vnum vexillum duxit.
Petrus a Wopith, Ginackh, Perzina, capitaneus Regius duorum vexillorum.
Achatius Schlusky, a Clunna, signifer.
Venceslaus a Landa, signifer.

Nobiles quidam, qui nulli duci addicti militarunt.

Rupertus Comes a Manderschiet.
Wolfgangus Comes ab Ottingen, qui proprio ære militauit.
Guilielmus ab Herberstain, eques auratus.
Ioannes Salamanca, egregia virtute iuuenis Hispanus. hic vna cum aliis quibusdam, Cacianero Duce, excursione facta ad Viennæ montana, cæsis fugatisque Turcis, fortiter sese gessit.
Christophor⁹ a Lamberg Gaurini præfectus, Turca aduenięte, arcem minime munitam incendit, seruatisq; tormentis Viennam venit.
Georgius Wolfframstorffer, Regiæ Maiestatis venationum præfectus.
Leonhardus Hauser, vir strenuus, capitaneus Ciuitatis Viennæ; cuius ædes ærumnosarũ mulierum puerorumque perfugium fuerunt; tormento ictus conualuit.
Erasmus Scheürer.
Ioannes Haug a Frainstain.
Hieronymus Ruck.
Sigismundus Guntheshauser, &c.

Auxiliorum Imperij Catalogus.

Philippus Palatinus ad Rhenum, de quo antea mẽtionem fecimus, centuriam equitum vnam duxit.
Siluester a Schaumburg, & Ludouicus a Graueneck, tribuni.
Thomas Marschalcus a Pappenhaim.
Georgius a Rechberg.
Georgius Hund. &c.
Conradus Gorzman, dux ab Electoribus Principibus præfectus septẽ capitaneis; ipse in obsidione Viennæ non fuit. nam Crembsij resedit.
Georgius a Lauffenholtz, capitaneus vnius vexilli auxiliorum Imperij.
Ioannes a Mortlingen, signifer.
Ioannes a Festenberg.
Martinus & Vitus ab Eglofstain.
Gundelius & Ambrosius a Schamberg.
Ioannes Taubentantz, capitaneus Imperij vnius vexilli.
Balthasar a Bock, signifer.
Wolfgangus a Creutzen.
Erasmus ab Haid, &c.

Ioannes

Ioannes a Gundelfingen, capitaneus Imperij, vexilli vnius.
Christophorus Groland, signifer.
Caspar Altmulstainer, Zammacher, Norimbergensis, capitaneus Imperij, vnius vexilli.
Pancratius Zolner, signifer.
Christophorus Stramer.
Nicolaus Rosenberger.
Friderichus Haner.
Ioannes a Riedlingen, capitaneus Imperij vnius vexilli.
Georgius Schmid Hornbergensis, signifer.
Iodocus ab Haid, &c.
Magnus Michael ab Ansbach, capitaneus vnius vexilli.
Paulus Hartumb, signifer, &c.
Michael a Bamberg, capitaneus vexilli vnius.
Melchior Schaid, signifer, &c.
Ioannes Hablutzel, capitaneus vexilli vnius.
Ioannes Burghardus Faber, signifer.
Guilelmus Talhamer, capitaneus vexilli vnius.
Ioannes Eysen, signifer.
Christophorus Iud, capitaneus vexilli vnius.

Iacobus a Werdnau, dux ab Electoribus principibus, septem signis præfectus, in obsidione non fuit, sed Crembsij cum Friderico Palatino egit.

Ludouicus a Graueneck, capitaneus Imperij auxiliorum vexilli vnius.
Guilelmus Guss a Gussenberg, signifer.
Rudolphus a Pappenhaim, Mariscalcus Romani Imperij hereditarius, capitaneus vexilli vnius.
Ioannes Sigismundus ab Ellerbach, signifer.
Georgius Lamparter a Greiffenstain, capitaneus vexilli vnius.
Georgius a Fechingen, signifer.
Ioannes Mergel Memmingensis, capitaneus vexilli vnius.

Sacri Romani Imperij officia militaria.

Ernestus a Brandenstain, sacri Romani Imperij supremus censor militaris, siue lustrator exercitus; *el veador.*
Michael Beheim, Præfectus tormentorum, & machinarum bellicarum; *capitaneus de l' artelaria.*
Georgius de Myndelhaim, præpositus iudiciorum; *el alcaldo della Iustitia.*
Bartholomæus Aman, præpositus castrorum; *el preuost.*
Philippus a Gelnhausen, præfectus excubiarum septem signorum, quæ sub Cunrado Gotzman meruerunt; *el mastro della Garda.*
Sebastianus a Schorndorff, præfectus excubiarum septem signorũ, quibus præfuit Iacobus a Werdenau.
Ioannes Smidel tribunus, magister quartarum.

FINIS OBSIDIONIS.

LECTORI S.

Quia paullo ante, sub initium catalogi huius, illustri Comiti Nicolao Salmensi, Nicolai Iunioris patri; Egonis, Iulij nunc adhuc superstitis, Nicolai III, *auo; magnæ, veraque tributa sunt laudes, ab auctore commentationis huius: visum est vel auctarij, vel plenioris ellogij grauioris ve testimonij loco, monumentum insigne subiicere, quod æternandæ viri maximi memoriæ, Diuus Ferdinandus Cæsar in æde Dorotheana Viennensi, opere marmoreo, posuit. Lector lege, relege, viue, ac vale.*

DIS MAN. S.

INCOMPARABILIS HEROS, NICOLAVS COMES A SALM, DIVI FERDINANDI, ROMANORVM, VNGARIÆ, BOHEMIÆQ. REGIS, ARCHIDVCIS AVSTRIÆ, AB ARCANIS CONSILIIS, CVBICVLAR. ET SVPREMVS PROVINCIARVM,

TERRÆ AVSTRIÆ CAPITANEVS,
QVVM DIVVS FRIDERICHVS ROM.
IMPERATOR, DVX SIGISMVNDVS,
DIVVS MAXIMILIANVS ROM. IMP.
PHILIPPVS REX, KAROLVS V. ROM.
IMP. ET FERDINANDVS ROM. CÆSAR,
AVGG. FRATRES, RERVM POTIRENTVR,
EORVM AVSPICIIS REIP. ANNIS XLVI
FORTEM ATQVE STRENVAM OPERAM
DOMI MILITIÆQ. NAVAVIT.

ANNO PORRO DOMINI M.D.XXIX.
SOLYMANO TVRCARVM TYRANNO
VIENNAM OBSESSAM ATROCITER
OPPVGNANTE, DVM DIRVTIS MOENIB.
INVICTVM GENEROSI ANIMI ROBVR
PRO MVRO HOSTIVM MINIS OPPONIT,
SAXO PERCVSSVS LETALE
VVLNVS ACCEPIT.

DIVVS FERDINAND. PATRIÆ PATER.
VIRTVTIS RERVMQVE GESTARVM
GLORIÆ ERGO HOC EI MONVMENTVM
FIERI CVRAVIT.

Θ IIII DIE MENSIS MAII, ANNO
DOMINI IESV SERVATORIS
M. D. XXX.

VIRTVTEM POSTERI IMITANTOR.

FINIS.

INDEX

INDEX TAM VERBORVM.

QVAM RERVM GESTARVM IN ANNALIBVS TVRCICIS MEMORABILIVM, ORDINE ALphabetico digestus;

Cuius prior numerus paginas, posterior lineas designat.

A

B.

Chalifes

A 4

F.

Festi-

G.

H.

I.

Melus

N.

Prætor

T.

FINIS.